Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/doctrinanvmorvmv21eckh

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM.

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM

CONSCRIPTA

A

IOSEPHO ECKHEL

THESAVRO CAESAREO NVMORVM, GEMMARVMQVE VETERVM, ET REI ANTIQVARIAE
IN VNIVERSITATE VINDOBONENSI DOCENDAE PRAEFECTO.

PARS I.

DE NVMIS VRBIVM, POPVLORVM, REGVM.

VOLVMEN III.

CONTINENS

RELIQVAM ASIAM MINOREM, ET REGIONES DEINCEPS
IN ORTVM SITAS.

EDITIO SECVNDA.

VINDOBONAE

SVMPTIBVS FRIDERICI VOLKE

MDCCCXXVIII.

CONSPECTVS VOLVMINIS III.

NVMI VRBIVM, POPVLORVM, REGVM.

Lycia . . . . Pag. 1
Pamphylia . . . . — 7
Pisidia . . . . — 18
Isauria . . . . — 28
Lycaonia . . . . — 30
Cilicia . . . . — 35
Cyprus . . . . — 84
Lydia . . . . — 90
Phrygia . . . . — 127
Galatia . . . . — 176
Cappadocia . . . . — 186
Armenia . . . . — 202
Syriae reges . . . . Pag. 209
Commagene . . . . — 249
Cyrrhestica . . . . — 259
Chalcidene . . . . — 263
Palmyrene . . . . — 265
Seleucis et Pieria . . . . . . — 266
Coelesyria . . . . — 328
Trachonitis Ituraea . . . . . — 339
Decapolis . . . . — 345
Phoenice . . . . — 353
Galilaea . . . . — 422
Samaritis . . . . — 428

Iudaea . . . . Pag. 441
Arabia . . . . — 499
Mesopotami . . . . — 505
Parthia . . . . Pag. 522
Persia . . . . — 551
Bactriana . . . . — 556

L Y C I A.

Lyciorum rempublicam praeclaris legibus fuisse constitutam, et a moderatione civium, et aequi observantia late celebratam, et actis per urbes conventibus utilitati publicae provisum, praeclara ejus commendatione refert Strabo a). Ad civilis etiam instituti rationem videtur pertinere certus quidam et aequabilis monetae argenteae modus, a solis Lyciae urbibus receptus, nimirum non pondere solum, sed et typis, omnibusque aliis causis conspirantis. Sunt nimirum argentei III. formae, in antica est *caput Apollinis*, in aversa *lyra intra quadratum*, nomen urbis paucis literis absolvitur, addito plerumque ΛΥΚΙΩΝ. Vrbes, quae hujus generis numos signavere, hactenus compertae sunt Cragus, Cydna, Limyra, Massicytes, Olympus, Patara, Phaselis, quos in singulis plenius describemus. Lyciae numismaticae seriem perpetuam adjecta crisi debemus curis cl. Sestini b).

* * *

Lyciae nomen seorsim, et sine addito urbis nomine in paucis numis reperitur. Eccos:

ΑΠΟΛΛΩΝ. ΚΑΙ. ΛΥΚΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *cum capite Alexandri M.* in antica, de quo actum supra in Apollonia Cariae.

ΑΥΤΟΚΡ. ΝΕΡΟΥΑϹ. ΚΑΙϹΑΡ. ϹΕΒΑϹΤ. *Caput Nervae laureatum, juxta* ΛΥ. ☧ ΥΠΑΤΟΥ. ΤΡΙΤΟΥ. *Duae lyrae, quibus insistit noctua.* AR. III. (Mus. Caes.)

Similes numos Vaillantius tribuit Lytto Cretae c), at mihi videntur verius Lyciae cuidam urbi tribuendi. Nam non solum in Massicytis numo, ut mox videbimus, eaedam literae ΛΥ. eodem modo juxta caput anticae sunt collocatae, verum etiam lyra et Apollo obvius sunt in Lyciarum urbium moneta typus. Similes argentei complures exstant etiam cum capite Domitiani et Trajani, quos, etsi dictas literas non praeferant, tamen ob typi analogiam ad eandem Lyciam censeo pertinere. Sunt hi numi apud Morellium d), et Vaillantium e).

a) L. XIV p. m. 980. b) Lettere T. III. p. 82. c) Num. praest. T. II. p. 116. d) in Domitiano Tab. XII. n. 43. etc. e) Num. praest.

ANTIPHELLVS.

Imperatorius.

ΑΝΤΙΦΕΛΛΕΙΤΩΝ. *Fortuna stans*, in numo Gordiani. (Sestini Lettere T. III. p. 89.)

APERRAE, APYRE.

Hanc Lyciae urbem Frölichius evolvit ex numo Arigonii ΑΠΑΡΑΙΩΝ [a]), sed quae scriptura melius in ΑΠΤΑΡΑΙΩΝ corrigetur, ut praeclare conjecit Neumannus. Erit adeo Apterae Cretae.

APOLLONIA.

Autonomus.

Caput Dianae. ℞ ΑΠΟΛΛΩΝΙ. ΜΥΣΙΟΝ. *Cervus stans.* AE. III.

Apolloniae Lyciae numum hunc tribuit abbas Sestinus [b]), sed non satis persuadent rationes, quas adfert.

Imperatorii

Exstant inscripti: ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. ΛΥΚΙΩΝ. *Iuppiter sedens*, in numo Antonini. *Figura stans intra templum*, Gallieni. (Vaill.) Hac vero epigraphe ne quis forte existimet indicari concordiam inter Lycios et Apolloniam qualemcunque, vetat numus Aurelii Caes. ΑΠΟΛΛΩΝΙ. ΛΥΚ. *Mensis stans* [c]), et numus Getae in museo Neumanni: ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. ΛΥ. typo *Fortunae stantis.* Accedit, quod in omnibus his numis typus tantum est singularis, cum tamen in concordiae numis fere semper utriusque populi numen, vel symbolum, non unius tantum, proponatur.

Hi ergo numi Apolloniam invicte Lyciae vindicant, geographis veteribus fere praeteritam, nam unus, quod sciam, Stephanus eam attingit his verbis: *Apollonia XXI.* νῆσος πρὸς τῇ Λυκίᾳ, *insula juxta Lyciam.*

AE. RRR.

ARYCANDA.

Vrbis situs non satis exploratus, verisimiliter ad fluvium cognominem.

Autonomos, quos Pellerinius huic largitur, esse potius Abydi Troadis, jam alias suspicatus sum [d]), non dissentiente serius ipso Pellerinio.

Imperatorius

Tranquillinae a me editus ex museo M. Ducis: ΑΡΥΚΑΝΔΕΩΝ. *Imperator eques.* (Num. vet. l. c.)

AE. RRRR.

CEBESSVS.

Numos huic urbi tributos esse Cidyessi Phrygiae, dicetur in hujus moneta.

CORYDALLA.

Lyciae oppidum testibus Plinio et Ptolemaeo.

---

a) Notit. elem. p. 75. b) Lettere T. III. p. 90. c) Sestini Lettere p. 114. d) Num. vet. p. 217.

Imperatorii

ΚΟΡΥΔΑΛΛΕϹΩΝ. *Pallas stans*, in numo Gordiani. (Haym. T. II. p. m. 358.)

ΚΟΡΥΔΑΛΛΩΝ. *Vir galeatus eques hastam intentat.* Tranquillinae. (Pellerin Rec. III. p. 248.)

AE. RRR.

CRAGVS.

Ad montem cognominem.

Autonomi.

Caput Apollinis diadematum, in alio: *laureatum*, ✕ ΚΡ. in alio: ΛΥ-ΚΙΩΝ. ΚΡΑΓ. *Lyra intra quadratum*, AR. III. (Pellerin.)

ΛΥ. *Lyra.* ✕ ΚΡ. *Cervus stans.* AE. III. (Editus ex museo Caes. in mea Sylloge I. p. 40.)

ΚΡ. Caput Dianae cum pharetra et arcu. ✕ ΚΡ. *Figura incerta stans.* AE. III. (Hunter.)

ΛΥ. *Caput Apollinis laureatum.* ✕ ΚΡ. *Lyra*, *omnia intra lauream.* AE. II. (Hunter, Mus Caes.)

ΛΥ. *Caput Apollinis diadematum.* ✕ ΚΡ. ΞΑΝ. *Lyra*, *omnia intra lauream.* AE. II. (Neumann Num. pop. P. I. tab. 6.)

ΛΥ. *Caput Apollinis laureatum.* ✕ ΚΡΑΝΙΩΝ. *Lyra*, *omnia intra lauream.* AE. (Goltz. Graec. Tab. XV.)

En tibi Cragi numos omnes hactenus compertos. Singularis est is, quem primo loco proposui cum epigraphe ΛΥΚΙΩΝ. ΚΡΑΓ., quia diserte docet, eodem modo legendum contractius ΛΥ. ΚΡ. numorum sequentium. Numi tres postremi eodem omnes sunt argumento, nisi quod nonnihil differt inscriptio, et satis etiam patet, fallere Goltzianam epigraphen ΚΡΑΝΙΩΝ, nimium, ut jam constat, facili Goltzio, ad inscriptiones, ut libuit, seu immutandas, seu de suo addendas. Satis apparet, Goltzianum istud cimelium diversum non fuisse a Neumanniano, in quo haud dubie sic jungendae sunt literae, ut sit: ΚΡ. ΞΑΝ., sic ut το ΞΑΝ. vel sit nomen magistratus, vel indicetur Xanthus Lyciae fluvius, quod idem serius sensit Neumannus ipse, fassus praeterea, minus prospere sese ducem Goltzium secutum legendo ΚΡΑΝ. Ξ., numumque Cranio Cephalleniae tribuendo, a quo deinde judicio conspecto simili Hunteriano discessit [a]. Ceterum numi hi perpetui sunt in cultu Apollinis, sororisque Dianae.

AR. RRR. AE. RR.

CYDNA.

Lyciae urbs teste Ptolemaeo.

Autonomus.

Caput Apollinis. ✕ ΚΥ. *Lyra.* AR. III. (Hunter.)

Non paucis urbibus a ΚΥ. incipientibus, hunc numum recte Cl. Combius huc refert causa typi cum aliis Lyciae urbium numis communis, ut mox supra

a) Num. pop. P. II. p. 179.

in prolegomenis ad numos Lyciae monui.

AR. RRRR.

LIMYRA.

Ad fluvium Limyrum prope mare, qua in urbe Cajus Agrippae F. ex oriente redux mortuus est.

Autonomus.

Caput Apollinis laureatum. ✕ ΛΥΚΙΩΝ. ΛΙ. *Lyra, juxta fulmen, omnia intra quadratum.* AR. III. (Hunter.)

Imperatorii

Gordiani tantum exstant.

ΛΙΜΥΡΕΩΝ. *Fortuna stans.* (Vaill.)

ΛΙΜΥΡΩΝ. *Monticulus, ex quo unda profluit, et ex qua bos bibit, in imo:* ΡΗΓΜΑ. (Pellerin Rec. III. p. 219.)

Vocabulum istud *eruptionem* significat, censetque Pellerinius, eam aquam patefacto sibi per vim ex rupe exitu erupisse, locumque, ubi istud accidit, sic vocatum. Eadem ratione locus quidam juxta Anchialen Ciliciae, ubi sunt Cydni ostia, dictus fuit Ρηγμα teste Strabone [a]). Ab eodem vocabulo tractum etiam nomen Rhegii Bruttiorum, in hujus numis diximus. Meminit Plinius fontis apud Limyram mirae naturae, et oraculo inclyti [b]).

* * *

ΛΙΜΥΡΟϹ. *Fluvius decumbens*, in numo Gordiani. (Pellerin Rec. III. p. XXII.) Vrbis nomen non additur, dubium tamen non est, numum hunc apud hanc Limyram signatum, quam diximus Limyro fuisse adsitam.

AE. RRR.

MASSICYTES.

Mons quidem tantum hujus nominis in Lycia a geographis proditur, sed impositam quoque illi urbem docent numi sequentes. Quin et Quintus Calaber de accolis hujus montis loquitur [c]):

Παντες ὁσοι Φοινικον ἑδος περι πανχυ νεμονται,
Αιπυ τε ΜΑΣΣΙΚΥΤΟΙΟ ῥιον, βωμον τε Χιμαιρης.
Omnes, quicunque circa Phoenicium solum undique habitant,
Et praeruptum MASSICYTI jugum, aramque Chimaerae.

Idem ejus montis meminit alibi [d]).

Autonomi:

Caput muliebre laureatum. ✕ ΛΥΚΙΟΝ. ΜΑΣ. *Lyra intra quadratum.* AR. III. (Pellerin.)

Caput Appollinis laureatum. ✕ ΛΥΚΙΩΝ. ΜΑ. *Lyra intra quadratum.* AR. III. (Panel Num. Cistoph. p. 40.)

Alius, sed abest ΛΥΚΙΩΝ. (Pellerin.)

ΛΥ. *Caput Apollinis laureatum.* ✕ ΜΑ. *Vir togatus stans d. extenta . . . s. arcum.* AE. III. (Mus. Caes.)

AR. RRR. AE. RRRR.

Imperatorius

Vnicus exstat, quem edidi ex museo Mediceo: (Num. vet. p. 217.)

a) L. XIV. p. m. 990. b) H. N. L. XXXI. §. 18. c) L. VIII. v. 106. d) L. III. v. 233.

ΛΥΚΙΩΝ. ΜΑ. *Lyra*, cum capite Augusti. AE. m. m.

AE. RRRR.

MYRA.

Vrbs Lyciae mediterranea.

Imperatorii.

Ab Antonino ad Tranquillinam usque.

Epigraphe ΜΥΡΕΩΝ *typis* obviis dempto sequente:

Mulier velata in saxum desinens supra mediam arborem, ad cujus truncum hinc et inde vir cum securi, ex imo arboris exsiliunt serpentes, qui unum ex hominibus insequuntur, in numo Gordiani.

His verbis numum hunc Vaillantius describit ex Patino, in cujus tamen opere eum non reperio. Videtur insolens hic typus ad domesticam urbis historiam pertinere.

* * *

Concordia cum Side: ΣΙΔΗΤΩΝ. ΜΥΡΕΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Pallas Sidetum stans, ex adverso caput impositum saxo conoidico*, in numo Valeriani. (Arigoni.)

Myrensium istud numen fortasse idem est, quod mox a Vaillantio descriptum vidimus.

AE. RR.

OLYMPVS.

Vrbs nobilis ad montem cognominem.

Autonomi:

Caput Apollinis laureatum, vel muliebre laureatum. ✠ ΟΛΥΜ. ΟΛΥΜΠ. ΟΛΥΜΠΗ. *Lyra intra quadratum, juxta fulmen aut similia.* AR. III. (Pellerin, Hunter.)

Numos hos hujus esse Olympi, probant collati similes alii urbium Lyciae numi.

AR. RRR.

PATARA.

Maritima versus Xanthi ostia, ab Apollinis Patarei cultu late inclyta.

Autonomi.

Caput Apollinis laureatum, pone arcus et pharetra. ✠ ΛΥΚΙΩΝ. ΠΑ. *Lyra intra quadratum.* AR. III.

Bini similes ex uno Hunteri catalogo cogniti. Ceterum Pagas quoque pertinere posent, si verum est, quod refert Eusebius [a]: Παγαι της Λυκιας εκ αδημος πολις.

AR. RRRR.

Imperatorii

Tantum Gordiani.

ΠΑΤΑΡΕΩΝ. *Apollo stolatus stans d. ramum, s. tripodi innixus, cui serpens obvolvitur, pro pedibus corvus super globo.* (Vaill. Mus. Pisani.) Omnia haec ad Apollinem apud Patara fatidicum facile referuntur.

ΠΑΤΑΡΕΩΝ. *Fortuna stans in templo distylo*, AE. I. (Mus. princ. de Waldeck.)

PHASELIS.

Ad fines Pamphyliae maritima.

---

a) Hist. eccl. L. VIII.

Autonomi.

Hujus urbis exstant insignes, plerique recens comperti.

Pars apri anterior in navis formam aptati. X ΦΑΣ. *Prora navis in quadrato incuso.* AR. I. (Hunter.)

Prora navis. X ΦΑΣΗ. ΕΥΚΡΑΤΗΣ. *Prora navis diversae formae.* AR. I. (Hunter.) AR. III. (Wise p. 145.) AE. III. *et sine nomine magistratus.* (Wise. p. 144.)

Prora navis supervolante Victoria. X. ΦΑ. *Pallas gradiens d. fulmen intentat, s. aegidem praetendit.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Iovis. X ΦΑ. *Idem typus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Prora navis, cui insistit noctua. X Φ. ΚΛΕΩΝΥΜΟϹ. *Pallas simili cultu.* AR. II. (Hunter.)

Caput muliebre laureatum. X Φ. ΕΥΚΡΑΤΗΣ. *Prora navis, cui insistit Pallas d. fulmen vibrans, s. aegidem praetendens, pro pedibus serpens.* AR. I. (Mus. Caes. et a me editus in Sylloge I. p. 41.)

Navis in omnibus his numis potiorem typum facit, quo credo indicari rem Phaselidis maritimam, ut revera quoddam navigii genus Graeci et Latini dixere phaselum, ducto secundum Isidorum ex hac urbe vocabulo: *phaselos vocari ajunt a Phaselo insula Graeciae, ubi non procul mons Olympus est* a). Quo loco hanc nostram Phaselidem intelligi dubium non est, nam et Herodianus teste Stephano Phaselidem dixit insulam. Facile autem insulae speciem praeferre potuit, nam Cicero *projectam in altum* dixit b), et Livius c): *prominet penitus in altum.* Phaseliotas ut commercio obnixe deditos, sic et perditos et improbos amare exagitat Demosthenes d). In numo I. dixi proram navis in caput apri desinere. In numis Cilico-phoeniciis videbimus numos, in quibus prorae jam caput arietis, jam equi praefixum offerunt. Ab his insignibus, quae Graeci navium παρασημα, vel ἐπισημα vocabant, totam saepe navim appellationem traxisse constat, et fuere, qui existimarent, fuisse navim tauro insignitam, quae Europam rapuit. Vide Iul. Pollucem, et subjectam Iungermanni notam e), et quae exempla alia suo loco ad numos Cilico-phoenicios dabimus. Ad Phaselidis nostrae apros quod propius attinet, meminit Herodotus νηων καπριους ἐχουσεων τας πρωρας, *navium, quarum prorae in apros exivere*, quas Aeginetae de Samiis cepere f). In Museo Capitolino Tomo IV. tab. 34. exhibetur zophorus antiquus, cui insculptae sunt aliquot prorae prominentibus inde diversarum ferarum capitibus, quod argumentum copiose ibi explicat Cl. Fogginius, cui adde Fabrettum g).

* * *

Caput Apollinis laureatum cum pharetra et arcu. X ΦΑΣΗΛΙ. *Lyra intra quadratum.* AR. III. (Pembrock, Hunter.)

AR. et AE. RRR.

---

a) L. XVII. b) in Verr. L. IV. c. 10. c) L. XXXVII. c. 23. d) in Lacritum sub init. p. 948. e) L. I. c. IX. segm. 83. f) L. III. c. 59. g) de Col. Traj. p. 115.

Imperatorii

Duo tantum proditi: ΦΑCΗΛЄΙΤΩΝ. *Iuppiter sedens*, Antonini. (Vaill.) *Pallas stans*, Gordiani. (Pellerin Rec. III. p. 219.)
AE. RRRR.

PODALIA.

Ptolemaeo ad fontes Xanthi in septentrionem.

Imperatorius

Vnicus a me editus ex museo Mediceo: (Num. vet. p. 218.)
ΠΟΔΑΛΙΩΤΩΝ. *Figura militaris cum hasta et clypeo*, in numo Tranquillinae.
AE. RRRR.

XANTHVS.

Mediterranea. *Autonomum* aeneum inscriptum ΔΗΜΟ. ΞΑΝ. typo duplicis cornucopiae huc refert Pellerinius, quod judicium an satis tutum sit, videtur posse ambigi.

Certiorem alium dedit Sestinus: (Lettere T. III. p. 102.)
Apollo stolatus stans d. — s. arcum. Ξ ΖΑ. ΛΥΚΙΩΝ. *Lyra intra quadratum incusum.* AE. III.
AE. RRRR.

CHELIDONIA *insula.*

Autonomus aeneus ΧΕΛΙΔΟΝΕΑΙΩΝ editus ab uno Goltzio. (in insulis.)

MEGISTE *insula.*

Autonomi argenteus et aeneus ΜΕΓΙΣΤΕΩΝ. apud unum iterum Goltzium. (l. c.)

PAMPHYLIA.

PROLEGOMENA.

Praemonendum ad numos Pamphyliae, Pisidiae, Ciliciae, harum aliquas urbes imperatoriae suae monetae frequenter notas quasdam arithmeticas solitarias insculpsisse. Hujus instituti sequentes fuere leges. Non repertae sunt hactenus, nisi in familia Valeriani. Vnicum ab hac lege eximium numum reperi in Claudio Gothico, signatum Sagalassi Pisidiae, quem edidit Pellerinius [a]). Fere semper adstituuntur capiti imperantis. Raro in aversam recipiuntur, ac tum nonnunquam cum aliqua ostentatione, v. c. literae grandiores ΙЄ intra

a) Rec. III. p. XX.

coronam totam aversam constituunt in numo Argorum Ciliciae [a]). Nonnunquam hae literae comparent instar notarum incusarum. Omnes has notas, quotquot invenire potuit, adsiduus in nostris studiis Belleyus collegit, ediditque [b]), quem ejus laborem lubet ob oculos ponere additis a me paucis.

Adada Pisidiae . .	Valeriani	IB.
Argos Ciliciae . .	Gallieni et Saloninae	IЄ.
- - - - - - . .	Saloninae	Z.
Aspendus Pamphyl.	Saloninae	I.
Attalia Pamphyl. .	Valeriani	I.
- - - - - - . .	Gallieni	Є.
Colybrassus Ciliciae	Valeriani, Salonini	IA.
Coracesium Ciliciae	Saloninae	IA.
Laerte Ciliciae . .	Salonini	Γ.
Lyrbe Pisidiae . .	Valeriani jun.	IA.
Perge Pamphyliae .	Gallieni, Saloninae	I.
Sagalassus Pisidiae	Valeriani jun.	I.
- - - - - - . .	Claudii Gothici	ϛ.
Side Pamphyliae . .	Gallieni	Є.
- - - - - - . .	Gallieni, et Saloninae	I.
- - - - - - . .	Saloninae	H. IA.
- - - - - - . .	Salonini	Є.
Syedra Ciliciae . .	Valeriani, Gallieni, Saloninae .	IA.

His peractis jam etiam in sensum harum literarum coepit inquirere Belleyus. Refutatis facile iis, qui annos imperii illis indicari credidere, levibusque conjecturis aliis, quas commemorare piget, ipse existimat, his numeris explicari numerum festorum, et sacrificiorum, quibus eae urbes principes suos demereri studebant. Tamen ad istud probandum vix aliquid certi, justique subsidii reperit vir eruditus, quod tanto securius possum profiteri, quod ne ipse quidem hac sua conjectura sibi satisfecit. Equidem in eorum indagando sensu nolo sagacitatem intendere, saepe professus alias, quoties notae similes moram objecere, nolle me ad eas explicendas adferre conjecturas plerumque frivolas, saepe periculosas.

ARIASSVS.

Mediterranea ad fines Pisidiae, cui a nonnullis, accensetur.

Imperatorii.

Getae tantum. ΑΡΙΑϹϹЄΩΝ typis obviis. (Vaill. Pellerin, Catal. d'Ennery.) *AE. RRR.*

a) Pellerin. Mel. I. p. 22. b) B. L. T. XLII. hist. p. 55.

ASPENDVS.

Vrbs nobilis ad Eurymedontem fl. Argivorum colonia.

Autonomi.

Expresso Aspendi nomine non exstant. Conjiciunt tamen eruditi, argenteos quosdam perantiquae fabricae inscripto ΕΣΤFΕΔΙΙΥΣ huc referendos, de quibus agam infra in Selges Pisidiae moneta.

Imperatorii

a Soaemiade usque ad Saloninam se porrigunt.

Epigraphe: ΑCΠЄΝΔΙΩΝ.

Typi:

Hercules stans, Soaemiadis. (Vaill.)

Athletae nudi, Treboniani. (Vaill.)

Fuisse hunc typum Aspendi proprium, dicetur in numis ejusdem Selges.

Hecate tergemina facibus et serpentibus armata, Gordiani. (Pell.)

Corona, cui illigata sunt octo capita, Saloninae. (Pellerin.) De hoc typo agam in numis Tarsi.

* * *

Magistratus: ΘЄΜΙΔΟC. ΤΟ. Є. in eodem Saloninae numo. Etiam in Clazomenarum Ioniae numo legitur praetor Τ. Є. id est *quintum.* Exstitisse olim feminas, quibus *Themidis* nomen fuit, exempla suppeditant Gruterus, et Muratorius. Videtur numi hujus *Themis* sacerdotio apud Aspendios functa. Aliud fuit Belleyi judicium, existimantis, inscriptione ΘЄΜΙΔΟC. ΤΟ. Є. indicari, Aspendios in Saloninae honorem festum in *Themidis* templo *quinta vice* celebrasse [a]). Arbitretur lector.

* * *

Nota numeralis I. ante caput Saloninae. (Pellerin.)

AE. RR.

ATTALIA.

Maritima, condita ab Attalo Philadelpho. Cum altera fuerit ejusdem nominis Lydiae urbs, magnus inter antiquarios dissensus, utri inscripta Attaliae nomine numismata sint tribuenda. Harduinus in Pamphyliam inclinat. Vaillantius in catalogo alphabetico numorum Graecorum (pag. 193.) omnes Pamphyliae tribuit quidem, tamen binos Severi Attaliae Lydiae adjudicat, at rationibus abstinet. (pag. 81.) Nutant Khellius [b]) et Pellerinius [c]). En nonnulla criteria, quae saltem ad tutius locandos nonnullos poterunt sufficere.

Autonomi Attaliae Lydiae.

Caput Fauni hedera coronatum, additur epigraphe, sed vitiata. Ӿ ΑΤΤΑΛЄΩΝ. ΟΥ. - - - ΤΑ. *Botrus.* AE. III. (Pellerin Rec. II. p. 99.)

Frequens mentio magistratus in numis Lydiae, in Pamphyliae moneta vix unquam.

Caput Iovis laureatum. Ӿ ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Bacchus stans.* AE. III. (Ibid.)

---

a) B. L. T. XLII. hist. p. 59. b) ad Haymii T. II. p. 108. c) Mel. I. p. 95.

Si numus eum typo botri est Lydiae, etiam hic cum typo Bacchi ejusdem esse urbis videtur.

AE. RRR.

Autonomi Attaliae Pamphyliae.

ΚΟΡΗ. *Caput, quod spectato capillorum cultu videtur esse Dianae.* ✕ ΑΤΤΑΛΕΑΤΩΝ. *Aquila stans expansis alis.* AE. II. (Haym.)

Ex imperatoriis videbimus, Attaliam Pamphyliae etiam usam inscriptione ΑΤΤΑΛΕΑΤΩΝ.

Protome Palladis. ✕ ΑΤΤΑΛΕΑΤΩΝ. *Fortuna stans.* AE. III. (Mus. Caes.)

Palladis typus in certis imperatoriis hujus Attaliae non infrequens; altera ratio ab epigraphe, ut dixi, petitur.

Caput Neptuni cum tridente. ✕ ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Vir nudus gradiens.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Iovis. ✕ ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Neptunus stans.* AE. III. (Mus. Caes.)

Ex mente Pellerinii numi cum typo Neptuni pertinent ad Attaliam Pamphyliae, quia fuit maritima. Valere potest hoc argumentum in his tenebris. Ceterum constat ex Strabone, in Phrygiae et Lydiae urbibus magnos fuisse Neptuni honores ob frequentes terrae tremores. Accedit, quod Plinius Attaliam Lydiae seu Aeolidos cum oppido Posidea conjungat, quod utique a Neptuno nomen traxit.

AE. RR.

Imperatorii Attaliae Lydiae.

ΕΠΙ. ΣΤΡΑ. ΜΕΝΕΚΡΑΤΟΥΣ. ΑΤΤΑΛΕΩΝ. ΝΕΩΚ. *Templum, in quo Serapis,* in numo Caracallae. (Vaill.)

Hic numus etiam judice Pellerinio a) huc pertinet, quoniam magistratum Pamphyliae urbes non inscripsere.

ΑΙΛ. ΜΑΤΑΙΟΥ. ΜΕΝΙΠΠΟΥ. ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Iuppiter nudus stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus aquila,* Hadriani et Sabinae. (Pellerin Mel. I. p. 95.)

Huc videtur referendus ex eadem magistratus ratione.

ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Iuppiter sedens d. aquilam, s. hastam,* M. Aurelii. (Pellerin.)

Erit hujus urbis ratione typi numi praecedentis.

ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Caput Serapidis,* Aurelii et Commodi. (Vaill. Arigoni.)

Ratione typi, qui est in numo primo.

ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Bacchus stans,* in numo Severi. (Vaill.)

ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Bacchus et Ariadne in bigis pantherarum praecedente Satyro,* M. Aurelii. (Mus. Caes.)

Causa typi in autonomis.

AE. RR.

Imperatorii Attaliae Pamphyliae.

ΣΙΔΗΤΩΝ. ΑΤΤΑΛΕΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Pallas stans dexteram jungit cum Nemesi alata adstante s. ramum tenente, pro cujus pedibus est gryphus pede rotae imposito,* in numo Gallieni, juxta cujus caput est Ε. (Pellerin.)

Hic numus copiosam lucem suppeditat, nam propter Sides viciniam dubium non est hanc Pamphyliae Attaliam in praesente numo notari, et cum in concordiae numis praecipua cujusque urbis

a) Mel. I. p. 95. et Mel. II. p. 283.

numina soleant proponi, et constet, Nemesin esse Sidetum, videmus, Palladem fuisse princeps hujus urbis numen, atque adeo omnes numos, qui exhibent vel Palladem stantem, ut in numo Commodi, (le Blond.) et Hadriani, (Vaill.) vel ejus protomen, ut in numis Augusti, Tiberii, Commodi, aliisque, huc tuto revocondos.

ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Pallas*, *Hygia*, *Nemesis stantes*, in uno eodemque numo Valeriani. (Vaill.)

Ratio pendet ex praecedente.

ΑΤΤΑΛΕΑΤΩΝ. *Pallas stans*, Commodi. (le Blond.)

Hic numus arguit, etiam autonomos supra citatos cum typis vagis, sed eodem modo inscriptos, ad hanc Attaliam pertinere. Allatus fuit Pellerinio ex Caramania, cujus vetus Pamphylia pars fuit, ergo tanto certius est hujus Attaliae.

ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Nemesis alata stans d. rotam*, *pro pedibus gryphus*, Commodi. (Haym. T. II. p. m. 302.)

Haymius putat, esse signum pantheum, sed esse Nemesin, certum est ex iis, quae ad Smyrnae numos disserui. Ratio, cur hic numus huc pertineat, petenda est ex numis I. et II., nimirum Attalenses vicinae Sides Nemesin coluere, quemadmodum et Pallas eodem modo stans, quo in Sides moneta comparet, in Attaliae quoque numis conspicitur.

ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Diana Pergaea*, Valeriani, ante cujus caput est I. (Mus. Caes.)

Et typus Dianae, quae in vicina Perga colebatur, et litera solitaria I. huic tractui propria hunc numum Attaliae Pamphyliae vindicant.

ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Diana Pergaea stans*, *cui a dexteris adstat Pallas*, *a sinistris Nemesis*, Valeriani, ante cujus caput I. (Panel de num. Trebon. p. 103.)

En numina Pergae, Attaliae, Sides, quae in eodem omnes tractu fuere.

* * *

Ludi: ΙΕΡΟC. ΑΤΤΑΛΕΩΝ. ΟΛΥΜΠΙΟC. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟC. *intra coronam*, Salonini. (Mus. Pisani.) *AE. R.*

CASA.

Ex notitiis ecclesiasticis cognita.

Imperatorii.

Gordiani, Etruscillae, Herennii. (Vaill.)

Epigraphe: ΚΑCΑΤΩΝ. *Typi: Iupiter stans*, *raptus Proserpinae.*

AE. RRR.

ETENNA.

Mediterranea in Pisidiam auctore Polybio a), et Notitiis.

Autonomi:

Mulier stans, *in alio: gradiens serpentem tenet*, *humi diota:* Χ ΕΤ. ΕΤΕΝ. *Aliquid instar cultri incurvi.* AE. fere II. (Pellerin.)

Vtriusque typi ratio obscura.

AE. RRRR.

---

a) Hist. L. V. c. 73.

Imperatorii:

ЄΤЄΝΝЄΩΝ. *Iuppiter Salaminius stans*, Faustinae jun. (Catal. d'Ennery p. 534.)

Ead. epigr. Duo viri nudi stantes velut parati ad pugilatum, ut ait Pellerinius, (Rec. III. p. 222.) in numo Getae.

Ead. epigr. Substructio quaedam, quam Pellerinius praegrandem corbem frugibus refertum dicit, inter duas statuas cum incertis attributis basi impositas, in numo Alexandri Sev. (Pellerin. l. c.)

AE. RRR.

ISINDVS.

Hoc nomine proditur urbs Ioniae et Pamphyliae.

Autonomi:

Caput Dianae cum arcu et pharetra. ℞ ΙΣΙΝ. *Spica.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Dianae, ℞ ΙΣΙΝ. *Pharetra.* AE. III. (Pellerin.)

Numos hos Pellerinius non ob aliam causam huic Pamphyliae Isindo tribuendas putat, quam quod fabrica et typo pharetrae cum Pergae numis conspirant.

AE. RRRR.

MAGYDVS.

Maritima.

Imperatorii.

Primum hujus classis reperit Vaillantius cum capite Liviae, sed in hoc male lectum ΜΑΓΥ. pro ΜΑΘΥ., recte vidit Pellerinius. (Mel. II. p. 16.) Certi sunt Neronis, (Haym T. II. p. 239.) Trajani, (Vaill.) et Antonini. (Pellerin.)

In omnibus his ΜΑΓΥΔΕΩΝ, et Pallas stans.

Annni imperii in numo Trajani ΙΕ. Antonini ΙΘ.

AE. RRR.

PANEMOTICHOS.

Oppidum Pamphyliae ex Notitiis ecclesiasticis.

Imperatorii.

ΠΑΝЄΜΟΤЄΙΧЄΙΤΩΝ. *Severus eques*, Domnae. (Harduin.) *Amazon eques*, Domnae. (Vaill.)

AE. RRRR.

PERGA.

Vrbs illustris ad Cestrum fl.

Autonomi:

Caput Bacchi hedera coronatum. ℞ ΠΕΡΓΑΙΕΩΝ. *Caput muliebre diadematum.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Dianae adversum laureatum. ℞ ΠΕΡ. *Sphinx alata sedens.* AE. III. (Hunter.)

Soli sunt hi autonomi, qui populi nomen inscribunt, cum alii, ut patebit, Dianam suam memorent. Numus alter solum quidem ΠΕΡ. offert, quod varie potest expleri; verum cum in aliis quoque Pergae numis Dianae caput occurrat laureatum, ejusque comes Sphinx,

dubitari nequit, eum Pergae nostrae tribuendum.

* * *

Caput Dianae laureatum prominente pone pharetra et arcu. ✗ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. ΠΕΡΓΑΙΑΣ. *Diana veste succincta stans d. elata coronam, s. hastam, pro pedibus cervus.* AR. II. (Pellerin.)

Similis adversa. ✗ *Eadem epigraphe. Sphinx alata sedens.* AE. III. (Pellerin.)

Diana velata tutulata sedens in templo distylo, in cujus fronte est aquila explicatis alis. ✗ *Eadem epigraphe. Pharetra.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Diana apud hanc urbem in loco edito illustre habuit templum, ad quod singulis annis sacer conventus agi solitus [a]). Ejus sanctitatem loci collaudat quoque Cicero [b]). Fide Callimachi fuit Perge Dianae carissima, nam πολιων δε inquit τοι ευαδε Περγη, *ex urbibus autem tibi placuit Perge* [c]). Ejus cultus ad exteras quoque urbes, ut Ephesiae, valuit, ut mox in imperatoriis videbimus.

AR. RRRR. AE. R.

Imperatorii.

Inchoat hos Vaillantius a Trajano, et finit cum Salonina. Sed Augusti unum vulgavit Arigonius, et quod omnino insolens, citantur etiam Aureliani, et Taciti. Eccos:

ΑΥΤ. Κ. Λ. ΔΟΜ. ΑΥΡΗΛΙΑΝΟϹ. *Caput Aureliani.* ✗ ΠΕΡΓΑΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Diana Pergaea in templo distylo, hinc sol, inde luna.* (Bandur. in addend. ad Tom. I. ex schedis Vaillantii.)

Alterum Taciti Pergae signatum exstare in museo Abbatis Rothelin testatur Baro Bimardus [d]).

Epigraphe: ΠΕΡΓΑΙΩΝ. vel ΠΕΡΓΑΙΑϹ. ΑΡΤΕΜΙΔΟϹ. vel ΑΡΤΕΜΙϹ. ΠΕΡΓΑΙΑ. in solo Treboniani numo ΠΕΡΓΗ.

Typi: Diana potissimum comparet forma admodum variante, quam tamen esse Pergaeam addita epigraphe: ΠΕΡΓΑΙΑϹ. ΑΡΤΕΜΙΔΟϹ. credere nos jubet. Fingitur ut *lapis praegrandis intra templum additis astris solis et lunae*, in numo Severi, (Mus. Caes.) et Gordiani. (Arigoni.) In aliis: *Protome velata tutulata intra templum distylum*, in numo M. Aurelii. (Mus. Medic.) Nonnunquam *adstat hinc et inde gryphus*, (nisi Sphinges verius sunt.) in numo Caracallae. (Vaill.) Alias *hinc et inde columba*, Maximini, Philippi sen. Otacil. (Vaill. Pellerin.) *Venatricis habitu graditur* in numo Hadriani. (Vaill.) Eodem venatricis cultu comparet in numo Mytilenes addito ΑΡΤΕΜΙϹ. ΠΕΡΓΑΙΑ., ut in hac dictum. *Victoria coronans Dianam succinctam d. sagittam, s. arcum tenentem*, in numo Tranquillinae. (Vaill.)

Diana stans cum adminiculis et cervo, in numo Domnae. (Vaill.)

Esse hanc Dianam Ephesiam, non Pergensem, inde patet, quod non adscribitur ΑΡΤΕΜΙΔΟϹ. ΠΕΡΓΑΙΑϹ., sed ΠΕΡΓΑΙΩΝ.

Huc etiam pertinent sequentes:

COS. III. *Signum Dianae in templo distylo, cujus zophoro inscriptum:*

---

a) Strabo L. XIV. p. m. 983. b) Verr. L. I. c. 20. c) in Dian. v. 187. d) ad Iobert. T. II. p. 100.

DIANA. PERGENSIS. *vel* PERGAEA. in numis Nervae et Trajani AR. m. m. (Vaill. Num. praest.)

ΔΗΜΑΡΧ. ЄΞ. ΤΠΑ. ΤΟ. ϛ. *Protome velata tutulata intra templum distylum, in cujus zophoro aquila explicatis alis*, in numo Trajani AR. m. m. (Mus. Caes.)

Numum priorem, etsi Latine inscriptum, huc pertinere, Dianae Pergensis mentio satis docet. Alterum huc vocat typus, cujus similem in aliis certis Pergae numis supra citavimus. Vtriusque generis numos argenteos variae Asiae minoris urbes dissimulato suo nomine inde ab Augusto usque ad Antoninum signavere, quorum mentionem faciemus in numis singulorum Augustorum.

* * *

Asylum: ΠЄΡΓΑΙΑϹ. ΑΡΤЄΜΙΔΟϹ. ΑϹΤΛΟΤ. in numis Tranquillinae, Philippi sen., Otaciliae. (Vaill. Haym, Pellerin.) ΠЄΡΓΑΙΩΝ. ΑϹΤΛΟϹ. ΙЄΡΟϹ. *Pergaeorum inviolabilis urbis sacrum certamen. Mensa cum urna, supra quam legitur:* ΠΤΘΙΑ. Verba sunt Vaillantii in Gallieno ex museo M. Ducis.

Ludi: ΙЄΡΟϹ. et ΠΤΘΙΑ. in numo mox citato. Legitur etiam ΙЄΡΟϹ. in numo Salonini. (Vaill.)

Neocoratus proditur in numis Saloninae. (Vaill. Pellerin. Suppl. IV. p. 13.) et in citato supra numo Aureliani.

Concordia cum Apollonia Cariae, quam vide. — Cum Side Pamphyliae, quam vide.

Metropolin perperam facit Spanhemius ex numo Hadriani: ΠЄΡΓΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ a). Certum videtur, male lectum ΠЄΡΓΑ pro ΠЄΤΡΑ Arabiae.

AR. RRR. AE. R.

SELEVCIA.

Dubium est, fueritne aliqua Pamphyliae Seleucia, et forte ea, quam Notitiae ecclesiasticae huic tribuunt, eadem est cum Seleucia Pisidiae. Tamen Pellerinius huic tribuit quatuor autonomos, sed qui potius sunt Selges Pisidiae, quorsum eos propterea differre lubet.

SIDE.

Maritima et illustris, Cymaeorum Aeolidis colonia testibus Strabone, Scylace, Arriano.

Autonomi.

Formae antiquissimae:

Caput Palladis intra quadratum. ✠ *Malum Punicum cum vel sine pisce.* AR. II. (Hunter.)

Piscis unus vel duo intra quadratum. ✠ *Malum Punicum.* AR. II. (Hunter.)

Malum Punicum. ✠ *Quadratum incusum.* AR. VI. (Mus. Caes. Hunter.)

Hos antiquissimi operis numos causa mali Punici tribuere Sidetibus non dubitamus, de quo typo his proprio agemus proxime.

* * *

Pallas stans cum hasta et clypeo d. vel noctuam, vel Victoriolam. ✠ *Inscriptio peregrina. Vir nudus stans ante aram d. ramusculum vel pateram, s. arcum, vel ramo frondoso innixus, pro pedibus avis, in plerisque signum incusum*

---

a) Tom. I. p. 591.

bovem referens. AR. I. (Pellerin. Rec. III. tab. 122. Pembrock P. II. tab. 88.)

Hos item perantiqui commatis numos huic urbi propter plures causas adserimus, I. causa mali Punici, de quo mox. II. quia Pellerinio ex Caramania sunt adlati, III. quia horum pleri-que incusum bovem offerunt, quod signum huic tractui proprium est, ut docent numi Aspendiorum, Malli Ciliciae, aliique ejus tractus. Quod ad epigraphen barbaram attinet, insigne pro hac testimonium habemus apud Arrianum [a]), cum narrat, Sidetas Cyme Aeolidis profectos paullatim oblitos linguae Graecanicae barbaros sonos edidisse, qui sibi unis fuere peculiares, et distincti etiam a sonis vicinorum barbarorum. Et videntur quoque plerique argentei cum epigraphe barbara, qui apud Pellerinium Rec. III. tab. 122. exhibentur, et quorum similes edidi in catalogo musei Caesarei Tom. I. tab. V., ad hunc tractum pertinere. Depulsa deinde per Alexandri adventum ab his locis barbarie valuit iterum orthographia Graeca. Quare numos hos omnes Alexandri M. aetate esse antiquiores, indubitatum videtur.

Formae recentiores.

Caput Palladis. ℞ *Victoria gradiens d. coronam praefert, in area malum Punicum, additur in nonnullis magistratus.* ΔΕΙΝΟ. ΚΛΕΥΧ. El. I. (Mus. M. Ducis.) AR. I. (Mus. Caes. Pellerin. Hunter.)

Alii similes, sed in ipso Palladis vultu signum incusum referens arcum et pharetram, scripto juxta literis minutissimis vel ΠΕΡΓΑ. *vel* ΣΑΡ. *vel* ΤΡΑ. AR. I. (Mus. Caes. Hunter.)

Alii similes, sed cum signo incuso ancorae. AR. I. (Hunter.)

Caput Palladis. ℞ ΣΙΔΗΤΩΝ. *Victoria gradiens d. coronam praefert, in area malum Punicum.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Palladis. ℞ ΣΙΔΗ. (*aut etiam hoc omisso*) *Malum Punicum.* AE. III. (Pellerin.)

ΣΙΔΗΤΩΝ. *Caput Palladis, cui incusum signum malum Punicum.* ℞ ΣΙΔΗΤΩΝ. *Victoria gradiens, cui incusum caput Palladis, in area malum Punicum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Quos tribus prioribus locis proposui, spectabiles sunt tum propter metallum, tum pondus. Electreum olim ex Magni Ducis museo spectandum dedi [b]). Esse hos numos certam Sidetum monetam, collati numi sequentes aenei invicte docent. Et vero omissam urbis epigraphen abunde supplet adstitutum malum Punicum, quia Σιδη Graecis hunc fructum significat, ac videmus etiam, in aeneis cetera similibus propter eandem causam urbis nomen jam inscriptum, jam omissum.

Pallas et Victoria perpetuus fere sunt hujus urbis typus. Vterque conjunctus plane persuadet, eo proponi Minervam Victoriam, de qua affatim egi in moneta Atheniensium, atque istud tanto magis, quod Minerva hoc nomine teste Suida [c]) dextera malum Punicum gestavit, quod ipsum fuit Sidetum symbolum ex nominis etymo captum. Iam supra in numis antiquioris formae vi-

a) L. I. c. 27. b) Num. vet. p. 224. c) in Νικη Αθηνα.

dimus Palladem d. Victoriam praeferentem.

Numi loci II. propter signum incusum pharetrae et arcus, tum et adstituta nomina *Pergami*, *Sardium*, *Trallium* cumprimis observandi. Eorum primum vulgavi in mea Sylloge I. a) quo loco conjeci, quia numi similes tantum urbium provinciae Asiae nomina continent, in quibus unis cistophoros signatos constat, praeterea in certis cistophoris arcus et pharetra obvius sint typus, praeclara haec Sidetum tetradrachma ab Asianis in monetae suae societatem fuisse admissa, sed de quo argumento copiosius agemus in diatriba de numis cistophoris. Eodem modo causa incusae ancorae numi loci III. a Syriae urbibus fuisse civitate donati videntur, in cujus numis ex causa cognita saepe defixa comparet ancora.

* * *

Castigandi denique variorum lapsus, quos in vulgatis Sides numis observavi.

Begerus nondum satis explorato mali Punici symbolo numum supra citatum propter inscriptum ΔΕΙΝΟ. Dinocrati Siculo tribuerat b), quem secutus quoque est Frölichius c). At nunc constat, eo contineri nomen magistratus, et numum esse Sidetum.

Similem, in quo item urbis nomen omissum, Harduinus Alexandro M. tribuit, quia nimirum in galeato anticae capite ejus regis effigiem vidit, magnumque sibi detecto hoc numo plausit, quod commentitiae suae Alexandri M. chronologiae ingens momentum adferre videbatur d).

Laudatum supra electreum musei Medicei Gorius Seleuco I. Syriae regi nescio qua persuasus ratione, adjudicavit e).

Pellerinius numum, in quo *Aquila, supra quam* ΣΙ. *infra* ΔΗ. X *Tripus intra coronam*, AE. III. ad hanc Sidem promovit. At cum viderem, typum a reliquis hujus urbis numis nimio abludere, ac praeterea inter numos Siphni a Pellerinio editos numum loco VII. stantem huic esse simillimum, conjeci continuo, hunc quoque Siphno tribuendum. Literae ergo ΣΙ. ΔΗ. connectendae non sunt, ut visum Pellerinio, sed ΣΙ. Siphnum notat, et ΔΗ. forte magistratus initium est, ut saepius in hujus insulae numis decurtata ejusmodi vocabula occurrunt.

El. RRRR. AR. RR. AE. R.

Imperatorii.

Memorantur a Tiberio usque ad Saloninam.

Epigraphe item ΣΙΔΗ. ΣΙΔΗΤΩΝ.

Typi: Malum Punicum suum in his quoque saepius retinuere, et quidem sub ipsam Gallieni aetatem, ut docent numi Arigonii, et musei Caesarei. Duravit etiam cultus Palladis. Serius videtur *Nemesis* quoque admissa, nam in numo concordiae cum Attalia Pamphyliae hujus Palladi adversa stat haec Sidetum Nemesis; novimus autem, in concordiae numis numina, quae quaevis urbs habuit praecipua, proponi. Fingitur autem *alata stans dextera pectori admota, s. ramum tenens pro pedibus hinc gryphus, inde rota*, in numo Ale-

a) Pag. 41. b) Th. Br. T. I. p. 297. c) Not. elem. p. 147. d) ad Plin. T. II. p. 674. e) Mus. Florent.

xandri, (Vaill.) et Gallieni, (Pellerin.) quos Nemesis typos jam abunde explicavi in imperatoriis Smyrnae. *Pallas sedens calculum in subjectum vas mittit*, in numo Decii, (Vaill.) et Gallieni. (Mus. Caes.) Etiam *deus Mensis* in numo Gordiani. (Mus. Caes.)

Honorum tituli:

CIΔΗΤΩΝ. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗС. ЄΝΔΟΞΟΥ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. *intra lauream*, Gallieni. (Vaill.)

De his titulis, quorum prior Siden dicit *splendidissimam*, alter *illustrem*, et quos utriusque linguae auctores passim urbibus dedere, vide Spanhemium [a]).

Neocoratus.

CIΔΗ. ΝЄΩΚΟΡΟС. in numo Elagabali primum, (Vaill.) omittitur deinde neocoratus mentio usque ad Valerianum, in cujus aevi numis frequenter CIΔΗΤΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ.

Ludi:

ΟΛΥΜΠΙΑ. ΟΙΚΟΥΜЄΝ. Elagabali. (Vaill.)

ΟΙΚΟΥΜЄΝΙΚΟС. *Apollo stans d. laurum, s. lyram*, Tranquillinae. (Theupoli.)

ΙЄΡΟС. *Vrna*, Philippi sen. (Vaill.)

ΙЄΡΟС. ΠΥΘΙΟС. ΜΥСΤΙΚΟС. ΟΙΚΟΥΜЄΝΙΚΟС. CIΔΗС. ΝЄΩΚΟΡΟΥ. *Valeriani*. (Vaill.)

ΠΡΩΤΑ. ΠΑΜΦΥΛΩΝ. CIΔΗΤΩΝ. *Vrna*, Gallieni. (Vaill.)

Concordia.

Cum Myra Lyciae, *Pallas Sidetum, et idolum conoidicum Myrensium adversa stantia medio malo Punico*, Valeriani. (Arigoni.)

Cum Attalia Pamphyliae, *Pallas Attaliae, et Nemesis Sides adversae stantes*, Gallieni. (Pellerin.) De hoc numo in Attaliae moneta fusius egi.

Cum Perga Pamphyliae, *Pallas Sidetum, et Diana Pergaea*, Gordiani. (Harduin.)

* * *

Litera solitaria I. more ejus tractus observatur in numis Gallieni, (Theupoli.) etiam Є incusum in ejusdem Gallieni numo, (Pellerin.) et Salonini. (Mus. Caes.)

AE. vix R.

SILLYVM.

Ptolemaei Σιλλιον. Alios scribendi modos vide apud Eustathium [b]).

Imperatorii.

Hactenus editi ab Antonino usque ad Saloninam, sed anteriorem alium sive Augusti, sive Caii Caes. edidi in mea Sylloge I. [c]).

Epigraphe: ΣΙΛΛΥΕΩΝ, at in Pellerinianis M. Aurelii CIΛΥЄΩΝ.

Typi: Mensis, vel in aliis: *Mulier rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens*. In citato numo Augusti: *Vir togatus stans cum lyra, pro pedibus* B.

Stephano Σιλλυος urbs Ioniae prope Smyrnam dicitur. Quare fuere, qui hos numos huic prae altera Pamphyliae tribuerent, quorsum etiam invitaret dictus numi Augustei typus, nam in Colophonis numis fingitur Homerus eodem

a) Tom. II. p. 610. b) ad Dionys. Per. v. 815. c) pag. 43.

omnino cultu incedens. Verum deum Mensem, et hoc cultu genium fluvii, tum et literas solitarias in Ioniae urbium moneta vix reperias, at frequenter in numis hujus tractus, nisi forte malis alios numos tribuere Sillyo Ioniae, alios Pamphyliae.

Litera solitaria I. ante caput Saloninae. (Mus. Caes. Pisani, Arigoni.)

Nomen ab Imperatore: CIΛΛΤЄΩN. CЄB. in numo Saloninae. (Mus. Pisani.)

AE. RR.

PISIDIA.

Hujus regionis urbes non raro numis suis inscripsisse notas arithmeticas solitarias, diximus in Prolegomenis ad numos praecedentis Pamphyliae.

ADADA.

Oppidum ignobile. Fuisse illud numismaticum, comperio ex indicio perfunctorio Belleyi, cum ait, exstare ejus numum cum capite *Valeriani* additis *literis solitariis* IB. Epigraphen, et typum reticet [a]).

ANTIOCHIA.

Non exstant hujus urbis nisi *Coloniae* numi. Deducta haud dubie fuit ab Augusto, ut fidem facit epitheton *Caesareae*, et quod jam Strabo eam in coloniis numerat. Catalogum numorum omnium hujus coloniae, qui hactenus cogniti sunt, paravit abbas Sestinius [b]), eumque ampliatum restituit serius [c]).

Autonomus:

ANTIOCH. *Protome dei Mensis.* ꭗ COL. ANT. *Bubalus.* AE. III. (Hunter tab. V. n. 15.)

Cl. Combius numum hunc Col. Antiochiae Syriae tribuit, sed satis docet typus Mensis, ut mox videbimus, eum huc pertinere.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Citantur a Tiberio (Frölich Appendiculae II. novae.) usque ad Claudium Goth.

Epigraphe: COL. CAE. ANTI. S. R. in numo citato Tiberii. COL. ANT. in numo Titi. (Vaill.) COLONIAE. ANTIOCHEAE. M. Aurelii. (Vaill.) COLONIAE. ANTIOCEAE. M. Aurelii. (Mus. Caes.) ANTIOCHIA. tantum, addito S. R. Gordiani. (Mus. Caes.) In reliquis: COL. CAES. AN-

---

a) B. L. T. XLII. hist. p. 55. b) Lettere. T. I. p. 58. c) Ibid. T. IV. p. 135.

TIOCHIA, etiam CL. pro COL. Item geminata urbis epigraphe: ANTIOCHIA. COLONIA. CAESARIA. scriptum in orbem, per medium autem numi: ANTIOCH. COLONIA., et in centro literis majoribus S. R. in numis Gordiani. (Pellerin Mel. I. p. 310.) Devexo imperio epigraphe, praecipue quae imperatorum nomina eloquitur, barbara plane est, adeo ut vocabula sana exsculpi non possint, cujus exempla vide apud Pellerinium [a]), et in museo Caesareo.

S. R. jam in laudato numo Tiberii, sed inde a Severo plerumque inscribitur, quod etiam observatur in numis vicini Iconii Lycaoniae. In binis Gordiani et Gallieni hae literae majore forma exaratae totum aversae typum faciunt. (Arigoni.) Harduinus eas legit *Spes Reipublicae*, at Vaillantius aliique *Senatus Romanus*. Vide, quae de his siglis dicemus in diatriba de coloniis.

Typi.

MENSIS. *Deus Mensis stans cum pileo Phrygio, et luna post tergum, d. hastam, s. Victoriolam, pro pedibus gallus*, Antonini, et Severi. (Vaill. Patin.)

Explicationem juvat Strabo, referens [b]), esse apud hanc Antiochiam sacerdotium Μηνος Αρκαιυ multitudinem sacrificulorum habens, et sacrorum locorum. His numis usus est Cl. Blondius, cum praeclare et erudite disputat, similem figuram in hujus tractus numis obviam dicendam esse *Mensem*, non, quod hactenus factum, *Lunum*. In numo Titi supra colonum arantem est lunula, quae ejusdem Mensis indicium facit. Hic Mensis in numis Graecis aliarum urbium dicitur MHN. Vide laudatam dissertationem Blondii, (B. L. T. XLII. Mem. p. 381.) et quae is alibi de eodem argumento disserit. (Pierr. grav. du Duc. d'Orl. T. I. p. 81.)

GEN. COL. ANTIOCH. in numis Severi, aut cum solo G. in numo Caracallae. (Arigoni.) *Mulier tutulata stans d. gubernaculum, vel pateram, s. cornucopiae. Haec* in numo Gordiani *dexteram jungit cum Mense adstante ara intermedia.* (Vaill.)

VIRT. AVGG. *Imperator eques barbarum hasta prosternit*, Caracallae, (Theup.) Getae. (Vaill.)

VICT. DD. NN. *Victoria gradiens cum tropaeo*, Caracallae, (Theup.) Getae. (Vaill.)

CONCORD. AVGVSTOR. *Caracalla et Geta stantes dexteras jungunt*, Caracallae. (d'Ennery.)

VICTORIA. DOMINI. *simili typo*, Gordiani. (Pellerin.)

In aliis: *Colonus arans*, *lupa cum gemellis*, *Iuppiter stans*, *aquila*, *Cybele sedens etc.*

Tria signa militaria, vel duo juxta colonum arantem, inter duo signa est V, quo forte indicatur, nisi iconismus fallit, veteranos legionis V. huc fuisse deductos, in numo Gordiani. (Arigoni.)

AE. C.

COMANA.

Sintne his Pisidiae Comanis tribuen-

a) Mel. I. p. 325. b) L. XII. p. m. 864.

di numi, vide, quae ad Comana Ponti disserui.

CREMNA.

Colonia teste Strabone, et hoc tantum nomine exstant numi Getae, Elagabali, Etruscillae, Treboniani apud Pellerinium, Vaillantium, Arigonium, in museo Caes.

Epigraphe: COL. IVL. AVG. FE. CREMNA.

Typi: Cupido arcum intendens. — Tria signa militaria. — Aquila expansis alis, supra quam caput Decii radiatum inter capita nuda Herennii et Hostiliani, — Diana super rupe arcum tendit.

Mentio situs: PROP. COL. CR. in numo Getae apud Pellerinium, quae is verba sic acute explicat: PRO*vinciae* P*isidiae* COL*onia* CR*emna*, idque numis Viminacii illustrat.

AE. RR.

LYRBE.

Memoratur a Dionysio Perieg. v. 859. et in Notitiis.

Imperatorii.

Tantum citantur ab Alexandro usque ad Valerianum jun.

Epigraphe ΛΥΡΒΕΙΤΩΝ. typis obviis.

Literae solitariae IA. ante caput Valeriani jun. (Vaill.)

AE. RR.

OLBASA.

Hoc aut adfini nomine produntur urbes Ciliciae, Pisidiae, Lycaoniae.

Autonomum aeneum inscriptum ΟΛΒΑCΑ. ΒΟΥ - - - ad hanc Pisidiae Olbasam revocavit Pellerinius [a]), sed quem potius Corcyrae tribuendum, in hujus insulae moneta dixi.

* * *

Coloniae nomine binos numos edidit Vaillantius, unum Maesae: COL. IVL. AVG. OLBABEN. *Mensis eques*, alterum Gordiani: COL. OLBA. - - - *Bacchus stans.* Vtrumque revocavit ad Olbam Pamphyliae, sed Belleyus hanc Olbasam praefert [b]), et simul de vera ejus lectione leviter dubitat.

OROANDA.

Autonomum edidit Pellerinius: *Caput Apollinis laureatum.* ᚷ ΟΡΑΝΔΕΩΝ. *Aquila* (*nisi corvus est*) *omnia intra coronam.* AE. III. Sed fatetur ipse, epigraphen non satis esse integram, ut adeo tuto nihil de urbis huius moneta adfirmari possit.

PEDNELISSVS.

A quibusdam Pamphyliae inseritur.

Imperatorius: Γ. I. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜΟC. *Caput laur.* ᚷ ΠΕΔΝΗΛΙCCΕΩΝ. *Mulier sedens d. pateram, s. hastam.* (Pellerin.)

AE. RRRR.

---

a) Suppl. T. III. p. 111. b) B. L. T. XXI. p. 436.

PROSTANNA.

Ptolemaeo et Notitiis Prostama, at in numis Prostanna.

Imperatorii exstant tantum, omnes cum capite Claudii Gothici.

Epigraphe: ΠΡΟCΤΑΝΝЄѠΝ, ut in binis suis legit Pellerinius, (Rec. III. p. 254.) sed Panelius in museo le Bret ΠΡΟCΤΑΜΙЄΩΝ, fors vitiata in numo suo epigraphe. Typus: *Mars omnia sua arma utraque manu tenens.*

Mentio situs: ΟΥΑΡΟC. *Mons arboribus consitus*, in Pelleriniano. Viari montis historici quidem non meminere, verisimile tamen, nomine Viari notari montem in numo hoc propositum, cui urbs adsita fuerit.

AE. RRR.

SAGALASSVS.

Inter illustriores Pisidiae urbes.

Autonomi:

CΑΓ. CΑΓΑ. *intra coronam*, vel *typo botri et spicarum*, vel *duorum hircorum luctantium.* AE. II. III. (Pellerin.)

Caput Iovis. Ӿ ΣΑΓΑΛΑΣΣΕΩΝ. *Victoria gradiens.* AR. II. (Sestini Lettere P. II. p. 197.)

Posterior hic causa metalli insignis est.

AR. AE. RRR.

Imperatorii.

Ducuntur a Nerva usque ad Claudium Gothicum, sub quo complures, et varii signati.

Epigraphe: CΑΓΑΛΑCCЄΩΝ.

ΔΗΜΟC. CΑΓΑΛΑCCЄΩΝ. *Populus Sagalassensium dexteram cum imperatore jungens*, in numo Claudii Goth. (Mus. Pisani.)

ΑΛЄΖΑΝΔΡΟC. CΑΓΑΛΑCCЄΩΝ. *Alexander M. stans*, *illinc imperator eques hastam in hostem vibrat*, in numo Claudii Goth. AE. m. m. (Sestini Lett. T. IV. p. 129).

Typi reliqui: *Dioscuri stantes*, aut *Mensis*, aut *leo gradiens hastam rictu stringens.*

Concordia:

ΛΑΚЄΔΑΙΜΩΝ. CΑΓΑΛΑCCΟC. *Vir paludatus et galeatus coronatur a muliere s. cornucopiae gerente*, M. Aurelii. (Morelli Spec. p. 130. Vaillant p. 53.)

ΛΑΚЄΔΑΙΜΩΝ. CΑΓΑΛΑCCЄΩΝ. *Similis typus*, Diadumeniani. (Haym. T. II. p. m. 343.)

ΛΑΚЄΔΑΙΜ. CΑΓΑΛΑCCЄΩΝ. *Vir paludatus stans d. pateram coronatur ab adstante Victoria*, Diadumeniani. (Pellerin. Rec. III. p. 219.)

Censet Vaillantius, Lacedaemonem cum Sagalasso iniisse concordiam. Alia est Pellerinii mens [a]), nimirum aut Sagalassenses, quod forte Lacedaemone oriundi fuere, quod de vicina Selge certo constat, sese, ut originem suam indicarent, dixisse Lacedaemonios, perinde ac Selgenses, ut mox in his videbimus, sese quoque dixere Lacedaemonios, Perinthii Iones, Hyrcani Macedonas etc., aut Sagalassum constitisse partim Lacedaemoniis huc profectis,

a) l. c.

partim Pisidis, ac tum hoc numo stăbilitam inter semet concordiam voluisse indicare. Haec Pellerinius, cujus ego sententiae subscriberem, si constanter legeretur ΛΑΚЄΔΑΙΜΟΝΙΩΝ. CΑΓΑΛΑCCЄΩΝ, verum in numo Vaillantii est ΛΑΚЄΔΑΙΜΩΝ. CΑΓΑΛΑCCΟC., quae sunt urbium ipsa nomina, non populi, atque etsi Sagalassenses se dicere potuerint Lacedaemonios, tamen Sagalassus dici non potuit Lacedaemon. Recte igitur arguit Vaillantius, perinde hac epigraphe notari concordiam Lacedaemonem inter et Sagalassum, atque alibi epigraphe ΑΜΙCΟC. ΑΜΑCΤΡΙC. vel ЄΦЄCΟC. ΚΥΖΙΚΟC. etc.: Ea difficultas perpetuo vellicabit Pellerinii sententiam, nisi quis evincat, Vaillantium in legenda epigraphe lapsum, quod alibi suspicatur Pellerinius a), sed frustra, nam idem numus exstat etiam apud adcuratissimum Morellium b). Ceterum nullam video rationem, cur intelligi nequeat concordia cum Lacedaemoniis inita, et recurrendum sit ad Lacedaemoniorum cum indigenis Pisidis commixtionem, quod quidem etiam ad sequentes Selges numos: CЄΛΓЄΩΝ. ΛΑΚЄΔΑΙΜΟΝΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. valeat, de quibus eodem modo disserit Pellerinius, praecipue cum Selgen a Lacedaemoniis revera conditam constet. Esto, has urbes habitatas partim ab adventitiis Lacedaemoniis, aut etiam ab his conditas, an propterea renovare foedus cum metropoli sua non potuere? quin haec ipsa sanguinis conjunctio dignam suffecit causam inter utrumque populum foederis, et istud in aere publico testandi. Sic et Spartani foedus pepigere et amicitiam cum Iudaeis eo moti, quod hi eorum fratres essent, et ex eodem Abrahamo orti, ut docet epistola Arei regis ad Oniam summum sacerdotem, et hujus responsum c). Quare quod Lacedaemonii constituerunt cum Iudaeis, quia consanguinei, poterant et statuere cum Selgensibus, et Sagalassensibus, quia consanguinei. In numo Selgensium insuper additur ΟΜΟΝΟΙΑ, quod vocabulum cum semper concordiam cum altero populo juxta posito notet, nescio, cur non etiam in hoc numo concordiam Lacedaemonem inter et Selgen notare debeat. Sane omnes ii populi, quos eodem loco citat d), nempe qui tractam ab altero populo originem indicant, vocabulum ΟΜΟΝΟΙΑ omittunt, contenti memorasse v. g. ΠЄΡΙΝΘΙΩΝ. ΙΩΝΩΝ.

ΡΩΜΑΙΩΝ. CΑΓΑΛΑCCΑΙΩΝ. (sic) ΠΡΩΤΗC. ΠΙCΙΔΩΝ. ΚΑΙ. ΦΙΛΗC. CΥΝΜΑΧΟΥ. *in centro numi magnum* I., *infra duae dexterae junctae*, in numo Valeriani. (Pellerin. Rec. III. p. V. in praef.)

Epigraphen sic interpretatur Pellerinius, ut vel *το* ΡΩΜΑΙΩΝ connectendum sit cum CΥΝΜΑΧΟΥ, ut in inscriptione Mopsuestiae apud Gruterum legitur ΚΑΙ. ΦΙΛΗC. ΚΑΙ. CΥΜΜΑΧΟΥ. ΡΩΜΑΙΩΝ., quod tamen spectato ejus vocabuli in numo situ nimis violentum est adserere, vel dicatur, Sagalassenses se adulationis causa dixisse *Romanos*, ut Alexandria se in numis M. Antonii di-

a) Mel. II. p. 305. b) Spec. p. 130. c) II. Macch. c. 12. Ioseph. Ant. Iud. L. XII. p. 606. et L. XIII. p. 648. d) Rec. III. p. 221.

xit *Romam*, vel denique Sagalassi incolas constitisse partim Romanis adventitiis, partim indigenis Pisidis, ut adeo tum utrorumque inscriptione, tum typo junctarum dexterarum utriusque populi concordia indicaretur. Patet ergo, neque isthac epigraphe Pellerinio videri concordiam indicari, sed in alia omnia, ut in praecedentibus, abire. Verum etsi absit vocabulum ΟΜΟΝΟΙΑ, satis hoc suppletur typo junctarum dexterarum, ac notandum praeterea, quoniam Sagalassenses, ut numi epigraphe docet, Romanorum se *amicos*, *sociosque* profitentur, atque adeo cum iis foedere, etsi non aequo, conjunctos, de quo vide quae docebo in tractatu de urbibus amicis, et foederatis, potuisse eos jure suo, etsi scenico tantum et precario, concordiam cum Romanis rerum dominis testari. Neque vero solus hic est numus, qui ὁμονοιαν cum Romanis profiteatur. Vidimus supra in numis Thessalorum unum, in cujus antica legitur: ΟΜΟΝΟΙΑ. in Ӿ ΘΕΣΣΑΛΩΝ. ΡΩΜ., nisi etiam de Thessalis dicatur, eos aut dictos per adulationem Romanos, aut Thessaliam quoque fuisse refertam adventitiis Romanis, quorum adeo concordiam significaret hic numus.

Primatus notatur inscripto ΠΡΩΤΗϹ. ΠΙϹΙΔΩΝ. in numo praecedente.

Mentio situs in eodem numo: ΠΙϹΙΔΩΝ. item a flumine *Cestro:* ϹΑΓΑΛΑϹϹЄΩΝ. ΚЄϹΤΡΟϹ. *Fluvius decumbens*, in numo Claudii Goth. (Maffei Ant. Gall. p. 117. Pellerin. Rec. III. p. XX.) Cestrus a Pisidia Pamphyliam ingressus, et Pergam alluens a plerisque geographis memoratur. Vide Cellarium. Quare miror Taninium, το ΚЄϹΤΡΟϹ hujus numi in ΚΑΥϹΤΡΟϹ corrigentem, quia, ut ait in subjecta nota, *geographi omnes Caystrum Pamphyliae tribuunt.* (Suppl. ad Band. p. 128.)

Litera solitaria Ι. ante caput Valeriani in Pelleriniano, (Rec. III. p. V.) et ϛ in alio Claudii Goth. apud eundem, (Rec. III. p. XX.) quae est nota senarii.

AE. RRR.

SANDALIVM.

Autonomum. Pellerinius huc censet vocandum:

Caput Palladis. Ӿ ΣΑΜΔΑΛΙ. *Quatuor lunulae.* AE. III.

Similem numum ab aliis citari non video, quo magis de vera lectione, et utrum huc pertineat, certi esse possimus.

AE. RRRR.

SELEVCIA.

Imperatorii a variis vulgati sunt sequentes:

ΚΛΑΥΔΙΟϹЄΛЄΥΚЄΩΝ. *Mensis eques*, Gordiani. (Vaill.)

Alius, sed *Fortuna stans*, Gallieni, AE. I. (Banduri.)

Alius, sed *Mensis stans et pede navis proram calcans*, (verius caput bovinum.) Claudii Goth. (Vaill. ex museo Christinae.)

Lectionis fidem in citatis Vaillantii numis in dubium olim vocavit Pellerinius [a]). Ipse ego cum viderem, hos numos ab antiquariis passim Seleuciae

a) Mel. II. p. 304.

Ciliciae vel Isauriae tribui, coepi suspicari, an non a Vaillantio prono ex literarum affinitate errore lectum sit ΚΛΑΥΔΙΟ. pro ΚΑΛΥΚΑ., quo pacto citra dubium esset Seleuciae Ciliciae, quae fluvium suum Calycadnum, cui imposita fuit, nunquam praetermisit [a]). Verum, ut re adcuratius expensa perspicio, de lectionis fide dubitari jam non potest, nam non modo navus Bandurius numum ipse in museo regio vidit, verum alter quoque reginae Christinae citatur in catalogo Francisci Cameli, et ab Havercampo in catalogo suo musei hujus reginae.

Antiquarii priores numi epigraphen separant, leguntque ΚΛΑΥΔΙΟ. CЄΛЄΥΚЄΩΝ, et concordiam adeo Claudiopolin inter et Seleuciam notari existimant, et quidem Vaillantius inter Claudiopolin Isauriae, et Seleuciam ad Calycadnum Ciliciae, Bandurius et Havercampus inter Claudiopolin et Seleuciam, utramque Isauriae urbem, quas illustriores fuisse hujus regionis urbes cum laude commemorat Ammianus [b]). Sed notandum, hanc Seleuciam, quam alii Ciliciae, alii Isauriae adscribunt, reipsa fuisse unam eandemque, ut infra ad Seleuciam Ciliciae dicetur. At Pellerinius hanc eruditorum sententiam jure impugnat, Seleuciamque dictam fuisse *Claudiam* perinde statuit, atque vicinum Iconium, quod in numis scribitur ΚΛΑΥΔЄΙΚΟΝΙЄΩΝ, aut Tiberiadem Palaestinae ΚΛΑΥΔΙΟΤΙΒΕΡΙΕΩΝ [c]). Addo, exstare in his numis unius tantum urbis, non duarum typum, quod fere praeter morem in numis concordiae, deinde, Claudiopolis teste eodem Ammiano jam inde a Claudio colonia fuit, coloniae vero cum urbibus aliis, saltem quod ex numis constet, concordiam non inivere.

Certum igitur videatur, unicam hac epigraphe notari urbem, nimirum Seleuciam, quae *Claudiae* quoque cognomen tulerat. Indagandum jam, ad quam ex pluribus urbibus hoc nomine insignitis hi numi pertineant. Pellerinius Seleuciam Ciliciae ad Calycadnum praefert, cujus ego sententiae nequeo subscribere. Nam primum haec Seleucia in nullo certo suo numo se scribit *Claudiam*, deinde ea nunquam mentionem situs ad Calycadnum omittit, neque unquam Mensem numis suis intulit, cujus alioqui effigies in numis Cilicum raro comparet. Vix igitur potest dubitari, numos sic inscriptos pertinere ad Seleuciam Pisidiae memoratam Ptolemaeo et Notitiis, in quibus *ferrea* dicitur. Mensis eximius in Pisidia cultus fuit, ut docent numi Antiochiae et Sagalassi, et ipse Strabo. Invitat etiam in hanc urbem numus Claudii Gothici, nam in dedicandis huic numis diligentissimae fuere Pisidiae urbes, ut ex ejusdem Antiochiae et Sagalassi numis videmus.

AE. RRR.

SELGE.

Vrbs illustris, Lacedaemoniorum opus. Vnde Avienus [d]):

Et Lacedaemoniae surgunt fastigia Selges.

a) Num. vet. p. 252. b) L. XIV. c) Mel. II. p. 304. d) Descr. orb. v. 1025.

Quam utriusque gentis cognationem praedicat quoque Polybius [a]).

Autonomi:

Duo luctatores nudi. ✠ ΣΕΛΓΕΩΝ. *Vir stans elatis alte manibus duplicatum funem intendit, in area triquetra, et alia minuta sigilla.* AR. I. (Pellerin. Theupoli.)

Duo luctatores nudi, intra quorum pedes ΠΙ. ✠ ΣΕΛΓΕΩΝ. *Hercules nudus stans d. clavam intentat, s. exuvias leonis praetendit.* AR. I. (Hunter.)

Iungendi cum his numis sequentes:

Duo luctatores nudi: ✠ ΕΣΤΓΕΔΙΙΥΣ. *Vir stans elatis alte manibus duplicatum funem intendit, in area triquetra.* AR. I. (Pellerin. Mus. Caes.)

Alius, sed infra luctatores ΕΛΥΨΑΜΕΝΕΤΥΣ. AR. I. (Pellerin.)

Mars galeatus, cetera nudus, irruens cum clypeo et pugione. ✠ ΕΣΤ. *Triquetra.* AR. II. (Pellerin.)

Vide complures similes alios, omnes argenteos, apud Hunterum Tab. VII., eosque inscriptos ΕΣ. ΕΣΤ. ΕΣΤΓ.

Numos duos priores causa inscriptionis hujus esse Selges, indubitatum. Aversae typus in numo primo aliquod videtur palaestrae exercitium indicare; sin minus, fateor, me ejus explicationem cum reliquis omnibus ignorare. Plus difficultatis offerunt numi, quos conjunxi. Hactenus eruditi triquetrae monitu in iis perpetuo habitantis Siciliam respexere, cumque in barbaro vocabulo ΕΣΤΓΕΔΙΙΥΣ tantillam viderent cum Egesta adfinitatem, eos Siculae huic urbi tribuendos conjecere. Sententia haec tanto magis certa est visa, quod in simili Goltzius scriptum ΕΓΕΣΤΑΙΩΝ. palam adfirmaverat [b]), vetere nimirum suo jure usus, quo, ut saepe alias vidimus, numorum inscriptiones, ut libido dictaverat, aut refinxit, aut supplevit. At vero auctor musei Theupoli ob omnimodam cum Selgensium moneta concordiam eos horum numis addidit, neque istud sine certa ratione, quia triquetra, ut ex Olbae Ciliciae numis videbimus, etiam in hoc tractu valuerit. Contra Pellerinius conjecit, inscriptos sic numos tribuendos Aspendo Pamphyliae [c]). Rationes profert I. testimonium Pollucis [d]): Ασπενδιοι τω νομισματι ενεχαραττον παλαιςας, *Aspendii in moneta luctatores signaverunt.* II. Contingere facile potuisse Aspendiis Argis profectis, quod diserte de Sidetibus Cymes colonis narrat Arrianus [e]), eos Graecanicae linguae oblitos sensim in barbariem prolapsos, quod supra ex ipsis etiam Sidetum numis stabilivimus. Accidere ergo etiam potuisse Aspendiis ex frequente cum ejus tractus barbaris commercio, ut dediscerent patriam linguam, aliamque barbaram novae formae cuderent. Haec Pellerinius. Addo, quae huc pertinentia reperi apud Euripidem de Asia maritima sic loquentem (in Bacchis v. 15.):

Ασιαν τε πασαν, ἡ παρ' ἁλμυραν ἁλα
Κειται, μιγασιν Ελλησι, βαρβαροις θ' ὁμȣ,
Πληρεις εχȣσα καλλιπυργωτȣς πολεις.
Asiamque omnem, quae ad salsum mare

a) Hist. L. V. 76. b) Sicil. tab. XII. c) Rec. II. p. 147. d) L. IX. §. 84. e) L. I. c. 27.

Iacet, mixtis Graecis et barbaris simul,
Populosas habens bene turritas urbes.
Neque adeo mirum, si Graecis contigit, quod de Atheniensibus perhibet Athenaeus a): Μακεδονιζοντας τ' οιδα πολλȣς των Αττικων δια την επιμιξιαν. *Multos Atticorum video propter permixtionem macedonissare.* Vide, quae de Graecis, quos vicinia Oscorum corrupit, in numis Cumarum Campaniae dixi. Pellerinii conjecturam Khellius additis aliis rationibus, quas alibi proposui b), stabilire est conatus. Argumentum pro Aspendo non leve videtur suppeditare numus sequens:

Eques citato cursu d. jaculum vibrat. ✕ ΕΣΤΓΕΔΙΙΤΣ. *Aper, in area signum incusum bovem referens.* AR. II. (A me editus ex museo Caes. num. vet. p. 219.)

Bos simillimus incusus in certis Sidetum Pamphyliae et Malli Ciliciae numis comparet, ex quo istud saltem colligimus, numos sic inscriptos haud dubie ad hunc tractum pertinere. Typus utriusque partis videtur indicare, quod de Aspendiis narrat Eustathius c), eos Venerem placare porcorum sacrificiis Mopso auctore, de quo vide meos Numos vet. p. 223. Idem, sed de Sidetis, refert Avienus d).

Persequendi nunc reliqui Selges numi, iique aenei.

Caput Herculis prominente pone clava. ✕ ΣΕ. *Fulmen, arcus, triquetra.* AE. III. (Hunter.)

Caput barbatum laureatum, pone quid instar lapidis. ✕ ΣΕ. *Fulmen, et arcus.* AE. III. (Pellerin.)

Etsi variarum urbium nomina a ΣΕ. incipiant, certum tamen est, numum ex his priorem causa triquetrae hujus esse Selges. Sed neque dubium est, numum alterum causa adfinis typi eodem pertinere, lapsumque esse Pellerinium, qui eum Seleuciae Pieriae tribuerat e). Accedit, quod in certo hujus urbis Severi numo apud Vaillantium arcus quoque et fulmen compareant.

* * *

ΣΕ. *Pilum hastae.* ✕ *Clypeus.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Palladis, ante quod pilum hastae. ✕ *Clypeus.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Palladis. ✕ *Clypeus, cui inscriptum elementum* Π, *intra cujus crura elementum* O. AE. III. (Pellerin.)

Posteriores duos numos ad eandem urbem pertinere, ad quam pertinet primus, typorum conformatio dubitare non patitur. Pellerinius eos Seleuciam Pamphyliae vocat. Verum literae ΣΕ. etiam Selgen nostram notare possunt, ut ex numo praecedente didicimus. Quidquid erit, malim quamcunque aliam urbem a ΣΕ. incipientem prae Seleucia Pellerinii, quo nomine ne quidem satis certum est urbem in Pamphylia extitisse. Non praetereundus numus tertius propter inscriptas clypeo literas ΠΟ. Iisdem his literis monogrammate ligatis notari Παν Ορμον, diximus in numis Panormi Siciliae urbis. Non temere conjecero, quoniam eaedem literae insculptae sunt clypeo, et in antica est caput Palladis, eas in numo praesente enunciare Παλλαδος Οπλον, *Palladis*

a) L. III. p. m. 122. b) Num. vet. p. 219. c) ad Dionys. v. 852. d) Descript. Orb. v. 1015. e) Rec. II. p. 206.

clypeum. Noverunt Ελλαδος filii, vocabulo ὁπλον saepe *clypeum* intelligi, de quo aliquando copiosius disseram in numis Augusti commatis Romani.

Caput adversum barbatum radiatum. ℞ ΣΕ. *Cervus dimidius respiciens.* AE. III. (Pellerin.)

Hunc quoque numum Pellerinius Seleuciae Pamphyliae olim tribuerat, verum edoctus a Khellio, in simillimo musei Caesarei scribi ΣΕΛ., eum serius Selgensibus restituit [a]). At ignoro, cur propterea necessario Selgensium numus putandus sit, quasi το ΣΕΛ. non posset aeque Seleuciam aliquam, vel Selinuntem etc. notare.

AR. et AE. RR.

Imperatorii.

Inde ab Antonino, et in Decio desinunt. Hadriani numum nuper museo Com. Vitzai illatum vidi.

Epigraphe: CЄΛΓЄΩΝ. Typi: *Hercules stans cum clava, arcus et fulmen etc.*

Concordia:

CЄΛΓЄΩΝ. ΛΑΚЄΔΑΙΜΟΝΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Hercules stans d. sacra facit super ara, s. clavam, ex adverso stat Pallas s. hastam, pro pedibus serpens*, in numo Decii. (Vaill. Theup.)

Notari hoc numo revera concordiam Selgenses inter et Lacedaemonios initam, satis supra in Sagalassi numis comprobavi.

AE. RRR.

TERMESSVS.

Secundum Stephanum duplex fuit in Pisidia Termessus, major, et minor, quam quoque confirmant numi et marmora.

Autonomi:

ΤЄΡΜΗϹϹЄΩΝ. *Caput Iovis, infra.* Θ. ℞ ΤΩΝ. ΜЄΙΖΟΝΩΝ. *Pallas stans, in area* Θ. AE. I. (Pellerin.) In alio: *Hercules stans.* AE. I. (Hunter.) In alio: *Mulier eques lento gradu d. sceptrum.* AE. I. (Pellerin.)

Habemus in his numis Termessenses majores, qui etiam hoc nomine notantur in antiquo senatus consulto apud Muratorium [b]), sed scripti: THERMESES. MAIORES. PEISIDAE.

* * *

Eadem adversa. ℞ ΑΥΤΟΝΟΜΩΝ. *Fortuna stans, in area* Θ. AE. I. (Pellerin.)

Autonomia Termessensibus concessa praedicatur in eodem senatus consulto: EIQVE. LEGIBVS. SVEIS. ITA. VTVNTO. etc.

* * *

Eadem adversa. ℞ ϹΟΛΥΜΟϹ. *Vir seminudus sedens cum clava.* AE. I. (Spanheim. T. I. p. 563. Harduin., Theupoli.)

Hoc aversae typo exhiberi censet Spanhemius *Solymum* heroem loci. Certe Termessenses a Strabone dicuntur *Solymi* [c]), et idem alibi [d]): ὑπερκειται

---

a) Suppl. I. p. 62. b) Thes. inscr. T. II. p. 582. c) L. XIII. sub. fin. d) L. XIV. p. m. 982.

αὐτης τα Σολυμα ὀρος, και Τερμισσος Πισιδικη πολις. *Supra hanc jacet mons Solyma, et Termessus urbs Pisidica.*

AE. RR.

Imperatorius.

Vnicus hactenus vulgatus, isque Domitiae: ΤЄΡΜΗϹϹЄΩΝ. L. ΙΑ. *Mulier stans d. spicas, s. caduceum.* (Mus. Farnes. T. IX. tab. 9.) Annus in hoc notatus est imperantis Domitiani.

AE. RRRR.

Commemorandi hoc loco numi sequentes:

Caput Iovis laureatum. X ΤΕΡ. *Equus liber currens, supra quem variae literae:* Α. ΙΑ. ΘΙ. ΚΑ. ΚΕ. AE. III.

Caput Augusti. X ΤΕΡ. *Equus liber currens, infra* ΟΙ. (verius ΘΙ.) AE. III. (Morelli Impp. sub Aug. Tab. XLV. n. 13.)

Variae fuere de his numis opiniones. Liebeus cum in suo videret literas ΚΕ., eum Cephalleniae insulae perperam tribuit, ut in hujus numis diximus. Vrbis nomen in ΤΕΡ. quaerendum, quod constans est, aliis literis variantibus, et, ut satis apparet, arithmeticis, sive epocham, sive annos imperantis indicant. Termesso Pisidiae, vel Terinae Bruttiorum eos largiuntur Pellerinius, et Khellius [a]), ambigunt tamen. Terinam excludit citatus numus Augusti, quia constat, Italiae continentis urbes sub imperatoribus monetam non amplius signasse. Interim dubium adhuc, utrum ad hanc Termessum pertineant. Cl. Combio in catalogo musei Hunteriani Terpillus Macedoniae placuit.

AE. R.

ISAVRIA.

CARALLIA.

Memorata Stephano, et Notitiis.

Imperatorii a Severo usque ad Maximinum.

Epigraphe: ΚΑΡΑΛΛΙΩΤΩΝ., sed in numo Severi max. mod. apud Pellerinium: ΚΑΡΑΛΛЄΑΤΩΝ., non tamen huic lectioni satis fidendum, nam eam esse mancam, Pellerinius ipse profitetur [b]).

Typi sunt obvii.

AE. RRR.

CLAVDIOPOLIS.

De numis huic Claudiopoli perperam tributis vide, quae ad Claudiopolin Bithyniae notavi. Neque numi inscripti ΚΛΑΥΔΙΟϹЄΛЄΥΚЄΩΝ, in quibus Vaillantius aliique concordiam inter

a) Adpendic. I. p. 71. b) Suppl. II. p. 77.

hanc Claudiopolin, et Seleuciam Isauriae notari credidere, ad utramque hanc urbem pertinent, ut dictum in Seleucia Pisidiae.

ISAVRVS.

Exstant *imperatorii:*

ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. ΙCΑΥΡΩΝ. *Effigies Herculis*, in numo Getae. (Harduin.)

Eadem epigraphe. Imperator paludatus stans cum adstante viro nudo s. demissa ramum tenente dexteram jungit, in numo Elagabali. (Pellerin Rec. II. p. 139.)

Harduinus hac numi inscriptione notari Seleuciam Ciliciae adserit nulla addita causa, cui sententiae jure adversatur Pellerinius. Fuit in Isauria urbs, *Isaurus*, vel *Isaura*, atque etsi bis olim capta et eversa, primum a Perdicca, iterum a Servilio, rursum tamen memoratur a Plinio, aliisque inferioris aevi scriptoribus, quos citat Cellarius. Cum ea aetate, qua sunt numi praesentes, minus clara fuisse videatur, quam ut magnificum metropoleos nomen capere posset, verisimile, hoc illam nomine gloriatam non causa dignitatis, sed quod esset urbium Isauriae mater, et a qua regioni nomen factum. Sic et in codice legimus [a]), episcopum Leontopolis Isauriae subesse jussum episcopo Isauropoleos, credo propter vetustatis honorem.

AE. RRRR.

LALASSIS.

Autonomi:

Caput muliebre velatum turritum prominente retro palmae ramo. ✕ ΛΑΛΑCCЄωΝ. *Cornucopiae, juxta triquetra.* AE. fere II. (Pellerin.)

Triquetra in hujus tractus numis, ut vidimus, et videbimus adhuc, res obvia. Sed de Lalassensium triquetra vide, quae notabimus in numis Olbae Ciliciae, ejusque principum Teucri et Polemonis.

* * *

ΛΑΛΑΣΣ. ENTIM. *Mulier stans d. spicas, s. cornucopiae.* ✕ *Literae dubiae. Fortuna stans.* AE. III. (Pellerin. Suppl. II. p. 27.)

Hujus occasione numi Pellerinius late disserit de Lalassidis vero situ, quem lector adeat. Titulum ENTIMѕ, *honorabilis*, nulli alteri in numis urbi datum novimus.

* * *

R. P. F. S. - - *Ramus lauri.* ✕ - - - SALASI - - - *Triquetra.* AE. III. (Pembrock P. II. tab. 27.)

Ex triquetrae typo conjicio, tutius forte legendum LALASI, quo pacto huc pertinebit. Sed quid reliqua epigraphe significet, et cur Latina sit, ex numo vitiato colligi nequit.

* * *

De numis *Pontificum* Teucri et Polemonis, quibus haec quoque urbs inscripta legitur, agemus in numis Olbae Ciliciae.

AE. RRR.

---

a) L. I. tit. 3. §. 36.

LYCAONIA.

Numum communi gentis nomine ΛΥΚΑΟΝΩΝ inscriptum vide in Antiocho IV. Commagenes rege.

CLAVDIOPOLIS.

Hoc nomine urbs in Lycaonia non exstitit, et qui eam adseruere, nixi sunt in falsa numorum lectione. Vide dicta in Claudiopoli Bithyniae, et quae mox in Iconio dicentur.

COROPISSVS.

Straboni pagus Lycaoniae, scriturque in libris editis jam Κοροπασσος, jam Καραπασσος. Numi editi majores ei honores praestant, et orthographiam stabiliunt.

Imperatorii.

ΜΗΤΡΟ. ΚΟΡΟΠΙϹϹЄΩΝ. L. IH. *Fortuna stans*, in numo Hadriani. (Pellerin. Rec. III. p. 249.)

ΚΟΡΟΠΙϹϹЄΩΝ. ЄΠΙ. ΤΟΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. *Hercules et Apollo stantes*, in numo Maximini. (Panel Catal. le Bret.)

Metropoleos honorem numus prior Coropisso adserit, eumque confirmat numus alter, etsi epigraphe manifeste luxata sit. Interim cum Coropissi vix alius praeter Strabonem meminerit, atque hic, ut vidimus, parum honorifice, et adeo ignobilior fuerit, quam ut metropoleos honore videatur potuisse digna haberi, credo, vocatam metropolin a cultu Cybeles, de quo vide, quae monebo in diatriba de urbib. metropolib.

Anni imperii Hadriani notis L. IH. indicantur.

AE. RRRR.

DERBE.

De numo huic oppido inique, ut videtur, tributo vide in sequente Iconio.

ICONIVM.

De universa urbis hujus moneta prolixius olim disserui [a]), unde, quae ad eam, illustrandam maxime sunt necessaria, excerpo.

Autonomi:

Caput Iovis. X ЄΙΚΟΝ-ЄΩ- *Perseus nudus stans d. harpam, s. caput Medusae.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput juvenile hedera coronatum, retro fax ardens. X ΙΚΟΝΙ. ΜΕΝЄΤЄΙΟϹ. *Typus similis.* AE. III. (Pellerin.)

a) Num vet. p. 271.

Protome Persei tecti galea in voluncris caput exeunte, prominente retro harpa. Ӿ - - KONIЄΩN. MЄNЄΔЄ - - *Vir seminudus sedens s. harpam.* AE. III. (Pellerin. Rec. II. tab. XLV. n. 48.)

Persei effigies vario cultu proposita in Iconii numis typus est fere constans. Eum nimirum heroem in hoc oppido suam ipsius statuisse imaginem, unde illi ἀπο της ἑικονος datum Εικονιη nomen, eamque appellasse *Fortunam urbis Persida*, late ibidem ex veterum testimoniis probavi. Eadem late narrat Auctor anonymus antiquitatum CP., qui est apud Bandurium in Imperio Orientali Tomo I., qui et addit, hanc Persei iconem a Constantino M. Constantinopolin Iconio abductam, et in balneo collocatam. Etiam Stephanus contendit, pro Ικονιον rectius scribi Εικονιον, quia ἀπο ἑικονος derivatur. Numum III. Pellerinius olim Conio Phrygiae tribuerat a), quem lapsum pridem indicavi b), non adversante serius ipso Pellerinio c).

* * *

Caput Iovis. Ӿ ΚΛΑΤΔΙЄѠΝ - - - ЄѠΝ. *Mulier turrita rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens, in area:* ЄΤΟ. Β. AE. III. (Hunter.)

Cl. Combius numum hunc Claudiadi tribuit, quam Ptolemaeus in extrema in ortum Cappadocia ad ripam Euphratis constituit. At praesto sunt causae, quae me ab ignobili hac, et ad extremos imperii fines projecta urbe avertunt, et Iconium praeferre cogunt. Hanc urbem dictam fuisse Claudiam, ex proximis imperatoriis videbimus. Et tanto magis verisimile, scriptum fuisse in hoc numo ΚΛΑΤΔΙЄѠΝ. ЄΙΚΟΝΙЄѠΝ, vel ΚΛΑΤΔЄΙΚΟΝΙЄѠΝ, quod cum hac epigraphe rite junguntur literae ЄѠΝ, quae teste numi hujus iconismo epigraphen finiunt, et quas, si Claudiadis numum dixeris, quorsum referas, non habebis. Ad haec numi hujus modus multum adfinis est numis vicinorum Tyanorum Cappadociae seu typo mulieris cum flumine, seu inscripto imperantis anno. Quam saepe ab eruditis in definiendis hujus Iconii numis peccatum sit, partim jam vidimus, et patebit ex proximis.

* * *

Numus a Musselio huic Iconio tributus d) restituendus Hipponio Italiae, nam pro ΙΚΩΝΙΕΩΝ legendum est ΙΠΠΟΝΙΕΩΝ, ut jam olim probavi e).

AE. RRR.

Imperatorii.

ΝЄΡѠΝ. ΚΑΙCΑΡ. CЄΒΑCΤΟC. *Caput laureatum.* Ӿ ΠΟΠΠΑΙΑ CЄΒΑCΤΗ. ΚΛΑΤΔЄΙΚΟΝΙЄΩΝ. *Poppaea sedens d. florem, s. hastam.* AE. I. (Pellerin. Rec. II. p. 141.)

Eundem numum edidit etiam Haymius, sed vitiato urbis nomine ejus extricare patriam non potuit. (Tom II. p. m. 243.)

Addo numum alium, quem citat Gessnerus ex museo Fromont. (Impp. Tab. 49. n. 25.)

ΝЄΡΩΝ. ΚΑΙCΑΡ. CЄΒΑΤ. *Caput laureatum.* Ӿ ΚΛΑΤΑЄΙΝΟΝΙЄѠΝ. *Caput muliebre turritum.* AE. II.

---

a) l. c. b) l. c. c) Additions p. 77. d) Num. pop. Tab. X. e) Num. vet. p. 273.

Legendum absque dubio: ΚΛΑΤΔΕΙΚΟΝΙΕΩΝ.

* * *

Praeeuntibus his numis sequentes Iconio restituendos censeo:

ΚΛΑΤΔΙΟΠ. ΚΟΙ. ΛΥΚΑΩΝΙΑΣ. *Fortuna stans*, in numo Faustinae jun. (Vaill.)

ΚΛΑΤ. ΔΕΡ. ΚΟΙ. ΛΥΚΑΩΝΙΑΣ. *Fortuna stans*, in numo Faustinae jun. (Morelli Spec. p. 217.)

Vtrumque numum nemo non videt esse unum eundemque, nisi quod pro ΙΟΠ. Vaillantii Morellius legat ΔΕΡ., ac propterea *Claudiam Derben* Lycaoniae oppidum extundat, quem praeconem secuti sunt Haymius [a]), et Harduinus [b]), et Haymius quidem citat Morellium, sed quod saepe alias, auctorem suum dissimulat Harduinus. Vaillantius numum suum descripsit ex museo regis Galliarum, et ex eodem Morellius suum, ut adeo satis appareat, utrumque esse unum eundemque, et si revera existeret alius in thesauro regis Galliarum inscriptus ΚΛΑΤ. ΔΕΡ., non eum reticuisset Vaillantius. Videtur ergo numus ea parte, quae in hac disputatione cumprimus agitur, vitiatus. Quare fas esse puto, aliter se habere epigraphen suspicari, et cum in hoc numo fiat Lycaoniae mentio, et certum sit adeo, esse signatum in aliqua Lycaoniae urbe, deinde ex nullo geographo constet, fuisse aliquam in Lycaonia Claudiopolin, constet vero ex citato Neronis numo, Iconium revera dictum *Claudium*, temerarius non videar, si legendum putem ΚΛΑΤΔΕΙΚ. ΚΟΙ. ΛΥΚΑΩΝΙΑΣ.

* * *

- ΛΑΤ - - - ΕΩΝ. ΚΟΙΝ. ΛΥΚΑ. *Iuppiter seminudus sedens d. pateram*, in numo Aurelii, *juxta cujus caput annus epochae* ϛΠΧ. (Mus. Caes.)

Numum hunc edidit Frölichius [c]), sed epigraphen legit: ΑΛ - - - - ΩΝ. ΚΟΙΝ. ΛΥΔ. Lydiis adeo numum adjudicavit. Sed exploratus sedulo a me numus, quam dixi, epigraphen praeferre videtur. Quid quod *Communis Lydorum* numum nullum habemus, sed tamen Lycaoniae nonnullos. Reliquam epigraphen expleo solito ΚΛΑΤΔΕΙΚΟΝΙΕΩΝ. De anno epochae mox.

* * *

Κ - - - - ΟΙΝ. ΛΥΚΑΩ. *Vir semicinctus sedens supra aliquid simile pisci oblongo in fluctibus, s. urnae innititur*, in numo Faustinae jun. (Mus. Caes.)

Hunc numum Frölichius aliquando praetensae Claudiopoli Lycaoniae tribuit, nimirum qui numi lacunas ex indicio Vaillantii, aliorumque, minus, ut vidimus, accurato expleverat [d]).

Ex his ergo, quae dixi, patet, imperatorios Iconii numos sua adhuc luce indigere.

* * *

Epochae annus ϛΠΧ. 686. in citato Aurelii numo. Hic numerus epocham indicat, qua nulla in numis antiquior legitur; nam subducto calculo figitur ejus exordium intra annos V. C. 228. et 247., quo tempore Darius Hystaspis Persiae atque Asiae minori imperabat.

---

a) Tom. II. p. 243. b) Num. urb. in *Derbe*. c) IV. Tent. p. 198. d) IV. Tent. p. 213.

Propius quid de ejus exordio definiri nequit. Vide de hoc plura apud Froelichium a).

* * *

Claudia dicta ab imperatore Claudio. Sic et in marmore apud Muratorium legitur b): L. ANNIVS. VALENS. L. F. CLAVDIA. ICONIO. nisi forte quis malit hoc loco nomine CLAVDIA intelligi tribum Claudiam, ex qua fuerit Annius.

AE. RRR.

Colonia Iconium.

Mirum sane, cum tot jam habeamus coloniae Iconii numos, eos ignotos fuisse Vaillantio, Harduino, omnibusque, qui eos secuti sunt, aliis, donec horum unum primus proferret Froelichius in Appendicula ad Vaillantii colonias anno 1733. edita, subinde ejus IV. Tentaminibus inserta. Mirum etiam, ex solis numis constare, Iconium fuisse coloniam. Sed neque, quando deducta fuerit, satis constat. Pellerinius, cum in numo suo videret additum AEL., conjecit, eam deductam ab Aelio Hadriano c). Verum ad colonias omnes haec sententia valere non potest; nam et Bostra Arabiae, quae a Caracalla deducta passim creditur, *Trajanae* nomen in numis inde a Caracalla signatis usurpavit, nimirum singulari beneficio a Trajano affecta. Quare fieri potuit, ut eadem ex causa Aeliam se appellaret Iconium, etsi ab alio et serius deductum. Incertum istud omne. Si certum foret, quod conjecit Vaillantius, Neapolin Samaritidos coloniam dictam fuisse *Sergiam*, quia forte tribui Sergiae fuerit inserta, dici etiam posset, coloniam Iconium dictam *Aeliam*, quia huic subjecta fuerit.

Gordiani: COL. AEL. ICONIE. S. R. *Colonus arans*, *retro duo signa militaria.* In alio: ICONIENSI. COLO. S. R. *Fortuna sedens.* (Pellerin Rec. I. p. IV.)

Gallieni: ICONIENSIVM. CO. S. R. *Pallas sedens.* (Mus. Caes.) *Hercules stans.* (Theupoli.) *Fortuna sedens.* (Pellerin Suppl. I. 42.) *Gemini lactentes.* (Panel Mem. Trev. Octob. 1737.) *Perseus stans pedibus alatis d. caput Medusae, s. harpam.* (Mus. Comitissae Bentinck T. I. p. 498.)

De literis additis S. R. vide dicta in Antiochia Pisidiae.

AE. RR.

LARANDA.

Ab aliis Pisidiae etiam accensetur.

Imperatorium Antonini vulgavit Vaillantius: ΛΑΡΑΝΔΕΩΝ. *Caput Apollinis, prae quo lyra.* Eum huic Larandae tribui vult. Forte melius legendum ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ, numusque restituendus Alabandae Cariae, cujus numi Apollinis cultum saepe jactant, quod perspicue docent numi Caracallae hujus urbis a Vaillantio prolati.

PARLAIS.

Ptolemaeo scribitur Παϱαλαις, at in Notitiis magna est hujus nominis corruptio.

---

a) IV. Tent. p. 199. b) pag. 779. 2. c) Rec. I. p. IV.

Coloniae tantum nomine ejus comperti numi. Eorum catalogum, nam rari admodum sunt, jam olim dedi [a]), quem modo aliquanto auctiorem restituo.

PARLAIS. COL. *Mulier d. labarum, s. cornucopiae gerens*, in numo M. Aurelii.

Numum hunc his verbis in prima editione suorum Numorum illustratorum promulgavit Harduinus, ante quem Parlaidis numi fuere ignoti. At cum judicium suum perstringi a Vaillantio videret [b]), eum in altera ejus operis editione omisit, atque istud tanto lubentius, quia is sibi ex aliorum tantum narratione fuit cognitus. Eum ipsum sibi dono datum hoc modo vulgavit Vaillantius [c]).

IVL. AVG. COL. PARIA. *Mulier stolata cum calatho in capite, d. signum militare, s. cornucopiae*, eumque adeo tribuit coloniae Parianae Mysiae. At enim injustam fuisse Vaillantii criminationem, eumque numum vere esse hujus Parlaidis, jam probavit Haymius [d]), et clare patebit ex sequentibus.

- - - PAR - - *Mensis stans cum luna falcata pone tergum d. hastam, s. Victoriolam, pro pedibus gallus*, L. Veri. (Mus. Caes.)

Numum hunc integerrimum dempta epigraphe, quae tamen certas literas PAR. offert, proposui in mea Sylloge I. Sed et typus Parlaidi favet, ut sequentia docebunt.

IVL. AVG. COL. PARLAIS. *Fortuna stans*, L. Veri. (Pembrock P. III. tab. 80.)

IVL. AVG. COL. PARLAIS. *Mensis stans d. globum, s. hastam, d. pede capiti arietis insistit*, Severi.

His verbis numum hunc descripsit auctor Catalogi d'Ennery p. 601. Sed vide numum sequentem.

IVL. AVG. COL. PARLAIS. *Vir pileo Phrygio tectus stans d. hastam, s. quid lampadi simile, pede sinistro imposito alicui animalis icunculae*, Domnae. (Haym. T. II. p. m. 319.)

Apparet, numi hujus typum eundem esse cum typo numi praecedentis. Ibi deus Mensis manu tenere globum, hic quid lampadi simile dicitur. Similem Mensis typum olim ex numo Hierapolis Phrygiae edidi [e]), in quo Mensis quid lapidi conoidico simile praefert. Quidquid id est, incertum sane est. Belleyus esse pomum pini conjecit [f]). Illud, quod pede premit, ex laudato Hierapolitano apparet esse bovis caput, cujus ibi rationem dedi.

IVL. AVG. COL. PARLAIS. *Pallas stans*, Domnae. (Panel Mem. Trevoux Octob. 1737.)

IVL. AVG. COL. PARLAIS. *Fortuna stans*, Domnae. (Pellerin Rec. I. p. XVII.)

* * *

Ex hoc catalogo facile deinceps erit de coloniae Parlaidis numis arbitrari, et facile patet, iniquum fuisse Vaillantii judicium, numum suum coloniae Parianae adserentis. Parlais epigraphen semper a IVL. AVG. orsa est, semper se AVG*ustam* profitetur, *Parium* in certis suis nunquam. Quare suspicor etiam, in numo Antonini Pii, in quo

a) Sylloge I. p. 53. b) Num. Colon. p. m. 189. c) l. c. d) Th. Br. T. II. p. m. 319. e) Num. vet. p. 249. f) B. L. T. XVIII. Mem. p. 135.

Belleyus legerat: C. PARIA. IVL. AVG. dissimulato ejus typo [a]), quemque is pariter coloniae Parianae tribuerat, legendum quoque IVL. AVG. C. PARLAIS. Accedit, quod Parium inde ab Hadriano se constanter H. id est *Hadrianam* dixit.

AE. RRR.

Imperatorium Graece inscriptum, et absque coloniae mentione praecedentibus addit Pellerinius: (Rec. I. p. XVIII.)

ΓΑ - - - ΗΝΟC. ΙΑ. *Caput Gallieni* ☧ ΠΑⅆΛΑΙΕѠΝ. (sic). *Mensa, super qua urna.*

Si numus hic revera huc pertinet, videtur in urbis hujus regimine politico aliquid inductum mutationis, nam mentionem coloniae non omisisset, si colonia tum adhuc fuisset. Nonnunquam urbibus adempta fuisse coloniae jura, patet ex iis, quae ad numos Lampsaci Mysiae, Tyri et Sidonis, Nicopolis Iudaeae, Neapolis Samariae observamus. Gentile ΠΑΡΛΑΙΕѠΝ recto stat talo; nam ut a Πτολεμαϊς est Πτολεμαιευς, et in numis ΠΤΟΛΕΜΑΙΕΩΝ, sic a Παρλαϊς Παρλαιευς, et in numo ΠΑΡΛΑΙΕѠΝ.

AE. RRRR.

SAVATRA.

Hanc memorat Ptolemaeus, et in Isauria collocat, sed videtur esse eadem, quam Strabo *Soatra* vocat, et Lycaoniae infert.

Imperatorii.

CΑΟΤΑΤΡΕΩΝ. *Vir nudus stans d. spicas, s. arundinem, pro pedibus quiddam cancro simile.* (Frölich 4 Tent. p. 192. nunc musei Caes.) In alio: *Fortuna sedens.* (Panel. Mem. Trev. 1737 Octob.) Vterque numus est Antonini Pii.

AE. RRRR.

CILICIA.

ADANA.

Vide infra in *Antiochia ad Sarum.*

AEGAE.

Maritima in Cilicia Campestri.

Autonomi:

Caput muliebre velatum turritum. ☧ ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Caput caprae.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Palladis. ☧ *Eadem epigraphe.*

a) Hist. B. L. T. XXV. p. 96.

Capra jacens. AE. III. (Mus. Com. Vitzai.)

Fuit harum Aegarum gentile ΑΙΓΕΑΙΩΝ, etiam testibus imperatorum numis saltem usque ad Macrinum, ut dicetur. Quae epigraphe servit ad dignoscendos hujus urbis numos ab numis aliarum Aegarum. Accedunt causae aliae, caput muliebre velatum turritum, monogrammata, literae per aream sparsae, quae omnia in autonomis urbium Ciliciae frequenter observantur. Quare dubitari nequit, autonomos solo ΑΙΓΕΑΙΩΝ inscriptos typis *Palladis*, *Victoriae galeatae gradientis*, quae est certa Minerva Victoria, de qua egi in numis Athenarum, *capri sive stantis sive jacentis*, quo ad nomen urbis Αιγαι adluditur, ad has Ciliciae Aegas pertinere. Numos hos habes apud Pellerinium.

Caput muliebre turritum. ✠ ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. - - - *Caput equi, in area monogramma.* AE. III. (Mus. Caes.)

* * *

ΑΙΓΕΑΙΩΝ. *Protome Palladis cum hasta super humero, pone bina monogrammata.* ✠ *Caput virile imberbe tectum galea in volucris caput desinente, pone harpa.* AE. II. (Hunter Tab. 3. n. IX.)

Eruditus Combius catalogi Hunteriani auctor numum hunc Aepeae Messeniae tribuit a). Ejus judicii causa fuerit, quod cum litera Γ et Ε in unum coalescerent, legendum sibi videbatur ΑΙΠΕΑΙΩΝ. At difficile videatur huic judicio adsentiri. Etenim hujus Aepeae Messeniae, quae Homero dicitur Αιπεια b), sic obliterata fuit memoria, ut Strabo ipse dubius haereret, quae ejus tractus urbs poetae fuerit intellecta c). Adde, ex Αιπεια gentile Αιπειαιος formari nisi violenter non posse. Stephano est Αιπεατης. Magis ergo verisimile, legendum ΑΙΓΕΑΙΩΝ, numumqae esse illarum ex pluribus Aegarum, quae hac epigraphes lege in moneta uti sunt solitae, nimirum Aegarum Ciliciae. Suadet istud et caput Palladis, cujus in hac urbe cultum plures ejus urbis numi produnt, tum et monogrammata, quae, ut videbimus, in Ciliciae urbium numis multiplicantur. Aversa certum nobis sistit Persei caput, cujus attributa certa sunt harpa, et galea in volucris caput adsurgens, ut vidimus in numis Philippi V. Macedoniae regis. Constat vero, Perseum, qui miracula sua Palladis consiliis pleraque peregit, cum Pallade recte componi. Vnde in alio ejus numo, quem in imperatoriis dabimus, caput habemus Medusae Persei harpa resectum. Novimus etiam, Persei insignes fuisse honores apud Tarsum, et Argos Ciliciae urbes.

* * *

ΑΙΓΕΑΙΩΝ. *Caput Palladis.* ✠ *Capra jacens in area* ϡΘ. ΠΑ. ΑΘ. AE. II.

Numum hunc Haymius perperam Athenis tribuit d). Verum ex truncis literarum capitibus epigraphe ΑΙΓΕΑΙΩΝ facile elicitur. Qui dubitare volet, iconismum consulat. Atqui et peristases huius numi omnes ut ab Atheniensium moneta abhorrent, sic Aegeaeorum officinam suapte testantur.

AE. RR.

---

a) Pag. 14. b) Il. I. v. 152. c) L. VIII. p. m. 553. d) T. I. p. m. 211.

Imperatorii.

Ab Hadriano usque ad Soloninam, quos inter perrari sunt Pupieni, (Theupoli.) Aemiliani, (Vaill.) et Corn. Superae, quem infra producam. Perinsignis est etiam numus argenteus max. mod. Hadriani in gaza reginae Christinae, quem ipse vidi: ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΕΤΟΥΣ. ΘΟΡ. *Aquila expansis alis.* Vaillantius eundem citat in suis numis Graecis, sed quod argenteus sit, non addit, annum legit ΗΟΡ, deceptus nempe a forma quadrata τȣ Θ, qua elementum istud in hoc numo exaratur.

Epigraphe ΑΙΓΕΑΙΩΝ. propria harum Aegarum orthographia. Sane ab Hadriano usque ad Caracallam nulla alia valuit. Solus Vaillantius M. Aurelii numum citat inscriptum ΑΙΓΙЄΩΝ. ЄΤ. ΑΙC. quod fuit gentile Aegii Achaiae, ac propterea vereor, ut recte excepta sit scriptura. Valuit ΑΙΓЄΑΙΩΝ etiam in sequentium imperatorum numis, sed tamen inde a Macrino scriptum etiam est, ΑΙΓЄΩΝ. ΑΙΓΑΙΩΝ., quin et in numo Diadumeniani ЄΓЄΩΝ, (Haym.) et in numo Alexandri: ΑΙΓΙЄΑΙΩΝ. (Theupoli.)

Typi illustriores:

Aesculapius stans solus, aut in consortio cum Telesphoro et Hygia. — *Aesculapio adstat capella* in numo Macrini. (Vaill.) Hanc fuisse Aesculapio sacram, observavimus in numis Epidauri. — *Aesculapii baculus angue munitus*, ad Valeriani caput trajectus. (Haym. T. II. tab. 48.)

Non hi solum numi insignem Aesculapii apud Aegas cultum testantur, sed et Sozomenus [a]), et Philostratus [b]), quo perhibente se palam saepe in templo ostendebat, et cum sacerdotibus collocutus est. Quare et apud Basilium Isaurum memorantur Χρηςηρια Ασκληπιȣ ἐν Περγαμῳ, ἐν Επιδαυρῳ, ἐν Αιγαις [c]). Ejus ibi templum famigeratum eversum tandem est a Constantino M., ut narrat Eusebius in ejus vita [d]). Ob celebrem hanc Aesculapii religionem videtur perinde ac Epidaurus ΙΕΡΑΣ nomen abstulisse.

Caput Medusae intra circulum XII. signorum coelestium, in numis Valeriani. (Vaillant, Haym.)

Hic typus clypei formam praebet, et videtur cum adlusione ad urbis nomen indicare clypeum dictum *Aegida*, qui caprae pelle constabat inserto Medusae capite, ut refert Eratosthenes. Hunc explicatum jam acute vidit Haymius [e]), sed subtiliorem et ex cosmogonia petitum attulere eruditi conditores catalogi gemmarum ducis Aurelianensis [f]). Pallas hac aegide munita sistitur pugnans cum Gigante in numo Seleuciae Ciliciae a me edito [g]).

Mulier stans d. cornucopiae, s. puerulum, in numo Antonini. (Vaill.)

Videtur haec esse Amalthea, Melissei regis Cretae F. Iovem puerum gestans manu una, altera cornucopiae, quod ejus caprae fuit, quae Iovi alimenta praebuit secundum Hyginum et Eratosthenem. Est adeo rursum adlusio ad urbis nomen ἀπο της ἀιγος.

Hercules nudus sacra facit super

---

a) L. II. c. 4. b) Vit. Appollon. L. I. c. 7. seq. c) Vit. S. Theclae. L. II. d) L. III. c. 56. e) T. II. p. 378. f) Tom. I. p. 302. g) Num. vet. p. 231.

ara s. clavam, in area petrae Ambrosiae, Macrini. (Vaill.)

Typus plane est Tyrius, et in Tyri numis obvius. Dictae etiam petrae nullo pacto Aegas, sed ad solam Tyrum pertinent, ut in hujus urbis moneta dicetur. Videtur ergo typus hic indicare quandam sacrorum communionem Tyrum inter et Aegas, de quo more vide quae dicentur in tractatu de concordiae numis.

* * *

Magistratus raro in Aegarum numis reperitur. Sitne numus Tiberii, in quo: ΕΠΙ. ΚΟΤΛΛΕΩΝΟΣ. ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΔΗΜΟΤ. harum Aegarum, incertum. De eo pluribus agam in numis gentis Terentiae.

In numis Macrini et Diadumeniani obvium: Μ. ЄΤΓ. Π. Θ. ΜΑΚΡЄΙΝΟΤΠ. ΑΙΓЄΑΙΩΝ. Epigraphen explet Vaillantius: *Marco Eugene panegyrista deorum* [a]). Harduinus: *Prytane nonum* [b]). Vtriusque sententiam evertit numus Diadumeniani apud Haymium [c]): ΜΑΚΡЄΙΝΟΤΠΟ. ЄΓЄΩΝ. ΜΑ. ЄΤΓ. ΠΙΟϹ. ΓΞϹ. Est ergo: *Marcus Eugenes Pius*, et solitarium Π in omnibus similibus *Pium* indicat. Additum Θ dubium non videtur notare hujus Eugenis dignitatem, ac tum verisimile est, esse literam ἀρχαιϰσαν *Theologi*, Θεολογϰ, nam haec dignitas, ut vidimus, memoratur etiam in numis Pergami, quae quoque urbs non minus, atque hae Aegae, in Aesculapii cultu insanivit. Videtur hic idem Eugenes sub Alexandro Severo ad magistratum rursum promotus; nam in numo Mamaeae iterum, sed compendio legitur: Μ. Є. Π. Θ. ΑΙΓЄΑΙΩΝ. ΟϹ. (Vaill.)

Neocorus: ΜΑΡ. ЄΤΓЄΝЄΟΤϹ. ΝЄΩΚΟΡΟΤ., ut Alexandri numum describit Vaillantius [d]). De personis neocoris vide diatriben de Neocoratu.

Neocoratus inde a Gordiano ad Saloninam usque sedulo proditur scripto ΝЄΩΚ. ΝЄΩΚΟ. ΝЄΩΚΟΡΟΤ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. Vide apud Vaillantium numos Gordiani et Aemiliani. Fallitur ergo Pellerinius adfirmans, in Valeriani primum numis hunc titulum comparere [e]).

* * *

ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΤ. inscriptum vidimus numo autonomo. Rationem τϰ ΙΕΡΑΣ paullo supra expedivimus.

* * *

Navarchis. Hunc titulum inde a Gordiano fere constanter addidit: ΝΑΤΑΡ. ΝΑΤΑΡΧΙ. ΝΑΤΑΡΧΙΔΟϹ. saepe typo navis cum remis. Huic Aegae honori jam pridem opportunae sunt habitae; nam sic de iis Lucanus [f]): *extremae resonant navalibus Aegae*.

* * *

Imperatorum nominibus adscititiis haec urbs impense gloriabatur, ac quidem.

ΑΔΡΙΑΝΩΝ. in numis Antonini, Severi, et Gordiani. (Vaill.)

ΚΟΜΟΔΙΑΝΩΝ. ΑΔΡΙΑΝΩΝ. Commodi et Severi. (Vaill. Theup.)

ΑΔΡ. ϹЄΤΗΡΙΑΝΩΝ. ΑΝΤΩΝЄΙΝΙΑΝ. Caracalla. (Vaill.)

ΜΑΚΡЄΙΝΟΤΠ. Macrini et Diadumeniani. (Vaill.)

ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΤΠΟΛΙϹ. ΑΔΡΙΑ-

a) Num. Graec. p. 120. et 317. b) Num. urb. p. 10. c) T. II. p. m. 343. d) Num. Graec. p. 134. e) Mel. II. p. 282. f) L. III. v. 227.

ΝΩΝ. addito nonnunquam ϹΕΤ. Alexandri. (Vaill.) Existimat Harduinus, Aegas dictas Ἀλεξανδρϐπολιν ab Alexandro M. nixus testimonio chronici Alexandrini ad annum II. Olympiadis CXIII. Ἀλεξανδρεια ἐν Αιγαιοις, ἡ και Σκυθια, in qua sententia fuit etiam Vaillantius [a]), sed secum rursum dissidet [b]). Verum si istud, cur non etiam in aliorum impp. numis se dixit Alexandropolin, et tantum in numis Alexandri Severi? Satis certi esse possumus ex hoc catalogo, Aegas sic dictas ab Alexandro Alexandropolin, ut a Macrino Macrinopolin, quae appellationes sublata adulationis causa sunt abolitae.

ΑΔ. ΑΙΓΑΙΩΝ. in numis adhuc Valeriani. (Vaill.)

* * *

Epochae annos solerter inscripsit praefixo ΕΤ. vel ΕΤΟΥϹ, vel etiam sine his.

Hadriani: ΘΟΡ. quod Vaillantius legit ΗΟΡ. ob causam, quam supra dedi.

Antonini: ΗΠΡ. (Vaill.)

M. Aurelii Caesaris: ΔqΡ. (Mus. Caes.)

M. Aurelii Augusti: ΑΙϹ. (Vaill.)

Commodi: ΖΚϹ. ΔΛϹ. (Vaill. Albani.)

Severi: ΕΜϹ. (Vaill.)

Domnae: ϹΜ. (Haverc. ad Orosium p. 505.) ϹΝ. (Vaill.)

Caracallae: ΑΞϹ. (Vaill.)

Macrini et Diadumeniani: ΓΞϹ. ΔΞϹ. (Mus. Caes. Vaill. Haym.)

Alexandri et Mamaeae: ΟϹ. ΗΟϹ. (Vaill.)

Pupieni: ϹΠΔ. (Theup.)

Gordiani: ΗΠϹ. (Vaill.)

Philippi sen. ΒqϹ. (Pellerin. Mel. II. p. 310.)

Aemiliani: ΘqϹ. (Vaill.)

Corneliae Superae: ΘqϹ. de quo numo mox.

Valeriani: Τ. ΤΑ. ΤΓ. ΤΕ. ΖΤ.

Gallieni, Saloninae: Τ. ΕΤ. (Vaill. Pellerin.)

Epochae initium ad autumnum anni V. C. 707. esse figendum, numi Macrini et Diadumeniani cum anno ΓΞϹ. et Pupieni cum anno ϹΠΔ. evincunt. Vaillantius existimat, ejus initium ducendum a fine Maji V. C. 707. Verum cum constet, Asiae urbes passim annum suum inchoasse ab autumno, et anni ΓΞϹ. ΔΞϹ. in numis Macrini, quibus ad sententiam suam stabiliendam utitur Vaillantius, cum annis ejus imperatoris rite possint componi, ratio nulla apparet, ob quam Aegarum anno ver principium statuendum sit. Esto, urbis annum incipere ab autumno, annus ΓΞϹ. incipiet ab autumno V. C. 969. et desinet in autumno 970., et tum incipiet annus ΔΞϹ, et exibit in autumno 971. Iam vero constat, Macrinum acclamatum imperatorem mense Aprili anno 970., et occisum mense Iunio 971. Ex quo satis apparet, Vaillantium ab anonymo Neapolitano adversus alterius sententiae patronos parum concinne defendi [c]), cujus error eo profluxit, quod cum calculum subduceret, numerum unitate non multavit, scripsitque adeo [d]): *Nell' anno di Roma* 971. *entrava l'anno di Ege* 264., quo admisso verum est, numum Macrini ΔΞϹ. pluribus mensibus ejus imperatoris morte fore posteriorem. Sed enim pro *entrava* scribendum fuit *finiva*.

Inducendae ejus epochae causa fuit

a) Num. Graec. p. 134. et 240. b) pag. 352. c) Lettera sopra una medaglia di Corn. Supera. d) pag. XII.

Iulius Caesar, quem constat anno V. C. 707. in Cilicia versatum, cum ex Aegypto per Syriam adversus Pharnacem contenderet, et ut diserte refert Hirtius [a]), Ciliciae et finitimarum civitatum res constituisse. Etsi vero demus Vaillantio, Caesarem mense Majo adfuisse in Cilicia, ex eo tamen non sequitur, Aegeaeos ab eodem mense, et non ab autumno more ejus tractus aeram duxisse, nam et Anazarbeni Ciliciae non ab anno V. C. 734., quo ad eos invisit Augustus, sed ab anno sequente annos suos numeraverunt.

Corneliae Superae eximium numum protulit eruditus anonymus Neapolitanus in epistola supra laudata: Γ. ΚΟΡ- - - COΥΠЄΡ - - *Caput Superae.* ✗ ΑΙΓЄΑΙѠΝ. ΝЄѠΚ. ΝΑΥΑΡ. ΘqC. *Templum distylum, intra quod aquila, infra capra decumbens.* AE. I. Causa adstitutae epochae multum valet hic numus, ut sciamus denique, fuisse Superam Aemiliani uxorem, de quo magnum hactenus fuit inter antiquarios litigium. Vide, quae in hac causa plura docebimus in numis Corn. Superae.

AR. RRRR. AE. R.

ALAE.

Stephanus: Αλαι της Κιλικιας πολις, απο δε τουτου Αληιον πεδιον, *Alae Ciliciae urbs, unde Aleius campus.* Plinius urbem non nominat, sed tantum *campos Aleios.* Huc certe pertinet.

Imperatorius Hadriani, quem Harduinus ex Spanhemio citat, si modo epigraphe rite lecta: ΑΛΑΙΩΝ. ΚΙΛΙΚΩΝ. *Bellerophon Pegaso vectus cum Chimaera.* Revera hunc heroem et Pegasum fracta ungula aegrum per campum, unde hic dictus *Aleius*, oberrasse, refert Stephanus in Ταρσος, ut jam advertit Harduinus. Idem alium Gordiani citat inscriptum ΑΛΗΙΝΩΝ, quem huc quoque vocat, verum censeo legendum ΑΛΙΗΝΩΝ, et esse adeo Aliae Phrygiae.

AE. RRRR.

ALEXANDRIA.

Ad sinum Issicum et urbem cognominem, aedificata ab Alexandro M., quia hoc loco Darium ingenti praelio fudit. Ad aliarum urbium cognominum discrimen a Ptolemaeo aliisque dicta κατ' Ισσον, quod praestant et numi; in Tabula est *Alexandria catisson.*

Autonomi:

Caput muliebre turritum. ✗ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. ΖΡ. *Fortuna stans.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Herculis imberbe. ✗ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. *Figura togata stans d. extenta.* AE. II. (Hunter.)

Epochae annus in numo priore, et fabrica huic eum Alexandriae jure tribuunt, quin et similis typus est in numo Caracallae apud Vaillantium. Minus certum judicium de numo sequente, quem sibi forte etiam vindicare poterit Alexandria Troas.

AE. RRRR.

Regius.

Caput regis diadematum. ✗ ΑΛΕ-

a) Bell. Alex. c. 66.

ΞΑΝΔΡΕΩΝ. ΕΤ. ΙΡ. *Bacchus stans.* AE. II. (Mus. Caes.)

De hoc numo distinctius agetur in numis Antiochi IV. Commagenes regis, ad quem eum pertinere ibi comprobabitur.

AE. RRRR.

Imperatorii.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. ΚΑΤ. ΙCCΟΝ. ЄΤΟΥC. ΑΠΡ. *Genius stans*, Trajani. (Vaill. Harduin. Chron. vet. test. p. 613.)

ΑΥΤΟΚΡΑ. ΑΔΡΙΑ. CЄΒΑ. ЄΤΟΥ. CΒ. *Caput Hadriani.* ꭗ ΑΛΕΞΑΝΔΡ - - - ΙCCΟΝ. *Cybele leone vecta.* (Pellerin.)

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. ΚΑΤ. ΙCCΟ. ЄΤ. ΒΠC. *Fortuna stans*, Caracallae. (Vaill.)

* * *

Epocham variis his numis inscriptam Vaillantius ducit ab autumno V. C. 687., cum nempe Pompejus victis praedonibus Ciliciae res constituit. Eam Harduinus uno anno priorem facit a).

AE. RRR.

AMANIENSES.

Hoc nomine Cicero compellat Amani montis accolas.

Autonomus.

Caput Iovis. ꭗ ΑΜΑΝΙΤ. ΔΙΟ. Λ. Α. *Mercurius stans.* AE. III.

Singularem hunc numum ex museo le Bret edidit Panelius. (Mem. Trev. 1737.)

AE. RRRR.

ANAZARBVS *quae et* CAESAREA.

Mediterranea in Cilicia campestri ad Pyramum fl. et Anazarbum montem, urbs illustris et Tarsi aemula. Historiam numismaticam Anazarbi prolixe ac eleganter descripsit insignis Belleyus b), ex quo, quae huc pertinent, tuto excerpsero additis propriis observationibus.

Vetus urbis nomen fuit *Anazarbus* sic dicta a monte, cui adstituta fuit, docente istud Stephano. Deinceps *Caesareae* nomen adoptavit beneficiis haud dubie ab Augusto adfecta circa annum V. C. 734., unde et epocham induxit, ut dicetur. Plinius: *Anazarbeni, qui nunc Caesarea.* Malala eam dictam *Diocaesaream* adserit c), sed fabulas ibi occinit, quas numi ipsi evertunt. *Caesarea* simpliciter, nulla addita Anazarbi mentione, dicitur in numo Neronis, quem infra producam, verum ut ab aliis Caesareis discerneretur, dicta fuit Ptolemaeo Καισαρεια προς Αναζαρβῳ, et in numis Antonini, et M. Aurelii: ΚΑΙCΑΡΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟC. ΤΩ. ΑΝΑΖΑΡΒ. (Belley l. c. p. 707. Mus. Caes.) vel: ΚΑΙCΑΡ. ΤΠ. ΑΝΑΖΑΡ. ut in autonomo. Istud Caesareae nomen in numis omnibus usque ad Aurelium signatis praefert, supprimitur inde a Commodo restituta vetere et unica Anazarbi appellatione, quod docent numi omnes inde ab hoc ad finem usque signati, constanter adeo inscripto ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ. De epigraphe ΑΝΑΖΑΡΒΩ, vel ΤΩ. ΑΝΑΖΑΡΒΩ. ut in Veri et Commodi numis legit Vail-

a) l. c. b) B. L. T. XXXII. p. 707. c) Chronogr. L. X. sub fin.

lantius, jure dubitare liceat. Forte praeponendum ΚΑΙC. ΠΡΟC. ΤΩ.

Autonomi.

Caput barbatum laureatum. ☓ ΑΝΑΖΑΡΒΕΩΝ. *Mulier stans cum cornucopiae.* AE. II. (Hunter.)

ЄΠ. ΒΑΡ. *Caput muliebre velatum, juxta fax ardens.* ☓ ΚΑΙCΑΡ. ΥΠ. ΑΝΑΖΑΡ. *Caput muliebre velatum, prae quo spicae et papaver.* AE. III. (Hunter tab. 14. n. IV.)

In posteriore hoc numo mentio situs peragitur praefixo ΥΠΟ, cum in aliis, ut vidimus, scribatur ΠΡΟΣ. Sed et Caesarea alia suum ad montem Panium situm indicavit scripto vel ΥΠ. ΠΑΝЄΙΩ vel ΠΡΟC. ΠΑΝЄΙΩ. Epigraphen anticae explicare non tento. Si vere scribitur ЄΠ., sequens vocabulum indicabit magistratum. At hactenus in Anazarbi moneta magistratus non comparuit. Quid si esset annus epochae, et vera lectio ЄΤ. ΒΑΡ. Ex lege epochae Anazarbenae signatus tum esset numus V. C. 866. imperante Trajano, et sic capite Cereris in antica exhiberetur caput vel Plotinae, vel Marcianae, et capite Proserpinae in aversa caput Matidiae. Sed de hoc certius nos aliquando instruet Combius.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Apud Vaillantium incipiunt a L. Vero, Belleyus ex museo Pellerinii numos Antonini et Aurelii protulit. Hos omnes aetate praecedit numus Neronis, de quo copiosius agam infra, ubi de Anazarbi epocha disputabimus. Porriguntur apud Vaillantium usque ad Valerianum, sed Gallieni unum addidit Haymius.

Pars antica in numo M. Aurelii et L. Veri moris est insolentioris: CЄΒΑC. ΑΝΤΩΝЄΙΝΟΥ. ΚΑΙ. ΟΥΗΡ. ΟΜΟΝΟ. *Vterque imperator stans jungit dexteras, singuli s. volumen tenent.* (Belley l. c. Mus. Caes.)

ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ. *Mulier sedens calculum in adstantem urnam immittit,* Caracallae. (Spanh. Orb. Rom. p. 290.)

De raro hoc in numis vocabulo agemus infra in numis Tarsi.

Reliqui typi nihil memorabile offerunt: *Diana in taurorum bigis*, in numo Paulae. (Pellerin Rec. III. p. 242.) *Capricornus super globo*, Gallieni, (Haym.) retento adhuc in Augustum adfectu.

* * *

Metropolis. Hic titulus primum comparet in numo Caracallae: ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. ЄΤ. ΒΑC. (Spanh. l. c.) Ergo hoc honere non fuit decorata ab Elagabalo, ut censuit Vaillantius. Hoc titulo constanter deinceps gloriabatur, etsi is praeter honorem illi nihil addidit; nam quod ad juris contentionem attinebat, id omne ad Tarsum veram Ciliciae metropolin pertinuit, ut existimat Belleyus [a]).

* * *

ЄΝΔΟΞΟΥ. *illustris*, qui titulus comparet primum in numo Corn. Paulae, (Pellerin Rec. III. p. 242.) deinde Maximi Caes. ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ. ΜΗΤ. ΚΑΙ ЄΝΔΟΞΟΥ. in aliis: ЄΝΔ. ЄΝ-

a) L. c. p. 717.

ΔΟΞ. Observat erudite Belleyus a), hanc appellationem urbi adhuc inhaesisse sub Diocletiano, nam in actis Martyrum scribitur: *ἐν Αναζαρβῳ τῃ* ΕΝΔΟΞΩΙ *μητροπολει.*

* * *

ΑΥΤΟΝΟΜΟC in binis numis Commodi. (Vaill.)

* * *

Certamina:

ΙЄΡΟC. *intra lauream*, Commodi. (Vaill.)

CЄΒΑCΜΙΑ *intra quernam*, Maximi. (Vaill.)

ЄΤ. ΙЄΡ. ΟΛΥΜΠ. *Vrnae ludorum*, Decii, de qua formula vide mox sub epocha.

* * *

Mentio situs:

A monte Anazarbo, in numis supra descriptis.

A Pyramo fl. ΠΥΡΑΜΟC. *Fluvius decumbens*, L. Veri. (Vaill.)

* * *

Literae solitariae: A. M. K. item Γ. B. vel Γ. Γ. primum comparent in numis Paulae, aut forte Caracallae, de quarum probabili significatione agetur in Tarso.

* * *

Epochae annus fere constanter additur praefixo ЄΤ. ЄΤΟΥC. En annorum, quotquot reperi, catalogum.

ΗΠ. verius ΗΜ. ut infra dicetur, Neronis.

ΘΟΡ. Antonini, (Belley l. c.)

ΒΠΡ. Aurelii, (Belley l. c.) Veri. (Vaill.)

BC. Commodi. (Vaill.)

ΒΛЄ. Caracallae. (Spanh. Orb. Rom. p. 290.)

ΗΛC. Paulae. (Pellerin Rec. III. p. 242.)

ΗΜC. CΜΘ. Alexandri. (Theup. Vaill.)

ΔΝC. Maximini. (Vaill. Pellerin. Suppl. II. p. VII.)

ΞC. Gordiani. (Panel. de numo Trebon.)

ΑΞЄ. Tranquillinae. (Pellerin. Rec. III. p. 242.)

ΒΞC. Gordiani. (Mus. Caes.)

ΗΞC. Herennii. (Vaill.)

ΘΞC. Decii. (Mus. Caes.) de quo agemus infrà.

ΟC. Volusiani. (Haym.)

ΒΟC. Valeriani et Gallieni. (Vaill.) Haym.)

ΔΟЄ. Gallieni. (Tanini.)

Hujus initium epochae ab antiquariis omnibus summa concordia fixum est ad autumnum V. C. 734. Nam quo minus in anteriorem posset dimoveri, vetant numi Maximini, Herennii, et Volusiani. Omnes tamen hi variis in numis citati anni, dempto primo Neronis, de quo mox, non obstant, quominus initium in annum sequentem 735 differri nequeat. At placuit antiquariis annus praecedens, quoniam illo Augustus ipse in Syriam profecturus in Cilicia aderat, resque ejus regionis composuerat, ut narrat Dio. Ex quo cum verisimile sit aliquid emolumenti accessisse Anazarbenis, hi ab eo anno epocham sunt auspicati.

---

a) l. c.

Haec epocha communibus antiquariorum suffragiis sua hactenus sede tuta turbari coepit a Mazzoleno [a]), qui ex Haymio citatum supra Volusiani numum cum anno OC. produxit, qui additus ad annum 734. exhibet annum V. C. 1004. in cujus autumno exiret annus Anazarbensium OC, seu 270. Verum secundum adcuratiores chronologos saltem in Novembri hujus anni superstes adhuc fuit Decius. Ergo epocha Anazarbi tutius ab anno 735. auspicanda. Addo numum Herennii cum anno HΞC., qui idem probet. Nam si initium aerae statuatur annus V. C. 734. annus numi exibit in autumno 4002. At constat, inchoato ejus anni autumno superstitem adhuc fuisse Philippum.

Tutius ergo ex mente Mazzoleni removetur epocha in annum sequentem 735., quem sequuntur etiam Belleyus et Pellerinius. Belleyus hujus epochae causam ab eadem, quam antea dixi, Augusti in Cilicia commoratione, et impertitis tum beneficiis repetit, quod etsi factum V. C. 734., tamen existimat, qualiacunque ea privilegia anno demum sequente a senatu comprobata, atque ab eo anno deductam aeram. Ex analogiae lege arguit etiam, urbes vicinas Antiochiam ad Sarum, et Sebasten ab eodem anno 735. epocham inchoasse [b]).

Memorandi hoc loco numi sequentes:

ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ. ЄΝΔΟΞΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟ. Γ. Γ. ЄΤ. ΙЄΡΟΥ. ΟΛΥΜΠ. ΘΖC. *Quinque urnae ludorum prominentibus palmis*, in numo Decii. AE. I. (Mus. Caes.)

- - - ΜΗΤΡΟΠ. ЄΤ. ΙЄΡ. ΟΛΥΜ. ΘΖC. *Bacchus s. thyrsum jacenti humi pantherae insidet*, in numo Etruscillae. AE. I. (Mus. Caes.)

Vtrumque numum causa epochae, et inscriptionis singularis edidi in mea Sylloge I. p. 44. Priorem jam vulgavit Frölichius [c]), sed bis tum peccavit, ac primum quidem legendo ΖΞC. 267. pro ΘΖC. 269. Statuto enim, coepisse aeram Anazarbi V. C. 734., annus 267. exibit in autumno V. C. 1001. At tum Philippi imperium adhuc obtinuere. Quare necessarium jam visum fuit Frölichio, ad conciliandam temporum rationem aerae initium in annum 735. retrahere, quod deinde, ut vidimus, placuit Mazzoleno quoque et Belleyo. Sed neque sic sublata omnis difficultas. Nam admisso etiam posteriore hoc principio annus 267. exivit in autumno V. C. 1002., at constat, superfuisse adhuc Philippos post inchoatum hujus anni autumnum. Ad conciliandum ergo cum Decii temporibus praetensum hunc Frölichii annum necesse fuit Mazzoleno et Belleyo varia comminisci effugia, sed irrito sane labore. In eo enim numo non, quod Frölichius scripsit, legitur ΖΞC, sed ΘΖC, quod jam pridem in Catalogo musei Caesarei adversus Frölichium monui. Confirmavit judicium meum numus musei Theupoliani, qui idem prorsus est cum Frölichiano, et qui diserte annum ΘΖC. enunciat. Quare tantum abest, ut hic Decii numus epochae Anazarbenae ab anno 735. ductae adversetur, ut ei etiam facile se accommodet.

---

a) Animad. in num. Pisan. p. 164. b) l. c. p. 723. c) IV. Tent. p. 342.

Alter Frölichii error ad anni inscripti epitheta pertinet. Legerat is: ЄТ ΙЄΡΟΥ. ΝЄΟΥ. ΠΡΩτȣ ΖΞC. *anno sacro novo* 267., qua is deceptus falsa lectione varia putat posse stabiliri, quae eruditi de ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Flaviorum numis argenteis inscripto docuerunt. At enim exploratis adcurate literis, et contento numo altero Etruscillae, quem proposui, legendum vidi ЄΤ. ΙЄΡΟΥ. ΟΛΥΜ. ΘΖC. *anno sacro Olympio* 269. Eandem vero etiam epigraphen offert laudatus numus Theupolianus, etsi partim false, partim timide ab anxio ejus praecone promulgatam; nam legit ЄΤ. CЄΡΟΥ. pro ЄΤ. ΙЄΡΟΥ. Quod sequitur tanquam evanidum, punctis notat, ex quo conficit literas ΟΛΥΠΠ. nempe indubitatum ΟΛΥΜΠ. Indicat ergo epigraphe annum per ludos Olympios, qui Anarzarbi agebantur, sacrum. Iam vero cum ludi Olympii etiam in aliis urbibus exemplo Olympiorum Elidis ineunte quovis quinto anno fuerint celebrati, per totum Decii imperium, quod non multum ultra biennium porrigebatur, nonnisi unus annus esse potuit, in quo hi ludi agerentur. Atqui numus Theupolianus, alterque Etruscillae eos actos memorant anno Anazarbi ΘΖC, ergo et eundem exhibere debet numus Frölichianus.

Cum ex laudatis hactenus numis satis certum sit, Anazarbi epocham initium ducere ab anno V. C. 735, tamen huic sententiae palam obloquitur numus Neronis, quem olim ex museo M. D. edidi, (Num. vet. p. 226.)

ΝЄΡΩΝ. ΚΑΙCΑΡ. *Caput laur.*
Ꭓ ΚΑΙCΑΡЄΩΝ. ЄΤΟΥC. ΗΠ. *Mulier sedens d. calculum in adstitutum vas mittit.* AE. III.

Esto ex veterum antiquariorum sententia annus V. C. 734. aerae principium, subducto calculo annus Anazarbensium 88. incipiet in autumno V. C. 821. At Nero jam mense Iunio ejusdem anni violentas sibi manus intulit. Multo minus, ut patet, anno sequenti 735. ejus initium poterit accommodari. Nihil aliud tum, cum numum ederem, reperi, quo difficultatem levarem, quam statuendo, duplicem aeram fuisse Anazarbenis usitatam, cujus exempla praebent Sinope, Antiochia etc. aliamque valuisse Neronis aetate, aliam deinceps. Quod si admittamus, viguisse tum apud eos aeram Actiacam ductam ab anno V. C. 723., numus hic Neronis cusus est ab autumno anni 810. Ita equidem ratiocinabar olim, sed aliud visum, cum serius numum Augustae Ciliciae a Pellerinio editum expenderem. Est is Neronis quoque, et inscriptus in aversa: ΑΥΓΟΥCΤΑΝΩΝ ЄΤΟΥC. ΗΜ. Cum quo cum numum Anazarbi, de quo nunc sermo est, contenderem, vidi utrumque non modo capite Neronis, sed etiam aversae epigraphe egregie convenire. Cum igitur suspicarer, an non in altero hoc pro ΗΠ. legi quoque debeat ΗΜ., coepi in ectypon numi, quod ipse ex prototypo Mediceo expresseram, et adhuc possideo, adcuratius inquirere, ac tum adverti, superiorem literae lineam revera aliquantum inclinari, sic ut, quod Π esse mihi videbatur, certius Μ haberi possit. Ad haec cum constet, et Anazarbum, et Augustam perquam esse vicinas, nam sic Plinius: *Anazarbeni, qui nunc Caesarea, Augusta, Castabala*, probabile sane videtur, Anazarbenos et Augustanos Neronis aetate commu-

nem habuisse epocham, cumque Augustae aera, ut infra dicetur, adcurate fixa sit ad autumnum anni V. C. 773., prior etiam Anazarbi aera ad eundem annum videtur figenda. Quare etiam secundum hanc doctrinam duplex Anazarbi aera necessario statuenda est, prior ab anno V. C. 773. ex hoc Neronis numo, altera ab anno V. C. 735. ex numis laudatis demonstrata.

AE. R.

ANCHIALE.

Autonomum huic urbi tributum a Frölichio non huc pertinere, sed Antiochiam Cariae, legendumque esse ANTIOXEΩN, non ANXIAΛEΩN, alias monui [a].

Imperatorios a variis propter inscriptionem ANXIAΛEΩN huc vocatos tribuendos verius Anchialo Thraciae, in hac dictum.

Nullam ergo certam habemus hujus urbis monetam.

ANEMVRIVM.

In Cilicia aspera cum promontorio cognomine.

Autonomi.

Caput muliebre velatum turritum. ✠ ANEMΩTPIEΩN. *Iuvenis nudus stans d. arcum protendit, s. columnae innixus.* AE. II. (Pellerin.)

AE. RRRR.

Imperatorii.

A Domitia usque ad Valerianum.

Epigraphe: ANEMOTPIEΩN. ANEMOPIEΩN.

Typi: *Diana Alphaea fasciis involuta veloque circumdata cum tutulo d. aliquid ignotum, s. securim,* Alex. Sev. His verbis numum describit Vaillantius. Similis ejusdem Alexandri exstat in Theupoli. — *Perseus stans cultu solito*, Maximini, AE. m. m. (Catal. d'Ennery.)

Magistratus praetor, saltem auctoritate Vaillantii: CTP. ANT. ANEMOTPIEΩN. Harduinus numum dissimulat, neque alter aliquis hujus urbis cum magistratu citatur.

Anni imperii: ET. Δ. Alexandri. (Theup.) ET. IΓ. ejusdem. (Vaill.) ET. A. Maximini, (Catal. d'Ennery.) ET. A. Decii, (Tanini) ET. B. Γ. Valeriani, (Vaill. Mus. Caes.) ET. F. ejusdem, in numo, quem vidi Vindobonae.

AE. RR.

ANTIOCHIA *ad Sarum, quae et* ADANA.

Geographi veteres et numi binas urbes ad Sarum fl. memorant, Adanam et Antiochiam; pro Adana vide testimonia apud Cellarium, pro Antiochia numos sequentes tres:

Caput Antiochi IV. Syriae regis. ✠ ANTIOXEΩN. TΩN. ΠΡΟΣ. TΩI. ΣAPΩI. *Iuppiter sedens.*

Hic numus ignotus fuerit Frölichio, nam in Annalibus suis ejus non meminit, neque eum Vaillantius in suis Syriae

a) Num. vet. p. 55.

regibus produxit, sed obiter ejus ex museo suo meminit in suis numis Impp. Graecis a). Ex quo apparet, eum serius cimelium istud adeptum fuisse.

Caput muliebre velatum. ✠ ANTIO-ΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΣΑΡΩΙ. *Equus liber gradiens.* AE. II. (Pellerin Rec. II. p. 161.)

Caput M. Aurelii. ✠ ANTIOX. IEP. KAI. ACYΛ. Π. CAPON. POB. *Iuppiter stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus ara.* (*Vaill.*)

Soli sunt hi tres numi, qui de Antiochia Saro adstituta nos edocent. Scriptores veteres tacent. Vnus Stephanus Antiochiam in Cilicia prodit, sed his verbis: *ἑκτη Κιλικιας, ἐπι τȣ Πυραμȣ, sexta Ciliciae ad Pyramum.*

Eruditus Belleyus in prolixa dissertatione probare contendit, Antiochiam ad Sarum eandem esse cum Adana, sic ut posterius hoc nomen fuerit ejus pervetustum, alterum Antiochiae inditum ab Antiocho IV., sed hoc serius abolitum resumpto vetere Adanae, perinde ac Anazarbus abolito adscititio nomine *Caesareae* ad vetus suum rediit b). Sic Tarsum quoque ab eodem Antiocho dictam fuisse Antiochiam diserte tradit Stephanus c), et verisimile etiam est, ab eodem Antiocho Epiphane nomen traxisse Epiphaneam Ciliciae, quam antea dictam Oeniandum tradit Plinius. Argumenta Belleyi sunt I. Typus Iovis sedentis, qui item occurrit in numis Adanae nomine sub Caracalla et Valeriano signatis. II. Haec Antiochia Antonini aetate urbs non parum illustris fuit, quod indicant tituli *ἱερας και ἀσυλȣ* in laudato supra Aurelii Caes. numo, et tamen ab adcuratissimo Ptolemaeo in recensione urbium Ciliciae reticetur, sed tantum nomine *Antiochiae*, nam reipsa eam, sed vetere et populari *Adanae* nomine commemorat. III. Inde a M. Aurelio nullus amplius comparet numus cum epigraphe *Antiochiae ad Sarum*, Adanae nomine complures. Ante Aurelium nullus nomine *Adanae*, cujus una causa est dicta nominis permutatio. Quare conjicit etiam, Stephanum per errorem scripsisse: *Ἐπι τȣ Πυραμȣ* pro *Ἐπι τȣ Σαρȣ*, erraveritque in fluvii mentione, ut Zonaras et Cedrenus, qui in describendo Mopsi situ Sarum pro Pyramo posuerunt. Haec pleraque Belleyus, quae veri speciem habent quidem, sed adsensum nondum extorquent.

* * *

Typi, ut vidimus, sunt obvii. Ad equum gradientem observandum, laudatos jam Herodoto fuisse Cilices equos, qui refert, a Dario Hystaspis imperatum Cilicibus tributum annuum equos albos trecentos sexaginta d). Equum offert etiam numus Seleuciae ad Calycadnum.

* * *

Epocha POB. in citato Aurelii numo, quam Vaillantius ducit ab anno V. C. 734. Sed Belleyus e), et Pellerinius f) exemplo vicinae Anazarbi eam deducunt ab anno 735. Signatus ergo est numus ab autumno V. C. 906. Oportet adeo epigraphen Aurelium prodere Caesarem, quod more suo negligit Vaillan-

a) Pag. 255. b) B. L. T. XXXV. p. 610. c) in Ταρσος. d) L. III. §. 90. e) l. c. f) Mel. II. p. 313.

tius, nam eo anno nondum Augustus fuit.

AE. RRR.

* * *

Adanae nomine plures exstant numi.

Autonomi:

Protome Palladis. ☓ ΑΔΑΝΕΩΝ. ΛΥCΑΝΙΟΥ. ΜΑ. *Victoria gradiens.* AE. II. (Pembrock.)

Caput Iovis. ☓ ΑΔΡΙΑΝЄΩΝ. ΑΔΑ-ΝЄΩΝ. *Protome Palladis.* AE. III. (In meis Num. vet. p. 225.)

AE. RRRR.

Imperatorii.

Reperti a Domna usque ad Gallienum.

Epigraphe ΑΔΑΝЄΩΝ.

Typi: Iuppiter sedens d. pateram, s. hastam, Decii, (Mus. Caes.) Valeriani. (Vaill. Theup.) — *Caput muliebre turritum inter signa zodiaci*, Gordiani. (Theup.)

* * *

Nomina ab Impp.

ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΑΔΑΝЄΩΝ. in autonomo, tum Diadumeniani, Philippi, Treboniani, Gordiani, Decii, Valeriani. (Vaill. Mus. Caes. Theup.)

ΑΔΡ. CЄΥ. ΑΝΤΩΝЄΙΝΟΥΠΟ. ΑΔΑΝЄΩΝ. Domnae. (Num. vet. l. c.)

ΜΑΞΙΜЄΙΝΙΑΝΩΝ. ΑΔΑΝЄΩΝ. Maximini. (Theup.)

* * *

Ludi.

ΙЄΡ. ΟΙΚ. id est ἱερος οικημενικος, in numo Domnae, (Num. vet. l. c.)

* * *

Literae solitariae: Z in numo Philippi. (Panel de num. Trebon.)

* * *

Historiam hujus Adanae late descripsit Belleyus in dissertatione laudata, ubi et varias inscriptiones huc pertinentes adfert. Notandum, in nullo numo Adanae nomine inscripto notari epocham, quae tamen occurrit in numo Antiochiae nomine signato. An urbs, quae nomen mutarit, mutaverat etiam mores? Certe Anazarbus, seu Caesaream se, seu Anazarbum inscripsit, epocham utrobique signavit.

AE. RR.

ANTIOCHIA INCERTA.

Autonomus:

Caput muliebre turritum, pone monogramma. ☓ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟ - - - ΑΚΩΙ. *Iuppiter sedens d. hastam, in area hinc* F, *inde* H. AE. II. (Mus. Caes.)

Numum hunc in mea Sylloge I. pictum stiti a). Typus, fabrica, inscriptionis modus numum hunc esse Cilicium profitentur. Adsitam se haec urbs cuipiam seu fluvio, seu monti profitetur in ΑΚΩΙ desinentem, sed quam terminationem in Ciliciae geographia nondum reperi. Expectandus igitur numus, qui mancum id vocabulum plene efferat. His in dubiis fueram, cum in opere cl. Sestini nuper edito in veram, ut ipse profitetur, hujus numi explicationem incidi. Ait, mancam numi epi-

a) Pag. 46.

graphen sic explendam: ANTIOXEΩN. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΚΡΑΚΩΙ. vel: ΤΡΑΚΩΙ. Istud statuendi causa illi Baudrandus geographus, cujus ipse recitat verba: *Antiochia super Tragum, urbs Ciliciae asperae, in ora maris Cilicii, Ptolemaeo Antiochetta, -- sic dicta fuit alias, quia sedet juxta Tragum fluvium, et prope Cragum oppidum.* Vt ergo, pergit Sestinus, Cragum oppidum, vel Tragus fluvius concilietur cum scriptura numi ΚΡΑΚΩΙ, vel ΤΡΑΚΩΙ, sciendum, saepe a Graecis pro Γ usurpatam literam Κ. Sic pro ΑΚΡΑΓΑΣ legi etiam ΑΓΡΑΓΑΣ, et pro ΘΕΟΓΑΜΙΑ legi ΘΕΟΚΑΜΙΑ. His ergo, ait, testimoniis nos doceri, memoratam in hoc numo Antiochiam esse eam, quae a situ juxta Tragum fluvium, et Cragum oppidum nomen tulit. Haec ille a). At enim consultius egisset vir eruditus, si, antequam isthaec adsereret, Baudrandi sui auctoritatem in judicium vocassset. Enim vero neque Tragum fluvium, neque Cragum oppidum intra Ciliciae fines apud veteres geographos, neque Antiochettam apud Ptolemaeum reperio. Quae ergo Sestino ab inconsultis his testimoniis fiducia? Neque majoris momenti videntur ipsa Sestini argumenta. Γ et Κ a Graecis promiscue fuisse usurpata, probat ex inscripto Agrigenti numis jam ΑΚΡΑΓΑΣ jam ΑΓΡΑΓΑΣ, at dixi in hujus urbis moneta, epigraphen ΑΓΡΑΓΑΣ valde mihi videri suspectam. ΘΕΟΚΑΜΙΑ pro ΘΕΟΓΑΜΙΑ mihi ex numis ignotum, neque facile dedero promiscuum hunc inter Graecos τȣ Κ et Γ usum, nisi sub certis legibus, sed quae ad praesentem causam non valent, et quas modo exponere longum foret. Quocirca licebit hanc Ciliciae Antiochiam adhuc nobis ignotam putare.

AE. RRRR.

ARGOS.

Hactenus numi omnes inscripti ΑΡΓΕΙΩΝ tributi fuere Argis Aeolidis. Pellerinius, cum in binis numis Gallieni et Saloninae videret literas arithmeticas ΙЄ, vel Ζ, quae tantum in Cilicia, Pisidia, et vicino tractu numis inseri consuevere, praeterea fabrica Peloponnesum minus sapere videretur, aliud in hac vicinia Argos circumspexit, et obtulit unum Stephanus b): Κιλικιας, ἡ νυν Αργειοπολις c). Eruditam Pellerinii conjecturam amplius promovi in meis Numis vet. d), cumque viderem, in his numis typos esse ejus generis, qui jure possunt ad Argos Argolidis pertinere, multo magis credibile videbatur, quod jam etiam suspicatus est Pellerinius, hoc Ciliciae Argos esse revera ductam ex Argolide coloniam, quod in eodem meo opere pluribus comprobare conatus sum inde a pag. 76. Addo, me etiam hoc Ciliciae Argos reperisse in Philostrato e), cum narrat, Apollonium a Tito invitatum, ut ad se Argos veniret ex Syria Romam reducem. Fuisse autem illud Ciliciae Argos, patet ex sequente

a) Lettere pag. 55. b) in Αργος. c) Mel. I. p. 22. d) pag. 225. e) Vit. Apollon. L. VI. c. 30.

capite 34., quo narratur, eum cum Tito Tarsum descendisse. Αϱγαιϰ βϰνϰ, *Argaei collis* in Cilicia meminit etiam Zonaras [a]).

Imperatorii

ΑΡΓΕΙΩΝ. *Mercurius gradiens d. crumenam, s. caduceum, in area majore forma* ΙΑ. Valeriani. (Arigoni.)

ΑΡΓΕΙΩΝ. *Perseus stans d. caput Medusae, s. harpam, in area* ΙΑ. Valeriani. (Num. vet. p. 225.)

ΑΡΓΕΙΩΝ. *Iuppiter sedens d. pateram, s. hastam, pro pedibus adsurgit serpens, pone triquetra.* Valeriani. (Ibid.)

ΑΡΓΕΙΩΝ. *Corona, intra quam* ΙΕ. Gallieni. (Pellerin. Mel. I. p. 22. Arigoni.)

ΑΡΓΕΙΩΝ. *Pavo stans, supra* Ζ. Saloninae. (Pellerin l. c.)

Hos numos ad hoc Argos pertinere praeter harum literarum indicia etiam istud argumento est, quod paucae Peloponnesi urbes extra Severi imperium signavere monetam, et quae signaverunt, eam vix ad Gordiani aetatem porrexerunt. Hujus vero tractus sub ipso Gallieno ejusque familia copiosam habemus monetam etiam urbium tenuissimarum. Pavo ad cultum Iunonis pertinet Argis Argolidis celebrem, et Perseus domo Argivus penitus cum ea Peloponnesi urbe connectitur, de quo abunde disserui in meo opere locis laudatis. Ex hac ergo metropoli in hanc Ciliciae coloniam avita religio derivata est.

Hoc inter utriusque urbis numos discrimen servandum existimavi, non quod Pellerinii auctoritate me abripi paterer a qua saepe apertis ejus ingratiis discessi, sed quod argumenta, sive, quae ipse attulit, sive quae indiganti mihi sese obtulere, satis idonea visa sunt, quibus adsensum praestarem. At nuper cl. Sestinus fastiditis Ciliciae Argis numos omnes inscriptos ΑΡΓΕΙΩΝ Argis Argolidis restituendos edixit [b]). Causa illi praecipua, quod sibi ex Peloponnesi vicinia numi aliquot imperatorii Argorum Argolidis Constantinopolim adlati essent, quos inter fuere etiam iidem illi bini, quos Argos Ciliciae sevocavit Pellerinius. At enim argumentum istud non semper valere, ut inter omnes artis nostrae studiosos facile constat, sic et ipse alias professus est [c]). Nisi ergo iterata possit commemorare exempla, numos similes eodem itinere adferri, nullam reperio mutandi consilii mihi impositam necessitatem. Modum, quo literas ΙΑ. ΙΕ. Ζ. etc.: explicat, vereor, ut aeque aliis, atque ipse sibi, persuaserit.

Qua ratione triquetra numi III. cum Argis Argolidis connectatur, per conjecturas copiose disputavi in meis Numis vet. inde a pag. 76.

AE. RR.

AVGVSTA.

Diversa a Sebaste ejusdem regionis, et Papho Cypri, quae ipsa quoque Augusti permissu *Augusta* appellata est [d]).

---

a) L. XVI. c. 5. §. 23. b) Lettere. T. III. p. 111. c) Lettere T. I. p. 97. d) Dio L. LIV.

Vicina fuit Anazarbo, nam sic de his Plinius: *Anazarbeni, qui nunc Caesarea, AVGVSTA, Castabala.* Hujus urbis numos egregie descripsit Belleyus a).

Autonomus.

Caput muliebre. ✠ ΑΥΓΟΥΣΤΑΝΩΝ. *Capricornus tenens globum, superne astrum.* AE. III. (Pellerin.)

Expressum in hoc Augusti symbolum, a quo urbs nomen sumpsit. Similem jam edidit Spanhemius b), sed inique in Siciliam derivavit, in qua hodie superstes est oppidum *Agostae* nomine, sed veteribus ignotum.

AE. RRRR.

Imperatorii.

A Nerone usque ad Valerianum, ex quibus eos, qui epocham continent, descripsit Belleyus c). Quin ex ejusdem sententia caput muliebre numi autonomi exhibet Iuliam Augusti F.

Epigraphe ΑΥΓΟΥϹΤΑΝΩΝ. *Typi obvii.*

* * *

Epochae annos plerisque inscripsit praefixo ЄΤ. ЄΤΟΥϹ.

HM. Neronis. (Pellerin.)

HOP. Caracallae capite laureato. Sed est annus dubius. (Haym.)

HqP. Elagabili. (Haym. T. I. p. m. 123.)

HKC. Philippi sen. (Mus. reg. Gall.)

AMC. Valeriani. (Pellerin.)

Epochae principium Vaillantius fixit ad annum V. C. 771. Harduinus 770. Verum ex numis Neronis, Caracallae, Elagabali, et Valeriani docemur, figendum esse ad autumnum V. C. 773. Ejus constitutae causa ignoratur; quam enim Vaillantius adfert, aeque fallax est, atque ipsum, quod dictavit, aerae principium.

Ex hujus epochae lege arguit Belleyus, Valerianum in autumno anni P. X. 260. nondum fuisse apud Persas captivum.

Supra dictum, Anazarbum Neronis aetate communem cum hac Augusta aerae legem habuisse.

AE. RR.

CAESAREA AD ANAZARBVM.

Vide supra in Anazarbo.

CASTABALA.

Numos huic urbi tributos esse verius Castabalorum Cappadociae, in his disputabitur.

CELENDERIS.

Maritima in Trachea.

Autonomi:

Sine epigraphe. Hircus respiciens flexo anteriore genu. ✠ *Quadratum incusum.* AR. I. II. (Hunter, Pellerin.)

ΚΕΛ. ΚΕΛΕΝ. *aut etiam sine epigraphe. Vir nudus equo currenti non*

a) B. L. T. XXVI. p. 406. b) T. I. p. 240. c) l. c.

inequitans, sed insidens. ✕ *Hircus respiciens flexo anteriore genu.* AR. I. (Pellerin, Hunter.)

Venerabiles sunt hi numi propter omnia canae vetustatis argumenta, quo nomine praecipue se commendant Hunteriani. Videtur hircus religionem involvere. Tacitus, ubi de sacrificiis Veneris Paphiae disserit, addit, certissimam Paphi fidem habitam hoedorum fibris, at simul testatur, eam haruspicum scientiam e Cilicia accitam [a]). Equitem partis anticae Sandocum Astynoi F. putat Panelius [b]), qui e Syria in Ciliciam profectus Celenderin condidit [c]).

* * *

Caput muliebre velatum turritum, retro variae literae. ✕ ΚΕΛΕΝΔΕΡΙΤ. *Apollo nudus stans cum lyra columellae imposita.* AE. II. (Pellerin.)

AR. RRR. AE. RRRR.

Imperatorii.

Commodi inscriptus ΚЄΛЄΝΔЄΡΙΤΩΝ. typo Neptuni stantis. (Pellerin. Lettres p. 8.) Alter Etruscillae apud Vaillantium, sed is perperam, ut videtur, epigraphen legit: ΚЄΛЄΝΔΡЄΝΩΝ.

AE. RRRR.

CENNATI.

Vide infra in numis Olbae.

CODRIGAE.

Ejus oppidi, et institutorum hic ludorum mentio fit in numis Tarsi, quam vide.

COLYBRASSVS.

In Trachea versus Pamphyliam teste Ptolemaeo, sed cui scribitur Κολοβρoσσος, in Notitiis varie, sed tamen etiam in quibusdam secundum numos Κολυβρασσος. Cellarius hanc urbem ignoravit.

Imperatorii. Pellerinio cogniti tres, Treboniani unus, et duo Salonini. In utroque hic dicitur CEBαςος [d]), de quo titulo vide numos Salonini commatis Latini. Alium Valeriani edidit Panelius ex museo le Bret [e]).

Epigraphe: ΚΟΛΥΒΡΑCCЄΩΝ. *Typi: Pallas stans, vel: Iuppiter stans in templo d. fulmen, s. hastam.*

Ludi: ΓΥΜΝΑCΙΑΡΧΙΑ *inscriptum templo tetrastylo, in quo tres urnae super mensa,* Salonini. (Pellerin. l. c.)

Ludi hi leguntur etiam in numo vicinae Syedrae, si tamen ludi fuere dicti Γυμνασιαρχια, de quo vocabulo vide quae observabo in tractatu de ludis.

Literae solitariae ΙΑ. juxta caput Salonini, infra quod aquila expansis alis.

AE. RRR.

CORACESIVM.

Maritima Tracheae, prima a Pamphylia.

Imperatorius Hadriani ΚΟΡΑΚΗCΙΩΤΩΝ. (Vaill.) Saloninae: ΚΟΡΑΚΗCΙΩΝ. (Haym.)

---

a) Hist. II. 3. b) Mem. Trevoux Octob. 1737. c) Apollodor. L. III. c. 13. §. 3.
d) Rec. III. p. XXVII. et 249. e) Mem. Trev. Octob. 1737.

Literae solitariae IA. ante caput Saloninae.

AE. RRRR.

CORYCVS.

Maritima, et a Trachea principium Campestris.

Autonomi:

Caput muliebre turritum. X ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ. *Mercurius stans d. pateram, s. cornucopiae.* AE. II.

Horum complures editi sunt a Frölichio [a]) Pellerinio, aliisque. Mercurium Coryci impensius cultum non modo hi numi docent, sed etiam, quod in hymno Orphico diserte Κωρυκιωτα dicitur [b]). Adde epigramma Archiae [c]):

Ερμη Κωρυκιων ναιων πολιν, ὦ ἀνα, χαιροις
Ερμη, και λιτη προσγελασαις ὁσιη.
Mercuri Coryciorum habitans urbem, o rex! salve
Mercuri, et precibus adride sanctis.

In utraque horum numorum superficie vagantur literae solitariae, aut arithmeticae, aut vocabulorum exordia. Frölichius literas ΔΤ. numi sui epocham notare credidit [d]), sed eodem loco in Pellerinianis legitur AM, et in uno etiam solum A. Iure igitur conjicit Pellerinius, verisimile non esse, intervallo CCC. annorum typos, aut fabricam monetae Coryciotarum nullas vices passam. Aliud igitur hae literae notant, praecipue cum teste Pellerinio etiam in numis vicinae Seleuciae juxta caput Palladis sint literae Σ, vel ΣΑ.

Idem literas HP. TAP. quae sunt in aversa numi sui, existimat indicare concordiam Coryciotarum cum Tarso et Heraclea quapiam. Sed rursum eodem loco in Pellerinianis aliae comparent literae, quae de urbium nominibus explicari vix possunt.

AE. RR.

Imperatorii.

Exstant Trajani, (Pellerin.) Caracallae, etc. Gallieni.

Navarchis: hic honos praedicatur inscripto: ΚΩΡΥ. ΝΑΥΑΡ. ΑΥΤΟΝΟ - - in numo Caracallae. (Arigoni.) vel: ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ. ΝΑΥΑΡΧΙΔΟC. Gordiani. (Mus. Caes.) vel: ΚΟΡΥΚΙΩΤΩΝ. ΑCΥ. ΝΑΥΑΡΧΙC. Valeriani. (Mus. Caes.)

Autonoma dicitur in laudato Caracallae, tum et ΚΟΡΥΚΙΩΤΩΝ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. in numis Gordiani et Gallieni.

Asylum in dictis numis Valeriani.

* * *

Ludi Theogamia.

Bacchus stans cum attributis, juxta tripus cum urna, cui inscriptum ΘΕΟΓΑΜΙΑ, Valeriani. (Vaill. Theup.)

Fuere celebrati in memoriam nuptiarum Plutonis et Proserpinae, cum quibus sociari Bacchum insolentius videatur. Vaillantius in numo suo fugientes literas dixit [e]). In simili musei Pisani praetenditur urnae inscriptum ΘΕΜ. Superest ergo una fides ex numo Theu-

---

a) Animadv. in num. urb. b) Hymn. XXVII. v. 8. c) Brunck. Anal. T. II. p. 97.
d) l. c. e) Num. Graec. p. 335.

poliano. Certa Θεογαμια habemus in numis Nysae Cariae.

AE. RR.

DALASIS.

Portio Ciliciae apud Ptolemaeum, cui *autonomum* Pellerinius adjudicat, et prolixe de eo disserit [a]), an etiam persuadeat, arbitretur lector.

DIDYMAE.

Imperatorium Valeriani Bandurius inique huc adigit inscriptum, ut ipse profitetur: ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΑΥΡ. ΔΙΟΓΕΝΟΥC. ΔΙΔΥΜΑΙΩΝ. ЄΙΛΗCΙΩΝ., ex quo is concordiam inter Didymas Ciliciae, et Ilesium Boeotiae arguit [b]). Est is numus Mileti Ioniae, legendumque: ΔΙΔΥΜЄΙΑ. ΜЄΙΛΗCΙΩΝ. atque istud tanto certius, cum ex aliis numis apud Haymium, Arigonium, Vaillantium constet, Valeriano imperante fuisse Aurelium Diogenem archontem Mileti.

DIOCAESAREA.

Hierocles et Notitia in hoc tractu urbem hoc nomine memorant quidem, sed provinciae Isauriae contribuunt, exiguo discrimine. In Ciliciam eam constituunt numi propter additum ΚΕΝΝΑΤΩΝ, de quo videatur Belleyus [c]), et de quibus numis sic inscriptis agetur mox infra in numis Olbae, et huic subjectis numis Polemonis, et Ajacis toparcharum. Malala Anazarbum antea dictam Diocaesaream statuit, sed fabulosa ea sunt omnia, quae ibi narrat [d]). Hujus Diocaesareae numos ordine recenset ibidem Belleyus, suntque [e]):

Imperatorii Philipporum: ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΔΙΟΚΑΙCΑΡЄΩΝ. ΜΗΤΡΟ. ΚЄΝΝΑΤΩ. *Hercules nudus decumbens cum clava et exuviis leonis*, in alio: *Fulmen mensae impositum.*

Forte non inique huc revocavero numum Severi: ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΔΙΟΚΑΙCΑΡЄΩΝ. *Fortuna stans*, quem Pellerinius Diocaesareae Phrygiae largitur [f]). Diocaesaream Ciliciae constat Hadrianae titulo gavisam, qua usam alteram Phrygiae non constat.

AE. RRRR.

DORON.

Imperatorium M. Aurelii nondum Augusti edidit Frölichius: (IV. Tent. pag. 203.)

ΟΛ. ΔΩΡЄΩΝ. ΒΟC. *Hercules nudus stans sinistram cum Gigantis in binas draconis caudas desinentis dextra committit, d. elata ictum intentat.* AE. II.

Numus hic nunc est in museo Caesareo, et sanus, ac integer. Epigraphe suspensum diu virum eruditum tenuit, qua in urbe signatum hunc numum ediceret, dum denique in Ciliciae urbe acquiesceret, quam *Doron* vocat Plinius, et Calycadno fl. eique adsitae Seleuciae admovet. Huic sententiae non parum favet typus; nam similis dimicatio cum Gigante, sed decertante Pallade, comparet frequenter in numis

---

a) Suppl. II. p. 27. b) T. I. p. 122. c) B. L. T. XXI. p. 428. d) Chronogr. L. X. sub fin. e) pag. 440. f) Mel. II.

dictae Seleuciae, ut adeo utrique vicinae urbi certa communis typi ratio videatur fuisse proposita. Acrius Frölichium vexat praefixum ΟΛ., dum demum expensis omnibus mallet indicari concordiam cum Olba Stephani, vel Olbasa Ptolemaei initam. Minus istud videtur verisimile, cum saltem ex numo nullum appareat concordiae indicium. Abest enim vocabulum *ὁμονοια*, abest duplex typus, et concordiam cum aliis urbibus inivisse Cilices, saltem ex numis certis non constat.

Alia occurrit conjectura, quam eruditorum hic arbitrio liceat proponere. Ex Plinii testimonio [a]). Doron vicinum fuit urbi, quam *Holmoe*, et mox infra *Holmia* vocat, adsitam mari, quamque antea incoluere Seleucenses, antequam Seleuciam ad Calycadnum a mari nonnihil remotiorem migrarent, ut testantur Plinius, Strabo, Stephanus. Forte Doron in Holmensium agro situm fuit, atque ut sese ab aliis urbibus nomine adfini distingueret, agri, in quo situm erat, mentionem addidit, scripsitque adeo: ΟΛ. ΔωΡΕωΝ. Forte vacuos Seleucensium discessu Holmos occupavere Dores, quos cum aliunde, tum adcuratius ex Strabone constat, multum per Asiam minorem fuisse vagatos, urbemque de se Doron dixere, addito tamen in numo, ut saepe alias factum, vetere urbis nomine, ut adeo Holmoe et Doron, inter quae Plinius distinguit, reipsa una eademque urbs fuerint. Sed haec per solam conjecturam disputata sunto.

Epochae annum BOC. 272. Frölichius refert ad annum V. C. 623., quo Cilicia a senatu R. data est regibus Cappadociae referente Iustino.

AE. RRRR.

ELEVTHEROCILICES.

ΕΛΕΥΘΕΡΟΚΙΛΙΚΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΠΥΡΑΜΩΙ. De hoc numo vide, quae dicturi sumus in numis Seleuci VI. Syriae regis.

EPIPHANEA.

In Cilicia Campestri prope Issum. Olim dicta *Oeniandos* teste Plinio, sed Antiochi Epiphanis gratia, ut censent Norisius et Belleyus, nomen commutavit. Fuit etiam altera ejusdem nominis in Syria ad Orontem fl. At multum conflictati sunt Norisius, Vaillantius, aliique veteres antiquarii in collocandis rite numis Epiphaneae nomen ostentantibus. Eos Belleyus novorum supplementorum subsidio certius definivit in elegante dissertatione de utriusque urbis numis [b]). Inter hos numos Epiphaneae nomine inscriptos esse distinguendum, docuere additi epochae anni. Nam cum in uno Gordiani numo legeretur annus 206., in altero ejusdem Gordiani annus 306., necesse erat, alios numos tribuendos huic, alios alteri Epiphaneae. Cum vero ex numis constet, aeram Epiphaneae Syriae figendam ad annum V. C. 690., manifestum est, alios, quorum anni numis inscripti cum hac aera componi non possunt, esse Epiphaneae Ciliciae. Ejus generis:

a) L. V. p. m. 270. b) B. L. T. XXVI. p. 391.

Imperatorium unicum, eumque Gordiani, reperit Belleyus: ЄΠΙΦΑΝЄΩΝ. ЄΤ. SC. *Serapis sedens d. pateram, s. hastam, pro pedibus animal triceps.*

Epocham figit Belleyus [a]) ad V. C. 790., quo Caligula Antiocho Commageno partem maritimam Ciliciae tradidit. Graviter peccat Harduinus, qui eundem Gordiani numum describit, sed aerae annum legit ϛΤ., quo statuto idem aerae principium hujus Epiphaneae et Alexandriae ad Issum esse contendit [b]).

AE. RRRR.

Autonomum tamen etiam musei Medicei huc referendum conjicio a me olim editum [c]).

Epigraphe extrita. Caput juvenile hedera coronatum. ✠ ΤΡΑΙΑΝΟΠΟ. ЄΠΙΦΑΝЄΩΝ. *Figura barbata alte succincta stans d. capiti admota.* AE. III.

Similis typus aversae est etiam in numo vicinae Mopsuestiae. Hic si huc pertinet, docemur, hanc urbem nomen a Trajano sumptum tulisse, qui forte urbi beneficia quaedam praestiterit, quando anno V. C. 867. in Parthos moturus hunc tractum peragravit.

AE. RRRR.

FLAVIOPOLIS.

Taurum versus supra Anazarbum. Nomen et epochae principium traxit a Flavio Vespasiano. Incertum, quod vetus ejus fuerit nomen.

Imperatorii a Domitiano usque ad Valerianum.

Epigraphe: ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛЄΙΤΩΝ.

Typi: Capita Sarapidis et Isidis. — Mulier turrita sedens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens. (Pellerin. Suppl. I. pag. 34.)

Epochae anni plerumque inscribuntur praefixo ЄΤ. vel ЄΤΟΥϹ.

ZI. Domitiani. (Pellerin.)

M. Trajani. (Pellerin.)

ΗΞ. Antonini. (Vaill.)

ΔΙΡ. Commodi. (Vaill.)

ΒΚΡ. Domnae. (Pellerin. Suppl. I. p. 34.)

ΔΜΡ. Diadumeniani. (Vaill.)

ΔΝΡ. ΡΝЄ. Alexandri. (Theup. Vaill.)

ΔΠΡ. Valeriani. (Theup.)

Epochae principium Vaillantius ducit ab autumno V. C. 827., quo eodem anno opportune constat, a Vespasiano Ciliciam in provinciae formam redactam, quod factum ejus imperii anno V. Cum Vaillantio conspirant omnes.

AE. RR.

HAMAXIA.

Maritima in Trachea.

Autonomus:

Caput juvenile dubium. ✠ ΑΜΑΞΙΩΝ. ΠЄ. *Contignatio trium trabium, quarum uni avicula insidet.* AE. III.

Singularem hunc numum, qui fuit olim in museo Savorgnan, olim edidi subjectis Khellii nostri observatis [d]). Vir eruditus hoc typo indicari putat, quod de hac Hamaxia refert Strabo, eo materiam fabricandis navibus deportari.

AE. RRRR.

---

a) l. c. p. 398. b) Chron. vet. test. ad ann. V. C. 686. c) Num. vet. p. 228. d) Num. vet. p. 229.

HIEROPOLIS.

Exstant *Autonomi:*

Caput muliebre velatum turritum. ℞ ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΠΥΡΑΜΩ. *Vir nudus undis innatans d. porrecta aquilam tenet.* AE. II. (Haym. T. II. p. 137. Pellerin, Theupoli p. 1273.) In aliis: *Mulier sedens.* AE. II. (Hunter.)

Hieropolin aliquam in Cilicia positam, et quidem distincte ad Pyramum fl. soli hi numi produnt, geographi omnes altum tacent. Quae causa est, cur omnino existimem, Hieropolin esse novum ac adscititium nomen, quod pro vetere aliquamdiu constiterit, ac rursum abolitum, cujus exemplum habemus in Anazarbo, quae aliquanto tempore Caesarea dicta est, atque iterum Anazarbus, ut copiosis aliis exemplis abstineam. Sic et testibus Strabone et Plinio Hierapoleos Cyrrhesticae verum et vetus nomen fuit Bambyce, praevalente deinde altero causa sanctitatis. Verisimile mihi videtur, hanc Ciliciae Hieropolin esse eandem cum Megarso; nam praeterquam quod utriusque faciei typus respondet, etiam inscriptio: ΜΕΓΑΡΣΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΠΥΡΑΜΩ. ejus fidem facit, tum quod simili forma concepta est, tum quod mentionem Pyrami quoque adjicit, ac forte ea urbs Hieropolis dicta est a Palladis cultu, qui ibi clarus exstitit, ut in Megarso dicetur.

Secundum aliquos antiquarios numi Diadumeniani et Elagabali inscripti ΙЄΡΟΠΟ. ΚΑϹΤΑΒΑΛΑ. concordiam inter binas Ciliciae urbes Hieropolin et Castabala indicant; verum hos numos esse Castabalorum Cappadociae, quae et Hieropolis nomine gloriabatur, in hujus urbis numis probari adnitar.

AE. RR.

IOTAPE.

In trachea, quam Plinius inter Arsinoen et Doron locat.

Imperatorium Philippi jun. ex gaza regia produxit Oudinetus, eumque peculiari dissertatione illustravit, quae exstat in *des Molets continuation des Mémoires de litérature T. IV.* et in B. L. hist T. I. p. 259.

ΙΩΤΑΠЄΙΤΩΝ. *Ceres stans d. facem, s. ramum, aut*, ut visum Harduino, *hyssopum Cilicium.*

AE. RRR.

IRENOPOLIS.

Sita in Lacanatide teste Ptolemaeo, et vocata etiam *Neronias*, ut dicetur.

Imperatorii recensentur a Domitiano usque ad Valerianum.

Epigraphe: ΕΙΡΗΝΟΠΟΛΙΤΩΝ.

Typi: Isis stans, vel: *Mulier turrita rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens*, aliique obvii.

Epochae anni frequenter inscribuntur praefixo ЄΤ. ЄΤΟΥϹ.

BM. Domitiani. (Wesseling ex Mus. Wilde in Synecd. Hieroclis p. 706.)

ΔMP. Caracallae. (Vaill.)

ЄΟΡ. Alexandri. (Theup.)

BqP. Gordiani. (Vaill.)

CH. Valeriani. (Vaill.)

Epocham figit Vaillantius ad V. C. 805, etsi horum numorum venia posset

aliquot annis anticipari. Causam repetit ex Tacito [a]), narrante ad hunc annum, Clitas, agrestem Cilicum nationem, facto ex Tauro decursu infestasse loca planiora, et ipsum Anemurium obsedisse, dum ab Antiocho Commageno ad pacem compellerentur. Factum istud imperante Claudio, atque eo fere tempore, quo Neronem adoptavit. Quare videtur haec urbs pace restituta se primum *Irenopolin*, deinde in Claudii gratiam vocasse *Neroniadem*, nisi id factum potius in Neronis pueri gratiam, quod forte Claudium sibi propter rebelliones infensum placaverat, nam ad sequentem annum 806. narrat idem Tacitus [b]), Neronem plures urbes precibus in Claudii gratiam reduxisse. Verum caeso Nerone videntur oppidani ejus tyranni memoriam aversati Irenopolis solum nomine in monumentis publicis usi, quod testantur numi, quamvis Neroniadis nomen etiam serius non exoleverit; nam apud historiae ecclesiasticae scriptores promiscue legitur et Neronias, et Irenopolis, ut videre est apud Cellarium.

Concordiam Vaillantio visus indicare numus Treboniani: ΖΕΦΥΡΙΩΤΩΝ. ΕΙΡΗΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Hercules stans.* Nolim temere viri eruditi adcurationem in suspicionem vocare, tamen nonnihil vellicat omissum ὁμονοια, typus simplex, et quod certum concordiae exemplum ex numis urbium Ciliciae nondum habemus. Ad haec numus hic, quem Vaillantius ex museo Christinae citat, neque in catalogo Franc. Cameli, neque in numis ejusdem musei ab Havercampo illustratis memoratur.

AE. RRR.

LACANATIS.

Pars Ciliciae aliquando Ciliciae regibus subjecta.

Autonomus.

Caput muliebre velatum spicis coronatum. ℞ ΛΑΚΑΝΑΤΩΝ. *Lyra.* AE. III. (Pellerin.)

AE. RRRR.

Regius.

Numum inscripto ΛΑΚΑΝΑΤΩΝ. vide in numis Antiochi IV. Commageni.

LAERTE.

Maritima in Trachea, quam Strabo Hamaxiam inter et Selinuntem fl. locat. Ab hac nomen tulit Diogenes Laertius philosophorum biographus.

Imperatorii editi a Pellerinio Antonini et Salonini, sed Hadriani integerrimum nuper museo Caesareo intuli, quem edidi in Sylloge I. p. 46. Quin et alium Trajani nuper addidit cl. Sestinus [c]), qui totus idem est cum illo, quem Pellerinius, quia legendum sibi videbatur ΜΕΓΙΑΙΤΩΝ, Megiam Mesopotamiae perperam transtulit. Alium praeterea Valeriani addidit Sestinus.

Epigraphe ΛΑΕΡΤΕΤΙΩΝ typis obviis.

---

a) Ann. XII. c. 55. b) L. XII. c. 58. c) Lettere. P. II. p. 194.

Litera solitaria Γ. ante caput Salonini, quod comparet nudum, etsi ejus titulis in fine addatur KAIC. C. quod Cεβαστος haud dubie notat.

AE. RRR.

MALLVS.

In Campestri versus Pyrami ostia, Argivorum colonia secundum Arrianum, condita ab Amphilocho, et Mopso, et fuit hic oraculum Amphilochi.

Autonomi:

Caput muliebre: X ΜΑΛΛΩΤΩΝ. *Caput virile tectum galea, qua ipsum etiam mentum includitur, in area bos incusus.* AR. I. (Pellerin.)

Vir barbatus cum corona radiata currens d. hastam tenet, s. arcum praetendit in area signum incusum bovis. X ΜΑΛ. *Hercules leonem suffocans.* AR. II. (Dutens Explicat. p. 28. Pembrock P. II. Tab. 75.)

Caput barbatum laureatum. X ΜΑΛΛΩΤΩΝ. *Mulier turrita sedens in scopulis, hinc et inde fluvius natans.* AE. II. (Theupoli.)

Cujus sit caput aversae in numo I., incertum. Pellerinius esse ipsius Amphilochi conditoris et vatis conjicit. Numum II. bos incusus, qui, ut saepe dictum, fuit nota Ciliciae et adjacentibus plagis propria, sine dubio huic tractui, epigraphe ΜΑΛ. Mallo nostrae vindicat; at typus viri currentis, qui, ut ex similibus Daricis colligi potest, certus est Persa sagittarius, docet signatum numum, quo tempore Mallus adhuc Persarum imperio subjecta fuit. Conjectura eruditi Dutens, qui principio Mallos Indiae respexit, apud quos Alexander M. graviter sauciatus fuit, aut Abbatis le Blond, qui cusum numum a Maliensibus Thessaliae credidit [a]), minus reor viris eruditis probabitur.

AR. et AE. RRRR.

Imperatorius

Vnicus in lucem prolatus a Pellerinio. Est is Antonini. *Epigraphe* ΜΑΛΛωΤω. *Mulier stans phallis utrinque a summo ad imum exstantibus d. oblongam facem tenet, juxta caput globus, vel astrum.* Similis typus comparet etiam in numo argenteo Demetrii II. Syri edito ab Haymio [b]). Auctor, cum juxta caput regis legeret M., numum Marathi Phoeniciae signatum conjecit. Verius ergo existimat Pellerinius praeeunte hoc Antonini numo Mallum ea littera indicari. Sed poterat istud numen cum pluribus urbibus esse commune; alioqui, si Astarte est, ejus cultus ex Phoenicia Mallum illatus est. Ceterum conjecturam de typo vide apud Haymium. (l. c.)

AE. RRRR.

MEGARSVS.

Prope Mallum in Campestri.

---

a) B. L. T. XL. hist. p. 91.   b) Tom. I. p. m. 75.

Autonomus.

Caput muliebre velatum turritum. ✠ ΜΕΓΑΡΣΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΠΥΡΑΜΩ. *Fluvius medio corpore enatans s. avem tenet.* AE. II. (Pellerin.)

Hic numus spectatis utriusque partis typis simillimus est alteri, qui inscribitur ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΠΥΡΑΜΩ. Supra in Hieropoli monui, propter aequalem typi ac situs rationem posteriorem quoque hunc numum forte huic Megarso tribuendum, et adsciverit sibi forte Megarsus nomen Hieropolis ob cultum Palladis, quae ab hac urbe dicta est *Megarsis*, ut testatur Arrianus [a]), et Tzetzes [b]). In marmore Reinesii: ΘΕΑΝ. ΜΑΓΑΡΣΙΔΑ [c]).

AE. RRRR.

* * *

Numum inscriptum ΜΕΓ., quem Combius huc vocavit, commode Sestinus Megaris Atticae restituit [d]).

MOPSVS, MOPSVESTIA.

In Campestri versus Pyrami ostia, aedificata a Mopso vate fabulis inclyto, et quod ejus ibi ara fuit, dicta Μοψȣέςια.

Autonomi:

Caput barbatum laureatum. ✠ ΜΟΨΕΑΤΩΝ. *addito in aliis* ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Ara luculenta.* AE. II. (Pellerin, Mus. Caes.)

Caput muliebre velatum turritum. ✠ ΜΟΨΕΑΤΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Apollo seminudus stans d. sagittam, s. tripodi innixus, in area annus* ΗΙΡ. AE. II. (Hunter.)

Caput Palladis. ✠ ΜΟΨΕΑΤΩΝ. *Sol capite radiato curriculo vectus.* AE. II. (Hunter.)

Ara numi I. haud dubie est ara Mopsi, a qua, ut diximus, urbi nomen factum. Quare credam etiam, caput anticae esse ipsius Mopsi, non Iovis, nam laurus vatem quoque decet.

* * *

Perperam auctor musei Theupoli huc vocat numum, qui est Mopsii Thessaliae, ut in hac dictum.

AE. RR.

Imperatorii

Reperti ab Antonino ad Decium usque.

Epigraphe ΜΟΨΕΑΤΩΝ. typis obviis.

* * *

Epocham plerumque inscripsit praefixo ЄΤ.

ΗΙΡ. in citato autonomo.

ΗϘΡ. Antonini. (Vaill.)

ΑΣ. L. Veri. (Theupoli.) Lectio suspecta.

ΑC. Faustinae sen. (Sestini Lettere T. IV. p. 119.)

ZC. Antonini. (Sestini l. c.)

ΑΞC. Caracallae. (Vaill.)

ΒΞC. Severi. (Vaill.)

ЄΟC. Macrini. (Vaill.)

Ex numo Macrini patet, initium epochae alteri anno adfigi non posse quam autumno anni 695. vel 696. Posteriorem mavult Vaillantius, causamque

a) Expedit. Alex. L. II. b) ad Lycophr. V. 444. c) pag. 166. d) Lettere p. 51.

petit a victis a Pompejo piratis, et XXII. urbibus tum in Cilicia instauratis teste Appiano, conjicitque, Mopsuestiae reparationem ad hunc annum contigisse. Annus quidem AC. Faustinae videtur pro exordio aerae exigere annum 694, nam secus ejus Augustae mors uno anno diutius differetur, quam eam statuunt certa monumenta, ut dicemus in ejus moneta, et numus nullas offert consecrationis notas. Sed forte hae a monetario omissae sunt, et is ea jam mortua cusus. Annus AΣ., quem prodit numus L. Veri ex catalogo Theupoli, cum imperio hujus Augusti componi nequit. Ergo legendum videtur AKC.

Nomen ab Hadriano in citatis imperatoriis fere omnibus, nempe ΑΔΡΙΑΝΩΝ. In celebri inscriptione apud Gruterum dicitur: ΑΔΡΙΑΝΗ. ΙЄΡΑ. ЄΛЄΥΘЄΡΑ. ΑCΥΛΟC. ΑΥΤΟΝΟΜΟC. ΦΙΛΗ. ΚΑΙ. CΥΜΜΑΧΟC. ΡΩΜΑΙΩΝ a). Antonino Pio imperante marmor istud positum fuit.

AE. RR.

NAGIDVS.

Pamphyliae et Anemurio vicina.

Autonomi:

Venus capite tutulato sedens seminuda d. pateram, cui advolat Cupido coronam capiti impositurus, intra sedilis fulcra mus, vel lepus. ✠ ΝΑΓΙΔΙΚΟΝ. *Iuppiter seminudus stans d. botrum, s. hastam, in area* ΠΑΡ. *apis et monogramma.* AR. I. (Mus. Braun Norimb. et Pembrock P. I. Tab. 22.)

Venus sedens d. pateram, s. adstanti Cupidini innixa. ✠ ΝΑΓΙΔ. *Idem typus.* AR. I. (Hunter.) In alio: *Iuppiter pro botro cantharum tenens, ac praeterea nota incusa bovis.* AE. I. (Neumann.)

Numum ex his primum olim edidi b), dixique, tribuendum urbi cuipiam, quae dicta esset *Nagidus*, sic ut adscriptum ΝΑΓΙΔΙΚΟΝ sit κτητικον, ut ΦΕΝΙΚΟΝ. ΘΕΣΠΙΚΟΝ. et similia. Nagidi duae memorantur a Stephano, Mela, quin et Strabone, sed apud quem utrinque perperam scriptum Αγιδος pro Ναγιδος. Harum una in Cypro, in Cilicia altera collocatur. Vtri harum hic esset numus tribuendus, sic tum haerebam ambiguus, ut tamen in Nagidum Cypri inclinaret animus. At modo cum videam, viros eruditos ac praestantes, Neumannum nostrum, et Combium numorum Hunterianorum interpretem magis in Ciliciam propendere, lubet eorum accedere auctoritati, hosque numos esse Cilicios profiteri. In typo partis aversae olim Bacchum Indicum videram, et quis hunc inficiaretur, quando in aliis botrum, in aliis cantharum tenet? At nunc magis puto verisimile, esse Iovem; nam et in numis copiosis aliis peregrina scriptura notatis, quos esse Cilicios jure credimus, et quos olim in numis Phoenicio charactere inscriptis recensebimus, fingitur idem Iuppiter sedens, et d. botrum tenens. Sitne vero Iuppiter Tarsensis, ut existimant ii, qui Swintoni doctrinam sequuntur, nullo potest idoneo argumento comprobari,

a) Pag. 255. 5. b) Num. vet. p. 253.

ut copiosius dicetur in citato tractatu de numis Phoeniciis.

Numum, quem altero loco dedi, esse aeneum, tanto magis mirum videatur, quod remotam praefert antiquitatem, eamque, qua monetam aeneam per Graecas urbes nondum fuisse signatam, plane sum persuasus. Ad haec bovem, notam huic tractui familiarem, nondum nisi argenteis, iisque omnibus perantiquis, incusum vidi. Quibus de causis subit animum suspicio, esse eum ex subaeratorum numero, etsi nullum in eo adhaerentis argenti vestigium appareat.

AR. et AE. RRRR.

OLBA.

In montanis versus Isauriam. Ejus mentio fit in numis sacerdotum Olbae, quos continuo subjicimus.

NVMI SACERDOTVM, ET PRINCIPVM OLBAE.

Olbae sacerdotium a remotissimis temporibus ducitur. Teucer ex Trojano bello in patriam Salaminen redux, cum a patre Telamone propter segnitiem non vindicati fratris Ajacis admissus non esset, in Cyprum cum sociis profectus urbem Salaminem patriae cognominem aedificavit. Teucri filius Ajax, ut refert Strabo a), in montanis Ciliciae apud Olbam Iovis templum dedicavit, cujus pontifex dominus fuit Trachiotidis. Nostra aetate, prosequitur Strabo, tractus is ditio, et sacerdotium Teucri appellari coepit, ejusque plerique pontifices Ajacis, aut Teucri nomen gesserunt. At Zenophanes quidam tyrannus subjectam sibi tutelae nomine Olbae ditionem reliquit filiae Abae in sacerdotum familiam per nuptias insertae, quae eam deinceps quoque retinuit beneficio M. Antonii, et Cleopatrae, quos omnibus sibi obsequiis demereri studuit. Aba sublata principatus in Teucri familia permansit. Haec Strabo.

Sacerdotes Olbenses in numis habemus *Polemonem*, *Ajacem*, *Teucrum*. Partem numorum ad hos pertinentium nonnulli antiquarii aliorsum inique traxerunt. Eos omnes collegit insignis Belleyus, et erudita dissertatione illustravit b), unde, quae mox leges, pleraque hausi.

POLEMON SACERDOS OLBAE.

M. ΑΝΤΩΝΙΟΤ. - - - - *Caput virile et caduceus.* ✠ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. ΤΟΠΑΡΧΟΤ. ΚΕΝΝΑΤΩΝ. ΛΑΛΑΣ. ΕΤ. Β. (Typus non additur.) (Belley ex le Bret.)

M. ΑΝΤΩΝΙΟΤ. ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. *Caput Polemonis juvenile.* ✠ ΚΕΝΝΑΤ. ΔΤΝΑΣΤΟΤ. ΟΛΒΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΛΑΛΑΣΣΕΩΝ. Ε. ΙΑ. *Sella sacra, juxta triquetra.* AE. II. (Belley ex Pellerin. Liebe Got. num. p. 407.)

ΜΑΡΚ. ΑΝΤΩΝΙΟΤ. ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. *Caput Polemonis nudum.* ✠ ΔΤΝ. - - - ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ.

---

a) L. XIV. p. m. 989. b) B. L. T. XXI. Mem. p. 421.

ΚΕΝΝΑΤΩ. ΚΑΙ. ΛΑ--- ΣΕΩΝ.-- *Fulmen.* AE. II. (Frölich ad num. reg. acces. p. 88.)

ΜΑΡΚ. ΑΝΤΩΝΙΟΥ. ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. CΑΛ. *Caput Polemonis nudum.* Ӿ ΔΥΝΑΣΤΟΥ. ΟΛΒΕ ---- ΚΕΝΝΑΤΩ. ΚΑΙ. ΛΑΛΑ -- ΩΝ. Ε. ΙΑ. *Fulmen.* AE. II. (Pembrock P. II. Tab. 67.)

Polemonis nostri numum primus edidit Liebeus [a]), verum quod vitiatus is fuit, bis peccavit, primum quod eum Polemoni Ponti regi tribuit, deinde quod Mylasae Cariae signatum putavit, cum pro ΛΑΛΑΣΣΕΩΝ. legeret ΜΥΛΑΣΣΕΩΝ. Eidem Polemoni regi editor musei Pembrockiani numum suum tribuerat, ac denique suum etiam Frölichius, quem ex museo Savorgnan vulgavit [b]). Eorum sententias non amplius refutamus, cum jam certiora teneamus.

Citati ergo numi certum nobis sistunt Polemonem sacerdotem summum, docente istud titulo ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ, et quidem Olbae, quod sequentia docebunt. Polemonem quidem hoc honore praeditum neque Strabo, neque alius quisquam prodidere. Eum tamen indicat Appianus in catalogo principum, a quibus M. Antonius V. C. 715. pecunias in imminens bellum Parthicum exegit, Πολεμωνα μερυς Κιλικιας, *Polemonem partis Ciliciae* [c]). Haud dubie hic Polemo fuit ex familia sacerdotum, atque is ipse, cui Abam Zenophanis filiam nuptam fuisse supra ex Strabone diximus. Adscivit nomina *M. Antonii* in gratiam III viri, qui orientem tum tenuit, exemplo Tarcondimoti vicinae partis Ciliciae reguli, ut taceam similia observantiae exempla ex numis regum Bospori et Edessae cognita. Antonii quoque nomen habuit Polemo Laodicenus, celebris Hadriano imperante sophista, ut testantur Philostratus [d]), et marmor Oxoniense [e]).

Praeter titulum ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. habet alium quoque ΔΥΝΑΣΤΟΥ. ΟΛΒΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. Vnicum istud exemplum inscripti numis *Dynastae*, quo titulo usi sunt, qui inferiores erant potentia, quam ut in regium nomen involare aut possent aut auderent. Eum et Strabo loco supra adducto sacerdotibus his largitur: και ὁ ἱερευς δυναστης εγενετο της Τραχιωτιδος, *et sacerdos fuit dynasta Trachiotidis*, et paullo infra eam ditionem vocat Τευκρȣ δυναστειαν. Dicitur Polemo *dynasta Olbensium* urbis *sacrae*. Nimirum eodem loco Strabo dixit, fuisse Olbae Iovis templum ab Ajace Teucri F. dedicatum, ex quo adeo urbi titulus ΙΕΡΑΣ, *sacrae*, accessit. Habet idem titulum *toparchae Cennatorum et Lalassensium.* Τοπαρχης est *praefectus loci*, et nomen inferioris dignitatis, quod, si numos spectes, in sola horum pontificum moneta comparet. At enim, qui sint hi ΚΕΝΝΑΤΟΙ, quos non modo numi praesentes, sed etiam numi Diocaesareae in iisdem sitae memorant, tacentibus geographis omnibus difficile est decidere. Quidquid erit, hi certe Cennati ad Olbensium pontificum ditionem pertinuerunt. At satis cogniti ΛΑΛΑΣΣΕΙΣ, *Lalassenses*, siti secundum Plinium et Ptolemaeum in Lalas-

a) l. c. b) l. c. c) Bell. civ. L. V. d) in Polemone §. 3. e) pag. 93.

side, quae a montanis ad mare usque versus Anemurium porrigebatur.

Annos principatus Polemonis indicant literae ET. B. et ET. IA. Docuimus supra ex Strabone, Abam Olbensem ditionem abstulisse ab Antonio et Cleopatra. Factum istud fuerit V. C. 713., quo ipso anno et IIIvirum et Cleopatram aliquanto tempore in Cilicia moratos constat. Fuit ergo is annus primus Polemoni, quem supra fuisse Abae maritum verisimile diximus, quique adeo accepti beneficii causa continuo Antonii nomen adscivit, et, quod sequitur, fuit ET. B. annus V. C. 714., denique E. IA. annus 723., quo posterior alter esse nequit, nam victo hoc anno ad Actium Antonio non ausus amplius fuisset Polemo ejus nomine IIIviri in monumentis publicis uti.

Antequam quae ad numorum horum epigraphen pertinent, absolvam, in examen videntur revocandae literae CAΛ., quae in numi Pembrockiani parte antica Polemonis titulis subjiciuntur. Eas neglexit Belleyus. Sed neque mihi idoneus earum explicatus praesto est. Si vere in numo exstant praetensae hae literae, quod dubitari sane potest propter biformes literas Σ et C se continuo excipientes, forte explendae sunt legendo ΣΑΛΑΜΙΝΙΟΥ, nimirum quod haec pontificum familia se ortam credebat, aut credi volebat a Teucro Salaminio, cujus filius Ajax Olbensis templi auctor exstitit. Neque sane alia causa fuerit, cur hi pontifices plerumque vel Ajacis, vel Teucri nomina sumpserint.

Typi: Sella, seu thronus augustior serviturus usui seu ipsius Iovis, seu ejus ministri pontificis. Certius ad Iovem pertinet fulmen. Diximus supra, Ajacem Teucri F. Iovi apud Olbam templum aedificasse. Accedit, quod Nicocles Salaminius ex eadem gente de se profitetur, se genus suum referre inter semideos ad Aeacidas, inter deos ad Iovem. (Isocrates in Nicocle, et copiosius in laudatione Evagorae.) De triquetra in numis sequentibus.

AE. RRR.

AIAX SACERDOS OLBAE.

ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput Augusti intra lauream.* ℞ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. ΑΙΑΝΤΟΣ. ΤΕΥΚΡΟΥ. ΤΟΠΑΡΧΟΥ. ΚΕΝΝΑΤΩΝ. ΚΑΙ. ΛΑΛΑΣ. *Duo fulmina.* AE. (Belley.)

ΑΙΑΝΤΟΣ. ΤΕΥΚΡΟΥ. *Caput Ajacis nudum imberbe, prae quo caduceus.* ℞ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. ΤΟΠΑΡΧΟΥ. ΚΕΝΝΑΤΩΝ. ΛΑΛΑΣ. ΕΤ. Α. *Triquetra* In alio: ΕΤ. Β. *Fulmen.* AE. II. (Belley, Pellerin Rois p. 199.)

Omnia fere, quae ad horum explicationem numorum pertinent, in observatis ad praecedentes numos occupata sunt. Hi numi docent praeterea, Ajacem Teucri F. imperante Augusto pontificio Olbae munere functum; confirmant etiam, quod testatur Strabo, ejus loci pontifices plerumque Ajacis et Teucri nominibus usos. In posterioribus numis ambiguum est, sitne legendum ΑΙΑΝΤΟΣ. ΤΕΥΚΡΟΥ., an ΤΕΥΚΡΟΥ. ΑΙΑΝΤΟΣ. Posterior lectio placuit Belleyo, et Pellerinio. At mihi prior praeplacet suadente istud numo praecedente, nam verisimile videtur, ad unum eundemque utrosque pertinere.

Triquetrae, quae saepe in horum principum numis recurrit, explicatum huc distuli. Ea obvia est in numis urbium Siciliae nota significatione. In suam etiam monetam vocavere Nola Campaniae, et Velia Lucaniae. Sed de harum regionum cum Cilicia nexu nihil constat. Suspicatur ergo Belleyus, indicari hoc symbolo nexum trium ditionum, quae his pontificibus parebant, Olbensium, Cennatorum, et Lalassensium. At vero satis videtur probabile, ut sella Iovis et fulmen ad Olbenses, forte etiam Cennatos pertinent, sic triquetram ad solos Lalassenses pertinere. Ejus argumentum capio ex autonomo solorum Lalassensium, quem in horum moneta ex museo Pellerinii citavi, in cujus aversa typus triquetra. Nullus sane in hoc cum reliquis duobus populis nexus apparet. Ex quo manifestum est, symbolum istud esse unis Lalassensibus proprium, et in hos pontificum numos advocatum, quia in his quoque eorum fit mentio. Satis constat, triquetram in plurium hujus tractus urbium numos gressum intulisse. Comparet sane in moneta Selges Pisidiae, Aspendi Pamphyliae, Argorum Ciliciae, et forte etiam in numo Tarsi. Cum similem triquetram in Argorum quoque Argolidis numo reperirem, olim, cum in hujus symboli progressum adcuratius inquirerem, verisimile dixi, eo indicari coloniam Argis Argolidis ductam [a]). Argumenta, quae ibi commemoraveram, repetere longum foret.

AE. RRR.

POMPEIOPOLIS.

Vide infra in *Solis*.

SELEVCIA AD CALYCADNVM.

In Trachea nonnihil a mari remota ad Calycadnum fluvium. Aedificata fuit a Seleuco Nicatore secundum Stephanum, et forte tum incolae Holmorum vicinorum, qui ad ostia Calicadni siti fuere, ad frequentandam novam urbem Seleuciam traducti sunt, quod factum tradunt Strabo, Plinius, Stephanus, ut etiam supra in numis Dorensium innui, etsi tempus, quo id factum, et auctorem non prodant. A scriptoribus inferioris aevi dicitur etiam Seleucia Isauriae, nempe hujus finibus in interiora Ciliciae Tracheae protentis, de quo vide Cellarium [b]).

Autonomi:

Caput Palladis. ℞ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΚΑΛΥΚΑΔΝΩΙ. *Victoria gradiens, per aream* ΑΘΗ. vel: ΔΙΟΦ. ΗΡΑ. AE. II. (Pellerin.)

Caput Apollinis. ℞ *Eadem epigraphe. Equus dimidius saliens, in area* ΔΙ. ΗΡΑ. AE. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Propter additam situs mentionem hi numi certe sunt hujus Seleuciae. Alios tres huc adhuc refert Pellerinius, sed de quibus dubitari possit, quoniam Calycadni mentione abstinent, et complures fuere urbes Seleuciae nomine praeditae etiam in vicino Ciliciae tractu.

AE. R.

---

a) Num. vet. p. 77. b) pag. 194. et 203.

Imperatorii.

Ab Hadriano usque ad Gallienum. Additur constanter Calycadnus, ut: CЄΛЄΥΚЄΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟC. ΚΑΛΥΚΑΔΝΩ. Illos, qui ferebantur inscripti ΚΛΑΥΔΙΟCЄΛЄΥΚЄΩΝ, aliquando suspicabar male lectos, sic ut pro ΚΛΑΥΔΙΟ. legendum sit ΚΑΛΥΚΑ., sed satis nunc mihi constat, genuinam hanc esse lectionem. Neque tamen hi numi sunt hujus Seleuciae, ut visum Vaillantio et Pellerinio, sed Seleuciae Pisidiae, ut in hac comprobavi.

Typi: Proponitur saepe *Pallas dimicans cum monstro barbato in geminos angues desinente*, quod inique Vaillantius esse Tritonem adserit, verum esse Gigantem, abunde alias comprobavi [a]). Haud dubie is est ipse Typhoeus, quem fuisse Cilicem, tradit Nonnus [b]), et cujus cubile fuisse prope Corycum, quae Seleuciae vicina fuit refert Mela [c]).

Tituli:

ЄΛЄΥΘЄΡΑC. saepius addit, et quidem cum ostentatione, ut cum Victoria explicatum tenet volumen in formam ejus, quod Itali *coda di rondine* appellant, cui vocabulum illud est inscriptum [d]), aliter in aliis, sed plerumque ostentantis more. Censet Vaillantius, id privilegium urbi concessum a Gordiano, quoniam hunc titulum in hujus primum numis repererat; sed beneficium istud Pellerinius in Alexandrum vi numi sui confert [e]). Verum jam in Caracallae numo apud Arigonium eum tempello video inscriptum eodem modo, quo serius in numo Gordiani apud Vaillantium. Verius videtur libertatem suam debere Augusto, qui cum Ciliciam asperam Archelao regi subjecisset, hanc tamen Seleuciam exemit, ut refert Strabo [f]).

Metropolis honorem credo me deprehendere in numo Gallieni musei Caesarei, in cujus area lego MH. Serius certum est, fuisse Seleuciam metropolin Isauriae, ut ex Notitiis probat Cellarius [g]).

* * *

Magistratus decurtatis eorum nominibus inscribuntur autonomis nulla dignitatis mentione. In imperatoriis nullum eorum indicium.

* * *

Signum incusum exhibens triangulum, vel Δ, cui inscriptum O, in omnibus fere hujus urbis numis sub Gordiano signatis comparet, de quo vide Pellerinium [h]).

AE. R.

SELINVS.

In Trachea ad fluvium cognominem, Trajani morte celebritatem nominis nacta.

Imperatorius Lucillae laudatur in Catalogo d'Ennery: (pag. 598.)

CЄΛΙΝΟΥCΙΩ. *Diana gradiens.* AE. III.

Stephano gentile Selinuntis Siciliae est Σελινεντιος et Σελινεσιος. Ejusdem rationis cum fuerit Selinus Ciliciae, poterat utrumque etiam gentile usurpare.

a) Num. vet. p. 230. b) Dionys. L. I. v. 155. c) L. I. c. 13. d) Pellerin Suppl. II. p. 57. e) l. c. f) L. XIV. p. m. 987. g) pag. 194. h) Suppl. II. p. 84.

* * *

Est apud Mediobarbum numus Latinus Trajani, in cujus aversa: S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. SELINVNTEM. typo *aedificii sphaerici* a). Falsi hujus numi non meminissem, nisi viderem, eum a summis viris in commentarios suos receptum, quos inter fuit Pagius b), et Harduinus c). Mors maximi ejus principis hac in urbe obita impostori fraudis materiem suggessit.
AE. RRRR.

SOLI, *qui et* POMPEIOPOLIS.

In Campestri maritima inter Lamum et Cydnum fluvios, a qua urbe propter dialectum barbaram *soloecismi* appellatio creditur fluxisse. A Solone legislatore urbem conditam narrat Diogenes Laertius d), et ab hoc saltem nomen tulisse censet Stephanus, sed Plutarchus non hos Solos, sed alteros Cypri esse opus Solonis adfirmat e), quin Strabo, Polybius, Livius, Mela unanimi consensu hanc Ciliciae urbem ab Achaeis et Rhodiis conditam praedicant, atque Rhodii hos Solos, perinde ac se, ab Argivis ortos, et secum sanguine junctos senatui R. commendavere referente Polybio f), et Livio g). Atque haec a Rhodiis tracta origo numis quoque comprobatur. Serius Pompejus finito praedonum bello in urbem incolis nudatam piratarum partem traduxit, eamque de se *Pompejopolim* appellavit, quod deinceps nomen fere valuit. Vtroque nomine habemus hujus urbis monetam, non modo ex scriptorum oraculo praepotentis, sed et testimonio nobilium numorum, qui supersunt.

I. *Nomine* SOLORVM, *et* SOLOPOLIS.

Autonomi:

Vir barbaro cultu ingeniculatus adligata femori pharetra, utraque manu arcum prae se tenet. X ΣΟ. ΣΟΛΕΟΝ. ΣΟΛΕΩΝ. *Botrus intra quadratum.* AR. I. (Hunter, Pellerin. Rec. III. tab. CII.)

Caput Palladis, cujus galea grypho ornatur. X ΣΟΛΟΙ. (*retrograde.*) *Botrus intra quadratum.* AR. I. (Pellerin. Rec. III. tab. XXIII. n. 17.) — ΣΟΛΙ. *Botrus.* AR. I. (in binis Hunteri.) — ΣΟΛΙΟΝ. *Botrus.* AR. I. (Pembrock.)

Caput Palladis. X ΣΟΛΕΩΝ. *Botrus*, *in area* APT. *et noctua.* AR. I. (Hunter.)

Expedienda primum varia in his numis epigraphes ratio. ΣΟΛΟΙ. est ipsum urbis nomen, perinde ac vicinum Ολμοι apud Stephanum, unde Plinianum *Soloe* et *Holmoe* h), unde ducuntur nota illa σολοικος, σολοικιζω, σολοικισμος. ΣΟΛΙ, ΣΟΛΙΩΝ. vel antique ΣΟΛΙΟΝ ducitur a gentili Σολιος, denique ΣΟΛΕΩΝ, antique ΣΟΛΕΟΝ, a gentili Σολευς. Cum binae fuerint urbes Solorum nomine, altera Ciliciae, Cypri altera,

a) Pag. 163. b) Crit. Baron. ad ann. Ch. 117. c) ad Plinii sui L. V. §. 22. d) in Solone. e) in Solone. f) Exc. leg. 25. g) L. XXXVII. c. 56. h) L. V. p. 270.

quaeritur, utri tribuendi sint numi sic inscripti. Epigraphe ΣΟΛΟΙ ad praesens criterium nihil confert, nam utraque haec urbs passim ab auctoribus dicitur Σολοι, a scriptoribus Latinis *Soloe.* Alter modus ΣΟΛΙ. ΣΟΛΙΟΝ. invitabit in Cyprum, si audiamus oraculum Diogenis Laertii sic utriusque urbis gentile enunciantis [a]): *και εισιν οι μεν ενθεν* (Ciliciae) ΣΟΛΕΙΣ, *οι δ' απο Κυπρου* ΣΟΛΙΟΙ. Ex quo testimonio videretur posse argui, numos inscriptos ΣΟΛΕΩΝ esse Solorum Ciliciae, at inscriptos ΣΟΛΙ. ΣΟΛΙΩΝ. Solorum Cypri. Verum malim hos quoque numos dare Cilicibus, quod typis fere penitus conspirant cum iis, qui ΣΟΛΕΩΝ offerunt, et quod, si Salaminis vetustissimos numos demas, vix alterius urbis Cypriae certos habemus autonomos, et malim credere, Solenses Ciliciae in gentili suo variasse, ut plures alias urbes variasse novimus. Sane et Stephano Solorum Ciliciae *πολιτης* dicitur *Σολευς* et *Σολιος.* Pellerinius numos similes omnes tribuit Solis Cypri, sed rationibus plane infirmis [b]). In numo simili Hunteriano comparet signum incusum bovem referens, quod nonnisi numi urbium Ciliciae et vicini tractus offerunt, valido ad numos hos Ciliciae tribuendos argumento. Denique et gentile ΣΟΛΟΠΟΛΕΙΤΗΣ in numis legitur, cujus plura exempla in Trajanopoli Thraciae dedi.

Non pauci ex his numis et inscriptionis et picturae causa longam praeferunt antiquitatem. Vide numos Hunterianos.

* * *

Caput juvenile radiatum. ✗ ΣΟΛΕΩΝ. *Pallas sedens, per aream varia monogrammata.* AE. I. (Pellerin.)

Caput Solis radiatum. ✗ ΣΟΛΕΩΝ. *Balaustium.* AE. III. (Sestini Lettere T. III. p. 106.)

Caput Dianae. ✗ ΣΟΛΕ. *Pallas gradiens s. clypeum protendens, d. jaculum vibrans, per aream monogrammata.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Palladis. ✗ ΣΟΛΕΩΝ. ΕΘ. *Noctua.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput radiatum numi I. et II. existimo esse Solis, et indicare originem Rhodo tractam, de qua egimus supra, quod tanto magis confirmat balaustium numi alterius. Numus IIII. Atheniensis monetae typos exhibens sententiae Diogenis Laertii suffragari videtur, referentis, ut diximus, Atheniensium colonos ibi consedisse.

* * *

Caput Pompeji M. nudum. ✗ ΣΟΛΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Victoria gradiens.* AE. III. (Khell Adpendic. II. p. 136.)

Similes alii jam pridem editi, sed *Pompejopolis* nomine, ut continuo videbimus.

AR. RRR. AE. RR. nomine Solopolis RRRR.

II. *Nomine* POMPEIOPOLIS.

Autonomi:

Γ. ΠΟΜΠΗΙΟΣ. *Caput Pompeji M. nudum.* ✗ ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Mulier sedens pede prorae imposito.* AE. II. (Vaill. Num. Graec. p. 1. Morelli in Pompeja.)

---

a) In Solone L. I. c. 2. n. 4. b) Rec. III. p. 78. et 178.

Caput idem sine epigraphe. ✕ ΠΟΜ-ΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Victoria gradiens.* AE. III. (Theupoli. p. 829. Arigoni.)

Causam illati in hos numos Pompeji supra dedimus. Satis apparet, eos signatos mortuo Pompejo, eumque propositum tanquam conditorem more aliarum urbium Graecarum. Typi ad ejus viri victorias, ac praecipue navales adludunt, quae causa fuere restitutorum Solorum.

* * *

ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Caput nudum barbatum.* ✕ ΟΡ. *vel*: ΘΚC. *Caput nudum barbatum, manu dextera, quae ex circumfluo pallio promicat, ori admota.* AE. II. (Morelli Specim. p. 240. Hunter.)

Morellius capite partis anticae Aratum, posticae Chrysippum Stoicorum principem adumbrari credit, qui Solenses domo fuere, et cum numi aetas docente aerae anno ΘΚC. in imperium M. Aurelii, qui philosophus ipse fuit, incidat, suspicatur, factum istud a Solensibus, ut jactarent philosophos suos imperatori ipsi philosopho. Verum si rite lectus est annus ΟΡ. numi Hunteriani, qui cadit in annum V. C. 856. imperante Trajano, praetensum istud Solensium obsequium locum non habet.

AE. RR.

Imperatorii.

Exclusis numis Pompeji M., quos in autonomis dedimus, sunt a M. Aurelio usque ad Trebonianum.

Epigraphe: ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΙΤΩΝ.

* * *

ΠΗΓΗ. COΥΝΙΑC. ΒΝC. *Fluvius decumbens*, in numo Commodi. (Vaillant.)

Fontis Suniadis veterum nullus meminit. Si incolae hujus urbis saltem quadam sui parte fuere coloni Athenis profecti, cujus supra in autonomis aliqua indicia proposui, videtur verisimile, Solenses fonti suo ex promontorio Attico *Sunio* nomen indidisse, in quo etiam templum Minervae, a loco dictae *Suniadis* stetit, ut narrat Pausanias [a]).

ΟΜΟΝΟΙΑ. CΕΒΑCΤΩΝ. *M. Aurelius, et L. Verus stantes jungunt dexteras.* AE. m. m. (Mus. Albani.)

Reliqui typi obvii.

* * *

Epochae anni, sed omisso ЄΤ.

ΟΡ. in autonomo.

ΘΚC. in autonomo, et L. Veri. (Albani.)

ΒΝC. Commodi. (Vaill.)

ΓΞC. Caracallae. (Mus. Caes.)

ΒΠC. Caracallae. (Vaill.)

ΓΠC. Macrini. (Theupoli.)

ЄΠC. Elagabali. (Mus. Christinae Tab. 28. sed in hoc Caracallae dicitur. Epocha Elagabalum exigit.)

ΘΤ. Gordiani. (Vaill.)

Vaillantius epochae principium figit ad annum V. C. 687., quo constat Pompejum victis piratis agros per Ciliciam distribuisse. De hac urbe diserte Dio ad hunc annum Acilio et Pisone Cos. *Itaque et aliae urbes habitari coeptae, et quam Pompejopolin nominant, Solos prius dictam, sitam in Ciliciae ora, quam Tigranes vastavit.* Revera praecipiente numo Macrini epochae princi-

a) Attic. L. I. sub init.

pium alteri anno illigari nequit, quam 687. vel 688. Molestus tamen est numus Caracallae cum anno ΓΞC. in quo is laureato jam capite est. Defixo ad annum 687. aerae principio numus signatus est ab autumno V. C. 949. usque ad sequentem autumnum 950. At Caracalla nonnisi anno 951. a patre in collegium adsumptus est. Videtur ergo addita corona licentia municipali.

AE. RR.

SYEDRA.

In Trachea, maritima, a posterioribus geographis Isauriae inseritur, nimirum pro recentiore divisione. Lucano dicitur urbs parva, et Selinuntis navale a), sed magis ipsa sibi placuit, ut docebunt tituli.

Imperatorii satis copiosi exstant a Nerone usque ad Saloninam.

Epigraphe CΥЄΔΡЄΩΝ. *Typi* obvii.

* * *

Honorum tituli:

CЄΜΝΗC. ЄΝΔΟΞΟΤЄΡΑC. CΤЄΔΡЄΩΝ. *intra coronam*, Valeriani. (Pellerin Rec. III. p. VIII.)

CЄΜνος, *venerabilis*, dictus est etiam Gordianus Africanus in numis Alexandrinis, tum et Caracalla SEMNOS in numo coloniae Cassandreae Macedoniae. Est etiam σεμνοτατος δημος Αθηναιων in marmore Chandleri b). ЄΝΔΟΞΟΤЄΡΑΝ se dixerit in comparandi gradu, ut sese prae Anazarbo et Side urbibus vicinis, quae se modestius dixere ενδοξυς, *illustres*, efferret.

* * *

Certamina.

ΓΥΜΝΑCΙΑΡΧΙΑ. *Vrna intra quatuor minores alias*, Saloninae. (Theupoli, Panel ex le Bret.)

Iidem ludi, aut verius ludorum praefectura, memorantur etiam in numis vicinae Colybrassi. Vide de hoc vocabulo tractatum de ludis.

* * *

Literae solitariae IA. juxta caput anticae in citatis numis Valeriani et Saloninae, item Gallieni in museo Caesareo.

AE. vix R.

TARSVS.

Ad Cydnum, Ciliciae nobilissima, a Perseo et Argivis condita. Ejus historiam ac numos praeclare conscripsit meis laudibus major Belleyus c). Temporaria ejus nomina fuere *Antiochia* ab Antiocho Epiphane d) et *Iuliopolis* in gratiam utriusque Caesaris e), sed utrumque nomen in numis non habetur.

Autonomi:

ΤΕΡΣΙΚΟΝ. *Caput muliebre turritum.* Ӿ *Hercules cum leone luctans.* AR. fere I. (Pellerin. Rec II. p. 22.)

Egregium hunc numum Pellerinius debili conjectura esse tribuendum Heracleae Bithyniae putavit. At quoniam certe constat, Tarsum dictam quoque fuisse *Tersum*, et urbes saepe pro gentili monetae suae inscripsisse κτητικον

---

a) L. VIII. v. 259. b) Inscr. ant. p. 53. n. 34. c) B. L. T. XXXVIII. p 340.
d) Stephanus. e) Dio. L. XLVII. §. 26.

sive *possessivum*, et secundum binas adeo has causas ΤΕΡΣΙΚΟΝ pro ΤΑΡΣΕΩΝ, ipsi etiam typi Tarsum commode referantur, non dubitavi aliquando, numum hunc confidenter huc vocare [a]; quo loco haec omnia ex ipsis veterum testimoniis late comprobata habes. Causam meam demonstratam putabam, at en tibi iterum Pellerinium veterem suam aggressum tueri sententiam, impugnare meam [b]. Arbitretur lector.

Numum hunc omnes Tarsi numos hactenus cognitos aetate praecedere, ex omnibus causis patet.

* * *

Caput muliebre turritum. ✠ ΤΑΡΣΕΩΝ. *Apollo nudus cortinae insidens d. plectrum, s. lyram, per aream sparsae literae.* AR. m. m. (Pellerin Lettres p. 210.)

Bini hi numi soli sunt certi hujus urbis argentei. Sed forte ex pervetustis illis, qui inscriptionem peregrinam offerunt, et typum habent leonem, qui taurum depascitur, aut leonem gradientem, cujus generis plures proposui in Catalogo musei Caesarei [c], Tarsi signati sunt. Certe ejus generis numi ex ea vicinia advehuntur, et saepius in imperatoriis taurus leoni in escam cedit.

* * *

Caput muliebre velatum turritum. ✠ ΤΑΡΣΕΩΝ. *Basis, cui imposita pyramis; huic insculpta figura quadrupedi insistens manu elata, supra pyramidem aquila expansis alis.* AE. I. II. (Pellerin, Hunter.) In alio *basis continet* 4 *figuras chorum ducentes.* (Pembrock.)

Hic typus, cujus explicatio a viris gravissimis tentata est, suum adhuc Oedipum desiderat. Plerique Sardanapali monumentum credunt, quod in hac vicinia stetisse indicat Strabo. Postremus Belleyus pyram Herculis honori erectam putat, sed non persuadet [d]. Alias variorum de hoc typo sententias vide apud Pellerinium [e]. Typus non absimilis est in autonomo Philadelphiae Lydiae [f]. Exstat apud Haymium argenteus Demetrii II. Syriae regis cum typo simillimo, quem propterea dubium non est a Tarsensibus cusum. In numo Macrini nostrae Tarsi Apollo barbatus insistit leoni, cujus occipiti caput tauri conjungitur, in cujus explicatu Liebeus editor allegorias venatur, quid enim aliud faceret? sed ut fieri amat, vagas et incertas [g].

Caput muliebre velatum turritum. ✠ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΤΑΡΣΕΩΝ. *Figura capite tutulato d. elata, s. bipennem et pateram insistens quadrupedi ignoto.* AE. II. (Hunter.)

ΤΑΡСΟΥ. *Caput muliebre.* ✠ ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩС. *Similis typus.* AE. III. (Hunter.)

Numi hi causa typi commode cum praecedentibus junguntur.

* * *

ΑΔΡΙΑΝΗС. ΤΑΡСΟΥ. *Iuppiter Nicephorus sedens.* ✠ ΤΥΧΗ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩС. *Mulier capite turrito sedens d. spicas et papavera, infra fluvius emergens.* AE. I. (Pellerin.)

ΤΑΡΣΕΩΝ. *Iuppiter Nicephorus sedens, juxta* ΜΑΣΙΝΙΚΡΑ. ✠ *Idem*

a) Num. vet. p. 235. b) Additions. p. 75. c) Part. I. tab. V. d) B. L. T. XXXVII. p. 357. e) Rec. II. p. 175. f) Pellerin. g) Goth. num. p. 288.

aversae typus, juxta: ΟΡΤΥΓΟΘΗΡΑ. AE. I. (Pellerin.)

Eadem adversa, juxta: ΕΠΡ. ☧ *Mulier sedens, ut in praecedentibus.* AE. I. (Hunter.)

Iuppiter in Tarsi numis typus frequens, sed constat etiam, insignem ejus fuisse in hac urbe cultum, a qua nomen quoque Διος Τερσιυ tulit [a]).

Mulier partis aversae in omnibus his numis certa est *urbis fortuna* docente inscriptione ΤΥΧΗ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. De hac urbium Fortuna saepe in moneta vetere variis typis obvia vide quae alibi liberalius disputavi [b]). Eadem est in imperatoriis quoque.

Literas solitarias per Tarsensium monetam frequenter vagas nequaquam moramur, quemcunque ea explicatum sibi postulent. At jure advertit animum inscriptum numo II. ΟΡΤΥΓΟΘΗΡΑ, quod vocabulum *coturnicum venationem* notat. Suspicatur leviter Pellerinius, colli, cui mulier insidet, nomen fuisse *Ortygotherae*. De literis ΕΠΡ. vide mox infra.

* * *

Quadrupes formae mihi ignotae. ☧ ΤΑΡΣΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ. *Herma inter duo animalia.* AE. III. (Hunter.)

Vnicus est hic numus, qui *Tarsum sacram et asylum* dicat. Omnes etiam imperatorii hos titulos dissimulant. Suspicari quis posset, pro ΤΑΡΣΕΩΝ. legendum ΡΩΣΕΩΝ., praecipue cum primas ejus vocabuli literas vitium passas ipse Cl. Combius profiteatur.

* * *

Caput muliebre turritum. ☧ ΤΑΡΣΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΚΥΔΝ. *Figura quadrupedi insistens.* AE. III. (Pellerin.)

Scilicet Cydnus fluvius, qui Tarsum alluit. Eundem supra saepius vidimus propositum typo figurae natantis more hujus tractus.

* * *

Epochae annum haud dubie videtur indicare ΕΠΡ. scriptum ante Iovem sedentem numi Hunteriani, quem supra proposui. Sin istud, unicus est hic Tarsi numus cum aerae mentione. Sed quia annus hic notatur in autonomo, a quo procedat initio, decidi nequit.

AR. RRRR. AE. C.

Imperatorii.

Perquam hi copiosi ab Augusto usque ad Gallieni aetatem, quodque in paucis urbibus factum, argenteam etiam monetam procudit, et nonnullos max. mod. nimirum cum capite Domitiani, Hadriani (Mus. Caes. Pellerin. Mel. I. p. 187. Khell. Suppl. ad Vaill.) Domnae, (Mus. Caes.) Caracallae. (Vaill.) Num. praest.)

Epigraphe: ΤΑΡCΟC. ΤΑΡCΟΥ. ΤΑΡCΕΩΝ. additis variis titulis, de quibus infra.

* * *

ΚΟΡΟΙ. CΕΒΑCΤΟΙ. *Capita nuda adversa Caracallae et Getae, inter quae manus ab imo protenta caduceum tenet.*

Vulgavit Pellerinius, (Rec. III. p. 236.) censetque corrigendum Vaillan-

a) Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 868. b) Num. vet. p. 183.

tium, qui in simili numo vidit tantum CEBACTOI, eumque adeo M. Aurelio, et L. Vero tribuit.

OMONOIA. CEBACTΩN. *M. Aurelius et L. Verus stantes jungunt dexteras.* (Vaill.)

ΔIOC. TAPCEΩN. *Iuppiter sedens d. pateram*, Hadriani. (Vaill.)

Iovis sedentis typus in autonomis frequens, quos vide.

TYXH. TAPCOY. *Mulier insidens rupi etc. ut in autonomis*, in argenteo Caracallae, (Vaill. Num. praest.) et in aeneo Macrini. (Vaill.)

CEITOC. *Navis explicato velo cum vectoribus*, Caracallae max. mod. (Arigoni.)

Scriptum CEITOC pro CITOC, quod et *commeatum*, *annonam* significat, et indicare annonam Caracallae beneficio impetratam videtur, quod explicabitur amplius infra, ubi de ludis agam. Navis quoque typus inscriptionem juvat, quae annonam adfert. Sic et ANNONA in numis Neronis adstitutam navim habet.

KOINOBOYΛION. EΛEYΘ. TAPC. *Pallas sedens calculum in subjectum vas mittit*, in argenteo Caracallae. (Vaill. Num. praest. Morelli Spec. p. 51.)

KOINOBOYΛION. etc. *Pallas sedens d. Victoriolam, s. hastam, juxta clypeus*, Caracallae m. m. (Mus. Caes.)

Vocabulum KOINOBOYΛION *commune consilium* significat, et quidem ipsius Tarsi. Nam, ut praeclare observat Belleyus contra Spanhemium, teste Dione Chrysostomo tres fuere Tarsi ordines, Δημος, Βȣλη, Γερȣσια, et ipse Dio laudat Tarsenses, quod concordes sint et κοινῃ βȣλευονται *in commune consulant* a). Pallas typus est idoneus, nam non modo ipsa est sapientiae praeses, qua opus est cumprimis, cum in commune consulimus, qua de causa eam recte Phocion πολεμικην τε ἁμα και πολιτικην, bellatricem, *simul et civilium artium peritam* dixit b), verum et ipsa aliquando Orestem in judicio adposito suo calculo absolvit. Et stetisse Athenis in curia aram Iovis Βȣλαιȣ, et Minervae Βȣλαιας testatur Antiphon c). Idem vocabulum et similis typus est etiam in numis Anazarbi ejusdem Caracallae. Enim vero ex collatis numis Tarsi et Anazarbi satis apparet, et patebit magis continuo, hanc alterius non aemulam modo exstitisse, sed et in plerisque serviliter imitatricem.

* * *

Typi pro tanta numorum copia multum variant. Herculis labores frequenter proponuntur, et fuit hic eximie in hac urbe cultus, decantatis etiam publice hymnis, ut refert Dio Chrysostomus d). Inter hos illustriores sunt:

Hercules nudus stans d. clavam capiti bovino impositam, s. exuvias leonis et puellum cum adstante cerva colludentem, pone arbor, cui insistit avis. Maximini, AE. m. m. (Venuti Mus. Albani, Liebe p. 381.)

Vterque vir eruditus hoc typo varios Herculis labores, et propter puellum sinu gestatum ipsum Herculem tanquam bonum patrem familias propositum cre-

a) Orat. XXXIV. b) Plut. in Phoc. c. 7. c) Orat. περι τȣ χορευτȣ. d) Orat. XXXIII.

didere, cum tamen in hoc numo una agatur Telephi Herculis filii a cerva nutriti fabula, quam ex hoc ipso aliisque monumentis late explicavi in moneta Pergami Mysiae.

* * *

Scylla canibus succincta s. gubernaculum, dextera vel extenta, vel admotam ori concham inflans, in AE. m. m. Gordiani, (Mus. Florent.) Pupieni. (Num. max. mod. reg. Gall.)

Modo simillimo fingitur Scylla in notis denariis Sex. Pompeji. Sed si causam tenemus, cur his illata sit, nimirum propter relatam a Pompejo victoriam in freto Siculo, in quo fuit hujus monstri cubile, ignoramus certe, quae praedae spes eam in Ciliciam invitaverit, nisi forte eam ostentant Tarsensium numi causa Herculis, quod is ferebatur huic monstro mortem maturasse. (Tzetzes ad Lycophr. v. 45.)

ΑΥτοκρατωρ ΚΑΙσαρ ΘΕȣ ΤΡΑιανȣ ΠΑΡθικȣ Υιος ΘΕȣ ΝΕΡȣα Υιωνος ΤΡΑιανος. ΑΔΡΙΑΝΟϹ. ϹΕβαςος ΟΛΥΜΠΙΟϹ. Πατηρ Πατριδος. *Caput Hadriani laur.* ℞ ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΤΑΡϹΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. *Aquila expansis alis harpae insistens.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Illustre hoc cimelium olim vulgavi pictumque stiti metallo, volumine, Hadriani titulis, aversae typo in paucis nobile. (Sylloge I. p. 47.) Aquilam et harpen ad Perseum pertinere ex monumentis et mythologorum doctrina invicte demonstratur. In numis obviis Philippi V. Macedoniae regis, de cujus in Perseum adfectu constat, habetur in antica ejus herois caput cum harpa, in aversa aquila. Numus Larissae Thessaliae hic quoque in aversa aquilam eodem modo harpae insistentem offert. Adde eundem typum in drachma Argorum Peloponnesi, quam dedi in meis Numis veteribus[a]). At fuit Argos certa Persei patria, Larissa Perseo male cognita, quia in hac Acrisium avum imprudens interfecit. Harum urbium et exemplo et jure Tarsus quoque cum harpam Persei, tum patris Iovis aquilam in moneta praefert, etenim conditam fuisse a Perseo, ac propterea publicos in ejus honorem hymnos hac in urbe decantatos, Tarsenses vero sese Argivos professos, copiose olim demonstravi[b]).

* * *

1) ΚΟΙΝΟϹ. ΤⲰΝ. ΤΡΙⲰΝ. ЄΠΑΡΧΙⲰΝ. *Corona, cui praeter literas* Γ. Β. *insistunt* XI. *capita quorum quinque mulierum, quatuor virorum esse dignoscuntur, reliquis duabus extritis*, Caracallae. (Frölich IV. Tent. p. 450.)

2) ΤΑΡϹΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩϹ. Α. Μ. Κ. Γ. Β. *Duo circuli concentrici, quorum interiori adfixa sunt VII. capita tam virorum, quam feminarum, et totidem similia circulo exteriori quorum unum juvenile laureatum ab adstante hinc et inde Victoria coronatur*, Gordiani. (Pellerin. Mel. II. p. 200.)

3) ΤΑΡϹΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩϹ. Α. Μ. Κ. *Corona, circa quam VII. capita humana*, Caracallae. (Theupoli.)

4) ΚΟΙΝΟΝ. ΚΙΛΙΚΙΑϹ. ΤΑΡϹΟΥ. ΔΙϹ. ΝЄΟΚΟΡΟΥ. *Corona quam obsident VIII. capita varia, intus rami ludorum.* ℞ ΑΔΡΙΑΝΗ. ΚΟΜΟΔΙΑΝΗ.

a) Pag. 78. b) Num. vet. p. 80.

ΤΑΡCOC. ΜΗΤΡΟΠ. *Mulier rupi insidens, subtus fluvius emergens.* (Gessner ex Bianchini hist.)

5) Eadem adversa. Ӿ Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΑΔΡΙΑΝΗ. ΚΟΜΜΟΔΙΑΝΗ. ΤΑΡCOC. Idem typus. (Ibid.)

6) ΤΑΡCOΥ. ΜΗΤΡ. ΤΩΝ. ΚΙΛΙΚΩΝ. ICAΥΡΙΑ. ΚΑΡΙΑ. ΛΥΚΑΟΝΙΑ. *Mulier turrita scopulis insidens cum emergente subtus flumine, adstant duae feminae turritae Isauriam et Cariam adsimilantes, Lycaonia retro stans Tarso coronam imponit*, Severi. (Vaill.)

Epigraphen numi I. ΚΟΙΝΟC. ΤΩΝ. ΤΡΙΩΝ. ЄΠΑΡΧΙΩΝ. *Commune trium provinciarum* praeclare explicat Frölichius ope numi VI., nimirum tres provincias in priore numo enuntiatas absque tamen nomine alias non esse, quam Isauriam, Cariam, Lycaoniam. Apparet etiam ex vocabulo ΚΟΙΝΟC, quo ἀγων subauditur, fuisse tribus his provinciis communionem ludorum, quos numi docent Tarsi celebratos, sed quorum causa a veteribus dissimulatur.

Quod ad capita in circulum disposita attinet, existimat Frölichius, in suo Caracallae numo exhiberi familiam hujus Augusti in linea tam ascendente, quam descendente, capitibus XI. constantem, de qua hujus occasione numi erudite disserit [a]). At hanc ejus sententiam alii videntur numi hic ex proposito citati convellere. Nam cur in altero numo ejusdem Caracallae septem tantum comparent capita? Magnopere etiam quis laborabit, qui septem capita, quae visuntur in numo Gordiani, et octo illa, quae sunt in numis 4. et 5., sub Commodo, ut vocabulum ΚΟΜΟΔΙΑΝΗ docet, signatis ad horum Augustorum volet familiam exigere. Interea quis sit horum capitum sensus, decidere vereor, aliorumque judicio lubens decedo. Similis corona cum adfixis octo capitibus est etiam in numo Aspendi cum capite Saloninae [b]).

Numus VI. exhibet genium, seu Fortunam Tarsi praeeuntibus numis autonomis supra descriptis. Reliquus typus me commonefacit decreti Byzantiorum, quo hi sanxere, ut publice erigerentur tres statuae, nimirum populi Atheniensis coronati a populo Byzantiorum et Perinthiorum [c]).

* * *

Metropolis. Hunc honorem inde ab Augusto constanter profitetur, quo etiam gavisam jam Strabo professus est: τον της μητροπολεως επεχουσα λογον, de Tarso loquens. Vocat se in nonnullis metropolin ΚΙΛΙΚΙΑC. vel ΤΩΝ. ΚΙΛΙΚΩΝ. (Vaill. in Ant. Pio, Severo.)

* * *

Autonomiam videt Pellerinius in argenteo max. mod. cum capite hinc Hadriani, inde Sabinae, juxta cujus Augustae caput hinc est Α, inde Υ. Addit, tanto verisimilius videri his literis notari autonomiam, quod hanc constat, ut articulo sequente dicetur, a M. Antonio urbi concessam [d]). At verius legendum ΑΥγουστη, probabimus in numis hujus Sabinae.

* * *

Libera, ЄΛЄΥΘερα in numo, in quo

a) l. c. p. 454. b) Pellerin Mel. II. c) Demosth. de Corona. d) Mel. I. p. 187.

ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ, de quo supra. Tarsensibus a M. Antonio datam libertatem, narrat Appianus [a]). Et refert Lucianus [b]), Tarsum deprecante Athenodoro, quo in philosophia praeceptore usus est Augustus, vectigalibus levatam fuisse. Quod beneficium tulisse aetatem, inde arguo, quod Luciani adhuc aevo Tarsenses Athenodoro tanquam heroi annuos honores obtulere.

* * *

Imperatorum nomina varia tulit. Vocatam *Iuliopolin*, initio diximus, at numi tacent.

ΑΔΡΙΑΝΗ. Istud nomen jam in numis sub ipsum Hadriani imperium signatis usurpavit, ut docent numi aliquot altius descripti, item alter Antinoi. (Vaill.) Ab Hadriano peculiaria videtur beneficia abstulisse, cujus nomen in sequentium etiam imperatorum numis retinuit.

ΑΔΡΙΑΝΗ. ΚΟΜΟΔΙΑΝΗ. in numis Commodi, etiam autonomis.

ΑΔΡ. CΕΥΗΡΙΑΝΗ. Severi.

ΑΔΡ. CΕΥΗ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗ. vel ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥΠΟΛΙ. Caracallae.

ΑΔΡ. CΕΥ. ΜΑΚΡΕΙΝΙΑΝΗ. Macrini.

ΑΔΡ. CΕΥ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑΝ. vel: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Alexandri Sev.

Inde ab Alexandro vix videtur ullius amplius Augusti cognomentum usurpasse, etsi copiosi adhuc suppetant numi. Quare dubitem de lectione numi Valeriani sen. apud Vaillantium, inscripti, ut ait: ΑΔΡ. CΕΥ. ΑΝΤ. ΜΗΤ. ΤΑΡCΟC.

* * *

Neocoratus in solis Commodi numis, etiam autonomis, sed quos paullo ante sub imperatoriis citavi, proditur: ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΟΥ., neque ante hunc, neque posthac ejus mentio. Frölichius in autonomo vetustioris formae vidit inscriptum Β. ΝΕΩΚΟ. (Animadv. in num. vet. urb. p. 113. edit. Flor.) sed in hoc numo, qui nunc est in museo Caesareo, per aetatem adeso, praetensa epigraphe parum luculenta est.

* * *

Mentio situs ad Cydnum fl. in autonomo supra laudato, et in numo Antinoi, in quo ΚΥΔΝΟC. *Fluvius decumbens.* (Vaill. Num. Graec. p. 345.)

* * *

Literae solitariae Α. Μ. Κ. in Tarsi et Anazarbi numis frequenter leguntur, et in numis quidem Tarsi apud Vaillantium inde a L. Vero, in numis Anazarbi a Caracalla, vel Elagabalo. Antiqua inter antiquarios et nondum satis explicata ratio, quis sit harum literarum verus sensus. Horum judicia omnia studiose collegit Belleyus, quae brevitatis causa praetermitto, et qui volet, adeat [c]). Confutatis reliquis eam censet amplectendam sententiam, quae sic explicat: Πρώτη Μητρόπολις Κιλικίας. Ejus rationes in pugnum contractae sunt: I. Sardes, ut suum metropoleos honorem omnibus aliis aliarum urbium praeferendum docerent, in numis scripsere: CΑΡΔΙC. ΑCΙΑC. ΛΥΔΙΑC. ΕΛΛΑΔΟC. Α. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC. id est: *Asiae*, *Lydiae*, *Helladis prima metropolis*. Eodem modo et hae urbes se scripsere *primam metropolin*, sed Ciliciae. II. In numo Domitiani Nicaeae signato legitur: ΝΕΙΚΑΕΙΣ. ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤ. Α. Μ. Β. id

a) Bell. civ. L. V. c. 7. b) in Macrob. c) B. L. T. XXXI. hist. p. 278.

est: Πρωτη Μητροπολις Βιθυνιας, ergo etiam in Tarsi et Anazarbi numis literae A. M. K. analogam significationem habent. III. Non obest, literas A. M. K. inscribi passim numis, in quibus per epigraphen ΤΑΡCΟΥ.ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. sese urbs metropolin jam professa est; similis enim tautologia etiam habetur in numo Nicomediae cum capite Claudii - - - ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Β. ΠΑΤΡΩΝΟΣ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. et infra: M. ΝΙΚΟ.

His argumentis utitur Belleyus ad intentum sensum eliciendum, eaque tam valida ipse putat, ut dubitari de eo nullatenus posse crederet. Fateor, esse tamen, quae difficilem reddunt adsensum, etsi eam penitus evertere sententiam neque velim, neque possim. En quae in contrarium dici possunt. Subsidium, quod ex numo Nicaeae mutuatur, nullum est; nam literas A. M. B. de metropoli explicari non posse inde certum est, quod Nicaea saltem ea aetate, qua numus signatus est, metropolis certe non exstitit, ut dixi, cum in hunc Nicaeae numum commentarer. Iuvare quidem videtur numus Sardium, sed tamen molesta cuivis videatur aperta in his Ciliciae urbium numis tautologia, neque ea in aliquibus tantum, aut aliqua solum aetate cusis observata, verum in omnibus fere, et copiosissimis inde a L. Vero usque ad Gallienum cusis. Si hae literae indubitatum hunc sensum facerent, mirum, non etiam aliquando hunc metropoleos primatum ipsi epigraphes versui insertum, scriptumque more Sardium: ΤΑΡCΟΥ. Α. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. ΚΙΛΙΚΙΑC. Neque satis rem evincit tautologia in numo Nicomedensi exstans; nam tam manifesta ea tautologia non est, cum primum ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ referatur ad titulum proconsulis patroni, alterum M., aut verius scriptum colligatis literis M. ΝΙΚΟ. Metropolin Nicomediam notet, ut est in numo Claudii apud Pellerinium.

Vt difficultatibus suis haec a Belleyo adprobata sententia non vacat, ita vereor aptiorem aliam me posse sententiam extundere. Si verum est, literas A. M. B. in citato Nicaeae numo significare Αριϛων Μεγιϛων Βιθυνιας, ut suo loco explicari posse conjeceram, satis possit videri verisimile, literas A. M. K. in Ciliciae quoque moneta significare ΤΑΡCΟΥ. vel ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ. Αριϛης. Μεγιϛης. Κιλικιας., quam tenuem conjecturam perinde atque universam hanc causam lubens eorum, qui me plus valent, arbitrio relinquo.

Aliam explicationem non incommodam offerunt numi Ephesi, in quorum aliis cum capite Decii scribitur ΕΦΕCΙΩΝ. Α. ΑCΙΑC. *primorum Asiae*, in aliis cum capite Macrini: ΕΦΕCΙΩΝ. ΜΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΑCΙΑC. *solorum primorum Asiae*. Explica secundum hos epigraphen: ΤΑΡCΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. Α. Μ. Κ. et habebis: *Tarsi metropolis, quae est prima sola Ciliciae*. Hic explicatus nequaquam novus est, nam eum jam ὡς ἐν παρόδῳ propositum video a Vaillantio [a]), et Bandurio [b]).

Novissime earum sensum literarum explicare adortus est Abbas Mazzolenus, sed fortuna, ut saltem mihi videtur, tam

a) Num. Graec. p. 130. b) T. I. p. 41.

adversa, ut ejus dictatis commemorandis immorari nolim. Lege, si lubet, ipsa auctoris verba [a]), sed et parum benevolum de iis Cl. Pacciaudi judicium [b]).

* * *

Praeter dictas literas etiam in numis tam Tarsi, quam Anazarbi comparent literae Γ. Β. vel Γ. Γ., quibus communi judicio notatur: Γϱαμματι Βϐλης, vel Γεϱϐσιας consentiente etiam Belleyo.

Aliae literae, quae in nonnullis imperatoriis observantur, minus parabilem habent explicatum, ut in numo Caracallae: ЄΛ. Ν. (Theup.) in numo Alexandri: Γ. ЄΠ. Π. Β. Ν. (Mus. Caes.)

* * *

Magistratus:

Αϱχιεϱεως mentio in unico numo Severi apud Vaillantium: ЄΠΙ. ΑΡΧ. Γ. ΟΜ. Haec ejus auctoris fide; nam in nullo alio hactenus vulgato hujus urbis numo cum capite imperatoris observatus magistratus seu sacer, seu profanus, et nescio, cur Αϱχιεϱεα potius velit Vaillantius, quam Αϱχοντα. Sane quo loco Αϱχιεϱεις recenset [c]), Tarsum omisit.

* * *

Commune.

ΚΟΙΝΟΝ. ΚΙΛΙΚΙΑC. typo *templi*, in pluribus numis, Augusti, (Morelli. num. Liviae.) Nervae, Antonini, Aurelii, Commodi. (Vaill.)

ΚΟΙΝΟΝ. ΤΑΡCΟΥ. *Victoria stans cum genio urbis*, Caracallae. (Vaill.)

* * *

Ludi:

ΚΟΜΟΔЄΙΑ. Commodi. (Vaill.)

ΚΟΜΟΔЄΙΟC. ΟΙΚΟΥΜЄΝΙΚΟC. ΔΙC. ΝЄΩΚΟΡΟΥ. Commodi. (Vaill. Albani.)

CЄΥΗΡЄΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. ЄΠΙΝЄΙΚΙΑ. Severi, de quo numo mox plura.

CЄΥΗΡΙΑ. ΑΥ. ΑΝΤΩΝΙΝΙ. ΚΟΡΑΙΑ. ΑΥΓΟΥCΤΙΑ. ΑΚΤΙΑ. *Mensa, super qua tres urnae*, Valeriani. (Pellerin Rec. III. p. XLVII.)

Lego: CЄΥΗΡ Α. ΑΥϱηλια ΑΝΤΩΝΙΝΙανα etc.: omnibus vero his nominibus triplices tantum ludos, nempe pro numero urnarum, designari puto, sic ut primus agon sit, qui constitutus est in honorem Severi, ejusque filii Aur. Antonini, alter ΚΟΡΑΙΑ in honorem Proserpinae, tertius Actia ab auctore Augusto dictus Augustea. Istud singulare, adhuc Valeriani aetate in Severi et Caracallae honorem apud Tarsum celebratos ludos. Cum constet, honores Caesaribus delatos, si quos suasit assentandi studium, continuo post eorum obitum antiquatos, necesse est, Tarsum ab utroque Caesare non insigni modo, sed et perpetuo beneficio fuisse adfectam. Cujus generis illud fuerit, non obscure credo explicat citatus supra Caracallae numus inscriptus CЄΙΤΟC, *annona*, typo navis explicato velo, ex quo verisimile, a Severo urbi perpetuos annonae reditus fuisse adsignatos, quales idem et adsignavit Laodiceae Syriae, quae deinde grati animi causa numos percussit inscriptos: AETERNVM. BENEFICIVM., ut ad hos numos prolixe explicabimus, pro qua inscriptione Tarsenses usi sunt vocabulo CЄΙΤΟC, et Nicomedenses vocabulo CΤΟΛΟC., nam et similis liberalitas in Constantinopo-

a) In praef. ad trib. potest. b) Monum. Pelop. p. 237. c) pag 310.

lin a Constantino M. collata dicitur σιτηρεσιον apud Photium a). Analoge ad hoc beneficium frumentarium placuit Tarsensibus celebrare ΔΗΜΗΤΡΙΑ, de quibus continuo, et ΚΟΡΑΙΑ, nempe in honorem Cereris et Proserpinae annonae praesidum.

ΔΗΜΗΤΡΙΑ Caracallae. (Vaill.)

ΚΟΙΝΟC. ΚΙΛΙΚΙΑC. subaudi: ἀγων, non quod ait Vaillantius, esse positum ΚΟΙΝΟC pro ΚΟΙΝΟΝ, ut jam observavit Pellerinius b). Sic etiam in numo musei Caesarei: ΚΟΙΝΟC. ΤΩΝ. ΤΡΙΩΝ. ЄΠΑΡΧΙΩΝ. de quo supra.

Ludi in Codrigis.

ΑΔΡ. CЄΤΗΡΙΑΝΗC. ΤΑΡCΟΤ. ΜΗΤΡΟΠ. ЄΝ. ΚΟΔΡΙΓΑΙC. ΟΡΟΙC. ΚΙΛΙΚΩΝ. CЄΤΗΡЄΙΑ ΟΛΤΜΠΙΑ. ЄΠΙΝЄΙΚΙΑ. *Vrna ludorum*, in alio: *Corona.* Severi. (Vaill.)

Alius, sed scriptum: ЄΝ. ΚΟΔΡΙΓЄC. (Pellerin.)

Ciliciae tractus is ad mare, qui Syriae adjacet, a binis praeliis ibi commissis magnum nomen est adeptus, primo prope Issum, quo Darium vicit Alexander, altero ad portas Amanicas, Severum inter et Pescennium. Citati hi numi docent, a Tarsensibus in Severi gratiam hoc loco ΟΡΟΙC. ΚΙΛΙΚΩΝ, *finibus Cilicum*, constitutos ludos ЄΠΙΝЄΙΚΙΑ, scilicet argumento victoriae. Locum ipsum, ubi celebrati fuere, propius definiunt hi numi: ЄΝ. ΚΟΔΡΙΓΑΙC. Hujus oppidi nomen unus Malala prodidit, cum narrat c), Diocletianum Antiochiae stadium pro ludis Olympicis aedificandûm curasse, ne victores cogerentur *Cotrigas* in Ciliciam usque proficisci ad capiendam coronam ad ripam Argyri fluminis, ὡϛε μη ἀπιεναι ἐν Κοτριγαις της Κιλικιας, και ϛεφανυσθαι ἐν Αργυρῳ. A quo illustri Malalae loco docemur, *Codrigas* in numo memoratas non esse *quadrigas*, certaminis quoddam genus in his ludis usitatum, ut post Vaillantium et Harduinum omnibus hactenus antiquariis visum, sed oppidum in Cilicum finibus constitutum. Quae hic commemoravi, fusius ac erudite disputavit Belleyus d), etsi hujus inventi laus debeatur erudito Wisio e).

At vero ex eodem hoc Malalae loco suspicari subit, jam ante Severi aetatem Codrigas fuisse a ludorum solennibus inclytas. Nam ut fingamus, constituta ibi certamina propter Severi victoriam, verisimile est futurum fuisse, ut ea mortuo Severo, aut saltem exstincta ejus familia, sublata nempe adulationis materia, celebrari desinerent. At docet Malala, sub ipsum adhuc Diocletiani imperium Codrigarum stadium fuisse frequentatum. Ergo conjicere pronum, ejus oppidi certamina vetustioris fuisse instituti, ac forte in monumentum victoriae Alexandri M. jam olim coepisse peragi, in seram aetatem propter summam adversus eum regem existimationem continuata, ac forte procurantibus Tarsensibus, quos gravem habuisse rationem observandi Alexandri alibi disserui f). Conjecturam meam forte juvat numus sequens ab iisdem signatus, et sic a Vaillantio descriptus:

ΤΑΡΣΟΤ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. *Templum*

---

a) In vita Pauli Cod. 257. b) Rec. III. p. 237. c) Chronogr. p. 407. d) Mem. B. L. T. XXX. p. 263. e) Mus. Bodl. p. 198. f) Num. vet. p. 80.

8 *columnarum, in cujus frontispicio:* ΟΡΕΟΙΣ. ΚΙΛΙΚΙΑΣ. *Montanis Ciliciae.* Est Augusti.

Vocabulum ΟΡΕΟΙΣ Graecum vix est, et ad notanda *montana* scribendum fuerat ΟΡΕΙΟΙΣ, et difficile erit divinare, quis Tarsensibus fuerit cum montanis Ciliciae nexus. Forte legendum ΟΡΟΙΣ. ΚΙΛΙΚΙΑΣ. analoge ad citatos supra Severi numos, ac tum indicabuntur ludi in Alexandri honorem apud Codrigas instituti, quorum deinde solennia per ipsam Severi in vicinia victoriam majore pompa fuerint obita, ut numi manifestant. Implexior altera quaestio, quo pacto Antiocheni, cum ipsi usque ad tempora Diocletiani stadio Olympico carerent, coacti fuerint, ut ait Malala, coronas athleticas inde a Cilicia petere, cum tamen constet ex Iosepho, Antiochenos jam Herodis M. aetate suos habuisse Olympicos a)? Praecipue cum idem Malala locis iis, quibus Claudii et Commodi res gestas refert, perhibeat quoque, Antiochenos ab Eleis jus Olympiorum aere redemisse, illosque ab iis apud urbem suam profusis sumptibus actos? Sed enim conciliare, in quibus ineptus hic scriptor sibi contradicit, alterius negotium esto.

AR. RR. AE. C.

ZEPHYRIVM.

In Trachea promontorium cum oppido.

Autonomus.

Caput muliebre velatum turritum. Ӿ ΖΕΦΥΡΙΩΤΩΝ. *Duae faces in decussem positae intra coronam.* AE. fere I. (Pellerin.)

Nomine Zephyrii plures exstitere per Asiam urbes, at numum huic Ciliciae oppido vindicat typus anticae plane Cilicius.

* * *

Huic Pellerinius junxit alterum argenteum, inscriptum, ut rebatur, -ΕΦΥ., sed quem loco suo docuimus esse Erythrarum Boeotiae. Binos alios dedit Goltzius b), sed qui certe sunt vel Arcadum, vel Megalopolis adficta epigraphe ΖΕΦΥΡΙΕΩΝ, vel ΖΕΦΥΡΙΩΤΩΝ.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Comperti Hadriani et Treboniani.

Epigraphe: ΖΕΦΥΡΙΩΤΩΝ. *Typi obvii.*

* * *

Concordiam cum Irenopoli Ciliciae in numo Treboniani vidit Vaillantius, de cujus epigraphes fide egi supra in Irenopoli.

Generatim notandum, a variis antiquariis productos numos, in quibus viderunt concordiam inter Castabala et Hieropolin, Corycum et Heracleam, Doron et Olbam, Irenopolin et Zephyrium, Seleuciam et Claudiopolin. Verum ut suis locis vidimus, dubitare de singulis licet, neque certum habemus numum, quo doceremur, ab ulla Ciliciae urbe cum altera initam concordiam, ne quidem a Tarso urbe praepotente.

AE. RRR.

a) Ant. Iud. L. XVI. c. V. §. 3. b) Ins. Asiae. tab. IV.

INSVLAE AD CILICIAM.

ELAEVSA *serius* SEBASTE.

Vrbs in insula cognomine Lami ostiis opposita, et Ciliciae fere contigua, cujus eam Ptolemaeus inter ipsas urbes secundum litus positas recenset. In ea regiam fixit Archelaus Cappadociae rex, posteaquam ei Augustus Ciliciam Tracheam cum modica hac insula cessit. Eam rex in benefactoris gratiam *Sebasten* vocavit, quae omnia uno loco egregie confirmat Iosephus [a]): *Herodes profectus cum filiis, cum juxta Ciliciam ELAEVSEN, quae nunc SEBASTE dicitur, appulisset, reperit regem Cappadociae Archelaum.* Vtroque nomine supersunt numi:

I. Nomine Elaeusae.

Autonomi:

Caput Iovis diadematum. ꭗ ΕΛΑΙΟΥΣΙΩΝ. *Victoria gradiens, in area sparsae literae.* AE. III. (Mus. Caes. Haym, Pembrock.)

Caput muliebre velatum. ꭗ ΕΛΑΙΟΥΣΙΩΝ. *Apis.* AE. III. (Neumann.)

Literae et monogrammata per hos numos vaga moris sunt Cilicii, in quibus explicandis nimium video fuisse ingeniosos Haymium, et Frölichium [b]).

AE. RR.

II. Nomine Sebastes.

Autonomus:

Caput muliebre velatum turritum. ꭗ ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. *Victoria gradiens d. coronam offert, per aream varia monogrammata.* AE. II. (Pembrock.)

Confer numum hunc cum praecedente autonomo Elaeusae nomine signato, et apparebit continuo, numum hunc, ceteris etiam partibus totum Cilicem, ad aliam Sebasten pertinere non posse.

AE. RRRR.

Regii:

Hujus urbis exstant numi cum effigie Antiochi IV. et Iotapes Commagenes regum, inscripto ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ, de quibus agetur in horum moneta.

Imperatorii.

Commodi, Crispinae, Gordiani, Valeriani sen. (Vaill. Theupoli, Pellerin.)

---

a) L. XVI. b) Animadv. ad num. urb.

Epigraphe: CЄB. vel CЄBACTH.

Honorum tituli: ACΥ. AΥΤΟΝ. ЄΛЄΥΘЄΡΑ. ΝΑΥΑΡΧ. in numo Commodi. (Vaill.)

* * *

Epochae annum in uno, eoque Valeriani, inscripsit, nempe ЄΤ. CΟΔ., quare difficile est, ejus exordium tuto definire. Vaillantius illud figit ad annum V. C. 736. Harduinus mavult annum 734. Sed Belleyus sola analogia inductus inchoandam censet ab anno 735. exemplo Anazarbi, et Antiochiae ad Sarum [a]). Istud certum, hanc insulam cum parte Ciliciae maritimae V. C. 734. dominum mutasse, Archelao Cappadociae regi ab Augusto permissam, ut dicetur in hujus numis.

AE. RRR.

REGES CILICIAE.

Vetusti Ciliciae reges circum tempora Trojana memorantur. Inde a Cyri regno Persis paruit. His ab Alexandro devictis, positisque tandem successorum dissidiis regio omnis in Syriae regum potestatem pervenit. Eam Pompejus victo Tigrane in provinciam redegit constitutis tantum in ejus parte regulis, quorum habemus numismata.

TARCONDIMOTVS I.

Tarcondimotum ob virtutis praestantiam a Romanis constitutum regem, et successionem posteritati suae traditam refert Strabo [b]). Tenuisse eum partem Ciliciae superioris, ait Plutarchus [c]). A Cicerone *fidelissimus socius trans Taurum, amicissimusque populi R.* dicitur [d]). In bello civili adhaesit Pompejo [e]), post pugnam Pharsalicam a Caesare donatus venia [f]), quam promeritus videbatur, quod mox post cladem partes Pompejanas deseruit [g]). Ad bellum Bruti et Cassii vi compulsus [h]) subinde M. Antonium secutus in bello Actiaco perit V. C. 723 [i]).

Reliquit filios *Philopatorem*, et *Tarcondimotum II.*, de quibus mox.

Numus:

Caput regis imberbe diadematum. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΑΡΚΟΝΔΙΜΟΤΟΥ. *infra* Α. ΑΝΤΩΝΙΟΥ. *Iuppiter seminudus sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AE. III. (Maffei Ant. Gall. p. 14 et in Veron. ill. P. III. p. 235.)

---

a) B. L. T. XXXII. p. 723. b) L. XIV. p. m. 994. c) In Pomp. p. 994. B. d) L. XV. ad fam. ep. 1. e) Plut. l. c. f) Dio L. XLI. §. 63. g) Lucan. L. IX. 219. h) Dio L. XLVII. §. 26. i) Dio L. L. §. 14.

Verum numus hic regis nomen stabilit, quod in Strabone, Plutarcho, Lucano corruptum legitur. Scriptum infra Λ. ΑΝΤΩΝΙΟΥ. arguit, Tarcondimotum observantiae causa gentis Antoniae nomen sibi adscivisse, cujus exempla vidimus in regibus Bospori, et supra in numis vicini Polemonis Olbae pontificis. Si vere legitur praenomen Λ. seu *Lucii*, erit nomen in numo scriptum L. Antonii, qui fuit frater Marci IIIviri. Sed forte M. pro Λ. legendum; nam M fallente matrice media sui parte exclusum facile τȣ Λ speciem praebet.

AE. RRRR.

PHILOPATOR.

Tarcondimoti I. filii Philopator I. et Tarcondimotus II. cum Antonium ad Actium victum intelligerent, ejus partes deserunt [a]). Philopatori continuo Octavianus paternum regnum adimit [b]), sed decennio post Tarcondimoto II. ditionem, quam pater in Cilicia habuit, exceptis quibusdam maritimis restituit V. C. 734 [c]). Reliqua utriusque fratris ignorantur.

Philopator II. forte Tarcondimoti II. filius in regno succedit, incertum quando. Istud unum novimus ex Tacito [d]), Philopatorem Cilicum regem vita functum V. C. 770.

Numi:

Caput muliebre velatum turritum. ℞ ΒΑCΙΛΕΩC. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟC. *Pallas stans d. Victoriolam, s. clypeum humi attinet. In horum uno literae* ΔΛ. AE. II. (Haym. T. I. p. m. 154. Theupoli.)

Dubitari potest, sintne hi numi tribuendi Philopatori I. an II. Si literae ΔΛ. annum regni notant, quod visum Massonio apud Haymium [e]), pertinere ad primum non possunt, qui vix degustato regno ab Octaviano pulsus est, ut diximus. Ergo ad Philopatorem II., qui si regnare coepit circa annum V. C. 736., potuit attingere annum regni ΔΛ. seu 34., cum mortuus tandem sit V. C. 770. Sed enim nondum satis liquere puto, notas illas revera esse arithmeticas, aut si istud sunt, esse indices annorum regni. Enim vero proprium istud est monetae Cilicum, ut literas per aream offerant, quae arithmeticae videri possunt, nulla tamen certa ejus causa. Sic in numis variarum Ciliciae urbium apud unum Pellerinium videas ΕΡ. ΖΡ. ΗΡ. ΔΝ., in museo Caesareo: ΣΑ. ΔΤ. etc. Ceterum jam soli typi numum hunc esse Cilicem profitentur. Numus Seleuciae ad Calicadnum easdem utrinque habet imagines.

AE. RRRR.

Archelai, qui partem Ciliciae sub Augusto tenuit, numos vide in regibus Cappadociae.

* * *

Numos sacerdotum et principum Olbae vide supra in numis Olbae.

a) Dio L. LI. c. 7. b) Dio L. LI. §. 2. c) Dio LIV. §. 9. d) Ann. II. c. 42. e) l. c.

CYPRVS.

Autonomum totius insulae nomine certae fidei nullum habemus. Numi ΚΥΠΡΙΩΝ cum templo Veneris Paphiae apud unum Goltzium exstant. Quem antiquarii huc revocant inscriptum ΚΥ. et cum nomine Eprii Marcelli proconsulis, verius credam pertinere Cymen Aeolidis, ut in hac monui. In alio Arigoniano pro praetenso ΚΙΠΡΟΣ legendum ΜΗΤΡΟΣ, et videtur esse Metroi Bithyniae, ut ibi dictum.

Imperatorii.

Cum epigraphe Graeca sunt a Claudio usque ad Macrinum. In his omnibus.

Epigraphe ΚΥΠΡΙΩΝ. *Typi* potiores:

Templum Veneris Paphiae, de quo vide infra in Papho. — *Iuppiter stans d. pateram, s. baculum cum aquila*, quem jam plerique Iovem Salaminium putant secuti Vaillantii oraculum [a]), de quo vide numos ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ., in quibus hic typus frequens.

ΚΟΙΝΟΝ. ΚΥΠΡΙΩΝ. Sic fere omnes Cypriorum numi inscribuntur.

* * *

Magistratus proconsul. Secundum divisionem provinciarum ab Augusto V. C. 727. factam fuit Cyprus provincia Augusti teste Dione [b]), at quinquennio post idem Cyprum senatui populoque reddidit, quia nihil armis suis indigeret, atque ita proconsules huc mitti coepere, quod iterum diserte testatur Dio [c]). Istud confirmatur numis:

A. PLAVTIVS. PROCOS. *Templum Veneris Paphiae*, in numo Augusti. (Morelli Impp. T. I. p. 422. Mus. princ. Waldeck.)

Iungendus huic alter:

AEL. MVTIVS. PROCOS. *Templum Veneris Paphiae.* ✕ LIVIA. IMP. CAES. *Caput Liviae.* AE. III.

His verbis hunc numum ex museo Pfau promulgavit Panelius [d]). Nemo non videt, absurdum esse hac aetate duplex gentis nomen Aeliae et Mutiae in uno sociatum. At quivis non gravate *το* AEL. MVTIVS. ope numi praecedentis in A. PLAVTIVS. corriget.

* * *

ΕΠΙ. ΚΟΜΙΝΙΟΥ. ΠΡΟΚΛΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟ., *in medio numi* ΚΥΠΡΙΩΝ. ✕ *Caput Claudii cum epigraphe Latina.* (Morelli in fam. Comin. Vaill. Theupoli.)

* * *

Eprii Marcelli Procos. numos hactenus Cypro tributos vide in moneta Cymes Aeolidos.

---

a) Num. praest. T. II. p. 93. b) L. LIII. §. 12. c) l. c. et L. LIV. §. 4. d) de num. Tarrac. p. 136.

* * *

Annos imperii signavere Cyprii in numis Galbae: ЄΤΟΥϹ. Α. (Vaill.) ЄΤΟΥϹ. Β. (Haym T. II. p. m. 245.) de quo duplice anno vide, quae ad numos Galbae notabimus. Vespasiani: ЄΤΟΥϹ. Η. (Vaill.) Inscripsere etiam consulatum numis Trajani: ΥΠΑΤ. ϛ. vel: ΔΗΜΑΡΧ. ЄΞ. ΥΠΑΤΟ. (Mus. Caes. Theup.)

* * *

ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. in numis argenteis Vespasiani, quorum alios in hac insula fuisse signatos proprii Cypriorum typi dubitare non sinunt, sed de qua numorum classe agemus alibi articulo singulari.

* * *

IMP. AVGVST. *Caput Augusti laur.* ✠ S. C. *intra coronam quernam.* AE. I.

TI. CAESAR. AVGVSTVS. *Caput Tiberii nudum.* ✠ DIVOS. AVGVSTVS. PATER. PATRIAE. *Caput Augusti laur. imminente astro, prae quo fulmen.* AE. m. m. (Pellerin Suppl. IV. p. 1.) AE. I. (Mus. Caes.)

Narrat Pellerinius, effossos esse in Cypro complures hujus generis una cum numis Claudii inscriptis ΚΟΙΝΟΝ. ΚΥΠΡΙΩΝ, et esse ex cupro rubro, quale Cyprus insigniter laudatum protulit. Ex quo arguit, non omnes numos hujus argumenti, quod priores antiquarii censuere, signatos Antiochiae Syriae, sed etiam Cyprum in horum communionem vocandam a).

* * *

DRVSVS. CAESAR. *Caput nudum Drusi jun.* ✠ *Templum Veneris Paphiae.* AE. III.

Similes numos Vaillantius propter typum aversae in Cyprum ablegat b), et sane videmus, inscriptionem capitis Latinam valuisse in numis Cypri jam inde ab Augusto.

AR. RR. AE. C.

AMATHVS.

Autonomi argenteus et aeneus ΑΜΑΘΟΥΣΙΩΝ apud unum Goltzium. Alium huc refert Arigonius: ΑΜΑ. *Canis sedens sublato in altum pede anteriore*, sed satis apparet ex numo Sames, quem mox infra producit, eum huic Cephallenum urbi tribuendum. Pellerinius aeneum, in quo legit ΑΜΑ., huc pertinere posse suspicatus est c), sed quem esse Corcyrae, praeclare evicit Neumannus d).

CARPASIA.

Autonomi argenteus et aeneus ΚΑΡΠΑΣΙΕΩΝ apud solum Goltzium.

CERAVNIENSES.

Autonomum aeneum ΚΕΡΑΥΝΙΕΩΝ Goltzius Ceauniensibus Cypri tribuit, quos tamen nullos geographi in Cypro nominant.

CVRIVM.

Autonomum Goltzius, ejusque commentator Nonnius huic Curio largiti sunt: ΚΥΡΙΕΩΝ. *Duae columbae sibi*

a) Suppl. IV. p. 1. b) in Colon. p. 93. c) Rec. III. p. 128. d) T. I. p. 195.

obviantes. Ademptum Cypro Begerus singulari dissertatione Aetoliae numis inseruit. Similes alii plures deinceps reperti, quos recensuit Khellius [a]), at in plerisque his epigraphe sic est exesa, ut ex residuis literis istud saltem intelligatur, legi vix posse ΚΥΡΙΕΩΝ a Goltzio indicatum. Enimvero in simili musei Caesarei, et alio Hunteri [b]) distincte legitur ΟΥΥΣ. Quare quorsum hi numuli sint vocandi, tuto hactenus definiri nequit, nisi malimus unius Goltzii testimonio subscribere.

IDALIVM.

Autonomi duo aenei ΙΔΑΛΕΩΝ exstant in Goltzii Graecia, sed ab alio hactenus non conspecti. Alium inscriptum ΙΔΑΛΙΩΝ ex museo le Bret huc vocavit Panelius, sed legendum esse ΜΑΛΙΩΝ, numumque restituendum Maliensibus Thessaliae, docuit Pellerinius [c]). Nullos ergo certos habemus Idalii numos.

LAPETHVS.

Autonomus ΛΑΠΗΘΕΩΝ. soli Goltzio cognitus, in quem pluribus commentatus est Spanhemius, sed idem quoque unius Goltzii fide nixus [d]).

MARIVM.

Ad hanc Cypri urbem Begerus *autonomum* argenteum revocat: ΜΑΡΙ. *Caput muliebre laur.* ℞ *Caput virile barbatum laureatum.* Vtrum huc revera pertineat, decidere nolim, neque alibi hic numus memoratur.

PAPHVS.

Autonomos aeneos binos ΠΑΦΙΩΝ unus Goltzius vulgavit ceteris ignotos.

Ceterum haec urbs insigne nomen adepta est a Veneris, quae nata mari primum ibi appulisse ferebatur, et cultu et templo, quare et *Paphia* apud auctores passim dicitur. Templi forma persaepe conspicitur in numis Cypriorum. Exhibet autem substructionem, ante quam tres pyramides, quae clauduntur area quadam in semicirculi formam, et ne dubitari possit, hac imagine sisti templum Veneris Paphiae, vetat ejusdem architecturae templum in numo Pergami, infra quod scriptum ΠΑΦΙΑ. Ab hac pictura non abludunt veterum testimonia. Tacitus [e]): *Simulacrum deae non effigie humana; continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum, metae modo exsurgens.* Maximus Tyrius [f]): *Venerem Paphii colunt, cujus statua similis est pyramidi albae.* Servius [g]): *Apud Cyprios Venus in modum umbilici, vel, ut quidam volunt, metae colitur.* Denique Philostratus [h]): τῆς Ἀφροδίτης ἕδος ξυμβολικῶς ἱδρυμένον, *Veneris statua symbolice constructa.* Et vero symbolicam hanc trium pyramidum rationem videntur expedire collati duo Pausaniae loci, quorum uno narrat, Paphios Veneris Coelestis cultum traxisse ab Assyriis [i]), altero, in quo ex vetere epigrammate refert, Venerem Coelestem esse Parcarum natu majorem [k]). Quare haud dubie media et altior pyra-

a) Adpendic. II. p. 167. b) Tab. 67. n. 25. c) Rec. I. p. 171. Doctr. num. vet. tom. II. p. 330—332. d) T. I. p. 342. e) Hist. L. II. c. 3. f) Dissert. 38. g) ad Aen. I. 720. h) Vit. Apollon. L. III. c. 58. i) L. I. c. 14. k) Attic. c. 19.

mis notat hanc Venerem inter minores duas Parcas constitutam. Extra Cyprum quoque propagatus Veneris Paphiae cultus, docentibus istud numis Pergami, et Sardium, quos adi.

NICOCLES PAPHIVS.

Caput Veneris corona altiore floribus distincta redimitum, pone ΒΑ. ✠ ΝΙΚΟΚΛΕΟΥΣ. ΠΑΦΙΟΝ. *Apollo nudus cortinae insidet d. telum, s. arcum humi attinens, pro pedibus ramus.* AR. I. (Mus. M. Ducis.)

Insignem hunc numum olim edideram a). Ex pluribus hoc nomine viris, quos historia Cypria laudat, tribuendus videbatur illi, quem Diodorus diserte *regem Paphiorum* appellat b), cujusque tristem cum universa familia exitum cum is, tum Polyaenus c) late describunt. Crimini datum a Ptolemaeo Lagi F., quod clam cum Antigono conspirasset. Missi ergo ab hoc milites ad mortem adigunt miserum, cujus conspecto funere ejus fratres, uxor, et omnis familia injectis regiae ignibus mortem sponte oppetivere. Accidit ea miserae genti calamitas V. C. 444. Venus et Apollo in Cypro liberaliter culti numo typos suffecerunt. Similis Apollinis sedentis typus migravit in monetam primorum vicinae Syriae regum. Vide plura a me dicta loco laudato.

AR. RRRR.

Nicocliam heroinam, prioris Nicoclis vel filiam, vel sororem ex numo male per aetatem vexato exsculpere se posse sperabat Begerus d). Volupe est videre, quas numo machinas adhibeant Archaeophilus, et Dulodorus noti Begeri pugiles, ut suam sibi Nicocliam proderet. At enim inanes fuere conatus, nam numus est obvius Antiochenus, in cujus aversa est: ETO. ZOP.

SALAMIS.

Condita a Teucro Telamonis F., qui eam ex nomine patriae Salaminis, a qua pulsus erat a patre, appellavit, ut refert Strabo.

Autonomi:

ΣΑΛΑΜΙΝΙ. *Caput bovis.* ✠ ΦΙΑΣ. *Prora navis.* AR. I. (Pellerin.)

ΣΑΛΑΜΙΝΙΟΝ. *Aries.* ✠ *Cornu bovinum intra quadratum.* AR. I. (Pellerin.)

Numi operis perantiqui, et soli, quos hujus urbis hactenus habemus. Nam alium, quem ibi sistit Pellerinius inscriptum ΣΑ. et typo hinc capitis leonis, inde bovis pertinere Samum, in hujus insulae moneta diximus. Quo minus hi numi Salamini Atticae insulae tribui possint, obstat, quod eos sibi ex Cypro insula venisse testatur Pellerinius.

AR. RRRR.

Aeneus cum capite Eurypyli a variis Salamini tributus est, sed jam in numis Pergami observavi, perperam in iis lectum CΑΛΑΜΙΝΙΩΝ pro ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ.

Imperatorii:

Argentei cum capite Vespasiani, et inscripti: ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. typo

a) Num. vet. p. 238. b) L. XX. c. 21. c) Stratag. L. VIII. c. 48. d) Th. Br. T. I. p. 273.

Iovis stantis d. tenentis pateram, s. scipionem, cui insistit aquila, a plerisque huc referuntur, quod praeeunte Vaillantio hunc esse Iovem Salaminium credidere. Vt certum est, Iovem hoc cultu esse Cyprium, docentibus istud numis inscriptis ΚΥΠΡΙΩΝ, quos supra dedimus, sic esse Salaminium non satis probavit Vaillantius [a]). Succurrit tamen Ammianus [b]): *Salamis et Paphus, altera Iovis delubris, altera Veneris templo insignis.*

SOLI.

Autonomum argenteum, aliumque aeneum huic Cypri urbi tribuit Pellerinius, sed dubitari de utroque potest. Argenteum cum epigraphe ΣΟΛΕΩΝ pertinere potius Solos Ciliciae, ut et alterum inscriptum ΣΟΛΟΙ ab eodem alibi editum, ad hujus numos monui. Aeneus vero ΣΩ. typo botri, et amphorae sine dubio est Corcyrae, ut jam alias ostendi [c]), etsi Pellerinio istud meum judicium fuerit iniquum visum [d]), quem lector judex adeat, et una responsum meum ad ejus novam crisin in praefatione ad Catalogum Musei Caesarei.

TAMASSVS.

Autonomi aenei ΤΑΜΑΣΙΤΩΝ cum templo Veneris Paphiae ab uno Goltzio editi.

TREMITHVS.

Autonomum aeneum ΤΡΕΜΙΘΟΠΟΛΙΤΩΝ huic tribuit Goltzius nemini praeterea cognitum.

CLIDES INSVLAE.

Hae plures numero, et perexiguae contiguae fere sunt lateri orientali Cypri.

Autonomus.

Aquila volans. ☧ *Clavis.* AE. III.

Pellerinius in hoc numo, quem ipse edidit, in clavi partis aversae adlusionem ad nomen petitam a κλεις, κλειδος, *clavis*, videt, quae adeo inscriptionis vicem fungeretur.

AE. RRRR.

REGES CYPRI.

Cypri urbes vetustis temporibus suos habuere regulos, sed magno Persarum regi obnoxios. Alii in Alexandri M. tempora duraverunt, sed quos ejus suc-

a) Num. praest. T. II. p. 93. b) L. XIV. c. 8. c) Num. Vet. p. 107. d) Additions p. 72.

cessores everterunt. Eorum catalogum habes apud Reinerum Reineccium, at multo adcuratiorem in Meursii Cypro, quae est in ejus operum Tomo III. Nomine ΚΥΠΡΙΩΝ unius tantum regis hactenus proditi numi. Est is

EVAGORAS.

Duos hoc nomine Cypri reges apud veteres exstare video.

Evagoras I. ex genere Teucri Telamonis F., qui Teucer Troja expugnata Salaminen redux, sed a patre non admissus adscitis sibi sociis in Cyprum profectus urbem Salaminen patriae cognominem fundavit. Regnasse Evagoram Salamine V. C. 363. perhibet Diodorus [a]). Cononem a Lysandro ad Aegospotamum victum ad se recepit. Artaxerxi Mnemoni aperto bello restitit, sed in arctum redactus pace facta in eas leges convenit, ut soluto quotannis tributo pariturum se promitteret, sed ut regem regi [b]). Caeditur perfidia eunuchi V. C. 380 [c]). Alias ejus res gestas vide apud Diodorum [d]), Isocratem, in excerptis Photii ex Theopompo et Ctesia, quae animadversionibus illustrata Gallice reddidit Gedoynus [e]), in Cypro Meursii.

Evagorae II. meminit Diodorus, cum refert, eum ante annum V. C. 403. regem in Cypro fuisse [f]). Qua ratione regno dejectus fuerit, non addit. Istud certum, eodem illum anno una cum Phocione Atheniensi fuisse ducem classis, quam Hidrieus Cariae rex ab Artaxerxe Ocho exoratus ad oppugnandos Cyprios miserat [g]). Oblata tum recuperandi regni paterni spes exitu caruit. Nam inclinantibus in Protagoram Ochi studiis satrapiae in Asia praeesse jubetur, quam cum male administraret, in Cyprum profugus ibique comprehensus morte multatur V. C. 404 [h]).

Numus:

Caput barbatum tenui diademate redimitum. ☓ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΕΥΑΓΟΡΟΥ. ΚΥΠΡΙΩΝ. *Aquila explicatis alis insistens fulmini pede uno, altero prehensam volucrem stringit, in area* ΔΙ., *omnia intra lauream.* AR. I. (Maffei Veron. ill. P. III. p. 235. Pembrock P. II. p. 42.)

Cum numum illustrem, eumque magni ad philologiae studia momenti editum reperimus, nostras partes putamus, in praeconis scientiam, et in arte numismatica usum adcuratius inquirere. Scipionis Maffei in philologiam merita quis ignorat? At notum etiam, illum ab ea parte, quae numos veteres complectitur, non maximam abstulisse laudem. Et vero in hac ipsa tabula, qua nobis Evagorae numum spectandum praebet, obtulit etiam aliquos propalam spurios, ceu numum Labieni, in cujus aversa CINGVLVM, alium M. Bruti, pone cujus caput pugio Caesari fatalis, ut taceam nonnullos alios jure suspectos.

a) L. XIV. c. 98. b) Diodor. Sic. L. XV. c. 9. c) Ibid. c. 47. d) ll. cc. e) B. L. T. XIV. Mem. p. 235. et 247. f) L. XVI. c. 42. g) Diodor. l. c. h) Diodor. L. XVI. c. 46.

Ipsas vero observationes iconismis subjectas, non pejeravero, si non invitis, sed reluctantibus omnino Musis conscriptas adseram. At constat etiam, complures palam falsos praeclarum musei Pembrockiani catalogum deformare. Haec cautionis ergo praemittenda duxi, non quo numi fidei aliquid detractum velim, qui sane, quantum in se est, nihil offert, quod posset legibus numismaticis adversari. Interea jure mihi videor posse adfirmare, universam ejus numi naturam modumque recentiorem esse, quam ut aetati Evagorae II., nedum Evagorae I. possit adcommodari, quorum tamen posteriori tribuendum censuit Frölichius [a]). Enimvero si coaevorum regum Macedoniae, Siciliae, Cariae, Heracleae numos lubet conferre, quam in his simplicia omnia, seu inscriptionem spectes, seu typos? quam proprius illorum temporum picturae rigor? Confer modo Nicoclis numum supra in Papho descriptum, in eadem Cypro, et quidem LX. circiter annis ab Evagorae I. morte signatum, qui tamen omnibus partibus vetustioris adhuc monetae rationem sequitur. Sunt haec criteria ejus generis, quae oculos longo usu edoctos multo fallant difficilius, quam quaevis alia aliunde petita. Licebit ergo conjicere, praeclarum hunc numum multo signatum serius, et vel esse Evagorae alicujus, qui circum tempora successorum Alexandri M. regnum in Cypro obtinuit, cujus, quod saepe factum in aliis, memoria interierit, vel, si revera est Evagorae I., a Cypriis memoriae causa, quod praeclarae fuerint ejus res gestae, fuisse percussum, quod a Syracusanis quoque Gelonis et Hieronis I. gratia fuisse factum, in horum numis observavimus, aut denique, numos hos plane esse spurios. Enimvero haud ita pridem ad manus meas pervenit numus idem sic omnibus modis, etsi aeneus, Maffeiano similis, ut ejusdem esse matricis partum, ambigi non possit, sed quem continuo adulterinum agnovi. Quare subit suspicari, reliquos ejusdem argumenti ad unum omnes esse ejusdem naturae.

* * *

Numum *Nicoclis* Paphi regis vide supra in numis Paphi.

L Y D I A.

Numum M. Aurelii, in quo Frölichius legere sibi visus erat: KOINON. ΛΥΔΩΝ., esse verius Iconii Lycaoniae, in hujus urbis numis diximus.

---

a) Not. Elem. pag. 135.

ACRASVS.

In solis Notitiis haec urbs memoratur, ὁ Ακρασυ, nempe, *episcopus*, et tribuitur Lydiae.

Autonomi:

Duo cogniti: ΑΚΡΑϹΙΩΤΩΝ. typo *Telesphori*, aut *Leonis gradientis*. (Haym. T. II. p. 103.)

AE. RRR.

Imperatorii.

Incipiunt sub Commodo, desinunt cum Alexandro. Sunt etiam maximae formae.

Epigraphe: ΑΚΡΑϹΙΩΤΩΝ.

Typi:

Diana Ephesia, aliique obvii. In numo Severi max. mod., qui est in museo Theupoli, typus sic describitur: *Vir seminudus domans taurum, fugiente altero viro, subtus taurum mulier prostrata.* Dubium non est, hoc typo exhiberi Dircen tauro raptatam, quo modo etiam proponitur in numo Thyatirae Lydiae, quam vide.

* * *

Magistratus

Praetor plerumque in his scribitur: ΕΠΙ. ϹΤΡΑ. ΒΑϹϹΟΥ. in numo Commodi, (Mus. Caes.) et similiter.

AE. III.

ANINESVM.

Autonomi:

Caput Iovis. ℞ ΑΝΙΝΗΣΙΩΝ. *Equus stans cum palmae ramo.* AE. III. (Muselli.)

ΚΤΙΜΕΝΟϹ. *Caput juvenile diadematum.* ℞ ΑΝΙΝΗϹΙΟΙϹ. *Diana Ephesia.* AE. III. (Hunter tab. 22.)

Numum posteriorem Combius musei Hunteriani auctor Ctemenis Thessaliae oppido tribuit. Ergo vir eruditus nomen urbis in ΚΤΙΜΕΝΟϹ quaesivit. Aliud suadent notae ex aliis numis formulae: ϹΑΤΟΡΝΙΝΟϹ. ΑΝΚΥΡΑΝΟΙϹ. — ΒΕΤΟΥΡΙΟϹ. ΤΟΙϹ. ΑΡΚΑϹΙ. etc.: subaudito ΑΝΕΘΗΚΕ. quod in pluribus hujus generis addi quoque frequenter solet, quos alibi collectos sistam. Quare cum ex analogiae praecepto, tum numi praecedentis Muselliani, το ΚΤΙΜΕΝΟϹ est nomen magistratus, et in ΑΝΙΝΗϹΙΟΙϹ nomen populi, haud dubie in Asia provincia positi, quaerendum, partim quod hujus urbes frequentius hac formula usas video, partim causa Dianae Ephesiae huic tractui familiaris. Atqui in subscriptionibus conciliorum bini memorantur episcopi Ανινητυ in provincia Asia sitae, de qua vide Carolum a S. Paulo a), eamque inter ejusdem provinciae urbes recenset Hierocles, sed scripto ΑΝΙΝΕΤΑ. Huic ergo urbi rarissimi hi numi sine dubio sunt tribuendi, etsi urbis situs propius definiri non possit, cum provincia Asia plures regiones complectatur. Interea

a) Geogr. sac. p. 227.

Lydiae inserui, quia eam Hierocles inter plures alias Lydiae urbes commemorat, et in hac multae fuerunt aliae vix nomine notae, et a scriptoribus penitus praeteritae. Abbas Sestinus, ipse quoque utrumque hunc numum in iudicium vocans esse Aenianum Acarnaniae monetam perperam conjecit [a]).

AE. RRRR.

ANOLVS.

Anolo Lydiae Combius binos *autonomos* Hunterianos tribuit, in quorum aversae media area scriptum: ΑΝΩ. adstituto palmae ramo. Parum haec omnia ex monetae Lydiae ingenio. Sed expectamus rationes, quae virum eruditum permovere, ut hic sentiret.

APOLLONIA.

Si Cellarium audimus, nulla fuit certa hoc nomine urbs in Lydia, et si qua a posterioribus geographis huic inseritur, videtur eadem esse cum illa, quae dicitur *Apollonis*, vel *Apollonidea*, et varia aetate varia usa terminatione. Stephanus Apolloniam in Lydia constituit, sed Apollonidem, vel Apollonideam, de quibus mox infra, dissimulat. Pellerinius tamen huc vocat sequentes

Autonomos:

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput Senatus.* ✕ ΧΑΡΜΙΔΗC. ΝЄΙΚΟCΤΡΑΤ. CΤΡΑΤΗΓΩΝ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. *Fortuna stans.* AE. II.

ΔΗΜΟC. *Caput juvenile.* ✕ ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. *Bacchus stans.* AE. II.

Iudicii causa Pellerinio, quo minus eos urbibus homonymis Ioniae, Cariae, Lyciae tribueret, exstiterit, quod numi Apolloniae Ioniae inscribuntur ΑΠΟΛΛΩΝΙЄΩΝ, Cariae vero urbes rarissime *praetorem* produnt, Lyciae magistratum nullum. Qua de causa pro numo altero Lydiam maluerit, ignoro. Ceterum numi Apolloniae nomen praeferentes easdem offerunt difficultates, quas numi Heracleae nomine.

Imperatorium

Mamaeae Vaillantius huc refert, credo propter inscriptum CΤΡ. ΑΓΑΘЄΙΝΟΥ., ut diximus in autonomis. Res in ambiguo.

APOLLONIS, APOLLONIDEA.

Straboni inter Pergamum et Sardes est Απολλωνις, ex quo gignendi casus Απολλωνιδος. *Apollonidem*, et *Apollonidenses* saepe nominat Cicero in oratione pro Flacco, *Apollonidienses* Plinius. *Apollonidea* inscriptum est basi colossi noti Tiberiani, *Apollonia Dia*, tanquam distinctae duae urbes fuissent, legitur in chronico Hieronymi Scaligeriano, pro quo Cellarius legendum censet *Apollonidea*, et in summa unam eandemque esse urbem, quae posita in Lydia ab aliis *Apollonia*, aut *Apollonis*, aut *Apollonidea* dicitur. Numi, quos mox proponam, inscripti: ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΕΩΝ lectioni *Apollonidea* plurimum favent.

a) Lettere T. III. p. 139.

Autonomi:

Caput muliebre turritum. ✕ ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΕΩΝ. *Iuppiter sedens d. pateram, s. hastam.* AE. II. (Pellerin.)

CΥΝΚΛΗΤΟC. — IЄPA. CΥΝΚΛΗΤΟC. — ΘЄΟΝ. CΥΝΚΛΗΤΟΝ. *et in* ✕ ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΕΩΝ *variis typis.* AE. III. (Pellerin, Pembrock.)

AE. RR.

Imperatorios

Cum epigraphe ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΕΩΝ produxit Vaillantius inter numos Aurelii, et Caracallae. Alium Getae addidit Sestinius [a]). Sed Pellerinius in binis numis, quos inter autonomos pictos stitit, tam certas vidit Domitiani et Domitiae effigies, ut non dubitaret, eas his tribuere, etsi juxta caput utrumque scriptum sit CΥΝΚΛΗΤΟΥ [b]).

Typi *Bacchum* vel *Apollinem in templo stantem* exhibent.

Magistratus variat:

Archon in numis Aurelii. (Vaill.)

Praetor in numo Caracallae. (Vaill.)

AE. RRR.

APOLLONOSHIERON.

Apollonoshieritas in Lydia recenset Plinius, et noticiae Απολλωνος Ιερον produnt.

Autonomi:

Protome Palladis. ✕ ΑΠΟΛΛΩΝΙЄΡЄΙΤΩΝ. *Iuppiter stans d. aquilam, s. hastam.* AE. II. (Pellerin.)

IЄPA. CΥΝΚΛΗΤ - - *Caput senatus.* ✕ ΑΠΟΛΛ - - ΟΙЄΡЄΙΤΩΝ, *Figura incerta stans.* AE. III. (Pembrock.)

AE. RRR.

Imperatorii

ΑΠΟΛΛΩΝΙΕΡΕΙΤΩΝ. *Apollo stolatus stans d. pateram, s. lyram,* Tiberii. (Pellerin Rec. III. p. 214. Arigoni.) Alius similis Neronis, integerrimus in gaza reginae Christinae, quem vidi ipse, et apud Morellium.

AE. RRR.

ASIA.

Oppidum cum campis, qui *Asii* dicebantur, circa Caystrum et Tmolum M. Hos campos celebravere poetae, quorum testimonia collegit Cellarius.

Autonomus:

Caput muliebre turritum. ✕ ΑΣΙΕΩΝ. - - - ΑΝΙΚΟΣ. *Faunus stans duplicem tibiam inflat.* AE. (Haym T. II. p. 105.)

Typus hic obvius est in numis Apameae Phrygiae.

AE. RRRR.

Imperatorius

Gordiani hujus Asiae facit mentionem juncta concordiae modo Smyrna,

---

a) Lett. T. IV. p. 120. b) Rec. II. p. 98. Mel. II. p. 48.

ut supra in numis Smyrnae contra Vaillantium defendi. Numus tamen hic certe signatus est Smyrnae.

ATTALIA.

Hujus numos cum *autonomos*, tum *imperatorios* descripsi supra in moneta Attaliae Pamphyliae.

AVRELIOPOLIS.

Solae Notitiae, et Hierocles hujus nominis urbem recensent, sed illae duplicem statuunt, unam provinciae Ephesi, aliam Lydiae. Hierocles suam inter Tralles et Attaliam memorat, ad quam posteriorem numi sic inscripti videntur pertinere.

Autonomus.

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput Senatus.* ☧ CΤ. ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ. ΑΥΡΗΛΙΟΠ. - - - *Pallas stans.* AE. III.

Rarissimum hunc numum editum ex museo reginae Christinae vide in meis Numis vet. [a]).

AE. RRRR.

Imperatorii.

ΑΠΟΛΛΩΜΕΔΗC. CΤΡΑ. ΑΝΕΘΗ. ΑΥΡΗΛΙΟΠΟΛΙΤΑΙC. *Apollo sol in bigis gryphorum*, — *Diana in bigis serpentum*, — *Bacchus in bigis Centaurorum*, in numis Commodi apud Vaillantium, at Buonarrotius in suo pro ΑΠΟΛΛΩΜΕΔΗC legit ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΗC [b]).

ΑΥΡΗΛΙΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Diana in bigis cervorum*, Gordiani. (Vaill.)

Quae ad hanc urbem, ejusque numos pertinent, erudite tractavit laudatus Buonarrotius [c]).

AE. RR.

BAGAE.

Ex unis Notitiis cognitae.

Autonomi:

CΥΝΚΛΗΤΟC. — ΙΕΡΑ. ΒΟΥΛΗ. — ΔΗΜΟC. ΒΑΓΗΝΩΝ., in ☧ ΒΑΓΗΝΩΝ, addito etiam ΚΑΙCΑΡΕΩΝ, item archonte, de quibus omnibus mox. Item: ΒΑΓΗΝΩΝ. ΕΡΜΟC. Sunt apud Pellerinium, et Harduinum.

ΒΑΓΗΝΩΝ. *Caput Herculis nudum.* ☧ ΕΠΙ. ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥ. *Mulier tutulata sedens d. pateram.* AE. III. (Pembrock.)

AE. RR.

Imperatorii

Neronis (Pellerin), Caracallae (Arigoni), Getae (Vaill. Pellerin, Haym.), Valeriani (Arigoni.).

Epigraphe: ΒΑΓΗΝΩΝ. typis obviis. Ex his illustrior:

ΚΑΙCΑΡΕΩΝ. ΒΑΓΗΝΩΝ. ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΩΝ. *Amazon et Fortuna stantes*, in numo Gallieni. AR. m. m.

Numum hunc cl. Taninius ex museo Com. Verità vulgavit. Singulare in eo est metallum una cum modulo, si modo vere argenteus est, et non mentitur ar-

a) Pag. 265. b) Osserv. p. 139. c) l. c.

gentum, ut tot Samiorum numi. Vir eruditus in hoc numo trium populorum concordiam videt. At enim Bagenis fuisse nomen *Caesarensium*, mox dicetur.

Magistratus archon, qui passim in Bagarum moneta literis APX. notatur. Sed Vaillantius notari putat Αρχιερεα, nam in suo Getae numo legit APXI. Quid quod et Harduinus in autonomo musei Foucaultiani eandem exstare lectionem adserit. Verum non adridet istud Pellerinio, quia in suo Getae numo scribitur APX. A. B., raro autem sacerdotium iteratum legitur, at frequentissime archontis munus. Hujus sententia videtur praestare, praecipue cum in omnibus numis, quos prodidere Haymius, Arigonius, Pellerinius, APX. tantum exstet.

Tractum nomen ab imperatore KAICAPEΩN est in laudato autonomo, dein Caracallae, (Harduin, Arigoni.) et Valleriani sen. (Arigoni.) et Gallieni. (Tanini.)

Mentio situs ab Hermo fluvio: EPMOC, in autonomo Harduini, qui tamen hac epigraphe non situm urbis definiri, sed concordiam cum Smyrna satis inconcinne arbitratur.

Concordia cum Temenothyris Lydiae ex numo laudato.

AR. RRRR. AE. RR.

BLAVNDOS.

Quam reticent geographi veteres, et memorant tantum Notitiae, quae eam Lydiae inserunt, et Stephanus, cui *Blaudos* dicitur, et Phrygiae tribuitur. Aliquibus eadem videtur cum Ptolemaei Blaeandro Phrygiae.

Autonomi:

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤ. vel: ΔΗΜΟC. ΒΛΑΥΝΔЄΩΝ. addito in nonnullis MA. vel plenius MAKЄ. MAKЄΔΟΝΩΝ., de quo in imperatoriis. Additur etiam magistratus.

ΙΠΠΟΥΡΙΟC. *Fluvius decumbens.* (Haym, Pembrock, Pellerin.) Fluvii hoc nomine nulla apud veteres mentio: quare verisimile, fuisse fontem in vicinia Blaundensibus sacrum.

Typi reliquorum obvii, quos vide apud auctores laudatos.

AE. RR.

Imperatorii.

A Nerone usque ad Volusianum. Neronis numi sunt in museo Caes., et apud Pellerinium.

Typi potiores: *Apollo stolatus stans cum lyra*, — *Amazon eques*, ex quo colligitur, Blaundenses ad Amazones retulisse originem suam.

Magistratus jam in Neronis moneta notatur, sed dignitas, nempe *archontis* primum additur inde a M. Aurelio. Item *praetoris.* CΤΡΑΤ. ΚΛ. ΜΙΛΗΤΟΥ. in nonnullis autonomis, et imperatoriis inde ab Antonino.

* * *

Notandi etiam eruditorum lapsus.

Autonomum edidit Harduinus; ΔΗΜΟC. ΚΑΛΥΝΔЄΩΝ. ✠ *Fluvius decumbens.* Esset ergo Calyndae Cariae, verum praeeunte citato autonomo facile deprehendimus, restituendam lectionem ΒΛΑΥΝΔЄΩΝ.

Caii Caesaris Agrippae filii alium edidit Frölichius, in cujus aversa legit: TI.

ΦΛΑ - - - ΚΑΛΤΝΔΕΩΝ a). Hic numus nunc est in Caesareo, et habet caput Neronis, non Caii, et in hoc quoque legendum ΒΛΑΤΝΔΕΩΝ. Decepti nimirum eruditi hi viri fuere adfinitate nominis.

AE. RR.

BRIVLA.

Straboni et Plinio inter Lydiae urbes memorata.

Autonomi:

ΗΛΙΟC. *Caput Solis radiatum.* ✕ ΒΡΙΟΤΛΕΙΤΩΝ. *Vir nudus stans.* AE. (Haym.)

ΒΡΙΟΤΛΕΙΤΩΝ. *Caput Solis radiatum.* ✕ ΜΗΤΗΡ. ΘΕΩΝ. *Cybele stans inter duos leones.* AE. III. (Hunter.)

AE. RRRR.

Imperatorius

M. Aurelii adhuc Caesaris: ΒΡΙΟΤΛΙΤΩΝ, *Bacchus stans.* (Haym.)

AE. RRRR.

CAYSTRIANI.

Populus Lydiae, cujus exstant sequentes

Autonomi:

ΕΓΕΟΣ. *Caput barbatum diadematum.* ✕ ΚΑΤΣΤΡΙΑΝΩΝ. *Iuno Pronuba stans.* AE. (Arigoni.)

Caput muliebre turritum, pone MP *in monogrammate.* ✕ ΚΑΤΣΤΡ - - ΩΝ. *Lyra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput muliebre nudum. ✕ ΚΑΤΣΤ - - ΑΝΩΝ. *Lyra, juxta* ΔΚ. AE. III. (Zarillo.)

Caput muliebre spicis coronatum. ✕ ΚΑΤΣΤΡΙΑΝΩΝ. *Clava, ex qua leonis exuviae pendent.* AE. III. (Pellerin.)

De his Lydiae incolis praeclaram dissertationem forma epistolari scripsit vir cognitae eruditionis Mathias Zarillus, quae edita fuit Neapoli anno 1755. Frequens apud veteres mentio camporum Lydiae versus Ephesum porrectorum, qui, quod eos flumen Cayster permeabat, dicti fuere *Caystrii*, *Caystreni*, *Caystriani*, quo modo campi, qui supra Caystrianos ad idem flumen positi fuere, vocati sunt *Cilbiani*, de quibus articulo sequente, quos excipiunt campi Hyrcani, et hi numismatici. Vrbis in his Caystri campis sitae, quae populum receperit, veteres diserte non meminere. Ait Xenophon b), venisse Cyrum εἰς Καΰστρȣ πεδίον, πόλιν οἰκȣμένην, *in campum Caystrianum, urbem habitatam.* Verum Zarillus sequens iter a Cyro coeptum, intentumque erudite conjicit, pro Καΰστρȣ πεδίον legendum esse Κεστρȣ πεδίον, et indicari campum Cestro fluvio rigatum, qui ex Phrygia in Pamphyliam descendit. Existimat vir eruditus, Larissam, quam aliqui scriptores in campo Caystriano positam dixere, fuisse hujus agri caput.

Displicet, numum I. aut minus esse integrum, aut, quod numis Arigonianis saepe fatale fuit, minus adcurate

a) IV. Tent. p. 160. b) Exped. Cyri L. I.

descriptum, quo fit, ut de epigraphe ΕΓΕΟΣ, et adstituto capite nihil certi statui possit. Literarum ΔΚ numi III. significatio incerta.

CILBIANI.

Hi secundum Plinium divisi fuere in *superiores*, et *inferiores*, quorum illi habitaverint versum fontes Caystri, hi in campis devexioribus, nam teste eodem Plinio hic ortus erat in jugis Cilbianis. Strabo Cilbianum campum Caystriano in ortum statuit, vocatque magnum, fertilem, et bene habitatum. Reliqua scriptores dissimulant. Numi plus lucis suppeditant, quos hic secundum varias suas causas describo.

A

Cilbiani inferiores.

1) ΚΛΕΑΝΔΡΟΥ. ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΤΩ. *Mulier stans, d. extenta, s. demissa.* Augusti. (Vaill.)

2) ΘΕΑΝ. ΡΩΜΗΝ. *Caput muliebre modio tectum.* ✗ ЄΠ. ΓΡΑ. ΜЄΛΙΤΩΝΟϹ. ΚΙΛΒ. ΤΩΝ. - - - *Bacchus Indicus togatus stans d. cyathum, s. hastam.* AE. III. Eum edidi ex museo Caesareo [a]), quo loco verisimile dixi legendum ΤΩΝ. ΚΑΤΩ., quia Cilbianos superiores usos archonte, vel praetore mox videbimus.

B

Cilbiani superiores.

3) ΚΙΛ. ΤΩΝ. ΑΝΩ. *intra coronam*, Domitiani. (Pellerin.)

4) ЄΠΙ. ϹΤΡΑΤ. ΠΡΟΚΛΟΥ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΑΝΩ. *Hercules a muliere urbis genio coronatus*, Trajani. (Vaill.)

5) ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΑΥΡΗ. ΔΙΟΝΥϹΙΟΥ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΤΩΝ. ΑΝΩ. *Aquila legionaria inter duo signa militaria*, Domnae. (Vaill.)

6) ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΔΙΟΦΑΝΤΟΥ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΑΝΩ. *Iuppiter aetophorus*, Domnae. (Vaill.)

6*) ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΑΥΡΗ. ΔΙΟΝΥϹΙΟΥ. Κ. ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΤΩΝ. ΑΝΩ. *Aquila legionaria inter duo signa militaria.* AE. max. mod. In antica est caput Caracallae, ut ego existimo. Cl. Zarillus, qui numum hunc edidit in epistola supra in Caystrianis laudata, ait epigraphen anticae esse: ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝЄΙΝΟϹ. et caput *Antonini*, sed non addit, cujus. Credo, esse Caracallae, quia *Aurelium Dionysium* etiam in numo 5 cum capite Domnae vidimus.

C

Nicaeenses Cilbiani.

7) ΑΡΑΤΟΣ. ΓΡΑΜΜΑΤΕΥ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΝΙΚΑΙΕΩ. *Mulier*

a) Sylloge I. p. 48.

stans d. extenta, s. demissa. ☧ ΓΑΙΟΣ. ΛΕΤΚΙΟΝ. *Capita jugata nuda Caii et Lucii Caes.* (Mus. Caes.)

8) ΝΕΙΚΑΕΩΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. *Fluvius decumbens*, Hadriani. (Vaill.)

9) Alius, sed *statua imperatoris equestris.* (Ibid.)

10) ΝΙΚΑΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩ. *Imperator eques*, Domnae. (Theupoli.)

11) *Eadem epigraphe. Pallas sedens coronatur a Victoria*, Domnae. (Vaill.) *Aesculapius et Hygia stantes*, Caracallae. (Sestini Lett. T. IV. p. 120.)

12) ΝΙΚΑΕΩΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. *Fortuna stans.* Getae. (Vaill.)

13) ΝΙΚΑΕΩΝ. ΕΝ. ΚΙΛΒ. *Fluvius decumbens.* Getae. (Vaill.)

D

Pergameni Cilbiani.

14) ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΠΕΡ. ΓΡΑ. ΤΙΜΟΚΛΗΣ. ΝΕΙΚΗΑΝ. *Victoria gradiens*, Domitiani. (Haym, Pellerin.)

15) ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Imperator coronatur ab adstante muliere*, Commodi. (Vaill.)

E

Nicaeenses, Pergameni, Cilbiani.

16) ΠΕΡ. ΝΙΚΑΕΩΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. *Salus et Aesculapius*, Domitiani et Hadriani. (Pellerin Mel. II. p. 297. Vaill.)

17) ΝΙΚΑΕΩΝ. ΠΕΡΓ. ΚΙΛΒΙΑΝ. *Fluvius decumbens*, Domnae. (Vaill.)

18) ΠΕΡ. ΝΙΚΑΕΩΝ. ΕΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩ. *Imperator stans coronatur a Victoria*, Caracallae. (Vaill.)

19) ΕΠΙ. CΤΡ. ΑΤΡ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΤ. ΠΕΡΓΑΜ. ΝΕΙΚΑΕΩΝ. ΚΙΛΒΙΑΝ. *Diana Ephesia*, Caracallae. (Vaill.)

Pellerinius singulari capite de variis his numis erudite disserit. En mea observata, quae eodem fere cum Pellerinianis recidunt.

I. Ex numis sub A et B descriptis apparet, Cilbianos populum fuisse, qui per se constitit, gubernatum suis legibus, ut inscripti magistratus docent, divisos item in *superiores*, ΤΩΝ. ΑΝΩ., et *inferiores*, ΤΩΝ. ΚΑΤΩ., quod jam Plinius docuit. Habuerintne hi oppidum cognomen, an alterius nominis, memoriae proditum non est. Videtur fuisse communitas plurium oppidorum, quae sub certis legibus, et uno nomine constitere, et monetam in communem usum signavere, quod idem apud Caystrianos valuisse apparet in campis homonymis positos, quorum aliquod oppidum a veteribus distincte non memoratur. Simile quid vidimus in Amphaxo Macedoniae.

II. Numi C. D. E. docent, Nicaeenses Bithyniae haud dubie agri bonitate invitatos in parte camporum Cilbianorum consedisse. Id plane persuadet formula in numis 10. 11. 13. adhibita, neque necesse est in hoc tractu aliquam vel Nicaeam, vel Nicopolin cum Harduino investigare. Vt adeo formulae: ΝΙΚΑΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩ. idem sit sensus, quem, ut in Antiochia Syriae docebimus, exigit nota epigraphe: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ.

vel: ΠΡΟΣ. ΔΑΦΝΗΙ. etc., ut jam advertit Frölichius [a]). Non Nicaeenses solum, sed et Pergamenos hunc campum incoluisse, suadent numi sub D et E propositi, ac praecipue is quem loco 18. descripsimus.

III. Cum ergo certum sit, tam Nicaeenses, quam Pergamenos in Cilbianis consedisse, ultro sequitur, quotiescunque horum nomini additur ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ, illo non intelligi nobiles urbes Nicaeam Bithyniae, vel Pergamum Mysiae, sed novos colonos ex iisdem his urbibus advectos, in quo longe a vero aberrasse videntur Vaillantius, et qui hunc secuti sunt, qui concordiam inter dictas urbes et Cilbianos statutam credidere. Ad haec videmus ex numis ambarum urbium, eas cum illustribus tantum urbibus sanxisse foedera, Cilbianos autem fuisse satis ignobiles, ipsum veterum silentium arguit, atque adeo non eos, cum quibus inire concordiam Nicaeae vel Pergami intererat.

IV. Cum scribitur: ΝΙΚΑΕΩΝ.ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. vel ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ.ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ., vel ΠΕΡ. ΝΙΚΑΕΩΝ.ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ., dubium omnino videatur, an το ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ indicet situm, quo se ab altera vel Nicaea vel Pergamo discernerent, positumque sit pro ЄΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩ., an vero concordia notetur inter advenas hos Nicaeenses et Pergamenos, et ipsos Cilbianos, quorum utrumque probabile est. Verisimiliorem tamen omnibus expensis priorem censeo sententiam.

AE. RR.

DALDIS.

In Lydia hanc urbem collocant Suidas, Notitiae, ut videre est apud Harduinum.

Autonomi:

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *vel:* ΔΗΜΟC. ϒ ΔΑΛΔΙΑΝΩΝ. *Diana cervum cornu retinens*, vel: *Iuppiter aetophorus*, vel: *Fortuna stans.* AE. (Hunter, Haym, Pembrock.)

AE. RR.

Imperatorii.

Hadriani, Domnae, Gordiani.

Typi frequentiores:

Diana venatrix, vel *Apollo*, qui teste Artemidoro in hac urbe nato a Daldianis nomine Mystis colebatur [b]).

Tres Nymphae in balneo, adstat hinc Actaeon curiosius in eas intuens, inde cervus, Gordiani max. mod. (Pellerin, Mus. Albani, Caylus Rec. T. IV. p. 169.)

Cervus in hoc numo positus est προληπτικως, nimirum in quem subinde mutatus fuit, cujus prolepsis exemplum aliquando proposui in numo Laodiceae Phrygiae [c]).

Magistratus:

Praetor: ЄΠ. ΗΡΑΚΛЄΙΔΟΥ. CΤΡ. Hadriani, (Pellerin.)

Archon: ЄΠ. Λ. ΑΥΡ. ΗΦΑΙCΤΙΩΝΟC. ΑΡΧ. Α. in numo Domnae, (Vaill.) et quod peculiare, idem L. Aurelius Hephaestion ΑΡΧ. Α. legitur etiam in

a) IV. Tent. p. 159. b) Onirocrit. L. II. sub fin. c) Num. vet. p. 169.

numo Gordiani apud Vaillantium, et Pellerinium, a quo tamen posteriore scribitur: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Δ., at in simili musei Albani, nisi lectionis error subest, ΑΡΧ. Α. Τ. Β., ex quo docemur, hunc Hephaestionem, qui sub Caracalla archon jam fuerat, eundem magistratum quarta vice demum sub Gordiano obivisse.

Αρχιερεα eundem Hephaestionem nobis obtrudit Vaillantius a), sed idem altius eundem ipsum jam, ut oportuit, dixit archontem b).

DIOSHIERON.

Ptolemaeo circa Caystrum.

Autonomi:

ΔΗΜΟϹ. *Caput barbatum laureatum.* ✠ ΔΙΟϹΙΕΡΕΙΤΩΝ. *Aesculapius stans.* AE. III. (Pellerin.)

ΕΠΙ. ϹΕΡΟΥΕΙΝΙΟΥ. *Caput Iovis.* ✠ ΔΙΟϹΙΕΡΕΙΤΩΝ. *Aquila explicatis alis.* AE. II. (Pembrock.)

AE. RRR.

Imperatorii.

Ab Augusto usque ad Mamaeam.

Epigraphe solita. Typi: *Iuppiter stans, etiam intra templum*, unde scilicet urbi nomen, *Aesculapius*, *Hygia.*

ΖΕΥϹ. ΝΕΡΩΝ. ΚΑΙϹΑΡ. *Capita adversa Iovis et Neronis.* ✠ ΔΙΟϹΙΕΡΕΙΤΩΝ. ΚΟΡΒΟΥΛΩΝΟϹ. *Iuno stans d. hastam, juxta scriptum:* ΗΡΑ. AE. II.

Singularem hunc numum vidi in museo Cels. principis a Waldeck. In antica est ΖΕΥϹ, nimirum Dioshieritarum *Iuppiter* comparatus cum Nerone, in aversa ΗΡΑ, *Iuno*, sive hoc nomine Iovis conjux, sive uxorum Neronis quaepiam indicatur. At observatu in hoc numo dignissimum est nomen ΚΟΡΒΟΥΛΩΝΟϹ. Fuit *Corbulo* nomen Romanum, quo minus verisimile est, eo magistratum domesticum designari, et quod praecipuum est, fuit imperante Nerone, cujus imaginem praefert numus, Cn. Domitius Corbulo, ad bellum contra Parthos amplissima cum potestate missus, cujus in commemorandis virtutibus, armorum, et restitutae belli disciplinae gloria, et maximis in imperium meritis copiosi sunt Tacitus, atque Dio, dignus adeo imperio, atque hoc forte uno culpatus, quod omnium votis oblatum est aspernatus, si modo culpanda est in principem etiam immerentem, et palam jure exosum fides. Si Corbulo numo huic inscriptus idem est cum hoc imperii vindice, at quo is nomine in Dioshieritarum monetam est vocatus? an quia, quod ignoramus, aliquo tempore Asiae proconsul fuerit? an ex adfectu in virum tam illustrium meritorum? An, quod maxime verisimile, quia magna orientis parte ejus potestati per bellum Parthicum permissa etiam Lydia imperio ejus fuit subjecta? de qua ampliata potestate vide Tacitum c).

* * *

Magistratus praetor in numis Caracallae, Alexandri, Mamaeae. (Vaill. Mus. Caes. Pellerin, Albani.)

AE. RR.

---

a) Num. Graec. p. 310. b) pag. 90. c) Ann. XV. 25.

GABALA.

Male in numos accita ab Harduino, legendum enim *Tabala*, quam vide.

GORDVS IVLIA.

A Ptolemaeo inter Hermum et Sipylum M. ponitur, et nomine *Iuliae* saepe cum in numis, tum apud geographos gloriatur.

Autonomi:

IЄPA. CΥΝΚΛΗ. vel: ΘЄΑ. ΡΩΜΗ. in aliis: ΓΟΡΔΟC. vel: ΙΟΥΛΙΑ. ΓΟΡΔΟC. *Caput muliebre turritum*, nempe urbis genius. In aversa: ΓΟΡΔΗΝΩΝ, vel: ΙΟΥΛΙΓΟΡΔΗΝΩΝ. *Bacchus*, *Aesculapius*, *Diana Ephesia*, *Fluvius jacens*. Sunt aenei omnes. (Pellerin, Haym, Pembrock.)

ΓΟΡΔΟC. *Caput muliebre turritum*. ℞ ЄΠ. ЄΛΥΔΟΥ. *Diota*. AE. III. (Hunter.)

AE. RR.

Imperatorii:

A Trajano usque ad Gallienum.

Epigraphe: ΓΟΡΔΗΝΩΝ. vel ΙΟΥΛΙЄΩΝ. ΓΟΡΔΗΝΩΝ. typis obviis.

Magistratus a Trajano ad Caracallam usque inscribitur sine mentione dignitatis. Memoratur deinde

Archon: ЄΠΙ. ΑΥΡ. ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ. ΤΟΥ. ΑΡΤЄΜΑ. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β. Caracallae. (Vaill.)

ЄΠ. ΑΥΡ. ΑΙΛ.--ΙΠΠΙΚΟΥ. ΑΡΧ. Gallieni. (Theupoli.)

ΙΠΠΙΚΟΥ., id est, *equitis R.*, quam dignitatem nonnunquam magistratibus in numis fuisse additam, docebimus in commentario singulari.

Concordia cum Cado Phrygiae, quam vide.

AE. RR.

HERACLEA.

Hoc nomine urbem in Lydia statuit Stephanus, aliique, quos ad hunc Stephani locum laudat Thomas Pinedo.

Autonomum Pellerinius huc refert: ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. ℞ ΗΡΑΚΛЄΩΤΩΝ. *Mulier stans d. spicas*, *s. facem*. AE. II.

Causam judicio dedit fabricae ratio, quae nimium saepe fallit, et fors aequo jure numus hic esse potest seu Heracleae Ioniae, seu Cariae.

Imperatorios cum Heracleae nomine plures describit Vaillantius ab Antonino usque ad Maximinum, sed eos nulla certa lege jam Cariae, jam Lydiae tribuit. Ex quo apparet, nullam eum certam rationem secutum, et haud dubie nullam, quam sequeretur, sibi praesto fuisse.

HERMOCAPELIA.

Cives Plinio *Hermocapelitae*, quod interpretatur Harduinus: *Mercurii caupones*. Verius censeo, ab Hermo fl. potius sic appellatum oppidum, cui fuerit adsitum, atque a cauponaria ibi primum constituta, ἀπο της καπηλειας, antequam in oppidi magnitudinem excresceret, dictum Ερμοκαπηλειαν, quo nomine revera haec urbs ab Hierocle et Notitiis compellatur. Ad haec Mercurii effigies in nullo hactenus vulgato comparet. Vi-

detur ergo Harduinus idem peccasse, quod teste Plutarcho in simili causa ii, qui Ἑρμȣ οἰκιαν, Bithyniae quemdam locum, sic dictum voluere *ἀπο τȣ Ἑρμȣ*, *a Mercurio*, cum tamen nomen traheret ab Hermo quopiam Atheniensi [a]). Hujus generis sunt *Claudi cauponae* apud Horatium [b]).

Autonomi:

ΙΕΡΑ. CΤΝΚΛΗΤΟC. Ӿ ΘΕΑ. ΡΩ. *(etiam sine hoc.)* ЄΡΜΟΚΑΠΗ. *vel:* ЄΡΜΟΚΑΠΗΛΙΤΩΝ. *Caput muliebre impositis capiti binis turribus.* AE. III. (Pellerin, Mus. Caes. Arigoni.)

AR. RR.

Imperatorii.

Hadriani, Severi, Treboniani. (Vaill. Pellerin.)

Typi: Raptus Proserpinae, aliique.

Magistratus praetor: ЄΠΙ. СΤΡΑΤ. ЄΛΛΑΤΟ -- Severi. (Pellerin Rec. III. p. 214.)

ЄΠΙ. ΑΤΡ. ΜΗΝΟΦΙΛΟΤ. Β. Κ. ΑΝΔΡΟΝЄΙΚΟΤ. Treboniani, Vaillantii lectionem sic corrigente Pellerinio. (Suppl. II. p. 86.)

AE. RRR.

HERMVPOLIS.

Numum Treboniani cum Hermupolis epigraphe profert Vaillantius, eumque Lydiae urbi tribuit, etsi apud auctorem nullum urbis Lydiae sic dicte mentio fiat. Hermopolin in Isauria memorant Notitiae, ceterum nullam hujus nominis per Asiam minorem, cui regioni certe soli vindicandi sunt numi sequentes:

Autonomus.

Caput Sarapidis. Ӿ ЄΡΜΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Fortuna stans.* AE. (Pembrock.)

Nihil obest, quo minus numus hic Isauriae tribui possit. Hermopolin credo Aegypti nemo respiciet, cujus urbes nonnisi numos suae rationis, ut dicetur, cuderunt.

AE. RRRR.

Imperatorius

ЄΡΜΟΤΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Pluto Proserpinam rapiens*, in numo Treboniani apud Vaillantium, et Harduinum, qui posterior numum Hermopoli Aegypti largitur, sed perperam. Vaillantius Lydiam mavult, neque, ut videatur, inique. Nam Pluto Proserpinam rapiens etiam est in numo Hermocapeliae, et ejusdem quidem Treboniani. Quare quemadmodum Hermocapelia, ut verisimile diximus, nomen traxit ab Hermo fluvio, sic ab eodem nomen traxerit etiam Hermupolis, et forte inter se vicinae peculiari religione coluerint Plutonem, qui Proserpinam rapiens frequenter in numis Lydiae et Cariae fingitur. Plutonium certe fuit in Lydia, de quo egi ad Nysam Cariae.

AE. RRRR.

---

a) In Thes. p. m. 12. b) L. I. Sat. 5. v. 51.

HIEROCAESAREA.

Versus Aeolidem, una ex urbibus sub Tiberio terrae motu collapsis, cujus nomen etiam exstat in basi noti colossi Tiberiani. Nomen ἱερας haud dubie traxit a cultu Dianae hic illustri, ut a Bellonae cultu Comana Ponti videntur quoque dicta Hierocaesarea.

Autonomi:

ΠΕΡϹΙΚΗ. *Caput Dianae cum pharetra.* ✠ ΙΕΡΟΚΑΙϹΑΡΕΩΝ. *Ara ignita.* AE. III. (Seguin, Pellerin.)

ΙΕΡΟΚΑΙϹΑΡΕΙΑ. *Caput muliebre turritum.* ✠ ΑΝΘΥΠΑΤΩ. ΨΕΡΟΚΙ. *Diana stans cum arcu, et telum e pharetra promens.* AE. II. (Pellerin.)

ΔΗΜΟϹ. *Caput juvenile laureatum.* ✠ ΙΕΡΟΚΑΙϹΑΡΕΩΝ. *Diana in citis cervorum bigis.* AE. I. (Hunter.)

Hos numos insigniter illustrant scriptores veteres. Tacitus a): *Altius Hierocaesarienses exposuere: PERSICAM apud se DIANAM, delubrum rege Cyro dicatum.* De Diana hac Persica vide plura apud Spanhemium b). Aversam cum ara elegante, explicat Pausanias c). In Lydis, inquit, qui *Persici* cognominantur, esse urbes Hierocaesaream, et Hypaepam, in iis ARAM, cui si imponantur ligna, ea flammam sponte concipere sacerdotum solum barbaris carminibus excitatam. Narrat Diodorus d): Ptolemaeum Lagi apud Caunum Cariae occupasse το μεν Ηρακλειον, και το Περσικον, quod interpretor: *locum Herculi et Dianae Persicae sacrum.*

Magistratus proconsul in altero numo, in quo literam Ψ positam esse pro Φ, et indicari *Ferocem*, jam monuit Pellerinius. Videtur esse *Iulius Ferox*, quem Plinius junior vocat consulem designatum, virumque rectum et sanctum e). Ejusdem aetatis est marmor, nempe imperante Trajano positum, in quo *Ti. Iulius Ferox* dicitur *curator alvei et riparum Tiberis* f).

AE. RRR.

Imperatorius certe fidei nullus exstat, nam quos Vaillantius, Pellerinius, aliique cum capite Severi et Caracallae huc revocant, inscriptos: ΙΕΡΟΚΑΙϹΑΡΕΩΝ. ΚΟΜΑΝΕΩΝ. ΕΤ. ΒΟΡ., in quibus concordiam cum Comanis Ponti vident, epochae annum ad Hierocaesareae historiam existimantes pertinere, esse tribuendos unis Comanis Ponti nullo cum hac Lydiae urbe nexu, supra in horum moneta explicavi.

HYPAEPA.

Versus Tmolum montem.

Autonomi:

ΕΠΙ. ΦΙΛΟΜΗΛΟΥ. *Caput Herculis nudum.* ✠ ΥΠΑΙΠΗΝΩΝ. *Aesculapius stans.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Alius apud Haymium typo *Bacchi*.

AE. RRR.

Imperatorii.

Ab Augusto usque ad Saloninam. (Theup. Vaill.)

Typus communis: *Mulier stans ex-*

---

a) Ann. III. 62. b) ad Callim. in Dian. v. 37. c) L. V. c. 27. d) L. XX. c. 27. e) L. II. epist. 11. f) Grut. p. 198. 3.

pansis manibus, pallio diducto, et a vertice ad talos defluo, quam delineatam vide apud Pellerinium. (Suppl. II. p. 91.) Saepe *eadem stat intra templum.* Passim creditur esse Iuno Pronuba, cujus similis fuit habitus. Forte Venus apud Hypaepam hac forma fuit culta, cujus munere pulcherrimae istic fuere mulieres teste Stephano, aut Diana Persica, quam hic cum miraculo cultam mox in Hierocaesarea exposui.

Magistratus inde ab Augusto usque ad exitum inscripsere, jam addita ejus dignitate, jam suppressa.

Praetoris dignitas primum proditur in numo Commodi. (Pellerin.) In numo Elagabali apud Pellerinium: ЄΠΙ. ΚΗΡΙΝΘΟΥ. Δ. CΤΡΑΤ. Α. Nimirum. *Cerinthus quartum praetor primus.*

Asiarcha: ЄΠΙ. ΑΙ. ΑΠΙΩΝΟC. ΑCΙΑΡ. ΤΟ. Β. in numo Severi. (Vaill.) ЄΠΙ. Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΥ. ΑCΙΑΡΧΟΥ. ejusdem. (Vaill.)

AE. RR.

HYRCANIA.

Sita in campis Hyrcanis, quos sic nominavere Persae a colonis ex Hyrcania huc translatis, ut docet Strabo a). Plinius et Tacitus hos vocant *Macedones Hyrcanos*, nimirum quod hi serius cum adventitiis Macedonibus permixti fuere, quod, ut videbimus, confirmant numi. Vrbis nomen veteres scriptores non produnt, est tamen HYRCA - - - in basi colossi Tiberiani, ac praeteraea Nicephorus et Hieronymus, qui Lydiae urbes terrae motu subversas enumerant, eam vocant ΥΡΚΑΝΙΑ, et *Hyrcania.*

Autonomi:

ΥΡΚΑΝΙC. *Caput muliebre turritum.* ✠ ΥΡΚΑΝΩΝ. *Fortuna stans.* AE. III. (Haym, Pellerin.)

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. ✠ *Nomen archontis et urbis. Aesculapius.* AE. (Haym.) *Telesphorus stans.* AE. III. (Sestini Lett. T. IV. p. 121.)

AE. RRR.

Imperatorii.

A Commodo ad Otaciliam usque.

Typus illustrior:

Raptus Proserpinae more solito, sed praeterea volitans in aere cum binis facibus Cupido, juxta currum irruens Pallas d. hastam vibrans, s. velut rotam inhibitura, sub equorum pedibus serpens, et inversus calathus cum floribus, in numo Commodi. (Pellerin Rec. III. p. 216. Mus. Albani.)

Palladis in hoc actu partes investigandae. Reperio apud Euripidem b), Cereri in quaerenda filia operam sociasse Palladem: *ἁ δ' ἐγχει Γοργω πανοπλος, et hasta Gorgo armata.* Gorgona appellat Palladem poetice, cum quod Gorgonis imaginem gestare est solita, tum quod truci instar Gorgonis aspectu esset. At magis apposite ad hujus numi typum Pallas apud Claudianum deo raptori exprobrat facinus, et retardare fugam omnibus modis nititur c). Idem praestat Pal-

a) L. XIII. b) Helen. v. 1332. c) Rapt. Proserp. L. II. v. 205. seq.

las in opere anaglypho, quod est in Admirandis Romae.

Origo gentis in eodem illustri numo; ΜΑΚΕΔ. ΤΥΡΚΑΝΩΝ., ut supra diximus.

Magistratus:

Archon: ЄΠΙ. Α. ЄΡΜΟΓЄΝΟΥC. Est apud Haymium in autonomo, qui το Α. explet Αρχων, forte melius est praenomen Αυλȣ, praecipue cum certos habeamus in hoc oppido praetores, de quibus continuo.

Praetor in binis Commodi et Otaciliae apud Pellerinium: (Rec. III. p. 216.) CΤΡΑ. Λ. ΟΥЄΤ. ΑΝΤΩΝЄΙΝΟΥ. Alter Otaciliae ad praetoris nomen addit etiam dignitatem

Stephanephori: ЄΠ. CΤ. ΦΡΑΥ. ЄΡΜΟΓЄΝΟΥ. Β. CΤЄΦ. Vide tractatum de stephanephoris.

AE. RR.

MAEONIA.

Olim tota Lydia dicta Maeonia, serius nomen istud adhaesit oppido, cujus cives Plinius *Maeonios* vocat, et Tmolo admovet. Maeonas a Lydis adhuc distinguit Philostratus, ut jam advertit Spanhemius [a]).

Autonomi:

Horum copiosos Pellerinius ex locuplete sua gaza stitit.

Epigraphe solita: ΜΑΙΟΝΩΝ. Singulare est in horum uno: ΜΑΙΟΝΙΟΝ, quod certum est κτητικον, ut ΘΕΣΠΙΚΟΝ.

ΖЄΥC. ΟΛΥΜΠΙΟC. *Caput Iovis laur.* Est etiam in museo Com. Vitzai.

Caput Herculis nudum. ✠ *Omphale gradiens cum Herculis cultu.*

Fuit haec ex Herculis ερωτικοις late famigerata regina Lydiae, cujus regionis plures numi hoc argumentum sistunt. Vide infra in Sardibus.

Typi reliqui: *Herculis arma*, *Roma sedens*, *vitis.*

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. — ΔΗΜΟC. addito nonnunquam magistratu, sed sine mentione dignitatis.

Sunt aenei omnes, apud Pellerinium, Haymium, Theupoli, Hunter.

AE. RR.

Imperatorii.

A Nerone usque ad Etruscillam.

Epigraphe: ΜΑΙΟΝΩΝ, pro quo Vaillantius perperam in singulis legit ΜΑΙΩΝΩΝ.

Typi variorum deorum. Insignior est: *Bacchus in curru cum Ariadne*, *in aere Cupido volans cum face.*

Magistratus archon: ЄΠΙ. ΑΥΡ. ΖΗΝΩΝΟC. ΑΡΧ. in numis Alexandri aetate signatis. (Vaill.)

Stephanephorus: ЄΠΙ. ΑΥΡ. ΑΠΦΙΑΝΟΥ. ΤΟΥ. ΑΘΗΝΑΙΟΥ. ΑΡΧ. Α. ΚΑΙ. CΤЄΦΑΝΗΦ. *Bacchus in pantherarum bigis comite muliere*, in numo Decii. (Vaill.) In numo simili musei Caesarei est: ΤΟΥΚ. ΑΘΗΝΑΙΟΥ, id est: τȣ και Αθηναιȣ, in alio apud Bandurium: ΤΟΥ. ΚЄ. ΑΘΗΝΑΙΟΥ. [b]). Fuit ergo hic Apphianus patria Maeon, adoptione Atheniensis, cujus plura exem-

a) Ad Callim. in Delum v. 250. b) Tom. I. p. 32.

pla alia dabimus in numis Laodiceae Phrygiae. Perperam Tristanus in numo simili pro ΜΑΙΟΝΩΝ legit ΜΑΓΝΗΤΩΝ. a).

AE. RR.

MAGNESIA.

Ad Sipylum montem, cujus mentionem, quia plures Magnesiae fuere, in numis nunquam reticet. Illustris fuit a victo ibi Antiocho M., sed terrae motu item sub Tiberio adflicta.

Autonomi:

ΜΑΓΝΗCΙΑ. *Caput muliebre turritum.* ✠ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. CΙΠΥΛ. *Taurus gibbosus.* AE. II. (Pellerin.)

CΙΠΥΛΟC. *Caput nudum barbatum.* ✠ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Aesculapius.* AE. (Haym, Arigoni.) *Fortuna stans.* (Mus. Caes.)

Harduinus, qui numum similem citat, caput anticae esse ait Sipyli Agenoris F., a quo mons nomen abstulit, sed dicti sui vadem nobis invidit. Sipylus fuit etiam filius Niobes Apollinis telo confixus testibus Apollodoro, et Ovidio. Alius Sypilus Scytha, quem in hoc tractu vicisse Myrhinam Amazonem narrat Diodorus b).

Bos cum gibbo, qualem sistit numus prior, offert se etiam in numis Trallium, aliarumque urbium. Ejus formae a veteribus quoque facta mentio. Aristoteles: (Hist. anim. L. VIII. c. 33.) ἐν δε τῃ Συρια οἱ βοες, ὡσπερ οἱ καμηλοι, καμπας ἐχουσι ἐπι των ἀκρωμιων, *in Syria boves, quemadmodum cameli, flexuras habent in summo tergore.* Similia profitetur Plinius c): *Syriacis* (bubus) *non sunt palearia, sed gibber in dorso. Carici quoque in parte Asiae foedi visu, tubere super armos a cervicibus eminente.* Propter innatam feritatem a Romanis in spectacula quaesiti, et tales se in amphitheatro Romae vidisse testatur pastor Corydon apud T. Calpurnium Siculum d):

Vidimus et tauros, quibus aut cervice levata
Deformis scapulis torus eminet.

ΜΑΓΝΗΤΩ. CΙΠΥΛΟΥ. *Caput barbatum.* ✠ ЄΡΜΟC. *Fluvius decumbens.* AE. (Theupoli.)

Fluxit Hermus per Magnetum agrum.

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. ✠ ЄΠ. CΤ. ΑΥ. ΘЄΟΔΟΤΟΥ. *Cybele stans inter duos leones intra templum.* AE. I. (Pellerin.)

Male Patinus in simili legit ΘЄΟΛΟΓΟΥ. Idem magistratus Theodotus legitur in numis Gordiani. De Cybele mox plura.

AE. RR.

Imperatorii.

Ab Augusto ad Gallienum usque. Primorum imperatorum numi digni sunt, qui describantur.

ΣΕΒΑΣΤΟΙ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΣΙΠΥΛΟΥ. *Capita jugata Augusti et Liviae.* ✠ ΤΙΟΙ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ. ΙΕΡΕΥΣ. *Capita Caii et Lucii se respicientia.*

Vaillantius in numo suo legit ΣΕΒΑΣΤΟΙ, de quo dubito propter causas, quas olim in numis Liviae dabimus. In simili Morelliano, et musei Caesarei literae postremae OI extritae sunt. Legit

a) Tom. II. p. 595. b) L. III. c. 55. c) L. VIII. §. 70. d) Eclog. VII. v. 60.

item in aversa ΤΙΟΙ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ., sed in Caesareo luculentum est ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Eundem numum, sed cum omnibus Vaillantii erratis in novam suam editionem transtulit Harduinus.

ΘΕΑΝ. CΕΒΑCΤΗΝ. *Caput Liviae.* Ⅹ CΥΝΚΛΗΤΟΝ. ΜΑΓΝΗΤΕC. ΑΠΟ. C. *Caput juvenile Senatus.* (Pellerin.)

CΕΒΑCΤΗC. ΗΡΑC. *Caput Liviae.* (Arigoni.)

ΤΙΒΕΡΙΟΝ. CΕΒΑCΤΟΝ. ΚΤΙCΤΗΝ. *Caput Tiberii.* Ⅹ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΑΠΟ. CΙΠΥΛΟΥ. *Vrbis genius dexteram jungit cum imperatore.* (Pellerin.)

Iure Tiberius a Magnetibus *conditor* dici potuit, qui eos terrae motu graviter concussos liberaliter recreavit, ut diserte Tacitus [a]): *Magnetes a Sipylo proximi damno ac remedio habiti.*

ΓΑΙΟΝ. ΚΑΙCΑΡΑ. CΕΒΑCΤΟΝ. *Caput Caligulae radiatum.* Ⅹ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ. ΚΑΙ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ. ΜΑ. ΠΡ. CΙΠΥ. *Germanicus velatus stans, et Agrippina senior d. spicas, s. hastam.* (Haym.)

ΝΕ. ΚΑΙ. ΖΕΥC. ΕΛΕΥΘΕΡΙΟC. *Caput Neronis.* Ⅹ ΕΠΙ. Γ. ΙΟΥ. ΠΟΛΥΑΙΝΟΥ. ΜΑ. CΙ. *Vir eques*, in alio: *Mulier gradiens elatis manibus.* (Pellerin Rec. III. p. 234.)

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. CΙΠ. *Caput Senatus.* Neronis. (Vaill.)

* * *

Typi nobiliores:

Cybele stans vel sedens inter duos leones, vel: *vehitur in citatis leonum bigis s. hastam et tympanum tenens.* (Vaill. Mus. Caes.)

Dubium non videtur, hanc Cybelen esse την μητερα την Σιπυληνην. Eadem colebatur etiam Smyrnae, in cujus numis juxta caput turritum legitur CΙΠΥΛΗΝΗ. De hac vide plura in numis Smyrnae.

Amazon et Cybele stantes, Caracallae. (Vaill.)

Videntur ergo Magnetes sibi persuasisse, urbem suam ab Amazone conditam.

* * *

Magistratus:

ΙΕΡΕΥΣ. *Dionysius* in numo Augusti supra descripto.

Praetor inde ab Aurelio frequens. — ΕΠ. ΑΙΛΙΟΥ. ΙΠπικυ. De magistratibus, qui honorem Ιππικυ addunt, vide quae in volumine IV. de hoc titulo docebimus.

Mentio situs:

I. A monte Sipylo. Inscriptio variis modis peragitur, ut in citatis supra imperatoriis vidimus.

II. Ab Hermo fluvio, scripto ΕΡΜΟC in autonomo, et in numo Faustinae sen. (Vaill.)

* * *

Ludi:

ΟΛΥΜΠΙΑ. *Vrna*, in numo Gallieni. (Vaill.)

ΕΝΜΟΝΙΔΕΙΑ. *intra coronam*, Alexandri. (Pellerin Rec. III. p. 121.) Alius typo *urnae*, Gallieni. (Ibid. p. 246.)

Posteriori similem etiam edidit Vaillantius, sed legit: ΕΝ. ΜΟΝΗ. ΔΕΚ., atque hoc indicari decennalia suspicatus est. Aliter hos ludos explicat Pellerinius [b]). Vocabulum ducit a Μονη, *sola*,

---

a) Ann. L. II. 47. b) Rec. III. p. XXV.

et Ιδιᾳ, quod opponitur τῳ Κοινῃ. Cum igitur aliarum urbium certamina acta fuerint pluribus propter sumptuum magnitudinem impensas facientibus, Magnesiam, quo ostenderet, se solam sumptibus suffecisse, in numis scripsisse ЄΝΜΟΝΙΔΕΙΑ. Durus enimvero explicatus. Nam primum, cur Magnetes, ut istud indicarent, vocabulo uterentur extra omnem usum posito, et quod constet, universae Graeciae ignoto? perinde quasi fingendum fuisset vocabulum novum, neque in promptu fuisset το ΙΔΙΟΝ, quod τῳ ΚΟΙΝΟΝ opponeretur. II. Si vocabulum istud revera hunc sensum patitur, et habet, cur non etiam in aliarum urbium moneta legitur? Ergo Magnetes hi, quos per contemptum parum validos vocat Tacitus [a]), per se soli poterant celebrare ludos, atque isto in numis gloriari, Pergameni, Ephesii, aliique omnibus copiis ornati, et in ostentationem effusi istud non potuere? III. Eo ipso, quod hoc vocabulum in hujus tantum Magnesiae numis legitur, apparet, hos ludos ita fuisse huic urbi proprios, ut, quaecunque demum ratio fuerit, aliae urbes eorum modum sibi neutiquam arrogarent. Sic certamina ЄΝ. ΚΟΔΡΙΓΑΙC. in solis Tarsi numis leguntur, sed constat etiam, ea in vicinis Codrigis obita per causam victoriarum eo loco reportatarum, quae utique ad alias urbes non pertinuit. IV. Eadem haec in numis Tarsensibus inscriptio tenuiter suspicari facit, in Magnetum quoque numis separandam epigraphen, legendumque ЄΝ. ΜΟΝΙΔΕΙΑ., sic ut sensus sit, ludos hos celebratos in loco vicino *Monidea* dicto, quaemadmodum ludi acti fuere ἐν Κοδριγαις, atque ut passim formula apud Graecos obtinet: ἐν Ολυμπιᾳ, vel in numis Philippopolis Thraciae: ΠΥΘΙΑ. ЄΝ. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙ. Forte Monidea nomen campo fuit, in quo propter insignem L. Scipionis de Antiocho M. victoriam stata certamina peragebantur, ut in Codrigis peracta fuere. At praetensae hujus Monideae nullus veterum meminit. Quis autem Codrigarum meminit dempto Malala infimae aetatis scriptore? qui nisi opportune hunc ceteris neglectum locum prodidisset, adhuc hodie crederemus, ea epigraphe certamen *in quadrigis* notari. Ceterum haec per tenuem conjecturam disputata sunto.

AE. R.

MASTAVRA.

Versus Cariam.

Autonomi:

ΜΑCΤΑΥΡЄΙΤΩΝ. *Apollo stans cum lyra.* (Pellerin.)

ΜΑCΤΑΥΡΑ. *Caput muliebre.* ✠ ΜΑCΤΑΥΡЄΙΤΩΝ. *Cupressus et ara.* AE. II. (Pembrock.)

AE. RRRR.

Imperatorii.

A Crispina usque ad Philippum jun.

Typi praeter obvios alios:

Taurus, vel: *Mulier tunicata stans utroque brachio puerulum gestat*, Philippi jun. (Vaill.)

Hos typos idonee explicat Stephanus: *Mastaura urbs Lydiae a Ma, quae*

a) Ann. IV. 55.

Rheam sequebatur, cui Iuppiter Bacchum nutriendum dedit. - - - Rhea etiam vocabatur Ma, et ipsi apud Lydos taurus sacrificabatur, a qua urbi nomen.

AE. RR.

MOSTENE.

In campis Hyrcanis, terrae motum quoque sub Tiberio passa, inscripta etiam colosso MOSTENE.

Autonomi:

ΔΗΜΟC. ✠. ΜΟCΤΗΝΩΝ. *Amazon eques, juxta ara et cupressus.* AE. II. (Pellerin.)

Hic typus etiam in imperatoriis plerumque est. Ergo et Mosteni Amazonem auctorem suam credidere.

Caput Cereris. ✠ ΜΟΣΤΗΝΩΝ. ΛΥΔΩΝ. *Spica, omnia intra coronam.* AE. III. (Sestini Lett. T. IV. p. 121.)

De nomine ΛΥΔΩΝ vide imperatorios.

AE. RRRR.

Imperatorii

A Claudio usque ad Saloninam. *Typi*, ut dictum.

Magistratus praetor in numo Gallieni apud Vaillantium, sed cujus epigraphe sic rectius apud Cellarium proponitur: ЄΠΙ. CΤΡ. Μ. ΑΥΡ. ΖЄΥΞΙΔΟC. Κ. Λ. ΤΥΛΛΙΟΥ.

Mentio situs: ΜΟCΤΗΝΩΝ. ΛΥΔΩΝ., quo epitheto cur usi fuerint, incertum, nisi forte alia fuit Mostene, cujus memoria intercidit. Est numus Hadriani. (Vaill.)

AE. RR.

NACRASA.

Versus Hermum, habitata a Macedonibus secundum marmor Chishulli: Η. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΝΑΚΡΑΣΕΙΤΩΝ. ΒΟΥΛΗ a).

Autonomi:

ΘЄΟΝ. CΥΝΚΛΗΤΟΝ. ✠ ΝΑΚΡΑCΙΤΩΝ. *Diana Ephesia.* (Pellerin.) — *Serpens ab ara adsurgens addito nomine praetoris M. Iuniani.* (Pellerin, Pembrock.)

AE. RRR.

Imperatorii:

A Domitiano usque ad Severum.

Epigraphe: ΝΑΚΡΑCΙΤΩΝ, ΝΑΚΡΑCЄΩΝ, ΝΑΚΡΑCΙΩΝ.

Typi obvii.

Magistratus praetor in numo Veri, (Vaill.) et autonomis mox citatis.

AE. RRR.

PHILADELPHIA.

Prope Sardes, Attali Philadelphi opus teste Stephano, terrae tremoribus misere obnoxia secundum Strabonem. Ejus nomen legitur etiam in basi colossi Tiberiani.

---

a) Ant. Asiat. p. 146.

Autonomi:

Non infrequentes, quorum plurimos vulgavit Pellerinius, aeneos omnes.

Epigraphe: ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ., praeponitur saepe ΦΛ., *Flaviorum*, de quo infra, saepe etiam additur ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

ΔΗΜΟC. ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. more hujus tractus.

ΖΕΥC. ΚΟΡΥΦΑΙΟC. *Caput Iovis diadematum.*

De hoc Iove Pausanias [a]: *υπερ το θεατρον εϛιν ιερον Διος Καπετωλιȣ φωνῃ τῃ Ρωμαιων, κατα Ελλαδα δε γλωσσαν Κορυφαιος ονομαζοιτ' αν. Supra theatrum templum est Iovis Capitolini in Latinorum lingua, quem Graece* Κορυφαιον *apte dixeris.*

* * *

ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑ. *Caput muliebre turritum.* ℞ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. *Iuppiter sedens, d. Victoriolam.*

Eadem adversa. ℞ ΝΕΩΚΟΡΟC. *Aesculapius.*

Hi numi docent, non in omnibus numis capite muliebri turrito, et scripto juxta urbis nomine, indicari Amazonem, sed saepe verius genium urbis. Sane in numis praesentibus *Philadelphia* nomen Amazonis esse nequit, cum nomen istud urbi inditum fuerit ab Attalo Philadelpho, ut dictum.

* * *

ΔΗΜΟC. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. ΝΕΩΚ. *Caput juvenile diadematum.* ℞ Κ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Mater Sipylene Smyrnaeorum capite turrito sedens d. pateram, s. cornucopiae, simul tympano innixa, pro pedibus leo.* AE. III. (Haym, Hunter Theupoli.)

Numus hic, ut ex tertio Smyrnaeorum neocoratu liquet, signatus esse ante Commodum non potuit.

* * *

Caput Dianae. ℞ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. ΕΡΜΙΠΠΟΣ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. *Apollo stolatus stans cum lyra.* (Pellerin.)

Caput Dianae. ℞ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. ΕΡΜΙΠΠΟC. ΕΡΜΟΓΕΝΟΥΣ. ΑΡΧΙΕΡΕ. *Apollo seminudus sedens d. pateram, s. lyrae innixus.* (Haym T. II. p. m. 197.)

Caput Dianae. ℞ ΣΜΥΡ. ΕΡΜΙΠΠΟΣ. ΕΡΜΟΓΕΝΟΥΣ. ΑΡΧΙΕΡΕ. *Apollo seminudus sedens d. pateram, s. lyrae innixus.* (Pellerin Rec. II. tab. LVIII. n. 56.)

Numum II. et III. ex ipsis iconismis conferenti patebit, utrique non modo spectatis typis et epigraphe dempto urbis nomine, sed etiam epigraphes situ plene convenire. Eorum etiam aetatem Augusti circiter aevo admovendam forma literarum E et Σ suadent. Rationem tam anxiae concordiae in numis diversarum urbium justo intervallo distantium nimirum Philadelphiae, et Smyrnae, difficile est divinare, casui vero minime tribuendam nemo non videt. Vide, quae ad similem causam numorum Alabandae et Antiochiae in moneta prioris Cariae urbis adverti.

* * *

Corona ex clypeis Macedonicis. ℞ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. *Fulmen, monogramma, omnia intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Omnia in his urbem Macedonicam lo-

a) L. II. p. 121.

quuntur, sed frustra quis in Macedonia urbem Philadelphiae nomine quaesiverit. Quare hactenus huic Lydiae urbi tribuuntur. Similes clypei observantur etiam in nonnullis numis Paesti Lucaniae.

* * *

ΔΗΜΟϹ. *Caput diadematum.* ℞ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. ΠΗΓΗ. *Figura humi sedens s. urnae innixa, ex qua aqua profluit.* AE. II. (Pembrock.)

Fons Philadelphensium anonymus in hoc numo memoratur. Vide, quae de his fontibus in numis docebimus Vol. IV. in tractatu de Fluviis.

AE. R.

Imperatorii

A Nerone usque ad Herennium, cujus numus est apud Haymium. Marcianae numum vulgavit Arigonius.

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΕΦΕϹΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Templum, ante quod stans mulier sigillum Dianae Ephesiae tenet; ei ad sinistram adstant duo viri seminudi*, in numo Decii. (de Camps.)

Cum in concordiae numis plerumque se offerant utriusque urbis symbola, certum est, mulierem cum Dianae Ephesiae signo stantem indicare Ephesum, viros duos tanquam *fratres sese amantes* Philadelphiam. Quanquam non obscure hoc typo videatur effictа fabula Iphigeniae, Orestis, ac Pyladis in Tauride, ut iconismum ipsum intuenti possit videri verisimile.

Imperatoris nomen, nempe *Flaviae*, sumptum haud dubie a Vespasiano, aut forte verius a Tito et Domitiano, quod esse debebant, *philadelphis*, saepius occurrit tam in autonomis, quam imperatoriis. Primum legitur in numo Domitiani adhuc Caesaris: ΦΛΑΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. (Pellerin.) In reliquis solum ΦΛ. praefigitur.

Magistratus: ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. in autonomo descripto.

Archon: ac primum in numo Trajani sic notatus: Ε. ΤΡΕΒ. ΝΙΓΡΟΥ. ΑΡ. ΠΡ. Β. id est: ΑΡχοντος ΠΡωτȣ Β. (Pellerin.) In numo Antinoi: ΕΠΙ. ΑΙΛ. ΚΑΠΙΤΩΝΟϹ. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β. (Vaill.) et in nonnullis aliis.

Neocoratus indicatur inde ab Antinoo, et notatur etiam saepe in autonomis.

Concordia cum Smyrna et Epheso in numis citatis.

AE. R.

SAETTENI.

Hi scriptoribus omnibus ignoti numorum beneficio revixere. Lydiae hos vindicant numi cum inscriptis Hermo, et Hyllo fluviis, de quibus infra.

Autonomi:

Complures sunt apud Pellerinium, et in museo Caesareo.

Epigraphe constans: ϹΑΙΤΤΗΝΩΝ. tam in autonomis, quam imperatoriis.

ΙΕΡΑ. ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ. vel ΔΗΜΟϹ.

ΕΡΜΟϹ. *Fluvius decumbens.*

Ceterum variorum deorum in his occurrunt effigies.

AE. RR.

Imperatorii

Ab Hadriano, cujus numus est in le Bret teste Panelio, usque ad Saloninam, cujus numum edidit Arigonius.

Epigraphe CAITTHNΩN. Vaillantii CAETΩN in numo Hadriani fallit, nam legendum: CA. ET. ΘN., et est Samosatorum, ut in his dicetur.

Typi varii, praecipue Herculis.

Magistratus archon inde a M. Aurelio. In numo Gordiani: ЄΠ. AI. ATTAΛIANOT. TIOT. IΠACOT. APX. A. TO. B. Archon ATTIKOC. est in autonomo. (Panel Cistoph. p. 41.)

Mentio situs a binis fluviis:

ЄPMOC. *Fluvius decumbens*, Aurelii, Mamaeae, Otaciliae, et in autonomo, (Vaill. Arigoni, Pellerin.) at quod insolens, juxta eandem epigraphen in numo Aurelii est *Hercules stans*, (Vaill.) in quo cum nonnulli legerent APMOCAITTHNΩN pro CAITTHNΩN. ЄPMOC., eum perperam Armosata Armeniae transtulerunt, ut docebimus in numis regum Armeniae.

TΛΛOC. *Fluvius decumbens*, Tranquillinae. (Vaill.)

Hyllum exire in Hermum, docent Plinius et Strabo, qui praeterea addit, eum quoque vocari *Phrygium*. Videntur ergo Saetteni ad utriusque confluentem positi, quod egregie confirmat typus in numo Gordiani: *Mensis stans inter duos fluvios decumbentes.* (Vaill.)

AE. RR.

SARDES.

Ad Pactolum fl., vetustorum Lydiae regum sedes, in paucis olim opulenta. De hujus urbis re monetaria vetere praeclare est meritus Cl. Belleyus [a]), ex cujus commentariis magnam eorum, quae coram dabimus, partem me hausisse profiteor.

Autonomi:

ZETC. ΛTΔIOC. *Caput Iovis diadematum.* ⅹ CAPΔIANΩN. *Hercules stans.* AE. III. (Pellerin.)

Similis adversa. ⅹ ΘEA. PΩMH. *Roma sedens d. Victoriolam.* AE. II. (Num. Graec. musei Benedicti p. 11. et princ. de Waldeck.)

Iovis cultus apud Sardianos inclytus. Sic et in eorum marmore habemus Bonnatum IEPEA. MEΓIΣTOT. ΠOΛIEΩΣ. ΔIOΣ. - - - - AΓΩNOΘETHN. ΔIAPIΩN. *ludorum Iovis*, nisi legendum ΔIAΣIΩN secundum Meursium [b]). Numum alterum, etsi urbis nomen non addatur, huc pertinere, praecedens conjicere facit.

* * *

CAPΔIC. *Caput muliebre turritum.* ⅹ CAPΔIANΩN. B. NEΩKOPΩN. *Dea velata sedens inter spicam et papaver.* AE. III. (Mus. Caes.)

In antica exhibetur genius urbis, in aversa Proserpina, ut dicetur in imperatoriis.

* * *

MHN. ACKHNOC. *Protome Mensis.* ⅹ CAPΔIANΩN. B. NEΩKOPΩN. ЄPMOC. *Hermus fl. decumbens.* AE. (Haym.)

ACKHNOC. est cognomen *Mensis*, aliis Luni, qui alibi alia habuit cognomina etiam in numis, quae collegit Belleyus [c]).

---

a) B. L. T. XVIII. p. 115. b) Graec. fer. c) l. c. p. 135.

* * *

Caput Herculis nudum. ✗ CAPΔIANΩN. *Omphale gradiens cum Herculis omni cultu.* AE. III. (Mus. Caes.)

Fuit Omphale Iardani Lydorum regis filia, cujus amore insaniens Hercules stamen duxit, ipsa interea amasii clavam et leonis exuvias deferente. Idem argumentum supra in Maeoniae moneta vidimus. Magnum Herculis in Lydorum historia nomen, cujus posteritas genti diu praefuit teste Herodoto a).

* * *

TMΩΛOC. *Caput senile barbatum pampinis coronatum.* ✗ CAPΔIANΩN. *Bacchus sedens d. cantharum.* AE. III. (Pembrock P. II. tab. 40.)

Plinius: *Celebratur Lydia maxime Sardibus in latere Tmoli, qui antea Timolus appelabatur, vitibus consitus.* Unde Bacchus in numo. Tmolus credebatur Martis filius, a quo monti nomen inditum, ut narrat Plutarchus b). Pampino coronatur propter vitium in eo abundantiam, quam praedicant Plinius, ut dictum, et saepe Ovidius, aliique. Tmolus etiam fingitur in numis Tmoli, de qua infra.

* * *

Caput virile imberbe laureatum. ✗ ΣAPΔIANΩN. *Figura nuda stans d. extenta avim, s. demissa ramum, addito etiam magistratu, omnia intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

Obvii sunt hi Sardianorum numi, et hactenus descriptos aetate praevertunt. Caput anticae videtur esse Herculis Tyrii, de quo in imperatoriis, at partis aversae argumentum mihi ignotum.

* * *

Cistophori insignes in hac urbe cusi sunt, sed quos collectos vide in tractatu de his singulari.

AR. cistophori RRR. AE. C.

Imperatorii.

Augusti numis jam inscribitur ΣAPΔIANΩN, sed semper in consortio cum ΠEPΓAMHNΩN, et verisimile est ex typis, apud Pergamum eos signatos. Certi sunt a Druso juniore usque ad Saloninam. Hos inter memorabilis: ΔPOTΣOΣ. ΓEPMANIKOΣ. KAIΣAPEΣ. NEOI. ΘEOI. ΦIΛAΔEΛΦOI. AΔEΛΦOI. *Drusus junior et Germanicus sedentes*, (Vaill. Morelli.) de quo agetur uberius in moneta Germanici. Item numi Octaviae Neronis et Vitellii. (Sestini Lett. T. IV. p. 122. 123.)

* * *

Typi illustriores:

Proserpinae cultus apud Sardianos praecipuus, in numis enim saepe proponitur aut sola ipsa, aut a Plutone rapta. In numo Concordiae cum Epheso ipsa et Diana Ephesia stantes. Constituti etiam ludi KOPAIA, de quibus infra, ubi et plura de Proserpina proponentur.

ΠAΦIH. CAPΔIANΩN. *Templum Veneris Paphiae*, quale illud fingitur in numis Cypriorum. Ejus cultum apud Sardes et Pergamum receptum, testantur

a) L. I. c. 7. b) de flum. in Pactolo.

utriusque urbis numi, et Sardium quidem copiosi ab Hadriano usque ad Gordianum. De Venere Paphia vide plura in Papho Cypri.

Caput Herculis imberbe laureatum, in numis Neronis. (Haym T. II. tab. 28.)

Est hic luculentus Hercules Tyrius, cujus adeo honores a Sardianis admissi sunt perinde ac Veneris Paphiae. Idem caput etiam in autonomis vidimus.

Vir barbatus stans aut sedens d. fulmen, s. infantem gestat, in numis Antinoi. (Vaill. Patin. Mus. Caes.)

Vaillantius hoc typo Saturnum credidit exhiberi, qui devorare filium parat, sed verius est Iuppiter Bacchum Pyrigenem, seu inter fulmina enixum, sinu fovens. Vide, quae huc spectantia ad similem Laodiceae Phrygiae numum olim observavi a). Praeclare secundum hunc typum loquitur de se urbs Sardes in epigrammate Macedonii b),

Αυτη και Βρομιω γενομην τροφος, έν δε κεραυνω

Εδρακον ευρυτερω φωτι φαεινομενον.

Ipsa etiam Baccho fui nutrix, et inter fulmina

Eum vidi latiore lumine collucentem.

Causam, cur hanc aversam Sardiani cum Antinoo conjunxerint, dabimus in numis hujus herois.

* * *

Magistratus in nonnullis scribitur sine mentione dignitatis. Sic: ЄΠΙ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΥ. ΚΛЄΩΝΟϹ. in numo Drusi jun. (Vaill.) ΜΝΑΣΕΑΣ. ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. Germanici. (Vaill.) ΕΠΙ. ΜΙΝΔΙΩ. Α. ΤΟ. Β. Octaviae Neronis. (Sestini Lett. T. IV. p. 123.)

Proconsul:

ΓΑΙΟΥ. ΑΣΙΝΙΟΥ. ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. in numis Drusi jun. et Germanici conjunctorum. (Morelli.)

De hoc C. Asinio Pollione vide numos gentis Asiniae.

ЄΠΙ. Β. ΤΟΥΛΛΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. in numo Trajani, quem citat Belleyus ex museo Pellerinii c), sed in numis a Pellerinio ipso editis non reperitur, et incertum etiam, quis fuerit hic Β. ΤΟΥΛΛΟΣ.

Archon legitur frequenter inde a Nerone usque ad exitum. Sic: ΕΠΙ. ΜΙΝΔΙΟΥ. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β. in numo Neronis. (Pellerin.) Harduinus το ΑΡΧ. in numis hujus urbis explet legendo ΑΡΧιερευς, sed perperam, nam in numo Caracallae plenius scribitur ΑΡΧΟΝ. In numo Valeriani apud Pellerinium insolens epigraphe: ЄΠΙ. ΔΟΜ. ΡΟΥΦΟΥ. ΑϹΙΑΡΧ. Κ. ΥΙΟΥ. Τ. ΑϹΙ. ΑΡΧ. Α. *et filio Asiarchae archonte primo.*

Praetor in aliquot Sardianorum numis legitur: ЄΠΙ. ϹΤΡ. ΑΡΙϹΤΟΦΑΝΟΥϹ. in numo Aurelii, quem Belleyus ex Harduino hauserit. Pellerinius in autonomo legit: ϹΤΡΑ. ЄΙΟ. ΛΙΒΩΝΙΑΝΟΥ. An hic magistratus idem cum Liboniano, qui a Vaillantio ex numo Trajani sic describitur: ΑΡ. ΙΟ. ΛΙΒΩΝΙΑΝΟΥ. et qui adeo archon, non praetor dicitur? An Sardibus archon et praetor idem erat, et uterque promiscue acceptus, de quo jure dubitat Belleyus d)? Certe idem numos binos citat, in quibus unus idemque vir simul archon, simul praetor dicitur, et quidem numum Caracallae: ЄΠΙ. ϹΤΡΑ. ΚΟΡ. ΟΥЄΤΤΗ-

a) Num. vet. p. 249. b) Brunck Anal. T. III. p. 120. c) l. c. p. 127. d) l. c. p. 128.

NIANOΥ. ACI. ΑΡΧ. Α. (Mus. Theup.) quanquam in hujus numi lectione subesse mendum suspicer, nam idem omnino magistratus in numo Severi musei Albani dicitur: ЄΠΙ. CTPA. KOP. ΟΥЄΤΤΗΝΙΑΝΟΥ. ACIAPX. Δ., nisi forte et in hoc separandum vocabulum, ut sit: ACI. APX. Δ.; alium Otaciliae ex museo regio: ЄΠΙ. CTP. ΗΡΑΚΛЄΙΔΟΥ. ΑΡΧ. Α. Addo alium Maximini citatum ab Harduino ex museo regio: ЄΠΙ. CTP. MЄNЄCTPATIANOΥ. ΑΡΧ. Istud ex inscriptione Sponii certum, fuisse etiam Sardibus praetorem, nam in ea Bonnatus dicitur CTPATHΓOC. ΠΡΩΤΟC. ΔIC. (Miscell. p. 356.)

Αρχιερευς μεγας. Vnus Spanhemius numum Elagabali ex museo Mediceo vulgavit inscriptum: ΓΑΛ. ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΥ. ΑΡΧΙЄ. ΜЄΓ., quod explicat: ΑΡΧΙЄρεως. ΜЄΓαλυ a).

Asiarcha dicitur Vettenianus in numis Severi et Caracallae supra in *Praetore* citatis, in quibus idem praeterea dicitur archon et strategus. In numo Valeriani et Saloninae *Domitius Rufus* hac dignitate insignitur, (Vaill. Arigoni, Pellerin.) qui simul Asiarcha, simul Asiarchae filius dicitur, ut vidimus paullo ante, et explicabimus amplius in tractatu de Asiarcha.

* * *

Metropolis:

ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. ACIAC. in numo Severi. (Mus. Albani.)

* * *

ACIAC. ΛΥΔΙΑЄ. ЄΛΛΑΔΟC. Α. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. CΑΡΔΙC. *Caput muliebre velatum cum corona spicea.* ✠ ЄΠΙ. COΥΛ. ЄΡΜΟΦΙΛΟΥ. ACIAPX. CΑΡΔΙΑΝΩΝ. Β. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. *Pluto Proserpinam rapit, in aere volat Cupido, infra equos serpens, et calathus florum inversus.* AE. m. m. (Seguin p. 28.)

Eadem epigraphe. Caput muliebre velatum turritum. ✠ *Iuppiter Nicephorus sedens inter signa zodiaci.* AE. m. m. (de Camps p. 93.)

Numi hi autonomi signati sunt inde a Caracalla usque ad Gordiani imperium, quia *Sulpicii Hermophili* nomen legitur in numis Caracallae, Elagabali, et Tranquillinae. Sardes sese profiteri posse metropolin *Lydiae*, nemo negaverit, neque pro ejus aetatis urbium arrogantia mirum videatur, eam se praedicare metropolin *Asiae*, nimirum proconsularis, praecipue cum Lydia vetustissimo aevo dicta fuerit Asia, quod late probavit Cl. Prideaux b), quanquam tum in hac epigraphe manifestam haberemus tautologiam. At eam audere sese propalam vocare metropolin *Hellados*, et quidem A, id est: *primam*, mirum atque incredibile videatur. Enimvero Helladis nomine una fere Graecia propria solebat intelligi, atque istud provecto adhuc imperio R., nam in marmore Farnesiano, quod positum est imperante Aurelio, post annum certe V. C. 934, dicitur Asclepiades vicisse ЄΝ. ЄΘΝЄCΙΝ. ΤΡΙCIN. ΙΤΑΛΙΑ. ЄΛΛΑΔΙ. ACIA c). Sed restringenda sententia videtur Spanhemio, sic ut nomine Hellados intelligenda sit tantum portio Lydiae, sic dicta propter Macedonas ibi

a) T. II. p. 418. b) Marm. Oxon. p. 460. c) Grut. p. 314. 1.

constitutos. (Tom I. p. 618.) Verum an unquam Macedones intra Helladis fines fuere admissi, quos barbaros passim vocat Demosthenes? Sane in marmore Athenis reperto dicitur Ruffius Festus ΑΝΘΥΠΑΤΟϹ. ϾΛΛΑΔΟϹ. nempe provinciae Achaiae, exclusis adeo Macedonibus, qui alium habuere proconsulem [a]). Aliter visum Belleyo, qui cum videret, Ionas non raro a veteribus dici *Hellenes*, Ioniam autem ipsam secundum Herodotum et Xenophontem aliquando partem Lydiae constituisse, censet, Sardes spectato vetere hoc Lydiae statu dici potuisse metropolin Hellados, nempe Asiaticae. At non credam, Sardianos veterem hunc suum, et non praesentem statum respexisse, et videtur verissimilius, dici metropolin Hellados propter inhabitantes Asiam Graecos, qui Ελληνες dicebantur. Sic et Augustus omnes, qui per Asiam et Bithyniam habitavere, et Romani non erant, vocavit Ελληνας, referente Dione [b]). Teste Apollodoro, quem advocat Etymologicum M. [c]), Ατταλος εκ των Ελληνιδων πολεων οικητορας συναγαγων εκτισε πολιν, και ονομασεν Ελληνοπολιν. *Attalus conductis ex urbibus Graecis habitatoribus urbem condidit, eamque Hellenopolin vocavit.* Appianus agens de conventu provinciae Asiae a M. Antonio Ephesi habito ait [d]): της δε Ελληνας και όσα αλλα έθνη την άμφι το Περγαμον Ασιαν νεμονται, κ. τ. λ. *Hellenas vero, et quaecunque aliae gentes vicinam Pergamo Asiam inhabitant etc.* Dividit ergo incolas provinciae Asiae in Graecos adventitios, Ελληνας, et alios, quo nomine haud dubie intelligit veteres earum regionum indigenas. Et vero diu in eo tractu duravit Ελληνων appellatio teste epistola Alexandri Severi, quae incipit: Αυτοκρατωρ Αλεξανδρος τῳ κοινῳ των έν Βιθυνιᾳ Ελληνων [e]).

Ceterum non magnopere laboremus, an Sardiani vere de se hos titulos potuerint praedicare, nisi etiam velimus in jus vocare Nicaeenses, qui se Αριστους Μεγιστους in numis appellavere, quae fuerunt unius Iovis epitheta, ut alia urbium Asiaticarum arrogantiae argumenta circum eam aetatem, nimirum Pergami, Ephesi, Smyrnae, taceam, quae perinde cum historia vera componi vix possunt. Permisere Romani Graeculis privatas has de singulorum excellentia contentiones, quibus per ambitionem immersi ommitterent se negotiis publicis miscere. Infra videbimus, Trallianos se quoque in numis dixisse ΠΡΩΤΟΥϹ. ϾΛΛΑΔΟϹ, nullo certe alio jure, nisi quod libido sese prae aliis efferendi suggessit. Vide plures alias conjecturas a Spanhemio ad explicandam singularem hanc epigraphen propositas [f]).

* * *

Neocoratus primum comparet in numo Antinoi: ϹΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΝϾΩΚΟΡΩΝ. (Vaill.) In numis Severi: Β. ΝϾΩΚΟΡΩΝ. (Vaill.) Caracallae Β. Γ. vel ΤΡΙϹ. ΝϾΩΚΟΡΩΝ. (Vaill.) Deinceps lex variat, nam in numis Elagabali scribitur Β. et Γ. (Vaill. Pellerin. Suppl. II. p. 80.) Alexandri Β. Gordiani Β. et Γ. Tranquillinae et Philippi Γ., in Otacilia et Gallieno Β., in Salonina Γ. Ex numo

a) Gruter p. 464. 7. b) L. LI. §. 20. c) in Ελληνοπολις. d) Bell. civ. L. V. c. 4.
e) Digg. L. XLIX. tit. 1. §. 25. f) Tom. I. p. 618.

Caracallae, in quo scribitur ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, et ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ., docemur, Sardes vivo adhuc Geta nondum fuisse tertium neocoras. Pellerinius tertium neocoratum concessum ab Elagabalo adserit, quia, inquit, numi cum tertio neocoratu, quos Vaillantius Caracallae tribuit, verius sunt Elagabali a). Quod vero singulare est, et unici forte exempli, Sardianos Fl. Leonis adhuc aetate monumentis suis inscripsisse neocoratum, docet marmor a Peyssonnelo apud Sardes repertum, in quo legitur: ΕΝ. ΤΗ. ΛΑΜΠ*ροτατῃ* ΚΑΙ. ΔΙC. ΝΕΟΚΟΡΩΝ. CΑΡΔ*ιανων* ΜΗΤΡΟΠ*ολει* b). Esse vero marmor illud in haec tempora referendum, testatur primum indictionis numerus notis aliis chronologicis conjunctus, deinde praecipue, quod ibi mentio fit ΦΛ. ΛΕΟΝΤΟC. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟC.

* * *

Commune. In numis Drusi jun. et Germanici juxta sedentium coronae quernae inscribitur: ΚΟΙΝΟΝ. ΑΣΙΑΣ. Recte conjicit Belleyus, notari ludos apud Pergamum in Augusti honorem permittente ipso Augusto celebratos a Graecis Asiaticis, ut docet Dio c), quibus accessisse Sardianos non modo per viciniam verisimile est, sed etiam, quia ex numis Augusti vidimus, jam sub hoc Sardianos et Pergamenos junxisse sacrorum societatem.

ΕΠ. ΑΝ. ΡΟΥΦΟΥ. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Δ. ΚΟΙΝΟC. ΑCΙΑC. *intra coronam*, Domnae. (Arigoni.)

* * *

Ludi:

ΚΟΡΑΙΑ. in numo Caracallae: ΕΠΙ. ΑΝ. ΡΟΥΦΟΥ. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Γ. ΚΟΡΑΙΑ. ΑΚΤΙΑ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Proserpina adversa sedens capite tutulato, et a summo ad imum velata, hinc papaver, inde spica.* (Pellerin Rec. III. p. 164.) In numo Elagabali: *Ipsa sedens eodem cultu intra 4. urnas.* (Pellerin Suppl. II. p. 80.) Sic ornata est in autonomo musei Caesarei, quem citavi. Ex his apparet, spicam et papaver propria esse Proserpinae attributa. De ludis Coraeis vide tractatum de ludis.

ΑΚΤΙΑ mox vidimus cum Coraeis conjuncta, Apollo Actius comparet in numo Antinoi. (Mus. Farn. T. VI. tab. 40.)

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. *Concordia stans inter Caracallam et Getam*, Severi. (Vaill.)

ΧΡΥCΑΝΘΙΝΑ, vel ΧΡΥCΑΝΘΕΙΝΑ, in Pelleriniano Severi ΧΡΥCΑΝΘΕΙΑ. Horum frequens mentio in Sardianorum numis inde a Severo. Quae ad hos ludos pertinent, vide explicata in tractatu de ludis.

CΕΒΗΡΕΙΑ. In citato Pellerinii numo ludi Severiani junguntur cum Chrysanthinis.

* * *

Concordia:

Cum *Pergamo* in numis Augusti, de quibus supra. In numis Domitiani: ΔΗΜΟC. CΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΔΗΜΟC. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Duo viri togati et barbati jungunt dexteras.* (Vaill.) Sunt hi forte Iuppiter Sardianorum, et Aescula-

a) Mel. II. p. 291. b) Peyssonnel Voyage p. 346. c) L. LI §. 20.

pius Pergamenorum, ut dictum in Pergamo. In numo simili Spanhemius legit: ΔΗΜΟC. CAPΔIANΩN. ΔΗΜΟC. CMYPNAIΩN. [a]).

Cum *Epheso*, *Diana Ephesia et Proserpina stantes*, Aurelii, aliorumque. (Vaill.)

Omitto ignobiliores alios.

Huc etiam pertinet numus Claudii, in quo Morellius et Patinus legerunt: ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΑΜΑΣΙΑΣ typo *Palladis stantis*, at verisimiliter, ut jam advertit Belleyus, hic numus idem est cum alio, quem Vaillantius in numis Germanici vulgavit, in quo ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΜΝΑΣΕΑΣ., et item Pallas stans.

* * *

Mentio situs:

I. a Tmolo monte: ΤΜΩΛΟC, in autonomo, de quo supra.

II. ab Hermo fluvio: ЄΡΜΟC. in autonomo citato, et in numo Sabinae, in utroque *fluvius decumbens*. Sardes quidem aurifero Pactolo adfixae fuere, sed qui paullo infra in Hermum exivit.

Hunc situm comprobat etiam memoratum supra Macedonii epigramma [b]):

Τμωλῳ ὑπ' ἠνεμοεντι, ροῃν παρα Μαιονος Ερμȣ,
Σαρδιες, ἡ Λυδων ἐξοχος ειμι πολις.
Tmolo sub ventoso, propter fluenta Maeonii Hermi
Sardes, Lydorum praestans sum urbs.

AE. C.

SILANDVS.

Cellario praeterita, tantum in Notitiis inter Lydiae urbes recensetur. Vide Buonarrotum [c]).

Autonomi:

IЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. Ӿ CΙΛΑΝΔЄΩΝ. *Iuppiter sedens d. pateram.* AE. I. (Pellerin.)

ЄΔЄΝΟ. *Caput barbatum nudum.* Ӿ CΙΛΑΝΔЄΩΝ. *Leo gradiens.* AE. II. (Hunter.)

In hujus antica haud dubium est caput Herculis, suffragante etiam leone partis aversae, sed quid significet scriptum juxta ЄΔЄΝΟ, mihi ignotum.

AE. RRRR.

Imperatorii

Domitiani, Domitiae, Caracallae, (Pellerin.) Commodi. (Vaill.) Typis obviis.

Magistratus:

Praetor: ЄΠΙ. ΔΗΜΟΦΙΛΟΥ. CΤΡΑΤ. Β. Domitiani. (Pellerin Rec. III. p. 215.)

Archon, summus sacerdos: ЄΠΙ. ΑΡΧΙЄΡЄΩC. -- ΤΑΤΙΑΝΟΥ. ΚΑΡΧ. in numo Commodi, quem ex museo Carpegna dedit Vaillantius, qui hunc Tatianum una *summum sacerdotem, et archontem* facit, at Buonarrotius, qui eundem numum commemorat, plura in explicatione τȣ ΚΑΡΧ. adfert, quae nullo possunt pacto admitti [d]). Verum numus hic, ut ectypon prodit, magis est vitiatus, quam ut certi quid de ejus lectione possit adfirmari. Magis integer serius editus in museo Albani, in quo legitur sic: Κ. ΑΡΧ. id est: Και ΑΡΧων, quo confirmatur sententia Vaillantii, eundem

---

a) Tom. I. p. 136. b) Anal. Brunck. T. III. p. 120. c) Osserv. p. 143. d) l. c.

Tatianum simul summum sacerdotem, simul archontem statuentis, cujus simile exemplum dabunt etiam proximae Temenothyrae.

AE. RRR.

TABALA.

In Notitiis frequenter legitur *Gabala* pro *Tabala*, et Lydiae ea urbibus inseritur, at ex fontibus aliis magis sinceris, ac praecipue numis praeeuntibus restituendum esse *Tabala*, praeclare evincit Wesselingus [a]), saniore utique consilio, quam illud Harduini fuit, qui ex Notitiis luxatis corrigendos numos suasit, cum contrarium potius sana ratio exigat [b]). Evenit huic Tabalae, mutando nimirum perperam T in Γ, quod evenisse docui Tylisso Cretae, et fuit hoc notum librariorum fatum, ut saepe Γ pro T intruderent. Reliquis, quod sciam, scriptoribus haec urbs plane ignota. Pellerinius ait, unum Herodotum hujus Tabalae meminisse, qui eam in Lydia ad Ioniae fines constituit. In hoc reperio tantum ἐπι τȣς συμπολιοϱκησαντας Ταβαλον [c]). Verum hic Tabalus urbs non fuit, sed homo Persa, quem Cyrus, ut in praecedentibus dictum [d]), Sardibus praefecit. An alibi Tabalae meminerit, ignoro. In rebus minus obviis citandi adcurate sunt fontes, quod constanter negligit Pellerinius.

Autonomi:

CΥΝΚΛΗΤΟC. ✕ ΤΑΒΑΛЄΩΝ. ЄΡΜΟC. *Fluvius decumbens.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin, Haym.)

AE. RRR.

Imperatorii

Commodi et Caracallae. (Vaill.) In posteriore *Amazon eques.*

Magistratus praetor in utroque.

Mentio situs a fluvio Hermo in autonomis.

AE. RRRR.

TEMENOTHYRAE.

A Pausania in Lydia collocantur [e]), a Notitiis in Phrygia, ceterum exiguae famae.

Autonomi:

ΔΗΜΟC. *Caput barbatum nudum.* ✕ ΤΗΜЄΝΟΘΥΡЄΩΝ. *Iuppiter sedens.* AE. II. (Pellerin in urbib. Phryg.)

ЄΠΙ. Λ. ΤΥΛΛΙ. *Caput muliebre.* ✕ *Eadem epigraphe. Mulier stans d. spicas, s. hastam.* AE. III. (Pellerin.)

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. ✕ ЄΠΙ. Μ. ΤΥΛΛΙ. ΤΗΜЄΝΟΘΥΡЄΩΝ. *Mensis stans.* AE. (Pembrock.)

ЄΠΙ. Μ. ΤΥΛΛΙ. *Caput muliebre velatum, juxta pectus duae spicae.* ✕ ΤΡΙΜЄΝΟΘΥΡЄΩΝ. *Diana Ephesia.* AE. III. (Seguin p. 87.)

In numo hoc postremo primum Seguinus, deinde Vaillantius [f]) urbis nomen legerunt ΤΡΙΜЄΝΟΘΥΡЄΩΝ, et adeo tribuerunt *Trimenothuritis* Ptolemaei, Phrygiae vel Mysiae populo, sed qui in codicibus varie scribuntur. Ille inscriptione anticae M. Tullium Cimbrum Caesaris percussorem, hic M. Tullium Ciceronem indicari credidit. Com-

---

a) In not. ad Hierocl. p. 670. b) Num. ill. in Γαβαλα. c) L. I. c. 161. d) cap. 153.
e) L. I. c. 35. f) in Fam. Tull.

bius quaesito in ΘΥΡΕΩΝ. urbis nomine numum suum Thyreo Acarnaniae largitus est [a]). Lectionem sanam restituerunt Harduinus [b]) et Morellius [c]). Illis refutandis, qui nomine Tullii sive Cimbrum, sive Ciceronem indicari credidere, non immorabor, cum numus vel obiter inspectus continuo prodat, eum tam remotae aetatis nullo pacto esse posse, quin vultus lineamenta non obscure Tranquillinam eloquuntur sub Cereris imagine propositam, ut eo aevo in Asia proconsulare mos obtinuit. Censet Pellerinius, etiam epigraphen M. ΤΥΛΛΙ. ex suo integro corrigendam, legendumque videri Λ. ΤΥΛΛΙ. Verum numus Pembrockianus, et modo laudatus Hunterianus Combii M pro Λ offerunt. Est adeo hic Tyllius certus magistratus domesticus.

* * *

Caput Palladis. ✕ ΝΕΙΚΟΜΑΧΟϹ. ΑΡΧ. ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΥϹΙ. *Ara, supra quam serpens adsurgens.* AE. III. (Mus. Caes.) In alio: *Leo gradiens.* (Liebe p. 201.)

ΙΕΡΑ. ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ. ✕ ΝΕΙΚΟΜΑΧΟϹ. ΑΡΧΙΕΡΕΥϹ. ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΥϹΙ. AE. m. m., quem obiter citat Patinus. (Impp. p. 3.)

ΚΤΙϹΤΗϹ. *Caput Herculis.* ✕ ΝΙΚΟΜΑΧΟϹ. ΑΡΧΙΕΡ. Α. ΤΟ. Β. (Harduin.)

ΘΕΑ. ΡΩΜΗ. *Caput Romae.* ✕ ΝΕΙΚΟΜΑΧΟϹ. ΑΡΧΙΕΡΑ. - - - Α. ΤΟ. Β. (Patinus ibid.)

ΙΕΡΑ. ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ. ✕ ΑΡΟΥ. Μ. ΝΕΙΚΟΜΑΧΟϹ. ΑΡΧΙΕΡΕΥϹ. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β. ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΥϹΙ. *Hercules coram Palladis statua exurens capita hydrae.* (Pellerin Mel. I. p. 71.)

Omnes hi numi certe signati sunt imperante Philippo, nam in numo Otaciliae apud Haymium [d]) legitur: ΝΕΙΚΟΜΑΧΟϹ. ΑΡΧΙΕΡΕ. Patet item, το ΑΡΧ. numorum, quos primo loco dedi, notare Αρχιερεα, non archontem, quamvis, ut continuo dicetur, archon ordinarius fuerit hujus urbis magistratus.

Ex numis III. et IV. argui posset, non modo summum sacerdotium fuisse iteratum, sed etiam summum sacerdotem alium fuisse primum, alium dignitate secundum, verum in his numis Α. ΤΟ. Β. referendum esse ad munus archontis, quod una cum summo sacerdotio gessit Nicomachus, intelligimus ex insigni numo sedis V. Mox supra in numis Silandi eundem simul archontem, simul summum sacerdotem vidimus.

AE. R.

Imperatorii

A Gordiano usque ad Saloninum. (Vaillant, Haym.)

Epigraphe in omnibus: ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΥϹΙ addito archontis et αρχιερεως nomine. Vide, quae de hoc inscriptionis modo observabimus in tractatu de formula ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Typi obvii.

Magistratus in autonomis nonnunquam nude positus.

Summus sacerdos: ΑΡΧΙΕ. in numo Otaciliae. (Haym.) In autonomis Nicomachus frequenter sic compellatur sed qui, ut vidimus, una archon fuit.

a) Mus. Hunter p. 335. b) in Temenothyrae. c) in Fam. Tull. d) T. II. p. m. 368.

Archon: ΛΟΛ. ΞΕΝΟΦΙΛΟϹ. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β. in numo Gordiani. (Vaill.) — ΚΛΕΟΒΟΥΛΟϹ. ΑΡΧΩΝ. Α. Valeriani sen. (Vaill.)

Numum Gallieni argenteum max. mod. ΚΑΙϹΑΡΕΩΝ. ΒΑΓΗΝΩΝ. ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΩΝ vide supra in Bagis.

AE. RR.

THYATIRA.

Sardes inter ac Pergamum ad Lycum fl. secundum Plinium et Ptolemaeum, sed Peyssonelus putat legendum: *ad Caicum*, qui et plura alia ad hujus urbis situm statumque pertinentia vulgavit in itinere suo Thyatireno.

Autonomi:

ΒΟΡΕΙΤΗΝΗ. *Caput Dianae, prominente in aliquibus retro pharetra.* Ӿ ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. vel: ΘΥΑΤ. Κ. ϹΜΥΡ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Typis variis.* AE. III. (Pellerin, Haym, Hunter, Mus. Caes.)

Hoc nomine Dianam a Thyatirenis cultam fuisse non hi modo numi testantur, sed et marmor vulgatum a Smithio a), in quo legitur: ΑΡΤΕΜΙΔΙ. ΟΡΕΙΤΙΝΗ. Peyssonnelus, qui idem marmor serius inspexit: rectius legit ΟΡΕΙΤΗΝΗ b), quam lectionem amplexus est etiam Cl. Durandus, ut confirmaret titulum *Montanae* in marmore suo Dianae datum c). Verum haud dubie docentibus numis scriptum erit ΒΟΡΕΙΤΗΝΗ. Perperam etiam Harduinus in numo suo legit ΔΟΡΕΙϹΗΝΗ. Non adridet etymologia a Borea sumpta, quam eruditis proponit Haymius, ut jam alias disputavi d), quo loco et docui, verisimile videri, vocabulum ΒΟΡΕΙΤΗΝΗ. nequaquam ex lingua Graeca esse petendum, sed ex antiqua ejus tractus, perinde ac alia Dianae cognomina, *Bendyos* apud Thracas, *Britomartis* apud Cretes etc. Dianam ΠΕΡΣΙΚΗΝ, atque adeo hanc quoque ex barbaro petitam habuit Hierocaesarea Thyatirae admodum vicina. Refert Pausanias e), in hac Hierocaesarea sacerdotem, cum sacris operaretur, barbara deorum vocabula, Graecis nequaquam intellecta, pronunciasse, cujus generis dubium non est, esse quoque hanc eandem Boritenen. Teste Strabone f) in una Cibyra Phrygiae quatuor fuere linguae, Lydia, Pisidia, Solymorum, Graeca. De hac linguarum per Asiam minorem varietate vide Harduinum g).

ΘΥΑΤΕΙΡΑ. *Caput muliebre velatum turritum.* (Theup. Peyssonnel Voy. p. 256.)

ΙΕΡΑ. ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ. Ӿ ΕΠΙ. ϹΤΡΑ. Μ. ΑΥΡ. ΦΑΕΙΝΟΥ. Β. ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. *Fluvius imberbis decumbens d. arborem tenet, s. urnam, pro pedibus bos.* AE. m. m. (Mus. Albani, Mus. Florent. tab. CX.)

Plures autonomos alios proponunt Pellerinius et Hunterus, sed ex quibus nihil dignum eruas.

AE. RR.

---

a) Notit. 7. eccles. Asiae p. 20. b) Voyage p. 253. c) Dissert. degli ant. cacciatori. Torino. d) Num. vet. p. 268. e) L. V. c. 27. f) L. XIII. in fine. g) Num. ill. sub. Hierap. Phryg.

Imperatorii.

Ab Augusto usque ad Valerianum.

Typi:

Bipennis sola frequenter, *Amazon stans*, in numo Crispinae, (Vaill.) *Eques*, (Pellerin Suppl. II. p. 76.) quin et *Apollo stans ad aram d. tenens ramum lustralem, s. bipennem*, (Pellerin Mel. I. p. 100.) quibus typis docemur, credidisse populares, se ab Amazone Thyatira descendere, etsi ejus nominis etymologias alias proponat Stephanus dignas ejus aetatis grammatico.

Amphion et Zethus novercam Dircen tauro raptantes, in numo max. mod. Caracallae. (Mus. Caes.)

Simile argumentum est etiam in numo Severi Acrasi Lydiae signato, et in contorniato. Priorem olim delineatum edidi [a]), mirumque tum visum, in Lydiae urbis numo proponi factum, quod longe ab Lydia in Boeotiae finibus peragebatur. Rationem, quam ibi proposueram, jam tum levissimae conjecturae instar habui; at cum serius in similem Acrasi numum offenderem, mythologiam adcuratius excussi, ac tum vidi, Lydiam, ac praecipue tractum, in quo sita fuit Thyatira, cum Amphione proxime connecti. Fuit Tantalus hujus viciniae rex, cujus et insigne monumentum se in Sipylo monte vidisse, tradit Pausanias [b]), quin et Sipyli sedem eum fixisse auctor est Apollodorus [c]), quae urbs *Tantalis* ab eodem Tantalo antea vocabatur testibus Plinio, et Solino, sed quam terrae motu eversam iidem et Strabo prodidere. Fuit autem Thyatira nostra Sipylo vicina. Tantali filius fuit Pelops. Ab hoc credam Thyatiram *Pelopiae* nomen abstulisse, quod ei fuisse pervetustum memorant Plinius et Stephanus. Ejusdem Tantali filia fuit Niobe nostro huic Amphioni nupta, qui juvante fratre Zetho Dircen novercam summi criminis adversus matrem suam Antiopen convictam ferocienti tauro alligavit, praesentis numi argumentum. Ipsam Nioben post prolium suarum funera rediisse Sipylum ad patrem Tantalum ibique in saxum commutatam eodem loco tradit Apollodorus, et Pausanias [d]). Celebre istud Amphionis factum cum ad se propter agnationem pertinere crederent Thyatireni, honorificum id sibi duxere, illud in moneta proponere.

Vulcanus sedens galeam super incude fabricat, adstat Pallas s. clypeum tenens, in numo Commodi. (Num. max. mod. reg. Gall.)

Narrat Appollodorus [e]), Palladem ad Vulcanum accessisse armorum causa, quae sibi fabricari petierat. Faber tum oblatam sibi occasionem ratus potiundi ejus deae, quam pridem Iuppiter ejus arbitrio permiserat [f]) cum votis suis reluctari pergeret, fecit ea, quae honestius reticentur. Natus illo casu Erichthonius in serpentem desinens, cum adolevisset, Athenarum rex. Eandem fabulam recitat Hyginus [g]).

* * *

Sol adversus insistens iridi, infra quam tres leones, et caput tauri, in numo Alexandri.

---

a) Num. vet. p. 269. b) L. II. c. 22. c) L. III. §. 6. d) L. I. c. 21. e) L. III. c. 13. §. 6. f) Lucian. dial. deor. 8. g) Fab. 166.

His verbis numum descripsit Pellerinius, at secundum iconismum currus est a tribus leonibus tractus, cujus supremae compagi, quam pro iride habuit, insistit sol adversus.

Magistratus praetor, neque alius, inde a Commodo, sic: ЄΠΙ. CTPA. KΛ. CTPATΩNЄIKIANOT. NЄΩ. Caracallae. (Mus. Caes.) quo in numo Stratonicianus dicitur neocorus. Sic et in marmore Thyatirae reperto Alphenus dicitur NЄΩKOPOC. TOT. CЄBACTOT. *Caracallae.* (Peyssonnel Voy. p. 280.)

* * *

Neocoratum urbi concessum dedit Harduinus ex numo Tristani, sed quem nullus praeterea alius in numis reperit.

* * *

Ludi:

ATΓOTCTЄIA. ΠTΘIA. *intra coronam*, Caracallae. (Mus. Caes.)

ATΓOTCTЄIA. APICTA. OΛTMΠ. *Duae urnae*, Valeriani. (Vaill.).

ΠTΘIA, *urna*, Caracallae. (Vaill.)

IЄPЄIA. AΓΩN. OΛTM. *Duae urnae*, Alexandri, (Vaill.) sed videtur lectio suspecta.

* * *

Concordia cum Smyrna: ΘTAT. K. CMTP. OMONOIA, vel etiam scriptum plenius, in numis Gordiani, (Vaill.) et in autonomis supra citatis, in quorum antica est BOPЄITHNH.

AE. R.

THYESSVS.

Vrbes hoc nomine binas unus Stephanus prodidit, quarum unam in Lydia locat, sic dictam a Thyesso caupone, alteram in Pisidia.

Autonomus.

Caput juvenile. ✕ ΘTEΣΣEΩN. *Pilum hastae.* AE. III. (Pellerin.)

Vtrius Thyessi numus hic sit, difficile est decidere. Pellerinius priorem maluit.

AE. RRRR.

TMOLVS.

Vrbs cum monte cognomine, quae quoque inscribitur basi colossi Tiberiani inter urbes, quas terrae motus labefactavit, idem testantibus etiam Tacito, Hieronymo, Nicephoro. *Mesotimolitas* etiam Plinius in Lydia nominat, nempe qui in medio Timolo, nam et hoc monti nomen fuit, habitabant. Cicero [a]: *Timolites ille vicanus.* Vicanum vocat per contemptum, quo hominis elevaret auctoritatem. Etiam Ovidius [b]:

Deseruere sui nymphae vineta Timoli.

Autonomus.

TMΩΛOC. *Caput senile barbatum.* TMΩΛЄITΩN. AE. (Harduin ex Thes. reg.)

Est hic Tmolus Martis filius, a quo monti nomen inditum, ut dixi supra in Sardibus, in quarum quoque moneta eadem est antica.

AE. RRRR.

a) pro Flacco. §. 3. b) Met. VI. 15.

Imperatorii.

ΤΜΟΛΕΙΤΩΝ. *Apollo stans*, Sabinae (Vaill.) *Cupido*, ejusdem. (Spon. Voy. T. III. p. 193.) *Diana venatrix*, Faustinae. (Harduin.)

AE. RRR.

TRALLES.

Vrbs ad Cariae fines proxime Nysam, cui etiam a nonnullis inseritur. Strabo eam ob incolarum opibus commendat in qua degebat opulentus Pythodorus pater Pythodoridis Ponti reginae. Gaspar Odericus binas in hoc tractu Tralles agnoscit, et aliis alios numos, inscriptos ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ tribuendos censet [a]), non tamen satis ad id rationis apparet.

Autonomi:

ΖΕΥϹ. *Caput Iovis.* ※ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Botrus.* AE. III. (Pellerin.)

ΖΕΥϹ. ΛΑΡΑϹΙΟϹ. *Caput Iovis.* ※ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Bacchus nudus stans d. botrum, s. cantharum.* AE. (Haym.)

Iovem Larasium unicus hic numus sistit. Memorat Strabo Trallianum quendam Menodorum, qui Διος τȣ Λαρισσαιȣ, *Iovis Larissaei* sacerdotio functus erat [b]), et alio loco narrat, prope Tralles fuisse Larissam, a qua, ut ipse conjicit, appellatus est Ζευς ὁ Λαρισσιος, *Iuppiter Larissius* [c]). Cum Strabo Tralles Argivorum coloniam asserat, apud quos Argis in arce templum illustre stetit Iovis cognomine Larissaei, verisimile videri possit, quod jam vidit praeclarus Odericus [d]), metropoleos numina, quod alibi saepe factum novimus, a colonis Tralles traducta fuisse. Verum an hic Iuppiter Strabonis, seu *Larissaeus*, seu *Larissius*, qui apud Tralles colebatur, idem est cum illo, qui in numo vocatur ΖΕΥϹ. ΛΑΡΑϹΙΟϹ., quem integerrimum profitetur Haymius? Invitat certe nominis adfinitas, et poterat aetate magis sera, qua secundum omnia indicia numus signatus est, nomen illud ab oppidanis aliter pronunciari.

* * *

ΑΠΟΛΛΩ. *Caput Apollinis radiatum, pone pharetra.* In alio: ΗΛΙΟϹ. ΑΠΟ. *Caput Solis radiatum.* ※ ΚΑΙϹΑΡΕΩΝ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Diana Ephesia.* AE. (Hunter. Sestini Lett. IV. p. 62.)

Praeter hunc sunt apud Pellerinium tres autonomi alii inscriptii ΚΑΙϹΑΡΕΩΝ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. typis variis. Vide et imperatorios.

* * *

Caput Apollinis laur. ※ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. ΑΛΣ. *Tripus.* AE. III. (Pellerin.)

Numus hic inter autonomos aeneos videtur antiquissimus. An το ΑΛΣ. epochae annum notet, infra inquiremus.

* * *

ΙΕΡΟϹ. ΔΗΜΟϹ. ※ ΕΠ. ΓΡ. ΑΤΤΑΝ. ΚΟΡΙΝΘΟΥ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Fortuna stans.* AE. m. m. (Pellerin.)

Corrigenda ex hoc lectio, quam ex simillimo promulgavit Panelius [e]) ΕΠΙ. Γ. ΑΤΛ. ΤΑΝΤΙ. ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ., ne inde quis concordiam

---

a) Dissert. p. 2. b) L. XIV. pag. m. 960. c) L. IX. p. m. 672. d) l. c. p. 20.
e) Num. Cistoph. p. 41.

Corinthios inter et Trallianos initam velit conjicere.

* * *

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput muliebre velatum.* Ꭓ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ЄΛΛΑΔΟC. *typo ludorum.* AE. (Haym.)

Titulus ambitiosus, et, ut ejus aetatis mores suadent, nulla auctoritate, sed sponte arreptus. Vide, quae supra in Sardianorum numis notavi, qui urbem suam *primam metropolin Helladis* professi sunt.

* * *

ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Fulmen.* Ꭓ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Fulmen.* AE. (Haym.)

Rarissimi sunt numi cum eodem utrinque typo.

* * *

Ludi, et magistratus *Scriba* saepe in inferioris aetatis autonomis comparent, sed de quibus agetur in imperatoriis.

* * *

De Trallium argenteis *Cistophoris* agemus in tractatu de numis Cistophoris.

AR. Cistophori RRR. AE. R.

Imperatorii.

Augusti unum vulgavit Pellerinius inscriptum ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. (Mel. II.) Nullus deinde cognitus usque ad Domitianum. Ab hoc porriguntur usque ad Valerianum jun. Hunc, quem dixi hiatum Augustum inter et Domitianum, explere tentavit cl. Sestinus, largiendo illi numos solo ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ inscriptos, quos hactenus urbibus aliis Caesareae nomine praeditis tribuendos putavimus a). Istud adserendi causas adfert sequentes: I. Argumentum ei sufficit autonomus Haymii supra descriptus cum epigraphe: ΖЄΥC. ΛΑΡΑCΙΟC. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ, unde tenemus, *Iovis Larasii* cultum apud Trallianos viguisse. Ergo, inquit, Trallianus etiam numus erit is Neronis, quem vulgavit Pellerinius b): ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. ΛΑΡΑΣΙΟΣ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam*, nimirum quia hic quoque Iovem Larasium sistit. Iam vero, ait, constat ex numis, Tralles honorificum *Caesareae* nomen adscivisse, cum tot exstent inscripti ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. Factum igitur, ut Tralliani inde ab Augusto usque ad Domitianum *Caesarenses* se tantum appellarent, inde vero ab hoc, resuscitato vetere suo nomine, *Caesarenses Trallianos*. Atque ut sententiam suam auctoritate firmaret, addit, istud ipsum serius quoque visum Pellerinio, quod patet ex notis margini exemplaris, quo vivus usus est, adscriptis. II. Alterum argumentum capit ex autonomo, quem olim vulgavi c): ΚΑΙCΑΡЄΩΝ. *Victoria gradiens.* Ꭓ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Aquila stans*, et alio Lucii Caes. apud Pellerinium d): ΛΕΥΚΙΟΥ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. *Victoria gradiens.* Ꭓ ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Aquila stans.* Hi numi, ait, propter eosdem typos certe sunt ejusdem urbis, ergo Trallium per numum priorem, ergo fuit tempus, quo Tralliani se tantum *Caesarenses* dixere, per numum alterum.

Habet haec viri eruditi sententia multum probabilitatis, etsi nollem, quod ta-

a) Lettere T. IV. p. 59. b) Mell. II. p. 32. c) Num. vet. p. 270. d) Suppl. II. p. 46.

men ipse vult, *plus quam certam* dici: at illud potest jure displicere, a cl. viro etiam numos alios solo ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ inscriptos nulla certa causa Trallibus tribui, perinde quasi non licuisset Caesareae Bithyniae officinam apud se monetariam constituere, et quod amplius est, quod in Trallianorum etiam moneta putet numos omnes inscriptos ΟΤΗΙΔΙΟΣ. ΠΟΛΛΙΩΝ, et ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ. ΠΑΡΡΑΣΙΟΤ addito ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ, quos hercle uni deberi Caesareae Bithyniae, in hac adfatim disputavimus, tum et numum Neronis: ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Equus gradiens*, in quo tamen legendum ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. ΚΤΜΑΙΩΝ, olim demonstravi a). Hactenus igitur certos Trallianorum numos non puto, nisi qui ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ addunt, suntque sequentes:

ΠΤΘΙΟC. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Apollo stans d. ramum, s. lyram*, Domitiani. (Vaill.)

ΠΤΘΙΟC refertur ad Apollinem, cujus honores apud Trallianos fuisse eximios, praedicant numi frequentes cum mentione ludorum Pythiorum, tum et citati autonomi.

Mulier sedens volitante peplo puellum lactat, circumsistunt eam tres mulieres velut tripudiantes peplis sinuatis, et manu sursum elata bacillum tenentes, Antonini. (Haym.)

Haymius Corybantas putat, qui Iovem educavere, sed habitus feminas sine dubio facit. Verius ergo existimo propositas in hoc numo Nymphas, quibus nutriendi Bacchi cura mandata fuit, quod cum peractum fuerit, ut auctor est Apollodorus b), apud Nysam Asiae, quam tum eae Nymphae incoluere, haec autem Nysa admodum fuerit vicina Trallibus, et generatim omnis is tractus propter vini excellentiam Bacchum magnis sit honoribus prosecutus, ut et numi testantur, ipse vero Bacchus in Trallianorum moneta frequenter et vario cultu compareat, haud difficulter Bacchus hunc sibi numum vindicabit. Iovem a Corybantibus educatum vide in numis Laodiceae, et Apameae Phrygiae urbium.

Diana Lucifera vecta citato cursu in bigis boum gibbis protuberantibus, utraque manu facem tenet, L. Veri. (Pellerin Suppl. II. p. 73.)

Pellerinius perperam Cererem putat. In numis Apameae Bithyniae juxta mulierem duas faces tenentem legitur DIANA. LVCIF., et bigae taurorum Dianae, cum lunae munus fungitur, propriae sunt, ut bigae equorum Soli. De bobus gibbosis vide altius numos Magnesiae Lydiae.

* * *

Magistratus Γραμματευς, *scriba*, frequens inde a M. Aurelio.

Praetorem vidit Vaillantius in numo Gordiani musei Carpegna, verum cum hujus non meminerit Buonarrotius, in ejus lectione suspicor Vaillantii lapsum. Tamen praetor legitur in numo L. Veri: ЄΠΙ. СΤΡΑ. ЄΤΑΡЄСΤΟΤ. (Sestini Lett. T. IV. p. 122.)

* * *

Nomen ab imperatore: ΚΑΙСΑΡЄΩΝ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. in numo Domitiani, (Pellerin Rec. III. p. 236.) et passim in autonomis.

a) Numi vet. p. 202. b) L. III. c. 4. §. 3.

* * *

Neocoratus: ΝΕΩΚΟΡΩΝ. in numis Caracallae tantum. (Vaill.)

ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ. *Duo templa*, Caracallae. (Vaill.) Alium similiter inscriptum mox dabimus.

* * *

Ludi:

ΠΥΘΙΑ. Caracallae. (Vaill.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. vel ΟΛΥΜΠΙΑ. ΠΥΘΙΑ. in autonomis. (Haym.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. ΑΥΓΟΥCΤΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *inscriptum tribus coronis*, Caracallae. (Mus. Caes.) Similem dedit Pellerinius, sed esse Elagabali dixit; verum cum in his numis addatur ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ., neocoratus vero in unius Caracallae numis hactenus observatus sit, conjicio, etiam hunc Pellerinianum Caracallae restituendum.

* * *

Epochae annum in numo unico Gordiani vidit Vaillantius, nempe: ΖϘ. Ejus initium figit ad annum V. C. 898., quo, ut ex Capitolino refert, Antoninus urbem terrae motu collapsam restituit. Narrat is quidem, Antoninum plures Rhodi et Asiae urbes eo malo fatiscentes sublevasse, sed Tralles non nominat. Quare non modo praetensum hoc epochae exordium nullo certo fundamento nititur, verum etiam, cum unus Vaillantius, atque ex eo Harduinus hujus numi meminerint, de epigraphes lectione dubitare liceat. Est numus in museo Foucault, nunc regis Neapolitani.

Literae ΑΛΣ. scriptae in aversa autonomi supra citati videri etiam possint notare annum epochae; verum cum in Lydiae et Cariae urbibus certa hactenus epocha observata non sit, ad haec memoratae literae alium sensum facere possint, verisimilius est aliud indicari, quod hactenus ignoramus. Si autem revera epocham notarent, ab alio principio, quam quod ex numo praecedente stabilivit Vaillantius, ejus initium foret ducendum, nam annus 231. additus ad 898. caderet in aevum Constantini, sub quo numus hic certo signari non potuit cum propter alias causas obvias, tum quod ex fabrica aevum satis remotum sapit, ut jam observavit Pellerinius.

* * *

Concordia cum Pergamo, Epheso, Laodicea. Creditam cum Corinthiis concordiam in autonomis refutavi.

AE. R.

P H R Y G I A.

Phrygiae, et absque urbis nomine, meminit numus Neronis, in cujus aversa: ΚΟΙΝΟΝ. ΦΡΥΓΙΑC. *Aquila expansis alis.* (Morelli Impp.) At non dubito, eum signatum Apameae, in cujus numis eadem reperitur epigraphe et typus.

ABBASSVS.

Oppidum obscurum, cui Vaillantius Severi numum largitur, in quo legit: ABACCHNΩN., quae lectio suspecta videtur Pellerinio [a]). Eandem aversam sed scripto ABACHNΩN, video inter ectypa nobilis cujusdam musei, sed mihi ignoti.

Huc etiam Haymius debili conjectura vocavit numos inscriptos MTΣΩN. ABBAITΩN.

ACMONIA.

In Phrygia magna sita.

Autonomi:

Caput Iovis. ※ AKMONE. ΘEO-ΔOT. ΔEIOTAΣ. *Aesculapius stans.* AE. III. (Pellerin, Theupoli, Arigoni.)

Caput Iovis. ※ AKMONΩN. *Fulmen.* AE. II. (Pellerin.)

IEPA. BOTΛH. — IEPOC. ΔHMOC. AKMONEΩN. typis *Iovis sedentis*, vel: *Herculis cum leone luctantis* vide apud Harduinum et Arigonium.

AE. RR.

Imperatorii

A Nerone usque ad Trebonianum. Memoratu digni sunt sequentes:

NEPΩN. CEBACTOC. AKMONEIC. *Caput laur.* ※ CEPOTHNIOT. KAΠITωNOC. KAI. IOTΛIAC. CETHPAC. in area numi: EI$^{\text{Y}}_{\text{A}}$PTΓ. *Iuppiter sedens.* (Haym T. II. p. m. 240.) Alium fere similem proponunt Arigonius, Morellius, Neumannus.

Caput Agrippinae jun. ※ EΠI. CE-POTINIOT. (lege CEPOTHNIOT.) KAΠITΩNOC. KAI. IOTΛIAC. CEOTHPAC. AKMONEΩN. *Diana venatrix*, *pro pedibus cervus*, *et Nympha caput cervi gerens.* (Vaill. Patin Impp. p. 85.)

Observandus in hoc magistratus utriusque sexus, ut in numis Byzantiis, sed quis hic fuerit, decidere difficile. Multo vero difficilius adsequi, quid additum EIXAP TO Γ numi primi notet. Neumanno explendum videtur: EΠI. APX. TO. Γ. CEPOTHNIOT. etc.

Magistratus in autonomis sine mentione dignitatis: ut et in laudatis imperante Nerone cusis.

Archon inde a Severo comparet.

Neocoratus in numo Octaciliae. (Vaill.)

AE. R.

AEZANIS.

In Phrygia Epicteto. Strabo aliique scripsere Αζανοι, Ptolemaeus Αιζανις, cui praeter scriptores alios favent numi omnes. Catalogum numorum hujus urbis locupletem dedit cl. Sestinus [b]).

Autonomi:

AIZANH. *Caput muliebre turritum.* ※ - - ETANΔPOT. AIZANEITΩN. *Prora navis.* AE. III. (Mus. Caes.)

ΘEA. PΩMH. — ΘEOC. CTNKΛHTOC. — IEPA. CTNKΛHTCC. — IEPOC. ΔHMOC. — IEPA. BOTΛH. Typi: *variorum deorum effigies.* In Pelleriniano

a) Mel. II. p. 126. b) Lettere T. III. p. 45.

est *mulier tergemina capite serpentibus horrente protensis sex manibus faces, et serpentes tenens*, quam auctor Furiam putat [a]), at certius est Hecate, ut ad Apameam Phrygiae dicetur.

ΔΗΜΟC. ΑΙΖΑΝΕΙΤΩΝ. *Caput Genii.* ℞ ЄΠΙ. ΙΟΥ. CЄΥΗΡЄΙΝΟΥ. ΑΡΧ. Γ. ΝЄΩΚΟΡ. *Sol in quadrigis.* AE. I. (Wiese Mus. Bodl. p. 7.)

Eruditus hujus numi index in adjectis notis [b]) aversae epigraphen sic explet: ЄΠΙ. ΙΟΥλιȣ CЄΥΗΡЄΙΝΟΥ. ΑΡΧιεϱεως τϱις ΝЄΩΚΟΡων., in quo bina habeo, quae solicitem, primum quod Aezanitas statuat neocoros, et quidem ornatos neocoratu III., qui nonnisi primi ordinis urbibus obtigit. Quod si neocori fuissent Aezanitae, mirum sane foret, hunc honorem in tot aliis eorum numis omissum. Ad haec si το ΝЄΩΚΟΡ. ad Aezanitas pertineret, continuo legeretur cum ΑΙΖΑΝЄΙΤΩΝ conjunctum, et non inde avulsum, et in alteram numi faciem trajectum nullo facile alio exemplo. Ergo το ΝЄΩΚΟΡ. ad Iulium Severinum pertinet, qui praeterea neocorus fuit exemplo tot aliorum magistratuum, qui se etiam neocoros in numis sunt professi, quos dabimus in tractatu de populis et urbibus neocoris. Alterum quod solicitem, est, cur continuo ex ΑΡΧ. faciat ΑΡΧιεϱεα, cum potius legendum videatur ΑΡΧοντος Γ. Archontes frequentes habemus in numis urbium Phrygiae, qui plerumque tribus his literis indicantur, at Αϱχιεϱεις plerumque literis ΑΡΧΙ. ad evitandum scilicet ambiguum. Ad haec archontes adjectas saepe habent literas Β. Γ. etc. quibus notatur, eos *iterum* vel *tertium* hunc magistratum occupasse, at ἱεϱεις vel ἀϱχιεϱεις sacerdotium suum raro numerare sunt soliti.

Reliquos autonomos habes apud Pellerinium, Hunterum, in museo Caesareo.

AE. RR.

Imperatorii.

Augusti duos dedit Pellerinius, quorum unus mendose inscribitur ЄΖЄΑΝΙΤΩΝ. Vnum Liviae (ΛΙΒΙΑ) Arigonius, plurimi signati sunt sub Caligula et Claudio, et in Caligulae gratiam etiam parentum Germanici, et Agrippinae sen. capita numis inserta. (Mus. Caes. Theupoli.) Postremum Gallieni vulgavit Arigonius.

Typi obvii, plerumque Iuppiter.

Magistratus saepe indicantur, sed sine dignitatis mentione, ut: ЄΠΙ. ΠΡΑCΙΜΟΥ. Magistratus ЄΥΑΝΔΡΟΥ. in autonomo laudatus Arcadiam sapit. At constat etiam ex Pausania [c]), fuisse Aezanitas colonas ex Azania Arcadiae profectos. Est tamen *archon* et *neocorus* in citato autonomo.

AE. C.

ALIA.

Phrygiae magnae, memorata in Notitiis.

Autonomi:

ΑΝΘΗCΑΜЄΝΟΥ. ΦΡΟΥΓΙ. *Ca-*

a) Suppl. II. p. 92. b) pag. 133. c) L. VIII. c. 4.

put Mensis. ⅩΔΗΜΟϹ. ΑΛΙΗΝΩΝ. *Vir stans d. spicas, s. hastam.* AE. III. (Pellerin.)

Epigraphen anticae revocabo infra in numis Ancyrae Phrygiae.

ΙϾΡΑ. ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ. Ⅹ--- ΑΛΙΗΝΩΝ. *Vir paludatus stans d. globum, s. hastam.* (Arigoni.)

* * *

Khellius huc vocavit autonomum [a]), sed quem esse Salae Phrygiae, in hac probabitur.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Gordiani tantum exstant, inscripti ΑΛΙΗΝΩΝ, quorum tres variis typis offert Vaillantius. Ejusdem unum addidit Pellerinius.

In simili Harduinus legit ΑΛΗΙΝΩΝ, et perperam *Alis* Ciliciae tribuit.

Magistratus tantum in autonomo.

AE. RRR.

AMORIVM.

Phrygiae magnae.

Autonomi:

ΘϾΑ. ΡΩΜΗ., vel ΙϾΡΑ. ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ. Gentis nomen ΑΜΟΡΙΑΝΩΝ. typis obviis. Numi sunt in museo Caes., Pellerin, Pembrock.

AE. RRR.

Imperatorii

A Vespasiano ad Getam usque, nulla re memorabiles. (Vaill. Haym, Pellerin.)

AE. RRR.

ANCYRA.

In septentrionem posita. Facile distinguuntur hujus urbis numi ab alteris homonymae et nobilioris Galaticae, quae metropoleos honores nunquam omittit. Galatica etiam autonomis caret.

Autonomi:

ΘϾΑ. ΡΩΜΗ. — ΙϾΡΑ. ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ. — ΘϾΟΝ. ϹΥΝΚΛΗΤΟΝ. Epigraphe: ΑΝΚΥΡΑΝΩΝ. *Diana Ephesia*, vel *Bacchus.* (Pellerin.) ϾΠΙ. ΜΗΤϾΟΥ. *Iuppiter stans.* Mira epigraphe aversae in numo Hunteriano: ΒΑΣΣΕΜ. ΑΡΤΗΓΛΑϹ. ΑΝΚΥΡΑΝΩΝ., si modo ea rite lecta.

AE. RRR.

Imperatorii.

A Poppaea usque ad Otaciliam.

Typi: *Vir nudus d. ancoram, s. hastam*, in numo Poppaeae. (Vaill.) Antonini, L. Veri. (Pellerin.)

Adludit typus ad historiam aliquam domesticam de ancora, a qua urbi nomen inditum, ut dicetur ad Ancyram Galatiae, quae similem typum habet. In

a) Adpendic. II. p. 52.

numo Antinoi dicitur *Lunus stans d. ancoram*, *s. hastam.* (Vaill.)

Reliqui typi: *Diana Ephesia* frequenter, *duo hirci coniscantes media urna*, in numo Maximi. (Vaill.)

Magistratus sine mentione dignitatis:

ΙΟΥΛ. CΑΤΟΡΝΙΝΟC. ΑΝΚΥΡΑΝΟΙC. Antinoi. (Vaill.)

ЄΠΙ. ΜΗΝΟΔΩΡΟΥ. ΝЄωκορȣ, Veri. (Pellerin.)

Archon in numis Antonini, Aurelii, Otaciliae. (Vaill. Pellerin.)

Αιτησαμενος. Mirum hunc magistratum, aut quiscunque est, sic describit Vaillantius in numis Poppaeae:

ΤΙ. ΒΑΣΣΙΛΑΟΥ. ΕΦ. ΑΙΤΗΣΑΜΕΝΟΥ. ΟΥΟΛΑΣΕΝΝΑ. ΑΝΘΥΠΑΤΩ. ΙΟΥΛΙΕΩΝ. ΑΝΚΥΡΑΝΩΝ., quod reddit: *Tito Bassilao Ephoro postulante, Volosennae proconsuli Iuliensium Ancyranorum concordiae.* Cum Vaillantio sentit et Harduinus [a]). Mirum, utrumque virum eruditum nihil notare ad insolitum in numis vocabulum ΑΙΤΗΣΑΜΕΝΟΥ. Nolo ipse his explicandis inhaerere, cum forte alia sit lectio epigraphes, quam quae praetenditur, Vaillantio non raro iniquae lectionis comperto. Mirum etiam, numum hunc praeteriri a Morellio, qui tamen ex museo regio citatur. Istud solum observo, adfine vocabulum reperiri in autonomo Aliae Phrygiae ΑΝΤΗCΑΜЄΝΟΥ. ΦΡΟΥΓΙ., literis ΑΝΤ. colligatis, quo se valentiora ingenia exerceant. Marmor Sponii memorat M. Vlpianum ΠΡΕΣΒΕΥΣΑΝΤΑ. ΚΑΙ. ΑΙΤΗΣΑΜΕΝΟΝ. ΤΟ. ΤΕΜΕΝΟΣ. etc. [b]) secundum quod utrum possit explicari praesentis numi epigraphe, ignoro.

Proconsul Volasenna, ut is in hoc numo scribitur, forte est aliquis ex Volusenis hac aetate Romae illustribus, sed in quod taedet longius inquirere, quia adhuc incerta videtur hujus numi lectio.

Concordia.

Cum *Iulia* Phrygiae, secundum aliquos ex numo mox descripto: ΙΟΥΛΙΕΩΝ. ΑΝΚΥΡΑΝΩΝ. *Vir nudus tenens ancoram.* Verum cum typus sit simplex, atque uni Ancyrae proprius, verisimilius videtur, eam honoris causa Iuliae praenomen adfectasse, praecipue cum videamus, aliam Phrygiae urbem vetere suo abjecto adoptasse nomen Iuliae. Similiter et legimus in Gordo Lydiae ΙΟΥΛΙЄΩΝ. ΓΟΡΔΗΝΩΝ.

Cum *Nysa* Cariae.

ΑΝΚΥΡΑΝΩΝ. ΝΥCΑЄΩΝ. *Mensis stans*, Hadriani. (Vaill.)

ΚΑΜ. ΑΝΚΥΡΑΝΩΝ. ΝΥCΑЄΩΝ. *Mensis stans*, Antonini. Numum vidi ipse in museo Christinae.

Typus tantum est simplex, sed et constat ex numis, Mensis cultum in utraque urbe fuisse praecipuum, tum vero etiam in universa Phrygia et Galatia, quae Phrygiae pars fuit, quae exempla adfatim videbimus; unde et Damis apud Lucianum ait, Phrygas sacrificare lunae [c]). De Mense ΚΑΜαρειτȣ vide numos Nysae.

AE. RR.

---

a) In Iulia Phryg. urbe. b) Miscell. p. 360. c) Iupp. trag.

APAMEA.

Vrbs nobilis, secundum Plinium dicta primum *Celaenae*, dein *Cibotos*, postremo *Apamea* ab Apame Antiochi Soteris matre, ut refert Strabo. Sita fuit ad Maeandrum et Marsyam fluvios, quae omnia aut confirmata, aut disputata vide apud Cellarium.

Autonomi:

Caput muliebre turritum. ✕ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΑΤΤΑΛΟΣ. ΒΙΑΝΟΡΟΥ. *aut variante magistratu. Marsyas caudatus volitante retro palliolo, cetera nudus, et insistens flexibus Maeandri binas tibias inflat.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

De Marsya vide propiora in imperatoriis. Eundem typum habemus etiam in numo Asiae Lydiae.

Caput Palladis. ✕ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΚΩΚΟΥ. *vel nominibus aliis. Flexus Maeandri, supra quos volitans aquila, hinc et inde pilei Dioscurorum.* AE. III.

Numi hi sunt obvii.

ΑΠΑΜΕΩΝ. *Caput nudum, fors Lucii Caesaris.* ✕ ΑΤΤΑΛΟΣ. ΔΙΟΤΡΕΦΟΥ. *Flexus Maeandri, super quibus duae spicae.* AE. fere II. (Pellerin.)

Caput Iovis. ✕ ΑΠΑΜΕ. *Iuno Pronuba addito magistratu.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Similem edidit Tristanus [a]), quem Harduinus Apameae et Heracleae Seleucidis urbibus tribuit, quia inscribitur: ΑΠΑΜΕ. ΗΡΑΚΛΕ. Sed posterius vocabulum magistratum notat, et numus est hujus urbis.

ΑΠΑΜΕΙΑ. *Caput muliebre turritum.* ✕ CΩΤΕΙΡΑ. *Hecate tergemina expansis quinque manibus attributa varia tenens.* AE. III. (Mus. M. Ducis, Arigoni.)

Similis typus est apud Seguinum in numo Antiochiae Cariae [b]), et apud Pellerinium in autonomo Aezanis [c]), qui eo indicari Furiam credidit, at verius esse Hecaten spectatis omnibus causis, docui in meis Numis veteribus, quo loco praesentem numum edidi [d]).

ΙΕΡΑ. ΒΟΥΛΗ. *Caput muliebre velatum.* (Pellerin.)

Exstant praeterea hujus urbis praestantes Cistophori, quos dabimus in tractatu de numis Cistophoris.

AR. Cistophori RR. AE. C.

Imperatorii.

Procedunt ab Augusto, qui sunt apud Pellerinium, usque ad Decium.

Epigraphe: ΑΠΑ. in numo Claudii. (Pellerin.) ΑΠΑΜΕΙΑΣ. ΑΠΑΜΕΙΣ. (Vaill.) sed priorem lectionem impugnat Pellerinius [e]). In reliquis ΑΠΑΜΕΩΝ.

Spectatis *typis* maxime memorabiles sunt sequentes, de quibus omnino seorsim agendum.

De numis Apamenis diluvii testibus.

Trium habemus imperatorum numos Apameae cusos, et eodem omnes argumento, illustri eo certe, sed quod antiquariorum judicia mirum exercuit, quae antequam expendimus, necesse cumprimis, numos ipsos adcurate describere.

SEVERI.

ΕΠΙ. ΑΓΩΝΟΘΕΤΟΥ. ΑΡΤΕΜΑ. Γ. ΑΠΑΜΕΩΝ. *Arca undis innatans,*

a) Tom. II. p. 337. b) Sel. num. p. 179. c) Suppl. II. p. 92. d) pag. 243. e) Mel. II. p. 36.

in qua vir et mulier medio corpore exstantes. Extra eam vultu averso procedunt mulier stolata, et vir quasi sago indutus, dexteram ambo attollentes. Arcae operculo superne insistit avicula, inde altera in aere librata oleae ramum unguibus stringit, arcae fronti inscriptum N - - *in alio magis integro* NΩ— AE. m. m.

Numus hic exstat in museo regio Galliarum, unde captum ectypon Seguinus Gottifredo Romam misit, subinde a Falconerio suae de numo Apamensi dissertationi insertum. Verum non satis illud fuisse fidele, ex eo patet, quod arcae inscriptum praetenditur NHTΩN, quo factum, ut Falconerius, jungendo dictum NHTΩN cum praecedente APTЄMAΓ conficeret epigraphen: ЄΠI. AΓΩNOΘЄTOT. APTЄ. MAΓNHTΩN. AΠAMЄΩN. *Sub agonotheta. Magnetum Apamensium.* Numus idem ex eodem museo bis fuit restitutus, primum in numis max. mod. regis Galliarum, iterum a Vaillantio in numis Graecis imperatorum, utrobique pro NHTΩN arcae inscriptum praetenditur NЄOK. Hujus causa consultus Barthelemyus respondit in epistola, quam infra citabo, in eo numo neque NHTΩN, neque NЄOK. legi, sed apparere solum N exesis sequentibus. Denique similem alium vulgavit Ridolphinus Venuti ex museo Cardinalis Albani, atque is in suo inscriptum vidit NΩ — exesa litera tertia.

MACRINI.

AΠAMЄΩN. *Typus idem, arcae inscriptum:* NΩ— AE m. m.

Fuit insignis hic numus olim Vindobonae in museo collegii academici Soc. Iesu, unde translatus est in museum Caesareum. Eum in lucem dedit Frölichius in opusculo, cui titulus: *Appendiculae II. novae*, cujus in praeconio nihil habeo, quod reprehendam, nisi quod leviter suspicabatur, inscriptum forte circa numi oram alterius populi nomen, v. g. ΠЄPΓAMH., et si statuatur, arcae inscriptum fuisse NΩN, legendo junctim ΠЄPΓAMH—NΩN, numus daret concordiam Apamenses inter, et Pergamenos. At enim inanis est haec suspicio: manifestum est enim ex numo ipso, quem ob oculos habeo, nihil unquam circa numi marginem fuisse scriptum.

PHILIPPI SENIORIS.

ЄΠ. M. ATP. AΛЄΞANΔPOT. B. APXI. AΠAMЄΩN. *Typus idem, arcae inscriptum:* NΩ— AE. m. m.

Servatur illustre hoc cimelium in museo Magni ducis, fuitque Falconerio causa edendae insignis dissertationis, de qua agam infra. Is arcae inscriptum NΩЄ non obscure apparere profitetur, numumque esse fidei integerrimae. At Gorius, qui eundem in museo Florentino restituit, suspectum censet, et inique intrusum pro genuino illo, quem Falconerius olim in Mediceo vidit. Non idem mihi judicium est, qui numum ipse adcurate inspexi, nullamque in eo pravitatis notam reperi, quanquam ex praetensis literis NΩЄ tertia item fugiat perinde, atque in numis Severi et Macrini mox descriptis. Mediceo huic numo binos similes alios sociat Falconerius, quorum unum citat ex museo Cardinalis Ottoboni, sed in cujus arca sola prior litera N apparet, alterum ex museo Car-

dinalis Chisii, sed in quo literae arcae omnes erosae sunt. Solum etiam N labem evasit in numo simili, qui fuit olim in museo d'Ennery Galli a).

Praeter hos probae fidei numos video memorari alios ejusdem utrinque argumenti, sed quos eruditi aut spurios, aut certe suspectos adserunt. Horum unus est in museo regis Galliarum, quem Barthelemyus in epistola, quam infra laudabo, ait Mediceo simillimum, nisi quod in eo literae arcae omnes evanuerunt. Addit praeterea, quo adcuratius numum hunc contemplatur, tanto certius sibi videri spurium. Similis exstat depictus in museo Pembrock b) expresso super arca diserto ΝΩЄ, sed quem eruditus Milles infra laudandus cum tribus fratribus, qui sunt in variis museis Britannicis, Crottiano, Duaniano, Hunteriano, ex eadem matrice fusum suspicatur.

EIVSDEM.

ЄΠ. Μ. ΑΥΡ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΥ. ΒЄΛ. ΑΠΑΜЄΩΝ. *Idem typus, in arca:* ΝЄΩΚ. ΑΕ. m. m.

Hunc numum Vaillantius in numis Graecis ex museo Alexandri VIII. citat. Differt a priore, quod in hoc legatur B., at in praesente ΒЄΛ., de quo agam infra. Vocabulum ΝЄΩΚ. in numo vitiato Vaillantius haud dubie suppleverit, ut in alio Severi factum diximus.

* * *

Proposito horum numorum catalogo jam etiam de vero eorum statu confidentius possumus arbitrari. Iam enim primum intelligimus, inscitum illud ΝΗΤΩΝ, et quod sequitur, ΜΑΓΝΗΤΩΝ, perperam intrusum. Idem deinde sentiendum de vocabulo ΝЄΩΚορων. Etenim in numis binis, quos vidi ipse et exploravi sedulo, Caesareo, et Mediceo, priores duae literae certum ΝΩ faciunt, quibus adde numum musei Albani, unde adeo praetensum ΝЄΩκορων confici nequit. Quapropter et aspernandum Spanhemii judicium, qui in numo Mediceo lapsum monetarii, et metathesin ΝΩЄ pro ΝЄΩ agnovit c). Neque enim verisimile, diversos diversae aetatis monetarios in iniqua ejusdem vocabuli scalptura fuisse concordes. Ad haec in nullo alio hujus Apameae numo notatum hactenus neocoratum reperimus. Mirum adeo, si hoc illa honore decorata fuit, eum jactatum in hujus tantum argumenti numis, dissimulatum in omnibus aliis. Tenendum ergo, hanc, de qua agitur, arcae epigraphen a ΝΩ incipere, quaecunque deinde litera tertia duas illas consequatur, quam aliquando revelabit tempus. Fuere, quibus mirum visum, quo fato evenerit, ut eadem ejusdem literae jactura mulcaret id genus numos omnes, qui ad nos pervenere. At nequaquam istud mirum iis, quibus videre similes contigit. Etenim cum arcae latus eo loco maxime emineat, cui litera tertia insedit, et quod sequitur, frictui omnium maxime fuerit obnoxia, necesse est, si quod vitium numo per aevum accessit, primam fuisse hanc literam ejus injuriis objectam.

Ad singularem hujus typi explicationem quod attinet, tres reperio eruditos

a) Catal. p. 429. b) Part III. tab. 78. c) Epist. V. ad Morell.

antiquarios eo enucleando impensius occupatos. Eorum primus Octavius Falconerius de eo libellum eruditum sane et copiosum conscripsit, cui titulus: *Dissertatio de numo Apamensi Deucalionei diluvii typum exhibente*, quam subinde alteris curis restituit Petrus Seguinus, et suis *Selectis numismatibus antiquis* addidit, tum et Gronovius inseruit Tomo X. Antiq. Graec. Ejus operis summa capita haec sunt: ex omnibus causis patere, expressam in his numis memoriam Deucalionei cataclysmi; videre enim est Deucalionem et Pyrrham intra arcam conclusos, tum ex ea egressos elata dextera lapides retrorsum jacere; quin et aves in hoc actu suas habuisse partes, et a Deucalione ad explorandum diluvii statum ex arca emissas teste Plutarcho [a]), aliisque. Adscriptum ΝΩЄ ut explicet, advocatis copiosis exemplis comprobat, Graecos multa ex Iudaicis antiquitatibus ad sua sacra transtulisse, ac propterea nequaquam mirum, omnes causas diluvii Noemitici in Deucalioneo quoque reperiri. Quapropter arguit, ad Deucalionis et Pyrrhae cataclysmum in his numis adlusum, aut certe, confusa inanibus figmentis antiqua veritatis narratione, Noemi diluvium ad Deucalioneae fabulae speciem ab Apamensibus expressum. Sub operis finem inquirit, ad quam Apameam hi numi pertineant, et ad eam quae in Syria sita est, magis inclinat. At nobis jam certum, eos omnes Apameae Phrygiae tribuendos.

Alter Harduinus in numis urbium illustratis arcam adserit esse Apameae Phrygiae symbolum, quae Κιβωτος, *Arca*, veteribus dicta est, eamque innatare aquis, quod urbem cingerent Maeander et Marsyas fluvii; virum et mulierem arcae inclusos esse cives Apamenses, qui extra procederent, Augustum et Augustam; advolantem columbam cum oleae ramo indicare pacem victis a Severo Parthis restitutam; corvum arcae insidentem per nigredinem nativam adludere ad alterum Apameae cognomen Κελαιναι, quod *nigredinem* denotat. Ex quo apparet, Harduinum nullam in his agnoscere qualiscunque diluvii imaginem.

Tertius Frölichius non magnopere a Falconerio dissentit. Ait, typo hoc adumbrari diluvium Noe Deucalionis fabula involutum, arca arcam Noe, avibus corvum et columbam cum oleae ramo designari; intra arcam exhiberi Noemum cum uxore, qui Graecis Deucalion et Pyrrha sunt dicti; extra arcam eosdem repraesentari saxa post tergum jactantes, et ideo Augustorum habitu effictos, ut adluderent ingeniose ad generis humani per eos reparationem. Non abnuit tamen, forte idcirco etiam hunc arcae typum delegisse Apamenses, ut illustri hoc eventu simul ad alterum urbis suae nomen Κιβωτος, *Arca*, et urbis situm inter aquas adluderent [b]).

Hactenus eruditi ex variis his sententiis elegisse sibi visi sunt, quae cuivis maxime adrideret, donec ante annos non multos eruditus Bryantius opus suum vulgaret, quod *Analysis of ancient Mythologie* inscripsit, in quo is veterem Falconerii sententiam de adumbrato in

a) De solert. anim. b) Appendic. II. novae.

his numis Noemi diluvio resuscitavit [a]). Ergo acrioribus iterum studiis in praesentium naturam numorum ab eruditis Anglis inquiri coeptum, et vulgatae hac in causa dissertationes tres, quae collectae exstant in opere: *Archaeologia published by the Society of Antiquaries of London*, et se volumine IV. inde a pagina 315. consequuntur. Primus in aciem progressus Barringtonus totum horum numorum argumentum secundum Deucalionis et Pyrrhae fabulam conatus est explicare; at cum obstare sibi videretur vocabulum ΝΩЄ, quod non dubitabat sic exstare in his numis, adfirmare non est veritus, positum ΝΩЄ pro ΝΩΙ, qui est notus dualis ductus ab ἐγω, huncque explicare secundum versum Ovidii: *Nos duo* (Deucalion et Pyrrha) *turba sumus.* Reliquam disputationem, qua is comprobare intendit, Noemi diluvium non fuisse universale, cum aliena sit a meo instituto, intactam relinquo. Proxima dissertatio Reverendi Milles numos ipsos persequitur. Existimat enim, numos tantum eos genuinos putandos, qui inscriptum arcae ΝЄΩΚ. offerunt, quod deinde a falsariis in ΝΩЄ fuit immutatum. At hoc perperam a viro erudito statui, patet ex iis, quae supra disputavimus. Vt Noemum ab his numis arcet, sic neque Deucalionis diluvium hoc typo indicari putat, sed eum rectius ad privatum aliquem Apamensium cultum referendum, sed quem ignoramus. Tertio loco succedit responsum Abbatis Barthelemyi ab eruditis Anglis consulti, quid ipse de hac arcae epigraphe constituendum putaret. Ex his literis varia huc pertinentia jam supra suis locis indicavi, ceterum verisimile videtur viro erudito, literas priores esse ΝΩ, quiscunque deinde earum sit explicatus, a quo is tutius sibi abstinendum putat.

His, ut oportuerat, indicatis restat, ut meam, qualiscunque ea eruditis videbitur, sententiam aperiam. Verisimile mihi plane videtur, unum Noemi diluvium hoc typo adumbratum. Iam primum arca aquae innatans, conclusi hac vir mulierque, columba oleae ramum adportans, et altera adsidens avis sic conveniunt Deucalioni, ut secundum causas omnino omnes conveniant aeque narrationi, qua Noe diluvium in sacris literis describitur. Deinde quod gravissimum aliis pro Deucalione et Pyrrha argumentum est, nimirum uterque hic arca egressus, et saxa post tergum jaciens, tanti sane non mihi videatur. Neque enim plane certum indicium, istud illos revera agere, possunt adferre, non compressam manus volam, quo indicaretur arreptus ad jactum lapis, quo modo Cadmus cum conspicuo intra manum lapide fingitur in numis Tyriorum [b]), non lapides alios aerem secantes, alios jacentes humi. At, ajunt, manum utriusque videmus arrectam; an vero etiam eo gestu nisuque, qui aliquid post tergum jactantibus prorsus convenit? Innumera habemus in veterum monumentis exempla figurarum similem gestum praeferentium, quem artifices tribuerunt aut confabulantibus, aut admirantibus, aut pacificatoribus, aut aliud quidvis agentibus, quam jactantibus lapidem consuevere. Quod vero tandum fasti-

a) Vol. II. p. 229. b) Vaill. in Colon. sub Gordiano et Gallieno.

dium, nolle in utraque figura agnoscere Noe et uxorem recens arca egressos, et elata dextera praeferre admirationem, et sese miraculo conservatos cum grati animi testimonio agnoscere? Eodem modo Athenienses diis vota nuncupantes jussi sunt ex lege dexteras et sinistras ad coelum tollere a). Sic etiam, ut est apud Orpheum b):

Ηρωες Μινυαι μεγ ἐγηθεον, ὠν δ' ἀρα χέιρας
Αθανατοις ἡειραν, ὁι ὐρανον ἐυρυν ἐχουσι,
Heroes Minyae valde gavisi sunt, manusque ad superos
Sustulerunt, qui latum coelum tenent,

posteaquam insperato aureo vellere potiti sunt. Verum quod me maxime ad agnoscendum Noemi diluvium impulit, est inscriptum arcae ΝΩ— Nemo erit vel peritissimus artis nostrae, qui non mecum sentiet, ex cognitis hactenus exemplis literas has ἀρχαικὰς illustrari nullo modo posse. Audacem sane Barringtoni conjecturam, ΝΩЄ pro ΝΩΙ, *nos*, scriptum arbitrantis, ut demus, posse aliquo linguae Graece exemplo confirmari, aut nemo, aut nonnisi aliquis Harduini filius approbaverit. Quocirca, cum causae omnes, ut probavimus, Noe diluvium plane exprimant, quid oberat, inscribere etiam nomen ejus, qui mirabilem hanc arcam fabricaverat, praecipue cum istud evitandi ambigui causa factum videri possit? Enimvero quemadmodum in numis Magnesiae Ioniae typo navis adscriptum legimus ΑΡΓΩ, ut quae sit haec navis, citra dubium intelligeretur, praecipue cum Argo non ab his Ioniae Magnetibus, sed Thessaliae fabricatam constaret, sic et studiose apparet ab Apamensibus arcae suae inscriptum ΝΩЄ, ne quod pronum fuerat, pro Deucalionea haberetur, cum Noemiticam ex quacunque causa intelligi plane vellent.

At quae causa, cur Apamenses Phrygiae neque recutiti, neque tum adhuc Christiani peregrinum, et a sacris suis alienum typum arcesserent? Ajo, neminem fore tantum sibi tribuentem, ut quae privatim civitatibus fuere placita creditaque, speret se causas et originem posse quocunque studio reperire, aut tam morosum, ut factum quodpiam certum, et monumentorum auctoritate confirmatum credere nolit propterea, quia causas ignorat. Credamus, Noemi diluvium Apamensibus dignum fuisse visum numorum argumentum, quia istud numi ipsi palam profitentur, et patienter, ut saepe alias, feramus, ejus nobis facti veram causam ignotam. Est tamen aliquid, quod spissam possit caliginem depellere, testimonium intelligo ex libris Sibyllinis petitum, jam quidem advocatum a Falconerio, sed quo ille non, ut potuit, usus est, quia Deucalioni quoque suas in hoc actu partes dedit. En tibi illud: (L. I.)

Εςι δε τις Φρυγιης ἐπι ἠπειροιο Κελαινης *)
Ηλιβατον τανυμηκες ὀρος, Αραρατ δε καλειται, - -
Μαρσυε ἐνθα φλεβες μεγαλε ποταμοιο πεφυκαν.

a) Demosth. adv. Macartatum p. m. 1038. et adv. Midiam p. 611. b) Argon. V. 1018.

*) Malumus legere Κελαινης cum Bocharto, (Geogr. sacr. L. I. c. 3.) pro μελαινης, quod legitur in his MSS. Sibyllinis.

Τȣ δε κιβωτος ἑμεινεν ἐν ὑψηλοιο καρηνῳ
Ληξαντων ὑδατων.

Est vero in Phrygiae Celaenes continente
Inaccessus longe porrectus mons,
Ararat vero vocatur, - -
Inde nascuntur fontes magni fluvii Marsyae.
In hujus sublimi vertice arca quievit
Recedentibus aquis.

Ex hoc testimonio, quae ad rem meam faciunt, capienda sequentia: I. Attingitur his versibus diluvium, ut suapte patet, II. non vero illud Deucalionis, nam in hoc arca quievisse ferebatur super monte Parnasso, sed Noemi; hujus enim decrescentibus aquis ex veterum scriptorum mente requievit arca in monte Ararat. III. Locus, ubi istud contigisse dicitur, evidentibus characteribus designatur, nempe haec nostra Apamea, primum mentione Phrygiae Κελαινης, nam huic Apameae olim fuisse nomen *Celaenae*, supra diximus, deinde mentione Marsyae fluminis, cui Apamea adsita, denique et advocato opportune vocabulo κιβωτος, quod item vetus fuisse urbi nomen monuimus. Cum ergo vetus fama obtinuerit, arcam diluvio elapsam apud hanc Apameam substitisse, atque hoc diluvium sit Noemi, sequitur etiam, Apamensis hujus numi typo intelligendum cataclysmum Noemiticum, qui privatim ad se pertinuit, non Deucalioneum, cujus in moneta memorandi causam propinquam non habuere. Nolo, mihi quis infirmam Sibyllinorum fidem objiciat, quam scio, quam sit exigua, neque enim certiorem causa praesens postulat. Satis constat, horum auctores quamcunque famam fuisse secutos, parum solicitos, quantam haec fidem promereatur. Ergo et auctor, qui fabulam, in qua sumus, prodidit, non eam ipse finxit, sed ab aliis traditam in carmen suum recepit. Creditum igitur fuit nonnullis, montem, qui Apameae imminebat, fuisse ipsum illum Ararat, in quo sedit arca, atque istud tanto pronius creditum, quia revera vetustum urbi nomen fuit Κιβωτος, *Arca*, ab eventu, ut rumor tulerit, inditum. Iam vero res in vulgus nota, Graeculis quamlibet auram, quoslibet susurros, quibus accedere sibi nomen speraverant, gravissimi testimonii instar fuisse, de quo eorum ingenio graphice Plinius a): *mirum est, quo procedat Graeca credulitas; nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat.* Vnde tot eorum lites de Iove aut Baccho apud se natis educatisve, de loco, in quem Palladium capta Troja migravit, de Homeri natalibus, et sexcentae aliae, singulis urbibus privatam suam famam jactantibus, vere, an falso, nostra parum intersit. In re enim antiquaria, explicandisque monumentis non magis quaeritur, quid verum, aut communiter receptum, quam quid privatim qualicunque auctoritate creditum. Quapropter si Apamenses fidem habuere rumori de arca apud se adpulsa, ejusque argumentum intulere numis, easdem egere nugas, quas tot alii, claritatem sibi ab insigni aliquo veteris aevi eventu quaerentes, atque ut litem cum Graeciae propriae incolis amolirentur, qui Deucalio-

a) L. VIII. c. 88.

nem apud se evasisse dejerabant, placuit sibi applicare historiam Noemi, etsi peregrina auctoritate nixam.

Sed enim incredibile visum nonnullis, atque hos inter erudito Milles, a Graecis Noemi casum in numorum argumentum lectum, tanquam sic religionis Iudaicae dictata adprobarent, et amplecterentur, multo vero minus ausuros istud fuisse imperante Severo, quem Christianis impense fuisse inimicum constat. Quasi vero, lubet his respondere, religionis causa agatur, si fidem impertiar facto cuidam historico, quod alienae sectae scriptor prodidit. Non poterant Apamenses convinci impietatis, si credidere Mosi adserenti, fuisse in eo tractu ingentem aquarum eluviem, atque ex communi clade servatum Noe cum uxore et liberis, praecipue cum nemo sanus, et quantumcunque Iudaeis inimicus inficiari posset antiquitatem testimoniorum Mosaicorum. Sed cum factis habuere fidem, non propterea consensere cum eorum causis, quae cum religione propius connectuntur. Sic credimus Christiani Zosimo adserenti, Romanum imperium semper in pejus ruisse, at negamus homini fidem, ejus mali causam ab iratis propter neglectos ludos saeculares diis repetenti. Quod si propterea adversus religionem peccasse videbuntur Apamenses, multo magis suspecti Spartani, qui sese ex Abrami domo oriundos publicis literis sunt professi [a]), aut in patria sacra impius Alexander M., qui Danielis vaticiniis fidem habuit [b]). Denique et huc praeclare potest applicari, quod jam multo ante conquestus est auctor libri I. Macchab. [c]). *Expanderunt libros legis, de quibus scrutarentur gentes similitudinem simulacrorum suorum.* Alioqui ex libris Mosaicis multa cepisse non modo Platonem, qui propterea Μωσῆς ἀττικίζων dictus est, sed et ipsum Pythagoram, graves habemus ex veteribus testes, ut videre apud Meursium [d]).

Haec liberalius disputasse nequaquam indignum visum, quod horum argumentum numorum ex praecipuis unum est, cui explicando crisis numismatica utiliter immoretur.

* * *

ΜΑΡϹΥΑϹ. ΑΠΑΜΕΩΝ. *Marsyas nudus stans fluitante a tergo palliolo duas tibias animat*, in numo Hadriani.

Ita hunc typum, cujus similem jam supra in autonomis dedimus, ex integro suo proponit Pellerinius [e]). Vaillantius in simili Marsyam pro Apolline, tibias pro baculo, amiculum pro pelle Marsyae, quae ex dicto baculo penderet, habuit. Idem Marsyas etiam fingitur in numo Getae, quem ex museo Mediceo edidi [f]), *nudus insidens scopulo, d. tenens cornucopiae, s. binas tibias.* Perstringendus hic iterum Vaillantius, qui ejus numi typum sic proponit: *Figura virilis nuda scopulis insidens d. cornucopiae, s. rostrum.* Satyri Marsyae memoria, a quo amnis praeterfluens nomen traxit, multum apud Apamenses valuit, de quo ad citatum Getae numum pluribus egi. Etiam Marsyae fluvii icon

a) Ios. Ant. Iud. L. XII. c. 4. §. 10. b) Ibid. L. XI. c. 8. §. 5. c) Cap. 3. v. 48. d) ad Hesych. de viris claris sub Νεμήνιος. e) Suppl. II. p. 44. f) Num. vet. p. 245.

fingitur in numis, de quibus agetur infra in mentione situs.

* * *

Mulier dextera alte sublata, s. infantem gestans inter tres Corybantes gladiis et scutis armatos, in numo Decii. (Seguin p. 188.)

Vide, quae ad typum similem infantis seu Iovis, seu Bacchi infra in numis Laodiceae Phrygiae notabo.

* * *

Leo gradiens, ante quem thyrsus, superne cista, Philippi sen. (Vaill.)

Delineatus exstat hic numus in laudata Falconerii dissertatione de numo Apamensi. Totum typum Baccho adplico. De thyrso, et cista mystica nullum dubium. Leo inter alia animalia Bacchi comes secundum Albricum [a]), tum ipse in Gigantum tumultu *Rhoecum retorsit leonis unguibus, horribilique mala.* (Horat.)

Mentio situs:

A *Maeandro:* ΑΠΑΜΕΙΑΣ. ΠΡΟΣ. ΜΑΙΑΝΔΡΟΝ. *Diana Ephesia*, Tiberii. (Vaill.) ΑΠΑΜΕΙΑΣ. ΜΑΙΑΝΔ. *Diana Ephesia*, Claudii. (Vaill.)

A *Marsya:* ΚΙΒΩΤΟC. ΑΠΑΜЄΩΝ. ΜΑΡCΥΑC. *Fluvius decumbens in antro*, Hadriani. (Vaill. Morelli Spec. tab. XVI.)

ΚΙΒΩΤΟC. vetus fuit urbi nomen, ut aliquoties diximus supra. Adhuc in Notitiis scribitur: Απαμεια ἡ Κιβωτος.

A Maeandro et Marsya. ΑΠΑΜЄΩΝ. ΜΑΙΑΝΔ. ΜΑΡ. *addito nomine panegyriarchae. Diana Ephesia, supra quam duae Nymphae, sedens una, altera ingeniculata, infra duo fluvii decumbentes*, Gordiani. (Vaill., et exstat depictus in numis max. mod. reg. Gall. tab. 26.)

ΜΑΡCΥΑC. ΜΑΙΑΝΔΡΟC. *addito summo sacerdote. Duo fluvii decumbentes*, Philippi sen. (Vaill.)

Vtrumque fluvium sacrum fuisse Apamenis, docet Maximus Tyrius [b]). Φρυγες ὁι περι Κελαινας νεμομενοι τιμωσι ποταμους δυο, Μαρσυαν και Μαιανδρον. *Phryges, qui propter Celaenas habitant, colunt fluvios duos, Marsyan, et Maeandrum.*

Magistratus in autonomis, numisque priorum imperatorum sine mentione dignitatis.

Proconsules haud dubie videntur sequentes:

ΕΠΙ. Μ. ΟΥΕΤΤΙΟΥ. ΝΙΓΡΟΥ. ΚΟΙΝΟΝ. ΦΡΥΓΙΑΣ. *Marsyas stans binas tibias inflat*, Neronis. (Pellerin. Mel. II. p. 30.)

Abest quidem inscriptio urbis, sed cum numi sequentes, tum typus Marsyae numum hunc sine dubio Apameae vindicant. Ceterum de M. Nigro cognitae gentis Vettiae nihil habeo, quod ex veteribus memorem.

ΕΠΙ. ΜΑΡΙΟΥ. ΚΟΡΔΟΥ. ΚΟΙΝΟΝ. ΦΡΥΓΙΑΣ. ΑΠΑΜΕΙΣ. *Aquila serpentem unguibus stringens*, Neronis et Agrippinae. (Vaill.)

Etiam hujus Marii Cordi memoriam puto interisse.

ΕΠΙ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ. ΟΥΑΡΟΥ. ΚΟΙΝΟΝ. ΦΡΥΓΙΑΣ. ΑΠΑΜΕΙΣ. *Manipulus spicarum*, Vespasiani. (Vaill.)

Idem Plancius Varus, sed addito ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, et cum simili manipulo spicarum exstat etiam in numis Ves-

a) Imag. deor. cap. 19. b) Dissert. VIII. c. 8.

pasiani Nicaeae flatis. Ex quo apparet, eum per vices Bithyniam et Asiam rexisse.

Prytanes inscripti sunt Cistophoris, quos vide.

Agonotheta. ЄΠΙ. ΑΓΩΝΟΘЄΤΟΤ. ΑΡΤЄΜΑ. Γ. in numo Severi quem supra inter numos diluvii testes dedimus. — ЄΠΙ. ΑΡΤЄΜΑ. Γ. in numo Caracallae. (Vaill.)

Panegyriarcha. ΠΑΤ. ΒΑΚΧΙΟΤ. ΠΑΝΗ. ΑΠΑΜЄΩΝ. ΜΑΙΑΝΔ. ΜΑΡ. Gordiani. (Vaill.) Harduinus legendum docet: ЄΠ. ΑΤ. pro ΠΑΤ. Forte melius in hoc et sequente. Π. ΑΤ. id est: *Publio Aurelio.* — ΠΑΤ. CΤΡΑΤΟΝΙΚΙΑΝΟΤ. ΠΑΝΗΓΤΡ. Decii. (Banduri.) — ΠΑΡΑ. ΑΤΡ. ЄΡΜΟΤ. ΠΑΝΗΓΤΡΙΑΡΧΟΤ. Valeriani. (Bandur.)

De Panegyriarchis agemus alibi capite singulari.

Summus sacerdos: ЄΠ. Μ. ΑΤΡ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΤ. ΒЄΛ. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜЄΟΝ. in numo Philippi supra in diluvii numis adducto. Similis epigraphe occurrit in binis aliis ejusdem Philippi variantibus solum typis. (Vaill.)

ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΤ. Β. ΑΡΧΙ. Otaciliae. (Vaill. Pellerin.)

ЄΠΙ. Μ. ΑΤΡ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΤ. ΒЄΛ. Philippi jun. (Vaill.)

Additum in his numis ΒЄΛ. magnum Apollinem flagitat. Vaillantius et Falconerius ΒЄΛτιϛȣ ΑΡΧΙεϱεως legunt. Si numus Philippi jun. est integer, Βελτιϛȣ legi nequit, cum desit Αϱχιεϱεως, cum quo epitheton esset connectendum. Harduinus suspicatur legendum Βελλιȣ.

Scriba: ЄΠΙ. Λ. ΜΑ. CЄΤ. ΓΡΑΜ. ΤΟ. Β. Elagabali. (Mus. Caes. Theup.)

* * *

Commune: ΚΟΙΝΟΝ. ΦΡΤΓΙΑΣ in binis numis supra citatis cum mentione proconsulis. Item: ЄΠΙ. ΑΡΤЄΜΑ. Γ. ΑΠΑΜЄΙC. ΚΟΙΝΟΝ. ΦΡΤΓΙΑC. Caracallae. (Vaill.)

* * *

Neocoratus falso adsertus a Vaillantio ex numis cum diluvii typo, ut supra dictum.

AE. R.

ATTAEA.

Hoc nomine Phrygiae urbs non proditur; at cum Stephanus in Phrygia memoret paludem Ατταιαν, (in Βοτιειον.) verisimile censet Harduinus, adsitam huic urbem idem nomen tulisse. Nam quo minus numi inscripti ΑΤΤΑΙΤΩΝ cum Vaillantio et Begero tribui possint urbi Laconicae, aut cum Spanhemio Arabiae, vetant, ut videbimus, inscriptiones, et magistratus, quae utraque in his regionibus non comparent.

Autonomi:

ΙЄΡΑ. CΤΝΚΛΗΤΟC. — ΔΗΜΟC. — ΙЄΡΟC. ΔΗΜΟC. variis aversis, iisque obviis. (Beger, Patin, Arigoni.).

ΤΤΧΗ. ΠΟΛЄΩC. *Caput muliebre imposito tutulo, aut turricula.* Χ ΑΡΧ. ΔΟΤΗ. ΑΤΤΑΙΤΩΝ. *Pallas stans.* AE. II. (Pellerin.)

AE. RR.

Imperatorii:

Trajani, Commodi, Severi, Getae. (Vaill. Pellerin.)

Epigraphe, ut in autonomis. *Typi* obvii.

Magistratus:

Proconsul: ЄΠΙ. ΑΝΘ. CЄΚΟΥΝ. Trajani. (Pellerin Rec. III. p. 211.)

Praetor. CΤΡΑ. ΜΑΡΩΝΟC. Severi. (Pellerin.)

Archon, in citato autonomo.

AE. RRR.

ATTVDA.

Ex Notitiis cognita, et incerti situs.

Autonomi:

Complures exstant in museo Caesareo, apud Haymium, et Pellerinium.

Epigraphe: ΑΤΤΟΥΔЄΩΝ. *Typi: Latona cum gemellis, Amazon eques, basis venusta, super qua bina vasa floribus referta, et tres nuces pini.*

ΔΗΜΟC. ΒΟΥΛΗ. in plerisque.

Magistratus in nonnullis sine mentione dignitatis, at in uno est

Sacerdos femina: ΔΙΑ. ΦΛΑΒΙΑC. ΙЄΡЄΙΑC. *Diana Ephesia.* (Haym.) Notandus peculiaris hujus urbis mos, quae pro praefixo aliarum urbium ЄΠΙ. vel ΥΠΟ. usa est particula ΔΙΑ. Sic in aliis: ΔΙΑ. ΜЄΝΙΠΟΥ. (Mus. Caes.) ΔΙΑ. ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΥ. (Haym.) ΔΙΑ. ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΥ. ΥΙΟΥ. ΠΟΛЄΩC. (Mus. Cousinery.) Vide similia exempla in numis Laodiceae et Cidrae ejusdem Phrygiae. In marmore Stratoniceae Cariae: ΔΙΑ. ΦΙΛΟΚΑΛΟΥ. Β. (Chandler Inscr. ant. p. 28.) ΔΙΑ. ΠΡΩΤΟΚΟCΜΟΥ. Μ. ΠΟΜΠΗΙΟΥ. ΚΛЄΙΜЄΝΙΔΑ. (Gruter p. 1084. 11.)

AE. RR.

Imperatorii:

Domnae, Caracallae, Gallieni, Saloninae, (Vaill. Haym. Pellerin,) ad quos nihil plane observandum.

AE. RRR.

BRVZVS.

Solis Notitiis memoriam debet.

Imperatorii:

Ab Aurelio usque ad Gordianum.

Epigraphe ΒΡΟΥΖΗΝΩΝ. *Typi* obvii.

Magistratus: tantum in numis Severi et filii sine mentione dignitatis: ΡΟΥΦΙΝΟC. ΑΝΤΩΝΙ. ΒΡΟΥΖΗΝΩΝ. (Pellerin Mel. II. p. 127.) ΜΑΡΚ. ΡΟΥΦΙΝΟC. ΒΡΟΥΖΗΝΩΝ. ΑΝЄΘΗΚЄΝ. in numo Severi, (ibid.) sed Haymius in simillimo pro ΜΑΡΚ. legit ΑΙΚ.

AE. RR.

CADI.

Phrygiae Epicteti. Numos hujus urbis cognitos collegit, et vulgavit abbas Sestinus [a]).

Autonomi:

ΙЄΡΑ. ΒΟΥΛΗ. Ӿ ΚΑΔΟΗΝΩΝ. *Cybele sedens.* (Arigoni.)

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *typo Cybeles.* (Mus. Caes.)

---

a) Lettere T. III. p. 55.

ΔΗΜΟϹ. — ΙϾΡΟϹ. ΔΗΜΟϹ. — ΔΗΜΟϹ. ΚΑΔΟΗΝΩΝ. in variis.

ΒΑϹΙΛϾΥϹ. ΜΙΔΑϹ. *Caput Midae barbatum pileo Phrygio tectum.* ☧ ΚΑΔΟΗΝΩΝ. *Figura dubia stans.* (Gronov. Thes. Ant. Graec. T. I. lit. T.)

Hujus Phrygiae regis caput est etiam in numis vicini Midaei et Prymnessi.

* * *

Huic etiam urbi Pellerinius tribuit aeneum: ΚΑΔΩ. *Fortuna stans.* Sed turbat nonnihil positum Ω pro O.

AE. RR.

Imperatorii.

A Claudio usque ad Gallienum nulla re memorabiles.

Magistratus archon legitur inde a Gordiano, tum etiam in pluribus autonomis. Male Vaillantius in numis Gordiani et Tranquillinae legit ΓΑϹΟΠΑΤΟΡΟϹ. quod nomen Graecum non est. In numo musei Caesarei est: ΚΛϾΟΠΑΤΟΡΟϹ.

Ludi ΑΥΓΟΥϹΤϾΙΑ. *Duae dexterae junctae intra coronam*, Gallieni. (Pellerin Suppl. I. 39.)

Concordia cum Gordo Lydiae: *Ceres in draconum curru*, vel: *Bacchus stans.* (Vaill.)

Mentio situs, ab Hermo fl. ϾΡΜΟϹ. *Fluvius decumbens*, in numo Gordiani. (Theupoli.)

AE. R.

CERETAPE.

Ex Hierocle tantum, et Notitiis cognita.

Autonomi:

ΔΗΜΟϹ. ☧ ΚϾΡϾΤΑΠ - - - *Iupiter stans.* AE. II. (in meis Num. vet.)

Caput Serapidis. ☧ ΚϾΡϾΤΑΠϾΩΝ. *Pallas stans.* AE. II. (Hunter.)

AE. RRR.

Imperatorii:

Ab Antonino usque ad Severum. (Vaill.)

Epigraphe: ΚϾΡϾΤΑΠϾΩΝ. Typi: *Pallas*, vel *Hercules.*

Magistratus praetor, in numis Severi. (Vaill. Pisani.)

Honoris titulus: Diocaesarea. Vide quae infra ad Diocaesaream Phrygiae notabimus.

Concordia cum Hierapoli Phrygiae, quam vide.

AE. RRR.

CIBYRA.

Dicta *magna* Straboni, nam minorem in Pamphylia constituit. Sita fuit versus Cariam, et aliquando potens, quae proprios tyrannos habuit, quorum unus Moagetes in numis quoque vivit, quos infra dabimus. Cibyrae historiam et numos descripsit, et liberaliter illustravit Belleyus [a]).

a) B. L. T. XXIV. p. 121.

Autonomi:

Caput galeatum. ℞ KIBΥΡΑΤΩΝ. *Eques galeatus citato cursu d. hastam.* AR. III. AE. III.

Est apud Pellerinium, et similis ex museo regio citatur a Belleyo, qui et addit, tres similes exstitisse in museo Wildiano addito in uno magistratu MH., in altero MENE. IEPΩN. a). Aeneus est apud Theupoli.

Capita Dioscurorum. ℞ KIBΥΡΑΤΩΝ. *Victoria statuens tropaeum.* AE. (Pembrock.)

Caput galeatum. ℞ KIBΥΡΑΤΩΝ. *Bos dimidius prostratus turgente gibbo.* AE.

Numum hunc olim edidi ex museo Savorgnan b), ubi monui, eundem jam propositum fuisse ab Arigonio, sed perperam lectum KIΛΥΡΑΤΩΝ, atque sic Cilyrae nescio cui tributum.

KIBΥΡΑ. *Caput muliebre velatum turritum.* ℞ KIBΥΡΑΤΩΝ. *Leo gradiens.* AE. II. (Pellerin.)

BOΥΛΗ. ℞ KIBΥΡΑΤΩΝ. *intra coronam.* AE. (Belley l. c. p. 137.)

IЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. ℞ KIBΥΡΑΤΩΝ. *Mensis stans.* AE. (Hunter.)

AR. RRR. AE. RR.

Imperatorii

Exstant ab Aelio Caesare usque ad Decium.

Epigraphe ut in autonomis. *Typi* obvii.

Nomen ab imperatore: KAICAPЄΩN. KIBΥΡΑΤΩΝ. in compluribus numis inde a Caracalla. Vaillantius et Haymius hac epigraphe notari concordiam inter hanc Cibyram, et Caesaream Bithyniae credidere, verum eos falli jam viderunt Belleyus c), et Pellerinius d). KAICAPЄΩN igitur aliud non est, quam honoris vocabulum, ut in KAICAPЄΩN. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ., vel KAICAPЄΩN. KΥΜΑΙΩΝ., aliisque. Cibyram hanc appellationem sibi efflagitasse in honorem Tiberii, a quo adfecta fuit beneficiis, censet Belleyus, ut mox sub epocha videbimus.

Neocoratus. Hunc illi honorem tributum putat Belleyus e) ex numo Maximini et Maximi, in quo sic scriptum legitur: KIBΥΡΑΤωΗΗ f), ex quo arguit, adfixum in fine N aliud quam neocoratum notare non posse. Res nonnihil videtur intuta, praecipue cum in nullo alio Cibyrae numo notetur neocoratus.

Epochae annus notatur in numis binis, quos Belleyus ex museo Pellerinii citat, et pictos sistit g).

ЄΤΟΥC. BIC. Maximini.

ΙΘC. Tranquillinae.

Inito calculo certum est, principium epochae cadere in annos tres V. C. 776. 777. 778. Erudite Belleyus adoptat annum 776., nam hoc anno factum, quod refert Tacitus h): *Factaque auctore Tiberio senatus consulta, ut civitati Cibyraticae apud Asiam, Aegiensi apud Achaiam motu terrae labefactis sub-*

a) l. c. p. 136. b) Num. vet. p. 246. c) l. c. p. 145. d) Rec. II pag. ult. in Addendis. e) l. c. p. 146. f) Vide iconismum ibid. p. 121. g) l. c. p. 121. 122. h) Annal. IV. c. 13.

veniretur remissione tributi in triennium. Cibyrae nomen legitur etiam in basi Puteolana inter eas Asiae urbes quae terrae tremore concussae Tiberii liberalitate surrexere, etsi terrae motus, qui alias urbes concussit, sexennio ante contigerit, nempe secundum Tacitum V. C. 770 a). Quare cum Cybyra in earum etiam urbium catalogo legatur, existimat Belleyus, colossum illum Puteolanum non citius anno V. C. 776. erectum fuisse, atque audito Cibyrae fato, et Tiberii adversus eam liberalitate etiam eam demum relatam in earum seriem, quae medicam Augusti opem sensere. Sed potest Belleyo ipsa basis epigraphe curam eximere, quae mentione trib. potestatis XXXII. Tiberii docet, monumentum illud anno demum V. C. 783. vel 784. positum fuisse. Vide dissertationem Laur. Gronovii b).

AE. RR.

MOAGETES *Cibyrae rex.*

Cibyrae hoc nomine regis numos tres vulgavit Pellerinius: (Rois p. 192.)

Caput barbatum nudum prominente retro clava, juxta Γ. H. ☧ B. ΜΟΑΓ. *Leo gradiens.* AE. II.

Caput simile, juxta L. H. ☧ B. ΜΟΑ. *in monogrammate. Leo gradiens.* AE. II.

Caput Dianae, juxta E. Γ. ☧ B. ΜΟΑ. *in monogrammate. Cervus gradiens.* AE. II.

Moageten, Graecis Μοαγετην, Cibyrae et adjacentis tractus tyrannum memorant Livius c), et Polybius d), quem Cn. Manlius cos. V. C. 565. Gallograecis bellum facturus centum talenta pendere coegit. Moageten alium uno circiter saeculo serius prodit Strabo e), cum refert, Cibyram semper tyrannis, sed moderato imperio, paruisse, porro tyrannidem in Moagete desivisse, quem dejecit Muraena. Ad horum ergo tyrannorum aliquem numos hos pertinere dubium non est, ac praeterea literam B positam pro Βασιλεως. Eodem modo, ut jam advertit Pellerinius, in postremorum Macedoniae regum numis videmus praefixum B. sequente monogrammate, quo regis nomen continetur. Literae anticae L. H. et E. Γ. Pellerinio videntur indicare annos regni. Priores duo spectatis typis simillimi sunt numis regum Galatiae.

Numus postremus eosdem utrinque habet typos, quos habet numus inscriptus ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΜΥΝΤΟΥ., quem in regum Galatiae moneta recensebimus. Quare suspicatur Pellerinius, huic Amyntae, quem constat ab Antonio IIIviro praeter Galatiam alias adhuc provincias dono accepisse, datam etiam Cibyram, eumque numum in hac urbe signatum.

AE. RRR.

CIDRA.

M. Aurelii numum Blondius ex museo Pellerinii protulit: (Observat. p. 32.)

---

a) Ann. L. II. c. 47. b) Thes. Gronov. T. VII. c) L. XXXVIII. c. 14. d) Exc. leg. c. 30. e) L. XIII. sub fin.

ΑΥΡΗΛΙΟϹ. ΟΥΗΡΟϹ. ΚΑΙ. *Caput Aurelii nudum.* ✕ ΔΙϹΕΛΕΥΚΟ. ΠΟΛΕΜΩ. ΚΙΔΡΑΗΝΝΩΝ. *Diana Ephesia.*

Vir eruditus numum tribuit urbi Phrygiae, quam Herodotus Κυδϱα vocat, et ad Lydiae ſines constituit [a]), quamque Stephanus, qui eam ex eodem Herodoti loco citat, perperam vocat Κυδϱαϱα. Quo minus continuo adsentiar, facit elementum secundum, quod in citatis auctoribus est Υ, in numo I., deinde qua ratione a Κιδϱα formari possit ΚΙΔΡΑΗΝΝΩΝ, non satis video, qua inscriptione indicatur potius urbs quaepiam dicta *Cidraenna.* Aut ergo probandum, Herodoti *Cidram* dictam quoque *Cidraennam*, aut differendum judicium, quorsum numus revera pertineat. In parergo Notitiarum eccl., quod subjicitur Geographiae sacrae Caroli a S. Paulo, binis locis memoratur episcopus ὁ Κινδϱαμων, qui tribuitur provinciae Cariae [b]), quod nomen urbi in numo notatae plus forte adſine est.

Magistratus inscriptus sic videtur legendus: ΔΙα ϹΕΛΕΥΚΟυ ΠΟΛΕΜΩνος. Etiam in numis Attudae et Laodiceae ejusdem Phrygiae magistratui praeponitur ΔΙΑ.

Nuper ad eandem hanc urbem vocavit numum Sestinus: (Lett. T. IV. p. 125.)

ΚΥΔΡΑΝΗΝΩΝ. *Bacchus stans.* Est Maesae.

CIDYESSVS.

Versus Bithynium secundum Ptolemaeum, qui unus veterum hujus urbis meminit, sed nomine corrupto, cujus orthographiam restituunt numi. Serius frequenter memoratur in Notitiis, sed depravatis appellationibus. Ejus numos ac historiam eruditam dedit Belleyus [c]).

Imperatorii

Domitiani, Caracallae, Philipporum.

Epigraphe ΚΙΔΙΗϹϹΕΩΝ. sed in numis Domitiani: ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΝ. ΚΙΔΥΕΣΣΕΙΣ.

Typi: *Cybele*, aliique obvii.

Vaillantius in binis, quos sub Philippo sen. recenset [d]), huic urbi videtur injurius, quorum unum sic describit:

ЄΠ. ΑΡ. ΟΥΑΡΟΥ. ϹΟΦΙϹΤΟΥ. ΚΗΒΗϹϹЄΩΝ. *Iuppiter sedens.* Alium:

ЄΠΙ. ΑΥΡ. ΜΑΡΚΟΥ. ΑΡΧ. ΠΡΩ. ΤΟ. Β. ΚΗΒΗϹϹЄΩΝ. *Hygia*, *Telesphorus*, *Aesculapius.*

Hos numos Cebesso Lyciae largiuntur Vaillantius, et Harduinus, quam hausere ex Stephano. At obstat I. quod hic eam non *Cebessum*, sed *Cabessum* vocat, II. quod Lyciae numi sub imperatoribus cusi magistratum non inscribunt, III. ac praecipue, quod judicium hoc haud dubie in sinistra lectione nitatur, nam similem priori sic Belleyus ex museo Gravier describit:

ЄΠΙ. ΑΥΡ. ΟΥΑΡΟΥ. ΛΟΓΙϹΤΟΥ. ΚΙΔΥЄϹϹЄΩΝ. *Iuppiter sedens.*

Alter quem Vaillantius ex Mediceo citat, a me inspectus offert ΚΙ - - ΗϹ-ϹЄ - - nimirum numus post priores duas

a) L. VII. c. 30. b) pag. 15. 41. c) B. L. T. XXXV. p. 652. d) pag 162.

literas foramine pertusus est, ut alias docui [a]). Est ergo uterque Cidyessi, ut jam ante suspicatus est sagacissimus Belleyus [b]).

Magistratus

Summus sacerdos: ΕΠΙ. ΦΛΑΟΥΙΟΥ. ΠΙΝΑΡΙΟΥ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ, in numis Domitiani. (Belley l. c.)

Archon: ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΠΡΩ. ΠЄΙϹΩΝΟϹ. Caracallae (Ibid.) *το* ΑΡΧ. legendum esse ΑΡΧ*οντος*, non ΑΡΧ*ιερεως*, arguit Belleyus ex addito ΠΡΩ*τȣ*, quod passim additur archonti, nunquam *ἀρχιερει*. Enimvero ΑΡΧ. ΠΡΩ. idem est, quod ΑΡΧΩΝ. Α. frequenter in numis obvium.

Logista, an *Sophista?* in numo Philippi mox citato additur Varo nomen ϹΟΦΙϹΤΟΥ, ut Vaillantius legit, at in simili alio, quem ex museo Gravier citat Belleyus, eidem Varo, ut vidimus, est nomen ΛΟΓΙϹΤΟΥ. Cui potius habenda fides? Belleyus non testatur, se vidisse numum, sed tantum, sic esse descriptum. Sophistae nomen in pluribus numis legitur, Logistae in nullo alio. Belleyus censet [c]), Logistam esse aut cognomen Vari, aut potius aerario publico praefectum. Enim vero apud Gruterum habetur marmor dedicatum *T. Cl. Candido logistae civitatis splendidissimae Nicomedensium item Ephesiorum* [d]). Plurium urbium logistam dabit marmor Muratorii [e]). In constitutione Gordiani Graecum Logista Latine redditur *Curator reipublicae* [f]). Desideratur ergo major lectionis fides. Ceterum binos Varos sophistas laudat Philostratus, unum Pergensem Pamphyliae, alterum Laodicensem.

AE. RRR.

COLOSSAE.

Ad Lycum fl. prope Laodiceam.

Autonomi:

ΔΗΜΟϹ. ΚΟΛΟϹΗΝΩΝ. *Caput juvenile laur.* ✠ Μ. ΙЄΡ. ЄΝ - - ΛΟΥ. ΔΙΟΚΛЄΟϹ. *Sol adversus quadrigis vectus.* AE. I. (Pellerin.)

Fuisse Solem tutelarem Colossensium deum, comprobat sarda, in cujus una facie insculpta protome Solis capite radiato, et adfixis humero alis inter decem zodiaci signa, in altera facie: ΤΥΧΗ. ΠΡΩΤΟΓ. ΚΟΛΟΣΣΑΙ. Noctua lyrae insistens, quam gemmam explicatam reperies in *Mémoires des B. L.* T. XXXVI. p. 11.

ΔΗΜΟϹ. ΚΟΛΟϹϹΗΝΟΝ. *Caput idem.* ✠ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟϹ. ΟΥΛ. ΑΝЄΘΗΚЄΝ. *Mulier stans d. globum, s. hastam.* AE. II. (Pellerin.)

ΚΩΛΟЄϹΗΝΩΝ. *Caput Serapidis.* ✠ ΤΙ. ΑΠЄΙΡЄΙΔΟϹ. ΑΡΧΩΝ. *Iuppiter Laodicensis stans.* AE. II. (Pellerin.)

Adverte ad nomen urbis in singulis varie scriptum. Holstenius in Geogr. sac. Caroli a S. Paulo ex vetustis codicibus arguit, *Colassa* scribi oportere, quod serius in *Colossa* detortum fuit [g]).

a) Num. vet. p. 247. b) l. c. p. 656. c) l. c. p. 653. d) pag. 339. 2. e) pag 674. f) Cod. L. I tit. 55. §. 3. g) pag. m. 232.

Numi hi Holstenio ignoti contrarium docent.

Magistratus Archon, ut vidimus.

AE. RRR.

Imperatorii.

Horum unicum exstare adfirmat Pellerinius a), sed museum non citat. Est in museo Caesareo numus Commodi, in cujus aversa: - - - ΩΝΠΕΡΙΖ - - ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΑ - - ΚΟΛΟCCΗΝΩΝ. *Diana Cervi retro stantis cornu prehendens.* AE. m. m. Nomen urbis satis nitide legitur. At Frölichius b), eumque ego olim inconsultius secutus c) Cadis Phrygiae tribuimus.

AE. RRRR.

CONIVM.

Huic Pellerinius olim autonomum tribuit, quem tamen esse Iconii Lycaoniae ipse agnovit serius, ut diximus in numis hujus urbis.

COTIAEVM.

In Phrygia Epicteto, scribiturque veteribus Κοτυαειον, sed in numis constanter est I pro Υ. Hujus quoque urbis numos omnes descripsit cl. Sestinus d).

Autonomi

Sunt in Museo Caesareo, et apud Pellerinium:

ΔΗΜΟC. ΚΟΤΙΑΕΩΝ. *Caput juvenile, in aliis barbatum.*

ΒΟΥΛΗ. *Caput muliebre velatum.*

In aversa: *Iuppiter* vel *Cybele sedentes — Sol adversus in quadrigis — Hercules stans.*

Archontum nomina constanter repeciuntur inscripta, quae pleraque repeciuntur in imperatoriis, quos vide.

Neocorus: ΕΠΙ. ΙΟΥ. ΚΟΔΡΑΤΟΥ. ΝΕΩ. ΑΡΧ. (Masson Vita Aristid. §. V. num. 8.)

AE. RR.

Imperatorii:

A Claudio usque ad Gallienum.

Epigraphe aut in recto, ut: ΚΛΑΥΔΙΟΝ. ΚΑΙΣΑΡΑ. ΚΟΤΙΑΕΙΣ. aut ΚΟΤΙΑΕΩΝ.

Typi fere iidem, qui in autonomis. In numo Caracallae apud Pellerinium: *Hercules et Amazon stantes*, typo ad tractam ab Amazonibus originem adludente.

Filius urbis:

ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. ΥΙΟΥ. in numis Claudii et Agrippinae. (Pellerin Mel. II. p. 28.) Vaillantius in eorundem numis perperam legit ΙΟΥΛΙΟΥ pro ΟΥΑΡΟΥ. *Vrbis filius* expressius in aliis eorundem, et Neronis notatur: ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. ΥΙΟΥ. ΠΟΛΕΩΣ. (Pellerin l. c. Haym. T. II. p. m. 238.) ΕΠΙ. ΙΟΥ. ΚΟΔΡΑΤΟΥ. ΥΙΟΥ. ΙΠΠ. ΑΡΧ. in numo Otaciliae. (Mus. Caes.) Apparet ex his numis, Varum et Codratum dato civitatis jure velut adoptatos fuisse a Cotiaensibus, et ab his eos dici filios urbis.

---

a) Rec. II. p. 40. b) IV. Tent. p. 446. c) Catal. Mus. Caes. P. I. p. 197. d) Lettere T. III. p. 60.

ut in numis Laodiceae Phrygiae Attalus, ut videbimus, Smyrnam vocat patriam, a qua fuit adoptatus. Eodem modo vidimus in numo Aphrodisiensium Cariae Apollonium dici ΥΙΟΝ. ΑΦΡΟΔΙCΙΕΩΝ. Secundum hanc legem saepius explicandum vocabulum ΥΙΟC, cum in numis occurrit, cujus exempla alia ex marmoribus collecta vide in dissertatione de Boze a), et apud Cuperum b).

Magistratus

Archon: ΑΡΧΟΝΤ. ΔΙΟΓΕΝΟΥΣ. in numo Claudii, quem citat unus Vaillantius, si modo epigraphe rite lecta. Claudii aetate vix magistratus dignitas numis Cotiaensium inscribi consuevit. Inde ab Severo saepius legitur ΑΡΧ. Cum in aliquot numis notentur ἀρχιερεις, suspicatur Frölichius, etiam vocabulo curtato ΑΡΧ. indicari ΑΡΧιερεα. In autonomis quoque archontes constanter notantur, quorum aetas ex imperatoriis definitur, sic: Π. ΑΙΛ. ΔΗΜΗΤΡΙΑΝΟC. legitur etiam in numis Valeriani, ΙΟΛ. ΚΟΔΡΑΤΟC. etiam in numis Severi, et Otaciliae. Idem dicitur Neocorus in autonomo apud Pellerinium, et Panelium, (Cistoph. p. 40.) ΕΠΙ. ΙΟΥ. ΚΟΔΡΑΤΟΥ. ΝΕΩ. ΑΡ. Denique ΔΙΟΓΕΝΗC. ΔΙΟΝΥCΙΟC. sub Gallieno.

Summus sacerdos in binis numis observatur: ΕΠΙ. Γ. ΙΟΥ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. ΑΡΧΙΕΡΕ. Macrini. (Pellerin.) ΕΠΙ. Γ. ΙΟΥ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. ΑΡΧΙΕΡΕΩC. Philippi sen. (Mus. Caes.) Videtur C. Iulius Ponticus ἀρχιερευς δια βιȣ fuisse.

Hippicus.

ΕΠΙ. ΙΟΥ. ΚΟΔΡΑΤΟΥ. ΥΙΟΥ. ΙΠΠ. ΑΡΧ. Otaciliae. (Mus. Caes.)

ΕΠΙ. Π. ΑΙΛ. ΔΗΜΗΤΡΙΑΝΟΥ. ΙΠΠΙΚ. ΑΡΧ. Valeriani, (Vaill. Mus. Caes.) et in autonomo. (Pellerin.)

Vaillantius, ejusque asseclae vocabula ΙΠΠ. vel ΙΠΠΙΚ., quae in numis Iuliae Gordi Lydiae, et Smyrnae Ioniae plenius leguntur ΙΠΠΙΚΟΥ, explicat *Hippici filius;* verum iis indicari equites Romanos, explicabimus alibi.

AE. C.

DIOCAESAREA.

Tres numi ab antiquariis huc referri solent, *imperatorii* omnes:

ΔΙΟΚΑΙCΑΡΕΙΑC. *Templum* 4. *col.*, *in quo Pallas stans*, Commodi. (Vaill.)

ΔΙΟΚΑΙCΑΡΕΩΝ. ΚΕΡΕΤΑΠΕΩΝ. *Cybele sedens*, Commodi. (Vaill.)

ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΔΙΟΚΑΙCΑΡΕΩΝ. *Fortuna stans*, Severi. (Pellerin. Mel. II.)

Vereor, ut vel unus horum huic Phrygiae urbi competat, ac

Primus quidem ex typo templi 4. columnarum, qui numis urbium Syriae, Phoenices, Galilaeae familiaris est, videtur potius Diocaesareae Galilaeae tribuendus. Saltem certa ratio nulla prorsus est, cur hic numus hujus sit potius Diocaesareae, quam alterius seu Galilaeae, seu Ciliciae.

Secundus a Vaillantio huc vocatur, quod, ut opinatur, concordiam inter hanc Diocaesaream, et Ceretapen Phry-

a) B. L. T. XV. p. 474. b) Lettres p. 59.

giae item urbem prodit. At quodnam numus praetensae concordiae indicium facit? Abest vocabulum OMONOIA, typus est unius tantum numinis, cum plerumque in concordiae numis utriusque urbis fingantur numina, praecipue cum vocabulum OMONOIA supprimitur. Quare verisimilius videtur, Ceretapen honorifico Diocaesareae nomine usam, illudque numis inscripsisse, ut Castabala Cappadociae nomen Hieropoleos, Comana Ponti Hierocaesareae etc. Iovis apud Ceretapenses cultum arguit Iupiter stans in numo autonomo, ex quo Diocaesareae nomen abstulerit, ut Laodicea Diospoleos. Video, in eadem mecum sententia pridem fuisse Holstenium [a]), qui item conjecit, Diocaesaream et Ceretapen fuisse unam eandemque urbem.

Tertius, quem Pellerinius huic Phrygiae urbi largitur, verisimilius est Diocaesareae Ciliciae, quam certo constat *Hadrianae* titulo usam, ut aliae passim Ciliciae urbes, at paucae Phrygiae ex numis hactenus notis.

Cum ergo expensis his numis non modo nulla sit ratio horum unum huic Diocaesareae adjudicandi, sed etiam in singulis aliqua ratio appareat eos inde avocandi, tutius est opinari, eam hactenus opibus numismaticis destitutam. Huc accedit, quod revera Salmasius, Holstenius, Cellarius dubitent, an unquam Diocaesareae nomine urbs in Phrygia exstiterit. Ejus unicus praeco est Ptolemaeus, cujus tamen sententia explicanda potius videtur. Nam idem is, qui Diocaesaream nobis memorat, Ceretapen reticet, non alia, ut pronum est conjicere, de causa, quam quod reipsa una eademque urbs fuit binis variis appellationibus, ex quibus ipse eam, quae tum magis popularis exstiterit, nempe Diocaesareae, selegerit. Secundum eandem hanc legem Belleyus Ptolemaeum explicat, qui Adanam Ciliciae commemorat, sed Antiochiam ad Sarum, urbem non parum illustrem, omittit, nimirum quia, ut ipse censet, quae Adana fuit, eadem et alio nomine Antiochia dicta fuerit [b]). Quare ut non erravit Ptolemaeus, ita distinctam fuisse aliquam Phrygiae urbem Diocaesareae nomine, verisimile non est. Sic et Sepphoris et Diocaesarea una eademque fuit Galilaeae urbs.

DIONYSOPOLIS.

Eam Plinius conventui Apamensi subjicit, memoratur etiam Ciceroni, Stephanoque. Vide Cellarium.

Autonomi:

ΙЄΡΑ. ΒΟΥΛΗ. *Caput muliebre.* ✠ ΔΙΟΝΥϹΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Diana Ephesia.* AE. (Goltz. in Graecia tab. 28.)

Numum hunc Nonnus Dionysopoli Thraciae tribuit, sed si unquam exstitit, certe est hujus Phrygiae Dionysopolis cum causa epigraphes ΙЄΡΑ. ΒΟΥΛΗ., tum typo aversae.

* * *

ΖЄΥϹ. ΠΟΘΗΟϹ. ΔΙΟΝΥϹΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Caput Iovis diadematum.*

---

a) In Ortel. p. 69. b) B. L. T. XXXV. p. 610. seq.

X CTPATHΓOTNTOC --- TPATOT. B. MЄANΔPOC. *Maeander humi jacens d. arundinem.* AE. (Catal. d'Ennery p. 98.)

Eximius hic raritate numus plura offert notatu digna. Iuppiter *Poteus* nondum credo alibi hoc cognomine repertus, si modo epigraphe recte ex hoc numo capta fuit. Interim cujus sit naturae additum istud Iovi elogium, prorsus ignoro. Deinde docet, magistratum *praetorem* urbi praefuisse, ac denique etiam ejus situm hactenus incertum illustrat facta Maeandri mentione, cui adeo aut adsita fuit, aut saltem vicina.

* * *

Caput Bacchi. X ΔΙΟΝΤΣ - - MENEK - - *Bacchus stans.* AE. II. (Neumann.)

Vir eruditus huic Dionysopoli numum hunc tribuit, quia idem magistratus MENEKPATHΣ est in numo vicinae Eumeniae.

* * *

Supra in Dionysopoli Thraciae autonomos plures hoc nomine inscriptos proposui, qui aeque ad hanc Phrygiae urbem possent pertinere.

AE. RRRR.

Imperatorii:

Hujus generis numum Domnae huc vocat unus Harduinus, qui eum sic describit: ΔΙΟΝΤCΟ. K. MHTPOΠ. ЄΠΙ. APX. ATPH. KIΛBIANΩN. TΩN. ANΩ., secundum quam lectionem triplicem concordiam inter hos Dionysopolitas, Metropolitas, et Cilbianos extorquet. Nemo erit paullo cordatior, cui luxata haec epigraphe de lectionis veritate non continuo faciat oboriri dubium. At nemo erit etiam, qui ambigat, esse hunc eundem numum, quem Vaillantius in moneta Domnae sic describit: ЄΠΙ. APX. ATPH. ΔΙΟΝΤCΙΟΤ. KIΛBIANΩN. TΩN. ANΩ., quae lectio multo simplicior haud dubie est praeferenda. Nullum ergo hactenus certum habemus hujus urbis imperatorium.

DOCIMEVM.

Phrygiae magnae.

Autonomi:

Caput juvenile nudum, prae quo caduceus. X ΔΟΚΙΜЄΩΝ. *Monticulus.* AE. III. (Pellerin.)

Capite anticae aut Caesar quispiam, aut Antinous Mercurii specie propositus videtur. Aversae typo indicantur celebres hujus loci latomiae, de quibus Strabo: ἐπεκεινα δ' ἐϛι Δοκιμια κωμη, και το λατομιον τȣ Συνναδικȣ λιθȣ, ὅτω μεν Ρωμαιοι καλȣσι, οἱ δ' ἐπιχωριοι Δοκιμιτην και Δοκιμαιαν. *Illinc est Docimia pagus, et lapicidinae Synnadici lapidis, ut quidem Romani vocant, at indigenae Dociniten et Docimaeam.* De hoc lapide vide infra plura in Synnade.

* * *

ΔΟΚΙΜΟC. *Caput barbatum laureatum.* X ΔΟΚΙΜЄΩΝ. *Aesculapius stans.* AE. II. (Pellerin, Arigoni, Harduin.)

Docimum Macedonem nominat Pausanias unum ex Antigoni ducibus, sed qui postea ad Lysimachum defecit [a]).

a) Attic. cap. 8.

Verisimile sane, ab hoc Docimo urbem hanc aut aedificatam, aut in ejus honorem ab oppidanis abolito qualicunque vetere novum istud nomen adscitum, quos alioqui constat ex parte fuisse Macedonas, ut mox patebit.

* * *

ΒΟΥΛΗ. — ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. Vide Pellerinium, et Arigonium.

AE. RR.

Imperatorii:

A Nerone usque ad Domnam typis obviis.

Epigraphe: ΔΟΚΙΜЄΩΝ. — ΔΟΚΙΜЄΩΝ. ΜΑΚЄΔΟΝΩΝ. in numo Aurelii. (Vaill.) L. Veri. (Haym.)

AE. RRR.

DORYLAEVM.

Phrygiae Epicteti. Varie a veteribus scribitur, sed Stephani Δορυλαειον cum numis optime convenit. Catalogum numorum hujus urbis vide apud cl. Sestinum a).

Imperatorii:

Sunt a Domitiano usque ad Philippum jun., et sunt apud Sestinum, Pellerinium, Haymium, in Mus. Caes. et Theupoli.

Epigraphe: ΔΟΡΥΛΑЄΩΝ. *Typi* obvii.

Magistratus archon, nam hunc reor notari inscriptione ЄΠΙ. ΠΑΥΛΟΥ. Α., quae est in numo Maximini apud Haymium, etsi hic suspicetur, elemento A notari annum imperii.

AE. RR.

EPICTETVS.

Exstant *autonomi* apud Pellerinium, et in museo Caesareo: *Caput Palladis.* ℞ ΕΠΙΚΤΗ. — ΕΠΙΚΤΗΕ — ΕΠΙΚΤΗΤΕ.— ΕΠΙΚΤΗΤΕΑ. *adduntur decurtata magistratuum vocabula. Equus gradiens, pone pileus Dioscurorum.* AE. III. Censet Pellerinius, hos numos fuisse monetam communem populi, qui Phrygiam Epictetum incoluit. Res dubio non vacat, nec tamen hactenus alius opportunius quid attulit. En indicia alia: in simili Hunteriano circum equum observantur ΑΣ. ΒΑ. Ε. et pileus Castorum, in alio Neumanni pone caput Palladis est Θ. Nuper cl. Sestinus ex museo Ainsliano numum similem protulit cum largiore epigraphe ΕΠΙΚΤΗΤΕΩΝ b), quae Pellerinii sententiam multum juvat.

EVCARPIA.

Phrygiae magnae.

Autonomi:

ЄΥΚΑΡΠЄΩΝ. *Caput perjuvenile nudum, pone caducens.* ℞ ЄΠΙ. Γ. ΚΛ. ΦΛΑΚΚΟΥ. *Luna cum duobus astris, inferne caput bovis.* AE. III. (Haym. Pellerin.) In alio simillimo *magistratus mulier*, de qua mox c).

a) Lettere T. III. p. 71. b) Lettere T. III. p. 45. c) B. L. Hist. T. XVIII. p. 223.

ЄΥΚΑΡΠЄΙΑ. *Caput muliebre turritum.* ✠ ЄΠΙ. ΠЄΔΙΑC. CЄΚΟΥΝΔΗC. *Fortuna stans.* AE. II. (Pellerin.) In alio simili: ЄΠΙ. ΝЄ. ΠЄΔΙΑC. CЄΚΟΥΝΔΗC. (in meis Num. vet. p. 248.)

In antica numi prioris videtur effictus Antinous sub Mercurii specie eodem modo, ut dictum in numis vicini Docimei. Numi alii magistratum mulierem sistunt. Additum ΝЄ. fuisse eam ΝЄωκοϱον eloquitur.

AE. RRR.

Imperatorii.

Ab Antonino usque ad Trebonianum, suntque apud Vaillantium, et Arigonium.

Typus *mulieris stantis*, ex numis tribus varie describitur a Vaillantio. In numo M. Aurelii apud Arigonium est *Mulier stolata stans, quae dexteram attollit, s. parvam figuram manu ducit, adstat ad dexteram quadrupes, forte dama.*

Magistratus in numo Antonini, sed sine dignitate memoratur: ЄΠΙ. Γ. ΚΛ. ΦΛΑΚΚΟΥ. (Arigoni.) qui etiam legitur in autonomis citatis.

AE. RRR.

EVMENIA.

Phrygiae magnae, teste Eutropio condita ab Eumene Attali Pergameni fratre,

Autonomi:

ЄΥΜЄΝЄΩΝ. *Caput Serapidis.* ✠ ΓΛΑΥΚΟC. *Fluvius decumbens.* AE. (Harduin, Panel Cistoph. p. 40.)

De hoc flumine Plinius: *Est Eumenia Cludro flumini adposita, Glaucus amnis.*

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. ✠ ЄΥΜЄΝЄΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Diana Ephesia.* AE. I. (Pellerin.)

De nomine ΑΧΑΙΩΝ. vide infra.

Iuppiter stans d. bipennem, s. hastam, pone cervus. ✠ ΕΥΜΕΝΕΩΝ. *Aquila stans.* AE. III. (Sestini. T. IV. p. 125.)

Numos reliquos vide apud Pellerinium, in museo Caes., Pembrock.

Magistratus sine mentione dignitatis: ΚΛΕΩΝ. ΑΓΑΠΗΤΟC. — ΜΕΝΕΚΡΑ. ΑΣΚΑ. etc.

AE. RR.

Imperatorii

A Nerone usque ad Gallienum typis obviis. Sunt apud Vaill. Pellerin, Haym, Arigoni.

ЄΥΜЄΝЄΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. inde ab Hadriano (Pellerin) usque ad Gallienum. (Arigoni.) Harduinus censet, Eumenenses se dixisse Achaeos ab agro *Achaidos*, qui teste Stephano est apud Maeoniam Lydiae. Sed Eumenia haec a memorato agro nimium videtur distare. Dicuntur vero potius Achaei, quod ab his oriundi fuerint, ut Perinthii se dixerunt Iones, aut quod veteres Eumenenses cum adventitiis Achaeis fuere permixti, qua ratione in ejus tractus urbibus oppidanorum nomini saepe additur ΜΑΚЄΔΟΝΩΝ.

Magistratus

Summus sacerdos: ΙΟΥΛΙΟΣ. ΚΛΕΩΝ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΑΣΙΑΣ. Neronis. (Haym.) Res insolentior *summus sacer-*

dos Asiae. Vide, quae de hoc notabimus in tractatu de Asiarchis. Asiae vocabulum in numis Philippi sen. et Otaciliae omittitur: ЄΠΙ. ΦΛ. ΦΙCΙΚΟΥ. ΑΡΧΙЄ. (Vaill.) at Pellerinius in suo Philippi rectius legit: ЄΠΙ. ΦΛΑ. ΦΙΛΙΚΟΥ. ΑΡΧΙЄ. (Suppl. II. p. 85.)

AE. RR.

HIERAPOLIS.

Ad Maeandrum, Cibyratico conventui a Plinio adscribitur. Nomen abstulisse ait Stephanus ἀπο τȣ ἱερα πολλα ἐχειν.

Autonomi:

ΛΑΙΡΒΗΝΟC. *Caput Solis radiatum.* ✠ ΙЄΡΑΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Lupa cum gemellis lactentibus.* AE. II. (Pellerin.)

ΑΔΙΡΒΗΝΟC. *Caput idem.* ✠ *Hygia, Telesphorus.* (Harduin.)

ΛΑΙΡΒΗΝΟC. *reliqua ut in praecedente.* (Haym.)

ΛΑΙΡΒΗΝΟC. *Caput idem.* ✠ ΙЄΡΑΠΟΛЄΙΤΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. *Apollo stolatus stans d. plectrum, s. lyram.* AE. (Pembrock, Panel num. Cist. p. 40.)

ΛΑΙΡΒΗΝΟC. *Caput idem.* ✠ *Eadem epigraphe.* ΑΚΤΙΑ. *intra lauream.* AE. II. (Sestini. Lett. T. IV. p. 126.)

En ejusdem epigraphes lectiones varias tres ortas ex adfinitate literarum Α., Λ., Δ. Legendum videtur ΛΑΙΡΒΗΝΟC, quod plures in hac lectione video conspirantes, tum quod Haymius suum profitetur integerrimum, et epigraphen certissimam. Vocabulum istud referendum ad Solis caput, et esse captum ex indigenarum lingua, dubium non videtur, cui applicari omnino possunt, quae in Thyatira Lydiae de ΒΟΡЄΙΤΗΝΗ disserui.

* * *

ΑΡΧΗΓЄΤΗC. *Caput Solis radiatum.* ✠ ΙЄΡΑΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Amazon stans.* AE. (Haym.)

Sponius in ruinis Hierapolis supra porta theatri scriptum vidit: ΑΠΟΛΛΩΝΙ. ΑΡΧΗΓЄΤЄΙ. [a]), sed postremas duas literas non bene videtur excepisse. De Apolline Archageta jam egi ad Naxum Siciliae, et Tauromenium, cujus quoque numis idem vocabulum inscriptum. Ex typo potest colligi, vocabulum ΛΑΙΡΒΗΝΟC. eandem habere, significationem cum ΑΡΧΗΓЄΤΗC.

* * *

ΚΩΣΙΟΣ. *Caput barbatum.* Epigraphes hujus explicationem non tento, cum de ejus sinceritate dubitem. (Arigoni.)

* * *

ΒЄΛ. *Pegasus volans.* ✠ ΙЄΡΑΤΩΝ - - *Ara luculenta inter ardentes taedas.* AE. (Haym.)

Similis typus est in numi Stratonicensis utraque facie a Com. Christiani editi [b]), nisi quod in hoc praeterea adstans Bellerophon Pegasum retinet, cujus absentiam in Haymiano truncatum ΒЄΛ. supplet. Iure igitur suspicatur Khellius in subjecta nota, male ab Haymio lectam numi epigraphen pro CΤΡΑΤΟΝΙΚЄΩΝ, quod praeterea literarum se consequentium ordo, ut ectypon numi docet, plane persuadet.

---

a) Voyage T. I. p. 358. b) Adpendic. I.

* * *

ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Caput muliebre.* ✕ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Pluto Proserpinam rapiens.* AE. II. (Pellerin. Beger.)

Fuit teste Strabone, aliorumque, quorum testimonia vide apud Cellarium, juxta Hierapolin Plutonium, seu Charoneum, nimirum hiatus, unde se vapor pestifer extulit, ac propterea Ditis spiraculum creditum fuit.

* * *

ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Caput laur.* ✕ ΧΡΥCΟΡΟΑC. *Fluvius decumbens.* AE. (Haym, Harduin.)

Plinius loquens de Tmolo monte, addit: *et ex eo profluente Pactolo, eodemque Chrysorhoa.* At hic Pactolus Chrysorhoas longiore intervallo ab Hierapoli nostra distabat, et ex testimonio Sponii, qui ea loca adivit, perquam vicina fuit Lyco a), quin neque multum remota a Maeandro, sic ut etiam nonnunquam per hunc ipsum Maeandrum ab aliis ejusdem nominis urbibus distingueretur, ut in epigrammate, quod citat Holstenius: (Notae ad Steph.) ΜΕΝΑΝΔΡΟC. ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΗC. ΠΡΟC. ΜΑΙΑΝΔΡΟΝ. ΠΟΤΑΜΟΝ. Quod si Chrysorhoas numis inscriptus revera est Pactolus, id factum, ut censet Harduinus, non ad indicandum urbis situm, sed alia quacunque de causa, nimirum ut Amastriani Meletem, Germanicopolitae Xanthum, alii, alios fluvios longe dissitos monetae suae inscripsere. Quid si Chrysorhoas fuisset fons hujus nominis Hïerapolitis sacer, at nobis ignotus, quales plures habemus numis illatos? de quo vide, quae notavimus ad numos Phocaeae Ioniae.

* * *

ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Caput muliebre turritum.* ✕ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Mensis stans d. quid conoidicum tenet, s. hastam, dextro pede bovis caput calcat.* AE. III. (Mus. Caes.)

De aversae typo egi in meis Numis veteribus b). Conus is, quem Mensis d. tenet, Belleyo videtur pomum pini c). Neocoratus in variis adhuc autonomis apud Pembrock, Begerum, Arigonium indicatur, atque adeo frequentius, quam in imperatoriis, ut videbimus.

ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Victoria gradiens.* ✕ Κ. ΕΦΕCΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Caput muliebre laur.* AE. (Beger T. I. p. 505.)

* * *

ΓΕΡΟΥCΙΑ. — ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. — ΒΟΥΛΗ. (Haym, Arigoni.)

* * *

Notandum, urbis hujus nomen semper scribi ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ, nunquam ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ, saltem in adcuratis catalogis. Sed vide etiam, quae mox dicentur.

AE. R.

Imperatorii:

Sunt ab Augusto usque ad Valerianum.

Epigraphe constans: ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. Tamen in uno Pellerinii est ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ d), quo quidem modo inscribi solent numi Hieropolis Cyrrhesticae.

---

a) Voyage T. I. p. 357. b) pag. 249. c) B. L. T. XVIII. Mem. p. 155. d) Suppl. II. tab. IV. n. 19.

Typi illustriores:

Apollo stolatus stans d. plectrum, s. lyram.

Typus hic est frequens, et videtur hoc numen apud Hierapolitas fuisse praecipuum, nam in numo concordiae cum Aphrodisiade Cariae, et Epheso hic Apollo pro Hierapoli proponitur.

Templum elegans, in cujus aditu Hercules d. clavam, s. hastam, Caracallae. (Pellerin Suppl. I. p. 37.)

Amazon eques, M. Aurelii. (Vaill.)

* * *

Magistratus sine mentione dignitatis frequenter in numis primorum Caesarum. In numo Augusti: ΜΕΝΙΣΚΟΣ. ΔΙΦΙΛΙ. Τ. ΤΟ. Γ. Pellerinius το Τ. explet Τιος. Singularis numulus apud Seguinum a): ΦΑΒΙΟΣ. Ο. ΜΑΞΙΜΟΣ. *Caput Augusti nudum.* ℞ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΤΡΥΦΩΝ. *sine typo.* Lectio anticae mihi oppido suspecta, idque eo magis, quod aliud non habemus in moneta Hierapolitarum exemplum inscripti in utraque superficie magistratus.

M. Suillii frequens mentio fit in hujus urbis numis, quos juvat, ut descriptos reperi, proponere:

Μ. ΣΥΙΛΛΙΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ. *Apollo stolatus stans*, Tiberii. (Vaill.)

Μ. ΣΥΙΛΛΙΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟ - ΙΕΡΑΠΟ - - *Typus idem*, Claudii. (Seguin p. 101. Morellius in Suilla.) Vaillantius in Fam. Suillia in eodem numo legit integrum ΑΝΤΙΟΧΟΣ.

Μ. ΣΥΙΛΛΙΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Caput Agrippinae jun. sub specie Bacchae.* ℞ ΑΓΡΙΠΠΙΝΗ. ΣΕΒ. *Templum 6 columnarum.* Sic Vaillantius in Suillia numum hunc velut integerrimum proponit, at Seguinus et Morellius tanquam multum mancum spectata epigraphe. (ll. cc.)

ΣΥΙΛΛΙΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ. *Bipennis serpente circumdata*, in numo Neronis adhuc Caesaris. (Pellerin.)

Observo ante omnia ad numum I., deceptum videri Vaillantium, cum Tiberium nobis pro Claudio daret, nam spectatis reliquis omnibus simillimus est sequenti, quem ipse Vaillantius subinde, agnito haud dubie errore, cum capite Claudii stitit b). Omnes ergo hi numi flati sunt imperante Claudio, ipse etiam postremus, quia Neronem nondum Augustum offert. Antiquarii omnes hunc M. Suillium genti Suilliae, de qua Tacitus circa hoc aevum meminit, inserunt, variant tamen in definiendo, quem ex pluribus Suilliis numi hi nobis indicent. Havercampus putat esse M. Suillium Nervilianum, qui consul fuit V. C. 803., qui adeo postea in Asiam proconsule missus videtur, ut numi eo judice docent. Recte haec quidem, verum cum ex fastis constet, ei M. Suillio fuisse cognomen Nerviliani, (melius Nerulini, ut docui in numis Smyrnae) cur in numo dicitur ΑΝΤΙΟΧΟΣ? An non satis constat, jam hac aetate Graecos passim Romana sibi nomina indidisse? quod ipsum Smyrnaeis exprobrasse Apollonium Tyanensem testatur Philostratus c). Quod si dicatur, το Μ. ΣΥΙΛΛΙΟΣ indicare proconsulem, et ΑΝΤΙΟΧΟΣ magistratum Hierapolita-

a) Pag 99. b) in Fam. Suill. c) in ejus Vita L. IV. c. 5.

rum, (nam habemus exempla, in numis v. g. Smyrnae, conjuncti utriusque magistratus) cur in numo IV. dicitur ΣΤΙΛΛΙΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ.? quae utique formula indicat, Suillium fuisse Antiochi filium, ut in numis Augusti ejusdem Hierapolis apud Pellerinium: ΑΚΡΙΤΑΣ. ΔΙΟΤΡΕΦΟΥ., et apertius in altero: ΜΕΝΙΣΚΟΣ. ΔΙΦΙΛΙ. Υ. nempe Υιος. Quod si vera est inscriptio ΣΤΙΛΛΙΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. a Pellerinio ex numo Neronis promulgata, ea inscriptionem ΑΝΤΙΟΧΟΣ, quam priores antiquarii ex aliis numis afferunt, suspectam omnino facit, atque dubium, an hic Suillius ad gentem R. pertineat, multum promovet, quod curatius expendant ii, qui ad dictos numos Lutetiae adsident. Certe numos II. et III. admodum esse vitiatos, satis ostendunt iconismi apud Seguinum et Morellium propositi.

Praetorem evincit Vaillantius ex numo Plautillae inscripto: ЄΠ. CΤΡ. ΑΥΡ. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ. Eum citat ex Patino, sed in cujus opere is non exstat. Est tamen apud Tristanum [a]). Erudite hic conjecit quidem, laudatum in numo Antipatrum esse eundem, qui patria Hierapolitanus Caracallae et Getae pueritiam prudenter rexit, et consularibus honoribus ornatus in patria tandem consenuit, ut refert Philostratus [b]), verum cum hic numus a nemine alio citetur, et in tot hujus urbis numis nunquam praetor prodatur, suspicari licet, epigraphen a Tristano male exceptam.

* * *

Neocoratus in binis tantum Caracallae numis notatur apud Pellerinium [c]). In autonomis frequentius ejus fit mentio.

* * *

Concordia frequenter occurrit, quo uno confirmatur, quod testatur Philostratus, fuisse Hierapolin unam ex iis urbibus, quae in Asia maxime floruere.

Cum *Ceretape* Phrygiae: ΙЄΡΑΠΟΛΙΤΩΝ. ΚЄΡЄΤΑΠЄΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Hercules d. clavae innixus, s. leonis spolia*, Commodi. (Vaill.) Vnicum numen proponitur, credo, quia idem Hercules in utraque urbe insigniter fuit cultus, ut docent numi.

Cum *Synnadis* Phrygiae. Vide horum numos.

Cum *Aphrodisiade* Cariae, quam vide.

Cum *Smyrna*, *Epheso*, *Sardibus*.

* * *

Ludi ΠΥΘΙΑ *intra coronam*. Elagabali. (Vaill.) ΑΚΤΙΑ. in autonomo.

AE. R.

HYRGALEA.

Hujus urbis in nullius aevi monumentis, praeterquam numis, fit mentio. Numi duo hactenus proditi, quorum fabrica, inscriptio, et typi conjicere jure faciunt, eos ad Phrygiae aliquam urbem pertinere. Belleyus, qui de iis singularem dissertationem contexuit [d]), suspicatur, esse eam urbem, quae Hierocli corrupte, ut censet, Αυραχλεια dicitur.

Autonomus:

ΙЄΡΑ. ΒΟΥΛΗ. *Caput muliebre ve-*

a) T. II. p. 255. b) de vit. Soph. c) Supp. I. p. 37. le Blond p. 44. d) B. L. T. XXXV. p. 640.

latum. ✗ ΤΡΓΑΛΕΩΝ. *Fluvius decumbens, infra* ΤΞΕ. AE. II. (Pembrock.)

AE. RRRR.

Imperatorius:

ΕΠΙ. ΙΟΤΛΙΟΤ. ΑΔΡΑΣΤΟΤ. ΑΡΧΟ. ΤΡΓΑΛΛΑΙΩΝ. *Cybele sedens,* Domnae. (Haym.)

Epochae annus 365 in uno tantum numo, eoque autonomo reperitur, quare fieri non potest, ut ejus principium tuto possit stabiliri. Belleyus censet fuisse idem Hyrgaleae epochae principium, quod Laodiceae Phrygiae, quam adi.

AE. RRRR.

IVLIA.

Iulienses nominat Plinius in conventu Cibyratico. (L. V. §. 29.)

Imperatorii

Ab Agrippina jun. usque ad Corn. Superam, cujus numum vide mox in *Magistratu.*

Epigraphe: ΙΟΤΛΙΕΩΝ.

Typi: *Mensis, Cybele, tres Gratiae etc.*

Neptunus stans d. delphinum, s. tridentem, M. Aurelii. (Mus. Caes.)

Pellerinius hunc numum, quoniam typum urbis maritimae offert, Iulin insulae Ceae vocandum censet [a]), verum, ut iam alias ex Strabone docui, Neptunus a Phrygibus, etsi mediterraneis, magnis fuit mactatus honoribus, nimirum ad avertendos terrae motus.

ΔΙΑ. ΙΔΑΙΟΝ. ΙΟΤΛΙΕΩΝ. *Iuppiter sedens d. hastam, s. Victoriolam,* Faustinae jun. (Pellerin.)

ΑΤΤΑΛΟΣ. ΙΟΤΛΙΕΤΣΙΝ. ΑΝΕΘΗΚΕ. *Aurelius et Verus stantes jungunt dexteras,* M. Aurelii max. mod. (Theupoli.)

Videtur hic Attalus esse idem cum illo, qui item inscribitur numis Laodiceae.

Magistratus: ΣΕΡΓΙΟΣ. ΗΦΑΙΣΤΙΩΝ. sine mentione dignitatis, in numo Neronis. (Arigoni.)

Archon: ΑΡΧ. ΤΟ. Β. ΦΙΛΟΤΕΙΜΟ. ΙΟΤΛΙΕΩΝ. *Cybele sedens,* in cujus antica est caput rarissimae *Corn. Superae* cum epigraphe: ΓΑΙ. ΚΟΡ. ΣΟΤΠΕΡΗΝ. ΣΕ. Ita Pellerinius ex numo suo integerrimo [b]), qui et Vaillantium corrigit in eo describendo aberrantem.

Concordia cum Ancyra Phrygiae ex numo ΙΟΤΛΙΕΩΝ. ΑΝΚΤΡΑΝΩΝ. a nonnullis, sed minus tuto, stabilita. Vide, quae monuimus in Ancyra Phrygiae.

AE. RR.

LAODICEA.

Ad Lycum fl. variis temporibus jam Phrygiae, jam Cariae accensebatur. De hujus urbis numis ac fortuna aliquando prolixe disserui in meis Numis vet. [c]) quorsum lectorem saepe remittam.

Autonomi:

ΔΗΜΟΣ. *Caput juvenile laur.* ✗

a) Rec. III. p. 49. b) Mel. II. p. 231. c) pag. 250.

ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. *Iuppiter togatus stans s. infantem tenet, dexteram ad capram adstantem extendit.* AE. III.

Numum hunc edidi ex museo M. Ducis, dixique, infantem esse Bacchum, quem Iuppiter et genuit, et quin conciperet, peperit quoque, per capram autem προληπτικως notari metamorphosin, qua in istud animal infantem prae Iunonis metu mutavit. Vide hae uberius explicata [a])

* * *

ΔΗΜΟΣ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Caput virile imberbe laur.* ✕ ΙΟΥΛΙΟΣ. ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ. *Iuppiter togatus stans d. aquilam.* AE. II. (Mus. Caes.)

ΒΟΥΛΗ. ΔΗΜ. *Capita Senatus et Populi.* ✕ *Eadem aversa.* AE. (Haym. T. II. tab. 26.)

Numum priorem olim vulgavi [b]). Quis fuerit hic *Iulius Andronicus*, et cur dictus Ευεργετης, *beneficus*, non reperi. Nonnullos Syriae et Aegypti reges dictos Evergetas, novimus. Sed et privatis, et quidem antiquitus etiam, idem a civitatibus delatum elogium, ex Lysia discimus [c]). Vide, quae de hoc titulo plura eodem loco observavi. Haymius in numo suo perperam capita Liviae et Augusti vidit. De Iove cum hoc cultu vere Laodicensi agam in imperatoriis.

* * *

ΕΠΙΓ. ΑΠΟΚΡΑ. *Caput Iovis.* ✕ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΦΟΡ. *Bacchus stans.* AE. III. (Pellerin.)

Additum ΦΟΡ. molestum est. Tenuiter suspicatur Pellerinius, explendum legendo ΦΟΡος, quia ex Cicerone constat, saepe *forum*, vel conventum Laodiceae actum. Istud an verisimile?

* * *

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Caput Mensis.* ✕ ΚΡΟΛΙΝΗ. (Κ et Ρ colligatis) ΛΣ. *Aquila stans.* AE. III. (Pellerin.)

Mira aversae epigraphe, si modo rite proposita. De literis ΛΣ. vide infra in *Epocha*.

* * *

De *Cistophoris* hujus urbis agetur in tractatu de his.

* * *

Magistratus describentur in imperatoriis.

AR. Cistophori RRR. AE. RR.

Imperatorii:

Cogniti sunt ab Augusto usque ad Philippum jun.

Typi illustriores:

Iuppiter togatus stans d. aquilam, s. hastam.

Vaillantius cum juxta hunc Iovem in numo Augusti scriptum legeret ΖΕΥΣ. ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ., inde nobis novum, et hactenus inauditum *Iovem veritatis amicum* promulgavit, fluxitque eo praecone error per omnes deinceps antiquarios. Ejus lectionis primus, quod sciam, dubium movit egregius Wisius Anglus, qui in suo numo legit ΖΕΥΞΙΣ. ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ., non tamen ausus est Vaillantianum hunc Iovem penitus longaeva sua statione deturbare [d]). Audacior Pellerinius ipsam Vaillantii in numo Augusteo lectionem adortus eam erroris arguit, docuitque legendum: ΞΕΥΞΙΣ

a) Num. vet. p. 249. b) Sylloge I. p. 52. c) ὑπερ Πολυϛρατȣ. d) Mus. Bodl. p. 150.

(lege ΖΕΥΞΙΣ.) ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ. [a]) quod subinde eruditus ejus assecla Blondius invictis argumentis confirmavit [b]). Epigraphen ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ nullo pacto ad Iovem pertinere arguit ejusdem Augusti numus a Wisio citatus, in quo pro Iove proponitur baculus Aesculapii [c]). Qui fuerint *Zeuxis* et *Philalethes*, infra in Magistratibus docebitur. Ceterum Iuppiter hoc habitu haud dubie princeps fuit Laodicenorum numen, nam non solum in Laodiceae numis obvius est, sed etiam in numis concordiae Laodiceam constanter sic indicat, ut Diana Ephesia Ephesum, sic ut Iuppiter hac forma tuto Laodicenus pro Philaletha dici possit. Fuere Laodicenses in Iovem suum grati, cujus monitu Antiochus II. Syriae rex eorum urbem aedificavit, eamque a sororis et conjugis nomine Laodiceam appellavit, ut refert Stephanus. Ejus religio Cariam, Lydiam, Phrygiam late pervasit, nam in harum regionum moneta frequens typus est Laodicensis hic Iuppiter.

* * *

Mulier s. infantem tenens, d. elata, sinuato circum peplo; armati tres Corybantes in orbem saltant, in area aquila, humi duo fluvii jacentes, pone Fortuna stans, Caracallae. (Patin Thes. Mauroceni.)

Iovem a matre Rhea Saturni furori subtractum, et inter Corybantum armatorum tripudia educatum praeter alios copiose perhibet Callimachus in hymno in Iovem, et Spanhemius in hunc commentatus. Sed et Bacchum recens natum a Iove traditum Rheae, et ab hac inter Corybantum choreas gladiis scutisque perstrepentium fuisse enutritum, late describunt Nonnus [d]), et Clemens Alexandrinus [e]). Difficile ergo erit inter utrumque deum criterium, nisi adjunctum aliquid causam juvet; nam simile argumentum offerunt etiam numi Apameae Phrygiae, et Seleuciae Syriae. In praesente dubitari nequit proponi Iovem infantem propter adstitutam ejus aquilam, quae avis jam tum apud Iovem suas partes egit; nam ab ea deum infantem raptum, et ad latebras Cretenses perlatum, cum a Saturno ubique quaereretur, refert Servius [f]). Aliam famam videtur secutus auctor librorum Sibyllinorum, secundum quem Iuppiter natus commissus est tribus Cretensibus in Phrygia educandus [g]). Vnde Phrygiae urbi jus in hunc typum.

* * *

ΦΡΥΓΙΑ. *Mulier tutulata stans s. duo sigilla tenet, ei adversa stat* ΚΑΡΙΑ *specie mulieris tutulatae d. demissa spicas, s. cornucopiae tenentis, in utriusque medio sedet mulier capite turrito d. tenens Victoriolam, ut videtur, s. cornucopiae, infra eam scriptum* ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. *supra* ϯΠΗ. in numo Caracallae max. mod. (Mus. Caes. Pembrock P. III. tab. 101.)

Eundem hunc numum sic ex museo Christinae describit Vaillantius [h]): ΙΟΥΛΙЄΩΝ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. ΠΡ. CΥΡΙΑC. ΟΜΟΝΟΙΑ. eumque adeo Laodiceae Syriae tribuit. Pro-

---

a) Mel. II. p. 13. b) pag. 56. c) l. c. d) Dionys. L. IX. v. 160. seq. e) Protrept. p. 15. ed. Oxon. f) ad Aen. I. 394. g) L. III. h) Num. Graec. p. 103.

lixe egi in meisNumis vet. [a]) in numo hoc cetera antiquo a recentiore manu depravatam epigraphen, ut ipse Romae vidi. Quod genius Laodiceae medius sedet inter genios Phrygiae, et Cariae, in causa esse dixi eodem opere [b]), quod in utriusque regionis finibus posita esset, sic ut saepe dubitaretur, ad utram pertineret. De literis ΤΠΗ. agetur infra in *Epocha*.

* * *

Magistratus: in numis autonomis, deinde primorum imperatorum notantur nulla dignitatis mentione, serius occurrunt scribae, praetores, Asiarchae, sophistae, et secundum aliquos etiam summus sacerdos, et poliarchus, ut dicetur. Numos his insignes describam secundum temporis progressum adjectis, ubi res postulabit, animadversionibus.

ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ. ΔΑΜΟΚΡΑΤΟΥ. cum nomine Lentuli procos. in Cistoph. (Pellerin.) ΖΕΥΞΙΣ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ. ΤΟΥ. ΑΜΥΝΤΟΥ. in Cistoph. (Pellerin.) ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ. ΔΑΜΟΚΡΑΤΟΥ. ΖΩΣΙΜΟΣ. cum nomine Ap. Pulchri procos. in Cistoph. [c]) ΛΑΒΑΣ. ΠΥΡΡΟΥ. cum nomine M. Tullii procos. in Cistoph. [d]).

* * *

ΖΕΥΞΙΣ. *Iuppiter Laodicenus*, Augusti. (Wise p. 150.)

ΖΕΥΞΙΣ. ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ. *Baculus Aesculapii*, Augusti. (Ibid.)

ΖΕΥΞΙΣ. ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ. *Iuppiter Laodicenus*, Augusti. (Mus. Caes.)

Perperam Pellerinius in simili legit ΖΕΥΞΙΣ pro ΖΕΥΞΙΣ. [e]) nam hac aetate scribebatur Ζ pro *Z*, et in Cistophoro mox citato Pellerinius ipse legit ΖΕΥΞΙΣ. Hic Zeuxis, sociusque Philalethes a Strabone illustratur. Narrat hic: prope hanc Laodiceam medicorum ludum magnum Herophileum praeside Zeuxide, et postea Alexandro Philalethe imperante Augusto exstitisse ad exemplum ludi Erasistratei, qui fuit Smyrnae. Ambos his numis inscriptos esse eosdem, quos nominat Strabo, dubitari vix potest, non modo quia nomina, sed quia et tempora conspirant, nam horum plerique caput Augusti offerunt. Confirmat etiam istud numus alter, in quo praeter utriusque nomen baculus Aesculapii proponitur. Non tamen medici in moneta signati sunt, quia medici fuere, sed quia una cum artis suae exercitio etiam magistratu in urbe functi sunt. Hoc argumentum uberius olim tractavi in meis Numis vet. [f]) et supra in numis Smyrnae, ac praeterea Blondius [g]), et Wisius [h]).

* * *

ΠΥΘΗΣ. ΠΥΘΟΥ. ΤΟ. ΔΕΥΤΕΡΟΝ. in numo Augusti. (Haym. T. II. tab. 25.) ΠΥΘΗΣ. ΠΥΘΟΥ. est etiam in autonomo apud Hunterum.

* * *

ΠΟΛΕΜΩΝ. ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΣ. in numis Augusti. Sic legendum docet Pellerinius [i]) pro ΦΙΛΟΠΑΤΗΡ., ut est apud Vaillantium et Morellium, et pro ΦΙΛΟΚΡΑΤΩΡ., ut legit Harduinus.

---

a) p. 285. b) p. 252. c) Seguin p. 80. d) Seguin p. 82. e) Mel. II. p. 13. f) p. 253. g) Observat. p. 56. h) Mus. Bodl. p. 145. i) Mel. II. p. 13.

ΠΟΛΕΜΩΝΟC. ΤΟΥ. ΖΗΝΩΝΟC. Claudii. (Pellerin.)

ΕΤ. ΙΓ. ΖΗΝΩΝΟΣ. ΠΟΛΙ. ΤΟ. Δ. Neronis. (Vaillant.)

Epigraphen hanc suspectam jure vocat Pellerinius. Censet legendum, ut in praecedente: ΠΟΛΕΜΩΝΟC. ΤΟΥ. ΖΗΝΩΝΟC a). Esse suspectam facile consentio, verum an continuo altera lectio valere debeat, dubito, nam neque epigraphes vocabula satis commode possunt compōni, et uterque numus est diversi imperatoris, insuper in Vaillantiano το ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ est in antica, in Pelleriniano in aversa. Literas ΠΟΛΙ Vaillantius legit πολιαρχος, *praefectus urbis*. Si Poliarchorum saepius, et in aliis quoque numis mentio fieret, posset haec Vaillantii conjectura videri probabilis. Verum frustra in istud inquirimus, cum, ut dixi, tota lectio sit suspecta.

ΖΗΝΩΝΟΣ. ΖΗΝΩΝ. ΥΙΟΣ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Duae mulieres stantes cum hastis et dexteram jungentes, inter quas a summo deorsum scriptum:* ΟΜΗΡΟΣ. in numo Neronis. (Haym. T. II. p. m. 237.)

Numum hunc integerrimum vocat Haymius, at si typum faciunt duae mulieres, quid ad has facit Homerus? Credo saltem ab hac parte numum Haymianum aliquid passum, nam similis alter apud Morellium, etsi multum attrita inscriptione, figuram a dexteris stantem offert virilem, ac liberaliter barbatam b). Quis sit sensus trium praecedentium vocabulorum, quem insolita haec et adversa Graecae linguae metathesis turbat, decidere non ausim. Si statuamus, intercedere lapsum monetarii, et το ΖΗΝΩΝ praeponendum, sensus est facilis, ac tum forte το ΥΙΟΣ refertur ad sequentes binas urbes, sic ut hic Zeno dicatur filius Laodicensium et Smyrnaeorum, illorum natura (nam Zenones complures apud Laodicenos cum in numis, tum scriptoribus memorantur) horum adoptione. Hac ratione jactasse duas patrias etiam Attalum, nimirum has ipsas quoque, Laodiceam et Smyrnam, infra videbimus, et vidimus supra in numis Cotiaei, Varum dici υιον πολεως.

Memorantur in his numis Zenones et Polemones. Horum nomina apud Laodiceam inclyta. Zeno rhetor insignis IIIvirorum aetate; ejus filius Polemo M. Antonii beneficio Ponti rex, ac forte ex eadem stirpe fuit Polemo sophista apud Trajanum, Hadrianum, Antoninum gratiosus, cujus filius Attalus, ut videbimus, frequens est in Laodiceae numis. Eam Zenonum et Polemonum stirpem prolixius per tenuem conjecturam deduxi in meis Numis. vet. p. 256. Zeno medicus Herophileus laudatur etiam a Diogene Laertio c).

* * *

ΙΟΥΛΙΟΥ. ΠΟΣΤΑΜΟΥ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. Β. in numo Neronis.

Sic legendam epigraphen docet Pellerinius d) contra Vaillantium, qui in simili legit ΓΑΙΟΣ. ΠΟΣΤΥΜΙΟΣ. ΛΑΟΛΙΚΕΙΑΣ. Β. Tamen in simili Morellius legit: ΓΑΙΟΣ. ΠΟΣΤΟΥΜ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. Β. e).

a) Mel. II. p. 35. b) in Nerone tab. XIII. n. 19. c) L. VII. §. 35. d) Mel. II. p. 35. e) Num. Neron. tab. 13. n. 4.

*
* *

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΔΙΑ. Κ. ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΟΥ. *Iuppiter Laodicenus stans*, Domitiae, (Haym.) at in simillimo alio: ΔΙΑ. ΚΟ. (utraque hac litera colligata) ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΟΥ. (Mus. Caes.)

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΔΙΑ. ΚΟ. ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΟ. *Templum* 6. *columnarum*, Domitiae. (Haym.)

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΔΙΑ. R. ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΟΥ. *Templum* 4. *columnarum*, Domitiae. (Mus. Caes.)

Haymius *το* ΔΙΑ. in his numis esse praepositionem recte judicavit, nam sic etiam Attudenses et Cidraenni Phrygiae magistratus suos inscripsere, etsi is eo peccet, quod literas Κ. vel ΚΟ. legat ΚΟσμȣ, qui fuit Cretensium magistratus [a]). Rhellius in subjecta nota verius censet, *το* ΚΟ. esse pro ΚΟιντος, sed *το* ΔΙΑ. putat indicare *Iovem* Laodicensium, quod post citata mox Phrygiae urbium exempla nemo jam credit. Spanhemius in numo simili legit ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΑ pro solito ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΟΥ, qua is lectione deceptus celebrata Laodicenis Dioscuria perperam adseruit [b]). Est ergo Dioscurides magistratus Laodiceae, et monogramma R, vel melius ΚΟΡ. literis nexis, ut est in integerrimo musei Caesarei, resolvendum perinde in literas ΚΟΡ, atque illud sic resolvi debet in obviis numis Corcyrae, et, quod sequitur, habemus ex his numis *Cornelium Dioscuridem.*

*
* *

ΑΓΡΙΠΠΙΝΟΣ. ΓΡΑΜ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *variis typis*, in numis compluribus Hadriani et Sabinae. (Vaill.)

ΑΓΡΙΠΠΙΝΟΣ, ΣΤΡΑΤΗΓΩΝ. ΑΝΕΘΗΚΕ. Hadriani, (Mus. Caes.) Sabinae. (Pellerin, Pisani.)

In unis his numis Agrippinus dicitur praetor, cum in aliis dicatur scriba. Quae fuerit hujus variationis causa, difficile est conjicere. Vide de hoc argumento tractatum de Praetorib. et Scribis Vol. IV. Praetorem mox infra habebimus M. Aurelium Garum, sed cum is numus indicet concordiam cum Epheso, definiri tuto nequit, utrius urbis praetor is fuerit. Alii numi praetorem non memorant. Habemus apud Gruterum marmor positum L. Antonio ΛΑΟΔΙΚΕΙ. ΤΗΣ. ΑΣΙΑΣ. ΣΤΡΑΤΗΓΩ. etc.

*
* *

Π. ΚΛ. ΑΤΤΑΛΟΣ. ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Iuppiter Laodicenus*, Aurelii. (Vaill.)

ΙΕΡΑ. ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ. *Caput nudum Senatus.* ℞ ΑΤΤΑΛΟΣ. ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ. ΑΝΕΘΗΚΕ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Nemesis alata cubitum ostentat.* AE. m. m. (Mus. Pisani tab. III.)

ΑΤΤΑΛΟΣ. ΣΟΦΙΣΤΗΣ. ΤΑΙΣ. ΠΑΤΡΙΣΙ. ΣΜΥΡ. ΛΑΟ. *Typi varii, semper utriusqae urbis, Smyrnae et Laodiceae, numina sistentes*, Aurelii. (Vaill. in num. Aurelii sub *Smyrna.*)

Fuit hic. P. Claudius Attalus famigerati Polemonis, atque item sophistae filius [d]). Cum Polemoni patria fuerit Laodicea, fuit illa et filio Attalo, at cum constet, Polemoni non modo ma-

---

a) Tom II. p. m. 259. b) ad Callim. in Pallad. v. 24. c) p. 522. 1. d) Philostr. in vita Hermocratis.

gnam fuisse cum Smyrnaeis amicitiam, sed etiam multis hos beneficiis ab eo auctos, de quo multa olim scripseram [a]), factum, ut pater filiusque a gratis Smyrnaeis adoptarentur, duasque adeo Attalus in numis suis jactaret patrias, Smyrnam et Laodiceam. Duplicem patriae rationem jam tradidit Cicero [b]): *Omnibus municipibus duas censeo esse patrias, unam naturae, alteram civitatis, ut ille Cato, cum esset Tusculi natus, in populi R. civitatem susceptus est. Itaque cum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris.* Ergo et Phormis Maenali Arcadiae natus, sed in Siciliam transgressus, auctusque ibi opibus, Olympicis suis donis inscripsit: Φορμις ἀνεθηκεν Αρκας Μαιναλιος, νυν δε Συρακȣσιος. *Phormis dedicavit Arcas Maenalius, nunc vero Syracusanus* [c]). In marmore Graeco dicitur ЄΠΑΦΡΑC. ΚΡΗC. ΠΟΛΥΡΗΝΙΟC. Ο ΚΑΙ. ΚΙCΑΜΙΟC [d]). Fuere autem Polyrhenium et Cisamus Cretae urbes. At enim adoptiones hae, et delata civitatis jura honoraria plerumque fuerunt. In numis Maeoniae Lydiae vidimus nomen archontis: ΑΠΦΙΑΝΟΥ. ΤΟΥ. ΚΑΙ. ΑΘΗΝΑΙΟΥ. Alii in multas numero patrias se divisere, ut Septimius quidam fuit Περγαμηνος, και Σμυρναιος, και Αθηναιος, και Εφεσιος. [e]) quin et M. Aur. Asclepiades dicitur Αλεξανδρευς, Ερμοπολειτης, Ποτιολανος, Νεαπολειτης, και Ηλειος, και Αθηναιος βȣλευτης, και ἀλλων πολεων πολλων πολιτης και βȣλευτης [f]). Fuit igitur varia naturae et juris patria, ut et parentes. In inscriptione Ancyrana, quam vulgavit Montfauconius [g]), dicitur Μητροδωρος Μενεμαχȣ φυσει Διρυλαȣ, quod non recte intellectum is sic vertit: *Metrodorus Menemachi natione Dorylai*, cum sit: *Metrodorus Menemachi* adoptione *filius, natura Dirylai.* Graeci utrumque modum vocabulis γενει et θεσει seu ποιησει distinxerunt. Sic in decreto Halicarnassensium apud Iosephum [h]): Επι ἱερεως Μεμνονος τȣ Ορεςειδȣ, κατα δε ποιησιν Ευωνυμȣ. *Sacerdote Memnone Orestidis Filio, adoptione Evonymi.*

Accedimus ad ЄΠΙΝΙΚΙΟΝ numorum II. et III. Totam eorum epigraphen sic explicat Vaillantius: *P. Claudius Attalus pro victoria epulum posuit.* At Harduinus: *statuam pro Victoria posuit.* Prior sententia nulla certa ratione nititur, et forte suam quoque inhibuisset Harduinus, si vidisset laudatum autonomum typo Nemesis, aut coactus fuisset, duplicem pro una statuam ab Attalo positam adserere. Quale fuerit istud ἐπινικιον, quod causa victoriae dedicavit Attalus, ignoramus sane, etsi certum sit, illud constitutum propter victorias a L. Vero in oriente relatas; nam harum causa multa in Graeciae urbibus celebrata festa comprobant copiosi numi tum signati cum epigraphe ΥΠЄΡ. ΝΙΚΗC. ΡΩΜΑΙΩΝ., de quibus agam latius in numis M. Aurelii. Diversis vero typis, uno Iovis Laodiceni, altero Nemesis, certo Smyrnaeorum numine, credo indicari, ab Attalo in utramque urbem ἐπινικιȣ hujus beneficium profectum, quem nimirum constat, ut pro-

a) Num. vet. p. 256 seq. b) de Legib. L. II. c. 2. c) Pausanias L. V. c. 27. d) Dorville Sicula p. 595. e) Marm. Oxon. VII. f) Gruter. p. 314. 1. g) Palaeogr. Graec. p. 154. h) Ant. L. XIV. c. X. §. 23.

xime diximus, tam Smyrnam, quam Laodiceam patriae instar habuisse. Verisimile videtur, vocabulo ЄΠΙΝΙΚΙΟΝ. notari ipsum istud *νομισμα* occasione victoriae a liberali Attalo erogatum. Nam si festum, aut ludi aut epulae notarentur, more recepto scriptum foret ЄΠΙΝΙΚΙΑ, ut istud revera scriptum habemus in numis Tarsi, aut, ut dixit Lucianus [a]), *ἑυωχεισθαι τα επινικια*, *victoriae convivium celebrare.* Sed vide etiam, quae de hoc in diatriba de numis cum formula ΑΝЄΘΗΚЄΝ, et in ludis *Epinicia* amplius dicemus.

* * *

Λ. ΑΙΛ. ΠΙΓΡΗϹ. ΑϹΙΑΡΧΗϹ. Γ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. in numo Caracallae.

Pellerinius numum hunc a cl. Boze editum, similesque alios admodum suspectos vocat [b]). Sed et alius ejusdem Caracallae est in museo Albani: ЄΠΙ. Λ. ΑΙΛ. ΠΙΓΡΗΤΟϹ. ΑϹΙΑΡ. *Processus Bacchi*, qui numus sane suspectus non videtur.

* * *

Λ. ΑΙΑΝ. ΓΩΤΑΜ. ΑΡΧ. ΜЄΓ. ΑΝЄΘΗΚЄΝ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. in numo Caracallae.

Suspectus item visus Pellerinio, qui et iconismum proposuit, quod exhibet aedificium apertum, multisque figuris ornatum [c]). Idem numus exhibetur etiam in Maffei Verona illustrata [d]).

* * *

ЄΠΙ. ϹΤΡ. Μ. ΑΥΡ. ΓΑΡΟΥ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. Κ. ЄΦЄϹΙΩΝ. Γ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. in numo Elagabali. (Vaill.)

Vide, quae de hoc numo supra in magistratu Agrippino diximus.

* * *

Neocoratus.

Ejus primum mentio in numis Caracallae et Domnae, et continuatur in pluribus sequentibus. In variis numis Caracallae et Maesae additur: ΔΟΓΜΑΤΙ. ϹΥΝΚΛΗΤΟΥ. (Vaillant, Pellerin, in meis Num. vet. p. 250.) quo indicatur, Laodicenos ex S. C. neocoratum adeptos. Vide, quae de hac formula ad neocoratum Smyrnae in hujus moneta notavimus. Singularis est numus Caracallae, quem laudat Vaillantius, et qui pictus exstat in numis max. mod. reg. Gall. tab. XIX., in cujus aversa: ΚΟΜΟΔΟΥ. ΚЄ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. ΔΟΓΜΑΤΙ. ϹΥΝΚΛΗΤΟΥ. Vaillantius vertit: *Commodo Caesare Antonino*, id est: *imperante.* Harduinus: *Commodi et Antonini.* Neuter, quis sit hic Commodus, edisserit. Abstineo in re incerta.

ЄΥΤΥΧЄΙϹ. ΚΑΙΡΟΙ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. *Quatuor pueri tempestates anni significantes*, Caracallae. (Vaill.)

Videtur typus adludere ad neocoratum a Caracalla concessum, aliaque beneficia ab eo impetrata. Sane complures numi maximae formae sub hoc imperatore signati sunt.

ΛΑΟΔ. ΠΡΩΤΩΝ. Γ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. in numo Caracallae, quem recitat Harduinus, sed et solus, in quo singularia sunt et ΠΡΩΤΩΝ. et Γ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ., unde suspectum Harduini testimonium.

a) In Πλοιῳ. b) Mel. I. p. 67. c) Mel. I. p. 69. d) pag. 235.

* * *

Ludi: ΠΥΘΙΑ. *Duae urnae.* Caracallae. (Mus. Flor. Vol. III. p. 50.)

* * *

Concordia cum variis provinciae Asiae urbibus, extra hanc cum Nicomedia, sed qui numi nihil observatu dignum suppeditant.

* * *

Mentio situs:

A fluviis *Lyco* et *Capro.* ΛΥΚΟC. ΚΑΠΡΟC. *Genius urbis sedet inter duos fluvios humi decumbentes,* Commodi. (Vaill.)

Plinius: *imposita est Lyco flumini, latera alluentibus Asopo et Capro.* In marmore bilingui apud Sponium [a]): O. ΔΗΜΟΣ. O. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΛΥΚΩ. POPVLVS. LAODICENSIS. A. F. LYCO.

A fluvio *Maeandro*, ut censet Cl. Blondius, de quo continuo judicabimus.

* * *

Epocha:

In compluribus numis Caracallae (unum Domnae addidit Sestinius) [b]) exstant literae ΤΠΗ cum variis typis apud Vaillantium, Pellerin, Theupoli, Wise, Patin Thes. Mauroc., Pembrock P. III. tab. 101., in museo Caesareo. Hactenus ab omnibus creditum, his literis notari epocham. Primus, qui dubium moveret, fuit Wisius, negans tuto posse adfirmari, iis designari epocham, nihil tamen decidit [c]). Hunc secutus eruditus Abbas Blondius epocham omnibus machinis impugnare coepit eo praecipue ex capite, quod in numo Pelleriniano, qui examinis sui causa fuit, scriptum reperit, non, ut in aliis ΤΠΗ., sed ΤΠΜ. Verius ergo dictae literae, ut ipse censet, hunc sensum faciunt: Των Προς Μαιανδρον [d]). Pellerinius, qui antea binis locis tuebatur, has literas aliud quam epocham notare non posse [e]), serius in Blondii sententiam ivit, aut potius novae hujus sententiae ipse auctor exstitit, ut colligitur ex ejus Additions pag. 77.

Has tamen literas significare non posse Των Προς Μαιανδρον, satis mihi videor probasse in meis numis vet. [f]). Nolo recoquere argumenta, quibus ibi usus fueram, et quibus in praesens nihil habeo, quod addam vel detraham. Verisimile etiam tum visum, iis revera notari epochae annum, in qua sententia nunc quoque sum, sic tamen, ut nolim pertinaciter ei inhaerere, aut arbitrari, eas literas alium sensum admittere non posse. Si igitur revera epocham notant, investigandum ejus principium. Eam Vaillantius fixit ad annum V. C. 565., cum quo sentit etiam Belleyus [g]). Sed variis ex causis ejus principium fluctuat inter 577. et 582., ac verisimilius est ipse annus 577. pro ejus exordio statuendus. Vide rationes a me alibi copiosius expositas [h]). Si literae ΛΣ, quae sunt in autonomo Pelleriniano, epochae quoque annum indicant, et ab eodem hic principio deducatur, aetas numi incidit in imperium Claudii.

Anni imperii: Hos puto notari in

a) Voyage T. III. p. 145. b) Lett. T. IV. p. 126. c) Mus. Bodl. p. 205. d) Observat. p. 45. e) Mel. II. p. 149. et 323. f) pag. 260. g) Mem. B. L. T. XXXV. p. 646. h) Num. vet. p. 261. seq.

binis Morellianis cum capite Neronis. In utriusque area est corona columellae imposita, intra unam scriptum B., intra alteram Z [a]).

AE. C.

LYSIAS.

Versus Cariam.

Autonomi:

ΒΟΥΛΗ. Ξ ΛΥCΙΑΔΕΩ. *Hecate triformis.* (Maffei Veron. ill. p. 235.) Vide et Harduinum et Musselium.

AE. RRR.

Imperatorii.

Gordiani tantum. ΛΥCΙΑΔΕΩΝ. *Mulier tutulata sedens d. pateram.* (Pellerin Rec. III. p. 251.) Alius citatus a Panelio ex Museo le Bret. (Mem. Trev.)

* * *

Alexander M. in numo concordiae cum Apollonia Cariae, quam vide.

AE. RRRR.

MANTALVS.

A Stephano prodita, cui numum *Hadriani* tribuit Frölichius [b]), inscriptum, ut rebatur, ΜΑΝΤΑΛΗΝΩΝ. Verum hunc numum esse Salae Phrygiae, in hujus urbis moneta docebimus. Alium *M. Aurelii* cum epigraphe ΜΑΝΤΑΛΗΝΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. et typo Atyos edidit Vaillantius, sed auctor ipse de fide hujus numi dubitat [c]).

METROPOLIS.

Phrygiae magnae.

Autonomi:

Sunt hi incerti, quia plures fuere hoc nomine urbes. Quem Pellerinius dedit cum capite Palladis et fulmine, vel eo ipso judice dubium est, an huc pertineat.

Imperatorii:

Plurimi citantur in catalogis a Nerone usque ad Saloninum, quorum alii nude inscribuntur ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, alii addunt: ΕΝ. ΙΩΝΙΑ. Vaillantius prioris generis omnes Metropoli Phrygiae tribuit, posterioris Metropoli Ioniae. Eandem sententiam videtur adoptasse Harduinus, atque alii antiquarii non repugnant. Numi, qui Ioniae mentionem faciunt, dubitare non sinunt, quorsum pertineant, at qui hanc omittunt, dubitandi jure locum praebent, an non eorum saltem complures Ionicae sint vindicandi, propterea quod eosdem omnino typos exhibent, qui sunt in certis Metropolis Ioniae, quod ipsum etiam Pellerinium ambiguum reddidit [d]). Vide, quae supra ad hanc Ioniae urbem observavi. Notandum, quod forte juvare poterit hos numos magis expendentem, in numis simplici ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. inscriptis frequenter legi magistratum, in alteris cum Ioniae mentione nunquam, quamvis etiam in illis typi sint in Ionica passim obvii.

---

a) In Neron. tab. XIII. n. 4. et Tab. XVII. n. 17. b) IV. p. 183. c) Num. Graec. p. 219. d) Mel. II. p. 55.

Exstat tamen unicus certus hujus Phrygiae Metropolis:

ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΦΡΥΓ. *Manipulus 5 spicarum*, in numo Hostiliani. (Pellerin Rec. III. p. 230.)

Magistratus praetor, in numis inscriptis ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ tantum, inde ab Alexandro usque ad Gallienum.

Ludi: ΚΑΙCΑΡΕΑ. CΕΒΑCΤΑ. *Vrna*, rursum in his tantum, cum capite Otaciliae, Valeriani, ejusque familiae. (Vaill.)

AE. RRRR, qui certo sint hujus Metropolis.

MIDAEVM.

In Phrygia Epicteto, quo loco Sex. Pompejus ab Octaviano victus jussu M. Antonii caesus est [a]). Ejus numorum pleniorem catalogum vide apud Sestinum [b]).

Imperatorii.

A Trajano usque ad Philippum jun., suntque apud Vaillantium, Pellerinium, in Mus. Caes.

Epigraphe: ΜΙΔΑΕΩΝ., sed in numo Trajani ΜΙΔΑΩΝ, (Pellerin Mel. I. p. 342.)

ΤΟΝ. ΚΤΙCΤΗΝ. ΜΙΔΑΕΩΝ. *Caput Midae barbatum pileo Phrygio tectum*, in numo Gordiani. (Pellerin Rois pag. III.)

Hujus Phrygiae regis caput est etiam in numis vicinorum Cadorum, et Prymnessi adscripto ΒΑCΙΛΕΥC. ΜΙΔΑC. Credidere ergo Midaenses, urbem suam a vetusto hoc rege et aedificatam, et denominatam. Connexum argumentum habent numi alii:

Midas stans cum pileo Phrygio: Caracallae. (Mus. Caes.) In alio, quem vidi: *Satyrus stans d. fistulam pastoritiam, s. pedum*, Caracallae. In alio: *Bacchus stans*, Philippi jun. (Mus. Caes.) Nimirum Midas Satyrum vel Silenum vino inebriatum cepit, eumque Baccho restituit, de quo vide numos Ancyrae Galatiae.

* * *

Hercules Telephum in ulnis gestans, pro pedibus cerva, Alexandri. (Pellerin.)

Similem typum profert Vaillantius in numo Domnae, sed pro Telepho Hylan, pro cerva canem putat. (de Camps.)

* * *

ΕΛΑΤΗΣ. ΜΙΔΑΩΝ. *Fluvius decumbens*, Trajani. (Pellerin Mel. I. p. 342.)

Elatis fluvii nullus veterum meminit. Quare conjicio, fuisse fontem solis Midaensibus honoratum, cetera ignobilem. Vide numos Phocaeae Ioniae. Notandum in hoc numo, in antica scribi Ε et C, at in aversa Ε et Σ.

* * *

Magistratus archon: ΕΠΙ. ΑΥΡ. ΔΙΟΝΥCΙΟΥ. ΠΡ. ΑΡΧ. ΜΙΔΑΕΩΝ., in area B, in numo Philippi. (Panel de numo Trebon.)

AE. RR.

MOCOCLIA.

Vaillantius et Harduinus Gordiani

---

a) Dio. b) Lettere T. III. p. 74.

numum afferunt: ΜΟΚΟΚΑΙΕΩΝ. typo *Cybeles.* Eum tribuunt Phrygiae urbi, quam Stephanus vocat Μοκκλη. Suspecta omnia.

NACOLEA.

In Phrygia Epicteto, ad quam urbem Procopius tyrannus a Valente oppressus est. Hujus quoque numorum catalogum habes apud Sestinum [a]).

Autonomi:

Caput Dianae. ✕ ΝΑΚΟΛΕΩΝ. *Apollo nudus stans cum plectro et lyra.* AE. III. (Pellerin.)

ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. *Diana stans telum e pharetra promit.* ✕ ΝΑΚΟΛΕΩΝ. *Apollo stans d. pateram, s. lyrae innixus.* AE. III. (Sestini l. c.)

AE. RRRR.

Imperatorii.

Domitiani et Gordiani apud Pellerinium [b]), Trajani apud Vaillantium, Caracallae in Theupoli, Getae in Museo Caes.

Epigraphe ΝΑΚΟΛΕΩΝ. *Typi* obvii.

Magistratus archon in numo Caracallae. (Theupoli.)

AE. RRR.

OTRVS.

Varie scripta a veteribus, versus lacum Ascanium, ut dicetur.

Imperatorii.

Horum quatuor editi, Domnae, Caracallae, Plautillae.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟϹ. ΑΝΕΘΗ. ΟΤΡΟΗΝΩΝ. *Pallas stans*, Domnae. (Pellerin Rec. III. p. 253.)

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟϹ. ΑϹΙΑΡΧΗϹ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. ΟΤΡΟΗΝΩΝ. *Aeneas parentem humero efferens comite Ascanio*, Caracallae. (Mus. Caes.) *Vir ex terra in navim prosiliens et respiciens d. protenta, s. hastam*, Getae. (Sestini Lettere p. 116.)

Strabo Otrum, vel ut ipse scribit, Otraeam supra Ascanium lacum in finibus Bithyniae locat. Videtur verisimile, Otroenos typum Ascanii legisse propter lacum cognominem, cui adsiti fuere, et cui forte ibi honores aliqui habiti sunt.

ΟΤΡΟΗΝΩΝ. *Ceres stans*, Plautillae. (Catal. d'Ennery.)

AE. RRR.

PELTAE.

Versus Apameam. Vrbis situm et monetam copiosius alibi descripsi. (Num. vet. p. 263.)

Autonomi:

ΒΟΥΛΗϹ. *Caput muliebre velatum.* ✕ ΠΕΛΤΗΝ - - ΜΑΚΕΔ. *Aquila stans.* AE. (Vidi Bononiae in mus. Rev. Abb. Trombellii.)

ΒΟΥΛΗ. ΠΕΛΤΗΝΩΝ. *Caput ve-*

---

a) Lettere T. III. p. 77.   b) Rec. III. p. 212.

latum. ✕ ΠΕΛΤΗΝΩΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. *Nemesis stans, pro pedibus rota.* (Pembrock.)

Harduinus in simili ex Nemesi Mercurium, ex rota cadum vini facit a).

AE. RRR.

Imperatorii:

ΠΕΛΤΗΝΩΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. - - - *Hercules leonem suffocans*, Antonini. AE. m. m.

Hunc numum olim edidi ex Museo M. Ducis. (l. c.)

ΠΕΛΤΗΝΩΝ. ΜΑΚ. ΑΡ - - ΦΑΤC-ΤΕΙΝΟΥ. *Imperator eques jaculum vibrat*, Alexandri. (Catal. d'Ennery.)

AE. RRRR.

PHILOMELIVM.

Phrygiae M. prope Pelten.

Autonomus:

Protome Victoriae. ✕ ΦΙΛΟΜΗΛ. ΣΚΥΘΙ. *Duplex cornucopiae mediis astris solis et lunae.* AE. II. (Pellerin.)

AE. RRRR.

Imperatorii:

Ab Augusto ad Decium. (Vaill. Pellerin, Mus. Caes. Arigoni, Panel de numo Treboniani.) Nonnulli insignes maximae formae sunt in museo Caesareo, quorum binos olim edidi. (Sylloge I. p. 52.)

Epigraphe: ΦΙΛΟΜΗΛΕΩΝ, rarius ΦΙΛΟΜΗΛΙΩΝ.

Typi obvii.

Magistratus inscribuntur plerumque, sed omissa dignitate, ut: ΕΠΙ. ΜΑΡΚΟΥ. ΝΕCΤΟΡΟC. Philippi sen. (Mus. Caes.)

Concordia: ΦΙΛΟΜΗΛΙΩΝ. ΑΔΡΙΑΝΩΝ. *Fortuna stans*, Domnae.

Pellerinius in hoc numo concordiam inter Philomelium, et Hadrianos Bithyniae videt. Verius credo, ΑΔΡΙΑΝΩΝ esse nomen honorificum in Hadriani gratiam adscitum, nam abest *το* ΟΜΟΝΟΙΑ, et typus est simplex.

Literae solitariae in numis Philippi et Decii. (Mus. Caes. Panel l. c.)

AE. RR.

PRYMNESSVS.

In Phrygia magna exigui nominis.

Autonomi:

ΒΟΥΛΗ. ✕ ΠΡΥΜΝΗCCΕΩΝ. *Mulier stans d. bilancem, s. spicas.* AE. (Mus. Caes. Pembrock.)

ΜΙΔΑC. ΒΑCΙΛΕΥC. *Caput Midae pileo Phrygio tectum.* ✕ - - - ΙΗCCΕΩΝ. *Idem typus.* AE.

Sponius, qui alterum hunc numum vulgavit, quo eum referret, anceps haesit b). Eundem numum restituens Gronovius in Thyessum Lydiae propendit c). Numi praecedentes suae eum patriae invicte vindicant. Crediderint ergo Prymnessenses, urbem suam a Mida conditam. Revera Strabo ad Sangarium fl. domicilia veterum Phrygum, Midae, Gordii, aliorumque constituit, sed quae ejus aetate pagi potius fuere d), inter quae haud

a) ad Plinium T. I. p. 276. b) Misc. p. 130. c) Thes. ant. Graec. T. I. lit. T. d) L. XII.

dubie memoranda Midaeum, Cadi, Prymnessus, quae, ut vidimus, Midae caput in numis proposuere.

Vide autonomos alios apud Arigonium, et in meis Numis vet [a]).

AE. RR.

Imperatorii:

Ab Augusto ad Gallienum. (Vaill. Haym, Pellerin, Arigoni.)

Epigraphe: ΠΡΥΜΝΗCCΕΩΝ.

Typi fere unici, ut in autonomis: *Mulier tutulata stans vel sedens d. bilancem, s. spicas.*

Magistratus notatur in numis Augusti et Neronis, sed sine mentione dignitatis. Singularis foret is, quem Haymius cum capite, ut censet, Tiberii protulit, in cujus aversa: ΥΠΑΤΟC. ΦΙΛΩΤΗC., verum ipse fatetur, *το* ΥΠΑΤΟC. dubiae esse lectionis [b]).

Huc etiam pertinet numus, in quo Vaillantius et Morellius perperam legerunt ΠΡΙΗΝΕΩΝ, ut dixi in Priene Ioniae.

AE. RR.

SALA.

Versus Lyciam, memorata Hierocli.

Autonomi:

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC X ΕΠΙ. ΔΗΜΑ. CΑΛΗΝΩΝ. *Mulier seminuda stans d. coronam, s. galeam, et simul columnae innixa.* AE. II. (Pellerin.)

Huic similem edidit Khellius, sed cum in aversa legeret: ΕΠΙ. ΔΑΜΑ. Γ. ΑΛΗΝΩΝ., eum Aliae Phrygiae tribuere non dubitavit [c]). Etsi Khellius numum suum integerrimum fateatur, tamen praeferenda videtur Pellerinii lectio, nam Alia constanter scripsit ΑΛΙΗΝΩΝ. Videtur ergo deceptus Khellius legendo Γ pro C.

Protome Palladis. X ΔΗΜΟC. CΑΛΗΝΕΙΤΩΝ. *Telesphorus stans.* AE. III. (Pellerin.)

Vide autonomos alios apud Pellerinium et Hunterum.

* * *

Magistratus omnibus inscribuntur omisso dignitatis titulo. Quare dubitem, an numus Pembrockii CΑΛΗΕΙΝΩΝ typo *bovis currentis*, qui et a solito gentili CΑΛΗΝΩΝ recedit, et magistratu caret, hujus sit urbis.

Sacerdos: ΕΠΙ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΙΕΡΕ. *Mercurius stans.* (Hunter.)

AE. RR.

Imperatorii:

Hadriani, Antonini, Aurelii, Severi. (Pellerin, Mus. Caes., B. L. Hist. T. XVIII. p. 227.) Numum Antinoi in hujus numis dabimus.

Epigraphe CΑΛΗΝΩΝ. *Typus* constans: Juppiter Laodicenus.

Magistratus in omnibus legitur, ut in autonomis, atque item sine dignitatis mentione.

a) P. 265. b) Tom. II. p. m. 227. c) Adpendic. II. p. 32.

* * *

Numi CAΛITΩN a Vaillantio vulgati hujus Salae non sunt, sed Elacae Aeolidis, ut in hac dictum.

In numo Hadriani cum eodem Iove Laodiceno perperam legit Frölichius MANTAΛHNΩN. a) in quo certum est CAΛHNΩN. Is numus nunc est in Caesareo.

AE. RRR.

SEBASTE.

Ab Hierocle et Notitiis in Phrygia Pacatiana constituitur. Sed verisimile est, non esse illam diversam a Sebaste Galatiae, in qua adeo quaere numos, qui praetensae huic Phrygiae Sebaste ab eruditis tribuuntur.

STECTORIVM.

Ejus mentio fit in Notitiis nomine Στεκτοϱιον, aut simili. Tamen ejus quoque meminere Pausanias et Ptolemaeus, sed nominibus luxatis. Ille b) 'ν ὁϱοις Φϱυγων ἐς Τεκτοϱηνων, pro quo reponendum: Στεκτοϱηνων. Ptolemaeus: Στεκστοϱιον, in aliis editionibus magis prave. Lectionem veram restituunt numi.

Autonomi:

ΙΕΡΑ. ΒΟΥΛΗ. ✕ CTEKTOPHNΩN. *Hygia.* AE. II. (Pellerin.)

ΔΗΜΟC. CTEKTOPHNΩN. *Fortuna stans.* AE. II. (Pembrock.)

AE. RRR.

Imperatorius.

ЄΠΙ. CTP. ΠΑΥΛΟΥ. CTHKTOPHNΩN. *Cervus*, Faustinae jun. (Vaill.)

AE. RRRR.

SYNAOS.

In Phrygia M. versus Mysiam.

Autonomi:

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. ✕ CΥΝΑЄΙΤΩΝ. *Aesculapius et Hygia stantes.* AE. II. (Pellerin.) In alio: *Duae Nemeses stantes.* AE. III. (Pembrock.)

AE. RRR.

Imperatorius.

Vnicus Neronis et Agrippinae, qui nunc est in Caesareo, editus a Frölichio ex museo Granelliano c): CΥΝΑЄΙΤΩΝ. *Hercules stans telum ex arcu evibrat.*

AE. RRRR.

SYNNADA.

In Phrygia M. Fuere Synnada, ut et vicinum Docimeum, marmore nobilitata, quod dictum fuit et Synnadicum, et Docimeum, numorum quoque typis confirmatum. Ejus excellentiam et naturam describit Statius d):

Sola cavo Phrygiae quam Synnados antro.
Ipse cruentavit maculis lucentibus Atys.

Adde ibidem L. II. carm. II. v. 87.

a) IV. Tent. p. 183. b) Phoc. p. 864. c) IV. Tent. p. 165. d) Silv. I. carm. V. v. 37.

Autonomi:

Caput muliebre turritum. ΣΥΝΝΑΔ. ΜΑΙΑΝΔΡ.

in alio: ΣΥΝΝ. ΑΔΜΗΤ. *Iuppiter stans cum fulmine et hasta.* AE. II. (Pellerin.)

Hos numos data opera sic descripsi, quia Pellerinius το ΜΗΤ. alterius numi explet: ΜΗΤροπολις, quod viro erudito mirum visum, cum non constet, Synnada fuisse metropolin. At mihi verisimilius videtur, alterum epigraphes versum constituere magistratum *Admetum*, ut eum constituit *Maeander* numi prioris.

* * *

CΥΝΝΑΔΕΩΝ *Caput barbatum nudum.* ✕ ΔΩΡΙΕΩΝ. ΙΩΝΩΝ. *Templum 2 col., intra quod lapis, ut videtur.* AE. (Tristan. T. II. p. 202. Arigoni.)

CΥΝΝΑΔΕΩΝ. *Caput simile.* ✕ ΙΩΝΩΝ. *Fortuna stans.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Sarapidis. ✕ ΣΥΝΝΑΔΕΩΝ. ΙΩΝΩΝ. *Mons.* AE. (Theupoli.)

ΒΟΥΛΗ. ✕ CΥΝΝΑΔΕΩΝ. ΔΩΡΙΕΩΝ. *Vir galeatus paludatus stans d. hastam, s. sigillum Palladis.* AE. (Haym.)

De epigraphe ΔΩΡΙΕΩΝ. ΙΩΝΩΝ. agam in imperatoriis. In numo vicini Docimei mons quoque aversae typum facit, quo vicinae lapicidinae indicantur, ut in moneta Docimei notavi.

* * *

CΥΝΝΑΔΕΩΝ. *Noctua amphorae insistens.* ✕ ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟ -- *Aquila.* AE. (Haym.)

Antica tota Attica est, nimirum Attici Iones, et hos sese professi sunt Synnadenses. Epigraphen aversae corrigendam censet Khellius in nota subjecta ex numo Augusti, in quo ΟΥΑΛΕΡΙΟC. ΑΝΘΥΠΑΤΟC. Aquila Iovem Pandemum respicit, de quo infra.

* * *

ΙΕΡΑΝ. CΥΝΚΛΗΤΟΝ. CΥΝΝΑΔΩΝ. *Caput muliebre laur.* ✕ ΔΗΜΟC. ΡΩΜΑΙΩΝ. *Mulier stolata.* (Holsten. ad Steph. p. 307.)

ΘΕΑ. ΡΩΜΗ. *Caput muliebre turritum.* ✕ CΥΝΝΑΔΕΩΝ. *Nemesis.* AE. (Mus. Caes.)

ΒΟΥΛΗ. — ΙΕΡΑ. ΒΟΥΛΗ. apud varios.

AE. RR.

Imperatorii.

Ab Augusto usque ad Gallienum.

Epigraphe: ΣΥΝΝΑΔΕΩΝ, etiam ΣΥΝΝΑΔΕΙΣ. In numo musei Caesarei est luculentum CΥΝΝΑΔΙC, ex quo apparet, hanc urbem in recto quoque dictam Συνναδις.

* * *

ΖΕΥΣ. ΠΑΝΔΗΜΟΣ. ΣΥΝΝΑΔΕΩΝ, vel: ΔΙΑ. ΠΑΝΔΗΜΟΝ. ΣΥΝΝΑΔΕΙΣ. *Iuppiter sedens, d. Victoriolam, s. hastam,* Domitiani et Nervae. (Vaill.)

Numi hi docent, Iovem a Synnadensibus cultum fuisse nomine ΠΑΝΔΗΜΟΥ. id est: παγκοινȣ, *omnibus communis.* Eodem nomine Venerem quoque Athenis fuisse ornatam constat. Vide de utroque Pandemo Spanhemium [a]).

a) Ad Caes. Iul. preuves p. 37.

* * *

ϹΤΝΝΑΔΕΩΝ. ΙΩΝΩΝ. typis variis, in pluribus autonomis, et adhuc in numo Gallieni musei Caesarei.

ϹΤΝΝΑΔΕΩΝ. ΔΩΡΙΕΩΝ. *Vir galeatus et paludatus stans d. hastam, s. sigillum Palladis*, in autonomo supra descripto.

ϹΤΝΝΑΔΕΩΝ. ΙΩΝΩΝ. ΔΩΡΙΕΩΝ. in autonomo citato, et in numo Aurelii. (Vaill.)

ϹΤΝΝΑΔΕΩΝ. *Mulier tutulata stans d. elata, s. sigillum forte Iovis, pro pedibus prora navis, juxta scriptum:* ΙΩΝΩΝ., *ex adverso vir galeatus et paludatus stans d. hastam, s. sigillum Palladis, juxta:* ΔΩΡΙΕΩΝ. in numo Macrini. (Mus. Christinae.)

Numi hi docent, quod reticuere scriptores, Synnadenses ex Ionibus et Doribus fuisse conflatos. Alia est sententia Vaillantii, qui, ubi postremum hunc numum describit, addit, hac epigraphe notari Synnadensium cum omnibus Ionum et Dorum urbibus societatem. Non attinet, ad istud refellendum citare tot numero urbes, quae originem suam, aut cohabitantem secum aliam gentem eodem, quo Synnadenses, modo, etiam in Phrygia manifestavere.

* * *

Magistratus, nonnunquam nudo ejus nomine.

Proconsul: ΟΤΑΛΕΡΙΟΣ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΣ. *Iuppiter Pandemus sedens*, Augusti. (Vaill.)

L. Valerium Messallam Asiae proconsulem sub Augusto memorat Pighius ad annum V. C. 762.

Prytanis: ЄΠΙ. ΠΡΤ. ΚΛΟΓΙЄ. ΑΤΤΑΛΟΤ. L. Veri. (Pellerin. Suppl. II. p. 73.) ЄΠΙ. Π. ΑΤΤΑΛΟΤ. L. Veri, in quo Harduinus *το* Π legit *Publio*, sed esse legendum *Prytanie*, docet praecedens.

* * *

Concordia: ΙЄΡΑΠΟΛЄΙΤΩΝ. ЄΤΝΝΑΔЄΩΝ. *Mulier turrita stans d. spicas, s. elata*, Elagabali.

Vaillantius in hoc numo concordiam cum Hierapoli Phrygiae, et his Synnadis videt, verum cum absit vox ΟΜΟΝΟΙΑ, et unicus tantum proponatur typus, conjicere licet, *το* Ιεϱαπολις esse epitheton Synnadorum, fors propter peculiarem cultum Iovis Pandemi. Quod si in hoc numo legitur ΙЄΡΟΠΟΛΙΤΩΝ, ut in altero simili musei Christinae ab Havercampo illustrati legitur a), dubium intenditur magis, nam ea Phrygiae urbs in numis vix unquam dicitur Hieropolis, sed Hierapolis.

* * *

Pellerinius in numo Neronis legit ΦΙΛΟΚ - - - ϹΤΝΝ - - unde conjicit, urbem dictam *Philoclaudiam* b), quod tamen ex inscriptione vitiata non tuto colligitur.

AE. RR.

THEMISONIVM.

Phrygiae M. prope Cibyra.

Autonomi:

Caput Sarapidis. ✠ ΘЄΜΙϹΩΝΙΩΝ.

---

a) Tab. XXXI. n. 1. b) Mel. II. p. 371.

Mercurius. AE. (Pellerin, Panel.) ΔΗΜΟϹ. (Harduin.)

AE. RRRR.

Imperatorii:

A Severo usque ad Philippum jun.

Epigraphe: ΘΕΜΙϹΩΝΙΩΝ, vel ΘΕΜΙϹΩΝΕΩΝ.

Typus plerumque: *Hercules*, *Castor cum equo*, *Mercurius in consortio stantes.* (Mus. Caes. Vaill. Pellerin.) Teste Pausania [a]) perhibuere Themisonenses, Gallis vicina infestantibus monitos sese ab Hercule, Mercurio, et Apolline, ut sese in antro, quod sibi indicaverant, cum uxore, liberisque occultarent, servatos eorum signa pro spelaei faucibus constituisse, ex qua hi causa dicti fuere Σπηλαῖται. Vides, testimonium istud cum horum aversa numorum praeclare convenire, dempto Apolline, pro quo Castorem habent.

AE. RRR.

TIBERIOPOLIS.

Phrygiae M., memorata a Ptolemaeo et Notitiis.

Autonomi:

ΔΗΜΟϹ. ✕ ΤΙΒΕΡΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Apollo nudus stans d. ramum, s. columnae innixus.* AE. II. (Pellerin.)

ΙΕΡΑ. ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ. ✕ ΤΙΒΕΡΙΟΠΟΛΙ. ΕΠΙ. ϹΩϹΘΕΝΟΥϹ. *Diana Ephesia.* AE. II. (Pellerin, Arigoni.)

ΙΕΡΑ. ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ. *Caput juvenile nudum.* ✕ ΓΕΡΟΥ. ΒΟΥΛ. *Figura velata et togata stans s. ramum, ex adverso mulier stans d. caduceum.* AE. II. (Pellerin.)

ΒΟΥΛΗ. ✕ *Iuppiter Laodicenus.* AE. (Mus. Caes.)

AE. RRR.

Imperatorii:

Trajani, Hadriani, Sabinae, Caracallae.

Typi obvii.

Magistratus: ΕΠΙ. Τ. ΑΙΛ. ϹΩϹΘΕΝΟ - - sine titulo, Hadriani. (Pellerin Rec. III. p. 213.)

AE. RRR.

TRAIANOPOLIS.

Hujus nominis urbem in Asia minore recenset Ptolemaeus, sed in Mysia constituit. Censet Cellarius, eam magis in ortum promovendam, sic ut in Phrygiam M. cadat, et *Tranupolin*, quae in Notitiis saepius legitur, esse contractum ex *Trajanopolis.*

Trajanopolis Thraciae justum habet numorum numerum, quos suo loco dedimus. At sunt numi aliquot, qui urbis hujus Europaeae esse non possunt, et in hunc tractum certe trajiciendi propter causas, quas in singulis dabimus.

Autonomi:

ΔΗΜΟϹ. *Caput laur.* ✕ ΤΡΑΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Mensis ad aram sacrificans.* AE. III. (Pembrock.)

Alius similis, sed: Cybele sedens.

---

a) L. X. c. 32.

AE. (Motraye Voyage T. II. tab. 7. Sestini Lettere T. IV. p. 96.)

Inscriptum ΔΗΜΟϹ. et typus dei Mensis numos similes a Trajanopoli Thraciae arcent, et Asiae haud dubie vindicant. Ergo et Sestinianus ex Thracia huc revocandus.

AE. RRRR.

Imperatorii:

ΤΡΑΙΑΝΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟϹ. ΑΡΧ. Α. *Amazon eques, juxta quam scriptum:* ΦΙΛΟ., in numo Gordiani.

Iure Pellerinius hunc numum a Trajanopoli Thraciae avertit, in cujus numis archontes non leguntur, sed hegemones, neque unquam Amazonis effigies comparet, at utrumque in Asiae urbibus obvium. Vocabulum ΦΙΛΟ. esse nomen Amazonis, idem conjicit a).

Frölichius numum Caracallae inscriptum ΤΡΑΙΑΝΟΠΟΛЄΙΤΩΝ propter typum Cybeles huic Phrygiae urbi tribui posse leviter suspicatur, secutus judicium Tristani et Holstenii b). At numus hic ejusdem omnino est fabricae, cujus sunt certi Trajanopolis Thraciae numi, atque etsi Cybeles cultus frequentior fuit in Phrygia, et velut domesticus, tamen ea in Thraciae quoque urbium numis non raro conspicitur.

AE. RRRR.

TRIMENOTHYRAE.

Numum huic urbi tributum a Seguino et Vaillantio esse Temenothyrarum Lydiae, in his dictum.

GALATIA.

Communi Galatiae nomine numi exstant complures, *imperatorii* omnes.

ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΩΝ. *Templum*, Neronis. (Vaill.) ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΙΑϹ. *Templum*, Poppaeae. (Sestini Lett. T. IV. p. 128.)

ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΙΑΣ, vel ΚΟ. ΓΑ., Titi, Domitiani, Nervae, Trajani, qui a variis sunt editi, sed collecti omnes a Morellio c), in quibus omnibus proditur.

Legatus M. Neratius Pansa, et T. Pomponius Bassus, sed numos hos omnes videsis infra in Caesarea Cappadociae cum nonnullis observationibus.

Typi in hujus generis Galatarum numis: *Templum 6 columnarum.* — *Mensis stans d. globum, s. hastam*, vel: *Ipse eodem cultu stans in aditu templi.* — *Ceres sedens.*

* * *

Numos Lollii, qui ex aliquorum sen-

a) Rec. III. p. 257. b) IV. Tent. p. 279. c) Fam. Nerat. et Pompon.

tentia in Galatia cusi censentur, vide in gente Lollia.

AE. RR.

ANCYRA.

In Tectosagis, totius Galatiae caput, et metropolis. Augustus eam copiose ornavit, sic ut Tzetzes haec de eo scriberet [a]):

Ancyram autem, quam diximus, inveni
Condidisse Octavium Caesarem Romanum.

Sed conditorem ex mythologia petitum memorabimus infra. Ancyranorum in Augustum adfectum testatur templum ejus honori positum inscripta parietibus ejus factorum memoria. Historiam et monumenta hujus urbis late enarravit Belleyus [b]).

* * *

Autonomi comperti non sunt. Vtrum numus CЄBACTHNΩN, aliique imperatorii sic inscripti, huc pertineant, infra in Sebastes Galatiae numis disputabimus.

Imperatorii:

Magno hi numero superant a Nerone usque ad Valerianum jun. In numo Haymiano (T. II. p. m. 282.) Antoninus dicitur ATT. KAI. ΛOTK. ANTΩNЄ - - - Hic in nullo alio numo Lucii praenomen habet. Sed in numo Pelleriniano, qui cetera Haymiano simillimus est, ejusmodi est capitis inscriptio, qualis passim occurrit.

Epigraphe: ANKTPA, ANKTPAC, ANKTPANΩN.

Typi insigniores:

Vir habitu curto gradiens cum modio in capite, d. ancoram, s. proram navis cum velo, ut vidit Pellerinius in numis Antonini et Gallieni, at Haymius in suo Antonini pro prora navis cum velo vidit *bipennem.*

Mulier gradiens d. urnam ludorum, s. ancoram, (Spanheim ep. I. ad Morell. in fine.) *Mulier tutulata sedens d. ancoram, s. cornucopiae*, Caracallae. (Mus. Com. Vitzai.)

Midas secundum Pausaniam urbem condidit, eique a reperta ab se ancora nomen dedit [c]).

Silenus stans d. extenta pedum, s. utri innixus, Caracallae. (Vaill.)

Teste eodem Pausania [d]) monstrabatur Ancyrae fons, quem vino miscuit Midas, ut Silenum adliceret, et caperet.

Deus Mensis liberaliter in Galatia cultus, *Gemelli lactentes*, Valeriani. (Vaill.)

* * *

Magistratus: T. Pomponius Bassus legatus propr., quem numum vide in Caesarea Cappadociae.

Metropolis: Hoc titulo in omnibus suis numis gloriatur: MHTPOΠOΛIC. ANKTPA. — MHTPOΠOΛЄΩC. ANKTPAC., etiam compendio scripturae. — ANKTPA. H. MHTPOΠOΛIC. THC. ΓAΛATIAC. Antonini. (Pellerin, Haym.) Vaillantius factam ab Hadriano metropolin conjicit, qui tamen ipse Neronis numum cum metropolis mentione vulgavit.

---

a) Chil. I. v. 139. b) B. L. T. XXXVII. p. 391. c) L. I. c. 4. d) l. c.

* * *

Nomen ab imperatore.

A Caracalla: ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗС. ΑΝΚΥΡΑС. ΜΗΤΡΟ. in numo Caracallae, (Vaill.)

Dictam etiam *Sebasten*, testantur marmora. Vide infra in Sebaste Galatiae.

* * *

Neocoratus: B. N. vel B. NE. in numis Valeriani, Gallieni, Saloninae. (Vaill. Mus. Caes. Pellerin.).

* * *

Ludi:

ΠΥΘΙΑ. *Vrna*, Neronis. (Vaill.)

ΑСΚΛΗΠΙΑ. СΩΤΗΡΕΙΑ. IСΘ. ΠΥΘΙΑ. *Vrnae cum templo*, Caracallae. (Spanh. ep. I. ad Morell.)

ΑΓΩΝ. IСΘ. ΠΥΘΙΑ. Caracallae. (Neumann.)

In marmore, quod edidit Montfauconius [a]), dicitur T. Flavius Gajanus ἀγωνοθησας δις τȣ τε κοινȣ των Γαλατων και των ἱερων ἀγωνων των μεγαλων ΑΣΚΛΗΠΙΩΝ τε και ΠΥΘΙΩΝ, ἀρχιερευς τȣ κοινȣ των Γαλατων, Γαλαταρχης, σεβαςοφαντης, και κτιςης της μητροπολεως Αγκυρας.

ΑΚΤΙΑ, *Vrna*, Saloninae. (Vaill.)

* * *

Asylum: ΑΝΚΥΡΑС. ΑС. Β. Ν. in numo Valeriani, ut mihi testatus est Cl. Montius, qui correxit Vaillantium in eodem reginae Christinae numo ΜΗΤ. pro ΑС. legentem. Verum cum urbes extra Syriam late sumptam sitae vix in numis dici soleant asyla, videtur το ΑС. hujus numi notare memorata supra ΑСΚΛΗΠΕΙΑ, praecipue cum in hoc numo urnae ludorum typum faciant.

AE. C.

GERME.

In Tolistobogis prope Pessinuntem. Ptolemaeus: Γερμα κολωνια, ex quo in Notitiis episcopus Γερμοκολωνειας. Quare numi sequentes ad hanc Germen, quam coloniam fuisse constat, non ad alteram cognominem Hellesponti sunt vocandi.

Putat Vaillantius, Germen deductam coloniam ab Augusto propter additum AVG. At repugnat Cellarius, quoniam Strabo, Plinius, omnesque alii priores eam fuisse coloniam dissimulant, primusque fuit Ptolemaeus, qui eam hoc nomine appellat. Conjicit ergo, eam deductam forte ab ipso Commodo, cum cujus capite tantum numi cogniti, Augustam vero vocari a nomine imperatoribus omnibus communi. Res in incerto.

* * *

COL. GERMEN. *Aquila cippo imposita inter duo signa militaria*, Commodi. (Vaill.)

COL. AVG. F. GERMENO. *Lupa gemellos lactans*, Commodi. (Vaill.)

Soli hactenus hi numi cogniti. Vtriusque typus est etiam in numis vicinae Ancyrae. At mirabilem alium nuper editum reperio:

COL. GERMENORVM. ACTIA. ΔVSARIA. *Mensa tribus gradibus insistens, supra quam globus inter duas urnas, supra globum torcular, omnia in laurea*, in numo Etruscillae. (Tanini

a) Palaeogr. p. 161.

p. 441. ex mus. nobil. Iacobi Gradenigo.)

Ludi *Actia Dusaria*, tum et typus torcularis hactenus tantum in numis urbium Arabiae, ac praecipue Bostrae sunt comperti. Quapropter mirum, eadem haec proponi in numo urbis Galatiae tanto intervallo distantis, atque id tanto magis, cum *Dusares* verbum sit Arabicum significans Bacchum, a quo ludi Dusaria. Singularis hujus numi fides penes auctores esto.

AE. RRRR.

PESSINVS.

In Tolistobogis, urbs Matris Idaeae, seu Magnae, seu Bonae hinc Romam advectae religione nobilitata, cujus eo loco imago specie informis lapidis e coelo deciderat, unde urbs appellata Πεσινες ἀπο τȣ πεσειν a).

Imperatorii:

A Poppaea usque ad Getam.

Epigraphe: ΠΕϹϹΙΝ. ΠΕϹϹΙΝΟΥΝΤΙΩΝ. An το ΠΕ. in numis Poppaeae apud Vaillantium et Theupoli revera Pessinuntem notet, dubitari possit, nullo certe signo diacritico id suadente, nam typus est lotus inter duas spicas, nisi forte lotus ad Harpocratem referenda, cujus signum est in numo Trajani, et alio Faustinae jun. (Vaill.) aut quoniam lotus, seu quae ex loto conficiebantur, tibiae instrumentum erant musicum, quod in insanis Matris Idaeae festis adhibebatur teste Ovidio b).

Typi alii plane sunt obvii, nihilque Pessinuntis historiam illustrant. Prorsus alienus ab hac urbe typus *Daedali volantis, et sinistra Icarum pariter volantem retinentis*, in numo Caracallae, (Theup.) nisi forte lepide ad urbis nomen, et vocem πεσειν adluditur, quod Icarus sic ex alto deciderat, ut mater sua Idaea.

ΒΟΥΛΗ. ΠΕϹϹΙΝΟΥΝΤΙΩΝ, M. Aurelii. (Vaill.)

Magistratus: ΕΠΙ. ΙΟΥΕΝΤΙΟΥ. ΚΕΛ. Aurelii. (Vaill.)

Mentio situs: ΓΑΛ. ΤΟ. ΠΕϹϹΙΝ. vel: ΓΑΛ. ΤΟΛΙϹ. ΠΕϹϹΙΝΟΥΝΤΙΩΝ. Antonini Pii, et M. Aurelii. (Haym, Pellerin.) Nimirum urbs haec in Galatia Tolisbogorum sita.

AE. RR.

SEBASTE.

A Plinio constituta in Galatia c), quam propius in Tectosagis collocant tam numi inscripti ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ., quam marmora apud Gruterum, Muratorium, Montfauconium: Η. ΒΟΥΛΗ. ΚΑΙ. Ο. ΔΗΜΟϹ. ϹΕΒΑϹΤΗΝΩΝ. ΤΕΚΤΟϹΑΓΩΝ.

At enim Pellerinius numos omnes sic inscriptos, aut etiam tantum ϹΕΒΑϹΤΗΝΩΝ cum addito ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΩΝ. tribuendos Ancyrae Galatiae confidenter adserit, quam in honorem Augusti ait permutasse vetus suum nomen cum nomine *Sebastes*, serius autem ad primaevum Ancyrae redivisse. Quam ille doctrinam non semel, sed constan-

a) Appian. Hannibal. c. 56. b) Fast. IV. 190. c) L. V. §. 42.

ter per opus suum inculcat, ut Rec. II. p. 12. Rec. III. p. 299. Mel. II. p. 308., ut adeo haec toties repetere non sine certa ratione videatur, quam tamen vir eruditus nobis invidit. Nonnulla argumenta adfert Belleyus, qui in eadem fuit sententia [a]). Ego secus censeo, ajoque, Ancyram vetus suum nomen nunquam omisisse, et quod sequitur, numos omnes sic inscriptos esse Sebastes a Plinio memoratae. Ejus causas damus sequentes:

I. Neque ex scriptoribus veteribus, neque marmoribus constat, Ancyram unquam vetus suum nomen deposuisse. In quapiam hujus urbis inscriptione, cujus plures adfert Muratorius, haec urbs dicitur Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΤΗΣ. ΓΑΛΑΤΙΑΣ. ΣΕΒΑΣΤΗ. ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ. ΑΝΚΥΡΑ [b]). Nolo hic cum Maffeio propter eandem vocem ΣΕΒΑΣΤΗ exscriptoris adcurationem in suspicionem vocare, cujus ratio omnino nulla subest [c]). Ancyra tot ab Augusto beneficiis adfecta se vocavit Σεβαςην, nimirum honorificum hunc titulum suomet nomini solum addendo, non vero abolendo vetus, quod item fecere, ut alia exempla taceam, Thessali, Amastriani, Heracleenses etc.: in quorum numis ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. ΘΕΣΣΑΛΩΝ. — CЄΒΑCΤΗ. ΑΜΑCΤΡΙC. — CЄΒΑCΤ. ΗΡΑΚΛЄΩΝ. in numo, quem Heracleae Ponti tribuit Pellerinius, Lamia Thessaliae: ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. ΛΑΜΙΕΩΝ. in marmore Muratorii [d]). Si ergo Ancyra nomen suum nunquam seposuit, aut cum nomine Sebastes permutavit, sed hac appellatione, quod saltem ex unico marmore constat, honoris tantum causa usa est, tam parum potuere Ancyrani urbem suam indicare scribendo tantum ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ, quam parum Tarsenses suam scribendo tantum ΑΔΡΙΑΝΗC, vel ΜΑΚΡΙΝΟΥΠΟΛЄΩC.

II. Si Ancyrani sese in Sebastenos immutassent, istud fecissent jam aetate Augusti recente adhuc beneficiorum memoria, idque nomen retinuissent adhuc sub Tito et Domitiano, in quorum numis scribitur ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ, olim, secundum Pellerinium, Ancyranorum. Sin istud, cur in numo Neronis apud Vaillantium legitur Ancyra, non Sebaste? Ergo ea urbs ab Augusto ad Neronem se scripsit Sebasten, sub hoc Ancyram, sub Vespasiani filiis Sebasten, post hos denuo Ancyram? An in tot aliis urbibus simile habemus levitatis exemplum?

III. Si Ancyra eadem fuisset cum Sebaste, titulum metropoleos, quo inde a Nerone in numis usa est, aeque addidisset in numis seu ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ, seu ΑΝΚΥΡΑΣ inscriptis. At videmus, in omnibus numis cum epigraphe *Ancyrae* metropolis titulum nunquam abesse, et nunquam addi cum epigraphe *Sebastes*. Quae ejus ratio, si una eademque urbs fuit?

IV. Quaeritur item, cur vocabulo ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ addidit aliud ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ? nimirum ut se ab aliis urbibus, Sebaste item dictis, discerneret, addidit Tectosagos, in quibus sita fuit. Quomodo ergo Sebaste, olim Ancyra, se discrevit ab altera certa Sebaste in iisdem Tectosagis posita?

Ex his ergo jure colligimus, nullam

a) B. L. T. XXXVII. p. 391. b) pag. 550. c) Ars crit. lap. p. 121. d) pag. 550.

fuisse aliam in Galatia Sebasten praeter illam Plinio memoratam, numosque omnes cum Sebastes epigraphe addito seu ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ, seu ΓΑΛΑΤΩΝ ad hanc omnino pertinere, quae hac situs mentione usa est, quo sciretur, esse diversam ab aliis urbibus ejusdem nominis. Quare miror sane Cl. Belleyum, nullam in Tectosagis Sebasten agnoscentem propterea, quia Plinius, quo loco Tectosagum oppida recenset [a]), haec tantum commemorat: *Oppida Tectosagum: Ancyra.* Verum an non idem continuo addit: praeter hos celebres: *Attalenses, Arasenses - - - SEBASTENI?* quod sane ἐθνικον praeclare convenit cum numi epigraphe ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. Esto, Sebasten a Plinio non diserte poni in Tectosagis, sed tamen is eam a Tectosagis non eximit, nam confidenter illam in Galatiae urbibus enumerat, in qua siti Tectosages.

Quaeri hoc loco potest, sitne Sebaste, quam Hierocles et Notitiae in Phrygia collocant, eadem cum Sebaste Galatiae? Pellerinio, qui nullam in Galatia Sebasten praeter Ancyram agnovit, probata fuit haec Phrygiae Sebaste, cui adeo is numos tribuit solo ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ inscriptos. Sed forte praetensa haec Phrygiae Sebaste alia non est a Galatica, nam video similes numorum typos in numis seu solo ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ, seu ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ inscriptos. Quae causa fuit, cur utriusque generis numos permiscendos, et huic Galatiae Sebaste tribuendos putaverim.

Autonomi:

Caput cum pileo Phrygio in luna bicorni. Ӿ ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ. *Typus vitiatus.* AE.

Editus est hic numus in museo Theupoli, sed ubi alterum verbum perperam scribitur ΙΕΚΟΣΑΤΩΝ.

ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΩΝ. *Protome juvenilis cum laureato pileo Phrygio, et cum luna post tergum.* Ӿ CЄBACTHNΩN. *Templum 6. columnarum.* AE. (Pellerin, Neumann.)

Belleyus capite anticae exhiberi Augustum Luni specie putat, at mihi verius videtur esse Caracallae juvenis, aut alterius cujuspiam ejus aevi.

IЄPA. CΥNKΛHTOC. Ӿ CЄBACTHNΩN. *Mensis stans.* AE. (Haym T. II. p. m. 184.)

AE. RRR.

Imperatorii:

Cum epigraphe ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ: *Vir stans cum pileo Phrygio*, in numo Titi.

Tres spicae, in numo Domitiani.

Vterque numus proponitur a Pellerinio [b]), et iidem, sed vitiati ab Haymio, qui eos recte ad Plinianam hanc Sebasten refert [c]). Quare satis mirari non possum Pellerinium, qui Haymium secum sentire, et numos hos ad Sebasten Ancyram vocare eodem loco adserit.

a) L. V. §. 42. b) Rec. III. p. 209. c) Tom. II. p. m. 252.

* * *

Cum epigraphe CЄBACTHNΩN tantum.

Sunt Caracallae, Getae. (Pellerin Rec. III. p. 255.) et Gordiani. (Arigoni.)

Typi:

Perseus Medusae caput amputans adstante Pallade, et clypeum Perseo pro speculo objiciente, in numo max mod. Caracallae. (Pellerin Rec. III. p. 255. Caylus Rec. d'Ant. T. IV. p. 158.)

Illustrem hunc typum olim prolixe explicui [a]), cumprimis ex Apollodoro, cui adde Lucanum [b]), ac praecipue Lucianum [c]).

Mensis stans, in numo Getae.

Iuppiter sedens d. pateram s. hastam, Gordiani.

Magistratus archon in citato numo Caracallae: ЄΠΙ. ΛΟΥ. ΑΜЄΞΑΛΙΟΥ. ΑΝΤΩΝ - - - ΑΡΧ. CЄBACTHNΩN.

AE. RRR.

TAVIVM.

In Trocmis situm.

Imperatorii:

Severi, Domnae, Caracallae.

Epigraphe: TAOYIANΩN. sed plerumque: CЄ. TP. vel TPO. TAOYIANΩN. *Severianorum Trocmorum Tavianorum.* (Vaill. Mus. Caes. alibi.)

Typi: Severus eques,— Mulier rupi insidens, ad cujus pedes fluvius emergens, — Aquila insistens cippo inter duo signa militaria, qui typus est in plurium Galatiae urbium numis, *aliique obvii.*

Nomen ab imperatore: Severo nempe inscripto CЄ, ut vidimus, nisi forte legendum CЄβαςηνων.

Mentio situs: a Trocmis, scripto TP. vel TPO. Iuvat hoc loco observare, a numis et marmoribus praeclare confirmari verba Strabonis, aliorumque, qui Ancyram in Tectosagibus, Pessinuntem in Tolistobogis, Tavium in Trocmis constituerunt. At Memnon apud Photium [d]) ordinem invertit, dum Ancyram Trocmis, Tavium Tolistobogis, Pessinuntem Tectosagibus inserit.

Epocha: Numum Severi in Catalogo d'Ennery vulgatum reperio, in cujus aversa: CЄ. TPO. TAOYIANΩN. Є. ЄΠΙ. *Apollo Actius stans, et s. lyram tenens columnae innixus, d. acrostolium.* Auctor ejus catalogi annum inscriptum 218. ducendum ab aera Actiaca contendit, ipso etiam typo navalem ad Actium victoriam eloquente [e]). Quae quidem sententia ampli hiatus sphalma continet. Coepit aera Actiaca in autumno V. C. 723. Addendo huic summae annum numi 218., necesse erit secundum auctoris doctrinam eum signatum inde ab autumno V. C. 940 usque ad autumnum anni sequentis. At tum imperio praefuit Commodus, ipse vero Severus nonnisi V. C. 947. in Oriente agnitus fuit imperator. Ergo initium epochae in tempora posteriora reponendum. Refert Dio ad annum V. C. 729. [f]), Augustum mortui Amyntae Galatiae regis

a) Num. vet. p. 174. b) L. IX. v. 659. seq. c) Dial. mar. XIV. d) Eclog. 224. e) pag. 542. f) L. LIII. §. 26.

ditionem in provinciam redegisse, et exinde Galatiam Romanum praefectum habere coepisse. Videntur ergo Taviani ab hoc eventu annos suos computasse. Nimirum addendo annum numi 218. ad annum 729., summa dabit annum V. C. 947., in cujus autumno dictus Tavianorum annus exivit. At vero mox diximus, Severum eodem hoc anno in Asia imperatorem fuisse agnitum.

AE. RR.

TECTOSAGES.

Vide supra in Sebaste.

TOLISTOBOGI.

Vide supra in Pessinunte.

TROCMI.

Vide supra in Tavio.

REGES GALATIAE.

Quae ad regum Galatiae numos pertinent, paucis disseram, posteaquam eorum catalogum proposuero.

* * *

Caput virile nudum, pone clava. ✠ ΒΙΤΟΥΙΟϹ. ΒΑϹΙΛΕΥϹ. *Leo currens.* AE. II. (Beger Th. Br. T. III. p. 6.)

Alius similis, sed ΒΙΤΟΥΙΟΓΟΡΟ. ΒΑϹΙΛΕΥϹ. (Bimard ad Iobert. T. II. p. 335.)

Caput virile nudum, pone clava. ✠ ΒΙΤΟΥΚΟϹ. ΒΑϹΙ. *Leo currens.* AE. II. (Beger l. c. Pellerin Rois p. 190.)

Caput virile nudum, (in alio laureatum) pone clava. ✠ ΚΑΙΑΝΤΟΛΟΥ. ΒΑϹΙΛΕΩϹ. *Leo currens.* AE. II. (Bimard et Pellerin ll. cc.)

ΚΑΙΑΝΤΟΛΟΥ. *Caput juvenile nudum.* ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *Aper, superne tres globuli.* AE. II. (Pellerin l. c.)

Caput juvenile laureatum, pone clava. ✠ -ΙΑΤΙΚΟ- *Leo currens.* AE. II. (Pellerin l. c.).

Caput juvenile nudum, pone clava. ✠ VANTIK - - *Leo gradiens.* AE. III. Hunc numum Florezius Anticariam Baeticae refert, (Med. de Espan. T. II. p. 633.) perperam me judice.

Caput virile nudum, pone clava. ✠ ΨΑΜΥΤΟϹ. ΒΑϹΙΛ - - *Leo gradiens.* AE. II. (Bimard l. c.)

Protome Victoriae. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΙΟΤΑΡΟΥ. *Aquila expansis alis insistens scipioni, cui globus praefigitur, inter duos Dioscurorum pileos.* AE. II. (Sestini Lettere p. 81.)

Caput laureatum barbatum, pone clava. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΜΥΝΤΟΥ. *Leo gradiens.* AE. II. (Spanheim T. I. p. 378. Pellerin l. c.)

Caput Dianae. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΜΥΝΤΟΥ. *Cervus stans.* AE. III. (Spanh. et Pellerin ll. cc.)

Caput Mercurii prominente retro caduceo. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΜΥΝΤΟΥ. *Caduceus.* AE. III. (Spanh. l. c.)

Viderunt jam viri eruditi, nomina *Bitovius*, *Bitucus*, *Caeantolus*, *Psamytes* barbarum quid sonare a Graecae linguae illecebris oppido abludens. Quae causa fuit, cur Begerus numos suos Gallis Arvernorum regibus tribuendos putaret. Verum contradixere Bimardus et Pellerinius eo praecipue ex capite, quod id genus numi in Gallia non reperiuntur, et quos habent musea Gallica ex Oriente omnes advecti fuere. Tamen ut eos Gallis Europaeis ademerunt, alteris in Asia minore positis esse proprios adfirmare non dubitaverunt. Res in vulgus nota, Phrygiae partem Paphlagoniae conterminam habitatam fuisse a Gallis ex Gallia Europaea adventitiis, qui postquam primum Thraciam, Macedoniam, et magnam Graeciae partem, deinde Hellespontum transgressi Asiam minorem caedibus et incendiis complevere, tandem et ipsi cum victoriis, tum cladibus attriti imminuto suorum numero sedes sibi in hoc tractu seu vi, seu conniventibus vicinis paraverunt, qui subinde a novis incolis Graece *Galatia*, Latine *Gallograecia* appellatus est, divisus ex patrio populorum nomine in *Tectosages*, *Trocmos*, *Tolistobogos.* Hanc hujus gentis a Gallis tractam originem etsi dissimularet historia certa, satis superque proderent ipsa nomina. Satis constat, Tectosages fuisse in Gallia, et habitasse propter Tolosam, quos eosdem in Galatia quoque reperias. Straboni et Polyaeno memorantur *Adiatorix* et *Erasinorix* Galatiae seu tetrarchae, seu reguli, ut Caesari *Dumnorix*, *Vercingetorix*, *Ambiorix* Galliae reguli. Alibi Strabo narrat [a]), a Romanis datas fuisse aliquas urbes Τεποργι δυναςῃ τινι τȣ τετραρχικȣ γενȣς των Γαλατων, *Teporgi dynastae cuidam tetrarchici generis Galatarum*, at forte pro Τεποργι legendum Ατεποριγι, sic ut rectus sit Ατεποριξ, *Ateporix.* Facem praefert marmor Ancyranum citatum a Montfauconio [b]), in quo legitur: ΑΛΒΙΟΡΙΞ. ΑΤΕΠΟΡΕΙΓΟΣ. *Albiorix Ateporigis* F. Neque discordant tempora. Strabo adcurate non definit, quo tempore Teporgi suo eae urbes accesserint; ait tantum, factum istud post priorem Pompeji M. divisionem. Marmor Ancyranum positum fuit sub Tiberio, nam in eo refertur, a dicto Albiorige positas fuisse statuas *Caesaris* (sc. Tiberii) *et Iuliae Augustae*, qui adeo Albiorix facile esse potuerit filius ejus Ateporigis, in quem dictum a Romanis beneficium fuit collatum. Ex tetrarchica etiam Galatarum stirpe a Strabone proditur *Adobogion* [c]), obvia in vocabulis Gallicis terminatione; sic *Tolistobogi* Galatiae populus. Sic in numo Galliae Europaeae, quem olim vulgavi [d]), legitur ΤΟΥΤΟΒΟCΙΟ. Vnde verisimile tum censueram, *Teutobodiacos*, quos Plinius in Galatiae populis nominat, forte mendose scriptos pro *Toutobogios.* Sed nimium exerro, quando istud unum probare constitueram, ex ipsis nominibus per Galatiam obviis incolas ex Gallia Europaea traductos con-

a) L. XII. p. m. 838. b) Palaeogr. Graec. p. 154. c) L. XIII. p. m. 927. d) Num. vet. p. 4.

firmari. Alia regulorum Galatiae nomina aeque barbara lege apud Livium L. XXXVIII. inde a cap. 16. et L. XLV. c. 34, et Reinerum Reineccium in Tetrarchia Galatica.

Ad reges in numis nostris descriptos ut revertar, ii, quos priores numi eloquuntur, *Bitovius*, *Bitucus*, *Caeantolus*, *Psamytes* a scriptoribus quidem, saltem aperte, non memorantur, at constat, ex quo Galatia in tetrarchias divisa fuit, multos fuisse tetrarchas, quorum non meminit historia, ex quibus ii, qui plus valuere, regium etiam nomen usurparunt, quos inter fuere rex Dejotarus a Cicerone defensus, et Amyntas, de quibus mox. Dixeram, reges hos saltem aperte non prodi a scriptoribus. Nam nomen Bitovio vel Bituco simile bis occurrit apud Appianum [a]), cum refert, fuisse in Mithridatis VI. exercitu Βιτοιτον τινα, ἡγεμονα Κελτων, *Bitoetum quendam*, vel *Bitoitum Gallorum ducem*, cui Mithridates desperatis rebus omnibus caput suum amputandum obtulit. *Bituitum*, vel Bittum Galliae propriae regem habes apud Strabonem [b]), et Athenaeum [c]). Alias de barbaris his regibus conjecturas lege apud Bimardum [d]). Inscriptio in numis his est Graeca, quae rursum peristasis eos a Gallia Europaea avertit, cujus numi, si Massiliam, quae Graeca urbs fuit, demas, inscribuntur Latine, aut mixtis nonnunquam literis Graecis, quas vicina Massilia invexit, sic tamen, ut Latinae praevaleant. Habemus etiam Galliae Europaeae numos aliquos, in quibus diserte REX memoratur. At Galatiae reges, cum essent in medio populorum graecissantium positi, alia lingua, quam Graeca, in moneta publica uti non potuere. Ad typos quod attinet, utrum in antica sit caput ipsius regis, seu propter clavam Herculis, aut regis sub Herculis specie, non ausim decidere. Eodem cultu in numis comparet Iuba II. Mauretaniae rex. Cum antica praeclare conspirant leo et aper, famigerati Herculis labores. Quanquam et in Galliae propriae numis obvium sit utrumque animal, ut videre est in numis Beterrae, aliisque apud Pellerinium, ut adeo videri possit, a novis colonis typos avitos et veteres suos retentos.

Illustris est numus Deiotari, isque hactenus unicus, nuper ex museo Ainslieano vulgatus. Nota est hujus regis ex scriptoribus potissimum Romanis historia. Primum Romanorum contra Mithridatem socius Pompeji M. beneficio Armeniae minoris regnum cum Galatia conjungit, et amicus P. R. appellatur. In bello civili Pompeji partes secutus praelio ad Pharsalum interest. Per Brutum Caesari reconciliatur quidem, sed Galatiae tetrarchia privatur. Accusatus de positis Caesari insidiis defenditur a Cicerone oratione, quae exstat. In bello IIIvirali Bruto per Amyntam scribam subsidia mittit, sed qui opportune cum copiis ad Antonium transgressus incolumitatem sibi ac Deiotaro paravit. Moritur satis provecta

a) Bell. Mithr. cap. 111. b) L. IV. p. m. 291. c) L IV. p. 152. d) l. c.

aetate. Haec compendio ex Reinero Reineccio [a]).

De Amyntae numis, cujus sunt tres postremi, litigatum. Eos Spanhemius tribuit Amyntae II. Macedoniae regi, Alexandri M. avo [b]). Verum hujus numi certi omnes et titulo ΒΑΣΙΛΕΩΣ abstinent, et habent Doricum gignendi casum ΑΜΥΝΤΑ. Sunt igitur numi hi alterius Amyntae. Numus I. propter typos, qui iidem sunt in praecedentibus, non inique propterea tribuetur Amyntae Galatiae regi. Fuit hic Amyntas scriba Dejotari Galatiae regis, a quo missus cum auxiliis ad Brutum et Cassium, his victis in victorum partes transivit. Promeritus igitur ab Antonio, ut mortuo Dejotaro Galatiae princeps addita Lycaoniae et Pamphyliae parte, denique etiam regio titulo, diceretur. In bello civili partes, ut oportuerat, Antonii secutus post cladem ad Actium Octaviano confestim sese applicuit. Aliquot post annis fraude muliebri perit. Haec ex Reineccio. Amynta mortuo Augustus regnum ejus filiis non dedit, sed circa annum V. C. 729. illud in provinciam redegit, et postea Galatia cum attributa parte Pamphyliae et Lycaoniae Romanum habere praefectum coepit [c]). Primus huc cum potestate missus fuit M. Lollius, de quo vide plura in numis gentis Lolliae. Filiorum nomina a scriptoribus non produntur. Eorum tamen unum memorat laudatum saepius marmor Ancyranum sub Tiberio positum: ΠΥΛΑΙΜΕΝΗΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΜΥΝΤΟΥ. ΥΙΟΣ dictus adeo *Pylaemenes* quacunque de causa ex nomine regum Paphlagoniae. Cum ergo, ut dixi, numus prior Amyntae ob memoratas causas Amyntae Galatae haud dubie sit tribuendus, ejusdem etiam erunt duo postremi, quoniam ejusdem rationis epigraphen offerunt. De numo altero cum typo cervi notavi aliqua in numis Moagetae regis Cibyrae Phrygiae.

CAPPADOCIA.

Autonomum totius gentis, inscriptum ΚΑΠΠΑΔ. unus Goltzius dedit.

CAESAREA, *olim* EVSEBIA.

Sita ad pedem montis Argaei, dicta primum *Mazaca*, deinde *Eusebia* a quodam Ariarathe, seu Ariobarzane, qui Eusebis nomen tulere, denique *Caesarea* a Tiberio, ut veri simillimum est, quamvis dissentiant aliqui, ut videre est apud Cellarium, et Seguinum [d]). Constanti-

a) Hist. Iul. P. III. p. 232. b) Tom. I. p. 378. c) Dio L. LIII. §. 26. Strabo L. XII. p. m. 854 seq. d) Sel. num. p. 60.

nus Porphyrog. sic dictam ait a magno Iulio Caesare [a]). Vrbis historiam praeclare scriptam dedit Belleyus [b]).

Mazacae nomine numus nullus cognitus, etsi id nomen valuit adhuc post Severum, ut docet marmor Chandleri [c]).

* * *

Eusebiae nomine *autonomi* complures.

Caput muliebre turritum. ✗ ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ. *Cornucopiae, in area monogramma.* AE. (Arigoni.)

Caput Palladis. ✗ ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ. *Prora, gubernaculum.* AE. (Pembrock.) In alio: *Mons Argaeus.* AE. II. (Hunter.) In alio: *Aquila expansis alis, in area* ΑΣΤ. *in monogrammate, forte* ΑΣΤλϐ. AE. (Pellerin.)

Caput modeste barbatum laureatum prominente retro clava. ✗ ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ. ΚΕ. *Templum* 4. *columnarum.* AE. (Seguin p. 60. Spanheim T. I. p. 473.)

Caput anticae Seguino regis cujusdam Cappadociae videtur, mallem Herculis. Annus ΚΕ. haud dubie indicat aetatem regni Ariarathis Eusebis, a quo Mazaca nomen Eusebiae abstulit, quiscunque is fuit.

Caput Palladis. ✗ ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ. --- ΑΡΕΙΑΣ. *Aquila expansis alis Argaeo insistens.* AE. (Seguin. l. c.)

Seguinus et Spanhemius mancam epigraphen explent legendo ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ, et testatur Pellerinius, in suo museo exstare similem [d]). Numus hic utrumque urbis nomen sistit.

AE. RR.

Imperatorii:

Abundant a Tiberio usque ad Trebonianum. Revera ante Tiberium Cappadocia Archelao paruit. Hoc mortuo V. C. 770. Tiberius eam in provinciam redegit [e]). Atque ad haec primordia pertinet numus:

ΤΙΒΕΡΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Tiberii laur.* ✗ ΘΕΟΥ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. ΥΙΟΣ. *Statua monti Argaeo imposita.* AE. III. (Morelli Spec. p. 97.)

Epigraphe: ΚΑΙϹ. ΚΑΙϹΑΡ. ΚΑΙϹΑΡΙΑ. ΚΑΙϹΑΡΙΑϹ. vel ΚΑΙϹΑΡЄΙΑϹ. addita plerumque metropolis, vel situs mentione, de quibus infra.

Singulare istud in urbis hujus moneta, exstare numos imperatorum non aeneos modo, sed copiosos etiam argenteos, quod rarum in urbibus Graecis, et quod citra exemplum est, aureos quoque. Lubet singulorum naturam ac modos ordine describere.

Numi aurei;

NERO. CAESAR. AVGVSTVS. *Caput Neronis laur.* ✗ ΕΤ. ΙΑ. *Imperator stans super monte Argaeo.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Λ. ϹЄΠΤΙ. ΓЄΤΑϹ. ΚΑΙ. *Caput Getae.* ✗ ΜΗΤΡΟ. ΚΑΙϹΑΡΙΑ. ΝЄΩ. ЄΤ. Γ. in aliis: ϛ. in aliis: Ιϛ. *Mons Argaeus, in vertice astrum.* AV. (Vaill. Num. praest. T. II. p. 263.)

Numus Neronis integerrimus est, et elegantissimus, dignusque urbis officina, cui ingens eo quoque accedit pretium, quod aureus est, nam, ut dixi,

a) de Thematib. L. I. them. 2. b) B. L. Hist. T. XL. p. 124. c) Inscr. ant. p. 92. d) Rec. II. p. 5. e) Tacit. Ann. II. 42.

praeter hanc Caesaream non habemus urbem aliam Graecam, quae cum imperatoris capite numum aureum signaverit, si Gabalae Syriae numos demas sub Iustino II. cusos. Vaillantius suis Getae numis subjecit: *Hic numus aureus inter rariores habendus.* At enim non ille numum unum, sed tres, ut vidimus, promulgavit. An ergo horum tantum unus aureus? an omnes tres? Sin istud, mirum enimvero, tres existere aureos unius Getae, cum ne unus quidem ex hoc metallo superet Severi, Domnae, Caracallae, et nullum ipse alium noverit aureum imperatorium in quapiam urbe Graeca signatum. An haec tam singularia advertere virum eruditum non debuerant?

Numi argentei:

Hi copiosi a Tiberio usque ad Gordianum. In his sequentes leges observantur:

A Tiberio usque ad L. Verum simul sumptum urbis nomen non inscribitur, apparet tamen ex typo Argaei, hos numos huc pertinere.

Inscriptiones in his sunt:

ΥΠΑΤΟϹ. addito numero Β. Γ. etc. Singulare est: ΥΠΑΤΟΥ. ΤΕΤΑΡΤΟΥ. in numo Nervae, (Mus. Caes.) de quo vide, quae alibi notavi [a]).

ΔΗΜΑΡΧ. ЄΞ. (numerus *trib. potestatis* non additur) ΥΠΑΤΟ. addito numero consulatus.

ЄΤΟΥϹ. ΙЄΡΟΥ. in numo Vespasiani. (Vaill.)

Anni imperii in his rarius notantur, quod in aeneis sub iisdem imperatoribus passim fit, ut: ET. IA.

Inde a Severo inscriptio non differt ab ea, quae in aeneis observatur. Scribitur nimirum nomen urbis, annus imperii, neocoratus, et omittitur mentio consulatuum, et trib. potestatis.

Ad hanc etiam urbem existimo pertinere argenteos Neronis: ΔΙΔΡΑΓΜΟΝ. *Simpulum et lituus.* ΔΡΑΧΜΗ. ET. E. *Serpens tripodi obvolutus*, de quibus agemus in numis Neronis.

Numi aenei:

In his variae illae inscriptiones consulatus, trib. potestatis, anni sacri vix occurrunt. Notatur in his urbis nomen, et annus imperii raro omittitur.

Est in museo Caesareo aeneus Hadriani utrinque Latine inscriptus, in cujus aversa: COS. III. *Mons Argaeus.* Hic numus certe extra urbem signatus est, cum secus solitum S. C. inscriptum esset; si ergo extra urbem, propter Argaeum sine dubio est hujus Caesareae.

* * *

Anni imperii:

In his numis sedulo notati propter chronologicam imperatorum historiam observandi. Memorabo hic annos singulorum imperatorum, quos in variis catalogis reperi.

Claudii: ET. B. E. IΓ.

Neronis: ET. E. ΔΡΑΧΜΗ. (Morelli Spec. p. 99.) de quo numo mox egi. — ET. IA. in AV. et AR. paullo supra citatis.

Domitiani: ET. H. IΔ. (Morelli in fam. Pompon.)

Trajani: ET. Γ. (Morelli l. c.) Dicitur in hoc ΔΑΚΙΚΟϹ. Vide infra in Magistratu.

a) Sylloge I. p. 55.

Hadriani: ЄT. B. (Pellerin, Arigoni.) ЄT. Δ. Є. (Mus. Caes.)

Antonini: ЄT. B. Z. Item: ϛI. (Arigoni.)

Commodi: ЄT. Γ. I. AI. ΓI.

Severi: ЄT. B. apud Vaillantium, sed quae lectio suspecta, cum anno II. Severi duraret adhuc bellum cum Pescennio. Legendum forte: ЄT. R., ut est in binis musei Caesarei, quod certum est episemon, numerum sextum indicans, ЄT. IΔ. IЄ. Iϛ. IZ. Addit Buonarrotius ЄT. IH. (Osserv. p. 229.)

Domnae: ЄT. Δ. Є. ϛ. IΔ. (Vaill. Mus. Caes.) IΘ. (Catal. d'Ennery.)

Caracallae Caesaris: ЄT. Є. (Mus. Caes.) *Augusti:* ЄT. B. Δ. Є. H. IB. IΔ. Iϛ. IZ. IH. IΘ.

Getae: ЄT. Γ. ϛ. Iϛ. Postremus hic est apud Vaillantium in argenteis, et computandi sunt anni Severi. (Num. praest.)

Macrini: ЄT. B.

Elagabali: ЄT. B. Є. (Mus. Caes.)

Alexandri Caesaris: ЄT. Є. (Mus. Caes.) *Augusti:* ЄT. A. Γ. Δ. Є. ϛ. Z. H.

Gordiani, vel: *Tranquillinae:* ЄT. A. B. Γ. Δ. Є. ϛ. Z.

Treboniani: ЄT. B.

Eruditus Belleyus, qui in annos his Caesareae numis inscriptos praeclare commentatus est [a]), chronologorum secutus judicia initium anni Cappadocum antea vagi, subinde ex quo Romanis parere coacti sunt, fixi, ad diem XII. Decembris Iuliani fixit. Atque secundum hoc praeceptum facile in ordinem rediguntur anni, qui excedere Augustorum imperia videri possent, si eorum annus I. eodem die exivisse, et coepisse annus II. statuatur, analoge ad calculum Alexandrinorum, aliarumque Orientis urbium. Ergo non inviti feremus in Elagabalo et Alexandro adhuc Caesare annum Є, seu quintum, et in Gordiano ejusque Tranquillina annum Z, seu septimum, atque istud tanto minore fastidio, quod eorum numi Latini easdem numero trib. potestates exhibent.

* * *

Typi illustriores:

Typus frequentissimus est mons Argaeus instar dei ab indigenis cultus, quod de eo testatur Maximus Tyrius [b]): *ὀρος Καππαδοκιας, και θεος, και ὁρκος, και ἀγαλμα, mons Cappadociae, et deus, et juramentum, et simulacrum.* Mons ipse variis attributis oneratur. Saepe apici insistit figura nuda d. pateram vel globum, s. hastam tenens. Plerique eam imperatoris effigiem censent, verum cum dicat Maximus, montem accolis haberi pro *simulacro*, vero est similius, esse ipsum genium, vel symbolum montis, uti et fluvii forma humana fuerunt propositi. Saepe monti imminet astrum, corona, aut una duaeve aquilae; in plerisque caverna introrsum hiat, aut ex ea existunt flammae, quod evenire testatur Strabo [c]). In nonnullorum aversa est caput muliebre, cui ipse mons Argaeus est impositus, in aliis corona turrita, in aliis Victoria gradiens.

KOMOΔOT. BACIΛЄTONTOC. O. KOCMOC. ЄTTTXЄI. ЄT. ΓI. *inscriptum basi, cui imminet Argaeus*, Commodi. (Pellerin Mel. I. p. 98.)

---

a) B. L. T. XXXV. p. 624. b) Diss. VIII. c) L. XII.

Eadem epigraphe est in numis Commodi Nicaeae et Cii Bithyniae signatis.

Numi Domnae argentei typos habent ex numis Romanis ejusdem Augustae palam promptos, nimirum *Veneris Felicis* et *Victricis*, (Mus. Caes.) quod institutum placuisse etiam regibus Edessae videbimus.

* * *

Magistratus:

Legati Augusti: Binorum habemus numos, *M. Neratii Pansae*, et *T. Pomponii Bassi*, iique non solum in numis urbium Cappadociae, sed etiam Galatiae commemorantur. Visum, utriusque regionis numos communi isthoc magistratu insignes hoc loco ob oculos ponere.

ΕΠΙ. Μ. ΝΕΡΑ. ΠΑΝΣΑ. ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ. ΚΟ. ΓΑ. *id est:* ΚΟινον ΓΑλατιας. *Caduceus colligatus cum spica et papavere*, Titi. (Morelli in Neratia.)

ЄΠΙ. Μ. ΝЄΡΑ. ΠΑΝCΑ. ΠΡЄCΒЄΥΤΟΥ. --- *Mons Argaeus*, Titi. (Ibid.)

ΕΠΙ. ΠΑΝΣΑ. ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ. Γ. *intra lauream*, Titi. (Vaill. Num. Graec.)

ЄΠΙ. ΤΙΤ. ΠΟΜ. ΒΑCCΟΥ. ΠΡЄCΒЄΥ. ЄΤ. Η. *Mons Argaeus*, Domitiani. (Mus. Farn. T. IX. tab. 6. et 8.)

ЄΠΙ. ΤΙΤ. ΠΟΜΠ. ΒΑCC. ΠΡЄCΒЄΥ. ЄΤ. ΔΙ. *Mons Argaeus*, Domitiani. (Morelli in Pomponia.)

ЄΠΙ. ΒΑCCΟΥ. ΠΡЄCΒЄΥΤΟΥ. ЄΤ. ΔΙ. *intra lauream*, Domitiani. (Haym.)

ЄΠΙ. ΠΟΜΠΟΝΙΟΥ. ΒΑΣ. ΠΡ. ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΙΑΣ. *Templum*, Nervae. (Morelli in Pomponia.)

ΕΠΙ. Τ. ΠΟΜΠΩΝΙΟΥ. ΒΑΣΣΟΥ. ΠΡΕΣΒΕΥ. ΑΝΤΙΣΤΡ. *Templum* 6. *col.*, *cujus peristylio inscriptum:* ΑΝΚΥΡΑΝΩΝ, Nervae. (Sestini Lettere p. 78, quo numo falsa Harduini lectio: ΑΝ. ΔΙ. ΚΥΡ. Σ. corrigitur.)

ΕΠΙ. ΒΑΣΣΟΥ. vel: ΠΟΜΠΟΝΙΟΥ. ΒΑΣΣΟΥ. ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΙΑΣ. *Templum*, vel: *Mensis stans*, Trajani. (Morelli ibid.)

ЄΠΙ. ΒΑCCΟΥ. ΠΡЄCΒЄΥ. ΤΥΑΝЄΩΝ. ЄΤ. Α. *Mulier turrita sedens d. spicas, infra fluvius emergens*, Trajani. (Pellerin.)

ЄΠΙ. ΒΑCCΟΥ. ЄΤ. Γ. *Mons Argaeus*, Trajani, cujus titulis additur ΔΑΚΙΚΟC. (Morelli ibid.)

Ad hos numos observandum, I. egregie illis confirmari, quod narrat Suetonius [a]): *Vespasianus Cappadociae propter adsiduos barbarorum incursus legiones addidit, consularemque rectorem imposuit pro equite Romano.* II. Quoniam in numis eodem tempore tam in Cappadocia, quam Galatia signatis iidem magistratus leguntur, certum est, fuisse Galatiam Cappadociae contributam. III. In numo Trajani postremo legi titulum *Dacici*, ac praeterea ЄΤ. Γ. Quocunque calculo utare, hic titulus componi nequit cum anno III. Trajani. Cum hic imperare occoeperit exeunte Ianuario V. C. 851., Dacici vero titulum nonnisi V. C. 856. sumpserit, secundum calculum Belleyi, qui initium anni civilis Cappadocum ad diem XII. Decembris fixit, requiritur saltem VI. Cappadocum annus. Quare epigraphe haud dubie male lecta est, et fors exiguo notae discrimine restituendum ЄΤ. Ⲋ. pro ЄΤ. Γ., quo pacto habebimus annum sextum. Demum

a) In Vesp. c. 8.

IV., si vera est lectio numi IV., in quo legitur annus VIII. Domitiani, vera item lectio numi postremi, in quo legendum conjeceram annum VI. Trajani, doceremur, Pomponio Basso saltem ab anno V. C. 841. usque saltem ad annum 856. fuisse prorogatam provinciam, quod viderint ii, quibus numos citatos inspicere licet. Ceterum Bassum hunc non patitur ignorari Plinius, qui eum scribit gestis amplissimis magistratibus, rectis exercitibus tandem aetate fessum in honesto otio literarum studia adsectatum [a]).

Non inutile ex his numis observare, eadem aetate spectata forma valuisse apud Galatas literas E et Σ, apud Cappadocas Є et C.

* * *

Metropolis: Hunc titulum urbi concessum ab Hadriano adfirmat Vaillantius, quin vadem citet. Eo primum utitur sub Antonino, ac subinde plerumque retinet.

* * *

Neocoratus: hunc, sed simplicem, inscribit inde a Severo. A Gordiano usque ad exitum B. N. vel B. NЄ.

* * *

Mentio situs ab Argaeo: ΠΡ. ΑΡΓ. vel: Τ. ΠΡ. ΑΡΓΑΙΩ. in nonnullis inde ab Antonino. Ipse etiam Strabo memorat, urbem ab hoc monte habuisse appellationem.

* * *

Asylum eruit Pellerinius ex autonomo, ut dictum.

* * *

Ludi:

ΚΟΙΝΟC. CЄΥΗΡΙΟC. ΦΙΛΑΔЄΛΦΙΟC. ЄΤ. ΙΓ. *Argaeus inter duas urnas*, Caracallae. (Pellerin Rec. III. p. 237. Arigoni.)

ΚΟΙΝΟC. ΦΙΛΑΔЄΛΦΙΟC. ЄΤ. ΙΔ. Caracallae. (Mus. Caes.)

Vterque numus rite conspirat cum calculo Belleyi. Secundum hunc annus Caesareensis ΙΓ. computatis Caracallae annis incepit die XII. Decembris V. C. 962., et exspiravit eodem die anni 963., quo tempore in vivis adhuc fuit Severus. Quare tum adhuc certamen Severium cum Philadelphio conjunctum fuit. Annus ΙΔ. fluxit a XII. Decembris V. C. 963. usque ad eundem diem 964. Hoc labente mortuus est Severus mense Februario. Cum ergo verisimile sit, numum post hujus mortem signatum, Severium certamen supprimi oportuit.

* * *

Epochae annum in numo hujus Caesareae cum capite Gordiani unus reperit auctor catalogi d'Ennery, in cujus is aversa haec legit: ΚΟΙ. ΠΟΝΤ. ΜΗΤΡΟΠ. ΚΑΙCΑΡΙΑ. ЄΤ. ΡΟΗ. Addit, initium hujus epochae Caesarensis ducendum a Vespasiano, et ab hoc verisimile esse Caesaream fuisse dictam metropolin Cappadociae et partis Ponti [b]). At enim omnis haec oratio singulis sui partibus latissime fallit, cui demonstrando necesse non est immorari, cum alioqui certum sit, numi epigraphen male lectam, eumque non esse Caesareae Cappadociae, sed Neocaesareae Ponti, cui geminum jam olim edidit Panelius [c]).

* * *

Panelius numum Gordiani ex museo le Bret protulit, in quo legitur ЄΝΤΙΧ.

a) L. IV. epist. 23. b) pag. 556. c) de num. Treboniani p. 18.

inscriptum basi montis Argaei. Ea lectio si certa est, est etiam incerti explicatus.

AV. RRRR. AR. R. AE. C.

CASTABALA.

Prope Tyana.

Imperatorii.

Hactenus editi sequentes:

ΚΑΣΤΑΒΑΛΕΩΝ. *Mulier sedens d. ramum, s. oblongam taedam*, in numo Faustinae sen. scripto: ΦΑΥΣΤΕΙΝΑ. ΘΕΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. (Pellerin Suppl. III. p. 132.)

Numus hic postremum est monumentum mihi cognitum, ac certae fidei, in quo sigma adhuc sub forma Σ comparet.

ΙЄΡΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Caput muliebre velatum turritum, prae quo taeda*, in numo Lucillae. (Haym T. II. tab. 36.)

ΙЄΡΟΠ. ΚΑСΤΑΒΑΛЄΩΝ. *Victoria gradiens*, in numo Macrini. (Mus. Theup. p. 1007. ubi perperam legitur ΤΑΒΑΛЄΩΝ ΙЄΡΟΠ. ΚΑС.)

ΙЄΡΟΠΟ. ΚΑСΤΑΒΑ. ΙЄΡΟС. *Vrna ludorum inter duas taedas ardentes*, in numis Diadumeniani et Elagabali. (Vaill.)

De posterioribus his numis tres video ferri sententias. Harduinus concordiam inter Hieropolin Syriae et Castabala Ciliciae opinatur. Vaillantius censuit Castabalis Ciliciae alterum fuisse nomen Hieropoleos a), quam sententiam amplexus etiam est olim Pellerinius b). Tertia Pellerinii sententia, cui serius ipse adhaesit c), in numis his indicari concordiam inter Castabala et Hieropolin, utramque Ciliciae urbem. Nam cum, ait, ex autonomis aliquot constet, fuisse in Cilicia urbem Hieropolis nomine, et eam Pyramo adsitam monente inscriptione: ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΠΥΡΑΜΩΙ., Castabala vero remotiora a Pyramo fuerint docente Curtio d): *Motis castris et Pyramo amne ponte juncto ad urbem Mallon pervenit, inde alteris castris ad Castabalum*, satis apparet, etsi vicinam, diversam tamen fuisse utramque urbem, nihil ergo pronius, quam expressam in his numis utriusque urbis concordiam opinari.

Minus adridet haec Pellerinii sententia, quia I. nulla concordiae indicia in hoc numo comparent, neque verbum ΟΜΟΝΟΙΑ, neque duarum urbium numinà. II. quia nullum certum numum urbium Ciliciae habemus, in quo concordia cum altera urbe notaretur, ut adeo hunc morem in eo tractu nunquam obtinuisse verisimile sit. III. Etsi certum sit, fuisse revera in Cilicia urbem aliquam, quae Hieropolis vocabatur, ex eo non sequitur, non potuisse aliam vicinam urbem idem Hieropolis nomen instar nominis sacri et honorifici usurpare. Ita vidimus, fuisse in Galatia urbem dictam Sebasten, atque eodem nomine, sed mere honorifico gloriatam vicinam Ancyram, quae in marmore dicitur ΣΕΒΑΣΤΗ. ΑΝΚΥΡΑ. Quare necesse omnino non est, concordiam, cujus indicia nulla adsunt, in his notatam credere.

---

a) Num. Graec. in Diadum. b) Rec. II. p. 163. c) Suppl. III. p. 132. d) L. III. c. 7.

Potius igitur credam cum Vaillantio, Castabala dicta fuisse etiam Hieropolin, et memorari in numis utrumque urbis nomen, ut in Comanorum Ponti numis etiam additum Hierocaesareae nomen diximus, aliaque idem passim exempla docent. Et verisimile est propter ludos sacros hac in urbe constitutos, quos epigraphe ΙΕΡΟϹ indicat, et cultum Dianae, quem mox probabimus, huic urbi Hieropolis nomen additum. Sic et teste Luciano Bambyce Cyrrhesticae dicta *Hieropolis* των ἱερων μεγαλων ἑνεκα [a]).

Quaerendum jam, quibus Castabalis, Ciliciaene, an Cappadociae, applicandi sint hi numi. Pellerinius numum Faustinae ad Castabala Cappadociae pertinere propter typum mulieris taedam manu tenentis recte conjicit. Censet enim, hanc esse Dianam, cui nomine *Perasiae* magni sunt habiti apud haec Castabala honores, sic dictae Strabone auctore, quod ex Tauro *trans mare* huc pervenerit, et revera testatur Pausanias, Cappadocas cum Euxini accolis certasse, apud utram gentem sit Dianae Tauricae signum [b]). Vide etiam, quae Procopius de Diana Taurica in hoc tractu culta memorat [c]). Ejus deae sacerdotes per substratas prunas impune incessere teste Strabone. Si ergo hic Faustinae numus propter dictum typum Cappadociae urbi rite tribuitur, sequentes etiam bini propter typum taedarum, tanquam certum Dianae docente numo praecedente attributum, eidem urbi jure tribuentur. Notum, Dianam Luciferam praeferre manibus taedas, et ex Stratoniceae, aliisque numis docemur, eas esse Hecate proprias, quae ex mythologia fuit eadem cum Diana. Scriptum ad has faces ΙΕΡΟϹ indicat, in ejusdem deae honorem sacrum hunc agonem obitum, ex quo, ut dixi, urbi *Hieropolis* nomen adhaeserit. Per causam taedae etiam huc vocandum censeo numum Lucillae, etsi solo ΙΕΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ inscriptum. Si huc non pertinet, erit Hieropolis Cyrrhesticae, sed cujus hac aetate longe alii fuere typi.

AE. RRR.

CYBISTRA.

Ad fines Ciliciae, saepe Ciceroni Ciliciae proconsuli memorata.

ΕΠΙ. ΡΟΥϹΩΝΟϹ. *Caput muliebre turritum.* Χ ΚΥΒΙϹΤΡΕΩΝ. *Harpa.* AE. III.

Hanc urbem ex numis hactenus ignotam primus nuper illustriorem fecit eruditus ac industrius Sestinius [d]).

AE. RRRR.

DIOCAESAREA.

Tributum huic a Vaillantio Antonini numum esse Diocaesareae Sepphoris Galilaeae, in hac dicetur.

EVSEBIA.

Vide supra in Caesarea.

a) de Dea Syr. sub. init. b) L. III. c. 16. c) Bell. Pers. L. I. c. 17. d) Lettere T. IV. p. 119.

TYANA.

Tauro adsita, patria famigerati Apollonii ab hac dicti Tyanei.

Autonomi:

Taurus gradiens. ✠ ΤΥΑΝΕΩΝ. *Iuppiter sedens d. pateram, s. hastam.* AE. III. (Pellerin.)

Taurus partis anticae manifesta est adlusio ad Taurum montem, cui adposita fuit urbs.

Caput virile velut Mercurii galea tectum. ✠ ΤΥΑΝ. *Pegasus dimidius.* AE. (Arigoni.)

Caput muliebre turritum. ✠ ΤΥΑΝΕΩΝ. *Vir nudus stans dubiis attributis.* AE. III. (Pembrock.)

In utroque hoc numo existimo propositum Perseum, cujus cognitus est cum Pegaso nexus. Ejus herois cultus facile a vicino Iconio Lycaoniae huc fluxerit.

AE. RRR.

Imperatorii.

Porriguntur a Nerone usque ad Severum, adduntur que constanter

Anni imperii, ut in numis Caesareae, suntque

Neronis: Z. IB. (Vaill. Mus. Caes.)

Trajani: ET. A. (Pellerin.)

Hadriani: ET. E. (Vaill.)

Antonini: ET. IB. IΘ. (Mus. Caes. Vaill.)

Aurelii: ET. B. (Mus. Caes.)

Severi: ET. Δ. (Haym.)

Epigraphe: ΤΥΑΝΕΩΝ. *Typus plerumque: Mulier turrita rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens.*

Honorum tituli:

Ιερα Ασυλος constanter inscribitur inde ab Antonino.

Αυτονομος additur in numis Antonini et Severi. (Vaill. Mus. Caes.)

Plena epigraphe: ΤΥΑΝΕΩΝ. ΙΕΡΑC. ΑCΥΛΟΥ. Κ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. in numo Severi. (Vaill.)

Mentio situs a Tauro monte, scribiturque: Τ. Π Τ. vel ΤΩΝ. Π. Τ. quod explendum: ΤΩΝ. Προς Ταυρῳ. In autonomo supra citato, et in numo Severi apud Haymium est taurus cum adlusione ad montem Taurum, nam teste Dionysio Periegete [a])

Ταυρον δε ἑ κικλησκουσιν,
Ουνεκα ταυροφανες τε και οξυκαρηνον οδευει,
Ουρεσιν εκταδιοισι πολυσχιδες ενθα και ενθα.

Taurum vero eum vocant,
Eo quod tauro similis, et acutum caput habens incedit,
Montibus spatiosis multifidus hinc et inde.

Nisi forte taurus adludit ad Tauros Euxini accolas; nam teste Arriano [b]) haec urbs olim pro Tyana dicta fuit Thoana a Thoante rege Taurorum, qui, cum Orestem ac Pyladem persequeretur, hoc loco interiisse dicitur. Nexum vicinorum Castabalorum cum Tauride mox vidimus.

---

a) v. 641. b) Peripl. Eux.

Magistratus:

Numum Pomponii Bassi legati cum capite Trajani a Tyanensibus signatum dedi supra in numis Caesareae.

AE. RR.

Colonia Tyana. Sex hactenus Tyanensium numi coloniae nomine cogniti, quos omnes ignorabant Vaillantius et Harduinus. Omnes Caracallae dicati, dempto uno Domnae, quem dedit Sestinus a). Omnes ЄT. Iς. et praenomen *Antoninianae* offerunt. Horum numorum ope discimus, quod scriptores veteres omnes dissimulavere, non modo Tyana fuisse coloniam, sed discimus etiam propiora, nimirum deductam a Caracalla, et quidem verisimiliter anno imperii ejus XVI. secundum Cappadocum computum, qui coepit a XII. Decembris 965., quod inde patet, quia in numis Severi coloniae mentio nondum fit. Ejus vero natales incidere in annum Caracallae XVI. Cappadocicum, probabile est, quia tot numi cum solo hoc anno producti sunt. Ex quo apparet, eo anno occasione festorum certaminum propter deductam coloniam constitutorum, quorum quoque memoriam conservavit numus, majore numero in hac urbe flatam monetam.

Epigraphe: ANT. ΚΟΛΩΝΙ. ΤΥΑΝΩΝ. ЄT. Iς. in aliis ΚΟΛΩΝ. ΚΟΛΩΝΙΑ. Istud singulare, omnes hujus urbis numos coloniae nomine inscribi ΤΥΑΝΩΝ, cum alii omnes inscribantur ΤΥΑΝЄΩΝ. Alia epigraphe non occurrit, sed in omnibus est eadem. Quare jure *το* AMH. apud Arigonium in ANT. corrigendum, indito Antoninianae nomine a conditore coloniae Antonino Caracalla.

Typi:

Colonus arans. (Pellerin Suppl. I. p. 43.)

Roma armis insidens. (Arigoni.)

Victoria gradiens. (Pembrock P. III. tab. 80. Arigoni.)

Mulier turrita rupi insidens. (Haym.)

Mulier turrita rupi insidens s. clypeum tenet, cui inscriptum: ΑΓΩΝ. ΑΝΤΩΝΙΝΙΑΝ. *Certamen Antoninianum.* (Pellerin Rec. I. p. XV.)

Hygia et Aesculapius stantes medio inter hos Telesphoro. (Sestini l. c.)

AE. RRR.

REGES CAPPADOCIAE.

Vt ante Alexandrum M. universa Cappadociae historia obscura est, sic et regum, qui per vices Assyriis, Medis, Persis obnoxii fuere. Qui Alexandri

a) Lettere T. III. p. 131.

aetate imperaverunt, dicti Ariarathes, ad Cyrum Persam genus suum retulere. Testatur istud Diodorus Siculus regum seriem inde a Cyro ductam instruens a). Imperantibus Persis Cappadocia divisa, ejusque pars Ponto adjacens data Artabazi ex stirpe Achaemenidarum, unde profecti reges Ponti, ut in his diximus.

Regum Cappadociae historiam scripsit Reinerus Reineccius, serius numis illustratam dedere Spanhemius b), Frölichius c), Belleyus d), qui jam olim in reges dictos Ariobarzanes praeclare commentatus est e). Suas etiam animadversiones ex numis suis addidit Pellerinius f). Horum virorum elucubrationes, quos in iis scribendis omni usos adcuratione constat, tanto securius possumus sequi, quod ab eo tempore nihil amplius, quod norim, ad cognitos jam horum regum numos accessit.

ARIARATHES I.

Cum Artaxerxe Ocho contra Aegyptios arma jungit. Holophernem fratrem regni socium adhibet g).

ARIARATHES II.

Eo regnante Alexander Persarum imperium evertit. Alexandro mortuo Perdiccas Eumenem mittit, qui victo caesoque Ariarathe Cappadociam sibi subjicit V. C. 432 h).

ARIARATHES III.

Caeso patre in Armeniam profugus latet, donec mortuis Perdicca et Eumene, Antigono vero et Seleuco bello districtis, impetratisque ab Armeniae rege auxiliis redux Macedonas caeso eorum duce Amynta expulit circa annum V. C. 452.

ARIAMNES.

Ariarathis III. filius nulla re insigni memoriae prodita moritur, incertum quo anno.

ARIARATHES IV.

Ariamnis F. vivo adhuc patre Stratonicen Antiochi II. filiam uxorem ducit. Annus mortis incertus.

Numus:

Caput imberbe diadematum. ✗ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ. *Pallas sedens d. Victoriolam, s. hastam, et simul clypeo innixa, in area noctua et literae solitariae.* AR. I. (Pellerin.)

Insignis est hic numus, quia unicus ex regum Cappadociae numis maximi moduli, cum reliqui omnes sint formae III. Eum Pellerinius Ariarathi I. vel II. tribuendum putat. Rationes, quas adfert, istud non persuadent, at praesto mihi sunt graviores aliae, quae

---

a) L. XXXI. eclog. 3. b) Tom. I. p. 468. c) Not. elem. p. 183. d) B. L. T. XL. hist. p. 129. e) B. L. T. XXIII. hist. p. 189. f) Rois p. 195. g) Diodor. l. c. h) Diodor. l. c.

evincere videntur, eum ad Ariarathen IV., vel unum aliquem ex proximis successoribus pertinere. Verisimile non est, priores duos Ariarathes, Persarum haud dubie religioni addictos, quia ab his profecti fuere, nullo adhuc cum Graecis commercio, Graecorum religionem in moneta publica professos. Accedit, numum hunc usque adeo similem esse tetradrachmis Lysimachi, quod Pellerinius ipse profitetur, ut dubitari non possit, ab his praesentis numi exemplum sumptum. At vero Lysimachus nonnisi anno V. C. 432. Thraciae regnum adivit, et eodem hoc anno Ariarathem II. caesum diximus. Neque etiam verisimile, Ariarathem III. a Graecis regno pulsum, et deinceps perpetuum eorum hostem Graecorum mores ac religionem adfectasse. Sed enim inde ab Ariarathe IV. plus cum Graecis commercii, et major amicitiae causa, postea quam is cum Syriae regibus, ut diximus, adfinitatem contraxit. Circum eadem etiam tempora Mithridates quispiam Ponti rex numos signavit ad exemplar tetradrachmorum Alexandri M., ut in moneta regum Ponti diximus.

ARIARATHES V.

Antiochidem Antiochi M. filiam uxorem ducit. Haec cum liberis careret, duos marito filios supponit. Subinde praeter spem praegnans filium enixa est futurum successoren [a]). Antiochum socerum adversum Romanos juvit, sed illo victo pecunia multatus amicitiam deinceps cum Romanis coluit. In filium suum tanto ferebatur amore, ut regnum vivus cedere filio cuperet, sed constanter recusanti [b]). Moritur V. C. circiter 588.

Ariarathem hunc dictum fuisse Εὐσεβῆ, *Pium*, diserte adfirmat Belleyus, ac propterea illi numos tribuit, qui cognomen istud praeferunt, verum ejus illi tributi nemo veterum meminit.

ARIARATHES VI.

A pietate in patrem cognitus. Philosophiae studiis impense deditus eruditos Graecos ad se arcessit. Amicitiam cum Romanis renovat. Haec Diodorus, qui in hoc Ariarathe desinit. Obiit Romanorum socius in bello contra Aristonicum V. C. 624 [c]).

ARIARATHES VII.

Vxorem habuit Laodicen Mithridatis VI. Ponti regis sororem, postea adfinis regis insidiis e medio tollitur circiter V. C. 658 [d]).

ARIARATHES VIII.

Cum Nicomedes III. Bithyniae rex ducta Laodice Ariarathis VII. filia Cappadociam invasisset, istud aegre ferens Mithridates pulso per pietatis speciem Nicomede nepotem ex sorore Ariarathem avito regno restituit. At ejus ipse avidus adolescentem ad colloquium

a) Diodor. l. c. b) Diodor. l. c. c) Iustin. L. XXXVII. 1. XXXVIII. 2. d) Iustin. L. XXXVIII. 1.

solicitat, et incautum in conspectu duorum exercituum obtruncat V. C. 661 a).

ARIARATHES IX.

Ariarathis VIII. frater, hoc caeso a popularibus ad regnum vocatus, sed mox a Mithridate victus, et regno dejectus paullo post ex aegritudine decedit V. C. 662 b).

Numi ARIARATHIS *nomine inscripti.*

Vt in plerisque regum numis molestum est discrimen, sic in regum Cappadociae numis molestissimum. Addita cognomina, quae alios reges facile saepe distinguunt, in his hactenus otiosa sunt. Cognomina regum Ariarathis nomine tria ex numis comperta, ΕΥΣΕΒΟΥΣ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ., sed cum horum nullum a scriptoribus memoretur, incertum manet, ad quem singula sint referenda. Nimis confidenter Belleyus Ariarathen V. *Eusebén*, Ariarathen VIII. *Philometora* fuisse dictum adserit, sed nullo istud testimonio probat. Quo factum, ut quicunque hactenus regum Cappadociae numos vulgarunt, diversum omnes eorum ordinem instruerent, ut videre potes in Spanhemio, Begero, Haymio, Belleyo, Frölichio, Pellerinio. Aliquid tamen conferunt additi plerumque regni anni, ex quibus istud conficitur, si auctiores sunt, non posse ejus esse regis, cujus contractius fuit regnum. Eruditorum dissidia, quae in praesens componi non possunt, forte olim poterunt, quando horum numorum auctiore numero ex regum vultu et inscriptis annis facilior erit judicandi potestas. En tibi cognitos hactenus id genus numos:

* * *

Caput regis diadematum. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ. ΕΥΣΕΒΟΥΣ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam cum clypeo, infra anni* Δ. Ε. ΙΑ. ΙΓ. Λ. ΒΛ. ΓΛ. AR. III.

Caput regis diadematum. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ.ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ.ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Pallas similis, infra anni* Ε. Ι. AR. III. (Mus. Caes.)

Caput regis diadematum. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ. ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ. *Pallas similis, infra annus* Θ. AR. III. (Haym.)

* * *

Exstincta cum Ariarathe IX. familia regia, et Mithridate a Romanis Cappadocia excedere jusso, gens Cappadocum sub regibus vivere adsueta oblatam sibi libertatem aspernata, regem sibi adprobantibus Romanis delegit ARIOBARZANEM anno V. C. 663. Huic successere ARIOBARZANES II. et III., et denique hujus frater ARIARATHES X., in quo Ariobarzanis genus defecit inducto in regnum ARCHELAO. Atque hunc ultimae stirpis ordinem contra omnium hactenus eruditorum sententiam stabilivit Belleyus in egregia sua dissertatione c), quam fere solam deinceps citabo.

a) Iustin. L. XXXVIII. 1. b) Iustin. L. XXXVIII. 2. c) B. L. T. XXIII. hist. p. 189.

ARIOBARZANES I. PHILOROMAEVS.

Caput regis diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ. ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam cum clypeo, infra* ΙΕ. Ιϛ. ΚΒ. ΖΚ. ΘΚ. ΓΛ. AR. III. (Mus. Caes. Belley, Pellerin.)

Ante omnia hic Ariobarzanes I. Philoromaeus stabiliendus, quod praestabit eximium epigramma repertum Athenis, et vulgatum a Belleyo [a]):

ΒΑΣΙΛΕΑ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΗΝ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΑ. ΤΟΝ. ΕΚ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ. ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. ΚΑΙ. ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΑΘΗΝΑΙΔΟΣ. ΦΙΛΟΣΤΟΡΓΟΥ. ΟΙ. ΚΑΤΑΣΤΑΘΕΝΤΕΣ. ΥΠ. ΑΥΤΟΥ. ΕΠΙ. ΤΗΝ. ΤΟΥ. ΩΙΔΕΟΥ. (sic) ΚΑΤΑΣΚΕΥΗΝ. ΓΑΙΟΣ. ΚΑΙ. ΜΑΡΚΟΣ. ΣΤΑΛΛΙΟΙ. ΓΑΙΟΥ. ΥΙΟΙ. ΚΑΙ. ΜΕΝΑΛΙΠΠΟΣ. ΕΑΥΤΩΝ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ.

Habemus ergo ex hoc marmore Ariobarzanem Philoromaeum patrem Ariobarzanis Philopatoros, quem fuisse Ariobarzanem II. infra probabimus, et quod sequitur, numi, qui ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ solum titulum addunt, erunt Ariobarzanis I.

Ariobarzanem I. saltem annos XXXIII. Cappadociae praefuisse, ex numis tenemus. Ergo cum regnum adiverit. V. C. 663., annus ΓΛ. incipit V. C. 695. Nomen ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ suscepit, sive quia confirmatum a Romanis habuit regnum, et cum regno deturbatus fuisset a Mithridate, primum a Sulla V. C. 668., iterum a Pompejo V. C. 688. fuit restitutus, sive per suetam tum regum inservientium adulationem.

Vxorem habuit Athenaidem teste marmore, nam eam scriptores reticent. Dicitur ΦΙΛΟΣΤΟΡΓΟΣ., quod Belleyo est *liberorum amans.* Aliam Athenaidem Philostorgon fuisse etiam uxorem Ariobarzanis II., infra videbimus.

ARIOBARZANES II. PHILOPATOR.

Filius Ariobarzanis I. Philoromaei, ut dictavit marmor Atticum mox citatum. Patri adhuc vivo additum fuisse collegam, docet Val. Maximus, cum refert [b]), Ariobarzanem I. juxta Pompejum M. in sella curuli sedentem, cum videret filium in cornu scribae humiliorem fortuna sua locum obtinentem, non sustinuisse istud, sed descendentem sella diadema in filii caput transtulisse, eumque hortatum, ut eo transiret, unde ipse surrexerat. Cum pater instaret, filius cum lacrimis pie reluctari pergeret, Pompejus ex patris voluntate filium et regem appellavit, et diadema sumere jussit, et in curuli sella considere coegit. En luculentam filio causam, cur PHILOPATORIS nomen sibi adsctsceret. Athenis odeum, cum urbs a Sulla oppugnaretur, multis damnis adfectum suis sumptibus reficiendum curavit teste marmore in patris numis laudato. Moritur V. C. 702. violenta morte, ut colligitur ex Cicerone [c]).

Habuisse uxorem *Athenaidem Philostorgon*, et ex ea filium *Ariobarza-*

---

a) l. c. b) L. V. c. 7. c) ad Famil. L. XV. ep. 2.

nem Euseben Philoromaeum, docet marmor Atticum editum a Corsino, restitutum a Belleyo:

Ο. ΔΗΜΟΣ. ΒΑΣΙΛΕΑ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΗΝ. ΕΥΣΕΒΗ. ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΝ. ΤΟΝ. ΕΚ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΚΑΙ. ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΑΘΗΝΑΙΔΟΣ. ΦΙΛΟΣΤΟΡΓΟΥ. ΤΟΝ. ΕΑΥΤΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Athenaidis regnante Ariobarzane III. turbulentae feminae meminit Cicero [a]): *Metram et Athenaeum importunitate Athenaidis exilio multatos maxima apud regem auctoritate gratiaque constitui.* Quae fuerit haec Athenais, Cicero non addit, sed apparet ex marmore, fuisse Ariobarzanis III. matrem.

Numi:

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. *Pallas, ut in praecedentibus.* AR. III. (Pembrock, Belley.)

ARIOBARZANES. III. EVSEBES PHILOROMAEVS.

Ariobarzanis II. et Athenaidos F. A Cicerone tum in provinciam Ciliciam profecto senatus nomine rex appellatus [b]) et adversum suorum insidias protectus, dictus ab hoc quoque *Eusebes*, et *Philoromaeus* [c]). In bello civili Pompejum subsidiis juvit [d]), subinde a I. Caesare adversus Pharnacem Ponti regem defensus [e]). A Cassio, quod a bello contra IIIviros abhorrebat, misso in Cappadociam milite caesus est V. C. 712 [f]).

Numi:

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ. ΕΥΣΕΒΟΥΣ. ΚΑΙ. ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. *Pallas stans, ut in prioribus, infra* Θ, *in nonnullorum area luna et astrum.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin, Belley.)

Docente anno Θ numi hi signati sunt V. C. 710. vel 711. Luna et sol, in Ponticis quoque numis obvii, Persicam regum originem indicant, ut dixi in numis Mithridatis I. Pontici.

ARIARATHES X. EVSEBES. PHILADELPHVS.

Ariobarzanis III. frater memoratus Ciceroni [g]). Fratri caeso successurus aemulum nactus est Sisinnam Glaphyrae meretricis F., Archelai, de quo mox, fratrem. M. Antonio V. C. 713. res Asiae componente regi justo praelatus Sisinna in Glaphyrae gratiam [h]). Etiam Strabo meminit Sisinnae aetate sua Cappadociae regnum adfectantis [i]). Distento subinde aliis curis Antonio videtur Ariarathes regnum avitum ejecto aut mortuo forte aemulo recuperasse. Istud certum ex Dione [k]), Antonium V. C. 718. Cappadociam pulso Ariarathe dedisse Archelao Glaphyrae F. Ergo, ut vere Strabo [l]), Ariobarzanis genus defecit in tertia stirpe, quarum I. fuit

a) Ad Fam. L. XV. ep. 4. b) Cic. ad Fam. L. II. ep. 17. c) ad Fam. L. XV. ep. 2. d) Caes. B. C. L. III. c. 4. e) Hirt. Bell. Alex. c. 34. et 36. f) Dio L. XLVII. 33. Appian. B. C. L. IV. g) ad Fam. L. XV. ep. 2. h) Appian. B. C. L. V. i) L. XII. p. m. 811. k) L. XLIV. §. 32. l) L. XII. p. m. 815.

Ariobarzanis I., altera Ariobarzanis II., tertia Ariobarzanis III. et Ariarathis X. fratris.

Numi:

Caput regis diadematum barbatum. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ. ΕΥΣΕΒΟΥΣ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. *Pallas stans, ut in prioribus, in area tropaeum, et* ΑΘΕ. AR. III. (Belley, Pembrock.)

Nomen *Pii* habuit cum fratre commune. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ rationem dabit Cicero, apud quem Ariobarzanes rex fratrem Ariarathem amantissimum sui, et summa pietate praeditum appellat [a]).

ARCHELAVS.

Genus illi paternum ab Archelao avo, qui sub Mithridate VI. Ponti rege contra Romanos dimicavit, mater Glaphyra scortum [b]). Archelaus autem noster regali Comanorum Ponti sacerdotio insignis [c]), subinde V. C. 718. in regnum Cappadociae dejecto rege Ariarathe intrusus est ab Antonio matris Glaphyrae illecebris capto [d]), quem ineptum IIIviri amorem risit adhuc Martialis [e]). In postremo bello civili Antonii partes secuto non modo ignovit Augustus [f]), sed etiam V. C. 734. Armeniam minorem et maritima quaedam Ciliciae largitus est [g]). Extrema senecta Romam evocatus a Tiberio sibi infenso, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluisset, honoribus omnibus in C. Caesarem Agrippae F. versis, spem inter metumque positus diem in urbe obivit; spontene, an fato, incertum, V. C. 770 [h]). Deinceps Cappadocia in provinciam redacta, ejusque fructibus vectigal imminutum [i]).

Vxor I. incerti nominis, ex qua nata Glaphyra, nupta primum Alexandro Herodis M. filio, deinde Iubae II. Numidiae regi, denique Archelao Herodis M. filio. Vxor II. Pythodoris vidua Polemonis I. Ponti et Bospori regis.

Numi:

Caput regis diadematum. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΧΕΛΑΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΔΟΣ. ΤΟΥ. ΚΤΙΣΤΟΥ. *Clava, in area* K., *in alio:* MB. AR. III. (Pellerin Rois p. 198. Panel Catal. le Bret.)

ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΔΟΣ, *patriam amantis* titulus rarus in numis, unde factum, ut antiquarii priores in similibus aliis ea parte laesis legendum putarent ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. Habemus etiam Φιλοπατρίδα A. Gessium, in numis Smyrnae. Dicitur idem ΚΤΙΣΤΗΣ, *conditor*, haud dubie propter urbem Elaeusam, quam sitam in insula cognomine Ciliciae fere contigua de novo condidit, et in Augusti gratiam *Sebasten* appellavit,

a) Ad Fam. L. XV. ep. 2. b) Dio L. XLIX. §. 32. c) Strabo L. XVII. p. m. 1147. d) Dio l. c. e) L. XI. ep. 21. f) Dio L. LI. §. 2. g) Dio L. LIV. §. 9. h) Tacit. Ann. II. 42. Dio L. LVII. §. 17. i) Tacit. l. c.

ut diximus in hujus insulae numis. Anni regni K. et MB. ducendi ab anno V. C. 718., quo illud ab Archelao aditum diximus. Clavae ratio mihi ignota.

ARMENIA.

In majorem et minorem divisa, quarum illa in orientem, haec in occasum vergebat, olim Persis paruit. Horum imperio ab Alexandro everso post varias vices in Seleucidarum potestatem concessit, quam praefectis suo nomine administrandam dedere. Ex his Artaxias Armeniae majori, Zadriades minori pro Antiocho III. praefecti, cum viderent regem suum Romanorum armis fractum, commissas sibi provincias regio singuli nomine coeperunt administrare, quin aut is, aut successores reges recuperare amissa possent. Crescentibus hinc Romanis, inde Parthis Armenia inter utrosque posita perpetuum fuit bellorum, aut ambiguae pacis argumentum, juxta periculoso, his, illisve adhaereret. Sed haec ad scriptores rerum Armeniacarum pertinent.

Res numismatica fortunam in Armenia parum propitiam experta est. Ejus urbium numi saltem certae fidei comperti hactenus non sunt. Paucae illae, quae numorum feraces nonnullis visae sunt, produntur sequentes:

ARSAMOSATA.

Fuere, qui numum M. Aurelii promulgarent cum credita epigraphe APMOCAITTHNΩN, et arguerent adeo, hanc Armeniae urbem dicendam *Armosata* non *Arsamosata*. Verum in hoc numo legendum ЄPMOC. CAITTHNΩN., eumque tribuendum Saettenis Lydiae, docuit Barthelemyus, quem vide [a]).

ARXATA.

Huic urbi Pellerinius conjicit tribui posse *autonomum* argenteum. *Caput Palladis.* ℞ *Pallas sedens*, at ex epigraphe solae literae APΞ rite discernuntur. Res dubia.

DARANISSA.

Perperam Suintonus Anglus huc vocavit numum cum praetensa epigraphe ΔAPΔANOCCHNΩN, qui est Ilii Troadis, ut in hujus numis dictum.

---

a) B. L. T. XXI. Mem. p. 416.

* * *

Certos ergo urbium numos cum non habeamus, habemus tamen paucos regum, de quibus continuo.

REGES ARMENIAE.

Horum series egena et manca, et nonnullorum, quos reges numi appellant, ipsa nomina historiae fere ignota, sic ut per conjecturas tantum ab externis quibusdam signis petitas fuisse Armeniae reges liceat statuere. Vnde factum, ut eruditi, qui eos illustrare sunt agressi, multa impensa opera conjecturarum denique molem cogerentur obtrudere, in qua evolvenda plus taedii, quam verae scientiae percipimus.

Inter signa externa, quae Armeniae reges discriminant, reponimus tegmen capitis in fastigium more regum orientis abiens. Illud recepto more tiaram lubet compellare, etsi in nonnullis contrarium mihi videam Pellerinium, qui prolixa disputatione veram tiarae, et mitrae, et cidaris formam explicare instituit [a]), sed qua perlecta incertior eram, quam dudum. Eam regum Armeniae tiaram ex primo instituto, cum simplicitas adhuc valuit, fuisse conicam nullo alio addito ornamento, nisi diademate, ipsi videntur docere numi, ex quibus ii, qui antiquitate praestant, cum simili, neque alterius formae tiara, reges suos proponunt, ut videre est ex numis Arsamis, Xerxis, Sami, et quem ex eadem causa huc voco, Mithridatis. Sequior aetas in Armeniaca hac tiara coni apicem truncavit, credo, ut radiis locum faceret, quibus subinde ejus oram distinxit, quod solem impensius observavere Armenii, sive quod regum Syriae cultum volebant imitari. Hujus formae tiara comparet in omnibus posteriorum regum numis, Tigranis, Artavasdis, Antiochi IV. Commageni, et filiorum Epiphanis et Callinici, et eodem exemplo in denariis M. Antonii, et Augusti, qui Armeniae devictae testimoniis gloriantur. Neque hic constitit novandi amor, nam inserta illi astra, adstantibus nonnunquam binis aquilis, in nonnullis Commagenis insculptus scorpius etc. Haec copiosius exposui propterea, ut, cum forte id genus numi hactenus ignoti occurrent, non modo planius intelligamus, eos in Armeniam potius, quam aliorsum derivandos, verum etiam cui opportunius aetati possint adcommodari, quantum per has tenebras licuerit, dispiciamus. Dixi, tiaram hanc simul diademate fuisse revinctam, quod docent non modo in-

a) Lettres p. 90.

specti numi, sed et Dio narrans [a]), Tigranem gessisse τιαϱαν, το τε διαδημα.

En tibi regum Armeniae ex numis catalogum secundum tempora, quibus regnasse videntur, digestum. Quoniam propter historicorum silentium spes non adfulget, fore ut collata quacunque opera in iis explicandis certum aliquid et exploratum possit adferri, ne conjecturarum examen augeam, lubet inhaerere iis, quae viri eruditi, cum eos vulgarent, quacunque fortuna praecepere. Regum Armeniae catalogum ex scriptorum testimoniis struxerunt Reinerus Reineccius, et Vaillantius, qui eum appendicis instar suae Arsacidarum historiae subjecit.

ARSAMES.

Caput regis imberbe tiara conica et diademate tectum. ✕ ΒΑΣΙΛΕ - - ΛΙΣΑΜΟ - *Vir pileo conico tectus d. hastam citato equo vehitur.* AE. II. (Pellerin Lettres p. 79.)

Ipse capitis cultus monet, numisma istud ad hunc tractum pertinere. Nomen ΛΙΣΑΜΟ posset nos de vera regis appellatione reddere ambiguos, nisi ex aliis, et quidem ejus viciniae monumentis constaret, elementum A omissa lineola transversa saepe ut Λ, et P omisso annullo ut I exarari. Suffecta igitur vera literarum forma evadit ΑΡΣΑΜΟ. Frölichius, cum creditum Arsamis numum, inscriptum ΣΑΜΟΤ ederet, sed quem serius, ut mox infra dicetur, esse regis Sami, vel Samis constabat, illustrium per Persiam et Armeniam virorum catalogum concinnavit, qui *Arsamis* nomine praediti fuere. Horum nullus cum viro erudito adrideret, ad conjecturas conversus suspicatur, regnante Seleuco II. Arsamen quendam, illustrem haud dubie Persam, per ejus tempestatis turbida regem se Armeniae appellasse, et fuisse conditorem urbis in Armenia positae, quam de se *Arsamosata* dixerit, eumque etiam videri fuisse patrem Xerxis, de quo agetur continuo. En summam conjecturarum, quas prolixius expositas ex ipso Pellerinio pete [b]). Ceterum fatetur hic, numum praesentem ejusdem esse fabricae, cujus sunt numi regum Syriae circum Seleuci II. tempora signati.

XERXES.

Caput regis barbatum tiara conica et diademata tectum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΞΕΡΞΟΤ. *Victoria stans d. protenta coronam, s. scutum humi attinet, pro pedibus* H. AE. III. (Barthelemi B. L. T. XXI. Mem. p. 404.)

Alius similis, sed AR. III. (Catal. d'Ennery p. 28.)

Numum priorem ex regis Galliarum museo subjectis praeclaris commentariis edidit Barthelemyus [c]), eumque in variis suis operibus obtulit Frölichius communicato secum ab erudito de Boze ectypo. Vterque numum hunc tribuit Xerxi Armeniae regi, de quo unus Polybius in excerptis Valesii haec habet [d]). Cum Antiochus Armosata

a) L. XXXVI. §. 35. b) l. c. c) l. c. d) de virt. et vit. L. VIII.

inter Euphraten et Tigrim sita oppugnare pararet, Xerxem ejus urbis regem viribus suis diffisum fuga sibi primum consuluisse, subinde missis legatis ejus petiisse colloquium. Tum vero Antiocho amicos persuadere voluisse, ne juvenem regem amplius dimitteret, sed urbem regnumque daret Mithridati sororis suae naturalis filio, *ὅς ἦν ὑιος της ἀδελφης ἀυτȣ κατα φυσιν.* Sed enim tantum abfuisse, ut amicorum consilium rex sequeretur, ut in regno confirmaret etiam copulata ei sorore Antiochide. Haec Polybius. Existimat Barthelemyus, memoratum scriptori Graeco Antiochum fuisse Antiochum III., atque inde conjicit, jam ante Artaxiam et Zadriadem Armeniae praefectos, quos ab hoc Antiocho defecisse refert historia, fuisse reges, qui se Syrorum imperio subtraxere. At Frölichius in Antiochum IV. inclinat, et multis adlatis argumentis conjecturam fulcit a). Observavit praeterea Barthelemyus, hunc Xerxis numum tam fabrica, quam typo, et epigraphes situ simillimum esse iis, quos nobis primi Syriae reges dedere.

SAMES *vel* SAMVS.

Caput regis imberbe tiara conica et diademata tectum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΑΜΟΥ. ΘΕΟΣΕΒΟΥΣ. ΚΑΙ. ΔΙΚΑΙΟΥ. *Thyrsus cum taeniis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput imberbe radiatum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΑΜΟΥ. ΘΕΟΣΕΒΟΥΣ. ΚΑΙ. ΔΙΚΑΙΟΥ. *Victoria gradiens infra* ΓΛ. AE. III. (Pellerin.)

Numum priorem edidit Frölichius in suis Regum vet. numis anno 1752. vulgatis b), sed in eo invita Minerva legere sibi visus est ΑΡΣΑΜΟΥ pro certo et indubitato ΣΑΜΟΥ. Quare Arsamen aliquem in Persis vel Armeniis illustrem circumspexit, qualis erat is, quem supra primum in Armeniae regibus proposuimus. Monitus a Cl. Boze, qui alterius numi iconismum miserat, in lectione ΣΑΜΟΥ lubens acquievit, fassus, incassum cecidisse omnia, quae copiose olim in hunc numum commentatus est c). Eodem anno 1752. Belleyus alterum, quem descripsi, Sami numum in lucem dedit, cumque de Same vel Samo rege nulla apud scriptores reperiatur mentio, necesse fuit, unis conjecturis rem agere d). Earum summa haec est: numus hic fabricae est plane Syriacae, et quidem cujus sunt numi aetate Alexandri I. Balae percussi. Verisimile ergo, Samen vel Samum aliquem imperante Antiocho M. defecisse, et in Commagene regnum sibi fundasse aedificata juxta Euphratem urbe, quam de nomine suo *Samosata* dixerit, perinde ac in contigua Armenia Artaxata dicta fuere a conditore Artaxia, Eruandasata ab Eruanda, Arsamosata ab Arsame, quo ipso verisimile fit, additum *sata* in Armeniorum lingua significare *urbem.* Belleyi sententiam in subjecta continuo dissertatione evertere nititur Cl. de Boze eo prae-

a) Dub. de Minnis. p. 93. b) pag. 13. c) Dubia de Minnis. p. 89. et ad Reges vet. accessio nova p. 63. d) B. L. T. XXVI. p. 355.

cipue ex capite, quod Commagene usque ad Antiochum XIII. nunquam a regno Seleucidarum avulsa fuit. Alteris deinde conjecturis, atque iis certe multo infirmioribus arbitratur, Samum hunc eundem esse cum Soemo Emesae et Sophenes Armeniae rege, qui Vespasiano utrique in bello Iudaico praeclaram operam navavit, et cujus nomen, ut varie apud veteres scriptum reperitur, sic forte rectius, perinde ac in praesente numo, Σαμος scribendum fuerat. Non deseruit causam Belleyus, aggressus dissertatione altera, quae mox consequitur, prius dicta stabilire, et adversarii conjecturas evertere. Istud sane inter alia a Cl. de Boze minus commode adserta intempestivum prorsus, quod numum in Vespasianorum tempora detrudat, quem adsuetus tractandis numis oculus primo aspectu aetati Antiochi IV. adfigere non dubitabit. Post hos Frölichius Samum quendam Chrysogoni F., quem Polybius suggesserat, eruditis obtulit [a]). Ergo post omnes hos virorum praestantium conatus aliud non tenemus, quam fuisse Samum aliquem Armeniae regem, et quidem circum tempora Antiochi IV.

Observanda adhuc ad hos Sami numos I. tituli ΘΕΟΣΕΒΟΥΣ. ΚΑΙ. ΔΙΚΑΙΟΥ. Horum alter ex regum Parthiae numis abunde cognitus, prior ΘΕΟΣΕΒΟΥΣ, *pii in superos*, in hoc tantum numo observatus. Vt reliqua Sami omnia, sic et horum causa nominum ignoratur. Vterque titulus conjunctus saepe a LXX. interpretibus datur viris probis et religiosis, ceu Iobo, ut observavit de Boze. II. Caput juvenile radiatum in numo altero, quod verius caput Solis videtur, quam regis. III. In eodem subjectae literae ΓΛ, quae haud dubie notant annos regni.

MITHRIDATES.

Caput regis juvenile tiara conica diademata tectum, et ad ipsum collum demissa. Ӿ ΒΑΣΙΛΕ - - ΜΙΘΡΙΔΑ - - ΦΙΛΟ. *Clava intra lauream.* AE. III. (Beger Thes. Br. T. III. p. 8. Spanheim T. I. p. 482.)

Caput simile. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. *Pallas.* (Masson ap. Haym. T. I. p. 119. edit. Vindob.)

Begerus et Spanhemius numum priorem tribuerunt Mithridati V. Evergetae Ponti regi, Frölichius in Mithridatem IV. ejusdem Ponti inclinat [b]). At enim non pauca sunt, quae a Ponto animum avertunt, capitis tegmen peregrinum in nullo certo regum Ponti numo conspectum, deinde metallum, (nam aeneus Ponticus usque ad Polemonem I. hactenus visus non est) denique typus clavae neque hic adhuc in moneta regum Ponti obvius. Sed galea, vel tiara in acumen desinens notum regum Armeniae gestamen, ut ex praecedentibus vidimus, et saltem simili forma, solorum; nam regum Parthiae et Edessae tiara ab Armeniaca nimis differt, aliorum imperiorum regibus omnibus aut diadema, aut corona radiata, rarius galea laureave placuere. Ad haec nomen Mithridatis Persicae ipsum origi-

---

a) Dub. de Minnis. p. 99. b) Not. elem. p. 153.

nis aequo jure cum Armenia componitur, atque praecedentium Arsamis et Xerxis nomina haec quoque Persica. Supra in Xerxis rebus diximus, nonnullos Antiocho Syriae regi auctores fuisse, ut Mithridati ex sorore nepoti Armeniam daret. Quod quidem tum, si Polybio fides, perfectum non est, sed forte, ut variae tum fuerunt rerum vices, perfectum serius, et uterque hic numus hujus ipsius est Mithridatis, sed qua conjectura tanto minus lubet niti, quoniam tot alii esse poterant Armeniae reges Mithridatis nomine scriptoribus aeque dissimulati, ac Samus, et, cujus unicum Polybii fragmentum meminit, Xerxes. Esse hunc numum Armenium, verisimile facit etiam, quod numus alter, qui simillimam habet anticam, referente Massono ex urbe Aleppo in Angliam missus est. Massonus numum alterum posse tribui Mithridati I. Commageno putat, me judice non satis tempestive, nam saltem inde a Tigrane alia fuit tiarae Armeniacae forma.

In numo priore additur titulus ΦΙΛΟ., quod truncum verbum eruditi explent ΦΙΛΟϱωμαιȣ, quia numum adjudicaverunt Mithridati V. Pontico, quem constat Romanis palam favisse. Sed potest *το* ΦΙΛΟ. aliter expleri. Titulus ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΤ ex regum Syriae moneta et historia cognitus. Sitne utriusque numi Mithridates unus idemque rex, qui varia aetate, ut reges Syriae, variis titulis uti poterat, an duo diversi, incertum manet. Testibus iconismis in numo priore scribitur ΜΙΘΡΙΔΑ - - non ΜΙΘΡΑΔΑ - -, ut nomen istud in numis omnibus scribi consuevit, sed satis ex iis ipsis apparet, non omnes literas esse illaesas. Et vero Spanhemius, quo loco numi epigraphen refert, legit ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΤ [a]).

* * *

Hactenus in regum Armeniae numis tiaram conicam vidimus, deinceps eam truncatam, et radiis illustrem intuebimur.

TIGRANES I.

Ab Artaxia, quem ab Antiocho III. defecisse diximus, oriundus, Armeniae, deinde a Syris evocatus Syriae quoque rex, juncta cum Mithridate VI. armorum societate a Lucullo et Pompejo M. victus ad suam iterum Armeniam redigitur.

Ejus numos in moneta regum Syriae dabimus, qua in regione fere omnes hactenus cognitos fuisse signatos cum ex typis, tum epochae annis patescit.

ARTAVASDES.

Filius Tigranis, patri mortuo succedit. In bello Parthico Crassum sequitur, deinde et M. Antonium eidem bello intentum, sed quem, etsi ejus belli praecipuus auctor esset, turpiter deserit. Hominem perfidum Antonius vindictae cupidus specie amicitiae in retia tractum, vinctumque Alexandriam mittit V. C. 720., at Cleopatra, ut in rebus perditis Medorum regem sibi obstringeret, interfici jubet V. C. 724. Fuisse

---

a) l. c. p. 481. sub. fin.

principem literatum perhibet historia. Vide Reinerum Reineccium.

Numus:

Caput regis juvenile tectum tiara radiata diademata retro ad collum deflua. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. - ΡΤΑΤΑΣ -- *Victoria gradiens.* AE. III. (Pellerin.)

Patet ex certo hoc regis Armenii numo, etiam in Armenia inscriptos Graece numos percussos, et Armeniae reges nequaquam usque eo fuisse sive Romanis, sive Parthis obnoxios, ut non auderent ipsi palam superbo *regis regum* titulo gloriari, quod utrumque recte contra Frölichium advertit Pellerinius.

ANTIOCHVS IV. *et filii* EPIPHANES *et* CALLINICVS.

Commagenes simul et partis Armeniae reges. Eorum numos ad Armeniam adludentes vide in numis regum Commagenes.

MANISARVS.

Eum imperante Trajano occupasse Armeniam et Mesopotamiam tradit Dio [a]). Ad hunc Vaillantius pertinere numum existimat, etsi nomen aliter legatur: (Imper. Arsac. p. 306.)

Caput tiara ornatum. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΒΑΙΣΣΑΡΟΥ. *Aquila.*

Plura non addit Vaillantius, neque mihi dubio huic monumento lubet immorari. De numo alio, quem huic Manisaro tribuit Corsinus, et qui longae olim disputationis causa exstitit, agetur infra in numis regum Bactrianae.

Armenia Romana.

Praevalentibus Romanorum armis saepe Armenia aut his paruit, aut reges habuit ab his pendentes. Victam Armeniam non pauci testantur numi. In quinariis Neronis est ARMENIA, vel ARMENIAC. Exstant numi Graeci Trajani, et L. Veri apud Vaillantium, et Haymium, in quorum aversa juxta varios typos victoriae Armeniacae testes scriptum legitur ΑΡΜЄΝΙΑ. In argenteo drachmae pondere M. Aurelii, quem ex museo Caesareo edidi [b]), legitur ΑΡΜЄΝ. capto typo ex synchronis denariis Romanis. Verum hi numi moneta Armeniaca non sunt, sed alibi in gentis victae memoriam signati, perinde ac numi inscripti: ΑΡΑΒΙΑ. ΔΑΚΙΑ. ΙΟΥΔΑΙΑΣ. ΕΑΛΩΚΥΙΑΣ. Noti denarii M. Antonii, et Augusti cum epigraphe ARMENIA. DEVICTA., vel CAPTA., ut et spurii M. Antonii, inscripti: ΑΡΜΕΝΙΑΝ. ΚΑΤΑΔΟΥΛΩΣ., de quibus suo loco agetur.

---

a) L. LXVIII. §. 22. b) Sylloge I. p. 63.

S Y R I A.

Quoniam Syria latius sumpta plures complectitur regiones, quibus Syriae reges Seleucidae imperavere, consultius visum, horum numos praemittere, quorum examine peracto ejus regiones omnes adibimus initio facto a Commagene maxime in Aquilonem vergente.

R E G E S S Y R I A E.

Regum Syriae numi propter copiam, varietatem, et quia non modo in duo saecula ac dimidium porriguntur, sed etiam ad illustrandam historiam et chronologiam praeclara conferunt subsidia, pridem ab eruditis benevole accepti, et magno in pretio habiti sunt. Missis eorum conatibus, qui unum alterumve numum ut eos fors obtulit, in lucem dedere, primus eorum seriem perpetuam instruxit, et commentariis historicis illustratos proposuit Vaillantius in opere reliqua ejus omnia praestante, quod *Seleucidarum imperium, sive historia regum Syriae* inscribitur, primum Lutetiae 1681. in forma quarta, deinde Hagae Comitum 1732 in folio editum. Insignem deinde numorum copiam, quos Vaillantius praetermiserat, congessit Nicolaus Haymius, eosque noto suo Thesauro Britannico inseruit. Post hos Erasmus Frölichius nactus numos regum Syriae complures hactenus ignotos, praecipue quos Everardus Fawkener regis Britanniae apud Turcos orator magnis impensis conquisiverat, coepit conscribere opus illustre, cui titulus: *Annales compendiarii regum et rerum Syriae numis veteribus illustrati*, editum in folio Vindobonae 1744., atque iterum 1754., cui praemisit ampla prolegomena, quibus nodos multos evolvere adlaborat, qui Syrorum ac Iudaeorum historiam impediunt. Insignem denique ad regum Syriae opes accessionem fecit Pellerinius editis in lucem numis praeclaris nondum compertis, quorum ope non pauca, quae a superioribus peccata sunt, corriguntur, aut, quae recte dicta, stabiliuntur.

Post haec virorum illustrium tentamina necesse non fuit plus a me operae

impendi quam quantum impendendum fuerat seligendis numis, qui philologiam juvant, et non raro examini critico, cum viros eruditos in varias abire sententias vidi, sed quod saepe fuisse permolestum, saepe exiguo, aut nullo relato fructu longi laboris taedium solante, ex praesente meo conatu eruditus lector facile intelliget.

SELEVCVS I. *Nicator.*

Natus patre Antiocho illustris inter Philippi II. duces nominis, matre Laodice, Alexandrum ad bella Persica secutus, hoc V. C. 430 mortuo, ejusque ducibus vastas ejus provincias sortitis, equitum praefecturam, ac paullo post Babyloniam regendam accepit. Pulsus inde ab Antigono V. C. 439. ad Ptolemaeum in Aegyptum profugus, impetratis ab hoc auxiliis in Babyloniam redux, victo Antigoni legato Nicanore amissa recuperat, a qua victoria dictus est Νικατωρ, *Victor*, constituta etiam celebri Seleucidarum aera, quae incipit ab autumno ejusdem anni V. C. 442. A. X. 312., quo haec patrata sunt. Antigono, ejusque filio Demetrio post navalem ad Cyprum victoriam in nomen regium ac diadema involantibus V. C. 448., Seleucus quoque regem se appellat. Moto in Antigonum cum regibus foederatis bello, eoque ad Ipsum Phrygiae victo V. C. 453., Syriam et Asiae minoris partem aufert, deinceps in Syria quatuor urbes sorores condit, de quibus agemus sub initium urbium Seleucidis, alias alibi, impositis plerumque appellationibus ex nominibus urbium patriarum Macedoniae, ut testantur Appianus [a]), et Libanius [b]). V. C. 468. Demetrium Poliorcetem socerum sibi adversantem in potestatem redigit, et liberali custodia coercet. Victo caesoque V. C. 472 in Phrygia Lysimacho Thraciam et Macedoniam sibi subjicit, et toto fere Alexandri M. imperio potitur, si Aegyptum demas, cum Hellespontum Macedoniam petiturus transmitteret a Ptolemaeo Cerauno Ptolemaei Soteris F. natu majore perfide interficitur V. C. 473.

Vxor I. *Apame* Artabazi Persae F., ex qua natus Antiochus I., qui successit. II. *Anonyma* Sandrocotti Indiae regis filia. (Strabo.) III. *Stratonice* Demetrii Poliorcetis filia, quam cesserat filio petenti, ut dicetur.

* * *

Multi exstant numi inscripti ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. absque regis capite, aut epitheto honorifico, aut aerae annis (nam hi serius numis inserti sunt) aut quocunque alio criterio, quod doceret, cui ex pluribus Seleucis, praecipue qui priores fuerunt hoc nomine Syriae reges, sint tribuendi, quam difficultatem jam agnovere Frölichius [c]), et Pellerinius [d]). Placet igitur binas numorum classes subjicere, quarum prima continebit numos Seleuci I. certos, aut quos illi probabili conjectura tribuas, altera Seleuci cujuspiam incerti.

---

a) Bel. Syr. p. m. 125. b) in Antiochico T. II. p. 351. c) Proleg. ad Annal. p. 41. d) Rois. p. 59.

Numi Seleuci I.

Caput Palladis. ☧ ΣΕΛΕΥΚ -- *Victoria stans, d. extenta, s. sceptrum cum tridente.* AV. a me editus ex museo Savorgnan. (Num. vet. p. 277.)

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Iuppiter seminudus sedens d. aquilam, s. hastam, per aream varia minuta sigilla.* AR. I. (Mus. Caes. et alibi.)

Numi similes, si nomen ΣΕΛΕΥΚΟΥ demas, per utriusque partis typos, metallum, pondus, toti sunt Alexandri M. Placuit nimirum proximis successoribus regibus, ut dixi in moneta Alexandri, retinere aliquamdiu modum numorum ab hoc constitutum, eosque inscripto solo suo nomine distinguere. Nullo ergo pacto dubitari potest, numos hos esse Seleuci I. Typos explicavimus in numis Alexandri M.

* * *

Caput regis adversum, ex cujus fronte duplex tauri cornu promicat, ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Rex eques in hostem humi prostratum jaculum torquet.* AE. III. (Frölich. praef. ad Ann. p. 2.)

Caput regis diadematum adstituto fronti tauri cornu. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Caput equi frenatum, et duplice tauri cornu munitum, per aream monogrammata.* AV. III. (Haym.)

Alius similis, sed sine diademate, et in aversa epigraphe semibarbara, ponderis item minoris. AV. IV. Eum adcurate aeri incidendum curavi in Catalogo Musei Caes.

Caput regis galea cornuta tectum. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Pallas stans tropaeum coronat.* AR. II. (Haym. Tom. II. tab. II.)

Elephas cum duplice tauri cornu. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Caput equi duplice tauri cornu munitum, inferne ancora.* AE. II. (Haym. ibid.)

Caput regis taurino cornu horridum indubitatum pro Seleuci I. numis criterium. Certa enim testimonia praesto sunt, hoc illum cultu a veteribus fuisse propositum, addita etiam ejus causa. Appianus agens de Seleuco a): *et quia,* inquit, *robusto et vasto fuit corpore, et aliquando sacrificante Alexandro taurum ferocem ruptis vinculis profugum solus ipse obsistens arreptum manibus retinuit, propterea ejus statuis adfingunt cornua.* Similia docet Suidas b), et narrat Libanius c), a novis Antiochiae colonis Seleuco positam statuam, cujus caput tauri cornibus ornatum fuerat. Sententiam auctorum, quos citavimus, adfirmantium, taurino hoc cultu indicari regis robur, juvat etiam, quod in propositis numis eadem tauri cornua tribuuntur equis quoque, et elephantis, quo nempe perinde indicarentur Seleuci vires ac robur in equitatu et elephantis repositum. Aliam causam ex fabulis huc adigit Libanius d), quod cornua essent signa diacritica Ius in hoc tractu ab Argivis quaesitae. Etiam Demetrius Seleuci socer praefixum fronti tauri cornu ostentat, sed ex alia causa, ut in ejus numis diximus.

a) Bell. Syr. c. 56. b) in Σέλευκος. c) in Antiochico Tom. II. p. 349. d) l. c.

Ancorae etiam expedienda ratio, quae figitur in numo uno ex citatis, et saepe in Seleucidarum numis redit. Ex pluribus audiamus Iustinum [a]). Matrem Seleuci Laodicen refert sibi visam esse per quietem ex accubitu Apollinis concepisse, gravidamque factam anulum a deo sibi dono datum, in cujus gemma ancora sculpta esset. Revera postridie in lecto eum repertum anulum, natumque exactis mensibus puerem Seleucum ancoram habuisse femori impressam. Et mansisse originis ejus argumentum etiam in posteris; filios enim nepotesque ejus ancoram in femore velut notam generis naturalem obtulisse. Neque factum istud poetis praeteritum, nam sic Ausonius de illo [b]):

illa Seleucum
Nuncupat, ingenuum cujus fuit ancora signum,
Qualis inusta solet generis nota certa, per omnem
Nam sobolis seriem nativa cucurrit imago.

Atque haec fabula utut inepta, sic tamen in vulgus probata fuit, ut non dubitarent Sigei in solenni psephismate in Antiochi I. honorem proposito vocare Apollinem ἀρχηγετην τȣ γενȣς ἀυτȣ, *auctorem generis ejus* [c]). At enim gentilitium hoc in Seleucidis miraculum exemplo non caruit. Nam refert Iulianus Aug. [d]) genuinos Pelopidas expressa in humeris habuisse gentis indicia, atque idem in Boeotia accidisse iis, qui ex Spartorum sanguine fuerunt, inscripta humeris lancea. Vide similes aliarum familiarum fabulas apud Iunium [e]), cui adde Himerium sophistam [f]).

* * *

Caput Iovis. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Pallas in elephantorum quadrigis hastam intentat, in area ancora.* AR. I. II. (Mus. Caes. Seguin.)

Caput juvenile leonis exuviis tectum, et insuper alatum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. rarius: ΒΑ. ΣΕ. *Taurus cornupeta.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput regis diadematum alatum. ✕ *Eadem aversa.* AE. III. (Haym.)

Caput Apollinis laur. ✕ ΒΑ. ΣΕ. *Tripus.* AE. III. (Pellerin.)

Numus I. Palladem elephantorum quadrigas regentem offert. Pallas jam inde ab Alexandro M. ex Macedonum numis cognita, cujus propterea cultus in Syriae regibus duravit. Ipse vero typus partam aliquam elephantorum ope victoriam eloquitur. Teste Strabone Seleucus a Sandrocotto Indorum rege cujus filiam uxorem duxit, D. elephantos accepit [g]), unde credo factum, ut eum Demetrius per ludibrium ἐλεφανταρχην, *elephantorum magistrum* appellaret [h]). Videtur honorifica haec elephantorum vehiculatio ab Indis derivata; nam teste Arriano [i]) regium apud Indos erat elephantis vehi.

Numi II. caput insolens quem exigat explicatum, difficile est decidere. Nequaquam miror, a Vaillantio et Haymio dici caput ipsius regis, cum eum

---

a) L. XV. c. 4. b) Carm. 287. 10. c) Chishull. Ant. Asiat p. 49. Muratori Thes. Inscr. p. 2118. d) Orat. II. 81. e) de Pict. vet. L. II. cap. I. p. 49. f) Orat. VIII. c. 4. g) L. XV. p. m. 1054. h) Plut. in Demetr. c. 25. i) Hist. Ind. c. 17.

in singulis fere anticae capitibus viderent. Quod si verum, habemus bonum Seleucum omnium formarum patientem. At gravius ab iis in hoc numo peccatum, quia facies peradolescens est, et quae continuo Seleucum fastidiat. Auctores veteres, qui minimum, Seleuco LXX. vitae annos tribuunt a). Caesus est V. C. 473., nomen regis sumpsit V. C. 448., ergo etsi numum hunc mox post susceptum regis titulum percussum statuamus, non potest ea facies competere Seleuco, jam tum XLIV. aetatis annum agenti. Ergo ad numina avertendus animus. Si, ut exuviae leonis Herculem, sic alae Mercurium nobis indicant, habemus luculentum Hermeraclem, seu conjuncta Herculis et Mercurii numina. Verum cum non satis appareat regum Syriae cum Mercurio nexus, malim agnoscere Herculem cum Perseo heroe junctum, cujus etiam attributum sunt alae, quod utrumque numen qua ratione ad Macedones, ac praecipue eorum reges pertinuerit, abunde disputavi in numis Philippi V. Macedoniae regis.

In numi III. capite lubens agnosco Seleucum, nam et additur diadema, et facies secundum picturam Haymii provectiorem aetatem arguit. Causa adpositae capiti alae ex mox dictis petenda est. Propius Seleuco in Persei alam jus, ex quo per uxorem Stratonicen Demetrii Poliorcetis F. adfinitatem contraxit cum familia Antigoni, quam per Heraclidas Temenidas ad Herculem et Perseum retulisse stirpem, diximus quoque in numis ejusdem Philippi V. Ex simili causa docuimus, Prusiam II. Bithyniae regem capiti addidisse alas, nempe quod cum familia Antigoni conjunctus erat. Seleuci exemplo filius quoque Antiochus alam usurpavit, ut infra dicemus. Taurus cornupeta, qui est in aversa numi hujus et praecedentis, haud dubie is idem est, quem ex sacrificio profugum, ac retentum a Seleuco supra diximus.

Numus IV. Apollinem sistit Seleuci creditum patrem, ac propterea in Seleucidarum numis saepe obvium. Esse numismation istud hujus Seleuci, colligo ex parca epigraphe BA. ΣE., nam successores liberaliores fuere.

Numi Seleuci cujuspiam incerti.

Inscripti omnes: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Typi: *Caput Palladis.* X *Victoria gradiens, juxta ancora.* — *Caput Apollinis.* X *Pallas stans jaculum vibrat, juxta ancora.* — *Caput Bacchi.* X *Tripus* etc.

* * *

De numis Seleuci I., quos eruditi vel Pergami Mysiae, vel Diocaesareae Galilaeae perperam cusos credidere, agitur in moneta utriusque urbis.

Nicatoris titulus ex historicis tantum cognitus in numis reticetur, praeterquam Goltzianis.

ANTIOCHVS I. SOTER.

Seleuci et Apames F. Callido Erasistrati medici consilio patri Stratonicen extorquet, futuram simul novercam,

a) Appian. Syriac.

simul uxorem [a]). Cum uxore simul provincias trans Euphratem sitas filio cedit pater. Celeberrimum ejus ad memoriam factum, quod V. C. 479. Gallos Asiae imminentes ope elephantorum illustri victoria fregit, a gratis propterea populis dictus ΣΩΤΗΡ. *Servator* [b]). Sed tristes ei vices reddidere Galli, nam ab his victus, et in acie caesus est V. C. 492.

Vxor I. *Stratonice*, simul noverca, ut dictum. Vxor II., de qua nihil satis exploratum, nisi quod ex psephismate Sigeorum constet, fuisse simul sororem, simul uxorem [c]). Ex priore filius Antiochus II. natus creditur.

Criterium numorum, qui inscribuntur

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ.

Quod criterium molestum esse dixi in numis primorum Seleucorum, multo molestius est in tribus primis Antiochis. Cum in horum plerisque eadem sit epigraphe, et iidem fere typi, unum superest in vultus lineamentis praesidium. Credi posset peractum jam esse judicium, repertis magno numero illustribus eorum tetradrachmis. Sed quam parum adhuc profecerit Vaillantius, etsi contentiore studio in hanc numorum classem commentatus, abunde declarant judicia ejus vaga, fluctuantia, et saepe secum ipsis pugnantia.

Quid inter haec visum Pellerinio, cui praeter cognitos Vaillantii, Haymii, Frölichii conatus praesto fuere ingenium acre, et larga numorum supellex? Primum in suo de Regibus opere modo Vaillantium, modo Frölichium, modo utrumque vel sequitur, vel impugnat. Non raro huic, illive adhaeret nulla certa causa, sed quia illis sic visum, allatis alias novis conjecturis. Serius universa hac causa in judicium revocata sequentes constituit modos, qui priorum trium Antiochorum numos distinguerent [d]).

ANTIOCHVS I.

Hujus regis vultum certum offerunt numi inscripti: ΣΩΤΗΡΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Ectypon ipse loco citato proponit, alia duo Frölichius Tab. IV. n. 13. 14. Addit Pellerinius, numos omnes, quorum capita illis sunt adfinia, huic esse Antiocho tribuendos; nam cum sero in patris regnum successerit, ejus lineamenta magnopere variare non potuisse.

ANTIOCHVS II.

Hujus nobis certum, ut existimat, vultum indicat ex iconismo, quem proposuit in *Melange I. tab. III. n.* 16. Nam cum in illo ejus capiti immineat astrum, quod ad *Dei* appellationem adludit, dubitari non posse, numum esse hujus Antiochi.

ANTIOCHVS III.

Ad hunc regem pertinere ait numos,

---

a) Plut. in Demetrio. et apud alios passim. b) Lucian. in Zeuxi. c) Chishull Ant. Asiat. p. 50. d) Suppl. IV. p. 115. Additions p. 104.

quorum capita a citatis Antiochi I. et II. magis abludunt. At necessario varium ejus esse vultum oportere, cum ab anno aetatis XV. regnare aggressus in annum LX. duraverit.

Haec Pellerinius. Quibus judiciis non sane ignavis utrum causae magnopere consuluerit, ignoro. Ad Antiochum I. quod attinet, capita vel in ipsis numis, quos Pellerinius et Frölichius pictos offerunt, et qui per titulum ΣΩΤΗΡΟΣ hujus Antiochi certo sunt, non parum dissident. Fallitur vero, cum ait, Antiochum I. jam provectiorem aetate in patris regnum successisse, nam constat, vivum adhuc patrem illi et uxorem Stratonicen, et provincias trans Euphratem sitas cessisse. Quare et ejus numi esse possunt, qui juniorem eum proponunt. Caput astriferum, etsi demus, astrum esse divinitatis indicium, non tamen continuo Antiochum II. Deum evincit. Nam non satis video, cur ad Antiochum IV., qui item vivus in Olympum translatus est, referri non possit. Non obstat, in hoc certos alios ejus titulos reticeri, nam Pellerinio ipso passim docente non omnes semper regum tituli numis illati sunt. At quod maxime me movet, est, quod caput astriferum hujus numi simillimum est illis, quae sunt in certis Antiochi IV. numis ab ipso Pellerinio vulgatis. Criterium pro numis Antiochi III. parum sublevat, quia nimium indulget. Et vero neque ipse Pellerinius adversatur, ex his aliquos esse posse Antiochi Hieracis. En tibi quartum aliquem Antiochum in dubiae hujus monetae communionem vocatum. Incerta omnia et ambigua.

Non is sum ego, qui sperem, post tantorum virorum conatus non satis prosperos opportunius aliquid posse adferre. Meliore ergo consilio rem intactam relinquo, in describendis vero numis sic versabor, ut in iis, qui dubii videbuntur, non meam magis, quam aliorum opinionem secutum constet.

At in numis, in quibus ne regis quidem caput exstat, et quos per epigraphen ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. constat esse alicujus Antiochi, desperata sane omnia, quibus ne ipsa quidem Salus, si velit, medeatur. Id unum per fabricam aliasque causas licet colligere, esse alicujus ex primis tribus Antiochis. Reliqua ad ipsos numos monebimus.

Numi Antiochi I.

Caput regis diadematum. Ӿ ΣΩΤΗΡΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Apollo nudus cortinae insidens, d. telum, s. arcum.* AR. I. (Frölich. Pellerin Suppl. IV. p. 115.)

Caput regis diadematum. Ӿ ΣΩΤΗΡΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Ancora, et pilei Dioscurorum.* AE. III. (Frölich.)

Non alios habemus magis certos hujus Antiochi numos. Fuisse illi cognomen *Soteris*, diserte testatur Appianus a), et Lucianus b), nimirum quod relata insigni de Gallis victoria, de qua mox, Asiam praesente metu liberavit. Majore fastu in decreto Smyrnaeorum dicitur ὁ θεος και σωτηρ Αντιοχος c).

a) Bell. Syr. b) in Zeuxide. c) Marm. Oxon. num. 2. v. 100.

Apollo partis aversae nunc novus, deinceps in tetradrachmis usque ad Antiochum IV. obvius. Ejus in numis Seleucidarum toties recurrentis causam, ut et ancorae in numo altero, ex iis pete, quae supra in Seleuco de Apolline gentis Seleucidarum auctore diximus. Insidet Apollo cortinae, quam tapetis quoddam genus operit, de quo vide, quae dixi in moneta Mamertinorum Siciliae.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Iuppiter sedens d. aquilam, s. hastam.* AR. III. (Mus. Caes.)

Hunc quoque numum Antiocho I. tuto tribuendum puto, quia monetam Alexandri M. imitatur, et cujus similes pater quoque Seleucus feriundos curavit. Et erat Antiocho peculiaris observandi Alexandri causa, nam praelium cum Gallis conserturus visus sibi est adstantem in somniis videre Alexandrum, monentemque, ut tesseram militi daret ὑγιαίνειν, *valere* a). Numum hunc Antiocho II. tribuit Frölichius, quia caput anticae non Herculem, sed regem referre putavit.

* * *

Caput regis diadematum alatum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Apollo nudus cortinae insidens d. telum, s. arcum, infra equus pascens.* AR. I.

Vaillantius et Pellerinius b) numum hunc largiti sunt Antiocho I., sed Frölichius Antiocho II., qui praeterea existimat, esse aut caput Victoriae, aut Mercurii, aut Antiochi Hieracis. Qua ratione vir praestans in Victoriam potuerit propendere, non possum satis mirari, nisi nobis Victoriam virilem regio more diadematam, et viriliter comatam possit statuere. Esse potius hujus Antiochi opinor, additamque alam exemplo patris, ut diximus in hujus numis. Sigillum equi in imo pascentis suspicionem movet, esse forte id genus numos signatos apud Alexandriam Troadem, nam equus pascens solitum est ejus urbis symbolum, et ex eadem causa huc referimus tetradrachma Alexandri M., quae simile in imo sigillum offerunt. Constat enimvero ex psephismate Sigeorum apud Chishull c), Antiochum I. cum uxore fuisse in Troade, et a Sigeis inter summos honores exceptum.

* * *

Caput regis diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Elephas, in area monogramma* MI. AR. III. (Mus. M. Ducis.)

Caput Apollinis. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Tripus, in area* ΜΙΛ. *et ancora.* AE. III. (Pellerin.)

Scuta Macedonica in orbem disposita, intra quae ancora. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Elephas.* AE. III. (Haym.)

His adde, si lubet, numos alios similiter inscriptos, et typo elephanti.

Numum priorem propter elephantum partis aversae jam olim Antiocho I. tribueram d). Consilio enim Theodotae Rhodii et ope XVI. elephantorum insignem de Gallis retulit victoriam, quo factum, ut tropaeo nihil praeter elephantum insculpendum curaret. Vide

---

a) Lucian. pro laps. int. salut. b) Rois p. 63. c) Ant. Asiat. p. 49. d) Num. vet. p. 277.

istud fuse narrantem Lucianum [a]). A gratis igitur Asiae populis eum appellatum Σωτηρα supra diximus, numumque hunc ejus honori signatum in Asia minore, et quidem Mileti, verisimile facit monogramma MI., quod plerosque ejus urbis numos distinguit, inserto praeterea elephanto ejus victoriae praecipua causa. Vt hunc numum certius Milesium probarem, conjunxi alterum inscriptum ΜΙΛ., etsi nolim contentius adfirmare, esse eum hujus Antiochi. In Antiocho III. occurret numus a Samiis signatus. Numus III. ex eadem opinor causa elephantum sistit. In antica sunt clypei Macedonici, insigne gentis, ex qua Syriae reges ducti, et ancora insigne gentilitium. Et vero Antiochi exercitum de Gallis victorem constitisse etiam Macedonibus, eodem loco refert Lucianus.

* * *

Caput regis diadematum. Ꭓ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. flagellum, pro pedibus clypeus.* AV. II. (Pellerin.)

Numum hunc commendat metallum auri in Syriae regum numis rarissimum. Pellerinio jure mirum visum id, quod, ut ex iconismo apparet, speciem habet ejus flagelli, quod saepe Osiris in monumentis Aegyptiorum praefert. Numum hunc tribui Antiocho I. unius secutus Pellerinii mentem.

ANTIOCHVS II. *Deus.*

Antiochi I. et Stratonices F. Θεος dictus est a Milesiis, postquam Timarchum eorum tyrannum evertit. Haec Appianus [b]), sed et Deum appellat Eusebius, ejusque interpres Hieronymus. Eo bellis Aegyptiis distento Theodotus Bactrianorum satrapa a Syris deficit. Ejus exemplum secuti Parthi ducibus Arsace et Tiridate caeso Antiochi satrapa regnum ipsi quoque constituunt. Ab uxore Laodice veneno tollitur V. C. 507.

Vxor I. *Laodice* soror, ex qua nati Seleucus II. et Antiochus Hierax, et filiae aliquot. Vxor II. *Berenice* Ptolemaei Philadelphi F., quam pacis cupidus repudiata Laodice duxit, sed mortuo Ptolemaeo repudiavit quoque revocata Laodice malo suo fato, ut dictum.

Numi:

Caput regis diadematum, cui superne astrum imminet. Ꭓ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Apollo nudus cortinae insidens d. jaculum, s. arcum, in imo* ΙΑ., *omnia intra lauream.* AR. I. (Pellerin Mel. I. p. 133.)

Astri causa numum hunc huic Antiocho tribuit Pellerinius, quia illud ad cognomen Θεȣ adludere putat. Dixi supra in criterio trium Antiochorum, ex eadem causa, tum et aliis verisimilius mihi videri, esse tribuendum Antiocho IV., qui et ipse *Deus*, et quidem insania magis canora vocabatur. Nihil tamen decido. Esse astrum in hoc numo apotheoseos insigne, nullus dubito.

---

a) in Zeuxide. b) in Syriac.

nam et istud imitati Romani divo suo Iulio astrum praefixere.

* * *

Caput regis diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Hercules saxo insidens d. clavam humi attinet, per aream varia sigilla et monogrammata.* AR. I. (Mus. Caes.)

Frölichius in hoc numo certum videt Antiochi II. caput, at causae, quas adfert, sunt exiles. Ejus sententiae Pellerinius in suo de Regibus opere non contradixit, at cum serius eundem numum iconismo expressum restitueret in postremo suo opere, quod *Additions* inscripsit, sic confidenter Antiocho III. tribuit, ut jam dubitandi locum nullum reliquum putaret [a]). Sitne vultus in his numis expressus Antiochi III., non magnopere laborat, nam secundum ejus legem, quam supra proposui, quamque is hoc loco repetit, fuit hic rex omnium lineamentorum capax. Sed potiores illi causae, cur Antiochi III. putet, ex fabrica et typo, sed quae me judice ne tenuis quidem conjecturae meritum habent, novo iterum argumento, quam vaga sit doctrina ex primorum Syriae regum imaginibus capta.

* * *

Numi alii, quos praeterea huic regi a viris eruditis adscribi video, omni penitus certo criterio carent.

SELEVCVS II. *Callinicus, Pogon.*

Antiochi II. et Laodices F. Ob caesam cum filio novercam Berenicen bello a Ptolemaeo Evergete Berenices fratre impetitur, et magna ditionis avitae parte multatur. Subinde fratrem Antiochum Hieracem hostem expertus magna ab eo incommoda accipit, sed illo in Mesopotamia internecione victo superbum *Callinici* titulum sibi adsciscit. Moto in Parthos, qui desciverant, bello victus captusque, et tolerato novem circiter annorum carcere in regnum remissus paullo post equo excussus obit V. C. 528.

Vxor *Laodice*, unde nati Seleucus III. et Antiochus III.

Numi:

Caput regis diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Apollo nudus stans d. telum, s. tripodi innixus.* AR. I.

Id genus numos passim Seleuco II. tribuunt antiquarii.

* * *

Caput regis diadematum prolixe barbatum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Pegasus volans.* AE. (Haym, Frölich.)

Vnus hic hujus Seleuci numus certus propter mentum barbatum. Sane Polybius eum Πωγωνα, *barbam*, appellatum diserte tradit. Causam non addit, cur barbam promiserit. At verisimile, factum istud, quia apud Parthos captivus haesit, ex qua eadem causa verisimile etiam, Demetrium II. aluisse barbam, ut dicetur. Causa Pegasi mihi ignota.

* * *

Caput regis diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Rex eques.* AE. I.

a) p. 104.

In alio: *Equus gradiens.* AE. II. *in utroque infra* Δ / IA (Frölich, Pellerin.)

ANTIOCHVS *Hierax.*

Seleuci II. frater, subinde hostis, primum victor, deinde victus ad Ptolemaeum Evergetem fugit, a quo arcte servatus, sed elapsus a latronum globo perimitur. Dictus Ἱέραξ, quia *accipitris* ritu in alienis rapiendis vitam sectabatur, ut ait Iustinus [a]).

Ei homini tetradrachmum tribuit Pellerinius: *Caput regis diadematum.* ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Apollo cultu solito sedens.* AR. I. Causa illi una, quod vultus, qui est in hoc numo, vultum fratris Seleuci II. referat. Quam sententiam teneat, cui justa ea videbitur.

SELEVCVS III. *Ceraunus.*

Seleuci II. et Laodices F., dictus Κεραυνος, *Fulmen*, incertum, ex qua causa. Adversus Attalum Pergamenum ereptas provincias repetiturus bellum suscipit, sed interea suorum insidiis veneno e medio tollitur V. C. 530. De uxore et liberis non constat.

Numi:

Caput regis diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Apollo sedens cultu solito.* AR. I.

Ex vultus lineamentis hujus sibi regis numum reperisse visi sunt eruditi. Similibus conjecturis debemus numos alios, quos iidem huic regi non parce admensi sunt, quos describere non vacat.

ANTIOCHVS III. MAGNVS.

Seleuci III. frater annos natus XV. regnare coepit, per totum regni tempus, quod diuturnum fuit, bellis exercitus partim quaesitis, partim illatis. Bello trans Euphratem promoto Arsacem Parthum impetit, mox inita cum hoc pace Euthydemum Bactrianorum regem adortus ad mitiora eum consilia compellit, multisque per eum tractum fortiter gestis *Magni* cognomen aufert. Phoenicen, Coelesyriam, Iudaeam sibi pridem quaesitas tandem Ptolemaeo Epiphani extorquet, sed quae prima illi simultatum cum Romanis causa exstitit, qui juvenis Aegyptii regis tutores patris testamento constituti petiere, ut ereptae pupillo provinciae restituerentur. Huc accessere causae propiores, quod Hannibali perfugium praebuit, et cum Aetolis adversum Romanos foedus inivit. Orto igitur bello in Graeciam transgressus primum ab Acilio Glabrione ad Thermopylas, deinde a C. Livio Salinatore praelio maritimo ad Coricum Ciliciae, denique V. C. 564. a L. Scipione ad Magnesiam Sipyli victus oblata tota cis Taurum Asia pacem redemit. Gravi etiam pecuniae multa imperata, quam per annos continuos XII. solveret, ad spoliandum Iovis Elymaei templum in Mediam profectus, sed patefacto consilio ab incolis oppressus morte sacrilegii poenas luit V. C. 567.

---

a) L. XXVII. c. 2.

Vxor *Laodice* Mithridatis IV. Ponti regis F., ex qua filii illustriores, quique successerunt, *Seleucus IV.* et *Antiochus IV.* Addit Livius *Ardyen*, et *Mithridatem* aliis ignotos, et forte ex pellice alienigena natos.

Numi:

Ad hos praemonendum, unanimem esse sententiam Vaillantii, Haymii, Frölichii, Antiochum III. dignosci ex naso oblongo et acuminato. Primum in hoc majorum judicio acquievit Pellerinius [a]), at serius ejus criterii nullam habuit rationem, statuto tantum, Antiochi III. lineamenta necessario multum variare, quod puer regnum adeptus illud annis XXXVII. obtinuit, ut diximus supra in prolegomenis ad numos Antiochi I. Secundum hanc legem inter Antiochi III. numos recepit non invitus illos quoque, qui nasum modestius promittunt, qualis est is, quem pictum stitit in suis *Additions* [b]), et quem certum esse hujus regis numum adfirmat. Video praeterea, ab aliis quoque antiquariis, etsi in productiore hoc vultus membro hujus Antiochi numorum criterium constituerint, huic tamen regi tribui numos, in quibus contractior est nasus, et Antiochis I. et II., in quibus magis porrigitur. Ex quo patet, quam parum hactenus in hac vultuum doctrina profecerimus.

* * *

Caput regis diadematum. ℞ ANTIOXOΥ. ΜΕΓΑΛ - - *Palma.* AE. III. (Haym.)

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ANTIOXOΥ. *Palma.* AE. III. (Pellerin.)

Numum priorem esse hujus Antiochi, certum est ex addito titulo ΜΕΓΑΛΟΥ, *Magni*, quo eum fuisse insignem, docet Polybius [c]), aliique propter causas, quas in ejus vita exposuimus. Signatum in Phoenice vel Iudaea dubitari nequit, quia palma utriusque regionis fuit symbolum. Ex eadem causa huic etiam Antiocho tribuo numum alterum, quem Pellerinius Antiocho II. adsignavit, immemor, huic regi nunquam aut Phoenicen aut Iudaeam paruisse. Conjunxi utrumque numum motus conjectura Pellerinii, qui utrumque unum eundemque putat, et ab Haymio pro ΒΑΣΙΛΕΩΣ lectum perperam ΜΕΓΑΛΟΥ suspicatur [d]).

* * *

Sphinx sedens d. coronam, infra: ΘΗΣ -- ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ANTIOXOΥ. *Diota, infra:* ΔΩΡΟ - - *omnia intra lauream.* AR. III. (Caylus Rec. d'Antiq. T. II. p. 144.)

Fabrica, typi, metallum singularem hunc numum Chio insulae invicte vindicant. Ex sententia Barthelemyi is erit Antiochi III., sed jam monui in moneta Chii, idem in hunc numum jus esse Antiocho I. vel II.

* * *

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ANTIOXOΥ. *Apollo cortinae insidens.* AV. m. m. (Haym, Pembrock.)

Vtrique auctori nasus productior causa idonea visa fuerit, cur insignes hos a metalli pretio numos Antiocho III. tribuerunt.

a) Rois pag. 71. b) p. 106. c) Hist. L. IV. c. 2. d) Rois p. 67.

* * *

Vtrum numi alii, quos antiquarii Antiocho III. tribuunt, ad eum vere pertineant, non satis causae reperio, ut colligi potest ex hactenus dictis.

Sunt in hac regum Syriae classe aenei non pauci, qui oram habent serratam, vel denticulatam. Hunc modum sub Antiocho III. et Seleuco IV. inductum, neque antea, censet Pellerinius [a]), sed et istud incertum. Oram sic formatam Pellerinius putat propterea, ut impostoribus difficilior efficeretur ars numos adulterandi. Verum si istud spectasset officina monetaria, ea potius cautio, ut in Romanis familiarum numis, ad argenteos pertinuisset, quos tamen in Syriae regibus dentatos non videmus. Ornamenti potius istud causa factum cum Vaillantio conjicio.

Incipiunt anni aerae Seleucidarum.

Anni aerae a Seleuco I. ductae sub Antiocho III. in numis signari incipiunt ab urbibus, quae Syriae regibus obnoxiae fuerunt, quod institutûm continuatum fuit usque ad Demetrium III., multumque ad collocandos deinceps rite horum regum numos valet. Hujus aerae initium duci ab autumno V. C. 442., probavimus alias.

Caput Antiochi III. diadematum. ※ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Navis et anni* ΡΙΒ. ΡΙΕ. ΡΙΖ. AE. III. (Frölich, Pellerin.)

Anni citati respondent annis V. C. 553. 556. 558. Signati sunt hi numi in urbe aliqua maritima, Sidone, Tyri, aut alibi.

ACHAEVS.

Frater Laodices Seleuci II. uxoris, et regum Seleuci III. et Antiochi III. avunculus, favore reginae sororis in aula regia conspectus praeclaram primum ac fidelem operam utrique nepoti praestitit, qua probata eum Antiochus regendae cis Taurum Asiae praefecit. Suasit serius ambitio, ut a rege cognato deficeret, et regem sese in commissa sibi provincia palam ferret. Ergo ab Antiocho bello petitus captis Sardibus, quibus se incluserat, amputatis extremis membris in crucem agitur V. C. 539. (Frölich Annal.)

Numi:

Caput muliebre cincinnatum. ※ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΧΑΙΟΥ. *Aquila stans cum palmae ramo juxta alam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput leonis exuviis tectum. ※ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΧΑΙΟΥ. *Aquila stans lauream unguibus stringit.* AE. III. (Vaill.)

SELEVCVS IV. PHILOPATOR.

Antiochi III. filius, fratrem Antiochum detentum Romae obsidem misso filio Demetrio redimit, nullo alio illustriore facto commendatus post XI. regni annos suorum insidiis tollitur V. C. 578.

Ex uxore et sorore Laodice habuit

a) Rois pag. 72.

Demetrium I., filiam *Laodicen* nuptam Perseo Macedoniae regi.

Numi:

Caput regis diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. *Lyra, annus:* ϛΛΡ. AE. III. (Haym.)

Seleuci numorum hic maxime illustris, quia praeter certum regis vultum de indito illi quoque *Philopatoris* nomine nos edocet, quod jam ex Hieronymo didicit Vaillantius [a]). Perperam ergo eum *Soterem* appellavit Iosephus, quod fuit cognomen filii Demetrii.

* * *

Caput regis diadematum, in aliis: *Caput muliebre.* ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Navis, anni:* ΡΛϛ. ΡΛΖ. AE. II. III. (Frölich.)

* * *

Caput regis diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Apollo solito cultu sedens.* AR. I. (Pellerin.)

Binos numos similes Pellerinius huic Seleuco tribuit, quia, ut ait, in his vultus cognitum ejus vultum plane refert. At enim parum hic conspirat cum vultu numi Haymiani, qui, ut diximus, certe est hujus Seleuci.

ANTIOCHVS IV, DEVS, EPIPHANES, NICEPHORVS.

Antiochi III. filius alter, a patre obses Romam missus, sed a fratre Seleuco IV. revocatus suffecto in ejus locum filio Demetrio, intellecta per iter fratris caede in Syriam appulsus continuo regnum adivit. Suscepto Coelesyriae causa adversus Ptolemaeum Philometorem bello, cum aliquoties victor suas augeret vires, et in ipsam ingressus Aegyptum hostem premere non desisteret, miserunt Romani C. Popillium Laenatem, qui senatus nomine late grassantem cohiberet. Is cum senatus mandata exponeret, quibus rex jubebatur abstinere Aegypto, hunc tergiversantem, ac quid responderet, incertum vite circumscripsit, vetito, ne prius exiret circulo, quam mentem aperuisset. Qua ille constantia perculsus exercitum in Syriam reduxit. At gravissimae regi irae in Iudaeos, quos non modo pontificibus, ut libuit, loco motis, direptis templi thesauris, caesa infinita hominum multitudine supra quam credi potest, adflixit, sed multo irritavit gravius proposito edicto, ut Graecorum sacra omnes sequerentur, et erecto in aede Hierosolymitana Iovis Olympii signo. Quod cum Iudaeis intolerandum videretur, Mattathias vir manu ac consilio promptus, atque hoc defuncto Iudas Macchabaeus collecta suorum manu ad vim conversi Antiochi praefectos multis praeliis vincunt et ejiciunt, receptisque Hierosolymis, et purgato peregrina superstitione templo veterem cultum et sacrificia revocant. Quibus auditis cladibus rex, qui tum in Perside ad colligendas pecunias aberat, dolore amens, dum vindictam totus spirat, accedente viscerum dolore prope urbem Tabas a vermibus misere exesus perit V. C. 590.

---

a) In. Cap. II. Danielis.

Filios habuit *Antiochum V.* et *Alexandrum I.*, etsi de posteriore hoc non satis constet.

Numi:

Caput regis diadematum. Ⅹ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Victoria in citis bigis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Nunc primum regis Syri caput radiatum occurrit. Ejus causa nomen ΘΕΟΥ, quod ipsum numis inscriptum mox intuebimur. Esse radiatum caput divinitatis signum jam docuit Plinius a): *Horum unum si praestitisset alius, illi jam dudum radiatum caput, et media inter deos sedes auro staret aut ebore etc:* Vide ètiam, quae huc pertinentia ad numos Oetaeorum Thessaliae notavimus. Insanum hunc morem imitatus deinde est unus ex Aegypti regibus, et nonnulli alii Syriae reges, et imitati sunt etiam Romani, qui Augustum, sed jam vita functum, radiatum in numis proposuere. Ex vivis primus Nero radiatus comparet, qui deinde mos in legem abiit. Adverto praeterea, quemadmodum reges Syriae nunquam caput radiatum habent in argenteis, demptis Antiochi VI. tertiae formae, sed aeneis tantum, sic et principes Romani vivi usque ad declinans imperium nunquam in auro et argento, sed in aere tantum hunc cultum praeferunt. In Romanis causam probabilem dabo ad monetam Neronis, quae tamen ad Syriacos valere non potest. In numis Antiochi II. descripsi numum, in quo exhibetur caput, cui astrum imminet. Dixi ibi contra Pellerinium, eum quoque Antiocho IV. tribuendum videri. Ceterum tum tantum in urbium Syriae numis caput regium proponitur, quando coronae radiatae jungitur diadema, nimirum radiis honorem divinum, diademate regium indicantibus. Istud cum abest, erit caput Solis.

Typum aversae libenter cum Frölichio refero ad ludorum non tam magnificentiam, qua omnes ante se reges superaverat, quam insaniam, quam, nisi fastidis, legere potes apud Athenaeum b).

* * *

Caput regis diadematum. Ⅹ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Apollo nudus cortinae insidens d. telum, s. arcum.* AR. III. (Mus. Caes.)

Additur nunc etiam titulus ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ huic regi saepe delatus tam a numis, quam historicis. Latine vertas *illustris*, aut commodius *nobilis*. Sic ubi Macchabaeorum L. II. c. 4. v. 7. legitur Αντιοχȣ Επιφανȣς, interpres reddit: *Antiochus, qui NOBILIS appellabatur.* Adde Macchab. L. I. c. 10. v. 1. Certius istud apparet ex Philostorgio narrante c), Ioviani Aug. filium dictum Επιφανεςατον, quod esse ait apud Romanos τον Νοβελισσιμον. Quare Licinius Saloninus Romano more dictus *Nobilissimus Caesar* recte in marmore Graeco apud Sponium dicitur ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ d). Et est hic titulus non modo in regibus Syriae, sed et Aegypti, Bithyniae, Commagenes, Parthiae obvius. Antiochum IV. propter perpetua insaniae argumenta pro Επιφανης dictum Επιμανης, testatur Athenaeus e).

a) In Panegyr. b) L. V. p. m. 193. c) L. VIII. c. 8. d) Miscell. p. 355. e) l. c.

* * *

Caput regis diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *addito in aliis:* ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. *Iuppiter seminudus sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AV. (Catal. mus. d'Ennery.) AR. I. (Mus. Caes. Pellerin.)

Accedit jam et tertius titulus ΘΕΟΥ, cujus appellationis indicium jam habuimus in corona radiata, de qua supra. Antiochum II. quoque appellatum Θεου diximus, sed hic titulus, quod hactenus novimus, numis illatus non est. Multo indulgentioris insaniae bonus noster Antiochus, qui communes sibi cum diis honores in monumentis etiam publicis, et suo quidem nomine, ostentavit, sic etiam compellatus publice, ceu in literis, quas ad eum Samaritae dedere, quarum exordium plane secundum numos: Βασιλει Αντιοχῳ Θεῳ Επιφανει a).

Habes in eodem numo et titulum IV. ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ, qui sacer quoque est adludens ad Iovem Νικηφορον, *Victoriam gestantem*, cujus et imago aversae typum facit. Sibi ergo propter iteratas de Aegyptiis victorias addidisse videtur nomen, quod Iovis fuit proprium. Sed de Iove Nicephoro apud Antiochenses culto, et saepe in eorum numis conspicuo vide, quae notabimus in moneta Antiochiae. Istud tantum commemorare hoc loco juvat, quoniam Iovem hoc cultu in nullo regum praecedentium numo vidimus, deinceps autem frequenter, dubium non est, signum istud esse illud ipsum, de quo Ammianus b): *amplissimum Daphnaei Apollinis fanum, quod Epiphanes Antiochus rex ille condidit iracundus et saevus, et simulacrum in eo Olympiaci Iovis imitamenti aequiparans magnitudinem etc.* Eodem *Nicephori* cognomine usum etiam videbimus Alexandrum I. filium.

Vaillantius et Frölichius numos inscriptos ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. Antiochi XII. numis miscuere, sed quem errorem feliciter correxere Pellerinius c), et Belleyus d).

* * *

Caput regis radiatum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Ornamentum singularis formae, cujus imaginem vide expressam apud Haymium.* (T. I. tab. IV. n. 8.) AE. III.

Haymius huic dare typo nomen ausus non est. At conjecit Frölichius, indicari fibulam auream, qua Syriae reges viros meritis illustres donare consueverunt teste auctore Macchab. L. I. c. XI. v. 58.

* * *

Caput Iovis laur. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Aquila fulmini insistens.* AE. m. m.

Caput Isidis cum flore loti. ✕ *Eadem aversa.* AE. III. crassior.

Numi hi praeclare juvant historiam, quae docet, captam armis ab Antiocho Aegyptum, et aliquamdiu dejecto Philometore retentam e). Et vero fabrica, typi, et auctius pondus Aegyptium hos numos opus palam eloquuntur. Similis argumenti sunt etiam sequentes.

---

a) Ios. Ant. L. XII. c. 5. b) in Iulian. L. XXII. c) Rois p. 75. d) B. L. T. XXIX. hist. p. 209. e) L. II. Macchab. Diodorus in Excerpt. p. m. 579.

* * *

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Aquila fulmini insistens.* AR. III. (Frölich.)

Caput regis radiatum. ✠ *Eadem aversa.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput simile. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Isis capite tutulato sedens d. sigillum, pro pedibus ibis, vel accipiter.* In aliis : *Isis capite velato et tutulato stans d. hastam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numi hi fabricae quidem sunt Syriacae, sed typos habent Aegyptios propter causam, quam dixi.

* * *

Huc accedunt urbes variae subjectae, quae Antiochi IV. nomine, vel imagine numos cuderunt, *Antiochia Ciliciae ad Sarum*, *Sidon*, *Tripolis*, *Tyrus*, *Ascalon*, *Seleucia Pieriae*, et aliae ignotae, quos in singularum urbium moneta descripsi. Pleraeque hae urbes annos aerae Seleucidarum inscripserunt, quorum primus est: L. ΗΛΡ. (Mus. Caes. Frölich Annal. in praef. p. 3.) postremus: L. ΗΜΡ. (Pellerin Rois p. 78.) Numos *Antiochensium ad Daphnen*, *Ptolemaiden*, *Callirhoen* recitabo post numos Antiochiae Syriae.

ANTIOCHVS V. EVPATOR.

Antiochi IV. filius novem natus annos regnum auspicatur. Ex procerum adeo arbitrio pendens patris exemplo Iudaeos graviter affligit. Interea Demetrius Seleuci IV. F. Romae obses a senatu postulat, ut capere paternum, sibique prae consobrino debitum regnum liceret. Quo recusante, quoniam malebat Syriam a rege puero, quam adultiore Demetrio teneri, clam urbe elapsus in Syriam appellit, et deficientibus ad eum certatim urbibus Antiochum tertio regni anno e medio tollit V. C. 592.

Numi:

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ. *Iuppiter seminudus sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AR. I. (Frölich.)

Caput regis diadematum. ✠ *Eadem epigraphe. Fulmen.* AE. II. (Pellerin.)

Rarissimi sunt hujus regis numi, neque alii hactenus cogniti. Dictus a Syris Ευπατωρ propter virtutem patris, ut explicat Appianus a). Eundem etiam illi titulum confert auctor Macchab. L. II. c. 10. v. 10. Patet, typum paternum a filio fuisse continuatum.

DEMETRIVS I. SOTER.

Seleuci IV. Philopatoris F. elapsus Roma, caede Antiochi V. consobrini regnum, ut diximus, invadit. Bellum cum Iuda ac subinde Ionathane Iudaeorum ducibus varia fortuna gerit. At Syri regis sui luxum exosi Alexandrum praetensum Antiochi IV. filium Romam mittunt cum precibus, ut eum sibi pro Demetrio regem senatus praeficeret. Quo a patribus impetrato, Demetrio iratis, quod se invitis urbe fugisset, Ale-

a) Bell. Syr.

xander in Syriam proficiscitur, et primo praelio inferior, mox regum Aegypti et Pergami viribus adjutus aemulum vincit, qui in acie occumbit V. C. 603.

Filii *Antiochus VII.* et *Demetrius II.*

Numi:

Caput regis diadematum, in nonnullis intra lauream. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Apollo veste muliebri sedens d. jaculum, s. cornucopiae, anni:* ΗΝΡ. ΑΞΡ. ΒΞΡ. AR. I. (Vaill. Frölich.) In alio: *Mulier sedens d. bacillum, s. cornucopiae, et annus* ΞΡ. AR. I. (Pellerin.) In alio, qui simillimus est Pelleriniano, sed anima subaerati, est annus ΘΝΡ. (Mus. Caes.)

Alii similes, sed sine ΣΩΤΗΡΟΣ. AV. I. (Mus. Flor.) AR. I. (Mus. Caes.)

Teste Appiano [a]) Demetrius dictus est ΣΩΤΗΡ facto a Babyloniis initio, quod Timarchum occidit, qui Babylonis praefecturam male administravit. De typo nihil adfirmavero, nisi quod Apollo vix sit putandus, sed mulier potius allegoriam continens.

* * *

Caput regis diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Cornucopiae, anni:* ΓΝΡ. ΘΝΡ. ΑΞΡ. AR. III. (Mus. Caes. Frölich.)

* * *

Caput Apollinis laur. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Tripus.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput Dianae, pone arcus et pharetra. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Arcus et pharetra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput regis diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Apollo nudus cortinae insidens d. telum, s. arcum.* AE. III. (Mus. Caes.)

* * *

Caput leonis hiante rictu. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Caput apri.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput gryphi. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Caput cervi.* AE. III. (Haym.)

Caput equi. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Caput elephanti.* AE. (Mus. Caes.)

Difficile, de his typis certi aliquid statuere, et ignorare se professus est Haymius. Forte numus prior per leonem et aprum Herculis cultum spectat, alter per gryphum Apollinis, per cervum Dianae, quod utrumque numen a Demetrio observatum in praecedentibus vidimus. Equus et elephas videntur vires bellicas indicare. Nicanorem praepositum elephantorum ducem sub Demetrio memorat auctor Macchab. [b]).

* * *

Numos Tyri et Sidonis hujus regis capite et epochae annis insignes vide in harum urbium numis.

Ex epochae annis in Demetrii I. moneta notatis primus certus est ΓΝΡ., postremus ΒΞΡ.

* * *

Corrigendi nonnulli eruditorum lapsus. Qui inscribuntur: ΒΑΣΙΛΕΩΣ.

a) Bell. Syr. b) L. II. c. 14. v. 12.

ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ., esse Demetrii III., in hujus numis probabitur.

Tetradrachma cum epigraphe: ANTIOXEΩN. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. esse autonomos Antiochiae Cariae, in hujus item urbis moneta diximus.

ALEXANDER I.

THEOPATOR, EVERGETES, EPIPHANES, NICEPHORVS, *vulgo* Bala.

Homo ignotus, et incertae stirpis, sed odio Demetrii creditus Antiochi IV. filius, illo in acie caeso regnum occupat. Cleopatram filiam Ptolemaei Philometoris, quo adjutore regnum obtinuit, uxorem ducit. Interea Demetrius Demetrii I. filius cognito Syrorum in novum regem odio, quod per intemperantiam meruerat, cum exercitu e Creta in Ciliciam proficiscitur. Orto igitur bello Ptolemaeus Philometor specie ferendi genero auxilii Syriam ingressus, cum foederis obtentu plerasque urbes praesidiis occupasset, posita jam persona Cleopatram Alexandro ablatam Demetrio despondet, Philometorem Antiocheni Syriae regem proclamant. Quo intellecto Alexander e Cilicia propere redux conserto praelio victus a suis mox interficitur V. C. 608. anno regni VII. in parte provinciae inchoati, ipse Philometor paullo post ex vulnere obit.

Ex Cleopatra natus Antiochus VI. Dionysus.

Numi:

Alexandri I. et II. numos commode distinguunt anni epochae, tituli regii, tum et lineamenta utriusque satis dissona. Haec cum absunt, incertum erit, cui sint tribuendi. Vtrum Alexander I. corona radiata usus sit, ambigo.

* * *

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam, anni:* ΒΞΡ. ΔΞΡ. ΕΞΡ. AR. I. (Mus. Caes. Frölich, Catal. d'Enery.)

Capita duo jugata, Cleopatrae uxoris velatum diadematum imminente capiti modio: et Alexandri diadematum. ✠ *Eadem aversa.* AR. I. (Vaill.)

Θεοπατορα, id est: *deo patre natum,* se appellat Alexander, ut fidem faceret, se Antiocho IV. natum, qui *Dei* cognomen tulit. Sed Livius [a]), et Iustinus [b]) hominem ignotum, et incertae stirpis, sortis extremae juvenem dixere, eique, ne quid contumeliae deesset, nomen Alexandri inditum, genitumque ab Antiocho rege dictum. Ejus verum et vile cognomen fuisse *Balae*, discimus ex Strabone [c]), et Iustino [d]). De titulo Ευεργετȣ nihil ex historicis constat. Arreptus haud dubie captandae causa benevolentiae.

Numus alter conjunctum Cleopatrae caput exhibet, de qua nobis deinceps adhuc frequens sermo. Impotentiam muliebrem caput modio divinitatis indice oneratum arguit, et quod nobiliore loco

a) Epit. L. LII. b) L. XXXV. c. 1. c) L. XVI. p. m. 1090. d) l. c.

collocatur. Ferendum istud marito sordido et ignavo, qui soceri artibus et armis regnum praecarium debuerat.

* * *

Caput regis galeatum diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. *Tripus.* AE. III. (ex Mus. Pellerin B. L. T. XXIX. p. 209.)

En in numo hoc unico binos alios Alexandri titulos ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ et ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ, quos jam Antiocho IV. tributos vidimus, quosque velut haereditario jure sibi debitos resuscitavit rex, ut sordidae stirpis ignaris fuçum faceret. Parcum tamen in eorum usu fuisse patet, quia in unico hoc numo illi occurrunt. Επιφανης etiam nomen illi tribuit auctor libri I. Macchab [a]).

* * *

Caput regis diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Apollo nudus cortinae insidens d. telum, s. arcum.* AR. II. III. (Mus. Caes. Frölich.) In alio infra Apollinem: ΓΞΡ. AR. III. (Mus. Duane.)

* * *

Caput regis leonis exuviis tectum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Apollo nudus stans d. telum, s. arcum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Nomen Alexandri admonuerit ineptum regem, ut et magni ejus Macedoniae regis cultu gloriaretur adplicatis capiti leonis exuviis.

* * *

Caput muliebre elephanti exuviis tectum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Acrostolium.* AE. III. (Haym.)

Caput anticae referre uxorem Cleopatram Aegyptiam Aegyptio more ornatam non inique conjicit Haymius, consentiente etiam Pellerinio.

* * *

Caput Medusae intra clypeum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Pegasus volans.* AE. III. (Pellerin.)

Facile quidem cum Medusa componitur Pegasus, quem constat natum ex cruore, qui de Medusae capite stillabat, sed cur is lectus typus, ignoramus, nisi forte Palladis cultum respicit.

* * *

Vrbes non paucae huic regi numos dedicavere additis frequenter aerae annis, Apamea, Cyrrhus, Hieropolis, Laodicea, Sidon, Tyrus, quos vide in singularum urbium moneta descriptos.

Ex annis ejus monetae inscriptis primus est ΒΞΡ, postremus ϛΞΡ.

ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. Numos cum hac epigraphe vide sub initium numorum Seleucidos.

Sunt, qui Alexandri I. nomen inscriptum numo Iudaico credidere. At mihi verisimilius videtur, tribuendum eum Alexandro Iudaeae regi, ut dicetur in numis principum Iudaeae.

DEMETRIVS II.

DEVS, PHILADELPHVS, NICATOR.

Demetrii I. filius, Ptolemaei Philometoris, ut dictum, beneficio in Syriam revocatus, ejusque per Cleopatram Alexandro ademptam factus gener, hoc

a) Cap. 10. v. 1.

post acceptam cladem caeso, ac mortuo paullo post ex vulneribus Philometore in universa Syria rex agnoscitur V. C. 608. Militibus Iudaeis in Antiochenses sibi suspectos immissis ad centum millia civium interficit. Propter haec crudelitatis argumenta cum suorum odium incurrisset, Tryphon praefectus regius Antiochum Alexandri I. filium puerum ex Arabia, ubi Demetrii II. metu delituerat, evocatum V. C. 610. regem proclamat additis nominibus Epiphanis Dionysi, ad quem continuo pars exercitus, et urbes Syriae complures sueta genti levitate deficiunt. Sed novum regem ipse, qui constituerat, Tryphon interimit, et sceptrum ipse in Syriae parte capessit. Demetrius, ut amicos sibi adversus aemulum praepotentem pararet, V. C. 612. Simoni Iudaeo pontificatum et principatum confirmat, et libertatem genti impertit, ex quo Iudaei coepere in monumentis publicis scribere: *anno I. sub Simone summo sacerdote.* Moto subinde adversus Arsacem Parthum bello capitur V. C. 613., et in Hyrcaniam mittitur. At Cleopatra Tryphonis vim extimescens captivi mariti fratrem Antiochum arcessit, et ad regnum simul, torumque invitat, qui continuo Syriam ingressus utrumque acceptat V. C. 615. adscito sibi *Evergetae* nomine, victumque Tryphonem ad necem adigit. Interea Demetrius, etsi eum Arsaces liberaliter haberet, sic ut generum etiam adscisceret, redeundi tamen in regnum cupidus, sed bis tentata fuga bis retractus, tandem adnitente fratre Antiocho, qui Parthiam ingressus gravibus Parthos damnis adfecerat, liber dimittitur circa annum V. C. 624. Demetrius in regnum redux, et ad veterem morum insolentiam reversus ita brevi Syrorum a se animos avertit, ut missis ad Ptolemaeum Physconem legatis regem peterent, a quo in Syriae regnum intrusus Alexander quidam Zebina Demetrium gravi clade attrivit, qui subinde Tyrum profugus urgente uxore Cleopatra ibi occisus est V. C. 628.

Ex Cleopatra Ptolemaei Philometoris F. suscepit Seleucum V., et Antiochum VIII.

Numi:

Caput regis diadematum. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Apollo nudus sedens d. sagittam, s. arcum.* AR. I. (Frölich.) *In alio insuper* ΗΞΡ. AR. I. (Mus. Duane.)

En conjunctos omnes Demetrii II. titulos. Θεϐ ratio ex nota regum Syrorum vanitate satis aperta. Φιλαδελφος dictus ob amorem fratris Antiochi VII., cujus hic specimen insigne dedit, quo tempore frater apud Parthos captivus detinebatur, ut diximus. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, *Victoris*, causam suggerit Appianus a): *et quia vicit alienum a sua familia*, (Alexandrum I.) *Nicatorem Syri cognominarunt*, *secundum post Seleucum*, *a quo descenderunt Syriae reges.*

Typus aversae in regum Syriae moneta obvius.

* * *

Caput regis diadematum. X ΒΑΣΙ-

a) Bell. Syr.

ΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Mulier sedens d. bacillum, s. cornucopiae.* AR. I.

Similis aversae tetradrachma jam vidimus in numis Demetrii I. patris.

* * *

Caput Iovis laur. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Pallas alata stans d. Victoriolam, s. hastam et clypeum, annus* ΗΞΡ., *in area* ΣΙ. AE. II. (Haym.)

Caput Apollinis. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Cornucopiae, annus* ΗΞΡ. AE. III. (Haym.)

Caput muliebri ornatu decorum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Forceps.* AE. III. (Mus. Caes. Frölich.)

Numus I. sistit Palladem cum alis. Est haec Minerva Νικη, *Victoria*, de qua copiose egi in numis Atheniensium. Numus II. probat, non semper Syros omnes regum suorum titulos numis inscripsisse, quod cumprimis elucescit in numis Demetrii II., praecipue qui Tyri cusi sunt. Numi III. typus forceps insolens. Si caput anticae est Iunonis, nequaquam desperata ejus explicatio. Iunonis simulacro apud Argos secundum testimonia veterum addita fuit forficula, de quo vide, quae disseram in numis Treboniani Aug.

* * *

Caput regis diadematum, retro M. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Mulier stolata adversa stans d. thyrsum, s. pomum, capite ornato corona radiata, (in simili musei Caes. videtur caput galeatum) duobus pini strobilis ex utraque parte dependentibus, sub quibus duo astra, ex figura ipsa a medio ad imum phalli hinc et inde prostant.* AR. I. (Haym, Mus. Caes.)

Caput regis radiatum. ✕ ΒΑ. ΔΗ. *Bacchus barbatus et togatus stans d. diotam, s. thyrsum.* AR. III. (Pellerin.)

Numi prioris typus plane singularis, at simul aenigma iis, qui explicationem tentabunt. Haymio Pantheon videtur compositum ex omnibus Syrorum diis, quorum praecipua Astarte. Vide, quo modo reliqua cum hoc simulacro connexa explicet, sed unis nixus conjecturis. Ex littera M partis anticae suspicatur, numum cusum Marathi Phoeniciae. Sed si M est ἀρχαικσα urbis, magis crederem indicari Mallum Ciliciae, cujus numus cum capite Antonini Pii simillimam habet aversam.

Numum alterum descripsi propter insolentiorem Bacchi imaginem. Ceterum nolim adfirmare, numum hunc esse certo hujus Demetrii.

* * *

Caput regis diadematum barbatum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam, in nonnullis anni:* ΔΠΡ. ϛΠΡ. AR. I. (Frölich, Pellerin.)

Caput simile. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Aquila stans, annus:* ΕΠΡ. AR. I. (Pellerin.)

Demetrium II., quem imberbem hactenus vidimus, nunc liberaliter barbatum ostentant numi. Novi cultus causa verisimilis, quod volebat toleratae apud Parthos captivitatis memoriam conservare. Ex eadem causa etiam Seleucum II. ex Parthorum vinculis reducem promisisse barbam verisimile diximus. Sed observandum, Demetrium

non in omnibus numis, qui signati sunt, ex quo in libertatem adsertus est, barbatum proponi. Nam cum in regnum redierit anno Seleucidarum ΓΠΡ. seu 183., habemus numos cum annis ejusdem aerae ΕΠΡ. ϛΠΡ. ΖΠΡ., in quorum aliis barbatus, in aliis solito more imberbis sistitur. Video, in numis Antiochenis, qualis est, quem primo loco dedi, a tempore captivitatis barbatum illum semper proponi, at imberbem semper in numis Tyri. Ex quo colligo, urbium istud arbitrio permissum, utro vellent modo principem proponere.

* * *

Caput regis diadematum barbatum. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Animal, cui figura d. sertum, s. craterem protendens insistit.* AR. III. (Haym.)

Aversa haec obvia est in autonomis Tarsensium, in quorum catalogo de insolente quoque hoc typo egimus. Dubitari adeo non potest, numum hunc Tarsi Ciliciae signatum.

* * *

Caput muliebre. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΟΡ. *Palma arbor.* AE. IV. mixt. arg. (Mus. Caes.)

Vide numum hunc a me olim vulgatum [a]).

* * *

Tyri et Sidonis illustria exstant tetradrachma Demetrii II. nomen praeferentia, tum et aenei complures Tyri, quos in harum urbium moneta recitabimus.

Ex annis aerae Seleucidarum primus est ΖΞΡ. postremus ΖΠΡ. Numi, quia annos offerunt medios inter ΒΟΡ. et ΓΠΡ., cusi sunt Demetrio apud Parthos absente ab urbibus, quae illum, etsi captum, regem tamen suum agnovere.

Demetrius II. intra XX. annos, quibus, si captivitatis tempus adnumeres, regno praefuit, vidit intrusos, aut arcessitos Antiochum VI., Tryphonem, et Antiochum VII., et eosdem etiam exstinctos, quos modo persequar.

ANTIOCHVS VI.

EPIPHANES, DIONYSVS.

Alexandri I. et Cleopatrae filius. Patre a Demetrio II. V. C. 608. victo caesoque in Arabiam deportatus exitium evasit. At Tryphon, cui Alexander I. Antiochiae praefecturam crediderat, cum videret, aversos a Demetrio II. Syrorum animos, puerum ex Arabia accitum regem promulgat, eique, victo armis Demetrio, Antiochiam et regni partem subjicit eodem anno V. C. 608. Sed enim praecarium hunc regem Tryphon ipse tutor captus regnandi cupidine corruptis medicis, dum secandi calculi causa praetenditur, e medio tollit V. C. 611., vel proxime sequente, ut dicetur.

Numi:

Caput regis diadematum. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Iuppiter seminudus sedens d. Victoriolam, s. hastam, annus* ΖΞΡ. AR. I. (Pellerin.)

Sitne praeclarus hic numus revera hujus Antiochi, non pauca videntur in dubium vocare. I. Annus ΖΞΡ., qui respondet anno V. C. 608. inde ab autumno,

a) Sylloge I. p. 87.

at videntur innuere scriptores, Antiochum VI. nonnisi anno sequente HΞP. ex Arabiae latibulo protractum, et Syriae regem praepositum. II. Vultum in hoc numo exstantem praeferre adultiorem aetatem, quam qui puello tribui possit. III. Omittitur in hoc titulus ΔΙΟΝΥΣΟΥ, qui in aliis ejus omnibus numis abesse non solet. Haec dubia in hunc modum amolitur Pellerinius: I. Verisimile videri, Antiochum nostrum, etsi in Arabia absentem, Tryphone agente, quem Alexander I. Antiochiae praefectum constituerat, mox audita Alexandri I. nece V. C. 608. ab Antiochenis proclamatum regem, et continuo cum ejus imagine signatum numum, quem revera esse Antiochenum aversae typus manifeste docet. Et poterat intempestivus hic Antiochenorum in puerum regem affectus esse causa, quae Demetrium II. Alexandri I. victorem impulit, ut immisso milite peregrino centum eorum millia trucidaret, ut in ejus Demetrii vita diximus. Quod si scriptores aliqui ejus regnum ab anno sequente inchoant, intelligunt tempus, quo ex Arabia evocatus regnum revera adiit. Hanc sententiam praeclare confirmat Iosephus, cum Antiochum VI. quarto regni anno caesum scribit a), quot ille annos conficere nunquam potuisset, nisi Antiochi regnum ab anno Seleucidarum ΖΞΡ. V. C. 608. auspicatus esset, ut dicetur infra. II. Obvia esse exempla in numis regum Syriae et Aegypti, puerorum regum aetatem promoveri solitam, addo etiam, saepe Caesarum in numis Romanis, ceu Philippi junioris. Quod si lineamenta non conspirant cum iis, quae comparent in moneta annis proximis signata, in causa esse, quod, quo tempore signatus est hic numus, Antiochus in Arabia absens, neque adeo Antiochiae satis cognitus ejus vultus fuit. III. Iam saepius fuisse monitum, non semper numis omnes regum titulos inscribi solitos, et esse probabile, Antiocho VI. aliquanto serius *Dionysi* nomen accessisse.

ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ nomen verisimile est fuisse inditum ex nomine Antiochi IV. Epiphanis, qui ejus avus ferebatur.

* * *

Caput regis puerile diadematum radiatum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. *Dioscuri hastati in citatis equis, annus* ΘΞΡ. *in area* ΤΡΥ. In alio: *annus* ΟΡ *in area* ΤΡΥ. ΣΤΑ. AR. I. (Pellerin, Frölich.)

Alius, sed: *Apollo nudus cortinae insidens d. telum, s. arcum, in imo anni* ΗΞΡ. ΟΡ. *et* ΣΤΑ. AR. III. (Mus. Duane et Caesar.)

Caput diadematum radiatum intextis hederae foliis. ✠ *Eadem epigraphe. Elephas facem proboscide praeferens, in area* ΣΤΑ. *et variantia sigilla.* AE. III. (Mus. Caes.)

In his numis caput Antiochi VI. est radiatum, quo firmatur testimonium Iosephi, qui eum *Deum* appellatum testatur b), etsi hoc titulo in numis usum non videamus. Iosephus nempe generatim dixit *Deum*, cum revera talis esset per nomen ΔΙΟΝΥΣΟΥ, *Bacchi*, inditum haud dubie puero causa venustatis. Vt ergo corona radiata ad nomen DEI, sic hedera, quae in numis loco III. descriptis radios ambit, ad nomen ΔΙΟΝΥΣΟΥ pertinet.

---

a) Ant. L. XIII. c. 7. b) Ant. L. XIII. c. 7.

Dioscuri numi I. praecipua Tripolitarum Phoenices numina fuere, unde verisimile est, ab his hos numos signatos. Elephas δαδεχος, seu *facem gestans* solennem aliquam pompam videtur indicare, ad quam adhibitum animal istud ad praegestandam taedam condocefactum. De I. Caesare Suetonius a): *adscenditque Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus.* Adde Dionem b).

Verba ΤΡΥ. ΣΤΑ. ambiguum habent explicatum. Ad expediendam vocem ΣΤΑ. multa ἀπρεσδιονυσα a nonnullis adlata fuere, quae quia jam refutavit Frölichius, commemorare piget. Si το ΤΡΥ. indicat Tryphonem primae tum in regno potentiae, poterit το ΣΤΑ. indicare eum, qui secundas tenuit. De annis epochae infra.

* * *

Bos dimidius saliens. In alio: *Leo dimidius.* ☓ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. *intra coronam hederaceam.* AE. III. (Mus. Caes. Duane.)

Caput pileo Phrygio innexis stellis tectum, et lunae impositum. ☓ ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. *Bos gibbosus.* AE. III. (Liebe p. 119.)

Numus alter utrum inter Syriae reges locum habeat, videtur posse dubitari. Antica certum proponit dei Mensis caput. Numen istud in nullo urbis Syriae, Phoenices, Coelesyriae numo video exstare, dempta Laodicea ad Libanum, at frequens est in numis Asiae minoris, perinde ac bos partis aversae sic gibbosus. Et si numus est Antiochi VI., mirum sane, omissos titulos ΒΑΣΙΛΕΩΣ, et ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, qui in nullo ejus regis numo certo absunt. Videri igitur potest numus esse urbis Asiae minoris, et Antiochus Dionysi F. magistratus.

* * *

Epochae annos in numis Antiochi VI. habemus ΖΞΡ. ΗΞΡ. ΘΞ. ΟΡ. Horum tres in praecedentibus indicavimus, et annum ΗΞΡ. testatur Vaillantius sibi alias conspectum c), aliumque cum eodem anno dedimus supra ex museo Duane. Nimium ergo parcus fuit Frölichius, qui duos tantum illi annos, eosque vix expletos tribuit d). Neque adeo hallucinatus dici potest Iosephus, quod eodem loco censet Frölichius, dum quatuor regni annos eum regno praefuisse adserit, praecipue si incompletos intelligas. Vide, quae supra ad numum I. dixi, tum et Belleyum e).

TRYPHON AVTOCRATOR.

Tryphon, qui et Theodotus f), natus in Secoanis Apamensium castello, Alexandro I. commendatus, ab hoc Antiochiae praefecturam aufert. Hoc V. C. 608. caeso, continuo ejus filiolum Antiochum, tum in Arabia Demetrii II. metu absentem, regem Antiochiae edixit, ac post ab exilio revocatum in regnum intrusit, ipse tutorio nomine rege per aetatem invalido remp. admini-

a) Cap. 37. b) L. XLIII. §. 22. c) Hist. Ptol. p. 100. d) Ann. p. 74. e) B. L. T. XXIX. p. 214. f) Strabo, Appian.

stravit. Verum patuit triennio post meditatum animo facinus. Nam caeso perfide puero rege Antiocho VI. V. C. 611., aut sequente ipse regnum invadit, illudque multarum urbium accessione adversus Demetrium II. confirmat, quo interea a Parthis capto ipse sui securus ad ingenium redit, cumque per repetita ferociae exempla omnium odium incurreret, repente Antiochus Demetrii II. frater, deinceps a nobis dictus VII., in Syria adest, ductaque Cleopatra fratris Demetrii uxore regem se agnosci jubet, ad quem cum urbes et Tryphonis copiae certatim deficerent, ipse per regnum vagus palansque, tandem Apameae captus ad mortem adigitur V. C. 616.

Numi:

Caput regis diadematum. Ꭓ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΡΥΦΩΝΟΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. *Galea adfixo animalis cornu conspicua, in area* ΑΣ. ΑΣΚ., *vel pilei Dioscurorum etc.* AE. III.

Caput regis diadematum. Ꭓ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΡΥΦΩΝΟΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. ΔΩΡ. ΙΕ. Κ. Α. *Iuppiter stans d. porrecta coronam.* AE. II. (Pellerin Lettres p. 1.)

Titulus ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, id est, *propria potestate regentis*, a nullo hactenus et deinceps rege dempto Arsacidarum uno adscriptus, a Tryphone, quocunque consilio, cum regis titulo conjunctus est. Lege Spanhemium in eo illustrando copiosum [a]). In parte aversa observandum cornu galeae adfixum. In typo galeae Vaillantius adlusionem ad nomen Tryphonis videt, quod *τρυφάλεια* Homero et Hesiodo galea est, sed quae causa nimis longe arcessita videtur. Cornu, quod hircino simile est, seu indicat regum Macedoniae galeam hircinis cornibus horridam, de qua egi in numis Antigoni I. Macedoniae regis, dicti Gonatae, seu in genere variorum morem populorum, qui galeis cornua praefixere, de quo lege iterum disserentem Spanhemium [b]). Forte istud privatae religionis causa factum, quemadmodum Libyes causa Iovis Ammonis cornu galeae addidere, cujus moris meminit Silius Italicus [c]):

Tu quoque fatidicis Garamanticus accola lucis
Insignis flexo galeam per tempora cornu.

Et infra de Nabi Ammonis cultore [d]):

Casside cornigera dependens infula.

Numus alter longe illustrior, quia forte unicus. Signatum se profitetur Dorae Phoenices urbe. Et vero hanc fuisse Tryphoni ad extremum fidelem, docet auctor libri I. Macchab. [e]). Quo loco refert, Tryphonem huc profugum, et ab Antiocho VII. clausum aliquamdiu obsidionem tolerasse. Typo aversae Pellerinius victoriam aliquam a Tryphone de Demetrio II. relatam putat significari. Sed hic typus in urbium Syriae numis obvius, nempe Apameae, Cyrrhi, Antiochensium apud Ptolemaiden, Hieropolis etc.

---

a) Tom. I. p. 443. b) Tom. I. p. 399. c) Pun. I. 14. d) L. XV. 682. e) Cap. XV. 25.

ANTIOCHVS VII. EVERGETES,
vulgo Sidetes.

Demetrii I. filius, capto a Parthis Demetrio II. fratre ab hujus uxore Cleopatra adversus Tryphonem ex insulis, in quibus tum degebat, ad regnum et tori societatem evocatur. Quibus is legibus acceptis V. C. 615. bellum in Tryphonem movet, eumque expugnata Apamea captum interimit. Solus jam Syriae rex fratri e vinculis liberando intentus cum magno exercitu Parthiam ingressus, ternisque praeliis victor fratri libertatem peperit quidem, sed ipse paullo post turpem a victis cladem accipit. De mortis genere et anno magnus est inter veteres scriptores dissensus. Plerique in ipsa ea clade caesum adfirmant illata circa annum V. C. 623., alii sibi ipsi vim intulisse, alii aliter caesum, quorum varias sententias enarrat Frölichius [a]). Sed numis praeeuntibus vixit adhuc V. C. 627., ut dicetur infra. Videtur ergo Demetrius II. V. C. 624. fratris Antiochi VII. ope ab exilio restitutus amicum fratrem in regni communionem vocasse, aut saltem in parte Syriae regem constituisse, donec V. C. 627. diem obiit caesus a sacerdotibus Naneae in Perside, cujus thesauris inhiabat, ut refert auctor Libri II. Macchab. [b]).

Vxor Cleopatra Ptolemaei Philometoris F., ex qua natus *Antiochus IX.*

Numi:

Caput juvenile hedera coronatum. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Ancora, annus* ΒΞΡ. *omnia intra lauream.* AE. III. (Haym.)

Singularis hic numus cum primum sese offerret Haymio, inquirendum primum duxit, cujus esset Antiochi. Annus ΒΞΡ. 162., qui respondet anno V. C. 603. inde ab autumno, fuit postremus Demetrii I., qui fuit pater Demetrii II. et Antiochi VII., et primus Alexandri I. Balae. Numus hic Antiochi V. esse nequit, qui ante annos omnino XI., nempe V. C. 592. mortuus est; neque esse potest Antiochi VI., qui, ut multum tribuamus, anno V. C. 603., quo signatus est numus, bimus fuit, et certe nondum rex. Cum ergo de alio illa aetate Antiocho non constet, necesse est, tribuendum Antiocho VII. Demetrii I. filio. At cum constet, eodem anno Seleucidarum ΒΞΡ. simul caesum Demetrium I., simul Alexandrum I. in regno successisse, existimat Haymius, Demetrii I. filios mox intellecta patris morte in Syriam advolasse, (nam eos pater ob belli intemperiem ex regno dimiserat) et occupata Syriae parte in hac reges agnitos, ac tum utriusque nomine signatos, numos, ex quorum numero esse praesentem Antiochi Evergetae, statim caeso patre percussum. Atque hanc viri praestantis explicationem admittendam duxere eruditi, etsi nulla alia adjutam veterum auctoritate, quod alium eo nomine regem non repererunt, cui cimelium istud tribuendum putarent.

Idem Haymius cum ex hoc numo videret, Antiochum Evergeten jam anno Seleucidarum ΒΞΡ. seu V. C. 603. dici regem, et Antiochum Dionysum non-

a) Annal. proleg. p. 45. et p. 84. in notis.

b) c. 1. v. 10.

nisi anno ZΞP., seu V. C. 608, non dubitavit, Evergeten appellare Antiochum VI., et Dionysum Antiochum VII. contra Vaillantium, qui ordinem contrarium tenuit. Sed plerique, qui Haymio successere, veterem legem sequendam censuerunt; nam istud Evergetis regnum circa annum V. C. 603. temporarium tantum fuit, et radices non egit, neque nisi V. C. 615. rex Syriae vere dici potuit, Antiocho Dionyso tum pridem exstincto.

* * *

Caput regis diadematum. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam, et clypeum, in nonnullis adscripti anni* ϛΟΡ. ΑΠΡ. ΒΠΡ. AR. I. (Catal. d'Ennery p. 25. Mus. Caes. Frölich, Pellerin.)

ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ titulum sumpserit Antiochus, ut adversari se ostenderet moribus Tryphonis, Syris propter crudelitatem exosi. Eum constanter jactant numi, sed aliis nominibus eum compellant scriptores. Iosephus *Pium* et *Soterem* dixit, vulgus *Sideten* a Side Pamphyliae, unde in Syriam profectus est.

* * *

Protome Cupidinis. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Flos loti. Anni* ΔΟΡ. *et proxime sequentes, quorum postremi* ΕΠΡ. ϛΠΡ. AE. III.

Flos forte mali Punici. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Ancora, anni* ΒΠΡ. ΔΠΡ. AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput leonis. Ӿ *Eadem epigraphe. Clava, anni:* ΕΟΡ. ΖΟΡ. AE. III. (Frölich, Pellerin.)

Hos numos descripsi, magis ut modus monetae hujus regis appareat, quam ut animadversiones admetiar. Cupidinis causa incerta, at non loti, quam dubium non est in his consitam areolis Cleopatrae uxoris gratia ex Aegypto advecta, et quamdiu vixit, in Syria praepotentis. Pellerinii sententia, qui Spanhemium secutus, non lotum, sed herbam dictam Commagenen putat, magis videtur speciosa, quam verisimilis. De epochae annis continuo.

* * *

Tyrus, Sidon, Seleucia Pieriae numos hujus regis capite et epochae annis insignes cuderunt, quos in earum moneta recitavi.

Ex annis epochae primus est ΒΞΡ., sed quem supra dixi per temporarium tantum ejus regnum signatum. Sed hoc serius stabilito annus I. in numis est ΔΟΡ. Postremi ΓΠΡ. ΔΠΡ. ΕΠΡ. ϛΠΡ. animadversione digni. Annus ΓΠΡ. exstat in tetradrachmo Tyrio musei Caesarei, ΔΠΡ. in aeneo Pellerinii. Eundem annum vidit etiam Frölichius in didrachmo Tyrio musei Caesarei, sed verius in eo videtur legendum ΒΠΡ. Annus ΕΠΡ. exstat in aeneis duobus, quos serius post scriptos suos annales vulgavit Frölichius [a]). Denique annus ϛΠΡ. in aeneo, quem haud ita pridem museo Caesareo intuli, postea vulgavi [b]). Ex his numis refellitur sententia eorum, qui Antiochum VII. jam anno Seleucidarum ΒΠΡ. caesum dixere,

a) Ad Num. reg. vet. access. nova p. 69.

b) Sylloge I. p. 87.

quod satis aperte innuunt scriptores veteres. Ergo is testibus his numis in annum usque ϛΠΡ., seu V. C. 626. regnum porrexit, cui tempori favet etiam auctor Libri II. Macchab., de quo vide, quae paucis disseruere Frölichius [a]), et serius ego ad numum citatum.

ALEXANDER II. *vulgo* Zebina.

Syriae aliquot urbes Demetrii II. superbiam exosi, tum regem sibi a Ptolemaeo Physcone deposcunt, ab hoc juvenem quemdam Aegyptium, Protarchi negotiatoris filium, cui vulgus *Zebinae* vel *Zabinae* nomen indidit, obtinent, et ne non Syrus haberetur, indito Alexandri nomine fingebatur ab Antiocho VII. adoptatus, ut refert Iustinus [b]). In parte Syriae rex agnitus V. C. 626. cum justas tandem vires collegisset, Demetrium ad Damascum V. C. 628. aggressus vincit, regnumque firmat. Sed destitutus Ptolemaei auxiliis, qui mutata voluntate Antiocho VIII. Demetrii II. filio faverat, ab hoc victus, cum deessent militibus stipendia, ad rapinam templi Antiocheni conversus, sed facto multitudinis concursu pulsus, deinde a suis desertus captusque Antiochi VIII. jussu interficitur V. C. 632. Haec Iustinus [c]).

Numi:

Caput regis diadematum. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Iuppiter seminudus sedens d. Victoriolam, s. hastam, in nonnullis anni* ΘΠΡ. qP. AR. I. (Pellerin.)

Typus in regum Syriae numis inde ab Antiocho IV. obvius, exhibens simulacrum Iovis Antiocheni. Erga hunc ipsum deum fuisse regem nostrum sacrilege facetum, commemorat Iustinus [d]). Nam deficientibus in stipendia numis solidum ejus ex auro Victoriae signum abstulit, dicto, Victoriam sibi a Iove commodatam. Verum cum paullo post ipsius Iovis aureum simulacrum infiniti ponderis tentaret moliri, a concurrentibus Antiochenis templo et urbe ejectus est.

* * *

Numi reliqui obvia habent argumenta, *Bacchum*, *Victoriam*, *Fortunam*, *cornucopiae etc.* Caput regis jam diadematum, jam radiatum, rarius leonis spoliis opertum.

Vrbium numus nullus cum hujus regis capite compertus. Illud quidem vidit Frölichius in numo Alexandriae Ciliciae ad Issum, quia in eo annum ZΠΡ. legerat. Verum in hoc exhiberi caput postremi Antiochi Commageni, et epochae annum IP., dicetur in numis regum Commagenes.

Annus epochae primus ΔΠΡ. in aeneis obviis, postremi ΘΠΡ. qP. in tetradrachmis rarissimis, quae descripsi.

SELEVCVS V.

Demetrii II. ex Cleopatra filius natu major, patre minis Alexandri II. et fraude uxoris Cleopatrae Tyri caeso V. C. 628. regem sese professus, sed

a) l. c. b) L. XXXIX. c. 1. c) l. c. d) l. c.

anno sequente a matre, cujus studia in Antiochum VIII. filiorum alterum inclinabant, interfectus est.

Numi:

Neque Vaillantius, neque Haymius certum hujus regis numum nacti sunt. Horum tamen quinque aeneos auctor catalogi musei Theupoli Seleuco V. tribuere non dubitavit. Sed utrum hujus judicio standum sit, dubitant Frölichius, et Pellerinius. Causa igitur in medio relicta, nullus ex his numis describendus videbatur. Vna citato auctori ratio in capite muliebri velato reposita est, quod esse Cleopatrae matris putavit, sed quod criterium valde est ambiguum.

ANTIOCHVS VIII. EPIPHANES *vulgo* Grypus.

Demetrii II. et Cleopatrae filius natu minor, caeso patre, et fratre Seleuco V. matris insidiis perempto V. C. 629. a matre rex appellatus, et favente Ptolemaeo Aegypti rege Alexandro II. oppositus est, quo V. C. 632. victo caesoque ipse solus regnavit. Hactenus matri obnoxius, ex cujus tum nutu res omnis publica pendebat, cum impotentis mulieris jugum amplius ferre non posset, et eam denique producto teste parati sibi veneni convinceret, illa per vim ad hauriendum illud adacta sese molesto imperio exemit. Et vero quiete aliquamdiu regnum tenuit, donec Antiochus IX. frater uterinus, nempe Antiochi VII. Evergetae patrui, et Cleopatrae filius partem Syriae repetitum veniret. Dum fratres inter se litigant, et per vices vincunt, et vincuntur, et jam regnum inter se partiuntur, jam rupta pace eripiunt, pars urbium Syriae libertatem sibi extorquent. Inter hanc Antiochus VIII. fraude Heracleonis occiditur V. C. 657. aetatis anno XLV.

Ex *Cleopatra Tryphaene* Ptolemaei Physconis F. filios habuit *Seleucum VI.*, *Antiochum XI.*, *Philippum*, qui duo gemelli fuerunt, *Demetrium III.*, *et Antiochum XII.* infelices omnes et temporarios futuros reges. Vxor altera *Cleopatra Selene* prioris soror.

Numus:

Cleopatrae matris, et Antiochi VIII.

Capita jugata Cleopatrae velatum diadematum, Antiochi VIII. diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Aquila insistens fulmini, annus* ΗΠΡ. AR. I. (Vaill.)

Eadem capita. ✕ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. (*addito in nonnullis* ΘΕΑΣ.) ΚΑΙ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Iuppiter seminudus sedens d. aquilam, s. hastam. Anni:* ΘΠΡ. ΒϘΡ. AR. I. (Mus. Caes. Catal. d'Ennery.)

Alius, sed: Victoria gradiens. AE. III. (Frölich.)

Eadem capita. ✕ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΣΙΔΩ. ΙΕΡ. ΑΣ. *Aquila stans, pone palmae ramus, annus* ΑϘΡ. AR. I. (Pellerin.)

Caput regis diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. ΚΑΙ. ΒΑ-

ΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Flos loti cum palmae ramo*, *anni* ΗΠΡ. ΘΠΡ. AE. III. (Frölich.)

Caput regis radiatum. ✕ *Eadem epigraphe. Noctua amphorae insistens*, *anni* ϙΡ. ΑϙΡ. AE. III. (Frölich.)

Quod memoriae proditum a scriptoribus, fuisse Cleopatram mulierem projectae audaciae, regnandi avidam, et pro libidine reges et praeficientem, et dejicientem, et in quam jure cadit Euripideum illud: ἀλλ' ἐδεν ἐτω δεινον ὡς γυνη κακον, praeclare numorum testimonio stabilitur. Non enim contenta, suam monetae inscripsisse imaginem, etsi ab Nilo profectae nullum in Syriae regnum jus fuit, ausa est etiam, non modo imaginem suam cum filii regis imagine jugatam, sed et nomen nobiliore loco proponere, patienter istud aliquamdiu ferente filio, quod regnum matri debuerat. Similis impudentiae argumentum in Iulia Augusta perstringit Tacitus, ausa, cum effigiem D. Augusto dicaret, Tiberii nomen suo postscribere [a]). Ne vero etiam qua in re Syriae regibus concederet, non neglexit more a pluribus recepto se Θεαν compellare. Numis testibus eodem anno, quo Syriae regnum adivit filius, nempe ΖΠΡ., nomen suum et effigiem numis intulit. Annus postremus est ΒϙΡ., qui incipit ab autumno V. C. 633., quo anno per Alexandri II. interitum solus Syriae rex, et jam ad amoliendum jugum audentior videtur matrem ad mortem compulisse. Fuit haec Cleopatra filia Ptolemaei Philometoris, trium regum Syriae uxor, et regum quatuor mater; ex marito Alexandro I. peperit Antiochum VI., ex Demetrio II. Seleucum V. et Antiochum VIII., ex Antiocho VII. Antiochum IX., eadem mariti Demetrii II., et filii Seleuci V. carnifex.

* * *

Liebeus et Frölichius huic etiam Cleopatrae tribuerunt numos, in quibus; *Caput muliebre velatum.* ✕ *Bos currens addito epochae anno.* Sunt aenei omnes III. formae. Sed eos esse Aradi Phoenices, et caput esse non posse hujus reginae, dicetur in ejus insulae moneta.

Numi Antiochi VIII. solius.

Caput regis diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Aquila insistens fulmini*, *anni* ϛϙΡ. ΗϙΡ. AR. I. (Pellerin.)

Caput regis diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Vir totus nudus*, *in aliis seminudus stans d. extenta astrum*, *s. hastam*, *capiti imminet luna*, *in nonnullis anni* ΓϙΡ. ΔϙΡ. ΖϙΡ. ΘϙΡ. *omnia intra lauream.* AV. max. mod. elegantissimus. (Mus. Caes.) AR. I. (Frölich, Duane.)

Titulum ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ in plerisque Antiochi VIII. numis additum videas, at non, quod censuit Vaillantius, post mortem demum Cleopatrae adscitum, nam is jam comparet in numo musei Caesarei cum anno ϙΡ., quo certe adhuc vixit Cleopatra, etsi hactenus nondum comparuerit in numis, qui matris et filii conjunctos vultus et nomina sistunt. Dictum quoque *Philometora*,

a) Annal. III. c. 64.

Frölichius ex fragmentis Porphyrii docet. Numi, si Goltzianum excipias, hunc titulum reticent, sed ejus justas causas suppeditat historia. Sed obvium ejus apud scriptores cognomen est *Grypus*, quod illi inditum propter nasi magnitudinem refert Iustinus [a]), mallem, propter nasum aduncum secundum naturam gryphi animalis, quae etiam nasi adunci forma certissimum ejus numorum criterium facit.

Typus aversae in numis alteris prorsus *αἰνιγματώδης*, et quod sequitur, in mille conjecturas patet. Vaillantius, qui figuram stantem in numis suis capite barbato et laureato vidit, dixit esse Iovem, et astris solis et lunae indicari, in ejus dei nutu esse dies et annos. In ejus etiam sententiam propendet Frölichius. Mihi in veram hujus figurae explicationem inquirere non est animus, quia ejus attributa, ex quibus tamen unis omnis causa pendet, nimium variant. Illa in aliis est tota nuda, in aliis instar Iovis superiore tantum corporis parte nuda, reliqua decore tecta. In numis Vaillantii habet barbam et lauream; in numo musei Caesarei, qui est aureus maximi moduli, idemque quaquaversum illaesus, utraque caret. Quid igitur? an varium esse numen putemus? an unum idemque, sed varie effictum? An fallit Vaillantii descriptio, qui barbam lauream que semper addit, in uno etiam totum nudum pronunciat? Istud ut adserere difficile, ita veritatis examen oppido impeditum efficit. Ceterum indubitatum, typum esse ex astrologicis unum, cujus generis copiosos in numis habemus, eoque proponi numen quomodocunque in Syria observatum, quo praeside solis et lunae cursus ad constituendam anni temporumque rationem regeretur.

* * *

Caput Dianae cum pharetra. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Apollo nudus stans d. sagittam, s. arcum, annus* qP. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput regis radiatum diadematum. ℞ *Eadem epigraphe. Apollo nudus stans d. sagittam, s. arcum, anni:* qP. BqP. ΓqP. AE. III. (Frölich.)

Numus primus cum proxime praecedentibus aliquid habet adfine; nam ut in iis exhibentur astra solis et lunae, sic in hoc Apollo et Diana utrumque astrum significantes.

* * *

Ex urbibus cum regis hujus capite signavere numos Sidon, Seleucia, et Tyrus, et forte etiam Antiochia ad Daphnen, Callirhoen, Ptolemaidem. Haymius et Pellerinius hujus etiam regis caput radiatum vident in nonnullis numis Laodiceae ad mare. Sed judicium istud dubium, nam fatente ipso Pellerinio vultus in his numis non commode Antiochum VIII. refert, et horum unus inscribitur ΙΟΥΛΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. certo indicio, ejus numi caput radiatum hujus Antiochi esse non posse, sed esse potius Solis, quia numus nomen offert a Iulio Caesare tractum. Quare mirandum, eum a Pellerinio cum hujus regis numis permixtum.

Ex epochae annis primus est ΖΠΡ., postremus ΒΙΣ.

a) L. XXXIX. c. 1.

CLEOPATRA SELENE.

Ptolemaei Physconis F., primum fratris Ptolemaei Lathuri uxor, sed eam subinde mater Cleopatra, postea, quam Lathurum ex Aegypto ejecit, Antiocho VIII. uxorem dedit.

Numi:

Protome juvenilis humero alato, seu Victoriae, seu Cupidinis. ℞ - ΕΛΕΝ - - *Flos loti cum astro.* AE. III. (Mus. Caes.)

ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΣΗΛΗΝΗΣ. *(sic) Caput reginae collectis in nodum crinibus.* ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila stans.* AE. II. (Vaill.)

Pro more recepto scribendum fuerat ΣΕΛΗΝΗΣ, a quo recedit utriusque numi epigraphe, quod ut excusent Vaillantius et Frölichius, effugia a dialectis, et simili aliarum urbium scribendi modo petunt. Numus alter certe in Aegypto cusus est, cum adhuc Ptolemaei, ut dixi, uxor esset.

ANTIOCHVS IX. PHILOPATOR *vulgo Cyzicenus.*

Antiochi VII. Evergetae, et Cleopatrae F., Antiochi VIII. ex patre consobrinus, ex matre frater, puer a matre Cyzicum educandus missus *Cyziceni* propterea cognomen tulit. Regnum fratri extorturus circa annum V. C. 640. Syriam invadit, Antiochiam occupat, et fratrem per vim adigit, ut parte Syriae decederet. Non tamen diuturna pax fuit, fratribusque inter se misere digladiantibus concussa penitus Syria, donec Antiocho VIII. insidiis caeso hujus filius Seleucus VI. victum praelio Antiochum IX. regno vitaque privaret V. C. 658., de quo mortis anno vide, quae notamus in numis Demetrii III.

Ex Cleopatra Ptolemaei Physconis primogenita nascitur *Antiochus X.*

Numi:

Caput regis diadematum modice barbatum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam et clypeum, annus* ΑΣ., *omnia intra lauream.* AR I. (Frölich.)

Antiochus IX. in plerisque suis numis modeste barbatus proponitur. Existimat Frölichius, id factum propterea, quia aliquamdiu Cyzici velut exul vixit. Sed istud sane incertum. Numi alii eum imberbem sistunt. Sic et variatum in fingendo Demetrio II., in hujus moneta diximus. In ejus numis constans titulus ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ, quem reticent scriptores. Palladis sic stantis typum habent etiam tetradrachma paterna.

* * *

Numi Antiochi IX. reliqui offerunt caput diadematum jam imberbe, jam modice barbatum, etiam radiatum imberbe, in aversa praeter constantem titulum *Philopatoris* fulmen, Victoriam, aquilam etc. additis plerumque annis aerae Seleucidarum.

* * *

Ex urbibus unam Sidonem cum hujus regis capite reperio signasse numos.

ex quibus insignem unum recitat Frölichius:

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΙΔΩ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam, annus* E. AR. I. Sunt et similes bini in museo Duane.

Annus E. in hoc numo est annus epochae novae, quam a Sidoniis V. C. 643. inductam in horum numis probabimus. Signatus est ergo hic numus ab autumno V. C. 647.

Aliud ejusdem urbis tetradrachmum edidit Pellerinius, in cujus aversa: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΣΙΔΩ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. *Aquila gubernaculo insistens, annus* Σ. qui est adhuc Seleucidarum, et signatus adeo numus V. C. 641.

SELEVCVS VI. EPIPHANES NICATOR.

Antiochi VIII. et Cleopatrae Tryphaenes F., caeso ex insidiis patri succedit, victumque praelio V. C. 658. aemulum Antiochum IX. e medio tollit, idem paullo post ab Antiocho X. Antiochi IX. filio dejectus Mopsuestiam fugit, ubi cum tributa severius exigeret, ab iratis oppidanis injecta domui, in qua habitabat, flamma vivus exustus est V. C. 661.

Numi:

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam et clypeum humi attinet, in area* ΑΛΕΔΗ. *vel* ΝΕΙΣΙ. *vel* ΖΗ. *vel* ΤΩΔΑ. AR. I. (Mus. Caes. Catal. d'Ennery.)

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. (*omisso in aliis* ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ.) *Duplex cornucopiae.* AR. III. (Frölich.)

Victoria stans. AR. III. (Pellerin.)

Apollo stans d. sagittam, s. columellae innixus. AE. III. (Mus. Caes.)

Titulum ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ cepit a patre, ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ ab avo Demetrio II., aut forte ex victoria de Antiocho IX. relata, qua de causa et Victoriam nonnullis ejus numis insertam conspicimus. Adstitutae voces ΑΛΕΔΗ et ΝΕΙΣΙ. varie fuere lectae, varie explicatae, quos modos non repeto, quia a veri specie longe aberrant, et videri possunt apud Frölichium. Pellerinius in simili suo numo legit ΛΛΕΔΗ., et putat, ΛΛ scriptum pro M, cujus exemplum habemus in numo Edesseno, in quo scribitur ΛΛΑΝΝΟC pro MANNOC. At in numo integerrimo musei Caesarei prima litera est indubitatum A. Spanhemio certum videtur, τo ΝΕΙΣΙ indicare Nisibin Mesopotamiae urbem, atque in hac cusos numos sic inscriptos [a]). Sed istud vix credibile. Referendum potius vocabulum hoc, aliaque mox descripta inter similia alia decurtata, quae non raro in area regiae hujus monetae, et incerto quidem sensu occurrunt. Begerus in simili tetradrachmo videre sibi visus est annum ΕΙΣ. [b]), sed vereor, ut satis integer sit hic nu-

a) Tom. I. p. 607. b) Thes. Br. T. I. p. 258.

mus, neque ipso Begero ex parte vitium dissimulante. Videtur sane esse idem cum supra citato, in quo dixeram legi ΝΕΙΣΙ. Non igitur satis causae, cur mors Antiochi VIII. uno anno anticipanda sit, ut censuit ex hoc numo Belleyus [a]). Credo, ex eadem ratione, quam proposui, numum hunc a Frölichio in annalibus fuisse neglectum.

* * *

Ex urbium numis unicum citari video apud Haymium: (Tom II. p. m. 24.)

Caput juvenile diadematum. Χ-ΕΛΕ--ΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΠΥΡΑΜΩ - *Diana gradiens d. telum ex pharetra promit, s. arcum.* AE III.

Vir eruditus epigraphen mancam explet: ΕΛΕΥΘΕΡΟΚΙΛΙΚΩΝ. Et fuit in Cilicia natio, quae se *Eleutherocilicas* appellabat. Nominis originem Diodorus Siculus a fabulis petit, quod a Perseo heroe libertatem essent adepti [b]), verius Cicero, quod ne regibus quidem unquam paruissent [c]). Idem illos eorumque oppidum Pindenissum ad Amanum M. constituit. Verum haec ipsa Ciceronis testimonia his, quos coram habemus, Cilicibus praesentem numum adimunt; nam repugnare videtur primum memoratus in numo Pyramus, qui magis erat in occasum, deinde an verisimile, eos cum regis capite signasse numos, quos nulli unquam regi paruisse idem refert? Videntur repugnantia haec argumenta Haymio non fuisse ignota. Quare cum in numo mentio fiat Pyrami fluvii, et Mopsuestia huic adsita fuerit, conjicit, Mopsuestenos se dixisse Eleutherocilicas, cumque constet, Seleucum VI., ut supra diximus, ex clade Mopsuestiam evasisse, putat, hujus caput ab oppidanis fuisse monetae insertum. En quot in hac oratione ambigua, sed quae neque ipse inficiatur Haymius. Ante omnia stabiliendam esse puto veram epigraphes lectionem. Quo minus inscriptum putem ΕΛΕΥΘΕΡΟΚΙΛΙΚΩΝ, videtur obstare arctius spatium, quam quod hunc literarum numerum capere possit. Verius videtur legendum: ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΠΥΡΑΜΩΙ. Esto, de nulla ad Pyramum Seleucia constare, sed neque ex geographis constat de Nicopoli Seleucidis, aut Antiochia Ciliciae ad Sarum, quas adstruunt numi. Certum est, urbes complures dictas Seleucias, et certum etiam, urbes complures regia nomina sumpsisse resuscitatis subinde veteribus cessante adulationis causa, quod facere sane potuit urbs aliqua Pyramo adsita, et forte haec ipsa Mopsuestia. Atqui et istud dubium, utrum caput hujus numi revera sit Seleuci VI. Fracta jam tum regum Syriae potentia tanto minus verisimile in Ciliciae urbibus cum horum capite signatos numos, quando florentibus maxime eorum rebus nullum habemus numum certum, quem ejus regionis urbes cum regio Syriae capite feriissent. Haymius ad oris lineamenta provocat, ambiguo criterio. Forte caput illud est reguli cujuspiam Cilicis, quales plures everso Syriae regno Ciliciae partem tenuere.

a) B. L. T. XXIX. hist. p. 223. b) L. III. c. 55. c) ad Famil. L. XV. ep. 4.

ANTIOCHVS X. EVSEBES PHILOPATOR.

Antiochi IX. filius, paternam caedem dejecto Seleuco VI. egregie ultus regnum adit V. C. 658., sed idem mox fraternae calamitatis ultores expertus est Antiochum XI. et Philippum. Ergo recrudescente bello ipse victus a Philippo Syria ejicitur V. C. 662.

Ex uxore Cleopatra Selene primum Ptolemaei Lathuri, deinde Antiochi VIII. vidua filium habuit *Antiochum XIII.* Appianus eam etiam patris Antiochi IX. uxorem statuit.

Numi:

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΣΕΒΟΥΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. *Iuppiter seminudus sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AR. I. (Vaill.)

Caput regis diadematum, in aliis modice barbatum, in aliis imberbe. ✠ *Eadem epigraphe. Victoria gradiens, vel: Pilei Dioscurorum, vel: Fortuna stans.* AR. AE. III. (Frölich, Mus. Caes.)

Titulos ΕΥΣΕΒΟΥΣ, et ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ ex merito suscipit, quia paternae caedis vindex *pium* sese liberaliter comprobavit. Ευσεβῆ vocat etiam Appianus, sed datum illi istud nomen putat κατ᾽ ἀντίφρασιν, quia Selenen duxerat, quae antea Antiochi VIII. patrui, et Antiochi IX. patris uxor fuit. Sed utut istud verum foret, satis compertum, vulgi dicteriis locum in monumentis publicis non permissum.

ANTIOCHVS XI. EPIPHANES PHILADELPHVS.

Antiochi VIII. filius, una cum fratre Philippo gemello Antiochum X. illatae fratri Seleuco VI. injuriae causa bello petit, et sese Syriae regem fert. Sed collatis signis ipse in Orontem praeceps actus perit V. C. 659., ut colligitur ex numis Demetrii III.

Numi:

Caput regis diadematum modice barbatum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam.* AE. III. (Frölich.)

Hujus regis numos rarissimos, quod tribuendum vix annuo ejus regno, cumprimis distinguunt tituli ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. et ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. Priorem traxit a patre, alterum a mutuo amore fratris gemelli Philippi, quem mox iisdem nominibus usum videbimus.

PHILIPPVS EPIPHANES PHILADELPHVS.

Antiochi VIII. filius, Antiochi XI. geminus, hoc Orontis vorticibus hausto inita cum fratre Demetrio III. societate Antiochum X. vincit, et in Parthos ejicit V. C. 662. capta Antiochia non jam dubius etiam inter aemulos Syriae rex. Ejus deinceps exigua mentio, et creditus interiisse armis Tigranis ad Syriae regnum vocati, de quo mox.

Numi:

Caput regis diadematum. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. *Iuppiter seminudus sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AR. I.

Parabilia sunt haec Philippi tetradrachma, ex quo colligi potest, satis diu eum parti Syriae praefuisse. Typi in his Antiocheni comprobant, Philippum, quod mox innui, Antiochiam in sua habuisse potestate. Nominum epithetorum eadem in Philippo ratio, quae in fratre gemello Antiocho XI.

* * *

Frölichius numos aeneos, in quorum antica est *caput diadematum radiatum*, in aversa: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Fulmen intra coronam*, huic Philippo tribuit. Verum judice Pellerinio videntur Philippo V. Macedoniae regi redonandi.

DEMETRIVS III. DEVS, PHILOPATOR, SOTER, PHILOMETOR, EVSEBES, CALLINICVS, EVERGETES.

Antiochi VIII. filius adversus Antiochum X. Cnido evocatus, et Damasci rex constitutus cum Philippo fratre adversus Antiochum X. conspirat, eumque regno deturbat. Moto deinde contra Philippum bello ab ejus foederatis Parthis capitur, et in Parthiam abducitur, ubi non multo post ex morbo perit. Regnavit in Syria testibus numis ab autumno V. C. 659. usque post autumnum V. C. 665., et videtur in Parthia excessisse V. C. 666. vel sequente.

Numi:

Caput regis barbatum radiatum. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Victoria gradiens, et annus* ΗΙΣ. AE. II. (Pellerin, Belley B. L. T. XXIX. p. 216.)

Caput simile. X *Eadem epigraphe. Diana Ephesia stans inter duas aristas, annus* ΔΚΣ. *omnia intra lauream.* AR. I. (Ibid.)

Insignes hi numi hactenus ignoti fuere, dum eos Belleyus ex museo Pellerinii vulgaret [a]), post ipse possessor restitueret [b]). In his non modo redivivos habemus annos epochae inde ab Antiocho IX. ex moneta extorres, sed etiam ab ipsis his annis in historiae et chronologiae commodum hac aetate admodum implexae illustres fructus capimus, quos captos obtulit Belleyus in praeclara sua dissertatione, quam laudavimus. Discimus ergo primum, Demetrium jam coepisse regnare anno Seleucidarum 218., qui coepit in autumno V. C. 659., cum tamen Frölichius ejus regnum nonnisi ab anno ejusdem aerae 221. ordiatur; deinde, quod sequitur, initium regni Seleuci VI. et Antiochi X., tum et mortem Antiochi XI. anticipandam esse, contra quam visum antea eruditis, saltem suadente istud probabili historiae serie; denique Demetrium III. regnasse adhuc in Syria ab autumno V. C. 665., quo incipit annus ΔΚΣ. numi alterius.

* * *

Caput regis diadematum barbatum. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙ-

---

a) l. c. b) Rois p. 108.

ΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Iuppiter seminudus sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AR. I. (Vaill. et Frölich in numis Demetrii I.)

Caput simile. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Victoria gradiens.* AE. III. (Vaill. et Frölich ibid.)

Caput simile. ℞ *Eadem epigraphe. Mercurius stans.* AE. III. (Vaill. Frölich ibid. Mus. Caes.)

Numos hos Vaillantius, Frölichius, aliique Demetrio I. tribuerunt, inducti titulo ΣΩΤΗΡΟΣ, quo is praeditus fuit. Dignus venia error, quia illis ignoti fuere numi Pellerinii, quos priore loco descripsi, a quibus docemur, hunc quoque Demetrium *Soteris* cognomine gavisum. Et vero pridem Barthelemyus, etsi ignota illi tum adhuc fuissent Pelleriniana haec cimelia, tamen ex sola fabrica, literarum forma, et lineamentorum modo conjecerat, praesentes numos esse Demetrii III. [a]). Accedit, Demetrium I. barbam non aluisse, quam tamen in omnibus suis numis promittit Demetrius III.

* * *

Caput regis diadematum barbatum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. *Mulier stans d. ancoram s. cornucopiae.* AE. (Mus. Caes.) In alio: *Fulmen supra sellam.* AE. III. (Frölich.)

Vaillantius et Frölichius hos solos numos Demetrio III. permisere, donec Barthelemyi et Pellerinii ingenio et curis ejus opes augerentur. Ex cognominibus, quae huic regi data videmus, nullum est, quod seorsim non jactaverint reges, qui praecessere, sed eorum nullus fuit, qui eos sic cumulasset. Eorum causas adscitorum facile tibi hominis vanitas, tum temporis causae suppeditabunt.

* * *

Ex urbibus una Sidon cum regis hujus capite addito aerae, sed propriae, anno AK. numum feriit, quem descripsi in ejus urbis numis.

ANTIOCHVS XII. DIONYSVS EPIPHANES PHILOPATOR CALLINICVS.

Antiochi VIII. filius natu minimus, audita fratris Demetrii III. apud Parthos captivitate Damascum occupat, sed suscepta in Arabas expeditione perit V. C. 969.

Numi:

Caput regis diadematum barbatum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. *Iuppiter stans d. Victoriolam, s. hastam.* AE. III. (Frölich.)

Frölichius numum hunc tribuit Antiocho XIII. successori, at repugnat Pellerinius, eumque largitur Antiocho XII., quia huic cognomen *Dionysi* fuisse testatur Iosephus. Malim sequi sententiam Pellerinii, cum aliqua saltem auctoritate nitatur, qualem non facile in his historiae Syriacae tenebris repudiare oportet.

a) B. L. T. XXVI. p. 541.

* * *

Lapsum eruditorum, qui tetradrachma inscripta: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. ad Antiochum XII. transtulerunt, in Antiocho IV., cujus illi revera sunt, indicavi.

TIGRANES REX REGVM, DEVS, MAGNVS.

Syri perpetua ac cruenta fratrum dissidia pertaesi in evocando denique in regnum suum Tigrane Armeniae rege conspirant. Oriundus hic erat ab Artaxia Antiochi III. duce, qui Armeniae majori praefectus primum, subinde provinciam per regum Syriae sive languorem, sive impotentiam sibi retinuit, posterisque suis adseruit. Ingressus ergo Syriam, et plerisque ejus provinciis occupatis V. C. 671. Magadatem pro se regioni praeficit. Eam quiete complures annos tenuit, donec a Mithridate VI. Ponti rege, cujus filiam Cleopatram uxorem duxit, tractus in armorum societatem victus primum a Lucullo, deinde Pompejo M. coactus est Syria excedere V. C. 688. Deinceps in Armenia sibi a Pompejo permissa imperavit.

Numi:

Caput regis tiara radiata et diademata ornatum. ✗ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΙΓΡΑΝΟΥ. *Mulier velata et turrita rupi insidens et d. palmae ramum protendens, subtus fluvius emergens, omnia intra lauream.* In aliis: *Mulier turrita seminuda rupi insidens d. extenta, s. cornucopiae, reliqua, ut in praecedente.* AR. I. (Pellerin, Frölich.)

Eadem adversa. ✗ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΙΓΡΑΝΟΥ. ΘΕΟΥ. *Mulier turrita seminuda rupi insidens d. extenta, s. cornucopiae.* AE. III. (Pellerin.)

Eadem adversa. ✗ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΤΙΓΡΑΝΟΥ. ΘΕΟΥ. *Equus gradiens.* AE. III. (Pellerin.)

Eadem adversa. ✗ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΤΙΓΡΑΝΟΥ. *Mulier velata turrita rupi insidens d. palmae ramum, subtus fluvius emergens, annus:* ϚΛΣ. AR. III. (Pellerin.)

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. *Caput idem.* ✗ ΤΙΓΡΑΝΟΥ. ΜΕΓΑΛΟΥ. *Victoria gradiens, annus.* ΑΜΣ. AE. III. (Pellerin.)

Superbum Tigranis animum jam ex historicis cognitum hi numi eloquuntur. Habes in his titulos ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. *Regis regum*, et ΜΕΓΑΛΟΥ. *Magni*, in regum Parthiae numis pro nativo fastu obvios. De Tigrane haec refert Plutarchus [a]), ei reges serviisse multos, et eorum quatuor satellitum loco habuisse, jussos juxta tunicatos currere, cum equo ipse veheretur. Fuisse praeterea Lucullo infensum, quod sese *regem* tantum, et non *regem regum* in epistola salutavisset. Addit idem, adeo illum ex rerum prospero cursu extulisse animos, ut, quidquid mortales optant, id esse in arbitrio suo putaret. Ex quo apparet, facile illum admisisse appellationem ΘΕΟΥ jam pridem Syriae regibus familiarem. In postremo numo tituli in utramque superficiem di-

a) In Lucullo p. m. 505.

visi insolentius sunt spectaculum. Plerique hi numi exhibent mulierem velatam rupi insidentem enatante subtus fluvii imagine, qui obvius est Antiochiae typus, et praeterea veram horum numorum patriam nos edocet. At typus mulieris turritae seminudae, et cornucopiae tenentis Damascum haud dubie pertinet, ut docent numi Aretae Damasci reguli, et obvii Augustorum numi apud Damascum signati. Ea urbs regnante in Syria Tigrane per vices paruit dicto Aretae, Ptolemaeo Mennaeo, Alexandrae Iudaeorum reginae. Verisimile est, urbem, quae toties dominos mutaverit, etiam aliquo tempore paruisse Tigrani, quod dissimularunt historici, sed docent numi.

* * *

Epochae annos bini ex citatis sistunt omnibus retro antiquariis ante Pellerinium ignoti.

ANTIOCHVS XIII. EPIPHANES, PHILOPATOR, CALLINICVS, vulgo *Asiaticus*.

Antiochi X. filius, dum Philippus, ac deinde Tigranes regno praefuere, exul, deinde favente Lucullo Tigranis victore V. C. 685. in avitum regnum restitutus quidem fuit, sed a Pompejo M., qui Luculli acta omnia rescidit, excedere jubetur, cui ad preces converso acerbe responsum, injuste petere patrium regnum, qui annos XVIII. in angulo Ciliciae latuisset, et modo alieni operis praemia postulet, neque accepturum, quod tueri nesciat. Impetravit tamen a Pompejo, ut in Commagene et parte Mesopotamiae rex agnosceretur, reliqua Syria V. C. 690. in provinciam redacta.

Numi:

Caput regis diadematum, in aliis modice barbatum, in aliis imberbe. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. *Iuppiter stans d. Victoriolam, s. hastam.* In aliis: *Victoria gradiens.* AE. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Hi numi similes sunt iis, quos in Antiocho XII. descripsimus, nisi quod in praesentibus abest cognomen ΘΕΟΥ, quod unum utrosque numos distinguit, si modo hic defectus certum potest criterium constituere. Vide Pellerinium.

ANTIOCHI INCERTI.

Caput imberbe diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Fulmen.* AE. II.

Caput Iovis laureatum. ✠ ΒΑϹΙΛЄ -- ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Aliquid instar metae, in area* ΩC. AE. II.

Vtrumque edidit Frölichius in praefatione ad alteram Annalium Syriae editionem, suntque similes in museo Caesareo. Cujus sint Antiochi, statuere non ausim. Reges Antiochi nomine habuere, quod constet, Syria et Commagene. Sed quo minus horum cuipiam tribui possint, vetat fabrica nonnihil barbara, et longe ab utriusque regionis cognito modo abludens. At enim poterant in quopiam Ciliciae angulo, aut alibi adhaerere ejus nominis reguli, quales fuere Tarcondimoti, Philopator, aliique, sed quorum memoriam aevum obliteravit.

* * *

Caput senile barbatum ✕ ΒΑΣΙ - - - ΠΙΦΑΝ. *Victoria gradiens.* AE. III. (Neumann Num. pop.)

An et hic numus regis Syriae? et cujus Epiphanis?

SYRIA IN GENERE.

Communi Syriae nomine, ex quo haec a Romanis in provinciam redacta fuit, pauci numi cogniti. *Autonomi*, quos Frölichius citat inscriptos ΚΟΙΝΟΝ. ΣΥΡΙΑΣ. vel ΣΥΡΙΩΝ. typo *palmae arboris* a), verius Tripolin Phoenices pertinent, legendumque et in his videtur ΘΕΩΝ. ΚΑΒΙΡΩΝ. ΣΥΡΙΩΝ., ut dicemus in hujus urbis moneta.

Imperatorii:

Binos memorat Vaillantius, qui Syriam produnt, urbem dissimulant:

ΚΟΙΝΟΝ. CΥΡΙΑC. *Caput muliebre turritum*, Trajani. Est etiam in museo Caesareo.

ΚΟΙΝΟΝ. CΥΡΙΑC. *Caput Domnae*, Caracallae.

* * *

Castigandus Vaillantius, qui in M. Aurelio produxit numum: Κ. Α. CΥΡΙΩΝ., in quo legendum ΚΑΒΙΡΩΝ. CΥΡΙΩΝ., quosque verisimilius item esse tribuendos Tripoli Phoenices in hac observabimus.

AE. RRR.

COMMAGENE.

Ex omnibus provinciis Syriae contributis haec maxime in Aquilonem posita, a qua ergo more nostro initium ducimus.

Totius provinciae nomine signati sequentes:

Autonomi:

ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. *Tiara Armeniaca.* ✕ *Capricornus, superne astrum* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

ΠΙΣΤΙΣ. *Duae dexterae junctae*

a) Not. elem. p. 114.

caduceum tenent. ✠ ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. *Ancora.* AE. III. (Mus. Caes.)

Pellerinius jure conjicit, numum ex his priorem signatum sub Antiocho IV. ultimo Commagenes rege, qui partem Armeniae possedit, qua de causa tiara illi Armeniaca illata. De typis capricorni et ancorae agemus in numis regum Commagenes. Quam *fidem* indicet vox ΠΙΣΤΙΣ, incertum.

* * *

ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ saepe etiam regum numis inscriptum legitur, de quibus infra.

AE. RR.

ANTIOCHIA AD EVPHRATEM.

Hanc prodit unus Plinius: *oppida adluuntur Epiphania, et Antiochia, quae ad Euphratem vocantur.* Vnus item Ptolemaeus in hoc tractu *Antiochiam ad Taurum M.* constituit. Fueritne urbs utraque reipsa una, sed vario nomine, geographi viderint. Antiochiam ad Euphratem confirmant

Imperatorii

Severi: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΠΡΟС. ЄΥΦΡΑΤΗΝ. *Protome Palladis.* (Vaill. Theup.)

AE. RRRR.

CAESAREA.

Vide Germanicia.

DOLICHE.

Imperatorii

Tantum cogniti.

ΔΟΛΙΧΑΙΩΝ. *intra coronam*, Aurelii, Commodi, Caracallae. (Vaill. Theup. Arig.)

Notae arithmeticae: A. B. Δ. in numis Aurelii, A in numo Commodi, de quibus vide numos Beroeae Cyrrhesticae.

AE. RR.

GERMANICIA CAESAREA.

Ad Amanum M. A quo haec urbs utrumque Caesareae gentis nomen tulerit, dicetur infra in *Epocha.*

Imperatorii:

Citantur ab Augusto, (Arigoni) sed de cujus numo dubitem, ut dicetur infra in epocha, Hadriano, (Pellerin) et inde frequentiores usque ad Valerianum, cujus numi sunt apud Arigonium, et Pellerinium. Numi Graeci Pescenii Nigri, qui circumferuntur, plerique se apud hanc Caesaream signatos profitentur. Vide meum de his judicium in moneta hujus imperatoris.

Epigraphe: ΚΑΙСΑΡЄΙΑС. ΓЄΡΜΑΝΙΚΗС. In Arigoniano Augusti numo, et M. Aurelii apud Vaillantium est ΓΕΡΜΑΝΙΚΕΩΝ. tantum. ΚΑΙСΑΡ. ΓЄΡΜΑΝΙΚЄΩΝ. in numo Aurelii. (Mus. Caes.) ΚΑΙС. ΓЄΡΜ. in numo Commodi. (Theup.) Insolens est ΚΑΙС. ΓЄΡΜΑΝΙΚΑΙΩΝ. in numo Commodi. (Vaill.)

Typi: *Mulier rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens, Aesculapius, aut ejus serpens, Venus cum Cupidine, Hercules, Victoria, templum.*

Navis cum velis et remis, infra quod animal jacens, quod *bovem* dicit Vail-

lantius, (in Domna.) Pellerinius *capram*, (in Valerian. sen.) Arigonius *instar equi jacentis* pinxit. (in numis Severi et Valeriani.) Insolens certe typus in moneta urbis, et a mari, et a fluvio, in quo velis navigari possit, remotioris.

* * *

Mentio situs: a Commagene: ΚΑΙCΑΡ. ΓЄΡΜΑΝΙΚЄΩΝ. ΚΟΜ. in numo Aurelii. (Mus. Caes.) ΚΑΙC. ΓЄΡΜ. ΚΟΜ. in numo Commodi. (Theup.) A numo M. Aurelii, qui ignotus fuit Harduino, hujus viri sententia etiam ceteris partibus infirma plane evertitur, qui numos omnes Caesareae Germaniciae nomine inscriptos Caesaream Palaestinae derivavit, praetexens, *τὸ* ΚΟΜ. indicare ΚΟΜΟΔΙΑΝΑ, quoniam, ut putabat, ante Commodum haec inscriptio non obtinet.

* * *

Epocha, quam ex binis numis deducit Norisius: (Epoch. Syrom. p. 476.)

ΚΑΙCΑΡЄ. ΓЄΡΜΑΝΙΚ. ЄΚΡ. M. Aurelii, cujus numi descriptionem secum communicaverat Vaillantius, credo serius, nam in ejus opere deest.

ΚΑΙC. ΓЄΡΜΑΝΙΚΑΙΩΝ. Θ-Ρ. Commodi, quem citat ex museo Dronii. Vaillantius eundem Dronii numum recitat, sed legit: ΚΑΙC. ΓЄΡΜΑΝΙΚΑΙΩΝ. L. Θ. et ex hac nota annum imperii conficit. Norisius ex prioris numi anno alterum Commodi mancum restituit ΘΜΡ.

Vir hic eruditus initium epochae figit ad annum V. C., quo Caligula Antiocho paternum Commagenes regnum reddidit, quo facto gratus Antiochus urbi intra Commagenen de agnominibus Caligulae nomen *Caesareae Germaniciae* indidit, quae ab hoc tempore annos suos computare coepit. At observandum, ab Arigonio memorari Augusti numum cum Germaniciae inscriptione. Istud si verum, fallit Norisius, a Caligula primum urbi nomen inditum adfirmans. Sed typis Arigonianis non omnis est fides habenda.

* * *

Notae arithmeticae: A. in numo Aurelii. (Neronis.) item in numo Veri. (Pellerin in epistola MS. ad Khellium.)

AE. R.

SAMOSATA.

Ad Euphratem, regionis caput, et sedes regum Commagenorum, celeberrimi a satyrarum lepore Luciani patria.

Autonomi:

Caput Apollinis. ✠ ΣΑΜΟΣΑΤΗΝΩΝ. *Leo gradiens.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Iovis ✠ ΣΑΜΟΣΕΑΤΩΝ. *Leo gradiens.* AE. II. (Hunter.)

Leo gradiens. ΣΑΜΟΣΑΤΩ. ΠΟΛΕΩΣ. *Mulier turrita rupi insidens d. ramum.* (Pellerin, Theup.)

Pellerinius horum numorum leonem ad Zodiacum refert [a]), cujus multa in hoc tractu habemus exempla.

* * *

Caput nudum barbatum. ✠ CΑΜΟ.

a) Rec. II. p. 179.

(retrograde.) Planta in formam loti. AE. III. (Pellerin.)

Scriptura est retrograda, etsi numus remotum aevum non testetur. Pellerinius hanc plantam post Spanhemium herbam Commagenen putat.

* * *

Aquila stans expansis alis. Ϫ ΣΑΜΟΣΑΤΩΝ. *Figura sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AE. III. (Hunter.)

* * *

Teste Pellerinio plerique hujus urbis numi rudis sunt fabricae, quod monendum duxi, ne quis malit huc revocare numos inscriptos ΣΑΜΟ., qui eximii sunt operis, et quos cum propterea, tum ob alias causas Samothraciae tribueram.

AE. RR.

Imperatorii.

Ab Hadriano usque ad Decium.

Epigraphe: CA. CAM. CAMO. CAMOCATЄΩN. additis variis honorum titulis et privilegiis.

TYXH. CAMO. *Mulier turrita insidens scopulis d. aquilam, in imo fluvius emergens*, Elagabali. (Vaill.)

Hic typus, at non inscriptio, frequens est in hujus urbis numis. Verum inde a Caracalla inferne pro fluvio emergente frequentior Pegasus volans incerto explicatu.

Caduceus alatus, vel: *sola epigraphe intra coronam quernam*, Hadriani. (Vaill. Pellerin.)

* * *

Nomen ab imperatore: Φ. ΦΛ. *Flavia*, a Vespasiano. Ratio dabitur infra in epocha. Hoc praenomine plerumque utitur, et inde ab Hadriano.

* * *

Metropolis: ΜΗΤ. ΜΗΤΡΟΠ. addito saepe KOM. frequenter inde ab Hadriano, ad hunc honorem evecta haud dubie a Vespasiano. Vide infra in *Epocha.*

* * *

Sacra, asylum, autonoma. IЄP. ACYΛ. AYTON. Haec epitheta semper conjunguntur, sed tantum leguntur in numis Antonini, Aurelii, Veri.

* * *

Epocha:

CA. ЄT. NH. *Caduceus alatus*, Hadriani. (Pellerin.) Perperam in simili Vaillantius legit: CAIT. L. IA., eumque tribuit nomo Saiti Aegypti [a]).

ΦΛ. CA. ЄT. NΘ. *Caduceus alatus*, Hadriani. Pellerinius, qui numum hunc dedit, feliciter et vidit, a Vaillantio in numo simili male lectum CAЄTΩN, et inique adeo tributum Saettenis Lydiae [b]).

ЄT. Ξ. Hadriani. (Vaill. Pellerin.)

ЄT. ϙ. Aurelii. (Pellerin Mel. II. p. 325.)

ЄT. Aϙ. Veri. (Theup. Arigoni.)

ЄT. Bϙ. Veri. (Vaill.)

ЄT. Δϙ. Veri. (Mus. Caes. Pellerin Mel. II. p. 326.)

a) Num. Graec. p. 36. b) Mel. II. p. 70.

Anno V. C. 825. P. X. 72. Cesennius Paetus Syriae praeses jubente Vespasiano invasit Commagenen, atque inde Antiochum postremum regem cum filiis Epiphane et Callinico expulit [a]). Commagene anno sequente in provinciam redacta est. Inde factum, ut Samosatis, quae jam antea regum sedes fuere, metropoleos jura, ac Flaviae nomen, aliaque privilegia accederent. Testibus Chronicis Eusebii et Alexandrino Samosateni et Commageni coeperunt computare annos suos ab anno V. C. 824. P. X. 71. Revera huic principio numi citati non adversantur, atque etsi Paetus anno demum 825. dicatur invasisse Commagenen, tamen Samosateni sumendo annum incompletum pro completo, quod in orientis urbibus persaepe factum, initium novae suae aerae προληπτικως retulere ad autumum V. C. 824., et in autumno 825. inchoavere secundum, in quo calculo video mihi egregie convenire cum Norisio [b]).

Malim igitur accedente binorum chronicorum auctoritate, et non refragantibus numis aerae initium defigere ad autumnum V. C. 824., etsi Vaillantius annum sequentem maluerit. Harduinus autumnum V. C. 823. praetulit, cui principio adversatur numus Aurelii citatus ex Pellerinio cum anno Ϙ. 90., in quo non dubitem Aurelium dici Augustum, quod secus monere vir adcuratus non neglexisset. Inito calculo ex mente Harduini annus 90. Samosatenorum incideret in eam aetatem, qua Augustus nondum fuit Aurelius.

AE. C.

ZEVGMA.

Ad Euphratem, quo loco is ponte junctus fuit, unde urbi nomen.

Imperatorii:

Ab Antonino usque ad Philippum jun. observantur.

Epigraphe: ΖΕΥΓΜΑΤΕΩΝ. *inscriptum laureae.* Alter adhuc typus: *Templum in vertice montis cum gradibus.* Inde a Caracalla infra montem constanter comparet *capricornus.* Observandum, in numis urbium Commagenes a tempore Caracallae in imo varia observari animalia, in numis Germaniciae, seu bos is est, seu capra, seu equus, ut dictum, in numis Samosatorum Pegasum, Zeugmatis capricornum.

* * *

Notae arithmeticae:

Antonini: A. B. (Vaill. Mus. Caes.) ϛ. (Arigoni.) H. (Theupoli.)

Aurelii: B.

Veri: B. Γ. Δ.

Commodi. B. (Pellerin.)

AE. C.

---

a) Ioseph. B. I. L. VII. cap. 7. b) Epoch. Syr. p. 118.

REGES COMMAGENES.

Horum numos primus Haymius majore numero collegit, et Thesauro suo Britannico inseruit [a]). At quod maximum ejus fuit meritum, ad eorum calcem subjecit insignes sane animadversiones, quibus doctissimus Masson Anglus horum regum monetam illustravit. Hujus ergo viri ornatissimi ingenio posterorum industriam occupante aliud non restat, quam ut, quae praeclare, sed copiosius dictaverat, contrahamus, insertis per intervalla numis Haymii aetate nondum compertis.

Numos regis *Sami*, quem nonnulli Commagenis regibus accensent, in Armeniae regum moneta produximus.

* * *

Quamdiu Seleucidae Syriae regnum tenuere, iis et Commagene subjecta fuit. Lucullo Tigranem Armeniae et Syriae regem urgente a Dione ad annum V. C. 685. memoratur Commagenes rex

ANTIOCHVS I.

Quem Lucullus victo Tigrane, captisque Tigranocertis in fidem recepit. Appianus hunc Antiochum primum a Pompejo petitum bello, deinde inter amicos receptum et parte Mesopotamiae donatum scribit [b]). Is Vaillantio idem creditur cum Antiocho XIII. postremo Syriae rege, sed cujus istud historici fide possit stabiliri, non reperit Massonus. Idem videtur hic fuisse Antiochus Commagenus, qui Pompejo ad Pharsalum auxilia adduxit [c]). Serius a M. Antonio Samosatis obsessus mox in fidem receptus est V. C. 718. [d]). Quid eo deinceps factum, incompertum.

Hujus Antiochi et sequentium duorum hoc nomine Commagenes regum numi incerti, et forte ad hos pertinent aliqui, qui in Antiocho IV. describentur.

MITHRIDATES I.

Inter reges socios M. Antonii in bello Actiaco proditur a Plutarcho. De ejus reliqua fortuna non constat.

Huic Mithridati Massonus numum tribuendum putat, quem nos rectius Mithridati Armeniae regi restituendum conjicimus, ut dictum.

ANTIOCHVS II.

Ejus meminit Dio [e]). Octavianus Romam accitum occidi jussit V. C. 725.,

a) Tom. I. p. 113. ed. Vind. b) in Mithr. c) Caesar B. C. L. III. c. 4. d) Dio L. XLIX. §. 22. e) L LII. §. 43.

quod legatum fratris Romam missum ex insidiis interfecit.

Numi ejus certi non habentur.

MITHRIDATES II.

De hoc Dio ad annum V. C. 734., ab Augusto tum orientis res componente Mithridati cuidam Commagenen adhuc puero tributam, quod ejus rex patrem hujus Mithridatis occidisset.

ANTIOCHVS III.

Ejus tantum mortem memorat Tacitus ad annum V. C. 770., nimirum, Antiocho Commagenes rege mortuo Tiberium Commagenen in provinciam redegisse.

De ejus numis nihil certi tenemus.

ANTIOCHVS IV. EPIPHANES MAGNVS.

Antiochi III. filius, regno paterno caruit, quoad Tiberius vixit, quo mortuo ei Caligula Commagenen reddidit adjectis Ciliciae maritimis [a]), nempe in praemium, quod eum ad mores tyrannicos instituerat [b]), sed ab eodem iterum exutus regno, iterum restitutus a Claudio [c]). Armeniae etiam partem addidit Nero, quod se adversum Parthos subsidiis juverat. Eandem quoque operam Romanis in bello adversum Iudaeos locavit, et Vespasiano ad imperium aspiranti praesto fuit, quod esset vetustis opibus ingens, et inservientium regum ditissimus [d]). Verum quadriennio post accusatus a Paeto Syriae praeside, quod cum Parthis contra Romanos colluderet, regno exuitur V. C. 825., et primum Lacedaemonem, dein Romam transfertur, ubi habitus honorifice reliquam vitam exegit [e]).

De uxore Iotape, et duobus filiis agetur infra.

Numi:

ΒΑΣΙ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. *Caput regis diadematum.* ℞ ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. *Duplex cornucopiae decussatum.* AE. III. (Mus. Caes. Haym.)

ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΜΕΓΑΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. *Caput diadematum.* ℞ ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. *Scorpius intra lauream.* AE. II. (Mus. Caes. Haym.)

ΒΑΣΙ. ΜΕΓ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. ΕΠΙ. in aliis: ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΜΕΓ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. ΕΠΙΦΑ. *Caput diadematum.* ℞ ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. *Capricornus, infra quem ancora, intra lauream.* In aliis: *Scorpius intra lauream.* AE. II. (Haym.)

ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΜΕΓΑΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. *Caput diadematum.* ℞ ΛΑΚΑΝΑΤΩΝ. *Scorpius intra lauream.* AE. II. (Haym.)

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Caput juvenile diadematum.* ℞ ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. *Vir seminudus stans d. coronam.* AE. II. (Pellerin.)

Caput regis diadematum. ℞ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. ΕΤ. ΙΡ. *Bacchus nudus stans d. cantharum, s. thyrsum, pro pedibus pantheriscus.* AE. II. (Mus. Caes.)

ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. *Caput*

a) Dio L. LIX. §. 8. b) l. c. §. 24. c) Dio L. LX. §. 8. d) Tacit. Hist. L. II. c. 81.
e) Ios. Bell. Iud. L. VII. c. 7.

diadematum. ✕ ΛΥΚΑΟΝΩΝ. *Scorpius intra lauream.* AE. II. (Pellerin.)

De tribus numis prioribus cuinam Antiocho Commageno tribuendi sint, decidere veretur Massonus. Credo, Antiochi IV. esse omnes, nam quotquot ejus generis viderim, similis omnes sunt fabricae. Neque obest, variare in his oris lineamenta, nam et in iis, quos certo constat, esse Antiochi IV., multum variare vultus, fatetur quoque Pellerinius [a]). Haec si ita habent, tenemus, Antiochum IV. et *Magnum*, et *Epiphanem* dictum, quod jam constabat ex numo Iotapes, quem infra citabo.

Numos tres sequentes esse hujus Antiochi, quoniam in Cilicia se cusos profitentur, indubitatum, nam ante hunc alteri collatam Ciliciae partem non constat. Horum primus inscribitur ΛΑΚΑΝΑΤΩΝ. Fuit Lacanatis teste Ptolemaeo pars Ciliciae Tracheae, in qua sita Irenopolis. Ejus gentis autonomum edidit Pellerinius, quem in moneta Ciliciae recitavi. Qui sequitur nomine ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ, signatus est in insula Ciliciae contigua olim dicta Elaeusa, sed quam Archelaus ejus tractus rex in Augusti honorem *Sebasten* appellavit, ut diximus in hujus insulae numis.

Numum inscriptum ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ jam edidit Frölichius [b]), et recte quidem agnovit signatum Alexandriae Ciliciae ad Issum sitae, sed cum annum inscriptum legeret ΖΠΡ., huncque annum esse Seleucidarum putaret, in ejus antica exhiberi caput Alexandri II. Syri censuit. Sed praeterquam quod non ΖΠΡ., sed ΕΤ. ΙΡ. in eo luculente legitur, certum est I., oris lineamenta nullo pacto referre Alexandrum II. ex numis satis cognitum, II. Nullo hactenus exemplo constat, Ciliciae urbes Seleucidarum epocha in numis suis usas. III. Caput hujus numi prorsus refert Antiochum IV. Commagenum, qualis in numis, quos descripsimus, proponitur, ut adeo dubitari non possit, ad eum numisma istud pertinere. Si non fallit Vaillantius, principium epochae Alexandrinae ducens ab anno V. C. 687., annus ΙΡ. ducetur ab autumno V. C. 796., quo ipso tempore constat Antiochum Ciliciae partem tenuisse.

Numus postremus per epigraphen ΛΥΚΑΟΝΩΝ docet, quod reticuere historici, Antiocho praeter Ciliciae maritima Lycaoniam quoque tributam. Iam et pridem antea Romanos victo Aristonico filiis Ariarathis dedisse Ciliciam et Lycaoniam, refert Iustinus [c]).

Ad typos quod attinet, scorpium aut capricornum plerique sistunt, quos esse ex Zodiaco et causis astrologicis petitos, exempla Antiochiae, Samosatorum, aliarumque ejus viciniae urbium persuadent. Sane in Quadripartito, seu de judiciis astrorum olim Ptolemaeo tributis scorpius dicitur praeesse Commagenae [d]). Addita in nonnullis ancora verisimile facit, Antiochum aut revera a Seleucidis duxisse genus, aut istud in vulgus credi voluisse, nisi forte alia de causa proprium fuit Commagenorum symbolum.

* * *

Caput juvenile tiara Armeniaca radiata tectum et diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ.

---

a) Rois. p. 126. b) Annal. Syr. p. 89. c) L. XXXVII. c. 1. d) L. II.

ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Leo gradiens.* AE. II. (Pellerin Rois tab. XIV.)

- - - - ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Caput simile.* ✠ *Epigraphe extrita. Bos cornupeta.* AE. II. (Mus. Caes. editus in mea Sylloge I. p. 88.)

Priorem jam olim vulgavit Belleyus cumque in eo videret vultum abludentem ab iis, quos sistunt noti Commagenes numi, et typum praeterea Samosatenum in leone gradiente, conjecit, numum praesentem signatum apud Samosata ab Antiocho quopiam regis Sami successore, quem regnasse in Commagene et Samosata condidisse statuit [a]. Aliter visum Pellerinio, neganti, ex vultus similitudine in numis Antiochi IV. certam posse conjecturam capi. Atqui constat, Antiocho IV. a Nerone datam fuisse Armeniae partem, quo factum, ut eadem ratione ejus numi cum capite mitrato ferirentur in urbibus Commagenes, qua numi Tigranis cum simili capitis cultu signati sunt per urbes Syriae [b]. Meam si quis sententiam requirat, ajo, Belleyi doctrinam nimium infirmis conjecturis niti, quod amplius probavi in numis hujus Sami, quem in Armeniam rejeci. Pellerinio illud obest, quod caput in his numis magis juvenem refert, quam ut Antiocho IV. commode possent tribui, etsi facile dem, in ejus ipsius numis vera ejus lineamenta nimium saepe differre. Quid si Antiochus hic esset unus ex binis ejus filiis, de quibus mox, cui pater ferentibus Romanis interea cesserit Armeniam, cujus adeo nomine apud Samosata et alibi uterque hic numus esset signatus? Certe filium dictum Antiochum memorat Iosephus, eumque jam spectatae virtutis in bello Titi contra Iudaeos [c]. Eidem Antiocho tribuo numum alterum musei Caesarei haud dubie in quapiam Armeniae urbe cusum, quod persuadent et fabrica plane barbara, et typus tauri, ad Armeniae montem Taurum, ut verisimile puto, adludens secundum numos Augusti, qui ad annum V. C. 734. recensebuntur. Inscriptio, quae est supra taurum, et forte urbis nomen continet, prorsus extrita est.

IOTAPE.

Seguinus [d], et Frölichius [e] quatuor hoc nomine illustres feminas ex veteribus elicuere. Quintam stabiliunt numi Antiochi IV. Commageni uxorem.

Ex his nati *Epiphanes* et *Callinicus*, quorum quoque dabimus numos, et *Iotape* nupta Alexandro ex stirpe Herodis, de quo lege copiosius disserentem Massonum apud Haymium.

Numi:

ΒΑΣΙΛ. ΜΕΓ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. ΕΠΙ. *Caput regis diadematum.* ✠ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. ΙΟΤΑΠΗ. ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. *Mulier sedens d. pateram.* AE. (Vaill. ad Seguin p. 402.) In alio simili intra sellae fulcra legitur ΕΡΟΑ. incertae significationis. (in meis Num. vet. p. 275.)

ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. ΙΟΤΑΠΗ. ΦΙΛΑ-

a) B. L. T. XXVI. p. 355. b) Rois p. 125. c) Bell. Iud. L. V. c. 11. §. 3. d) Num. sel. p. 72. e) Not. elem. p. 214.

ΔΕΛΦΟΣ. *Caput reginae radiatum.* ℞ ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. *Scorpius intra lauream.* AE. II. (Haym, Mus. Caes.) Perperam Seguinus legit ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ.

Horum prior comprobat, fuisse Iotapen uxorem Antiochi cujuspiam dicti *Magni* et *Epiphanis*, quae fuisse nomina Antiochi IV. Commageni mox vidimus. Idem hic Antiochus colligitur ex inscripto ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ, nam huic tantum data fuit pars Ciliciae, cui contigua insula Sebaste, et citavimus in ejus moneta numum alium ejusdem insulae nomine insignem. Numus alter per aversae et inscriptionem et typum Iotapen fuisse Commagenes reginam luculente demonstrat. Quibus omnibus collatis ruit conjectura Seguini, qui propositam in posteriore hoc numo Iotapen tribuit illi, quam Alexandro Iudaeo fuisse nuptam supra diximus, quam sententiam jam refutavit Vaillantius [a]), et Massonus. Advertendum etiam additum nomen ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ, ex quo apparet, fuisse Iotapen Antiochi et sororem, et conjugem, qui mos obvius fuit in Aegypti et Cariae regibus, rarior in Syriacis.

EPIPHANES *et* CALLINICVS.

Patrem Antiochum IV. Caesenii Paeti, ut diximus, criminationibus exutum regno, et sese ad privatam conditionem redactos non ferentes filii generosi animi Epiphanes, qui nuper ad Bebriacum pro Othone fortiter dimicans vulnus accepit [b]), et Callinicus arma parant, consertoque praelio dum fortiter pugnant, non quidem inferiores, verum adlato in castra nuncio, patrem regno sponte excessisse, deserti a suis fuga et ipsi sibi consulunt. Epiphanes ad Vologesem Parthum elapsus, audito, patrem ab imperatore regie haberi, Romam proficiscitur, ipso etiam patre, qui interea Lacedaemone substitit, paullo post sequente. Haec ex Iosepho [c]). Reliquum utriusque fatum ignoratur.

Numi:

ΒΑСΙΛΕΩС. ΥΙΟΙ. *Duplex cornucopiae decussatum, quorum singulis insertum caput puerile, in medio ancora, superne astrum.* ℞ ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. *in aliis:* ΛΑΚΑΝΑΤΩΝ. *Tiara Armeniaca, in cujus medio scorpius, omnia intra lauream.* AE. II. (Pellerin.)

ΒΑСΙΛΕΩС. ΥΙΟΙ. *Vterque filius in equis pacate gradientibus.* ℞ ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. in aliis: ΛΑΚΑΝΑΤΩΝ. *Capricornus, superne astrum, inferne ancora, omnia intra lauream.* AE. II. (Pellerin, Mus. Caes.)

Sine epigraphe. Vterque filius eques. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Caput arietis.* AE. II. (Panel le Bret.)

Numus prior utrumque filium infantem proponit capto typo ex numis Drusi Caesaris Tiberii F., in quibus hujus gemellos Tiberium, aliumque anonymum eodem modo propositos habemus, tum et numis Claudii apud Patrenses et Alexandrinos signatis. Numus alter eos adultiores, et jam in equis, et velut principes juventutis sistit. Tiara Armeniaca indicat spem successionis in par-

a) l. c. b) Tacit. Hist. II. 25. c) Bell. Iud. L. VII. c. 7.

tem Armeniae, qua donatum patrem a Nerone diximus. Exornat illam scorpius, quia cum Armenia unita fuit Commagene, cujus symbolum scorpius. Etiam Agrippam Agrippae I. Iudaeae regis F. equo vectum numus sistit scripto juxta ΤΙΟΥ ΒΑCΙΛΕΩC. Reliqua horum numorum in moneta patris explicantur.

* * *

In numis patris Antiochi exhibui numos binos inscriptos ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. capite perquam juvenili, tecto tiara Armeniaca. Ajebam, eos esse posse filii Antiochi IV., quia revera horum unus Iosepho vocatur Antiochus, et *Epiphanes* et *Callinicus* reipsa nomina non fuere, sed cognomina. Denique eorum uni jure competet tiara, quia in eorum numis illa aversae typum constituit.

C Y R R H E S T I C A.

BEROEA.

Aequo ab Antiochia et Hierapoli intervallo distans, crediturque hodiernum *Aleppo*.

Autonomus.

Caput muliebre velatum turritum. ✕ ΒЄΡΟΙΑ. *intra lauream.* AE. III. (Hunter.)

AE. RRRR.

Imperatorii:

A Trajano usque ad Antoninum.

Epigraphe constans: ΒЄΡΟΙΑΙΩΝ. *intra lauream.* In nonnullis Hadriani typus est lauri ramus tractus ex numis Antiochenis, de quo numorum genere agetur infra in *Hieropoli.*

Notae arithmeticae.

Trajani: Α. Β. Γ. Δ. Η.

Antonini: Α. Β.

Iuvat hoc loco in similium numerorum naturam inquirere. Observantur hi in numis variarum hujus tractus urbium, ac quidem Doliches, Germaniciae, Zeugmatis Commagenes urbium, Beroeae, Cyrrhi, Hieropolis Cyrrhesticae urbium, Chalcidis Chalcidenes, Seleuciae, Aradi, et reperiuntur fere tantum in numis imperatorum inde a Trajano usque ad Commodum. Fere omnes hactenus antiquarii censuere, iis annos imperii indicari, prono judicio, cum eos tot aliarum regionum, urbiumque numis inscriptos videamus. Est tamen, quod sententiae huic non parum adversatur. Generatim hi numi numeros offerunt minutiores, quam ut anni imperii haberi possint. Postremum Tra-

jani reperi H, Hadriani Δ, Antonini H, Aurelii Δ, Commodi Γ, cum tamen horum omnium diuturnum, ut constat, fuerit imperium, et fere omnes in annum K et ultra jus habeant. Vnicum video in Hieropolis numo, eoque Veri annum Θ, quo is posteriorem adsecutus non est. Quare si anni imperii sunt, quaeri jure potest, cur nulli cum annis sequentibus numi reperiantur, cum tamen numi Alexandrini, Caesareae Cappadociae, Tyanorum etc.: annos posteriores perinde ac praecedentes offerant? Credibile non est, primis tantum imperantium annis in his urbibus fuisse signatam monetam, deinceps cessatum, aut omnes eos, qui posteriores annos inscribunt, fuisse deperditos, aut nondum ex museis promulgatos. Vt nolim plane negare, annos imperii esse non posse, sic cuperem, veram adferri rationem, quae proposita haec dubia expediat.

AE. C.

CYRRHVS.

A qua regioni nomen, inditum a Cyrrhestis Macedoniae. Vide Wesselingium [a]).

Regius.

Alexandri I. Syriae regis. (Haym T. I. p. m. 63.) Hujus aversa sistit Iovem stantem eo modo, ut is exhibetur in numis Antiochenorum apud Daphnen et Callirhoen, de quo copiosius agam in sequente Hieropoli.

Imperatorii:

A Trajano usque ad Philippos.

Epigraphe ΚΥΡΡΗϹΤΩΝ, saepe intra lauream.

ΔΙΟϹ. ΚΑΤΑΙΒΑΤΟΥ. saepe ΚΑΤЄΒΑΤΟΥ. *Iuppiter sedens d. fulmen, s. hastam, pro pedibus aquila, etiam in templo. In numo Caracallae apud Vaillantium supra templum est aries, nempe signum Zodiaci, ut dicetur in numis Antiochiae.* Typus obvius in variorum impp. numis.

Ζευς καταιβατης, *Iuppiter descendens*, memoratus etiam Orpheo [b]), et cujus aram stetisse Olympiae refert Pausanias [c]). Eum sic dixere Athenienses a dejiciendis fulminibus, vel quod propter amorem mulierum e coelo descenderet, ut docet Suidas [d]), et enarrator Aristophanis [e]). Teste Apollodoro Athenis juxta Academiam fuit ara Iovis Καταιβατȣ, quem et dixere Μοριον, quod erat custos sacrarum olearum [f]). Iovi Καταιβατῃ Tarentinos publice sacrificasse, quod flagitiosos quosdam fulmine adflixerat, tradit Athenaeus [g]). Iovis exemplo Demetrium viribus suis stolide ferocem se dixisse Καταιβατην tradit Plutarchus [h]). Sed alibi hoc illi nomen inditum ab Atheniensibus narrat, qui locum, ubi primum descenderat de curru, consecraverunt, posita ara, quam Δημητριȣ Καταιβατȣ appellavere [i]), consentiente etiam Clemente Alex. [k]). Apud Aeschylum est

a) Ad Diod. Sic. L. XVIII. c. 4. b) Hymn. XIV. c) Eliac. p. m. 413. d) in Καταιβατης. e) ad Ειρηνης v. 42. f) Schol. ad Sophocl. Oedip. Col. v. 737. g) L. XII. p. m. 522. h) de Fort. Alex. Orat. II. p. 338. i) in Demetr. cap. 10. k) in Protrept.

etiam καταιβατης κεραυνος [a]), et quod idem significat apud Lycophronem: καταιβατης σκηπτος [b]).

* * *

Epocha notatur in numis regum Syriae imagine insignibus, quae est Seleucidarum.

Notae Arithmethicae.

Antonini: A. B.

M. Aurelii: Δ.

L. Veri: A.

Commodi: Γ.

Vide, quae de his in numis proximae Beroeae notavi.

AE. C.

HIEROPOLIS.

A scriptoribus passim dicitur *Hierapolis*, sed *Hieropolin* constanter appellant numi, ut et Stephanus: *tertia Syriae, quae et Hieropolis vocatur per o.* Olim dicta *Bambyce*, Syris *Magog*. Novum nomen accepit a Seleuco teste Aeliano [c]), inditum certe a religione deae Syriae, de cujus in hac urbe cultu superstitioso, et templo omnibus opibus referto Lucianus libro singulari copiose. Vide et Plutarchum [d]).

Regii et Autonomi.

Caput radiatum Antiochi IV. ✕ ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Iuppiter stans d. coronam protendens, pro pedibus bos turgente gibbo.* AE. III. (Pellerin Rec. II. p. 193.)

Caput Alexandri I. diadematum. ✕ ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Iuppiter stans d. ramum protendens.* AE. III. (Haym. T. I. p. m. 63.)

ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Caput Apollinis laur.* ✕ ЄΤΟΥ. ΖΜΥ. *Lyra, supra quam* A. (Beger Th. Br. T. III. p. 65.)

ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Caput muliebre velatum turritum.* ✕ ЄΤ. ΖΝΥ. *Ara luculenta, juxta* Γ. AE. III. (Pellerin. l. c.)

ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Caput Apollinis laur.* ✕ ΑΟΥ. *Lyra, juxta* A. AE. III. (Pellerin.)

Numi hi tam fabrica, quam typis adeo sunt similes numis Antiochensium, ut Pellerinius, etsi timide suspicaretur, Antiochiae aliquanto tempore Hieropolis nomen adhaesisse. At vero hanc suspicionem, etsi probabili ratione haustam, esse supervacaneam, facile demonstrabo. Si cum numis hic loco I. et II. descriptis conferantur numi Antiochenorum ΠΡΟΣ. ΔΑΦΝΗΙ. et ΠΡΟΣ. ΚΑΛΛΙΡΟΗΙ., videbimus, eos non modo capite regis, verum et typo aversae plane conspirare. Vt ergo fatente ipso Pellerinio hi numi non apud ipsam Antiochiam signati sunt, sed variis ac dissitis locis, ita etiam numi inscripti ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ possunt aliorsum, quam Antiochiam pertinere. Adde, quod Haymius numum numo secundo simillimum dedit, sed inscriptum ΚΥΡΡΗΣΤΩΝ [e]). Vt ergo hic Cyrrhum sine dubio pertinet, sic et illi Hieropolin.

Reliqui tres autonomi hic citati etsi cum moneta Antiochena mire conspirent, tamen certum est, Antiochiae esse non posse; nam notatur in iis aera Seleucidarum, sed a qua jam sub ipso

a) In Prometh. v. 359. b) v. 382. c) Nat. anim. L. XII. c. 2. d) in Crasso c. 17. Tom. I. p. m. 63.

Augusto discessere Antiocheni, deinceps tam in autonomis, quam imperatoriis inscripta aera Caesariana.

Quaeri hoc loco jure potest, quae causa fuerit, cur Hieropolitae tam diligenter typos Antiochensium imitarentur, quod dubium eo ingravescit magis, quod ii uno eodemque tempore duplicis generis videntur habuisse monetam, unam propriam suam cum imperatorum effigie jam inde a Trajano, scripto intra coronam ΘΕΑΣ. ΣΥΡΙΑΣ., ac multo diversa fabrica, alteram ad exemplar Antiochenum conformatam, nempe autonomos, de quibus nobis hic sermo, qui, ut inscripti aerae anni docent, signati sunt sub Hadriano, et Antonino, in quam quoque aetatem complures ejus generis autonomi Antiochenses incidunt. Videmus item, Samosatenses quoque, et Beroeenses nonnunquam a stabilitis apud se typis, fabrica, ipso adeo numorum volumine penitus discessisse, et Antiochensium caduceum, aut lauri ramum monetae suae intulisse, et quod observandum, omnes hi Syriae urbium typi monetae Antiochenae typos adfectantes incidunt in imperium Hadriani et Antonini. Quae fuerit ejus typorum concordiae ratio, utrum causa commercii, quod eruditi in numis Antiochenorum apud Ptolemaidem etc., suspicantur, aut alia quaecunque, diu adhuc, ac forte in perpetuum ignorabimus, ut adhuc forte veram causam ignoramus, cur Cretae urbes Athenienses typos, fabricam, ac totum monetae modum adfectarint.

AE. RRR.

Imperatorii:

Sunt a Trajano usque ad Philippos.

ΘΕΑΣ. ΣΥΡΙΑΣ. ΙΕΡΟΠΟ. ΙΕΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *intra lauream*, qui typus usque ad Caracallam fere unicus. Inde ab hoc plerumque *dea Syria insidens leoni*, dicta ab indigenis Atargatis, a Graecis Derceto, ut refert Plinius, et de qua Lucianus libro singulari. Sub hujus Atargatis simulacro fuisse leones docet Macrobius, eamque fuisse similis naturae cum magna matre Phrygum [a]). Sane et Apulejus deae Syriae eundem comitatum, eadem attributa addidit, quae scriptores alii, et monumenta Matri magnae addidere [b]) et mox infra [c]) eam Matris deorum sororem appellat. Sed propius ad hos numos Lucianus leone vectam dixit. Iam Nero deae Syriae cultui animum advertit aliarum religionum usquequaque contemptor, ut ait Suetonius [d]).

* * *

ΘΕΟΙ. ΣΥΡΙΑΣ. ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Sacellum, intra quod signum militare, hinc Iuppiter, inde Iuno, ambo cum modio in capite, d. hastam tenentes, ille sedens inter 2. tauros, haec inter 2. leones, inferne leo gradiens*, in numo Alexandri Sev. AE. I. (Neumann Num. pop. P. II. p. 74.)

Numus sane illustris. Adstitutum utrinque nomen praeclare explicat Lucianus [e]). Narrat, in adyto celebris ejus templi, quod est Hieropoli, *posita esse simulacra deorum, Iunonis videlicet et Iovis, quem alio nomine appellant; ambos esse aureos, et ambos sedere, sed Iunonem*

a) Sat. L. I. c. 23. b) Metam. L. VIII. c) L. IX. d) in Nerone cap. 56. e) De dea Syria.

portari leonibus, *Iovem insidere tauris*. Signum militare haud dubie ad eam legionem pertinet, cujus pars apud Hieropolin stationem habuerit, et cujus signum fuerit leo subtus gradiens. Haec omnia copiose et erudite exposita vide apud Neumannum, qui eximium istud cimelium et possidet et vulgavit. Pellerinius insigne tetratrachmum edidit, in quo eadem omnino est aversa, nisi quod pro leone inferne conspicitur aquila. Numum hunc plene describam infra in numis Antiochenis capite II., nam etsi argumentum ipsum certe Hieropolin pertinet, sic tamen certum etiam videtur, eum Antiochiae signatum, ut dicetur.

* * *

Notae arithmeticae. Hae in primis duobus supra citatis non comparent, verum hi sub regibus cusi sunt. Comparent autem in tribus sequentibus autonomis, nempe Α et Γ, quos per epochae annos constat sub Hadriano et Antonino signatos. In imperatoriis vidi:

Trajani: Α. Γ. Ε. ς.
Antonini: Α. Β. Γ. Є. ς. Ζ.
Aurelii: Γ.
Veri: Γ. Δ. Η. Θ.
Commodi: Α.
Caracallae: Β. (Mus. Caes.)
Vide de his numos Beroeae vicinae.
AE. C.

C H A L C I D E N E.

Suos aliquando tetrarchas et reges habuit, numis etiam illustres.

PTOLEMAEVS *Mennaei* F. TETRARCHA.

Ejus primum meminit Strabo adserens a): Heliopolin et Chalcidem subjectas fuisse Ptolemaeo Mennaei F., ὑπο Πτολεμαιῳ τῳ Μενναιȣ. Frequens deinde ejus apud Iosephum mentio. Eum primum gravem fuisse Damascenis vicinum adfirmat, tempus autem definit, quo Lucullus debellato Mithridate in Tigranem Armeniae et Syriae regem arma vertit b). Aliquot post annis a Pompejo M. Syriam ingresso in jus vocatum numeratis M. talentis absolutum c). Mortuum V. C. 714. succedente filio Lysania d). Hujus reliqua vide apud Iosephum.

Cl. Blondius mox citandus jure arguit Norisium, qui ex uno Ptolemaeo binos facit, Ptolemaeum Mennaeum, et hujus filium alterum Ptolemaeum. Addere potuisset Belleyum idem sentientem e). Sane ex Strabone et Iosepho, quorum testimoniis uterque utitur, istud

a) L. XVI. p. m. 1092. b) Ant. XIII. c. 16. §. 3. seq. c) L. XIV. c. 3. §. 2. d) B. I. L. I. c. 13. §. 1. e) B. L. T. XXVIII. p. 552.

non evincitur, apud quos nunquam legas Πτολεμαιος ὁ Μενναιος, sed semper: Πτολεμαιος ὁ Μενναιυ.

Numi.

Caput barbatum, forte Iovis. ✠ ΠΤΟΛΟΜΗ - - ΤΕΤΡΑΡ. L. Δ. *Duo milites hastati stantes.* AE. III. (Mus. Savorgnan.)

Caput Iovis laur. ✠ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ. - - ΑΡΧΗ - *Aquila volans coronam rostro stringens.* AE. fere II. (Mus. M. Ducis.)

Numum priorem edidit Blondius misso Venetiis ectypo [a]), alterum ipse olim vulgaveram [b]). In his Ptolemaeus sese *tetrarcham* appellat, quod principatus nomen obvium fuit in hoc tractu, ut magis patebit ex numis principum Herodiadum. Plinius hujus viciniae tetrarchias XVII. Barbaris nominibus in regna descriptas memorat [c]), quarum principes jam reges, jam reguli, jam alio nomine a scriptoribus appellabantur. Iosepho noster hic Ptolomaeus dicitur dynasta Chalcidis, δυναστευων Χαλκιδος [d]). In numo Savorgnani ΠΤΟΛΟΜΗ. pro ΠΤΟΛΕΜΑΙ. vitiosum est, incertum, an culpa monetarii, an pictoris.

AE. RRRR.

HERODES *et* AGRIPPA II.

Hos Chalcidis reges eorumque numos vide in numis regum Iudaeae.

CHALCIS.

A qua circumsito agro nomen.

Autonomum, in quo caput Neptuni, conjicientis more huc vocavit Pellerinius. Dixi loco suo, eum verius Chalcidem Euboeae pertinere ipso Pellerinio serius non invito [e]). Pleraeque Syriae urbes hactenus memoratae magis inclaruere sub imperatoribus, atque adeo autonomos raro reperias.

Imperatorii:

Vulgati ab Augusto usque ad Severum, at certi sunt pro more vicinarum urbium a Trajano usque ad Commodum. Nam numos Augusti, Neronis, et nonnullorum aliorum, quos eruditi varii huc retulere, esse potius Chalcidis Euboeae, in hujus moneta probare sum conatus.

Certi ergo a Trajano usque ad Commodum inscribuntur ΦΛ. ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. atque haec *scriptura intra coronam* more urbium ejus tractus solitum typum facit. Est tamen etiam in aliquibus *caput muliebre.* In compluribus sub Trajano, Hadriano, Vero, Commodo est *Vir capite radiato stans d. oblongum palmae ramum humi insistentem*, (in numo Commodi musei Christinae est tropaeum) *s. jaculum cum clypeo.* Ei in numo Trajani additur vox trunca - - - ΕΙΡΟΥ (Vaill.) Hadriani - - CΕΙΡΟΥ. (Arigoni) ut adeo de hac ferri judicium non possit.

Notae arithmeticae:
Trajani A. Δ.
Hadriani: B. Δ.
Aurelii: A.
Veri: A.

---

a) Observat. p. 59. b) Num. vet. p. 278. c) L. V. §. 19. d) Ant. L. XIV. c. 7. §. 4.
e) Additions p. 74.

De his vide dicta in Beroea Cyrrhesticae.

Epocham in nonnullis Chalcidis numis detexit Norisius [a]).

ΚЄ in numis Trajani, qui dicitur ΔΑΚ. ΠΑΡ. (ex mus reg. Gall.)

ΚЄ in numo Adriani. (ex mus. reg. Gall. et M. ducis.)

q in numo Commodi. (ex mus. Dron.)

Ex binis numis prioribus initium aerae invicte figitur ad annum V. C. 845. Nam cum annus ΚЄ reperiatur cum in nnmo Trajani, tum Hadriani, necesse est, eos signatos eo anno, quo imperium ille finiit, hic occoepit, quod factum mense Augusto V. C. 870. Quare annis XXV. hinc retrogradiendo devenimus ad annum V. C. 845.

Frölichius in numo Hadriani reperit annum Λ, eumque epochae subjecit, additque, tanto certius eam literam indicare epochae annum, quod Chalcidenses annos imperii in numis non signavere [b]). Numus is nunc est in Caesareo, et certe ambiguae lectionis inter Λ et Δ. Notas vero arithmeticas, quas passim imperii annos credunt antiquarii, revera a Ghalcidensibus in númis fuisse signatas vel unum museum Caesareum luculente probat, et vidimus in tabella praecedente.

Causam constitutae epochae putat Norisius, quod hoc anno Chalcidene desinente regum dominio, quos huic tractui praefuisse usque ad Vespasianum saltem prodidere scriptores, Romanae ditioni Domitiano imperante accesserit, ex quo urbs *Flaviae* cognomen adoptavit.

AE. C.

P A L M Y R E N E.

AMPHIPOLIS.

Numos inscriptos ΑΜΦΙΠΟΛΙΤΩΝ esse Amphipolis Macedoniae, non Palmyrenes, ut magni nominis antiquariis visum, dictum in illius numis.

PALMYRA.

Vrbs regionis princeps, et regibus suis, ac Zenobia, et quae hodieque restant, veteris magnificentiae argumentis nobilitata.

Autonomus.

Caput adversum radiatum barbatum cum modio inter duo capita muliebria radiata, quorum illud, quod ad dexteram est, modium insuper habet. Ӿ ΠΑΛ-

a) Epoch. Syrom. p. 270. b) IV. Tent. p. 186.

ΜΤΡΑ. *Victoria d. bilancem tenens super columella.* AE. III. (Pellerin.)

Pellerinius aversae typum allegoricum putat, tanquam Palmyrae in potestate fuisset aequilibrare res Romani, ac Parthici imperii. Facile damus, tantum virium fuisse Palmyrenis, sed nonnisi Gallieni et sequentium impp. aetate. At cum numus multo remotius aevum manifesto indicet, quo, praepotentibus Romanorum rebus, tantum fiduciae Palmyrenis inesse non potuit, ut auderent se utriusque imperii arbitros ferre, alius haud dubie hujus typi explicatus est inquirendus, quem non dubitem a zodiaci libra petendum, qui pluribus Syriae et Mesopotamiae urbibus typos dictavit.

Capita radiata certum Solis indicium faciunt, cujus celebre templum apud Palmyram stetisse testatur Vopiscus. Quod vero plura sunt, credo, iis proponi Adad et Atargatin, seu Solem, et Terram, quos effictos capite radiato, et per hunc tractum eximie cultos prolixe docet Macrobius a), nisi malis Aglibolum, et Malachbelum deos Palmyrenos, quorum et effigies et nomina videas in marmore apud Sponium b), aut simile quid placuit Palmyrenis in Solis cultu, quod de Edessenis narrat Iulianus c), in eorum urbe, quae ab aeterno Soli sacra fuit, Monimum et Azizum Solis contubernales constitutos, quorum ille esset Mercurius, hic Mars.

* * *

Numos binos aeneos Palmyrenis, ut visum, literis inscriptos ex museo Hunteriano edidit, et explicare tentavit eruditus Godofredus Woide Anglus d). Sitne inscriptio vere Palmyrena, adfirmare vereor. Istud certum, ejus explicationem ejusdem esse naturae cum ea, qua eruditos varios in explicandis numis Phoeniciis usos dicemus.

AE. RRRR.

Principes Palmyrae.

Horum numos quaere in moneta Augustorum, et Aegypti.

SELEVCIS ET PIERIA.

Fratres populi.

Nimirum ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. *autonomis* inscriptum.

Caput Iovis laur. ✕ ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. ΔΞΡ. *Fulmen, omnia intra lauream.* AE. III. (Haym T. I. p. m. 64.)

Alius typis Appollinis et tripodis. AE. III. (Hunter tab. 48.)

---

a) Saturn. L. I. c. 23. b) Miscell. p. 1. c) Orat. in Solem. d) Archaeologia Vol. VI. p. 130.

Alius, *sed cum anno* ΕΞΡ. (Mus. Caes. Pellerin.)

Alius typo Iovis Antiocheni sedentis. AE. III. (Hunter tab. 48.)

Caput Dianae. ✗ *Eadem epigraphe*. ΕΞΡ. *Tripus*, *omnia intra lauream*. (Mus. Caes. Haym. l. c.)

Alius, *sed cum anno* ΕΠΡ. *Mulier stans d. coronam*, *s. cornucopiae*. AE. III. (Mus. Caes.)

Sunt adhuc alii his fere similes, sed nullo epochae anno insignes, apud Haymium et Pellerinium.

Horum epigraphen numorum eleganter explicat Strabo a), fuisse nimirum Seleucidem dictam Tetrapolin ob quatuor prae ceteris illustres urbes, *Antiochiam*, *Seleuciam*, *Apameam*, *Laodiceam*, *αιπερ και ελεγοντο ἀλληλων* ΑΔΕΛΦΑΙ *δια την ὁμονοιαν*, *Σελευκυ τυ Νικατορος κτισμα*, *quae inter se propter concordiam SORORES dicebantur*, *aedificatae quippe a Seleuco Nicatore*, nimirum Antiochia ex patris, Seleucia ex suo, Apamea ex uxoris, Laodicea ex matris nomine. Istud iisdem fere verbis persequitur Eustathius a). Eruditam hanc explicationem primus invexit Massonus, et majorum iniqua de his numis judicia correxit b). Ejusdem rationis est numus ΠΛΩΤΙΝΟΠΟΛΙC. ΔΟΜΗΝΟΠΟΛΙC. ΑΔΕΛΦΑΙ., quem vide in moneta Plotinopolis Thraciae. Alia exempla urbium sororum habes apud Spanhemium c).

Epocha in his numis est Seleucidarum ab anno V. C. 442.

AE. R.

ANTIOCHIA.

Condita Antiochia a Seleuco I. Nicatore, indita appellatione ex nomine patris Antiochi, ut visum Iustino d) Straboni e) et Libanio f). Tamen Iulianus imp. inditum nomen ab Antiocho filio adserit g), in qua opinione fuit etiam Malala, etsi Pausaniam citet idem cum prioribus sentientem, addita causa aeque inepta ac falsa, neminem conditorem opus suum ex nomine mortui appellasse h).

Cum plures essent Antiochiae, haec nostra dicta est vel Antiochia Syriae, vel *ἐπι Δαφνῃ*, Latinis *Antiochia Epidaphne*, quod vicina fuit silvae dictae *Daphne*, de qua infra, vel ad *Orontem* fluvium, vel *Antiochia magna*, propter nominis celebritatem. Sedes primum regum Syriae, deinde Romanorum praesidum, omnium orientis urbium facile princeps evasit, magni ea nominis in historia cum sacra, tum profana.

Cum opibus monetariis prae omnibus aliis urbibus abundet, eaeque multiplicis sint generis, ac modi, necesse visum, in plura eas capita dispescere, quorum I. continebit numos epocha notatos. II. Numos imperatorios argenteos sine annis epochae. III. Numos imperatorios aeneos inscripto S. C. IV. Numos Antiochiae coloniae. V. Numos Antiochiae inferioris aevi. VI. Numos Antiochenorum extra Antiochiam signatos.

Regum Syriae numis, quod hactenus constet, Antiochiae nomen inscriptum

a) Ad Dionys. v. 918. b) Haym. l. c. c) T. II. p. 617. d) L. XV. c. 4. e) L. XVI. p. m. 1087. f) in Antiochico T. II. p. 349. g) in Misopog. p. 347. h) Chronogr. L. VIII. p. m. 86.

non exstat. Frölichius in annalibus regum Syriae binos numos proposuit, qui esse regii, et Antiochiae nomine notati videri possint, sed horum prior in quo legitur: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. typo Pegasi [a]), est Antiochiae Cariae, in altero, qui notatur: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. [b]) est vitium typothetae, cum pro ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. legendum sit ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Majorem partem numorum regis Tigranis esse in hac urbe signatam, etsi Antiochiae nomen absit, patet ex typo Antiocheno mulieris rupi insidentis.

CAPVT I.

Numi Antiochiae epocha notati.

Antiochenos variis per intervalla epochis usos cum numi, tum historici comprobant, et quidem I. *aera Seleucidarum* ab anno V. C. 442, quam statuunt numi. II. *Aera autonomiae*, quae et *Pompejana* dici potest. Pompejus V. C. 690. victo Tigrane Syriam ingressus multis ejus ac Phoeniciae urbibus αὐτονομιαν impertiit. Eodem tunc beneficio adfectam Antiochiam probat Norisius ex Porphyrio, qui haec de Pompejo: ὁ δε λαβων παρ' Αντιοχεων χρηματα - - - ΑΥΤΟΝΟΜΟΝ την πολιν ειασε, *is vero accepta ab Antiochenis pecunia urbem SVIS LEGIBVS VTI permisit.* Inde ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ titulo saepe in numis usa est. Adhibitos nonnunquam a scriptoribus annos ab autonomia ductos probat Norisius ex Evagrio, terrae motum, qui imperante Trajano urbem evertit, ab hac supputante [c]). Vtrum numis quoque inscripta fuerit, incertum, ut dicetur. III. *Aera Caesariana* ob Pompejum a Caesare ad Pharsalum devictum. De ejus inductae tempore ac causa vide copiose et erudite disputantem Norisium [d]), et quae infra ad aeram Caesarianam notabuntur. Ductam fuisse ab autumno V. C. 705, probabitur ex numis. IV. *Aera Actiaca*, seu *aera Victoriae* ducta ab autumno V. C. 723. ob victum ab Octaviano ad Actium Antonium. Eam numi quoque stabiliunt.

Qua ratione variis his in moneta epochis usi fuerint Antiocheni, docebunt numi sequentes mixtis una autonomis et imperatoriis.

§. I. *Aera Seleucidarum.*

Caput Iovis. ✕ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam, per aream varia sigilla, et anni:* ΑΚΣ. ΓΚΣ. ΔΚΣ. ΕΚΣ. ϛΚΣ. ΖΚΣ. ΗΚΣ. ΑΛΣ. ΓΛΣ. ΕΛΣ. ϛΛΣ. ΖΛΣ. AE. II. (Mus. Caes. Hunter, Theupoli, Sestini.)

Caput muliebre velatum turritum. ✕ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. *Tripus, in area litterae solitariae, et anni:* ΕΚΣ. ΖΚΣ. ΑΛΣ. ΜΣ. ΓΜΣ. AE. II. (Hunter, Sestini.)

Caput Iovis ✕ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam, et annus* ΒΟΣ. AE. II. (Pellerin, Hunter.)

Fuere, qui negarent, inscriptam nu-

a) pag. 63. b) pag. 69. c) Epoch. Syromac. p. m. 135. d) L. c. Dissert. III. c. IV. et V.

mis Antiochenis aeram Seleucidarum, quos inter Bimardus [a]). Ergo numi hic descripti alteri erunt epochae adcommodandi. Statuatur ergo proxime sequens Pompejana vel autonomiae ab anno V. C. 690, addatur huic annus ϛΛΣ., erit numi hujus annus natalis V. C. 925 P. X. 172. qui respondet medio circiter M. Aurelii imperio. Enim vero exstant numi Antiochiae circum eadem haec tempora signati, sed hi, ut videbimus, aliis sunt typis, tum et fabricam habent et literarum formam aevo suo propriam. Et sane nullum habeo exemplum sigmatis imperante Aurelio adhuc forma Σ exarati. Multo ergo magis reluctabuntur anni ΜΣ. et ΒΟΣ, quorum ille in extrema Aurelii, hic in extrema Severi tempora incideret. Ex quo consequitur, omnes, quos hoc loco descripsi, numos multo minus patientes fore aerae Caesarianae vel Actiacae, quae serius coepere, et unam adeo aeram Seleucidarum admittere.

In id genus numis annus primus est ΑΚΣ., qui ad Seleucidarum aeram exactus respondet anno V. C. 662. Videntur Antiocheni in fatali illo regum indigenarum dissensu jus sibi feriundae monetae extorsisse. Sequuntur deinde anni exiguo inter nonnullos hiatu usque ad annum ΜΣ. qui in hac continua serie postremus cadit in annum V. C. 681. Postea Antiocheni plerosque numos cum capite regis Tigranis signaverint, qui tum Syriam tenuit, et cujus numi revera typum Antiochiae obvium, nempe genium urbis Oronti adsidentem, exhibent. Sed inde amplus hujus aerae hiatus usque ad annum ΒΟΣ., qui ducitur ab autumno V. C. 713. A. X. 41. Nimirum interea Antiocheni induxere aeram Pompejanam et Caesarianam, illam ab anno V. C. 690, hanc ab anno 705. At cur iterum ad aeram Seleucidarum paullo post reditum? Credo, prudenter istud scitum Antiochenis, ne partibus offensionis causam praeberent. Enimvero orto V. C. 711. inter IIIviros, Brutumque ac Cassium bello, et occupata mox a Cassio Syria periculosum visum, per aerae Caesarianae usum addictos se Caesari profiteri; periculosum etiam aeram Pompejanam respicere incerto belli exitu; at carebat invidia, redire ad veterem et domesticam Seleucidarum aeram. Est hic in moneta Antiochiae postremus hujus aerae annus, et refellit praeterea Norisium adserentem, Antiochenos, cum aeras Romanas induxere, veterem Seleucidarum antiquasse [b]).

Typi in his: *Iuppiter Nicephorus*, et *Apollini sacer tripus.* Vtriusque numinis magna et explorata apud Antiochenos religio. Vetustissimus Iovis cultus fuit is, quem teste Libanio invexere Argivi, qui huc ad inquirendam Io appulsi desperato successu urbem condidere *Iones* nomine, erecto ibi Iovis seu Nemei seu Nomii templo [c]). Iam etiam Alexander M. eodem loco, quo deinde Antiochia surrexit, aram Iovi Bottiaeo, sic dicto a Macedoniae regione Bottiaea, in qua sita Pella ejus re-

---

a) Ad Iobert. T. II. p. 222. b) Ep. Syrom. Diss. III. c. 3. in fine. c) in Antiochico T. II. p. 241.

gis natalis, erexit, et ibidem postea monente per prodigium Iove Seleucus Antiochiam fundavit, et in ea templum Iovi Bottiaeo dedicavit, ut perhibent Libanius in Antiochico et Malala chronographus. Tenet dextera Victoriolam; nempe eodem modo fingitur etiam in argenteis Antiochi IV., quem haud dubie fuisse ipsius hujus signi architectum, in ejus regis moneta probavimus. Iovem hunc Antiochenum dextera protendisse Victoriam, constat ex Iustino, cum refert [a]), Alexandrum Zebinam *inopem pecuniae, cum stipendia militibus deessent, templo Iovis solidum ex auro Victoriae signum tolli jussisse, facetis jocis sacrilegium circumscribentem, nam Victoriam commodatam sibi ab Iove esse dicebat.* Addit, cum interjectis diebus ipsum Iovis aureum simulacrum infiniti ponderis evelli jussisset, a concurrente multitudine fuisse in fugam versum. Et tum quidem exitium vitavit deus altus cubitos XV., at serius ab Antiocho Cyziceno pecuniae quoque indigo ad furnum adactus est suffecto Iove vilioris materiae [b]). Iovis etiam Philii apud Pergamum quoque culti, magnos fuisse Antiochiae honores, ex Iuliano comprobat Norisius [c]).

Sed et Apollinis in hac urbe cultus eximius, jam conditori Seleuco venerandi, cujus mater Laodice sibi visa est per quietem ex concubitu Apollinis concepisse, quique propterea, cum Antiochiam condidit, campos urbi vicinos Apollini dicavit, ut refert Iustinus [d]), de quibus, dictis *Daphne*, ut et de cultu Apollinis, aliquoties infra redibit mentio. Pleraque haec jam commemoravit Norisius.

Metropolis in his numis dicitur Antiochia, mero tum honoris vocabulo, sed cum quo sub imperatoribus aliquam in alias urbes conjunctam fuisse jurisdictionem patebit ex iis, quae dicemus capite II. Quo tempore hic titulus collatus sit, nondum comperi. Iosephus eam jam tum, cum de rebus a Seleuco conditore gestis agit, metropolin appellat [e]), sed videtur locutus προληπτικῶς. Ex sententia Libanii hunc illi honorem largiti sunt Romani, sed citati hoc loco numi docent, jam fuisse metropolin, antequam in horum leges ivisset. Lege de hoc argumento etiam Spanhemium [f]). Hoc elogio plus reliquis, quae adsciverat, in numis gloriatur, retento etiam in iis, quos inde a Caracalla coloniae nomine percussit. In similibus numis saltem certae fidei additum ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ titulum nondum reperi. At enim hic collatus serius, anno, ut dixi, V. C. 690. Ajebam, in numis certae fidei, nam novi, Frölichium in annalibus ex Spanhemio et Harduino recitare numos: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. ΖΣ. in alio: ΓΚΣ. [g]) verum constat etiam, eruditos hos IIviros alienis saepe oculis usus. Sane in nullo idoneo catalogo reperi hactenus numos, in quo titulus ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ conjunctus esset cum aera Seleucidarum.

Sacra et asylum Sic dicta haud du-

a) L. XXXIX. c. 2. b) Clem. Alex. in protr. c) Diss. III. c. 7. sub init. d) L. XV. c. 4. e) Ant. Iud. L. XII. c. 3. f) T. I. p. 584. g) pag. 105. 111.

bic Antiochia ob religionem vicini sacrique luci Daphnes, nam teste Strabone in hujus medio fuit ἀσυλον τεμενος, και νεως Απολλωνος και Αρτεμιδος, *delubrum asylo gaudens, et templum Apollinis et Dianae* [a]). Norisius aliquot recitat exempla hominum, qui adversum insidias salutem sibi in hoc Daphnes asylo quaesivere [b]).

§. II. *Aera incerta.*

Caput Iovis. X ANTIOXEΩN. THΣ. MHTPOΠOΛEΩΣ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam, in area anni:* Γ. IΓ. ΔI. ZI. IΘ. ΔK. N. ΘΠ. AE. II. (Mus. Caes. Hunter.)

Caput Iovis. X *Eadem epigraphe. Mulier stans d. ancoram, s. cornucopiae, annus* Γ. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Iovis. X ANTIOXEΩN. MHTPOΠOΛEΩΣ. AYTONOMOY. vel KAI. AYTONOMOY. *Iuppiter sedens, ut supra, anni:* H. IΔ. K. ΘK. AE. II. (Mus. Caes. Hunter.)

Caput Iovis. X *Eadem epigraphe. Tripus, hinc et inde cornucopiae, anni:* BI. EK. ZK. AN. (Mus. Caes. Hunter, Sestini.)

Caput muliebre velatum turritum. X *Eadem epigraphe. Duae spicae medio papavere et duobus botris, annus:* AI. In aliis: *Tripus, anni:* AK. EK. ZK. AE. III. (Mus. Caes. Hunter, Sestini.)

Caput Iovis. X ANTIOXEΩN. THΣ. MHTPOΠOΛEΩΣ. THΣ. IEPAΣ. KAI. AΣYΛOY. *Iuppiter, ut supra, annus* Γ. AE. II. (Mus. Caes.)

Caput Iovis. X ANTIOXEΩN. THΣ. MHTPOΠOΛEΩΣ. THΣ. IEPAΣ. KAI. AΣYΛOY. AYTONOMOY. *Iuppiter sedens, ut supra, anni:* Γ. Δ. AE. II. (Mus. Caes. Hunter.)

Habes in his numis annorum numeros admodum minutos, quae ipsa causa est, cur ad Seleucidarum aeram exigi non possint, quae multo serius numis inscribi coepit. Sane primum regum Syriae numum reperit Frölichius notatum anno hujus aerae PIB. Sunt ergo aerae cujuspiam Romanae, seu Pompejanae, seu Caesarianae, seu Actiacae, sed cujus harum, definiri nequit. Istud certum ex ipsa typorum concordia, eos proxime successisse iis, quos Seleucidarum aera notatos supra recitavi.

Hi numi Antiochiam nostram *metropolin, sacram, asylum, autonomam* eloquuntur, et omnia haec elogia numus postremus solus collegit, et sic etiam Malala in edicto Iulii Caesaris, quod proponit [c]) ἐν Αντιοχεια τη μητροπολει, ἱερα και ἀσυλω και αὐτονομω κ. τ. λ. De titulis *metropolis, sacrae, asyli* supra egimus. Restat titulus

AYTONOMOY. *legibus suis utentis,* quod jus concessum urbi a Pompejo diximus initio hujus capitis. Hic titulus in solis his, quos recitavi, numis reperitur, deinceps omittitur, credo, quod elogio metropolis satis sese prae aliis orientis urbibus ornatam putaverit, nam et titulis *sacrae et asyli* deinceps abstinuit. Hoc vocabulum in numis Antiochiae nunquam concurrere cum epocha Seleucidarum, paullo supra monuimus.

---

a) L. XVI. p. m. 1089. b) Diss. III. c. 3. sub fin. c) L. IX. sub init.

Ratio typorum aut ex praecedentibus est cognita, aut eorum explicatio nemini non parabilis.

§. III. *Aera Actiaca.*

Hac aera usos Antiochenos, numi sequentes invicte comprobant.

ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput Augusti laureatum.* ✠ ΕΤΟΥΣ. ϛΚ. *vel* ΖΚ. *vel* ΗΚ. *vel* ΘΚ. ΝΙΚΗΣ. ΥΠΑ. ΙΒ. *Mulier velata ac turrita rupi insidens d. palmae ramum, infra fluvius emergens, in area monogramma* ΤΑΧ. *vel* ΧΑΤ. AR. I. (Mus. Caes. Pellerin. Morelli.)

Alius, sed cum anno ΘΚ. *et* ΥΠΑ. ΙΓ. AR. I. (Pellerin Mel. I. p. 175. Pembrock Part. III. tab. 40.)

Alius, sed cum anno Λ *et* ΥΠΑ. ΙΓ. AR. I. (Sestini Lett. IV. p. 10.)

ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput Augusti laureatum.* ✠ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. *Idem typus, in area conjuncti anni* ϛΛ. ΔΝ. *et monogramma* ΧΑΤ. AR. I. (Baldini ad Vaill. Theupoli, Pellerin Mel. I. p. 173.)

In praestantissimos hos numos commentati sunt viri eruditi varia fortuna. Vnus Pellerinius paucis, nitide, ac vere. Exponendum primo, quod numi hi verum continent, deinde et aliorum lapsus, ne fraudi sint, commemorabimus.

Numi primae, secundae, tertiae sedis epocham Actiacam exhibent, eamque indubitatam, nam anni inscripti palam dicuntur ΕΤΕΑ. ΝΙΚΗΣ. *anni Victoriae*, nempe ad Actium ineunte Septembri V. C. 723. ab Octaviano relatae. Adduntur consulatus Augusti expressi litteris ΥΠΑ. sed monogrammate nexis, et quidem consulatus ΙΒ. seu XII. jungitur cum annis ϛΚ. ΖΚ. ΗΚ. ΘΚ., consulatus ΙΓ. seu XIII. cum anno ΘΚ. Λ. Vere haec ad historiam et chronologiam, ut patet ex hoc diagrammate:

Anni urb. cond.	*Augustus Cos.*		*Anni aerae Actiacae.* *a Kal. Ian.*		*ab autumno.*	
748.	ΙΑ.	XI.	ΕΚ.	25.	ϛΚ.	26.
749.	ΙΒ.	XII.	ϛΚ.	26.	ΖΚ.	27.
750.	ΙΒ.	XII.	ΖΚ.	27.	ΗΚ.	28.
751.	ΙΒ.	XII.	ΗΚ.	28.	ΘΚ.	29.
752.	ΙΓ.	XIII.	ΘΚ.	29.	Λ.	30.

In his prioris loci numis nomen urbis Antiochiae non indicatur, esse tamen Antiochiae, certum est primum ex typo, qui exhibet genium muliebrem Antiochiae insidentem rupi, prae cuius pedibus emergit fluvius Orontes, quem typum alias quoque in certis Antiochiae numis videbimus, deinde quod praecipuum est, ex numo sequente cetera simili, et qui praeterea nomen ANTIOXEΩN. addit. Eximius hic numus eo etiam praestat, quod raro in numis exemplo duplicis epochae annos ϛΛ. et ΔN. 36. et 54. offerat. Iam vero utriusque anni fontes indagandi. Inter annos 36. et 54. intervallum est annorum 18. Hi ergo anni ad epochas pertinent, quae totidem inter se annis distant. Ex cognitis Antiochiae epochis habemus Caesarianam et Actiacam hac indole praeditas, quarum illa ducitur ab autumno V. C. 705, haec ab autumno V. C. 723, manifesto annorum 18 intervallo. Ergo certum est, annum auctiorem ΔN. esse vetustioris Caesarianae, minutiorem ϛΛ recentioris Actiacae. Vterque numerus conspirat in annum V. C. 758, a cujus autumno usque ad autumnum anni sequentis hic numus cusus. Istud etiam praeclare docet eximium hoc cimelium, aeram Actiacam Antiochenis revera ab anno V. C. 723 ductam, nam si ab anno sequente duceretur, non concurreret ad annum V. C. 758. cum anno ΔN aerae Caesarianae, cujus exordium ad autumnum V. C. 705. invicte figitur, ut infra dicetur.

Monogramma his numis inscriptum varie explicatum. Liberalissimus Baldinus tria illo designari docuit, primum ANT*iochiam*, secundum AYT*onomiam*, tertium AYΓ*ustam*, quasi hoc nomen inditum fuisset urbi [a]). Habile igitur istud monogramma instar Protei omnes formas accipit, cum perinde legi patiatur ANT. et AYT. et AYΓ. Modi primus ac tertius absurdi sane sunt. In significatione AYT*onomiae* plerique acquievere, atque ipse etiam Pellerinius [b]), quod in hoc tanto magis mirum, cum ipse numum Philippi Syriae regis Antiochiae signatum produxerit eodem monogrammate notatum [c]), cum tamen constet, Antiochiam a Pompejo M. demum autonomiam abstulisse. Magnanus creditum istud AYT. conjunxit cum anno ΔN., et explicavit: *anno autonomiae seu Caesariano quinquagesimo quarto* [d]). Verum aera Caesariana nunquam dicta fuit aera autonomiae. At neque persuadere mihi possum, litteras AYT. illo monogrammate contineri; quod enim viris eruditis AY videtur, manifestum est AX., quod eadem forma occurrit in obviis Achaeorum argenteis. Praestat, in indagando monogrammatum sensu minus esse curiosum.

At commemoranda etiam admissa in recitandis his numis peccata, quae in his tanto sunt minus dissimulanda, quod illustria sunt tetradrachma, et male descripta historiam et chronologiam, quod et factum, impediunt.

Edidit Morellius numum similem inscriptum ETOYΣ. ϛK. NIKHΣ. TΠA.

---

a) Ad Vaill. T. II. p. 56. b) Mel. I. p. 176. c) Rois tab. XIII. d) Probl. de anno Chr. p. 363.

IB. eamque epigraphen secundum leges a me mox citatas praeclare explicat [a]). At idem infra in emendandis pag. 257. pro ΕΤΟΥΣ. ϛΚ. legi jubet ΕΤΟΥΣ. ΚΕ. Istud aperte falsum. Etenim labente apud Antiochenos anno Actiaco ΚΕ. seu 25. Augustus nondum fuit consul XII., ut patet ex inserto supra diagrammate.

Eodem loco narrat Morellius, reperisse se id genus unum, qui Augusti consulatum XIV. prodit, scripto adeo ΥΠΑ. ΙΔ. Hoc si certum et exploratum, non erat leviter et velut in transcursu commemorandum. Probi fasti obitos ab Augusto consulatus non noverunt plures XIII. Vnus index praefixus Dionis libro LV. consulatum Augusti XIV. obtrudit, sed quam licentiam adcurate et severe castigat Norisius [b]).

Alium idem promulgavit inscriptum ΕΤΟΥΣ. ΘΚ. ΝΙΚΗΣ. ΥΠΑ. ΙΕ [c]). Quoniam Augustus consul XV. nunquam processit, Havercampus commentator *το* ΙΕ. non ad consulatum Augusti, sed novam aliquam epocham ab Antiochenis inductam revocavit [d]). Necesse non est, ejus ratiocinio multum immorari, cum certum sit, pro ΙΕ. legendum vel ΙΒ. vel ΙΓ.

Idem Havercampus [e]) et Mazzolenus [f]) argentei tetradrachmi meminere editi primum ab Aenea Vico, restituti a Bellorio, et quod epigraphen praefert: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, ΝΕΩΚ. ϛΛ. ΑΥΤ. ΔΝ. Hoc praeconio deceptus uterque vir eruditus quam absurda coactus fuerit comminisci, ex commentariis patet. Nemo non videt, esse hunc numum eundem cum illis, quos quarto loco adduxi. Inique etiam inseritur *το* ΝΕΩΚ. quo *neocoratus* indicatur, quem nullus certus Antiochenorum numus praefert.

§. IV.

ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΑΡΧΙΕΡΕΙ. *Caput Augusti laur.* ✕ ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ. ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. *additis annis:* ΕΚ. ϛΚ. ΖΚ. ΗΚ. ΘΚ. Λ. ΑΛ. *omnia intra coronam.* AE. II. (Mus. Caes. Magnan probl. nat. Chr. tab. VI. Morelli, Harduin.)

Hujus epigraphes et typi verum sensum primus reperit Norisius [g]). Nimirum Antiocheni audito, Augustum V. C. 742 vacuum Lepidi morte pontificatum maximum suscepisse, ut suam testarentur laetitiam, auream illi coronam dedicaverunt. De id genus muneribus, quae jam auro, jam corona aurea constabant, ac propterea *aurum coronarium* dicebantur, et imperatoribus a provinciis, si quid feliciter iis cessit, offerri consuevere, hic agere non instituo, cum super hoc argumento copiose disputem ad similes numos Antonini Pii anno V. C. 892 cusos. Ergo si utriusque partis epigraphen conjungas, habes facilem ejus sensum: ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΑΡΧΙΕΡΕΙ. ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ. *ϛεφανον* ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. *ἀνεθηκαν.* *Caesari Augusto pontifici maximo ob susceptum pontificatum max.* coronam *Antiocheni* dedicaverunt. Addere *ϛεφανον coronam*

---

a) Specim. p. 49. b) Cenot. Pis. diss. II. c. 13. c) Thes. impp. in Aug. tab. XIII. n. 16. d) impp. Morell. T. I. p. 264. e) l. c. f) de trib. pot. p. 87. g) Ep. Syrom. diss. III. c. 7.

necesse non fuit, cum ea ipsa typum faciat. Ex numis hoc typo insignibus annum primum habemus EK. qui ductus ab exordio 723 incipit in autumno 747. Insignis pretii fuisse hoc munus patet, quod eam largitionem per plures annos praedicaverunt. Ejusdem argumenti est numus, sed cum capite Tiberii, in cujus aversa est: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ. ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. Α. teste Harduino [a]).

§. V.

Caput Iovis. ☧ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. *Mulier velata ac turrita rupi insidens d. palmae ramum, infra fluvius emergens, anni* ΕΚ. ϛΚ. ΖΚ. AE. III. (Mus. Caes.)

Deinceps hominum Romanorum Syriae praesidum nomina frequenter in moneta Antiochena videbimus. Eorum catalogum ab anno V. C. 707. usque 822. jam olim edidit Norisius additis eruditis commentariis [b]).

In his numis habemus Varum, dictum plene *P. Quinctilium Varum.* Processit Consul V. C. 741. In Syriae praefectura datus successor Sentio Saturnino [c]). De eo Vellejus [d]): *Varus Quinctilius illustri magis quam nobili ortus familia, vir ingenio mitis, moribus quietus --- pecuniae vero quam non contemptor, Syria, cui praefuerat, declaravit, quam pauper divitem ingressus dives pauperem reliquit.* Ejus aliquoties meminit Iosephus. Legionibus Germanicis praefectus, dum incautius agit, ab Arminio cum tribus legionibus caeditur V. C. 763.

Varo Syriae praeside natum Christum, indubitatum est; nam extremo regnantis Herodis M. tempore, et mox eo mortuo fuisse eum Hierosolymis, testantur Iosephus et Tacitus, qui posterior refert etiam, post mortem Herodis nihil exspectato Caesare Simonem quendam regium nomen invasisse, sed a Quinctilio Varo obtinente Syriam punitum [e]).

Numi praesentes offerunt annos ΕΚ. ϛΚ. ΖΚ. ducendos certe ab aera Actiaca. Coepit annus ΕΚ. in autumno V. C. 747. et annus postremus ΖΚ. in autumno 749. exiturus in autumno 750. Praeclare igitur in tempore conspirant hi numi cum iis, quae historici a Varo in Iudaea gesta memorant paullo ante, ac mox post Herodis M. mortem, quae accidit in vere V. C. 750, quae omnia secundum hos Vari numos paucis ac nitide exponit Vaillantius [f]). Ex quo apparet, nondum fuisse hos numos cognitos Norisio, cum scripserat, Varum Syriae rectorem impositum V. C. 750, et paucis adeo mensibus ante obitum Herodis [g]). Sed et ducibus iisdem numis, quae scripserat, serius retractavit [h]). Quousque se porrexerit Vari in Syria praetura, neque numi, neque historici meminere.

§. VI.

Caput Iovis. ☧ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΠΙ. ΣΑΤΟΡΝΙΝΟΥ. ΟΥΟΛΟ. *Mulier ve-*

---

a) Opp. sel. p. 21. b) Cenot. Pis. diss. II. c. 16. c) Ios. ant. Iud. L. XVII. c. 5. §. 2. d) L. II. c. 117. e) Hist. L. V. c. 9. f) Bell. lettr. T. II. p. 405. g) Cenot. Pis. diss. II. c. 16. §. 11. h) Ep. Syrom. diss. III. p. 213.

lata ac turrita rupi insidens d. palmae ramum, infra fluvius emergens, annus ΕΛ. AE. II. (Pellerin, Hunter, Vaill. in fam. Volusia.)

C. Sentium Saturninum Syriae praesidem ex Iosepho habemus, cui deinde successit Varus, ut in praecedentibus diximus. Sed ad hunc Saturninum hi numi pertinere non possunt propter inscriptum annum ΕΛ. 35, qui ductus ab anno 723 incipit in autumno V. C. 757. Alius igitur inquirendus Saturninus, qui tempori, quod numus praescribit, conveniat. Est inter Varum et Quirinium praesidum Syriae hiatus, quem eruditorum conatus nondum explevere. *Quare*, inquit Norisius a), *alius inter utrumque praeses Syriae ponendus est, quem Iosephus non nominavit, ac nobis nusquam ex aliis scriptoribus indicatur.* Hunc definiunt numi praesentes nempe Saturninum, addito ad tollendum ambiguum, ne gentis Sentiae, ut alter, putaretur, ΟΥΟΛΟ., quod est pro ΟΥΟΛΟΥΣΙΟΥ. Plures fuere prima imperatorum aetate Volusii cognomento Saturnini, quos vide in Glandorpio. L. Volusium Saturninum bis memorat Plinius b). Quem numus indicat, videtur esse is L. Volusius, quem Tacitus refert V. C. 773 mortuum, qui veteris familiae consulatum primus intulit, subinde censor, et opum, quibus domus illa immensum viguit, primus adcumulator c). Idem L. Volusius Saturninus legitur etiam in numo Achullae Byzacenes.

§. VII.

Caput Iovis. Ӿ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. *Aries saliens et astrum respiciens, annus* ΒΜ. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Iovis. Ӿ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. *Aries saliens et astrum respiciens, anni* ΒΜ. ΓΜ. ΔΜ. AE. III. (Morelli in fam. Iunia.)

ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput Tiberii nudum* Ӿ Α. ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *anni:* ΓΜ. ΔΜ. ΕΜ. ΖΜ. *omnia intra coronam.* AE. II. (Morelli impp. in Tiber. et in fam. Iunia.)

Eadem adversa. Ӿ Γ. ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *vel* ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. *annus* ΖΜ. *omnia intra coronam.* AE. II. (Vaill. num. Graec. p. 8. 9. Noris ep. Syrom.)

Annos his inscriptos numis ducendos ab aera Actiaca V. C. 723., dubitari nequit, nam ducti a Caesariana V. C. 705. non inciderent in tempora, quibus aut Silanus Syriae, aut Tiberius imperio praefuere. Sed enim neque omnes hi anni possunt cum aera Actiaca componi, et quidem ΓΜ. et ΔΜ., qui teste Morellio reperiuntur in numis Tiberii jam ΣΕΒΑΣΤΟΥ. titulo praediti. Annus ΔΜ. deductus a principio anni V. C. 723 coepit mense Septembri 766, et exivit eodem mense 767, sed toto adhuc illo anno Antiocheno demptis paucis diebus superfuit adhuc Augustus, mortuus denique XIX. Augusti V. C. 767. Qua ergo ratione la-

a) Cenot. Pis. diss. II. c. 16. §. 11. b) L VII. §. 12. et 49. c) Ann. III. 30.

bente hoc anno Antiochiae signari potuere numi nomine Tiberii jam Augusti? Si calculo huic repugnat annus ΔM., multo magis repugnabit annus ΓM. Havercampus in utrumque hunc Morellii numum commentatus difficultatem intactam reliquit, credo, quia nodus non erat vindice dignus. At eum sic expedire tentat Magnanus [a]). *Tiberius*, inquit, *in nonnullis Augustus appellatur etiam ante ipsius Octaviani Augusti mortem*, *ob scilicet aequalem omnino potestatem*, *quam a senatu postulante patre ejus teste Vellejo in Syria omnibusque provinciis obtinuerat anno Romano* 765. Haec cum scripserat vir eruditus, an satis videtur expendisse naturam tituli Augustei, ac praecipue qua is fuit vivente adhuc Augusto? Nolo lectorem refutanda hac sententia longius morari, cum magis videatur verisimile, utrumque numum Morellianum esse mendacem. Enimvero antequam explicare numum ordiar, quem certae antiquitatis scientiae manifeste video repugnare, primas meas partes puto, de numi antiquitate, et vera ejus lectione esse securum, atque istud confidenter monere lectorem, ne irreverenter videar ac velut per lusum gravissima vetustatis dogmata velle evertere. Quas, ut ajebam, primas meas partes puto, eas multis fuisse postremas, nimio certum, quibus gravius saepe piaculum visum, Goltzii aut Mediobarbi fidem et adcurationem in dubium vocare, quam omnem veterem historiam et chronologiam tot undique monumentis confirmatam loco movere. Quae non monstra parturivit vel unus Mazzolenus vir eruditus sane ac perspicax, sed hoc uno forte culpandus, quod in nullo numo, quem alieni catalogi obtulere, aut νοθειαν, aut occultum vitium est suspicatus? At numi, de quibus agimus, capti sunt ex operibus Morellii, viri si quis alius, adcurati ac fide digni. Novi praestantis viri merita, sed numos, quos ediderat, omnes esse rite promulgatos qui volet adserere, illi ego justum eorum, ac praecipue Graecorum, numerum possem repraesentare, in quibus describendis graviter offenderat. Quod si quis vicinum exemplum desiderat, is quaeso postremum Silani numum in eadem Tiberii tabula inspiciat, qui praeclarum nobis, si superis placet, epochae annum ΞM. offert. Et vero promulgandis epochae annis tanto pronius peccatum, quod, seu Γ legas, seu E, istud inscriptionis sensum non turbat, atque error tum primum deprehenditur, cum calculus subducitur. Multa etiam in iconismis deprehendi errata, sed quae non Morellio, sed chalcographo imputes, quae sane omnia abstersurus erat vir insignis, si per fortunam magis propitiam, ac deinde etiam valetudinem licuisset edere commentarios, quos in collectos a se numos paraverat. Haec cum maxime apud animum reputarem, e re visum, causae arbitrium Gothae Saxoniae permittere, in cujus locuplete museo, olim Schwarzburgico, servari numum Silani cum anno ΓM. adpositus a Morellio leo monet. Consultus a me amicissimus et mea laude major Schlaegerus rescripsit: numum ΓM. non modo non exi-

a) Probl. de ann. Chr. p. 125.

stere in Museo Gothano, sed secundum veteres ejus catalogos in illo ne quidem exstitisse unquam; qui ibi exstat, praeferre annum EM. jam alias satis cognitum. Me igitur judice ex catalogo numorum Tiberii expungentur ii, qui cum titulo ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. conjungunt annos ΓΜ. ΔΜ. et primus, quem in syllabum recipiemus, erit annus EM. incipiens in Septembri V. C. 767, quo ipso tempore Tiberius et imperium adiit, et ΣΕΒΑΣΤΟΥ titulum suscepit. Et vero peccatum a Morellio tanto certius licet suspicari, quod utrumque numum cum praetensis his annis in nullo alio catalogo reperire licuit, commemoratis solum annis EM. ZM.

Iudicium meum eximie confirmatur litteris A et Γ, quae in Tiberii numis inscriptioni partis aversae praefiguntur. Norisius cum videret, litteram A sociari cum anno EM., qui fuit Tiberii primus, et litteram Γ cum anno ZM., qui fuit Tiberii tertius, adfirmare non dubitavit, A et Γ notare annos imperii [a]), et poterat istud adfirmare, cum numi, in quibus A sociatur cum annis ΓΜ. et ΔΜ., usque ad praeconem Morellium omnibus essent ignoti. At enim istud profecto miramur, qua ratione Havercampus et hos potuerit Morellii numos, et una sententiam Norisii de annis imperii adprobare, cum tamen numi hi, si veri sunt, Norisii systema prorsus evertant [b]). Istud etiam miratus Mazzolenus, bonumque et ambidexterum Havercampum compellans, *rem*, inquit, *omnibus eruditis gratam fecisset, si explicasset, quomodo primus annus Tiberii cum annis* 43. 44. 45. *Antiochensium componi potuerit* [c]). Ergo cum Morellii numos veraces agnoverint Mazzolenus, et serius Magnanus [d]), non poterant sententiae Norisii non adversari. At facile cum Norisio convenit mihi, qui numos Morellii, litteram A cum annis ΓΜ. et ΔΜ. sociantes in censum non recipio, atque etiam cum Vaillantio idem sentiente [e]), quam nostram sententiam juvat etiam primum, quod in autonomis, quos descripsi, Silani numis nulla adhuc littera additur, at cum ventum est ad annum EM., qui fuit primus Tiberii, adstituitur A, et aequo deinde, intervallo jungitur Γ cum ZM., deinde ac quidem praecipue, quod in Neronis numis anni imperii cum annis epochae indubitate junguntur, ut videbimus infra §. XIII. Denique cum littera Γ tam in numo Antiochiae, quam Seleuciae jungatur cum anno ZM., apparet, elementum illud indicare aliquid, quod ad utramque urbem aeque pertinuit, quale sane est imperium Tiberii.

ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. in plerisque his numis scriptum. Ex qua gente fuerit hic Syriae rector Silanus, dissident eruditi. Glandorpius, Morellius, Vaillantius eum genti Iuniae inseruerunt, obviis nimirum in hac Silanis. Melius Pighius [f]) et Norisius [g]) genti Caeciliae. Nam fuit V. C. 760. consul Q. Caecilius Metellus Creticus Silanus, quadriennio post regendae Syriae admo-

a) Ep. Syrom. diss. III. c. 7. b) comment. in fam. Morell. p. 225. c) de trib. pot. p. 85. d) probl. de nat. Chr. p. 127. e) num. Graec. p. 8. f) Annal. ad ann. 764. g) Cenot. Pis. diss. II. c. 16. §. 18.

tus, eumque ipsum *Creticum Silanum* constanter appellat Tacitus. Docente numo BM. in Syria jam fuit inter autumnum 764. et autumnum 765. Numi postremum annum habent ZM., qui coepit in autumno V. C. 769. exiturus in autumno 770. Revera ad annum V. C. 770. refert Tacitus [a]), Tiberium, quando Germanicum orienti praefecerat, *demovisse Syria Creticum Silanum per adfinitatem connexum Germanico*, *quia Silani filia Neroni*, *vetustissimo liberorum ejus*, *pacta erat*, *praefecitque Cn. Pisonem etc.* Adeo plerumque belle numi veteres, sed probi et rite lecti cum veterum testimoniis conspirant. Idem hic Silanus memoratur etiam in numis coloniae Beryti Phoenices, scripto: PERM. SILANI.

Ratio arietis salientis dabitur infra §. XVII.

§. VIII. *Aera Caesariana.*

Postposui aeram Caesarianam Actiacae etsi ordine priorem, quod ante tempus, in quo nunc sumus, raro in numis Antiochenis usurpata, saltem quod certo constet, deinceps sola Antiochiae monetam occupat. Dixi, quod certo constet, raro usurpatam; nam ad eam forte exigendi numeri, quos supra §. II. in numis aerae incertae recensui. Hactenus habuimus certam aeram Caesarianam in anno ΔN. sed conjuncto cum anno Actiacae ϛΛ in numo, quem §. III. citavi, ex quo patet, eam etiam tum valuisse, cum maxime Actiacae fuit usus, sed praevaluisse Actiacam imperante Augusto, quod insignem ejus ad Actium victoriam testabatur, et adhuc inter initia Tiberii, ut mox ex numis Silani vidimus. Sed patet etiam ex numis, Caesarianam imperante Tiberio sic Antiochiae stabilitam, ut Actiacam ex moneta extruderet, et deinceps ipsa sola vigeret, et quotiescunque a scriptoribus inferioris aevi aerae Antiochenae fit mentio, sola haec aera Caesariana intelligeretur. Diximus, coepisse V. C. 705, quod et probabitur ex numis. Sed varia martyrum acta vi chronologicorum characterum exigunt pro aerae initio annum V. C. 706. Qua ratione haec conciliari possint, vide in Memoriis Paris. inscript. Tom. XXX. p. 231.

§. IX.

ΤΙΒΕΡΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Tiberii laur.* ☧ ΕΠΙ. ΦΛΑΚΚΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *annus* ΒΠ. *intra coronam.* AE. II. (Morelli fam. Pompon. Mus. Caes. Noris ep. Syrom. p. 141.)

Annus ΒΠ. ductus ab aera Actiaca V. C. 723. responderet anno V. C. 804. qui Tiberii imperium et vitam annis XIV. excedit. Ducendus ergo ab Epocha Caesariana V. C. 705. et ex hac lege signatus numus ab autumno V. C. 786.

Pomponius Flaccus Syriae praeses saepe a Iosepho, Suetonio, Tacito citatur. Suetonius [b]): *quorum alteri* (Flacco) *Syriam continuo dedit.* Factum istud colligit Norisius V. C. 775 [c]). Mortuum in Syria in magistratu tradit Ta-

---

a) Ann. II. c. 43. b) in Tib. c. 42. c) Cenot. Pis. diss. II. c. 16. §. 13.

citus [a]), et quidem V. C. 786. in cujus autumno coepit annus ΒΠ. numo inscriptus, ut diximus. Necesse ergo est, Flaccum paullo post coeptum hunc annum mortuum, quia Tacitus in anni ejus gestis refert: *exin Flacco Pomponio Syriae propraetore defuncto recitantur Caesaris litterae etc.* sed et Tacitus istud memorat in rebus extremo ejus anni gestis. Istud ergo praeclarus hic numus docet, non posse initium epochae Caesarianae differri in annum V. C. 706., nam tum annus numi ΒΠ. ducendus foret ab autumno V. C. 787. Flacco jam anno praecedente Iuliano e vivis erepto. Sed epochae Caesarianae initium multo adhuc luculentius comprobabitur ex numis Muciani sub Galba et Othone Syriae praesidis.

§. X.

IMP. TI. CLAVDIVS. AVG. GER. *Caput Claudii laur.* ✠ ΕΠΙ. ΠΕΤΡΩ-ΝΙΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *annus* q, *intra coronam.* AE. II. (Noris ep. Syrom. p. 152. Morelli in fam. Petron.)

Annus q. nempe 90. coepit in autumno V. C. 794. P. Petronium in Syriam legatum missum a Caligula, testem habemus Iosephum, et quidem judice Norisio V. C. 792 [b]). Duravit in ipsum Claudii imperium teste praeter hunc numum etiam Iosepho, qui recitat litteras ad Dorienses datas, quae incipiunt: *P. Petronius legatus Tiberii Claudii Caesaris.* Vide de Petronio plura apud Norisium [c]).

§. XI.

IMP. TI. CLAVDIVS. AVG. GER. *Caput Claudii laur.* ✠ ΕΠΙ. ΚΑΣΣΙΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ. Δq. *in alio:* ΕΤ. ϛq. *intra coronam.* AE. II. (Morelli in fam. Cass. Noris.)

Anni Δq. et ϛq. 94. et 96. ducendi ab autumno V. C. 798. et 800. Cassius Longinus juris scientia inclytus, qui in Syriae regimine Vibio Marso successit. Veterum de eo testimonia collecta vide apud Norisium. (Cenot. Pis. diss. II. c. 16. §. 13. et ep. Syrom. diss. III. c. 4.)

§. XII.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *Caput muliebre velatum turritum.* ✠ ΕΠΙ. ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ. *Aries saliens lunulam et astrum respicit, infra:* ΕΤ. ΔΡ. — ΕΤ. ΕΡ. — ΕΤ. ϛΡ. — ΕΤ. ΖΡ. — ΕΤ. ΗΡ. AE. III. (Mus. Caes. Harduin, Hunter.)

Ex his annus primus ΔΡ. ducitur ab autumno V. C. 808. postremus ΗΡ. ab autumno 812. qui omnes sunt Neronis. Fuit tamen C. Vmmidius Quadratus jam a Claudio in Syriam missus, nam eum Syriae praesidem jam laudat Tacitus ad annum V. C. 804 [d]). Eundem anno sequente seditionem in Iudaea composuisse refert [e]). Idem serius [f]): *Corbulo in Syriam abscessit morte Vmmidii legati vacuam, ac sibi permissam*, quod factum V. C. 813. Vera et omnia hujus praesidis nomina fuere: *C. Vmmidius Durmius Quadratus*, ut ex antiquo marmo-

a) Ann. VI. c. 27. b) Cenot. Pis. diss. II. c. 16. §. 13. c) l. c. d) Ann. XII. c. 45. e) l. c. c. 54. f) Ann. XIV. c. 26.

re praeclare eruit Norisius, cum in MSS. legeretur *Vinidius*, *Numidius* et aliter a).

§. XIII.

Sequuntur insignia tetradrachma Neronis, quae juvat adcuratius describere.

ΝΕΡΩΝ. - - ΣΕΒ. *Caput Neronis laur.* ✕ ΑΓΡΙΠΠΙΝΗΣ. ΣΕΒΑΣΤΗΣ. *Caput Agrippinae junioris, anni:* Γ/ΕΡ. AR. I. (Morelli impp. in Nerone tab. V. n. 6. Haym. th. Br. T. II. tab. 29.)

ΝΕΡΩΝ. ΚΑΙϹΑΡ. ϹΕΒΑϹΤΟϹ. *Caput laur.* ✕ *Aquila alis expansis fulmini insistit, in area palmae ramus, anni:* Ε/ΗΡ (Noris ep. Syrom. p. 489.) ϛ/ΗΡ (Pellerin Mel. I. p. 178. Morelli l. c.) Ζ/ΘΡ (Mus. Caes.) ΕΤΟΥΣ. ΑΙΡ. Θ. (Mus. Caes.) ΕΤΟΥΣ. ΑΙΡ. Ι. (Cat. d'Ennery.) ΕΤΟΥΣ. ΒΙΡ. Ι. (Mus. Caes.) ΕΤΟΥΣ. ΔΙΡ. (Pellerin l. c.) ΕΤΟΥΣ. ΕΙΡ. ΓΙ. (Morelli l. c.) ΕΤΟΥΣ. ϚΙΡ. (Pellerin l. c.) ΗΙΡ. (Catal. d'Ennery.) sed pro quo verius legendum ΔΙΡ, quoniam chronologiae repugnat.

Numi hi cum annis certis aerae Caesarianae conjungunt annos imperantis Neronis. Coepit hic regnare die XIII. Octobris V. C. 807, quo tempore inde ab initio Septembris currebat annus Antiochenus ΓΡ., qui adeo componitur cum anno Neronis Α, et quod consequitur, annus Antiochenus ΕΡ. cum anno Neronis Γ, et sic deinceps. Annus Antiochenus ΗΡ. compositus cum binis annis Ε et ϛ, ut mox vidimus, legem nostram non turbat, sed stabilit. Nam inde ab ineunte Septembri V. C. 812. quo coepit Antiochiae annus ΗΡ., fuit Nero adhuc in anno V, seu Ε. usque ad diem XIII. sequentis Octobris, quo coepit ejus annus VI, seu ϛ. Igitur per illud intervallum cusus est numus ΗΡ. Ε et deinceps ΗΡ. ϛ. Idem sentiendum de anno ΑΙΡ. composito cum annis Θ et Ι.

Ex his suapte fluit explicatio numi primi, qui Neronem filium cum matre Agrippina conjungit, nimirum littera Γ annum Neronis III. et litteris ΕΡ annum aerae Antiochenae CV indicantibus. Male ergo Haymius, dum ex conjunctis inique tribus his litteris syllabam ΓΕΡ. conficit, iis indicari Aprippinam GER*manici* filiam adserit. Minus ignoscimus Havercampo, qui, cum ex vulgatis a Morellio similibus Neronis numis verum eruere facile posset, ipse quoque, sed aliter peccavit. Placuit enim luculentum Γ in L mutare, et legere L. ΕΡ. *anno* 105 b), derivata nempe in monetarium negligentiae culpa, quae sua fuit.

§. XIV.

IMP. CAESAR. NERO. CLAV. *Caput laur.* ✕ ΕΠΙ. ΚΕΣΤΙΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ. ΔΙΡ. *intra coronam.*

---

a) Ep. Syrom. diss. III. c. 4. b) ad Morellii impp. T. II. p. 76.

AE. II. (Morelli in fam. Cestia.) In alio: ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΚΕCΤΙΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕ. ΕΤΟ. ΕΙΡ. *intra coronam.* AE. II. (Pembrock P. III. tab. 87.)

Annus ΔΙΡ. ducitur ab autumno V. C. 818. Refert Tacitus a), Neronem V. C. 816. ademptam Corbuloni Syriam alteri tradidisse, sed quem libri scripti varie enunciant, *Cinsio*, *Cicio*, etc. sed legendum *Cestio* docet non modo numus praesens, sed et Iosephus, qui circa idem tempus saepius *Cestium Gallum* Syriae legatum memorat. Vide de hoc plura apud Norisium b).

§. XV.

IMP. CAES. AVG. SER. GALBA. *Caput laur.* ✕ ΕΠΙ. ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ. ΖΙΡ. *intra coronam.* AE. II. (Morelli in fam. Licin.)

IMP. M. OTHO. CAE. AVG. *Caput Othonis.* ✕ ΕΠΙ. ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ. ΖΙΡ. *intra coronam.* AE. I. (Theupoli T. II. p. 849.)

Annus ΖΙΡ. ducitur ab autumno V. C. 821, quo labente anno Antiocheno et Galba et Otho caesi. Iam Norisius collato numo praecedente Galbae, et altero Pomponii Flacci, quem §. IX. stitimus, praeclare evicit, aeram Caesarianam coepisse in Autumno V. C. 705. Quod praestitere numi duo, praestat solus numus Othonis. Nam cum Otho adiverit imperium XV. Ianuarii V. C. 822., caesusque sit post tres menses, necesse est, annum Antiochenum ΖΙΡ., qui est in numo Othonis, ducendum ab autumno praecedente V. C. 821., a quo si auferamus annos completos 116., erimus in autumno V. C. 705. P. Licinii Muciani, qui in Syriae regimine Cestio Gallo successit, et Vespasiano princeps auctor exstitit imperium Vitellio extorquendi, frequens mentio apud Tacitum, aliosque.

§. XVI.

- - - - IMP. PON. - - - *Caput Titi laureatum.* ✕ ΕΠΙ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ. ΕΚΡ. *intra coronam.* AE. (Spanheim T. II. p. 329. Pembrock Part. III. tab. 87.)

Perperam is, qui museum Pembrockianum edidit, caput anticae esse Domitiani sanxit, in quo errore serius fuit etiam Belleyus c). V. C. 829., quo anno hic numus cusus, Domitianus nondum imperatoris titulo insignis fuit, sed imperator jam fuit Titus inde ab anno V. C. 824. Trajanus hujus numi pater est ejus Trajani, qui subinde Augustus dictus est, quem propraetore rexisse Syriam, quod scriptoribus omnibus indictum, ex illustri hoc cimelio discimus. Sed de Trajano patre, quem mortuum Augusti filii pietas in superos retulit, et monetae honore adfecit, agam latius in numis Trajani Romanis.

§. XVII.

Autonomi reliqui aera Caesariana insignes.

Citatus mox Titi numus postremus est imperatorius epochae anno notatus. At deinceps adhuc copiosos habemus

a) Ann. XV. c. 25. b) Cenot. Pis. diss. II. c. 16. §. 13. c) Mem. B. L. Tom. XXX. p. 271.

autonomos aerae Caesarianae annis insignes, quos nunc ordine enumerabo, non magna chronologiae perturbatione, nam vetustissimi, quos dabimus, non multis ante Vespasianum annis signati sunt, quo imperante cusus est, quem dixi, Titi numus.

Caput muliebre laureatum. ☧ ANTIOXEΩN. *Lauri ramus, annus* ΔP. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput muliebre laureatum. ☧ ANTIOXE. *Lyra*, ET. HP. AE. III. (Mus. Caes.)

ANTIOXEΩN. *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ *Ara luculenta*, ET. HP. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput muliebre laureatum. ☧ ANTIOXE. *Lyra.* ET. ΔIP. AE. III. (Mus. Caes.)

ANTIOXEΩN. *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ *Ara luculenta*, ET. ΔIP. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput muliebre laureatum. ☧ ANTIOXE, *Lauri ramus:* ET. EIP. ET. ZIP. AE. III. (Hunter.)

ANTIOXEΩN. *Caput Iovis* ☧ *Mulier sedens d. calculum in adstitutum vas mittit*, ETO. EIP. HIP. AE. III. (Mus. Caes. Theupoli.)

ANTIOXEΩN. *Caput juvenile laur.* ☧ *Caduceus*, ETO. EIP, *in area* A. *vel* Γ. AE. III. (Pellerin.)

ANTIOXEΩN. *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ *Ara luculenta*, ET. EKP. ϛKP. ZKP. AE. III. (Mus. Caes. Beger.)

ANTIOXEΩN. MHTPOΠ. *Caput juvenile laur.* ☧ *Lauri ramus*, ETOYC. ZOP. *in area* B *vel* Γ. AE. III. (Mus. Caes. Hunter.)

ANTIOXEΩN. MHTPO. *Caput muliebre* ☧ *Lyra*, ETO. ZOP. *superne* A. B. Γ. AE. III. (Mus. Caes. Hunter.)

ANTIOXEΩN. MHTPOΠOΛEΩΣ. *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ *Aries saliens et astrum cum luna respiciens*, ET. ZOP. *per aream* A. B. Γ. AE. III. (ibid.)

ANTIOXEΩN. THC. MHTPOΠOΛEωC. *Caput Iovis* ☧ *Mulier sedens d. calculum in adstitutum vas mittit*, ET. ZOP. *in area* B. AE. III. (Hunter.)

ANTIOXEΩN. THC. MHTPOΠOΛEΩC. *Caput muliebre velatum turritum* ☧ *Ara luculenta*, ET. ZOP, *in area* B. AE. III. (Hunter.)

ANTIOXEΩN. T. MH. *Caput juvenile laureatum* ☧ *Caduceus* ET. ϙP. *in area* Θ. AE. III. (Mus. Caes.)

ANTIOXEΩN. - - - *Caput muliebre velat. turrit.* ☧ *Aries saliens et astrum lunamque respiciens*, ET. ΔϙP. EϙP. *in area* Γ. AE. III. (Pellerin Hunter.)

ANTIOXEΩN. THC. MHTPOΠOΛEΩC. *Caput muliebre velat. turritum* ☧ *Ara luculenta*, ETO. ΔϙP. EϙP. *in area* B. AE. III. (Hunter.)

ANTIOXEΩN. - - - *Caput juvenile laur.* ☧ *Lyra*, ETOYC. ΔϙP. *superne* A. AE. IV. (Mus. Caes.)

ANTIOXEΩN. MHTPOΠOΛEΩC. *Caput juvenile laur.* ☧ *Lauri ramus*, ETOYC. ΔϙP. ЄϙP. *area* Θ. AE. III. (Hunter.)

ANTIOXEΩN. - - - *Cap. mul. velat. turr.* ☧ *Aries saliens et lunam astrumque respiciens.* ЄTOYC. ZC. *in area ramus lauri*, *vel* ET. ZC. *in area* A. AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

ANTIOXEΩN. MHTPOΠOΛ. *Caput juvenile laur.* ☧ *Lauri ramus*, ETOYC. BIC. *in area* BA. AE. III. (Hunter.)

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *Caput Apollinis laur.* ✕ *Caduceus.* ЄΤΟΥϹ. ϛΚϹ. AE. III. (Sestini.)

Ex autonomis hic descriptis numus primus ΔΡ. cadit in annum V. C. 808. qui fuit secundus Neronis, postremus ϛΚϹ. in annum V. C. 930., qui fuit decimus septimus M. Aurelii. Fuere, qui adpositas litteras solitarias A. B. Γ. Θ. alterius cujuspiam esse epochae annos putaverunt, sed fuisse vanam conjecturam, ipse hic catalogus luculente comprobat, in quo videmus, easdem litteras diversis annis adplicari. Similes etiam litteras habemus in numis Caesareae Germaniciae, Zeugmatis, Beroeae, Cyrrhi, Hieropolis, Chalcidis, Emisae, aliarumque ejus tractus urbium, item ab A usque ad Θ, rarius ultra, nondum explorato, quod hactenus norimus, earum sensu. In aliquibus tamen eas notare annos imperii, vidimus supra in numis Silani, et Neronis. Similes litteras seorsim positas habent etiam numi Antiochiae nostrae, quos capite II. et III. dabimus.

Ad typos quod attinet, ii, quos exhibent partes anticae, commemorari amplius non merentur. De aversis pauca.

Lyra, lauri ramus. Haec ex Apollinis penu cognita. De ejus dei apud Antiochiam cultu jam egi supra §. I. quo loco dixi, lucum juxta situm a Seleuco conditore dicatum Apollini et a lauro *Daphnen* appellatum. Nomen causam dedit Antiochenis, ut quae poetae de Daphne Ladonis Arcadiae fluvii filia in laurum mutata fabulati sunt, apud se accidisse putarent, ac propterea laurum arborem plurimum observarent, ut apud Philostratum testatur Apollonius [a]), ex Arriano Eustathius [b]), et Libanius [c]). Hinc etiam, observante jam Norisio, ab Ausonio dicitur *Phoebeae lauri domus Antiochia* [d]). Ob hanc causam lauri ramus in his numis frequens.

Ara luculenta. Est haec ara Iovis Bottiaei, quam ab Alexandro M. eo loco, quo postea condita Antiochia, statutam supra diximus §. I. Non absimilis formae aram dant numi Mopsi Ciliciae.

Mulier sedens in adstitutam urnam calculum mittit. Similem typum habemus in numis Anazarbi et Tarsi Ciliciae urbium, quem explicat addita horum nonnullis vox ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ, *commune consilium.*

Aries saliens et lunam astrumque respiciens. Hujus typi explicationem jam ex praecedentibus numis cogniti huc distuli. Esse astrologicum, colligimus ex Manilio, qui, quo loco tributas singulis zodiaci signis regiones enumerat, haec de ariete [e]):

Illum etiam venerata colit vicina Propontis,
Et SYRIAE gentes, et laxo Persis amictu.

Atque ne dubitari possit, Antiochenum hunc arietem esse ex zodiaco petitum, adhiberi possunt testes numi et gemmae, qui cum zodiacum expressum offerunt, plerumque arietem respicientem exhibent. At vero constat etiam, quam eximie a veteribus observatum fuerit

a) Vit. Apollon. L. I. c. 16. b) ad Dion. Per. v. 916. c) in Antiochico. d) Carm. 287. e) astron. L IV. v. 747.

sidus et occulti miranda potentia fati, ut ait Iuvenalis [a]), et quanta illi vis inesse credita. Quare toties in numis effictus zodiacus, aut ejus singulae partes, ut capricornus in numis Augusti, scorpius in numis Commagenes, libra in numis Palmyrae et Pythodoridos Ponti reginae, capricornus iterum in numis Commagenes et Zeugmatis, aries in numis Cyrrhi, sagittarius in numis Rhesaenae et Singarorum, leo in numis Mileti, quibus adde copiosos Alexandrinos Aegypti imperante Antonino Pio signatos, quos eleganter explicat Barthelemyus, quem cumprimis consule [b]). At praecipue huc faciunt numi Mileti, in quibus excubans leo perinde ac aries in Antiochenis solem respicit, nimirum ut appareat, haec animalia esse coelestia, et a zodiaco ducta, quem sol et luna pervadunt. Eadem haec superstitio multo etiam serius Arabas occupavit, nam ut alibi ex Abulpharago notat Barthelemyus [c]), Gaiatheddinus Iconii Sultanus mortuus anno post Christum 1244. solem leoni imminentem in moneta exprimendum curavit, sole uxoris vicem propter pulchritudinem, leone suam Sultani obeunte, quod ejus leo horoscopus esset. Noti numi Indici aurei atque argentei dicti Gallis *roupies*, cusi a sultano Gehan-Ghir Indiae rege, quorum singuli aliquod zodiaci signum sistunt [d]).

Haec de typis, qui sunt in id genus numis autonomis, observanda visa, ad quos notandum adhuc, eos sic exstare in numis aliarum quoque urbium, ut haec concordia non casui, sed proposito videatur tribuenda, praecipue cum utrorumque etiam tempora, quibus signati sunt, congruant. En nonnulla exempla:

Typus mulieris sedentis et calculum in urnam mittentis exstat etiam in numo Anazarbi Ciliciae addito anno HM. qui ut in hujus urbis moneta docetur, cadit in annum V. C. 820. In Antiocheno ad similem typum additur annus EIP., qui est V. C. 819.

Typi lyrae et arae eadem omnino forma, qua in Antiochenis, sunt in numis Hieropolis Cyrrhesticae cum annis aerae Seleucidarum ZMΥ. ZNΥ. AOΥ. additis etiam litteris solitariis A. et Γ. Cadunt hi anni in annos V. C. 888. 898. 912., quo tempore similes typi apud Antiochenos valuere. Et ne quid in his ad perfectam concordiam desit, eadem utrobique sunt anticae capita, idem etiam numorum modulus, adeo ut hos Hieropolitanorum numos, nisi vetaret epigraphe ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ, nullo erroris metu Antiochenos putares. Confer numos similes, qui sunt apud Pellerinium Recueil T. II. tab. LXXVIII.

Eodem modo Samosateni Commagenes caduceum, Beroeenses vicinae Cyrrhesticae lauri ramum insculpserunt numis Hadriani et Antonini aetate signatis, qui tamen in numis aliis proprios suos ac domesticos habuere typos et fabricam.

Cum ergo haec typorum et fabricae concordia invicte comprobet, utrosque numos uno eodemque tempore lucem vidisse, atque de hoc nobis per aeram Seleucidarum, quae Hieropolis numis

---

a) Sat. VII. v. 199. b) B. L. Tom. XLI. p. 501. c) B. L. T. XXVI. p. 568.
d) Barthelemy ibid. p. 574.

inscribitur, certo constet, evidens est etiam, annos qP. EqP. et similes, qui sunt in numis Antiochenis cum his typis, non posse duci ab aera Seleucidarum, quod aliqui opinati sunt, quia tum similium numorum aetas, quos typi et fabrica sociant, nimium divergeret. De eadem hac numorum concordia agitur etiam in moneta Hieropolis.

* * *

Caput muliebre. Ӿ ΧΑΛ. ΕΤΟΤΣ. ΔΙΡ. *Pharetra et arcus.* AE. III. (Pellerin Lettre II. tab. IV. n. 2.)

Caput laureatum, forte Neronis. Ӿ ΧΑΛΚΟΤΣ. ΔΙΡ. *Pharetra et arcus.* AE. III. (Hunter tab. 68.)

Caput muliebre. Ӿ ΧΑΛΚΟΤΣ. *Pharetra et arcus.* AE. III. (Hunter l. c.)

ET. ϚK. (26.) *Ancora.* Ӿ ΧΑΛΚΟΤΣ. *scriptum in orbem nullo alio typo.* AE. III. (Hunter l. c.)

Numum ex citatis primum cum ederet Pellerinius, non irritus fuit augur, cum ex fabrica et epochae modo divinaret, esse eum operis Antiocheni, το ΧΑΛ. vero non indicare urbem quampiam ab his litteris incipientem, sed esse litteras ἀρχαικαις vocis ΧΑΛΚΟΤΣ, qua indicatur modica moneta aenea, cujus valor apud auctores varius proditur. Pellerinii conjecturam praeclare confirmant sequentes Hunteriani, in quibus ea vox integre scripta comparet, neque etiam dubitem, numos tres priores in Antiochena moneta putandos. At non idem mihi judicium de quarto. Ancorae typus ab Antiochia alienis, et annus ϚK. cum praecedente ΔΙΡ. collatus nimium deficit. Forte verius hic numus pertinet ad Commagenos Antiochiae vicinos, quibus familiaris ancora et forte annus ϛK. ducendus ab anno V. C. 824, a quo Samosateni ejusdem Commagenes annos suos duxere, quod circa id tempus Commagene pulsis regibus Romano imperio adjecta fuit.

Haec satis certa, et expedita sunt visa, cum serius viderem, iis adversari cl. Sestinium, existimantem, vocabulo ΧΑΛΚΟΤΣ indicari potius magistratum, non qualitatem monetae. Causa illi, cur hanc improbet, est, quia secus ea valoris vox scripta fuisset in recto, scilicet ΧΑΛΚΟΝ, non vero ΧΑΛΚΟΤΣ, nimirum ut in aliis numis legitur semper in recto ΔΙΧΑΛΚΟΝ, ΑΣΣΑΡΙΟΝ, ΑΣΣΑΡΙΑ. Haec vir eruditus [a]). At vero hoc ille pacto cum disputat, factum, ut suae ipsus causae pessime provideret. Etenim si monetarius nolebat numo inscribere ΧΑΛΚΟΝ, istud fecit propterea, quia ex linguae Graecae praeceptis probe intellexit, χαλκον in recto vocabulum Graecum non esse, sed pro hoc in recto vel dici χαλκος, vel χαλκους. Vocabulum χαλκος notum est ex scriptoribus, minutae monetae aeneae genus. Vocabulum χαλκους stabilit Pausanias agens de Pharaeorum νομισματι ἐπιχωριῳ, *moneta domestica* [b]), καλειται δε, inquit, χαλκους το νομισμα, *numus vero hic vocatur chalcus.* Videtur ergo Sestinius ex composito ΔΙΧΑΛΚΟΝ ducere velle primitivum ΧΑΛΚΟΝ, at tum etiam dicere oportebit δραχμον, non δραχμα, quia hujus compositum est διδραχμον. Neque vero etiam monetarius probe Graecus

a) Lettere T. I. p. 53. b) L. VII. c. 22.

scribendo ΧΑΛΚΟΥΣ casum intelligi obliquum voluit, sed omnino rectum; nam noverat, χαλκους esse contractum ex recto χαλκεος. Nisi ergo certius quid, solidiusque adferat vir eruditus, jure statuemus, verbo ΧΑΛΚΟΥΣ indicari numum, qui Graecis *Chalcus* dictus fuit.

CAPVT II.

De numis imperatoriis argenteis sine epocha.

Est haec numorum classis una ex nobilioribus, quas offert scientia numismatica, et digna sane urbe orientis principe. Nobilitatem faciunt non tantum metallum et volumen, sed etiam quod in tertium saeculum porrigitur, minus interrupta, quam plerumque hactenus creditum, quod hoc tentamine adcuratius, quam antehac factum, me comprobaturum spero. Quod ut facilius persuadeam, necesse est, numos complures jam supra causa epochae descriptos rursum, sed contractius describere. Sunt hi numi tetradrachma omnes, et argenti probissimi inde ab Augusto usque ad Severum, quo imperante meritum istud deficit admixta majore aeris parte, sic tamen, ut deinceps quoque reperias aliquos, qui prioribus argenti nitore non concedunt, quales sunt in museo Caesareo nonnulli Philipporum et Treboniani. Paucissimi sunt qui toti aerei videntur, et forte sunt.

Augustus.

1) ΕΤΟΥΣ. ϚΚ. etc. ΝΙΚΗΣ. ΥΠΑ. ΙΒ. etc. *Mulier turrita rupi insidens d. palmae ramum, infra fluvius emergens.* AR. I.

2) ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. cum annis ϚΛ. ΔΝ. *Idem typus.* AR. I.

De his numis actum capite I. §. III. in aera Actiaca, quam inscriptam offerunt.

Tiberius, Caligula, Claudius.

Amplus his imperantibus hiatus, quem solicita antiquariorum contentio nondum explevit.

Nero.

Hoc imperante haec numorum classis majore cum copia et incrementis reviviscit. Eorum modus est:

3) ΕΤΟΥΣ. ΑΙΡ. Θ. *vel* ΕΙΡ. ΓΙ. *vel similiter. Aquila expansis alis fulmini insistens, in area palmae ramus.* AR. I.

Hos numos recitavimus capite I. §. XIII. inter eos, qui aeram Caesarianam exhibent, ex qua ducuntur numeri majores ΑΙΡ. etc. at minores Θ, ΓΙ etc. sunt anni imperantis Neronis.

Deinceps anni epochae hanc classem destituunt retentis solis annis imperantium, qui per sequentes principes variis modis enunciantur, sed quos inde a Trajano mentio tribuniciae potestatis et consulatuum excipit.

Inde a Nerone aquila stans expansis alis addito palmae ramo hujus classis monetam occupat, quod utrumque deinceps, paucis demptis, ejus criterium constituit, ut dicetur.

Galba.

4) ΓΑΛΒΑΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput laur., in area astrum.* ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Α. *in alio* Β. *Aquila alis expansis fulmini insistit, juxta palmae ramus.* AR. I. (Belley Mem. B. L. T. XIX. p. 470.)

Otho.

5) ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΟΘΩΝ. ΚΑΙCΑΡ. CΕΒΑCΤΟC. *Caput laur.* ΕΤΟΥC. Α. *Aquila stans coronam rostro stringit, in area palmae ramus.* AR. I. (Seguin. Mus. Albani.)

Vitellius.

Ejus numi Antiocheni non exstant, cum Syria in his belli civilis turbidis Othoni adhaeserit.

Vespasianus.

6) ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. *Caput laur.* ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Α. *Aquila expansis alis clavae insistens, juxta palmae ramus.* AR. I. (Belley l. c.)

7) ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. vel: ΟΥΕCΠΑCΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. CΕΒΑCΤΟC. *Caput laur.* ΕΤΟΥΣ. ΙΕΡΟΥ. Β. vel: ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Β. *Typus similis.* AR. I. (Belley l. c.)

8) ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. *Caput laureatum, infra aquila expansis alis.* ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Β. — Τ. ΦΛΑΥΙ. ΟΥΕΣΠ. ΚΑΙΣ. *Caput Titi laureatum.* AR. I. (Belley l. c. Pellerin Mel. I. tab. 7. n. 7.)

9) ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. *Caput laur.* ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Γ. *Aquila expansis alis clavae insistens, juxta palmae ramus.* (Belley l. c.)

10) ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝ. *Caput laur.* ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Δ. — ΦΛΑΥΙ. ΟΥΕΣΠ. ΚΑΙΣ. *Caput Titi laur.* AR. I. (Pellerin Mel. I. tab. 7. n. 8.)

11) ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. *Caput laur.* ΕΤΟΥC. Δ. ΙΕΡΟΥ. *Aquila expansis alis clavae insistit, juxta palmae ramus.* AR. I. (Belley. l. c.)

12) ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΟΥΕCΠΑCΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑ. CΕΒΑ. *Caput laur.* ΕΤΟΥC. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Δ. *in alio:* Ε. *Aquila alis expansis rostro caduceum gerit, et insistit basi, ex qua una vel duae spicae adsurgunt.* AR. I. (Belley, Pellerin ll. cc.)

Videtur uterque auctor pro spicis habuisse, quae verius sunt palmae rami. Sane adcuratus Morellius in simili suo promicantem palmae ramum vidit [a]), et palmae rami sunt etiam in sequentibus similibus et integerrimis.

13) IMP. CAESAR. AVG. VESPASIANVS. *Caput laur.* COV. ΝΕΡΟΥΔ. *Aquila expansis alis basi insistens rostro caduceum stringit, pro pedibus hinc et inde palmae ramus promicans.* AR. incertae formae (Sylloge nu-

a) In num. Vespas. tab. VII. n. 6.

mism. ant. Londini 1708. pag. 37.) AE. III. (Mus. Caes. editus in mea Sylloge I. num. vet. pag. 78.)

Titus.

14) ΤΙΤΟC. ΟΥΕCΠΑCΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. CΕΒΑCΤΟC. *Caput laur.*
ΕΤΟΥC. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Β. *Aquila stans expansis alis, juxta palmae ramus.* AR. I. (Belley l. c.) In alio praeterea: *Aquila insistit coxae bovis.* (Sestini.)

Domitianus.

15) ΑΥΤ. ΚΑΙCΑΡ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. CΕΒ. *addito serius* ΓΕΡΜ. *Caput laur.*
ΕΤΟΥC. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Β. Η. Θ. ΕΝΑΤΟΥ. ΕΝΔΕΚΑΤΟΥ. *Aquila expansis alis fulmini insistit, juxta palmae ramus.* AR. I. (Belley l. c.)

Nerva.

16) ΑΥΤ. ΝΕΡΟΥΑΣ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. *Caput laur.*
ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Α. *vel* Β. *Aquila fulmini insistens, juxta palmae ramus.* AR. I. (Belley l. c.)

Trajanus.

17) ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙC. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟC. CΕΒ. ΓΕΡΜ. *Caput laur.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. Β. *vel* Γ. *Caput Herculis laureatum.* AR. I. (Vaill. (Mus. Caes.)

18) ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙC. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟC. CΕΒ. ΓΕΡΜ. *Caput laur.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. Ε. *Aquila clavae insistens, juxta lauri ramus.* AR. I. (Mus. Caes.)

19) *Eadem epigraphe. Caput laur., infra aquila et clava.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΙΔ. ΥΠΑΤ. — in alio: ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΙΕ. ΥΠΑΤ. Ε. *Mulier velata et turrita rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens.* AR. I. (Mus. Caes. Khell Supplem.)

20) *Eadem epigraphe. Caput laur., infra aquila et clava.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΙΕ. ΥΠΑΤ. Ε. *Caput Herculis laur.* AR. I. (Mus. Caes.)

21) *Eadem epigraphe. Caput laur.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΙΕ. ΥΠΑΤ. Ε. *Aquila clavae insistens, juxta palmae ramus.* AR. I. (Mus. Caes.)

22) *Eadem epigraphe. Caput laur., infra aquila et clava.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΙϚ. ΥΠΑΤ. Ϛ. *Caput Herculis laur.* AR. I. (Mus. Caes.)

23) *Eadem epigraphe. Caput laur., infra aquila et clava.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΙΖ. ΥΠΑΤ. Ϛ. *Caput Herculis laur.* AR. I. (Mus. Caes.)

24) *Eadem epigraphe. Caput laur.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΙΖ. ΥΠΑΤ. Ϛ. *Aquila clavae insistens, juxta palmae ramus.* AR. I. (Mus. Caes.)

25) ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙC. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟC. ΑΡΙCΤ. CΕΒ. ΓΕΡΜ. ΔΑΚ. *Caput laur., infra aquila et clava.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΙΗ. ΥΠΑΤ. Ϛ. *Caput Herculis laur.* AR. I. (Noris ep. Syrom. p. 246.)

26) ΑΥΤ. ΚΑΙC. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟC. ΑΡΙ. CΕΒ. ΓΕΡΜ. ΔΑΚ. ΠΑΡΘ. *Caput laur., infra aquila et clava.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΚΑ. ΥΠΑΤ. Ϛ. *Caput Herculis laur.* AR. I. (Mus. Caes.)

27) *Eadem epigraphe. Caput laur.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΚΑ. ΥΠΑΤ. ς. *Aquila clavae insistens, juxta palmae ramus.* AR. I. (Pellerin Mel. I. p. 184.)

De memorata in his numis trib. potestate XXI., quam Trajanus nunquam inivit, agemus in numis hujus Augusti.

Hadrianus.

28) ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΘΕου. ΤΡΑιανȣ. ΠΑΡΘικȣ. ΥΙΟC. ΝΕΡουα. ΥΙωνος. ΤΡΑΙ. ΑΔΡΙΑΝΟC. CΕΒ. *Caput laur.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. Β. *Aquila coxae ignoti animalis insistens.* AR. I. (Pembrock Part. III. tab. 41.)

Antoninus Pius, M. Aurelius, L. Verus.

Horum numi, qui ad hanc classem pertinerent, mihi hactenus comperti non sunt.

Commodus.

29) ΑΥΤ. ΚΑΙC. ΚΟΜΜΟΔΟC. CΕΒ. *Caput imberbe laur.*
ΓΕΡ. CΑΡ. ΔΗΜ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. Β. *Mulier turrita rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens.* (Mus. Albani.)

Pescennius.

30) ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙCΑΡ. Γ. ΠΕCΚΕ. ΝΙΓΡΩ. Δ. *Caput laur.*
ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘΕΩΝ. *Aquila expansis alis clavae insistens.* AR. I. (Vaillant.)

Severus.

31) ΑΥΤ. ΚΑΙ. CΕΥΗΡΟC. CΕ. *Caput laur.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤΟ. Γ. *Aquila rostro coronam stringens insistit coxae animalis.* AR. I. (Pellerin l. c. Mus. Albani.)

32) *Eadem adversa.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤΟC. ΤΟ. Ε. *Aquila rostro coronam stringens, intra crura astrum.* AR. I. (Mus. Caes.)

Caracalla.

33) ΑΥΤ. Κ. Μ. Α. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. CΕΒ. *Caput laur.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤΟ. *vel* ΥΠΑΤΟC. ΤΟ. *nullo addito numero, vel:* ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤΟC. ΤΟ. Β. *vel:* ΥΠΑΤΟ. Δ. *vel:* ΥΠΑΤΟC. ΤΟ. Δ. *Aquila rostro coronam stringens, et vel simpliciter stans, vel fulmini, clavae, spicae insistens, intra crura vel est caput solis, vel lunula, in area nonnunquam littera* Α *vel* Δ. (Mus. Caes. Albani.)

Geta.

34) ΚΑΙCΑΡ. ΓΕΤΑC. *Caput nudum.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤΟC. Γ. *Aquila rostro coronam stringens, inter crura astrum.* AR. I. (Pembrock P. III. tab. 41.)
Aversa ad patrem Severum pertinet.

Macrinus.

35) ΑΥΤ. Κ. Μ. ΟΠ. CΕ. ΜΑΚΡΕΙΝΟC. CΕΒ. *Caput laur.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤΟC. *addito in*

aliis Π. Π. *Aquila rostro coronam stringens, inter cujus crura astrum, vel caput bovis, vel aliud, in nonnullorum area* Δ. E. AR. I. (Mus. Caes.)

36) In aliis:

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΤΠΑΤΟ. Γ. (Mus. Caes. Vaill.)

In his numis consulatus III. fallit, ut dicetur in numis Latinis Macrini. Vide et sequentem Diadumeniani.

Diadumenianus.

37) M. ΟΠ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. ΚΑ--- *Caput nudum.*

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΤΠΑΤΟC. ΤΟ. Δ. *Aquila rostro coronam stringens.* AR. I. (Mus. Caes.)

De subreptitio hoc Diadumeniani consulatu IV. agam in numis Latinis hujus Caesaris. Istud certum, totam hujus aversam ad Caracallam pertinere.

Elagabalus.

Hujus numi singulare nihil offerant, nisi quod plerumque in area legitur Δ. E. (Mus. Caes.)

Alexander, Maximinus.

Horum numi hujus argumenti nondum se mihi obtulere.

Gordianus III.

38) ΑΤΤΟΚ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. CEB. *Caput laur.*

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΤΠΑΤΟC. *vel* ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΤΠΑΤΟ. Β. *Aquila rostro coronam stringens, intra crura aries saliens et respiciens lunulam, vel caput solis radiatum.* AR. I. (Panel de num. Trebon. Mus. Caes.)

39) In alio:

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΤCΙΑC. S. C. *Idem typus.* AR. I. (Mus. Caes.)

Philippus senior.

40) ΑΤΤΟΚ. Κ. Μ. ΙΟΤΛ. ΦΙΛΙΠΠΟΤ. CEB. *Caput laur.*

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΤCΙΑC. *Aquila rostro coronam stringens, infra* MON. VRB. *in area* S. C. *et litterae solitariae* Γ. Δ. E. AR. I. (Mus. Caes.)

41) ΑΤΤΟΚ. Κ. Μ. ΙΟΤΛΙ. ΦΙΛΙΠΠΟC. CEB. *Caput laur.*

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΤΠΑΤΟ. Β. *vel* Γ. *vel* Δ. *Aquila rostro coronam stringens, infra* ΑΝΤΙΟΧΙΑ. S. C. AR. I. (Mus. Caes. Panel de numo Trebon.)

Otacilia.

42) ΜΑΡ. ΟΤΑΚΙΛ. CΕΟΤΗΡΑΝ. CEB. *Caput super luna.*

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΤCΙΑC. *Aquila rostro coronam stringens insistit palmae, in imo* S. C. AR. I. (Mus. Caes.)

43) *Eadem adversa.*

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΤCΙΑC. ΤΠΑΤΟ. Γ. *vel* Δ. *Aquila rostro coronam stringens, infra* ΑΝΤΙΟΧΙΑ. S. C. AR. I. (Mus. Caes. Pellerin l. c. Panel de num. Trebon.)

De adserto perperam consulatu IV. Philippi vide, quae olim monebimus in numis Philippi Aug.

Philippus junior.

44) M. IOΥΛΙ. ΦΙΛΙΠΠΟC. ΚΕCΑΡ. *Caput nudum.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥCΙΑC. ΥΠΑΤΟC. *Aquila rostro coronam stringens.* AR. I. (Panel l. c.)

45) MAP. IOΥΛΙ. ΦΙΛΙΠΠΟC. ΚΕCΑΡ. *(sic) Caput radiatum.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥCΙΑC. ΥΠΑΤΟ. Γ. *Aquila rostro coronam stringens, infra* ANTIOXIA. S. C. AR. I. (Mus. Caes.)

46) AΥΤΟΚ. K. M. IOΥΛΙ. ΦΙΛΙΠΠΟC. CEB. *Caput laur.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥCΙΑC. ΥΠΑΤΟ. Δ. *Typus idem.* AR. I. (Mus. Caes.)

Consulatus III. in his numis memoratus ad patrem Philippum pertinet, et IV. ne ad patrem quidem, ut diximus.

Decius.

Nihil in hujus numis peculiare.

Etruscilla.

47) EPENNIA. ΕΤΡΟΥCΚΙΛΛΑ. (*in aliis perverse:* ΤΡΟΥCΚΙΛΛΑ. CEB.) *Caput super luna.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥCΙΑC. *Aquila rostro coronam stringens palmae ramo insistit, in imo* S. C. AR. I. (Mus. Caes. Pellerin l. c.)

Iam supra vidimus, Otaciliae quoque tribuniciam potestatem et consulatus adfingi, qua in re Antiochenos hac aetate parum fuisse religiosos, ab ipsis factis intelligimus. Monetariorum lapsum in his nemo suspicetur, ut suspicatus est Vaillantius [a]), nam similium numorum plura exstant exemplaria, et satis apparet, hoc aevo aversam, quae fuit Augusti, et patris, perinde fuisse applicatam uxoribus et filiis Caesaribus, de quo agam latius in numis Latinis Philipporum.

Herennius et Hostilianus Caes.

Aversae, ut in numo Etruscillae. (Mus. Caes.)

Trebonianus.

48) AΥΤΟΚ. K. Γ. ΟΥΙΒ. ΤΡΕΒ. ΓΑΛΛΟC. CEB. *Caput laur.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥCΙΑC. *addito in nonnullis:* ΥΠΑΤΟ. B. *Aquila rostro coronam stringens clavae insistit, inter ejus crura* A. B. Δ. E. ϛ. Z. Θ. *in imo* S. C. AR. I. (Mus. Caes. Panel de num. Trebon.)

Sitne omnis fides habenda numo ejusdem Galli, quem Panelius in eadem dissertatione pag. 85. citat cum epigraphe: ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥC. ΤΟ. ϛ., dubito.

Volusianus.

49) AΥΤΟΚ. K. Γ. ΑΦΙΝ. ΓΑΛ. ΟΥΕΝΔ. ΟΥΟΛΟΥCCΙΑΝΟC. CЄB. *Caput radiatum.*
ΔΗΜΑΡΧ. ЄΞΟΥCΙΑC. ΥΠΑΤΟ. B. *Aquila rostro coronam stringens clavae*

a) In colon.

insistit, inter ejus crura Γ *vel* Δ *vel* Z, *in imo* S. C. AR. I. (Mus. Caes. Panel l. c.)

* * *

Antequam commentarios ordior, probandum cumprimis, eos omnes, quos coram proposui, in Antiochena moneta putandos. Nam illos, qui in aversa habent aut caput Herculis laureatum, aut aquilam clavae insistentem, nequaquam Antiochiae, sed Tyri signatos confidenter statuunt Vaillantius, Norisius [a]) Belleyus [b]) Pellerinius [c]) Khellius [d]) illustria, ut vides, nomina, et cum his alii vulgo. At hos quoque esse Antiochenos, non uno argumento evinco.

I. Ajunt, caput Herculis laureatum, tum aquilam cum clava esse obvios typos in moneta Tyri. Agamus primum de aquila et clava. Novi, utramque in Tyriis numis obviam, etsi diverso modo; nam in numis praesentibus aquila insistit clavae, in Tyriis aut solo simpliciter insistit, aut remo, adstituta juxta clava; in Antiochenis aquila inde a Nerone usque in Volusiani tempora alas semper explicat, in Tyriis stat immota. Haec levia, non tamen aspernanda. At vero numos Trajani, quos sede 19. recitavi, nemo negabit esse Antiochenos. Exhibent hi mulierem turritam rupi insidentem fluvio infra emergente. Hoc typo notata jam vidimus tetradrachma certa Antiochena, qualia sunt descripta numero 1, tum aeneos Vari et Saturnini, quos dedimus Cap. I. §. V. VI.; in numis coloniae Antiochiae is typus perpetuus. Etiam in numis Antonini Pii, inscriptis SYRIA, stat mulier turrita emergente pro pedibus fluvio. Et tamen in horum, quos dixi, Trajani numorum parte antica infra hujus caput constanter videas aquilam cum clava. Ergo Tyrius hic typus ab Antiochiae moneta alienus non est. Cumque eadem aquila et clava subjiciantur etiam capiti Trajani in numis 20. 22. 23. 25. 26., in quorum aversa est caput Herculis, ex analogiae praecepto hos etiam numos Antiochiae tuto tribuemus. Quod si cui aquila cum clava tam certum videtur monetae Tyriae criterium, ut nullo pacto velit numos his insignes a Tyro avelli, is ergo etiam numos Treboniani et Volusiani iisdem typis praeditos Tyrum releget, at tum comprobet etiam, Tyriorum quoque monetae litteras S. C. inscribi solitas, quas hactenus Antiochiae monetae, raro aliarum urbium, insidere comperimus. Et vero jam inde a Nerone videmus Antiochiae tetradrachma in parte aversa aquilae typo signari, atque etiam fere constante lege, quando aversam alius obtinet typus, velut in numis obviis Trajani, et, quem loco VIII. descripsi, Vespasiani, eam continuo aquilam in partem anticam trajici, et imperatoris capiti adstitui. Quod vero in his numis aquilae status variat, cum jam solo insistat, jam palmae ramo, jam fulmini, jam spicae, jam coxae animalis, jam etiam clavae, istud in ἀδιαφοροις putandum, atque

a) Ep. Syrom. p. 246. b) B. L. Tom. XXI. Mem. p. 453. c) Mel. I. p. 184. d) Supplem. ad Vaill.

eandem varietatem habes etiam in moneta Tyria.

Ceterum in Antiochiae numis aquila Iovis cultum haud dubie respicit ob causas, quas capite I. §. 1. exposui. Singulare est, et necdum credo idonee explicatum, idem ales quadrupedis coxae insistens, ut videre est in numis 14, 28, 31. Eam esse tauri portionem auguror, et adludere ad fabulam, quam refert Libanius a). Nimirum cum Seleucus taurum mactaret, ejusque partes arae imponeret, adlapsa Iovis jussu aquila correptam tauri coxam ad aram Iovis Bottiaei detulit, quo prodigio admonitus Seleucus eo deinde loco Antiochiam condidit. Ex simili causa est in numis Nicomediae aquila cum serpente, et in numis Alexandriae Troadis aquila tauri caput unguibus gestans. Clavam ad Herculem referendam non negabo, sed neque dubitari potest, stabilitum Herculis cultum Antiochiae, quam Macedones exstruxere, apud quos praecipuus Herculis cultus, ut patet ex iis, quae ad regum Macedoniae numos disseruimus. Herculis effigiem jam in primorum Syriae regum numis habemus. At quod propius huc pertinet, refert Malala b), locum, qui Daphne serius dicebatur, dictum olim Heraclidem, quod ibi cupressos plantaverat Hercules mysta palaestrae primus magister, eique de se nomen dedit. Etiam Eustathius narrat, Daphnen, quae est propter Antiochiam, olim dictam Heracleam c), quibus consona refert Libanius, sed qui non Herculem, sed Heraclidas Peloponneso pulsos Heracleae auctores facit d). Ergo aquila et clava idem in his numis significant, quod in nonnullis Alexandri M. tetradrachmis, in quorum illae aversis exhibentur, nempe honores Iovis et Herculis, quorum icones in aliis Alexandri M. tetradrachmis obviae sunt.

At, inquiunt, caput Herculis imberbe et sic laureatum passim videas in numis Tyri, quem adeo dubium non est, esse Herculem Tyrium. Esto. At cur Antiocheni Herculem suum non etiam eo cultu proponerent, quo erat Tyrius usque adeo in eo tractu celebratus? Et quid vetat, Antiochenos ipsum etiam Herculis Tyrii cultum recepisse, eumque in numis proposuisse? An non idem fecere Romani signanda in numis suis Iunone Sispita Lanuvii dea, Feronia Sabinorum, Iove Axure, ipso adeo Hercule, qualis Gadibus colebatur? aut ut Graecis exemplis utar, quis ignorat, in Pergamenorum et Sardianorum numos advocatam Venerem Paphiam remotissimae Cypri, aut Mytilenaeorum Dianam Pergaeam, aut in plurimarum urbium numos Dianam Ephesiam, et Iovem Ammonem, ut omittam innumera alia exempla? Quid quod simillimum Herculis Tyrii caput fingitur etiam in moneta Sardium tanto intervallo distantium e)? Et Antiochenos quidem Herculem Tyrium ad se evocasse tanto magis verisimile, quod Antiochia imperante Trajano urbium Phoenices adhuc metropolis fuit.

II. Nullus exstat Tyri numus impera-

a) In Antiochico Tom. II. p. 348. b) Chronogr. L. VIII. p. m. 86. c) ad Dion. Per. v. 916. d) in Antiochico T. II. p. 342. e) Haym. Thes. Br. T. II. tab. 28. num. 8. 9.

torius cum expresso urbis nomine, etsi plurimi cogniti sint autonomi imperatorum aetate in hac Phoenices urbe signati, ut adeo verisimile videatur, morem dedicandae imperatoribus monetae apud Tyrum non obtinuisse, antequam colonia deduceretur. Mirum istud videatur in urbe praepotente, verum idem exemplum offerunt Athenae.

III. Adversatur etiam Tyro citatus Pescennii numus, quem in hac urbe cusum adfirmare non dubitavit Cl. de Boze eruditus hujus cimelii interpres [a]). Enim vero non satis commode huic numo cum Tyriorum ingenio convenit, quos alieno semper a Pescennio animo fuisse tum patuit, cum vixdum intellecta ejus ad Cyzicum clade sublatis illius honoribus Severo prospere adclamavere, gravissime propterea a Pescennio immissis Mauris multati [b]). Nequaquam repugnat inscriptum huic numo ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘΕΩΝ. *Providentia deorum* pro solito Antiocheno ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ., nam et Pescennius ipse in omnibus numis jussu suo signatis trib. potestatis mentione constanter abstinuit, neque ei hactenus a senatu in Severi verba per vim adacto decerni pro vetere more potuit. At nota Antiochiae in Pescennium studia, quae urbi miserae caro subinde stetere, ut dicetur infra. Quae alia ad praestantissimum hunc numum advertenda sunt, notabuntur in numis Pescennii Latinis.

IV. Vidimus supra numos Caracallae notatos ejus IV. consulatu, ΥΠΑΤΟΣ. ΤΟ. Δ. At constat, Tyrum jam multo ante deductam coloniam, at tam numos omnes inscriptione Latina et coloniae nomine cusos. Si ergo hic numus cum typo Tyrio signari alibi potuit, quam Tyri, cur non et alios similes extra Tyrum signatos fuisse credibile videri possit, nisi quis probare intenderet, fuisse apud Tyrios duplex rei monetariae forum, ut Antiochiae. Sed istud Syriae urbi monumenta vetera invicte adstruunt, non item Tyro.

V. Denique si numi essent Tyrii, mirum videatur, in aliquorum aream non sese insinuasse v. g. monogramma Tyri, vel litteram quampiam Phoeniciam, quae passim in Tyri numis reperias. Contra multa in his videas prorsus Antiochena, ut: Δ. Ε. vel S. C. vel arietem salientem, vel caput solis, ipsum adeo in nonnullis urbis nomen perspicue scriptum ΑΝΤΙΟΧΙΑ, atque ut quis pertinacior obgerat, similes quidem numos esse tribuendos Antiochiae, non vero alios, in quibus est caput Herculis, vel aquila clavae insistens, et in quibus similes notae saepe absunt, is quaeso perpendat, omnes hos numos quomodocunque typis varios adeo sibi esse similes tam modo inscriptionis et litterarum forma, quam fabrica, metallo, ac pondere, ut qui eos in locupletioribus museis contendendi habet copiam, confiteatur necesse sit, unius omnes urbis esse monetam.

At video, multo liberaliorem Pellerinium id genus numos non modo Antiochiae et Tyri, sed et in aliis ejus tractus urbibus signatos agnoscere [c]).

a) Mem. B. L. T. XXIV. p. 115. b) Herodian. in Severo. c) Mel. I. p. 189.

et quidem inde a Caracalla per aetatem ejus successorum. Argumentum capit a minutis sigillis, quae inter aquilae crura sunt conspicua. Sic eo arbitro clava vel concha indicat Tyrum, cista mystica Sidonem, pilei Dioscurorum Tripolim vel Berytum, leo gradiens Berytum, astrum vel acrostolium Aradum, fulmen Seleuciam, cornucopiae vel noctua Laodiceam ad mare, flos loto similis Samosata. Idem ergo illi de his numis judicium, quod de numis Alexandri M., qui per similia sigilla patriam produnt. Sed enim magnum inter hos et Alexandri numos discrimen. In his enim non sola sigilla criterium praestant, sed etiam additae non raro litterae urbis ἀρχαικῶς litem decidunt. Sic lyrae Colophonis succurrit additum ΚΟΛΟ. Nulla in praesentibus alterius urbis epigraphe. Ad haec major sigillorum pars, quae enumerat Pellerinius, pilei Dioscurorum, astrum, acrostolium, fulmen, cornucopiae, occurrunt per aream autonomorum Antiochiae, ergo etiam in hanc numorum classem jure admissa. Denique quod praecipuum est, quo tempore Pellerinius numos hos variis in urbibus cusos adserit, nempe inde a Caracalla, Tyrus, Berytus, Laodicea, ac paullo post Sidon jam fuere coloniae, quas deinceps alios, nisi coloniae nomine numos, eosque omnes aeneos, feriisse non constat. Admodum etiam verisimile, Antiochiae cusum fuisse insigne tetradrachmum, quod vulgavit Pellerinius a):

ΑΥΤ. Κ. Μ. Α. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. ϹΕΒ. *Caput Caracallae laur.* ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤΟϹ. ΤΟ. Δ. *Sacellum, intra quod signum militare, numine hinc et inde adsidente, quorum uni adstat leo, alteri taurus, infra aquila expansis alis.* AR. I.

Aversae numina esse propria et domestica Hieropolis, quae fuit Cyrrhesticae, et Antiochiae vicina, et typum ipsum Hieropolitanum, certum est ex numo insigni aeneo, qui est in praeclaro museo Neumanni nostri, et de quo egimus in ejus urbis moneta. At cum aliorsum de numo quopiam argenteo Hieropolitano non constet, et utriusque faciei epigraphe plane conspiret cum ea, quae est in certis ejusdem argumenti Antiochenis cum capite Caracallae, et quod caput est, stet infra aquila alis expansis, perpetuum in his numis Antiochiae symbolum, non vereor, hunc quoque numum esse in hac urbe signatum adserere. Ergo quemadmodum Antiocheni, quando in numis Trajani alios typos proposuere, quam solitum aquilae stantis, tamen in altera numorum parte constituerunt aquilam, ut esse monetam Antiochenam intelligeretur, sic in praesente ex eadem causa ad typum Hieropolitanum adstituerunt aquilam. Accedit, fuisse tempus, quo Antiochenis et Hieropolitis communes fuere typi, ut diximus cap. I. §. 17.

Adserta hujus monetae patria, quae praeterea alia docet, exequamur. Diximus coepisse sub Augusto, at deinceps copiosius signatos sub Nerone. Galba.

a) Mel. I. p. 189.

Vespasiano, Tito, Domitiano, Nerva imperantibus valuit Antiochiae et in vicinia epigraphe ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ., de cujus natura agetur a nobis alibi. Sub Trajano cusi, ut vidimus, frequentes, sed ab hoc usque ad Pescennium magnus hiatus, aut summa eorum raritas. Ejus, ut videtur, causa fuit Hadrianus, qui teste Spartiano [a]) *Antiochenses ita odio habuit, ut Syriam a Phoenice separare voluerit, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur.* Quod Spartianus scribit ab Hadriano intentum, istud effectum refert Suidas, cum ait [b]), Tyrum ab Hadriano dictam metropolim. Aut ergo certa tum iis adempta privilegia, aut saltem accisa, aut Antiocheni infenso fuere in Hadrianum animo. Malam deinde gratiam a M. Aurelio inivere, quando se Avidio Cassio, qui imperium in Syria arripuerat, conjunxerunt, etsi indulgentior imperator ornamenta, quae urbi abstulerat, restituit [c]). Vnicus hactenus cum Commodi capite compertus. Severo et Pescennio pro orbis imperio dimicantibus Pescennii partes amplexi sunt Antiocheni, atque istud tanto cupidius, quod apud se purpuram sumpsit, et urbis suae delectabatur spectaculis et voluptatibus. Hac ergo fiducia veterem monetae modum respexere, cujus exemplum habemus in rarissimo tetradrachmo cum capite Nigri. At Severus victor Antiochiae in aemulum studiis offensus omnibus eam privilegiis et metropoleos jure privavit, atque ut gravius adfligeret, vicinae Laodiceae, cum qua vetus illi propter aemulationem simultas, subjecit [d]). Tamen urbi vetera jura sunt restituta deprecante Caracalla adhuc puero [e]). Primus, quem habemus, Severi numus ejus consulatum III. notat, quem is revera in Syria inivit V. C. 955. Deducta subinde a Caracalla colonia, ut dicetur, quo caeso, et Macrino ad imperium evecto, *statim apud Antiochiam moneta Antonini Diadumeni nomine percussa est, Macrini usque ad jussum senatus dilata est*, ut ait Lampridius [f]). Illud *statim* Lampridii praeclare confirmat numus Diadumeniani supra descriptus, nam satis patet, monetarios per festinationem cum ejus capite junxisse aversam, quae fuit Caracallae. At cur, quod ait Lampridius, deproperata Diadumeniani filii moneta, Macrini patris usque ad jussum senatus dilata? Dignum sane examen, cui critica immoretur, si oratio esset auctoris magis ad faciendam fidem idonei. Cur nullus id genus numus exstet cum capite Alexandri Severi et Maximini, saltem quod mihi constet, ignoro. Haec ex his numis ad historiam imperatorum, jam reliqua peragamus.

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤΟΣ. etc. perpetua inde a Trajano horum numorum epigraphe, dempto numo Pescennii ex causa, quam diximus. Ejus sensus: *tribunica potestate, consul etc.* Titulus hic captus ex numis Romanis, et recte procedit usque ad exitum Caracallae.

---

a) In Hadriano. b) in Παυλος. c) Capitolin. in Aurelio, Vulcat. in Avidio. d) Herodian. et Suidas in Severo. e) Spartian in Carac. f) in Diadum.

Deinceps in moneta Antiochena mira perturbatio, seu per evidentia monetariorum peccata, seu per abusum ejus tituli, ut ad numos ipsos inde a Macrino advertimus. At quis deinde sensus litterarum Δ. E., quae non modo in numis aeneis nota S. C. insignibus, et deinde in numis Antiochiae coloniae, de quibus agetur capite III. et IV., inde a Caracalla fere sunt perpetuae, sed etiam exstant in nonnullis praesentis classis, ut in numis Macrini et Elagabali? Eas Tristanus legit Δημαρχικης Εξουσιας, *tribuniciae potestatis*, et titulum hunc ad imperatorem refert [a]). Vir eruditus numos hujus classis aut non vidit, aut ad eos animum non advertit, in quibus litterae Δ. E. notantur, etiam cum in iis scriptum jam legitur ΔΗΜΑΡΧΙΚΗC. ΕΞΟΥCΙΑC. Quorsum ergo otiosa haec tautologia? Eandem lectionem sequitur etiam Bimardus, ac praeterea ejus causam adfert, Caracallam jure trib. potestatis Antiochiae restituisse privilegia a Severo adempta [b]). At enim praeterquam quod Bimardo responderi idem potest, quod Tristano, privilegia urbi restituerat idem, qui ademerat, Severus, deinde eaedem litterae Δ. E. leguntur etiam in numis Laodiceae coloniae, quin tamen constet, imperatorem quemdam jure hujus potestatis ei privilegia aut tribuisse, aut restituisse. Vaillantius eas legendas quidem docet Δημαρχικης Εξουσιας, sed sic, ut ea verba non ad imperatorem, sed ad populum Rom. referat, nempe, quemadmodum facultas cudendae monetae Antiochenis a senatu collata indicatur litteris S. C., sic collatam a populo indicari litteris Δ. E. id est: *populi auctoritati*, vel *jussu*. Istud cum probabile visum sit viro eximio, causam etiam nobis indicet, I. cur hae litterae in nulla monetae Antiochenae classe legantur ante Caracallam? an tum primum accessit populi auctoritas? II. An probaverit, ex quo imperatores in trib. potestatem involavere, quam Tacitus *summi fastigii vocabulum* appellavit [c]), populum aliquid nomine trib. potestatis scivisse? An vero etiam stante rep. populus aliquid hac formula scivit? Legimus in numis, Octaviano Caesari statuam dicatam POPVLI. IVSSV., at non trib. potestate. III. Si eae litterae indicant auctoritatem populi Romani, cur ea exprimitur oratione Graeca, quando auctoritas senatus exprimitur verbis Latinis S. C.? Abstineo pluribus. Harduinus legit: Δημου Ευχῃ, *populi rogatu* [d]), sed taedet similia refutare. Verum ut facile est haec impugnare, sic sufficere aliquid idoneum non esse mearum virium, candide profiteor.

S. C. in praesente numorum classe scribitur inde a Gordiano III., at in classe sequente aenorum jam inde ab Augusto, ac perpetuo in numis Antiochiae coloniae. Hae notae passim ad collatam *Senatus Consulto* feriundae monetae potestatem referuntur. Istud si verum, quod nequaquam impugno, mirum profecto, solis Antiochenis ad feriundam monetam senatus consulto opus fuisse. Aliae urbes ejus sibi fa-

a) Comment. T. II. p. 225. b) ad Iob. T. II. p. 222. c) Ann. III. 56. d) Opp. sell. p. 19. p. 222.

ctam copiam PERMISSV AVG*usti* jactabant, ut multae coloniae Hispanienses; Patrenses Achaiae scripsere: INDVLGENTIAE. AVG. MONETA. IMPETRATA. In multis aliis coloniis suffecit domesticum *Decretum Decurionum.* Tamen in numis coloniae Antiochiae Pisidiae legitur etiam S. R., quod interpretari amant: *Senatus Romanus.* Possitne aliquid huc pertinens ex citatis supra Lampridii verbis colligi, qui dilatam Macrini monetam usque ad jussum senatus memorat, viderint eruditi. Monendum, reperiri S. C. etiam in numis coloniae Philippopolis, et in uno coloniae Damasci cum capite Aemiliani, (Vaillant.) in alio Treboniani. (Mus. Caes.) Mirandum magis, eam notam legi etiam in aliquibus numis Agrippae II. regis Iudaici.

Inde a Caracalla inter aquilae crura comparent modici numeri A, B, ϛ, Z etc. ac praecipue in numis Treboniani et collegae. Sunt hi ejusdem naturae, cujus sunt ii, quos capite I. §. XVII., vidimus, et videbimus capite sequente, et quos, quando cum annis imperii componi non possunt, omnes ii, qui sobrie judicant, in monetariorum signis putant. At non sic Panelius, ex cujus edicto cum certi sint anni imperii, explosa fastorum historicorumque fide chronologicam imperatorum historiam nobis obtrudit, cui vel nemo, vel sola Harduini soboles fidem habeat [a]).

MON. VRB. aut pro hoc ANTIOXIA in obviis numis imperante Philippo signatis. Admorsa haec vocabula aliud significare non possunt, quam MON*eta* VRB*is*, et in nulla alia monetae Antiochenae classe leguntur. Ea verisimile non est otiose posita, sed causa discriminis, quam ipsa urbis natura suppeditaverit. Deductam fuisse coloniam a Caracalla, dicetur infra. Cum urbes reliquae, ex quo in coloniarum jura transiverunt, deinceps nonnisi coloniae nomine numos signarent, istud quidem non neglexerunt Antiocheni, sed perrexerunt tamen vetere suo instituto monetario, et quidem S. C. firmato uti. Ergo praeter inductam recens coloniae monetam, quam capite IV. proponemus, continuata fuit vetus duplicis generis moneta, tetradrachmorum, in quibus nunc sumus, et aeneorum, de quibus capite sequente. Quo docemur, distinctum fuisse Antiochiae rei monetariae forum, unum juris veteris, alterum novi, aut si mavelis, unum incolarum veterum, alterum colonorum adscititiorum. Enimvero fuisse nonnunquam, cum coloni in urbem reciperentur, in leges et conditiones itum, pluribus potest exemplis comprobari, inter quae illustre est, quod Cicero de Agrigentinis memorat [b]): *cum Agrigentinorum duo genera sint, unum veterum, alterum colonorum, quos T. Manlius praetor ex S. C. de oppidis Siculorum deduxit Agrigentum, cautum est in Scipionis legibus, ne plures essent in senatu ex colonorum numero, quam ex vetere Agrigentinorum.* De Emporiis Hispaniae, quarum incolae constabant Hispanis indigenis, colonis Graecis Phocaea profectis, et colonis Romanis a

a) De numo Treboniani. b) in Verr. L. II. c 50.

I. Caesare adjectis, et quorum generum singula erant muro interjecto divisa, singula propriis suis numis utebantur, egimus in ejus urbis moneta. Ergo haec tetradrachma, tum et aenei, de quibus mox, fuerunt Antiochiae, sed urbis, non coloniae, moneta, ac propterea in illorum nonnullis additum MON. VRB. vel ANTIOXIA simpliciter, suppresso coloniae nomine, quo indicarent, ex vetere jure propriam apud se signari pecuniam, et quidem, quod paucis urbibus concessum, argenteam quoque, cum coloni suam addito semper ΚΟΛ. distinguerent, et nonnisi aenea ex coloniarum instituto uterentur.

Numos Vespasiani loco 13. descriptos cum insolita epigraphe COV. NEPOVΔ. esse Antiochenos, et perturbatas has litteras idem significare, quod ETOΥC. NEOΥ. IEPOΥ. Δ., colligitur ex numis praecedentibus loci 12, et comprobatur a me uberius in Sylloge I. p. 78. quo loco horum unum edidi, tum et in doctrina de numis cum inscriptione *anni novi sacri*, quam dabimus volumine IV.

* * *

Praeter citatos hos numos multi adhuc alii exstant argentei aeneique, inscripti hi quoque ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ - - ΥΠΑΤ. - sed cum variis typis plerumque symbolicis. Eorum major pars caput Trajani exhibet. In his cum nihil sit, quod eos Antiochiam referendos persuadeat, malui de iis agere in numis Trajani commatis peregrini, quod de urbe, quae eos feriundos curavit, non satis constet.

CAPVT III.

De numis Antiochiae imperatoriis aeneis inscriptis S. C.

Horum rationem paucis describere satis esto:

Initium cepere sub Augusto, et ab hoc usque ad Nervam est in antica caput imperatoris addita inscriptione Latina; in aversa est S. C. clausum corona laurea, rarius sub Augusto querna, cujus generis sunt apud Pellerinium [a]).

Vna cum Trajano incipit capitis inscriptio Graeca, et perseverat deinceps. Tamen numum L. Veri cum epigraphe Latina reperit Sestinus.

Sub Nerva litterae solitariae in parte aversa comparere incipiunt. Eas esse arithmethicas dubium non est, nam habemus in his ϛ, quod est episemon, item IA. IΓ. etc.

Inde ab Antonino praeter litteram solitariam frequenter inferne comparet aquila.

Sub M. Aurelio haec numorum classis coepit deficere, et nonnisi unicum hactenus Commodo dicatum vidi, quem nuper museo Caesareo intuli. Tamen et Severi binos nuper reperit cl. Sestinus. Liberalius subinde sub Caracalla renascitur. Ejus causam verisimilem pete ex dictis capite II.

Inde a Caracalla frequenter in aversa additur Δ. E. de quarum sensu litterarum egimus capite praecedente.

Si verum est, quod refert Vaillantius [b]), haec classis porrigitur usque in imperium Gallieni. Postremi, quos

a) Suppl. IV. tab. I. n. 1. b) Num. Colon. in Othone.

viderim ego, signati sunt imperante Elagabalo.

Exstant similes numi tantum cum capitibus Augustorum aut Caesarum. Insolens ergo visum Pellerinio, exstare similem cum capite Aquiliae Severae uxoris Elagabali [a]). At diximus capite praecedente, post Caracallam in moneta Antiochena aversas, quae sunt Augustorum, passim cum Caesaribus et uxoribus communicatas.

Dixi, in aversa horum numorum typum principem esse S. C. intra coronam, additis serius aquila et literis solitariis. At in numo Caracallae, aut potius Elagabali musei Caesarei est aries saliens et respiciens, per aream S. C. Δ. E. omnia intra coronam. Dictum, arietem hoc habitu esse proprium monetae Antiochenae typum.

In numis Macrini aversam facit caput filii Diadumeniani positum inter S. C. His praeeuntibus existimo, eidem huic classi tuto posse inseri sequentem numum singularem, quem edidit Haymius [b]):

- - - AΔP. ANTωNEINOC. CEB. ETCEB. *Cap. Ant. Pii laur.* ✠ ATPHΛIOC. KAI. CEB. ETCE. TIOC. TΠA. AΠO. *Caput Aurelii Caesaris nudum, in area S. C. in imo* H. AE. II.

Haymius postremas litteras epigraphes, quae est in aversa, sic separavit, ut legeret: TΠατος Αντιοχεων AΠOΛλωνιυ, cumque scriptum infra elementum H cum ipsa epigraphe conjungeret, illud explevit legendo Ηγεμονος. Mirum sane, Khellium acrem et eruditum Haymii censorem pravam hanc sententiam non reprehendisse. Nullus hactenus in Antiochenorum aere compertus magistratus domesticus, atque etiam compertus, Ηγεμονα se non ferret, qui fuit magistratus Romanus, et unius Thraciae urbium numis inscriptus, quando Απολλωνιος, ut ipsum nomen fert, esset magistratus Graecus et privatus urbis. Male sane το H cum reliqua inscriptione sociavit, quod aliud non est, quam elementum solitarium, inde a Nerva, ut dixi, hujus classis numis inscribi solitum. Tamen difficile est, litterarum AΠO. verum sensum reperire. Forte non aberravero, si eas sejunctas sic legendas constituam: Αντιοχεων Προς Ορουτη, *Antiochensium ad Orontem*, cum constet, eam urbem non raro a scriptoribus dici Antiochiam ad Orontem. Novi, in Antiochiae numis nunquam alias situs mentionem prodi, at certum etiam, nondum hactenus aversae parti hujus classis numorum illatum caput visum. Quod si conjectura haec non adridet, cedo aliam.

Aenea haec moneta ab Augusto usque ad Caracallam est fere I. formae, pars potior II., pauciores III. At inde a Caracalla quos viderim, omnes sunt III. formae.

A plerisque olim omnes hi numi ab Augusto usque ad Nervam, quoniam Latine utrinque inscribuntur, esse commatis Romani crediti sunt, cumque in hac classe occurrant etiam aenei Othonis, dubitatum non est, numos aeneos cum hujus capite Romae signatos. Re magis explorata, cumque fabrica aperte opus peregrinum prodat, non amplius

a) Mel. I. p. 103. b) Th. Br. Tom. II. tab. 34.

ambigitur, numos esse Antiochenos, testaturque Vaillantius, ingentem similium numorum vim in Syria ad hanc usque diem reperiri [a]). Sane literae S. C. et Δ. E. tum et typus arietis in citato mox Elagabali numo, quoniam eadem omnia sunt in certis aliarum classium monetae Antiochenae numis, Antiochenos esse hos numos invicte arguunt. Tamen cum id genus multi haud ita pridem reperti fuerint in insula Cypro, putavit Pellerinius, non in solis Syriae urbibus numos litteris S. C. insignes fuisse percussos, sed et in Cypro [b]). At enim facile ex Syria in vicinam Cyprum hujus argumenti numi majore etiam copia potuerunt transmittere.

De sensu litterarum S. C. et typo aquilae actum capite praecedente. Notae arithmeticae annos imperii indicare non possunt, nam est in museo Caesareo numus Nervae cum littera Δ, alius Trajani cum littera X. Sunt ergo haud dubie notae monetariorum, quales non pauci ejus aetatis Syriae urbium numi impressas habent.

CAPVT IV.

De numis Antiochiae coloniae.

Teste Paulo jurisconsulto [c]): *Divus Antoninus Antiochenses colonos fecit salvis tributis.* Quo nomine intelligendus Antoninus Caracalla, non, quod nonnulli credidere, Antonius Pius, quod confirmatur a numis ipsis, qui a Caracalla demum *coloniae* nomen addere occipiunt. Tamen cl. Sestinus promulgavit numum Severi, in cujus aversa: KOΛΩNIA - - - - A. *Apollo stolatus stans d. pateram, s. lyram* [d]), cum jam antea ejus iconismum dedisset [e]). Sed vereor, ut numus sic vitiatus possit certum Pauli testimonium evertere.

Ergo numi Antiochiae coloniae incipiunt, ut dixi, sub Caracalla, et desinunt sub Valeriano, sed jam tum rari, quos vide in Pellerinio, Theupoli, Arigonio. Perperam igitur Vaillantius aeneos inscriptos S. C. capitis praecedentis jam inde ob Othone, deinde tetradrachma capitis II. inde a Philippo seniore in suum de coloniis opus contulit, cum coloniae nihil offerant. In hanc etiam classem vocavit numos Flaviorum capitibus insignes:

IMP. VESP. AVG. P. M. T. P. *Caput Vespasiani laur.*

T. CAES. IMP. TR. P. *Caput Titi laur.*

CAESAR. DOMIT. COS. II. *Caput Domitiani laur.*

ANTIOCHIA. *Caput muliebre turritum.* AE. III. (Mus. Caes. Vaill.)

Hos omnes imperante Vespasiano signatos capitum epigraphe docet. Facile dedero, esse eos nostrae Antiochiae, quod, cui alteri opportunius dari possint, non videam. Inscriptos utrinque Latine Vaillantius ait propterea, quod jure Latii gavisa est [f]), sed quod ut comprobaret, parum video fuisse solicitum. Si Latii jure donatam propterea credidit, quia Latina usa est epigraphe, nae ille multas urbes, ceu Nicomediam, Ephesum,

---

a) Num. colon. in Othone. b) Suppl. IV. p. 1. c) L. II. de censib. d) Lettere IV. p. 42. e) Lettere Tom. II. tab. III. n. 61. f) In colon. sub Vespas.

aliasque in Latinarum numerum cogetur admittere, quae nonnunquam numos utrinque Latine inscriptos signavere. Cur istud interdum urbibus Graecis placuerit, difficile est rationem probabilem adferre. In Antiochia nostra minus istud mirum, quam jam inde ab Augusto bilinguem ex hactenus dictis vidimus. At jam certos Antiochiae coloniae numos lustremus.

Autonomum hujus coloniae editum video apud Hunterum, sed is propter epigraphen Latinam (nam nostra Graece semper locuta est) et typum dei Mensis sine dubio est coloniae Antiochiae Pisidiae. Quos hactenus norimus, omnes Augusti cujuspiam, vel Augustae, vel Caesaris caput offerunt.

Epigraphe: ANTIOXEΩN. MHTPO. KOΛON. aut similiter. Adduntur sedulo notae S. C. Δ. E. de quibus egi cap. II.

Typi: Mulier capite velato et turrito rupi insidens d. spicas, superne aries saliens et respiciens, inferne fluvius emergens.

Caput muliebre velatum turritum, superne aries saliens.

Mulier sedens, ut supra, coronatur a figura militari ad sinistram adstante, ad dexteram stat fortuna.

Mulier sedens, ut supra, sed intra templum tetrastylum, in cujus fastigio aries saliens et respiciens.

Apollo habitu muliebri stans s. lyram, in numis Philippi et Decii a). *In alio praeterea serpentem pascit ab ara adsurgentem* b).

Nihil in his typis novum, et quod in praecedentibus explicatum non sit. De Apolline cum hoc typo agetur capite proximo.

Epochae annum ΔOC. in simili numo Alexandri Severi vidit Vaillantius, sed quam lectionem jam in dubium vocavit Pellerinius c). Sane in similibus aliis ejusdem Alexandri legitur SHC. vel SNC. ut videre est apud Pellerinium d), Arigonium, Theupoli, et in Museo Caesareo, quarum sensus litterarum mihi ignotus.

Sunt hujus classis numi aenei omnes, et I. formae.

CAPVT V.

De numis Antiochiae inferioris aevi.

Vidimus tempus, in quod singulae monetae Antiochenae classes, quas hactenus descripsimus, desivere. Harum nulla ultra Gallienum porrigitur, quo imperante velut communi scopulo fere omnis res monetalis urbium populorumque naufragium fecit. Non multo post officinis monetalibus per imperii fines constitutis auctisque suam etiam, stabilemque, cujus et Malala meminit e), nacta est Antiochia, quam indicant litterae ANT. in imo positae, ut ALE. Alexandriam, SIS. Sisciam etc. quibus notis, praecipue inde a Diocletiano nihil magis obvium. Nonnunquam Antiochiam solum A definit, de qua lege latius agemus alibi. At enim hanc monetam nonnisi ἀκυρως possis Antioche-

a) Vaill. b) Beger Thes. Br. T. II. p. 729. c) Mel. I. p. 304. et Mel. II. p. 313. d) ll. cc.
e) Chronogr. sub Dioclet.

nam appellare, cum potius fuerit communis totius imperii Romani ejusque principum, his deinceps et typos et linguam, quae Latina fuit, praescribentibus. Commemorandi tamen numi duo, qui ad solos Antiochenos pertinent.

GENIO ANTIOCHENI. *Mulier velata turrita rupi insidens, pro pedibus fluvius emergens.* ℞ APOLLONI SANCTO. *Apollo stolatus stans d. pateram, s. lyram, in imo* SMA. AE. III. (Mus. Caes. Banduri Tom. II. p. 432.)

GENIO. CIVITATIS. *Caput muliebre velatum turritum.* ℞ *Eadem aversa.* AE. III. (Tanini Suppl. Band. p. 318.)

Numus uterque imperante Iuliano Apostata signatus jure creditur ex causis, quas in hujus principis moneta copiosius persequar. Typus partis anticae jam abunde hactenus cognitus hoc illustratur magis, quod adscripto GENIO ANTIOCHENI. id est: *populi*, simul explicat, mulierem hoc cultu sedentem emergente ad pedes fluvio esse revera genium urbis et populi, et docet praeterea numus alter ejusdem genii esse etiam caput muliebre velatum turritum frequens in numis Antiochiae seu liberae seu coloniae. Hic genius sic sedens comparet primum in numis Tigranis Armeniae et Syriae regis, quos adeo dubium non est Antiochiae cusos, atque in his tenet palmae ramum vel cornucopiae. In numis Augusti constanter palmae ramum tenet, nempe cum adlusione, ut conjicio, ad aeram Actiacam, seu Victoriae, quae eo imperante valuit. Deinceps perpetuo spicas praefert. Habemus ergo Antiochiam inde a Tigrane usque in Iuliani aevum in retinendo typo suo fidelem. Typus partis aversae jam ex numis Antiochiae coloniae cognitus, ut et honores Apollini in hac urbe habiti. In voce APOLLONI monetarium Graecum grammaticae Latinae rudem agnosce. Litterae infra positae SMA. indicant *Signatam Monetam Antiochiae.* Quae ad causam revocatae in hos numos idololatriae pertinent, habebis exposita in numis Iuliani. Si quem delectant erudita crepundia, adeat laxos Harduini in hunc numum commentarios [a]). Oppidanos Antiochiam suam dixisse *urbem*, vidimus supra pag. 291, ex numis inscriptis MONeta VRBis; eadem in numo altero hujus loci dicitur *civitas.*

* * *

THEVPOLIS. Sic vocatam Antiochiam a Iustiniano Iustini Thracis adfine refert Eustathius [b]) Procopius [c]) Evagrius [d]). Addit Stephanus topographus, factum istud post terraemotum [e]). Eodem nomine appellatur in praefatione novellae CIX., de quo vide plura apud Spanhemium [f]). Istud ipsum confirmatur numis. Nam litterae ANT scriptae in inferiore numorum segmento, quibus, ut dixi, Antiochia indicatur, leguntur adhuc in aliquibus Iustiniani numis; at sub hoc coeptum est scribi THEVP. THEVPO. et in successorum moneta sic continuatum.

---

a) Opp. sel. p. 114. b) ad Dionys. Perieg. v 918. c) de aedib. Iustin. L. II. c. 10. d) hist. eccl. L. IV. c. 6. e) in Θεὑπολις. f) Observat. ad Iuliani orat. I. pag. 267.

CAPVT VI.

De numis Antiochenorum extra Antiochiam signatis.

Exstant numi Antiochenorum, quos esse extra Antiochiam signatos ipsa epigraphe docet. Eccos:

Antiocheni ad Daphnen.

Caput regis radiatum diadematum. Ⅹ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΔΑΦΝΗΙ. *Iuppiter stans d. coronam protendit, s. vestem colligit, per aream vel tripus, vel litterae solitariae, vel monogrammata.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin Rec. II. p. 187. Frölich ann. Syr. sub Ant. IV.)

Antiocheni Ptolemaidis.

Caput muliebre turritum. Ⅹ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ. *Victoria stans d. oblongum palmae ramum.* AE. II. (Pellerin Rec. II. p. 234.)

Caput muliebre turritum. Ⅹ ΑΝΤΙΟΧΕ. ΕΝ. ΠΤΟΛ. *Iuppiter stans d. pateram. s. hastam, in area* L. Θ. AE. II. (*ibid.*).

Caput Iovis. Ⅹ ΑΝΤΙΟΧΕΟΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ. ΙΕΡΑΣ. ΑΣΤΛ. *Mulier seminuda stans d. binas faces, s. hastam.* AE. II. (*ibid.*)

Caput Apollinis. Ⅹ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑ. *Lyra, infra* ΑΣΚ. A. LE. III. (*ibid.*)

Capita duo jugata laureata. Ⅹ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ. ΙΕΡΑΣ. ΑΣΤΛΟΥ. *Cornucopiae, in area* L. ΙΡ. AE. III. (Liebe Goth. num. p. 160.)

Eadem adversa. Ⅹ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ. ΙΕΡΑΣ. ΑΥΤΟΝ. *Cornucopiae, in area* ΑΙ. *vel* ΔΝ. *et annus* ΘΠΡ., *qui tamen in aliis abest.* AE. III. (Pellerin Rois p. 102. Mus. Caes.)

Caput regis radiatum diadematum. Ⅹ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ. *Iuppiter stans d. coronam praetendit.* AE. II. (Mus. Caes.) AE. III. (Beger Th. Br. T. III. p. 25.)

Antiocheni ad Callirhoen.

Caput regis radiatum diadematum. Ⅹ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΠΙ. ΚΑΛΛΙΡΟΗΙ. *Iuppiter stans d. extenta aquilam s. hastam.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin Rec. II. p. 250.)

Fallere Vaillantium, qui in suis legerat: ΠΡΟΣ. ΚΑΛΛΙΡΟΗ., testatur Pellerinius [a]).

* * *

Hi triplicis generis Antiochenorum numi in varias eruditos sententias distraxerunt. Antiocheni ad Daphnen nihil morantur, quod juxta Antiochiam positi pars ipsi fuere Antiochenorum. At quinam illi, qui esse *Ptolemaidis*, vel *ad Callirhoen* positi dicuntur? Vrbem aliquam Antiochiae nomine stetisse prope Ptolemaidem Galilaeae, secundum alios Phoenices, putat Vaillantius [b]). Antiochenos ad Callirhoen dixere plerique Edessenos Mesopotamiae, neque deerant ejus sententiae causae speciosae. Plinius memorat *Edessam, quae quondam Antiochia*

a) l. c. b) reg. Syr.

dicebatur, *Callirhoen a fonte nominatam* [a]), quam ipsam indicare videtur Stephanus, cui varias Antiochias recensenti proditur ὀγδοη ἡ ἐπι της Καλλιῤῥοης λιμνης, *octava ad lacum Callirhoen*. Alii Antiochiam respexere adsitam forte fluvio Callirhoe, qui Damascum pervasit. At Pellerinio nullo pacto probabile visum, utrorumque Antiochenorum numos, qui forma et fabrica et typis conspirant, et qui utrique Antiochi IV. caput offerunt, non etiam unius ejusdemque regionis esse. Ad haec certos Edessae numos nunquam Antiochiae nomine signatos. Quis vero, addit, auctorum veterum Antiochiam aliquam prope Ptolemaiden constituit? Censet ergo vir eruditus, numos hos cusos ab Antiochenis, qui commercii causa in corpora redacti apud Daphnen, Ptolemaiden, et Callirhoen constitere, nomine autem Callirhoes non intelligit Edessam Mesopotamiae, sed aquas calidas trans Iordanem positas dictas Callirhoe, et magni eas nominis, ad quas Herodes M. in extremo suo morbo teste Iosepho inviserat, quaestuosas haud dubie mercatoribus ob hominum eo commeantium frequentiam [b]).

Haec Pellerinii sententia, etsi secundum omnes causas nolim adfirmare certam, aliis tamen magis videtur verisimilis. Causam praecipuam peto ex numis, qui Ptolemaidis meminere, propter formulam ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ., quae significat, Antiochenos hos non prope Ptolemaiden, sed in ipsa Ptolemaide stetisse. Vicinia enim praepositis ΠΡΟΣ. ΕΠΙ. ΑΠΟ. indicari solet, at locus ipse praeposito ΕΝ. Fuere ergo Ptolemaide Antiocheni, ut in vetere marmore praedicantur BERYTENSES Phoeniciae, QVI PVTEOLIS CONSISTVNT. [c]) vel sicut a Diogene Laertio dicuntur οἱ ἐν Σιδωνι Κιττιεις, *Citienses* (Cypri) *qui Sidone consistunt* [d]). Sic et in marmoribus variarum gentium mentio, quae in Delo consedere. Sic legas apud Sponium [e]) et Gruterum [f]) ΤΟΝ. ΔΗΜΟΝ. ΤΩΝ. ΑΘΗΝΑΙΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΔΗΛΩΙ. *populum Atheniensium, qui in Delo sunt.* In marmore Oxoniensi [g]): ΑΘΗΝΑΙΩΝ. ΚΑΙ. ΣΑΜΙΩΝ. ΟΙ. ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΕΣ. ΕΝ. ΔΗΛΩΙ. ΚΑΙ. ΟΙ. ΕΜΠΟΡΟΙ. ΚΑΙ. ΝΑΥΚΛΗΡΟΙ. *Atheniensium et Samiorum, qui habitant in Delo, mercatores et navicularii etc.* Ab his adeo exemplis satis solide praesentium argumenta numorum explicantur. Vide similia exempla alia apud Spanhemium. (T. I. p. 663.)

In his numis saepe proponitur caput Antiochi IV. diadematum radiatum, quo forte regnante peregrinis his Antiochenis jura quaedam fuere constituta. Reliqui typi nihil memorandum offerunt. Id unum animadvertendum, Iovem stantem, et porrecta dextera vel coronam vel galeam tenentem esse etiam in numis Cyrrhi et Apameae cum capite Alexandri I., et Dorae Phoenices cum capite Tryphonis.

Epochae annos offerunt numi Ptolemaidis, et quidem ΙΡ. et ΘΠΡ. qui haud dubie sunt aerae Seleucidarum. Prior cadit in regnum Antiochi III., cujus etiam numos habemus cum anno ΡΙΒ. Alter in regnum Antiochi VIII., cujus

a) L. v. §. 21. b) Rec. II. p. 250. c) Muratori p. 231. 4. d) in vita Zenonis.
e) Misc. p. 343 f) p. 405. g) num. XXVII.

exstant numi cum eodem anno ΘΠΡ. At annus Θ numi II. a recentiore quapiam aera ducendus, sed a qua, incertum.

Tituli ΙΕΡΑΣ. ΑΣΤΛ. *sacrae*, *asyli*, vel: ΙΕΡΑΣ. ΑΤΤΟΝ. *sacrae*, *suis legibus utentis*, leguntur tantum in numis Antiochenorum Ptolemaidensium, secundum quos et litteras ΑΣΚ. Α. numi IV. legendos censeo: ΑΣυλȣ Και Αυτονομȣ. Tituli ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. exstant etiam in numo autonomo ipsius Ptolemaidis, qui adeo et cum Antiochenis hospitibus communicati sunt.

APAMEA.

Ad Orontem et Marsyam fluvios, quorum alteruter Axius dictus, ut infra ad mentionem situs dicemus. Vrbs nomen traxit ab Apame Seleuci I. uxore.

Autonomi, Regii, Imperatorii secundum annos epochae I.

1. *Caput muliebre turritum.* ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. *Figura militaris gradiens d. porrecta, s. hastam transversam, annus* ΞΡ. (Pellerin.)

2. *Alius, sed annus* ΓΞΡ. (Mus. Caes.)

Eundem typum et annum habent etiam numi vicinae Epiphaniae, quam vide.

3. *Caput Bacchi.* ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. *Iuppiter aetophorus stans, annus* ΓΞΡ. (Pellerin.)

4. *Caput Alexandri I.* ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. *Iuppiter stans d. galeam, s. hastam, annus* ΓΞΡ. (Frölich.)

5. *Caput idem.* ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΑΞΙΩ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam.* (Vaill.)

6. *Caput Iovis.* ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. *Elephas, anni:* ΖΣ. ΗΣ. ΖΛΣ. ΜΣ. ΒΜΣ. ΓΜΣ. ΕΜΣ. (Hunter, Pellerin, Noris.)

7. *Caput Palladis.* ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΤ. *Victoria, anni:* ΒΟΣ. ΕΟΣ. ϛΟΣ. (Hunter, Pellerin.)

8. *Alius, sed infra Victoriam* ΜΗ. (Pellerin.)

9. *Caput muliebre turritum.* ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΤ. *Pallas stans, annus* ΒΠΣ. infra ΜΗ. (Pellerin.)

10. *Caput Bacchi.* ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. *Thyrsus, anni:* ΓΠΣ. ΔΠΣ. (Mus. Caes. Neumann.)

11. *Caput Palladis.* ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΤ. *Victoria, anni:* ΓΠΣ. ΕΠΣ. *infra* ΑΝ. (Mus. Caes. Pembrock. P. II. tab. 73.)

12. *Caput Palladis.* ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. *Victoria, annus* ϛΠΣ. (Theupoli) *Thyrsus.* (Hunter.)

13. *Alii, sed anni:* ΖΠΣ. ΒϙΣ. ΓϙΣ. ΕϙΣ. (Theup. Hunter.)

14. *Caput Bacchi.* ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. *Cornucopiae, annus* ΓΤ. (Pellerin.)

15. *Caput Bacchi.* ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΑΣΤΛΟΤ. *Thyrsus, annus* ΔΤ. (Pellerin.)

16. *Caput Bacchi.* ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. *Thyrsus, annus* ΔΤ., *infra* ΜΑ. (Mus. Caes.)

17. *Caput muliebre velatum turri-*

tum. ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. *Pallas, annus* ϛΚΤ. (Hunter.)

18. *Caput Augusti.* ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. *Victoria, annus:* - ΚΤ. (Morelli Impp.)

Autonomi, Imperatorii epochae II.

19. *Caput Iovis.* ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤ. *Elephas, annus* Η. *infra* ΜΗ. (Theupoli.)

20. *Caput Augusti.* ✠ ΑΠΑΜΕΙΑΣ. (*forte* ΑΠΑΜΕΩΝ) ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. *Victoria, annus* ΓΚ. (Vaill.)

21. *Caput Palladis.* ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. *Victoria, annus* ΔΚ., *infra* ΑΝ. (Pellerin.)

22. *Caput Augusti.* ✠ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. *Caput muliebre velatum turritum, annus* ΗΚ. AE. II. (Morelli Impp.)

Alterius imperatoris numi proditi non sunt.

Typi: Iuppiter in his numis frequens, quem amplissimum apud Apameam templum habuisse testantur Theodoretus [a]), et quidem cognomine *Belum*, et vaticiniis clarum teste Dione [b]).

Elephas. Teste Strabone [c]) Seleucus Nicator hoc loco D. elephantos aluit, atque etiam successores reges, et inter pacis conditiones cum Antiocho M. initae erat, rex elephantos omnes, quos Apameae habet, traderet [d]).

Tituli: ΙΕΡΑΣ. ΑΣΤΛΟΤ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΤ. Autonomiam primum iactat in numo 7. cum anno Seleucidarum ΒΟΣ., 272., qui coepit V. C. 713. Quo eam anno nacta sit, non constat.

* * *

Epocha I. et quidem cum numeris auctioribus, certa est Seleucidarum ab anno V. C. 442.

Epochae II. annos Vaillantius ab aera Actiaca ducit, quod neque adfirmaverim, neque negaverim. Interim suapte patet, a recentiore illos epocha ducendos. In utraque adhibenda mirus apparet saltus et confusio, quod ex sequente diagramate perspicitur:

Aera Seleucidarum.	*Anni V. C.*	*Aera Actiaca.*
ΖΠΣ.	728.	——
——	730.	Η.
ΒϘΣ.	733.	——
ΓϘΣ.	734.	——
ΕϘΣ.	736.	——
ΓΤ.	744.	——
ΔΤ.	745.	ΓΚ.
——	746.	ΔΚ.
——	750.	ΗΚ.
ϛΚΤ.	767.	——
-ΚΤ.	- - - .	——

a) L. V. c 21. b) L. LXXVIII. §. 8. c) L. XVI. d) Polyb. leg. 35.

Nolo in causas promiscui hujus utriusque epochae usus longius inquirere, praecipue cum satis certum mihi non videatur, horum numeros annorum ex numis rite esse exceptos. Si Vaillantii sententia obtinet, ad annum V. C. 745. utraque aera concurrit, nempe ΔT. aerae Seleucidarum, et ΓK. aerae Actiacae. Non repugnat, Apamenses eodem tempore binis epochis usos, et jam veterem, jam novam numis inscripsisse, atque istud tanto minus, cum Antiochenses, et Ascolonitae binas varias aeras uni eidemque numo inseruerint. Quanquam hos epocharum saltus non facile esse admittendos, monebo in tractatu de epochis. Similem aerarum permixtionem offerunt etiam numi Tripolis Phoeniciae.

Praeter hos epochae annos in imo aversae segmento comparent etiam variae litterae MA. MH. AN., quae arithmeticae videri possunt. Verum etsi revera tales sint, certe annos non indicant, cum v. g. MH. legatur cum annis diversis EOΣ. BΠΣ., ut jam advertit Pellerinius. Similia exempla vide etiam infra in Laodiceae moneta.

* * *

Mentio situs ab Axio fluvio in numo V. Ejusdem situs meminit quoque Sozomenus a): Απαμειας της προς τω Αξιω ποταμω. Vt certum est, fluvio a Macedonibus ex patrio flumine Axio nomen inditum, ita ambiguum, quis fluvius Syriae hoc nomine notetur. Vaillantius ex verbis Strabonis: *Apamea regione multa et ubere abundat, per quam Orontes fluit, et multus in ea vagatur,* colligit, Orontem hunc esse Axium. Harduinus ex verbis Plinii: *Coele habet Apamiam Marsya amne divisam a Nazarenorum tetrarchia*, Marsyae hoc nomen confert. Norisius cum certis argumentis se evincere opinaretur, et Orontem et Marsyam ab ipsa urbe nonnihil fuisse remotiores, suspicatur, exstitisse tertium quemdam fluvium dictum Axium, qui ipsa urbis moenia adlueret b). At verius puto, intelligendum Orontem. Constat ex Libanio c), Alexandrum M. apud Orontem Iovi Bottiaeo aras sacrasse. Fuit hic Iuppiter sic dictus a Bottiaea, quae fuit Macedoniae portio Axio flumini adsita, in qua secundum Herodotum sita Pella Alexandri urbs natalis. Pronum igitur est credere, Macedones, qui Syriae regionibus, urbibus, fluviis ex rerum patriarum similitudine nomina dederunt, Orontem in Axium mutasse, quod arae Iovis Bottiaei sic steterunt propter Orontem, ut in Macedonia templum Iovis Bottiaei propter Axium. Adde, ex testimonio Eustathii Apameam dictam fuisse Pellam ex nomine urbis Macedoniae d). Fuit autem Pella Macedoniae prope Axium sita. Placuit ergo et Orontem prope Pellam Syriacam fluentem nominare Axium.

AE. autonomi R. AE. imperatorii RRRR.

ARETHVSA.

Sita inter Emesam et Epiphaneam ad Orontem.

---

a) L. VII. c. 15. b) Epoch. Syrom. p. 72. c) in Antiochico. d) ad Dionys. v. 918.

Autonomus.

Caput muliebre velatum turritum. ☧ ΑΡΕΘΟΥΣΑΤΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Iuppiter Nicephorus sedens.* AE. II. (Spanheim Orb. Rom. p. 224.)

AE. RRRR.

Imperatorii.

ΑΡΕΘΟΥϹΑΤΩΝ. ЄΤ. ΓΞϹ. *Mulier turrita stans d. pateram, s. hastam,* Severi. (Vaill.)

Eadem epigraphe, ЄΤ. ЄΠϹ. *Pagurus*, Diadumeniani Caes. (Vaill. Noris.)

Epocha a Vaillantio et Norisio figitur ad annum V. C. 685. Syri fraterna regum suorum bella pertaesi ad varios vicinos dynastas Arabes defecere. Inter haec turbida Sampsiceramum occupasse Arethusam innuit Strabo, qui cum scribit, Arabes, quo Syris sunt viciniores, eo etiam esse cultiores, exempli causa adfert Sampsicerami Arethusam [a]). Ei Pompejus regnum confirmavit, et adhuc sub Claudio memorantur Sampsicerami Emesae, et Arethusae reguli, quae omnia fusius persequitur Norisius [b]).

AE. RRRR.

BALANEA.

Ad mare e regione Aradi.

Autonomus.

Caput muliebre. ☧ ΒΑΛΑΝΕΩΝ. *Iuppiter Nicephorus sedens, in area annus* ΔΡ. AE. II. (Pellerin.)

AE. RRRR.

Imperatorius:

Caput M. Antonii laur. ☧ ΒΑΛΑΝΕΩΝ. ΣΥ. Aq. *Antonius in quadrigis d. habenas, s. hastam.* (Pellerin.)

Numum similem, sed sine epochae anno, produxit Vaillantius cum capite Augusti, sed Antonio restituendum censent Pellerinius [c]), et Belleyus. Vaillantius in suo vidit Bacchum in quadrigis. Panelius in simili perperam legit ΘΑΛΑΝΕΩΝ. (Mem. Trev.)

Epochae exordium Belleyus in utrumque numum Pellerinianum prolixe commentatus [d]) figit ad annum V. C. 630. Viro erudito cum persuasum sit, figura aversae quadrigis insistente exhiberi M. Antonium Bacchi specie, quem prodente Vellejo constat *redimitum hederis coronaque velatum aurea, et thyrsum tenentem, cothurnisque succinctum, curru velut Liberum patrem vectum esse Alexandriae* [e]), et constet praeterea ex Dione, insanum hunc III virum sese edicto novum Bacchum compellari jussisse, certum sibi videtur, numum Antonii cum anno Aq. signatum fuisse labente anno V. C. 721. Balanensibus hanc Antonii praeceptam apotheosin suo per adulationem suffragio comprobantibus. Epochae igitur principium annis retrorsum XCI., atque adeo ad annum V. C. 630. figendum. Ea tempestate variae Syriae urbes, quae antea Alexandro

a) L. XVI. b) Epoch. Syrom. p. 480. c) Rec. II. p. 190. d) B. L. T. XXX. p. 287. e) L. II. c. 82.

II. adhaesere, sese rursum Antiocho VIII. regi legitimo subjecerunt. Suspicatur adeo Belleyus, has inter fuisse etiam Balaneam, atque ex hoc casu novam aeram constitutam. Nemo non videt, in universo hoc ratiocinio non parum tribui conjecturis.

Mentio situs, ΒΑΛΑΝΕΩΝ. ΣΤ. nimirum Syriae, in qua urbs sitá.

AE. RRRR.

EMISA.

Ad Orontem in meridiem juxta Arethusam, cui imperavere Sampsiceramus, ejusque filius ac nepos Iamblichus, aliique reguli usque ad Vespasiani saltem aevum. Fuit patria Domnae, sororis Maesae, Soaemiadis, Mamaeae, Elagabali. Reliqua huc pertinentia vide apud Norisium [a]), ex quo pleraque excepi.

Imperatorii.

Sunt tantum Antonini Pii: ЄΜΙCΗΝΩΝ. *Caput Solis*, de quo typo infra, vel: *Aquila globo insistens.* (Vaill. Mus. Caes.)

Notae arithmeticae: Β. Γ.

AE. RR.

Colonia deducta fuit a Caracalla, ut testatur synchronus Vlpianus [b]): *Sed et Emisenae civitati Phoenices* (nam Phoeniciae tum contribuebatur) *imperator noster* (Caracalla) *jus coloniae dedit, jurisque Italici eam fecit.*

Numi sunt Caracallae, Domnae, Elagabali. Perperam a Vaillantio huc refertur numus Alexandri inscriptus: ЄΜΙ. ΚΟ. ΜΗ. ΜЄCCΟΠ., qua falsa lectione inductus ipse aliique Emisam licet in Syria positam Mesopotamiae metropolin fecere. Mirum hoc judicium jam impugnavit Pellerinius, cumque ex suo numo doceret, legendum ΚΑΡ., non ЄΜΙ, numus restituendus est Carrhis [c]).

Epigraphe: ЄΜΙCΩΝ. ΚΟΛΩΝΙΑC. in numis Domnae et Caracallae. ΚΟΛ. ЄΜΙ. ac deinceps: ΜΗΤΡΟ. Κ. vel ΚΟΛ. ЄΜΙCΩΝ. in numis Elagabali.

Typi:

Templum, intra quod lapis conoidicus. In aliis: *Caput Solis.* In aliis: *Mulier turrita sedens emergente subtus fluvio.*

Est hic lapis simulacrum Solis apud Emesam dicti Elagabali, de quo Herodianus: *lapis est maximus ab imo rotundus et sensim fastigiatus propemodum ad coni figuram.* Hunc coelitus demissum indigenae somniabant. Aurelianus hanc urbem *ingressus statim ad templum Heliogabali tetendit*, ut narrat Vopiscus. Lapis eadem forma videtur etiam in Romanis Elagabali numis: SANCTO. DEO. SOL. ELAGABAL. Vide etiam mox in *Ludis.*

* * *

Metropolis. Ad hanc dignitatem absque dubio evecta est ab Elagabalo, cujus numi primum simpliciter ΚΟΛ. inscribuntur, in sequentibus ejus mentio non omittitur. Neque ea dignitas additur in numis postremo Caracallae anno, ut epocha docet, signatis. De adficto huic a Vaillantio honore, tanquam prima fuisset Mesopotamiae metropolis, vide, quae ad Carrhas Mesopotamiae notabimus.

---

a) Ep. Syromac. p. 79. b) Digest. L. L. tit. 15. §. 1. c) Rec. II. p. XV.

* * *

Ludi. ΗΛΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Vrna inter duos lauri ramos*, in numis Elagabali.

Hi ludi *Helia* jure apud Emisenos valuere in honorem Solis, cui eximios habuere honores, cujus testes jam adduxi supra, et quibus adhuc addimus Avienum a). Iidem apud Rhodios ex eodem in Solem adfectu dicti fuere ΑΛΙΑ, nimirum Dorice. Harduinus, cui solenne est, nodum in scirpo quaerere, hos ludos ab *Elide* dictos ΗΛΙΑ contendit, cum sacra Solis dici deberent ΗΛΙΑΚΑ. Noluit animadvertere, eadem solis certamina apud Rhodios dicta fuisse Αλια testibus Aristide, et Athenaeo, non Αλιακα. Haec sacra ΗΛΙΑ memorantur etiam in numis Odessi Thraciae. Ηλια etiam Iulianus Aug. appellat ludos, qui Romae finitis Saturnalibus, et ante novi anni exordium Ηλιῳ ἀνικητῳ, *Soli invicto*, sacri fuere, et summa magnificentia obiti b). Vnde et obvia in numis Romanis inde ab Aureliano epigraphe: SOLI. INVICTO.

* * *

Epocha:

ΚΦ. in numo Caracallae. (Vaill. in Colon.)

ЄΚΦ. ejusdem. (Noris ep. Syrom. p. 82.)

ΖΚΦ. ejusdem. (Vaill. l. c. Noris l. c.)

ΗΚΦ. Caracallae, Domnae. (Ibid. et Mus. Caes.)

ЄΞΦ. Sulpicii Antonini. (Haym. T. I. p. m. 292.)

Epocha est Seleucidarum ab anno V. C. 442., et quidem annus ΗΚΦ. Caracallae numo inscriptus ejus imperatoris postremus est. Lectio anni ΚΦ jure suspecta visa Vaillantio ipsi, et Norisio, quia in eo numo Emisa jam dicitur colonia, quam coaevus Vlpianus tradit deductam a Caracalla, annus vero hic adhuc in Severi imperium incidit. Quare extritus videtur numerus monadicus. Dubia de numo Sulp. Antonini, et anno ΕΞΦ. vide proposita in ejus Augusti numis, quos dabimus post numos Mamaeae.

AE. RR.

EPIPHANEA.

Ad Orontem inter Larissam et Arethusam, cujus nomen pervetustum fuit *Hemath*, sed novum nacta ab Antiocho *Epiphane*; praevaluit tamen inter Syros indigenas nomen vetus, quod hodieque durat. Numos ejus omnes erudite explicavit Belleyus c).

Autonomi:

Caput muliebre velatum turritum. ℞ ΕΠΙΦΑΝΕΩΝ. ΓΞΡ. *Figura militaris gradiens d. porrecta Victoriolam, s. clypeum.* AE. III. (Pellerin.)

Hic numus fabrica, mole, et typo simillimus est alteri vicinae Apameae, qui est in museo Caesareo, cum quo illi ipso adeo epochae anno ΓΞΡ. convenit. Similem Apamenum habet etiam Pellerinius, sed cum anno ΞΡ.

Caput muliebre velatum turritum. ℞ ΕΠΙΦΑΝΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΕΞΡ. *Iuppiter sedens.* AE. II. (Hunter.)

AE. RRRR.

---

a) Descr. Orb. v. 1083. b) Orat. in regem Solem. p. 156. c) B. L. T. XXVI. p. 391.

Imperatorii.

Observati a Tiberio ad Gordianum: ΕΠΙΦΑΝΕΩΝ.

Epochae anni una cum typis, ut numos hos proposuit Belleyus. (l. c.)

Θq. *Fortuna stans*, Tiberii.

ΞC. *Caput Domnae*, Severi.

HqC. *Pallas*, Mamaeae.

ϛT. *Duo pisces*, Gordiani.

Binos Elagabali praeterea citat Belleyus, sed sine epochae anno.

Epocha hujus urbis duplex fuit,

I. Seleucidarum ab anno V. C. 442. Hanc palam comprobat autonomus cum anno ΓΞΡ., qui cum, ut dixi, simillimus sit alteri Apamensi, atque in hoc idem annus ΓΞΡ. necessario ab epocha Seleucidarum ducatur, idem in hoc Epiphanensium numo ex eodem principio ducendus est. Hunc utriusque numi aequabilem modum cum non animadverteret Belleyus, de prima hac Epiphaneae epocha nihil pronunciavit.

II. Pompejana ab anno V. C. 690., ut visum Belleyo, quam sequuntur citati imperatorii, quamvis hi non excludant annos intra 688. et 691. contentos.

AE. RRR.

GABALA.

Maritima, a Laodicea in meridiem.

Autonomus:

Caput nudum barbatum. ℞ ΓΑΒΑΛЄΩΝ. *Pagurus, superne astra solis et lunae.* AE. II. (Pellerin.)

Caput anticae L. Verum omnino refert, tamen inter autonomos recensetur a Pellerinio.

AE. RRRR.

Imperatorii

Sunt ab Augusto usque ad Aquiliam.

Epigraphe constans: ΓΑΒΑΛΕΩΝ.

Typi:

Vir seminudus insistens cippo cum modio in capite d. sublime elata bipennem, s. clypeum instar peltae, ad basin hinc et inde equus, juxta scriptum: ΑΝΝΑ; *ei ex adverso Fortuna sedens*, in numo Commodi. (Pellerin Rec. III. p. 239.)

Etsi Pellerinius sub Fourmontii persona tutus ad explicandam et epigraphen ΑΝΝΑ et typum multa adferat ex vetustissima mythologia deprompta, nihil tamen opportunum commemorare potuit, quo aut sibi, aut nobis faceret satis.

* * *

Harpya globo insistens, ex adverso Sphinx super basi, M. Aurelii, L. Veri, (Vaill. Pellerin.) Commodi. (Mus. Caes.)

Vterque horum numorum praeco, ut et Spanhemius [a]) volucrem globo insistentem, quod in eorum numis facies muliebris forte adcuratius expressa est, Harpyam dixit. Ea in numo musei Caesarei ad noctuam accedit in Gabalae

a) T. I. p. 259.

moneta jure habitantem, quae Palladem saepe impressam habet. Sin revera Harpya est, difficile conjectu, cur ea in hujus urbis monetam involarit, et quis ejus sit cum Sphinge nexus.

* * *

Protome Palladis, ex adverso mulier stans capite tutulato, et velo a summo ad imum tecta, in numis Trajani, Commodi, Diadumeniani. (Noris Ep. Syrom. p. 253.)

Hanc adstitutam Palladi mulierem varii viri eruditi Iunonem Pronubam statuerunt; verum in numo alio similis figura sedet inter duos leones. Quare verius Cybele est, quae in aliis quoque urbis hujus numis solito cultu comparet.

* * *

ΤΥΧΗ. ΓΑΒΑΛΕΩΝ. *Templum 2. columnarum, in quo caput Domnae*, in numo Severi. (Vaill.)

Similis epigraphe et typus est etiam in numis Azoti Iudaeae, et Laodiceae Syriae.

* * *

Epocha:

ΓΜΡ. in numo Trajani, lectio indubitata, in cujus antica juxta caput Trajani laureatum legitur: ΝΕΡ. ΚΑΙC. ΤΡΑΙΑΝΟC. (Mus. Caes.)

ΒΝΡ. ΔΝΡ. Trajani. (Vaill.)

ΓΚC. Aurelii. (Vaill.)

ΔC. L. Veri. (Pellerin.)

ΔC. Commodi. (Mus. Caes.)

ΓΛC. ΔΛC. Commodi. (Vaill. Pellerin.)

CΝΑ. CΝΒ. CΝΓ. Domnae et Caracallae. (Vaill.)

ΓΞC. Diadumeniani. (Vaill. Noris.)

CΞΗ. Aquiliae. (Pellerin.)

Exordium epochae a Vaillantio, Norisio, et maxima antiquariorum parte figitur ad annum V. C. 707. Eam bini numi ex hic citatis, et serius producti magis stabiliunt. Primus est numus Trajani cum anno ΓΜΡ., in quo is adhuc Augusti titulo abstinet. Annus hic deductus a 707. incipit in autumno V. C. 849. Trajanus a Nerva adoptatus fuit, et una trib. potestatem accepit XVIII. Septembris V. C. 850., ut adeo numus hic signari putuerit ante autumnum 850., quo jam coepit annus ΔΜΡ. vel 144. Gabalenorum, ut demonstrat Frölichius, qui numum hunc primus edidit [a]), et Belleyus [b]). Ergo epocha in anteriorem annum anno 707. dimoveri non potest. Tametsi hujus numi patrocinio nimis confidenter niti nolim ex causis, quas olim in numis Trajani commatis Romani dabimus. Alter numus Aquiliae cum anno CΞΗ. (268.) ad annum 707. exacto signatus est ab autumno V. C. 974., neque serius signari potuit, nam caesus est Elagabalus mense Martio V. C. 975. Ergo ex his numis figitur epocha ad annum V. C. 707.

At Harduinus eam ab anno V. C. 708. deduxit. Dissidii causam non adfert. In hac quidem sententia minus difficultatis pareret numus citatus Trajani; nam tum annus numi ΓΜΡ. inciperet in autumno V. C. 850., quo labente indubitatum est, Trajanum jam fuisse Caesarem. At tum repugnat numus Aquiliae cum anno CΞΗ., qui ca-

a) IV. Tent. p. 176. b) B. L. T. XXI. Mem. p. 447.

deret in autumnum anni 975., verum ejus maritus Elagabalus jam mense Martio ejus anni caesus fuit.

Numus Diadumeniani utrumque annum 707. et 708. patitur, reliqui plures ultro citroque admittunt. At neutri illigari potest annus ΔC., qui exstat in numis tam L. Veri, quam Commodi. Quare in numo Veri forte legendum ΔIC., et Commodi ΔΛC., etsi hic, qui est in museo Caesareo, nullum τȣ Λ vestigium offerat, aut alia amoliendae difficultatis expediatur via.

Occasionem constitutae epochae rati sunt Norisius et Vaillantius iter I. Caesaris, V. C. 707. hac exercitum ex Aegypto adversus Pharnacem ducentis.

AE. R.

Memorandus hic adhuc numus rarissimus aureus cum capite Iustini II., in cujus aversa: GABALORVM. *Crux super gradibus.* Citatur apud Bandurium a) et est integerrimus in museo Caesareo. Vrbis nomen rite conspirat cum ejus aetatis scribendi lege, nam in historia ecclesiastica ejus aevi constanter dicitur Γαβαλων πολις, quae testimonia vide apud Norisium b).

HERACLEA.

Huic Syriae urbi perperam Harduinus tribuit numum ΑΠΑΜΕ. ΗΡΑΚΛΕ., putatque, notari concordiam inter hanc, et Apameam Syriae; at numum hunc esse Apameae Phrygiae, in hac dixi. Forte ad hanc Heracleam causa epochae pertinet numus Caracallae cum epigraphe, si modo bene lecta est, ΗΡΑΚΛЄΟΤ. ЄΤ. ΗΣ., quem recitat Wisius c).

LAODICEA.

Dicta *ad mare*, aedificata a Seleuco, et sic a matris nomine vocata. Vlpianus eam in Coelesyria ponit, ut infra videbimus; quae causa fuit, cur Harduinus numos Laodiceae, coloniae nomine inscriptos, Laodiceae ad Libanum tribueret. Verum satis constat, posteriore aetate etiam Seleucidem fuisse Syriae Coele contributam, ut erudite ostendit Norisius d).

Autonomi:

Caput muliebre velatum turritum. ✠ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Iuppiter Nicephorus sedens, per aream:* ΒΛ. ΜΕ. ΑΠ. ΓΛ. AR. I. (Pembrock.)

Alii, sed addito: ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *per aream* I *majus*, ΑΣ. et ΘΕ. (Pellerin.) In alio *per aream* ΔΚ. *et* ΚΑ. (Hunter.) Vterque AR. I.

* * *

Reliqui autonomi sunt aenei, quorum magnam copiam protulit Pellerinius. Horum primum epigraphen, deinde typos commemorabo.

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. solum reperio in argenteo Pembrockiano mox citato. Pellerinius illud etiam solitarium vidit in aeneo, sed dubitat ipse, utrum ad hanc Laodiceam pertineat.

---

a) Tom. II. p. 651. b) Ep. Syrom. p. 251. c) Mus. Bodl. p. 204. d) Ep. Syrom. p. 235. seq.

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ.

Quo tempore autonomiam acceperint, decidi nequit. Norisius eam V. C. 707. a I. Caesare adeptos censet. Haymius et Frölichius eam se jam in Antiochi VIII. numis videre putabant, sed decepti fuere, ut dicetur infra in *typis*. Haec epigraphe infrequens non est.

ΙΟΥΛΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. Epigraphe obvia. *Iulienses* se dixere in gratiam I. Caesaris, qui cum apud eos moraretur V. C. 707., magnis eos beneficiis adfecit, sic ut ab eo anno epocham quoque auspicarentur, de qua infra. Quantus fuerit Laodicensium in dictatorem etiam caesum adfectus, pluribus persequitur Norisius [a]). Certe ab hoc tempore usqne ad ipsum Severum in numis suis hunc honoris titulum constanter retinuere.

* * *

Mentio situs.

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣΣΗ. vel ΘΑΛΑΣΣΑΝ. in autonomis apud Pellerinium, Arigonium, in Mus. Caes., et in argenteo Alexandri I. (Vaill.) et ejusdem regis binis aeneis. (Pellerin.)

* * *

Epochae anni horum quoque compluribus inscribuntur. In argenteis supra citatis tot et tam variae occurrunt notae, ut, quae ex iis epochae serviant, discerni nequeat. In aeneis si singulae tantum similes comparent notae, eae epochae annum haud dubie notant. In aliis occurrit idem, quod ad Apameae numos animadversum est. In area est v. g. ΔΚ., in imo aut ΜΕ., aut ΜΝ., in area ΓΟ., in imo jam ΜΕ., jam ΔΗ., ut adeo in similibus numis laterales areae notae epochae annum indicent, alioqui ΜΝ. numeri suspicionem excludit. In aliis inferne legitur ΑΡΧ. ΚΟΜ. Haec exempla vide apud Pellerinium. De aerae exordio agetur in imperatoriis.

Typi:

Caput radiatum. ℞ *Figura militaris stans d. hastam, alii in aliis anni:* ΔΛ. ΚΑ. ΖΜ. AE. II.

Haymius caput anticae statuit esse Antiochi VIII., quem secutus est Frölichius, et cum in numo scriptum legerent ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, adseruerunt quoque, Laodiceam jam sub hoc rege fuisse autonomam. Similis numus est etiam in museo Caesareo, cujus caput radiatum nihil habet Antiochi VIII. Melius Norisius dixit, exhiberi caput Solis. Pellerinius numos quatuor cum simili capite radiato recenset inter numos Antiochi VIII., etsi ipse fateatur, vultus lineamenta non satis addicere, et aliquantum dubitet, an omnes hi revera sint ejus regis [b]). Non advertit animum vir summus, horum uni inscriptum ΖΜ., qui annus Antiochum VIII. contingere non potest, praeterea scriptum in eodem ΙΟΥΛΙΕΩΝ, vi cujus numus in imperatorum aetatem cadit.

* * *

Caput radiatum. ℞ ΙΟΥΛΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Diana succincta stans d. hastam, s. arcum cum sagittis.* AE. II. (Pellerin Rois. tab. 12, inter numos Antiochi VIII.)

---

a) l. c. p. 253. b) Rois. p. 101.

Protome Dianae. ✕ ΙΟΥΛΙΕΩΝ. etc. *Caput apri.* AE. III. (Pellerin.)

Eximius esse debuit apud Laodicenses Dianae cultus; nam Dianae Tauricae simulacrum ab Oreste Brauronem Atticae delatum, atque inde a Persis Susa asportatum Seleucus Laodicensibus permisit, ut refert Pausanias [a]). Quod et ipsum tenemus fide praeclari marmoris apud eandem hanc Laodiceam reperti, quod vulgavit Chandlerus [b]):

ΙΟΥΛΙΑΝ. ΤΙΤΟΥ. ΘΥΓΑΤΡΑ.
ΒΕΡΕΝΙΚΗΝ. ΤΗΝ. ΑΠΟ.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ.
ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. ΙΕΡΕΣΑΜΕΝΗΝ.
ΤΩ. ΔΞΡ. ΕΤΕΙ. ΤΗΣ. ΚΥΡΙΑΣ.
ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ.
ΚΑΣΣΙΑ. ΛΕΠΙΔΑ. Η. ΜΗΤΗΡ.

Iuliam Titi filiam Berenicen, ex instituto regis Seleuci Nicatoris sacerdotio functam anno CLXIV. dominae Dianae, Cassia Lepida mater. Qui ergo lapis secundum epocham, quae, ut dicetur, apud Laodicenses valuit, positus est V. C. 869. imperante Trajano. Dianae illud simulacrum adhuc Elagabali aetate exstitisse, docet Lampridius [c]): *Lapides, qui divi dicuntur, ex proprio templo Dianae Laodiceae ex adyto suo, in quo id Orestes posuerat, auferre voluit.* Revera in numis Laodiceae jam coloniae cum capite Elagabali comparet Diana venatrix.

* * *

Reliqui typi: *Victoria*, *noctua*, *Fortuna*, *Serapis*, *scorpius etc.*

AR. RRR. AE. R.

Regii:

Caput Alexandri I. diadematum. ✕ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣΣΑΝ. *Neptunus sedens d. delphinum, s. tridentem.* AR. II. (Vaill.). In aliis: *Neptunus stans vario cultu.* AE. III. (Pellerin Rois p. 82.)

Imperatorii:

Ab Augusto ad Caracallam usque.

Epigraphe: ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. — ΙΟΥΛΙΕΩΝ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. at plerumque: ΙΟΥΛΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ.

Sunt etiam argentea tetradrachma Neronis et Hadriani [d]).

Typus obvius: *Caput muliebre turritum.*

* * *

Metropolis. Ad id fastigium evecta a Severo, a quo cum staret Laodicea, Antiochenis Pescennii causam amplexis, hoc caeso Severus ornamenta omnia Antiochiae detracta Laodiceam transtulit, unaque huic Antiochiam ipsam subjecit [e]). Exinde se in numis scripsit: ΙΟΥΛ. ΛΑΟΔΙΚ. CЄΟΥΗ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. At pauca superant, et nonnisi cum capite Severi et Caracallae cum hac epigraphe numismata, nam paullo post a Severo deducta est colonia, sed cujus etiam numi metropoleos dignitatem plerumque addunt. Huc etiam pertinet:

ΙΟΥΛ. ΔΟΜΝΑ. ΤΥΧΗ. ΜΗΤΡΟ-

---

a) L. III. c. 17. b) Inscript. ant. p. 91. n. 5. c) in Elag. d) Pellerin Lettres p. 166. et Mel. I. p. 187. e) Herodian. Suidas in *Severo*.

ΠΟΛЄΩC. *Protome Domnae in templo distylo.* Numus Severi.

Etsi urbis nomen absit, jure tamen numum huc refert Pellerinius.

* * *

Nomina ab imperatoribus. Praeter nomen *Iuliae* jam notum usa est altero *Severianae*, ut mox vidimus. Et diserte testatur Malala [a]), permissum a Severo Laodicenis, ut se de suo nomine *Septimios* appellarent. Revera in numis coloniae nomine subinde signatis *Septimiam* se frequenter vocat.

* * *

Neocoratum, et *Primatum* Syriae perperam huic urbi tributum a Vaillantio ex numo Caracallae manifestis indiciis corrupto satis docui in meis Numis vet. [b]) et supra in numis Laodiceae Phrygiae, quorsum hic numus pertinet.

* * *

Epocha:

AIP. in argenteo Neronis. (Pellerin. Lettres p. 166.)

ΒΛΡ. ΓΛΡ. Domitiani. (Vaill. Mus. Caes. Morelli.)

ΒΞΡ. ΓΞΡ. Trajani cum titulis ΓЄΡΜ. ΔΑΚ. (Noris, Mus. Caes.)

ΓΞΡ. Trajani cum iisdem titulis, et titulo ΠΑΡΘ. (Noris.)

ΑΟΡ. in argenteo Hadriani. (Pellerin Mel. I. p. 187.)

ΖΠΡ. ΗΠΡ. qΡ. Antonini. (Vaill.)

ΑqΡ. Aurelii, (Vaill.) per epocham adhuc Caesaris.

Epochae exordium cum scriptores, tum numi adfigunt ad autumnum V. C. 706. Ex illis Eusebius: *Secundo anno Probi juxta Antiochenos CCCXXV. annus fuit, juxta Tyrios CCCCII., juxta Laodicenos CCCXXIV. annus etc.* Ergo horum epocha anno uno posterior fuit Antiochena. Consentit etiam Chronicon Alexandrinum. Cum igitur certum sit, Antiochenos aeram sam deduxisse ab autumno V. C. 705., necesse est, Laodicensium aeram coepisse V. C. 706.

Eandem egregie statuunt numi Trajani cum anno ΓΞΡ., in quorum aliis *Parthici* titulus additur, in aliis omittitur. Hic si addatur ad 706, prodibit annus V. C. 868., quo labente constat Trajanum eo honore fuisse exornatum, de quo vide plura in numis hujus Augusti commatis Romani. In marmore Laodicensi apud Chandlerum [c]) hi occurrunt characteres chronologici:

ЄΤΟΥC. ΗΞC. ΜΗΝΟC. ΞΑΝΘΙΚΟΥ. ΥΠΑΤΩΝ. ΟΥ. - - - ΟΥ. Γ- ΑΤΟΥ. Κ- ΙΟΥ -- CЄΛЄΥΚΟΥ.

Anno CCLXVIII. mense Xanthico, consulibus Sabiniano Grato, et Claudio Seleuco, ut consules hi legendi sunt correctis marmoris vitiis. Processere hi V. C. 974. Addatur ad annum V. C. 706., cujus autumno aeram Laodicensem coepisse diximus, annus marmoris 268., summa dabit eundem annum V. C. 974., cujus autumno exivit annus Laodiceae 268. Marmor positum est labente mense Syromacedonum Xanthico, qui respondet Aprili anni Iuliani.

Causam epochae suppeditat historia; nam I. Caesar in vere V. C. 707. per

a) Chronogr. L. XII. b) pag. 285. c) Inscr. ant. p. 92.

Syriam profectus adversus Pharnacem *commoratus est fere in omnibus civitatibus, quae majore sunt dignitate, praemia bene meritis et viritim et publice tribuens.* [a]). Censet Norisius, ex quo haec pleraque collegi, Laodicenses tum autonomiam aliaque privilegia adeptos, et *Iuliae* nomen adoptasse.

Ad hoc epochae exordium revocandi etiam numeri minores, quos in autonomis existere supra innui. Vsam antea fuisse aera Seleucidarum, dubium non est, sed numi hoc non docent.

Variae adhuc voces decurtatae in postica imperatorum hujus urbis reperiuntur, ut: ΑΡΙΣ. ΙΣΑ. in numo Neronis [b]). ΙΟΤ. ΟΕ. ΚΟ. ΜΟΤΚ. ΜΚΟ. passim in numis Trajani, ΚΡΑ. in numo Antonini, (Mus. C. Vitzai.) quarum explicationem nemo hactenus tentavit.

Concordia cum Arado Phoeniciae insula, quam vide.

AR. RRRR. AE. C.

Colonia deducta certo fuit a Severo. Vlpianus [c]) : *Est et Laodicea colonia in Syria coele, cui divus Severus jus Italicum ob belli civilis merita concessit.* Confirmatur id quoque numis; nam exstant sub Severo hujus urbis numi sine et cum mentione coloniae, ac deinceps cessant numi Graeci dicti imperatorii. In sequentium imperatorum numis omnibus aut coloniam aperte se profitetur, aut certa saltem praebet coloniae indicia. Numum Graecum a Vaillantio adhuc sub Elagabalo prolatum non moror, quem non dubito Caracallae restituendum, et signatum vivo adhuc Severo, cum colonia nondum esset Laodiceā. Numi Laodiceae coloniae copiosi sunt, et per multas causas memorabiles, in quos Belleyus singulari dissertatione commentatus est [d]).

Porriguntur a Severo usque ad Trebonianum.

Singulares capitum inscriptiones sunt:

Caracallae: M. AVS. (sic) ANTONINVS. PIVS. AV. GER. C. M. S. quas tres postremas literas legit Belleyus: *Colonia Metropolis Syriae.*

M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. P. B. G. MAX. id est: P*arthicus*, B*ritannicus*, G*ermanicus* MAX*imus.*

Diadumeniani: M. OP. ANTONINOS. NOB. CAES.

Hactenus Philippus jun. credebatur primus, cui *Nobilissimi Caesaris* titulus delatus fuit.

ANT. AVG. GET. CAE. C. M. L. (C*olonia* M*etropolis* L*aodicea*) *Caracalla et Geta stantes jungunt dexteras*, in numo Domnae. (Mus. Caes.)

*
* *

Epigraphe aversae, si qua alia, certe in Laodiceae coloniae numis mire variat, sed cujus una causa irruens barbaries.

In aliis est epigraphe Graeca, sed Latine exarata, ut:

LAODICEON. LAVDICEON. vel plenius: COL. LAODICEAS., vel LAODICEON. METROPOLEOS., et haec obtinet in variis numis a Caracalla usque ad Trebonianum. LAODICIA tantum, in numo Elagabali. (Mus. Caes.)

---

a) Hirtius Bell. Alex. c. 65. b) Pellerin Lettres p. 166. c) L. I. de Censib. d) B. L. T. XXIII. hist. p. 168.

In aliis Latina, ut: LAV. COL. ET. METROP. Item C. M. L. jam memoratum.

In aliis extreme barbara, ut: COL. SEP. AVG. ΓΑΟ. MATR. etc. COL. SEP. AVR. LAO. S. MATR. Hoc loco S videtur positum pro ET. Sane in numis Byzantiorum infimi aevi ea litera non raro pro ET ponitur, vidimusque expressum ET in epigraphe praecedente.

LAVDICEA saepe pro LAODICEA, ex quo arguimus, O literae A postpositum ab hominum vulgo ut V enunciatum, idque non in provinciis modo, sed in urbe etiam, atque ipsa Trajani aetate. Nam Plinius junior eos, qui miseros oratores spe *coenae laudabant*, per jocum vocavit *Laudicenos* a). Indocti igitur monetarii eodem exemplo in scribendo urbis nomine non scientiam, sed vulgarem usum secuti sunt.

Inde a Philippo capitis epigraphe Graeca est, aversae ut alias.

* * *

Honorum tituli:

Metropolis: cujus mentionem constanter retinet. De ea actum in imperatoriis.

Prima: hunc titulum colligit Belleyus ex epigraphe numi Elagabali: COL. LAO. P. S. METROPOLEO. id est: P*rima* S*yriae*, addit tamen, posse notare P*rovinciae* S*yriac*.

Nomina ab impp.

Septimia a Severo coloniae auctore. Quare saepius se scribit: COL. SEP. vel COL. SEPT. Vide de hoc plura in imperatoriis sub eodem articulo.

Aurelia, a Caracalla: COL. SEP. AVR. etc.

Augusta, ex nomine imperatoribus omnibus communi: COL. SEP. AVG. etc.

* * *

Ludi:

ANTONINIANA. PVTI. *Duo Centauri vas malis refertum tenentes*, Caracallae.

Praeclare docuit Belleyus, nomine PVTI indicari ludos *Pythia*. Fuere mala victorum in his ludis praemia, ut copiose probabo in tractatu de ludis, et biformia haec monstra fuisse Apollini sacra, docent numi Gallieni cum epigraphe: APOLLINI. CONS. AVG. et typo Centauri. Marmor vetus Belleyo ignotum acta apud Laodiceam Antoniniana Pythia praeclare confirmat, in quo Aurelius Septimius praedicat: ЄΝ. ΛΑΟΔΙΚЄΙΑ. ΤΗ. ΠΑΤΡΙΔΙ. ΜΟΥ. ΠΥΘΙΑΔΙ. ΠΡΩΤΗ. ΑΧΘЄΙϹΗ. ΟΙΚΟΥΜЄΝΙΚΟΝ. ΑΝΤΩΝЄΙΝΙΑΝΟΝ. *Laodiceae, quae mea patria, in Pythiade, quae prima acta est, Oecumenica Antoniniana* b).

* * *

Literae Δ. Є. in his coloniae numis saepe occurrunt, de quorum incerta significatione jam egi in Antiochia.

* * *

Typi reliqui illustriores:

Mulier turrita sedens, infra quam fluvius emergens, adstant 4. mulieres aliae ad eam conversae, Elagabali. (Pellerin Mel. I.)

Indicantur hoc typo 4. urbes Laodiceae metropoli subjectae. Miror ta-

a) L. II. epist 14. b) Chandler Inscr. ant. p. 92.

men, Laodiceae genium habere adjunctum fluvium, cum nullus alicujus nominis fluvius eam adlueret, Orontes autem ab ea esset remotior.

* * *

Quatuor equi lapidem forma coni effictum trahunt, Elagabali.

Existimat Belleyus, hoc typo proponi deum Elagabalum ab Elagabalo Romae publice vectum, ut docent ejus denarii cum simili typo. Sed cum hic deus ad Laodicenses non pertineat, videtur verius, eo exhiberi sacrum eorum lapidem, de quo egi in autonomis.

* * *

Silenus nudus stans d. elata, s. utrem, Treboniani. (Vaill.)

De hoc coloniarum typo vide tractatum de numis coloniarum.

* * *

Huc etiam revocandos numos sequentes docet Belleyus:

ROMAE. FEL. *Lupa gemellos lactans*, Caracallae, et Opeliorum. (Mus. Caes.)

AETERNVM. BENEFICIVM. *Modius frugibus refertus*, Caracallae. (Mus. Caes.)

Cur bini hi numi huc sint vocandi, (nam hactenus perperam cum Romana moneta miscebantur, etsi fabrica barbara coloniam manifeste loquatur) causa est I., quia in horum unius antica, quem vidit Belleyus, leguntur literae C. M. S., quae sunt etiam in aliis certis hujus coloniae numis, ut vidimus. II. quia reliquis Caracallae titulis additur P. B. G. MAX., qui tituli his siglis descripti in nullius alterius coloniae moneta comparent. Harduinus in simili Macrini pro ROM. FEL. legit BOS. FEL., et pro ubertate ingenii explicavit: *Berytus Opeliis Salvis* FELix [a]).

Typus numi prioris in coloniarum moneta obvius. Aversa numi alterius eloquitur frumentarias largitiones liberalitate principis in exteras urbes collatas, cujus argumentum simile est etiam in numo Sidonis adscripto AETER. B. FI. Nonnunquam enim imperatores urbibus id genus beneficia impertivisse, certum est exemplo Athenarum, quibus ab Hadriano adsignatum annuum frumentum docet Dio [b]), quod serius beneficium renovavit Constantinus M. [c]). Tripolitanis Africae Severus oleum gratuitum, et fecundissimum agrum donavit [d]). Privatim de Laodicea nostra Malala [e]): Severum urbis calamitatem miseratum, ad quam a Nigro redacta fuerat, quod adversus hunc pro se steterat, praeter privilegia alia pecunias illi frumentarias multas annuatim solvendas decreto sanxisse. Hic numus lucem accipit ex numo Nervae Romano: PLEBEI. VRBANAE. FRVMENTO. CONSTITVTO cum typo simillimo.

AE. C.

L A R I S S A.

Autonomi:

Caput Iovis laur. ✕ ΛΑΡΙΣΑΙΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. *Thronus.* AE. II. (Pembrock, Pellerin Rec. I. p. 167.)

a) Ad Plin. T. I. p. 264. b) L. LIX. 16. c) Iulian. Orat. I. p. 8. d) Spartian. in Severo. e) Chronogr. L. XII.

Caput muliebre velatum turritum. ※ *Eadem Epigraphe. Equus pascens.* AE. IV. (Theupoli.)

Hactenus ex antiquariorum scito una Thessaliae Larissa praeteritis eodem nomine aliis suos nacta est numos, sed observavi etiam, ei nonnullos ex alieno adjectos, in quorum numero pono eos, quos hic sisto. Causas fere easdem habeo, quibus motus numos ΔΗΜΗΤΡΙΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. Demetriadi Thessalicae ademptos, ut in hujus numis dixi, Demetriadi cuidam Syrae restituendos censueram, epigraphen intelligo, typos, et fabricam. Iam primum quae ibi de formula ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. et scripturae modo a moneta Europaea alienis disputavi, ad hanc etiam Larissam omnia valebunt. Idem intellige de typis, nam caput muliebre velatum turritum fere Cilicium tantum est et Syrum, thronus vero, vel sella sacra, ut typus est Europaeis urbibus ignotus, sic eadem is forma comparet in numis Polemonis sacerdotis Olbae Ciliciae. Eorum vero fabrica quantum abludat ab illa, quam offerunt certi Larissae Thessalicae numi, sola iconismorum inspectio abunde dictat. Quocirca cum omnia Larissam aliquam in oriente sitam eloquantur, ac praeterea certam habeamus Larissam Seleucidis Syriae, neque illam obscuram, sed a multis scriptoribus proditam, quos recitat Cellarius, nemo erit, qui eam non malit prae Thessalica horum patriam numorum agnoscere. Neque vero obstat, in horum uno effictum equum pascentem in Larissae Thessalicae numis obvium. Nam cum constet ex Appiano, Larissam Syriae a Macedonibus appellatam ex nomine Larissae Thessaliae [a]), pronum est credere, novos Larissaeos Larissae veteris ceu metropolis typos imitatos. Eodem modo videmus, Panos effigiem ex Pellae Macedonicae numis in monetam Pellae Decapolitanae, quae ab illa nomen accepit, traductam.

AE. RRRR.

MYRIANDRVS.

Ad sinum Issicum, et Ciliciae fines.

Imperatorii ΜΥΡΙΑΝΔΡΙΤΩΝ typis obviis Antonini et Aurelii. (Vaill.)

AE. RRR.

NICOPOLIS SELEVCIDIS.

Hujus nominis urbem in Seleucide diserte memorant numi, at ubi sita fuerit, lis est. Censent antiquarii, esse aut Issum, quae ex victoria Alexandri de Dario relata dicta fuit *Nicopolis* teste Stephano [b]), et Eustathio [c]), aut aliam huic vicinam Nicopolin, quam ab Isso diversam faciunt Strabo et Ptolemaeus. Vide hanc litem apud Haymium [d]), et Belleyum [e]).

Imperatorii:

ΝƐΙΚΟΠΟΛƐΙΤΩΝ. ΤΗϹ. ϹƐΛƐΥΚΙΔΟϹ. ΙƐΡΑϹ. ϹƐ. *Corona*, in numo Commodi, et Severi. (Haym. l. c.)

Postremas literas ϹƐ. (nam sic revera scribuntur sine puncto medio) Hay-

a) Syriac. b) in *Issus.* c) ad Dionys. v. 119. d) T. II. p. 299. e) B. L. T. XXX. p. 296.

mius legendas suspicatur Cεβαςης Ελευθερας. Res dubia.

ΝΕΙΚΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. CΕΛΕΥΚΙΔΟC. *Mulier velata stans in templo distylo*, Alexandri Sev. (Pellerin Suppl. I. p. 38.)

AE. RRR.

PALTOS.

Maritima versus Phoenicen.

Imperatorii:

ΠΑΛΤΗΝΩΝ. *Dioscuri*, Commodi. (Vaill.)

ΙΟΥ. ΔΟΜΝΑΝ. ΑΥ. ΠΑΛΤΗΝΩΝ. ΣqΒ. *Caput Domnae*, in numo Severi. (Pellerin Mel. II. p. 137.)

Alius fere similis cum anno ЄΤ. (Mus. Caes. Veron. illustr. L. III. p. 235.)

Epochae initium dubium, quod fluctuat inter annos V. C. 657. et 673., de quo vide Pellerinium a), ubi adhuc nonnullos numos hujus urbis dubios citat.

AE. RR.

RAPHANEA.

In Casiotide secundum Ptolemaeum.

Imperatorii:

Elagabali apud Vaillantium, et Theupoli, Alexandri apud Pellerinium. Illi in numis suis legunt ΡΑΦΑΝΕΩΤΩΝ, hic ΡΕΦΑΝΕΩΝ et ΡΕΦΑΝΕΩΤΩΝ.

Typus in omnibus idem: *Mulier turrita stans d. pateram, s. cornucopiae, hinc et inde aquila, pro pedibus bos.*

* * *

Circumferuntur numi:

ΑΝΝΙΑ. ΑΥΡΗΛΙΑ. ΦΑΥCΤΕΙΝΑ. *Caput Anniae Faustinae Elagabali uxoris.* ☧ ЄΠΙ. CΤΡ. ΚΥΡΙΝΟΥ. ΡΑΦΑΝΕΩΤΩΝ. ΑΟC. *Diana Ephesia et Apollo stantes.* AE. m. m.

Horum unus editus fuit ex museo P. Chamillard in Memoriis Trevoltiensibus mense Octobri 1706., quemque summis laudibus effert Harduinus b). Nemo non videt, numisma istud omnibus νοθειας characteribus esse infame, neque, quo istud credamus, opus esse omnibus iis argumentis, quibus numi hujus lepidos natales describit Valsechius c). Havercampus, qui similem numum ex museo suo citat, eumque cum fratribus omni fraudis suspicione liberare conatur in notis ad tabulas II. numismaticas, quae praefixae sunt tomo I. operum Iosephi, tanto magis eorum suspectam causam facit, nam satis apparet, suum quoque ejusdem matricis partum esse. Sane opulentissima alia, ac simul perpurgata musea iis carent, non quia hi numi rari, sed quia propter νοθειαν exclusi. Sed et ipsum Havercampum ab amico monitum huic numo fidem abrogasse docet Mazzolenus d).

AE. RRR.

RHOSVS.

In ipsis Syriae et Ciliciae finibus po-

a) Mel. II. p. 335. b) Opera sel. p. 820. c) Dissert. de Elag. trib. pot. V. p. 67. et 74. d) Animadv. in num. Pisani P. II. p. 138.

sita, sic ut a Strabone aliisque etiam Ciliciae urbibus insereretur. In ejus numos erudite commentatus est illustris Belleyus [a]).

Autonomi:

Caput urbis. ⅹ ΡΩΣΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣ. *Figura stans inter duos pileos Dioscurorum.* AE. (Maffei Ant. Gal. p. 116.)

ΕΤΟ. ΗΜΡ. *Caput muliebre turritum.* ⅹ ΡΩΣΕΩΝ. *Harpa.* AE. III. (Hunter tab. XXV. num. 11.)

AE. RRRR.

Imperatorii:

ΡΩCΕΩΝ. ΕΤΟΥC. ΘΙC. *Figura insistens monti d. fulmen, s. hastam,* Commodi. (Belley ex museo Pfau.)

ΡΩΣΕΩΝ. ΕΤΟΥΣ. ϛΝΣ. typus non proditur, Severi. (Wise Mus. Bodl. p. 205.)

En tibi omnes hactenus compertos Rhosi numos, et si cl. Combium sequi malis, eximendus adhuc numus alter autonomus Hunterianus, quem, quod ΔΩΣΕΩΝ legeret, non dubitavit *Dosae Assyriae* largiri [b]). Nemo credo erit, qui non jam ad ipsam Assyriae mentionem frontem corrugabit, praecipue cum viderit, numo huic cum reliqua hic recitata Rhosi moneta praeclare convenire, si modo elementum Δ in Ρ mutaveris, quo loco verisimile est numo vitium oblatum. Iuvat hoc judicium harpa quoque, quae haud dubie ad Perseum pertinet. At constat etiam, in Ciliciae urbibus, quibus et accensebatur a nonnullis Rhosus, ac praecipue vicina Tarso Persei cultum fuisse celebrem.

Epochae anni in binis imperatoriis ejus sunt naturae, ut ab uno principio duci nequeant. Coactus ergo Belleyus duplicem epocham agnoscere, annum ϛΝC. duxit a Caesariana V. C. 706., et annum ΘΙC. ab Augustana V. C. 723. Ex utra harum pendeat annus ΗΜΡ. numi autonomi, incertum. Haec interim, donec aeram Rhosensem numi alii plenius confirment.

AE. RRRR.

SELEVCIA.

Maritima in Pieria, opus Seleuci I. Exstant hujus urbis numi *regii, autonomi, imperatorii.*

Regii:

1) *Caput radiatum Antiochi* IV. ⅹ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΕΝ. ΠΙΕΡΙΑΙ. *Iuppiter seminudus stans d. protenta coronam.* AE. (Pellerin Rois.)

2) *Caput Antiochi VII. diadematum.* ⅹ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΜΠΙΕΡΙΑΙ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. - - ΑΣΥΛΟΥ. ΕΟΡ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AE. (Mus. Caes.)

3) *Caput radiatum.* ⅹ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΜΠΙΕΡΙΑΙ. *Fulmen super mensa.* AE.

Haymius et Pellerinius capite radiato exhiberi Antiochum VIII. censent, sed fatente ipso Pellerinio non respondent

a) B. L. T. XXX. p. 262. b) pag. 128.

vultus lineamenta. Verius igitur in antica est caput Apollinis Solis, et numi autonomis accensendi.

Regii alii, qui fulmen mensae impositum habent, hic certo signati sunt, etsi urbis nomen abest.

AE. RR.

Autonomi.

4) *Caput Iovis.* ☧ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΜΠΙΕΡΙΑΙ. ϛΞΡ. *Fulmen intra lauream.* AE. III. (Pembrock. Haym.)

Huc etiam pertinent numi ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. cum annis ΔΞΡ. ΕΞΡ. propter typum fulminis, de quibus egi initio numorum Seleucidis.

5) *Caput Iovis laur.* ☧ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. *Fulmen.* AE.

6) *Caput Apollinis.* ☧ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΜΠΙΕΡΙΑ. *Tripus.* AE. III. (Pellerin.)

7) *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Fulmen super mensa cum variis annis inferne scriptis:* Δ. Ε. ϛ. Ζ. ΑΙ. ΒΙ. ϛΙ. ΖΙ. ΗΙ. ΑΚ. AR. max. mod. (Pellerin, Hunter, Mus. Caes. Noris, Pembrock, Theupoli.)

8) *Caput Iovis laur.* ☧ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Caput muliebre velatum turritum.* AE. II. (Hunter.)

9) *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΗΣ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Victoria gradiens, in area* ΓΙ. AR. III. (Hunter.)

10) Ε. ΝΙΚ□ΜΗΔ□Υ. ΗΠΡ. *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ ΣΕΛΕΥΚΕωΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤ□Ν□Μ□Υ. *Fulmen super mensa.*

Sic epigraphen anticae legit Pellerinius, verum in similibus aliis Panelii, (Mem. Trevoux Octob. 1737.) musei Caesarei, et Ill. Comitis ab Erbach, quem vidi ipse, legitur ΕΠΙ. Κ□Μ□Δ□Υ. Observandum in his numis O quadratum.

11) ΙΕΡΑC. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ CΕΛΕΥΚΕ--ΠΙΕΡΙΑC. *Fulmen super mensa, infra quam* Δ. AE. (Pellerin.)

12) ΙΕΡ. ΑCΥ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ CΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΠΕΙΕΡΙΑC. (*sic*) ΖΕΥC. ΚΑCΙΟC. *Templum* 4. *columnarum, intra quod lapis, juxta* Ε. AE. II. (Pellerin.)

AR. RR. AE. R.

Imperatorii:

13) ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Fulmen super mensa,* Augusti. (Vaill.)

14) ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. ΖΜ. *inter lauream,* Tiberii. (Vaill.)

15) ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Caput muliebre velatum turritum prominente pone palmae ramo, juxta* $\frac{\text{BC}}{\text{K}}$ (*sic*) Domitiani. (Noris, Morelli in Domit.)

16) CΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΠΙΕΡΙΑC. ΖΕΥC. ΚΑCΙΟC. *Templum* 4. *col., intra quod lapis, juxta* ϛ, Trajani. (Vaill.)

17) CΕΛΕΥΚΕ - - ϙΡ. *Pallas stans,* Antinoi. (Pellerin.) Vide de hoc numo infra in epocha.

18) CΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΙΕΡΑC. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Iuppiter sedens d. fulmen, s. hastam,* Severi. (Vaill.)

19) CΕΛΕΤΚΕΙΑϹ. ΠΙΑΙΡΙΑϹ. (*sic*) ΛC. *Fulmen super mensa*, Caracallae. (Pellerin Rec. III. p. 241.)

20) ΖΕΤϹ. ΚΕΡΑΤΝΙΟϹ. CΕΛΕΤΚΕΩΝ. *Fulmen super mensa*, Caracallae. (Vaill.)

21) CΕΛΕΤΚΕΩΝ. ΑΤ. Κ. Α. *Tres Corybantum mulieres cum tympanis et bacillis circum Iovem puerum sellae insidentem saliunt*, Macrini. (Pellerin Lettres p. 10.)

22) CΕΛΕΤΚΕΩΝ. ΠΙΕΡΙΑϹ. CΠΘ. Alexandri. (Vaill.)

AE. RR.

* * *

Fulmen super mensa, typus obvius. De hoc Appianus de Seleuco conditore loquens [a]: *Ajunt, in condenda ad mare Seleucia secutum augurium fulminis, ideoque etiamnum fulmen tanquam deum consecratum, ac hymnis celebratum.* Atque ad Seleucenses pertinet, quod scribit Cyrillus [b]: *Graeci fulmen adorant.*

ΖΕΤϹ. ΚΕΡΑΤΝΙΟϹ. in numo 20. Hesychius verbo Κεϱαυνιος addit: και Ζευς ἐν Σελευκιᾳ.

ΖΕΤϹ. ΚΑϹΙΟϹ. frequenter inde a Trajano, specie lapidis informis. Pausanias [c]: *apud Graecos mos olim fuit, informibus lapidibus pro simulacris divinos honores habere.* Istud valet etiam ad Venerem Paphiam, Dianam Pergaeam, aliosque, ut suis locis dictum. Narrat Suidas [d], *Trajanum argenteos crateres, et maximum cornu bovis inauratum primitias victoriae a Getis relatae huic Iovi Casio dedicasse addito ab Hadriano epigrammate*, quod ibi in subjecta nota integrum apponitur. Dictus autem est *Casius* a monte Casio urbi imminente. In hoc Syriae monte vetus Iovis memoria; nam fugientem Typhonem Iuppiter hucusque est persecutus, ut tradit Apollodorus [e]. ΖΕΤϹ. ΚΑϹΙΟϹ. est etiam in numis Corcyrae, sed alia appellationis causa.

Iuppiter puer in Corybantum choro, numo 21. Simile argumentum vidimus etiam in moneta Apameae et Laodiceae Phrygiae urbium.

* * *

Magistratus:

ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΤ. ΖΜ. in numo Tiberii, de quo egimus in moneta Antiochiae.

Ε. ΝΙΚΟΜΗΔΟΤ. vel potius: ΕΠΙ. ΚΟΜΟΔΟΤ. in numo 10., quem signatum censeo sub Antonino, ut infra in *epocha* dicetur.

* * *

Honorum tituli:

Numus hujus urbis vetustissimus, nempe cum capite Antiochi IV., nullum adhuc titulum, solam situs mentionem sistit. Quare censeo, numos omnes autonomos absque his titulis ad haec et vicina tempora pertinere.

Sacra, Asylum: leguntur primum in numo Antiochi VII., qui signatus est anno Seleucidarum ΕΟΡ., et videtur urbs hos honores nacta aut sub hoc rege, aut paullo ante; nam in autonomo, qui per annum ΣΞΡ. novennio ante signatus est, iis adhuc abstinet. Ιεϱας mentio saepe occurrit, Ασυλυ rarius, et tantum in hoc Antiochi VII.,

a) In Syriac. b) Catech. 13. c) L. VII. p. m. 579. d) in Κασιον. e) L. I. c. 6. §. 3.

in autonomo n. 12., et in numo Macrini, in quo legitur AT. K. A. id est: ATτονομȣ Και Ασυλȣ.

Autonoma. Hujus frequens mentio, at dempto citato Macrini numo constanter jungitur cum ΙΕΡΑΣ, uterque vero titulus post Augustum raro in moneta notatus fors incisis per intervalla privilegiis. Seleucenses autonomiam sibi extorserant inter discordias Antiochi VII. et VIII. fratrum. Factum istud secundum Eusebium V. C. 645., secundum Fastos Siculos 646. Norisius priori sententiae adhaesit. Haec libertas causa fuit Seleucensibus condendae novae epochae, ut dicetur.

* * *

Mentio situs a Pieria. Plinius: *in promontorio autem Seleucia libera, Pieria appellata.* Fuit in Macedonia regio teste item Plinio, quae a nemore *Pieria* appellabatur, a qua eum Syriae tractum, in quo fuit Seleucia, Seleucus Pieriam appellavit.

* * *

Epocha: quatuor forte variis epochis usi sunt Seleucenses docentibus numis:

I. *Seleucidarum* V. C. 442. Est haec sine dubio in numis loco II. et IV. allatis.

II. Ab obtenta *autonomia* V. C. 645. Hanc cum Norisio video in argenteis num. VII. citatis, expressam numeris a Δ usque AK, progredientibus. Pellerinius istud in dubium vocat, citatque varios numos Trajani aetate signatos, in quorum area variae literae solitariae vagantur, quae adeo ab anno autonomiae peti non possunt. At credo distinguenda esse tempora, et si solitariae hae notae, quae inde a Trajano usque ad Commodum in plerarumque Syriae urbium moneta visuntur, ad nullam epocham applicari possunt, non sequitur, idem esse sentiendum de literis, quae certo quodam progressu, atque adeo certa lege signatae sunt in tetradrachmis, duobus minimum saeculis ante Trajani aevum percussis. Observandum praeterea, eas notas imperatorum aevo numis impressas nunquam numerum Θ excedere, ut diximus in numis Berhaeae Cyrrhesticae. Ad eandem epocham Norisius quoque exigit numum loci XV., sic tamen, ut subjectam literam K non pertinere ad annum epochae, sed esse notam monetarii existimet.

III. *Pompejana* ab anno V. C. 690. Ad hanc Pellerinius exigit annum qP. descriptum in numo Antinoi num. XVII. Signatus ergo esset V. C. 879. Sed enim in vivis adhuc tum erat Antinous, ut dicitur in ejus numis, neque constat, ejus nomine, quoad vixit, signatos fuisse numos. Ad haec cum videam, in nulla Syriae urbe huic catamito dedicatos fuisse numos, typus Palladis plane alienus sit a Seleucensium moneta, in ipso vero numo aliud legi non possit, quam CEΛEYKE - -, jure vereor, ut numus sit hujus Seleuciae. Si non fallit Vaillantius, ab hac epocha pendebit annus CΠΘ Alexandri Severi, qui alteri epochae nulli applicari potest.

IV. *Actiaca* ab anno V. C. 723. Hujus est annus ZM in numo Tiberii num. XIV., de quo vide dicta in moneta Antiochiae, item annus ΛC. Caracallae num. XIX. Ad hanc etiam forte exigendus autonomus cum anno HΠP.

num. X., qui adeo signatus esset imperante Antonino.

Secundum horum numorum testimonia Seleucenses sub Tiberio secuti sunt aeram Actiacam, sub Hadriano Pompejanam, sub Caracalla Actiacam, sub Alexandro Pompejanam. Haec inconstantia facit, ut nonnihil virorum eruditorum praeconiis, quibus forte fallax lectio imposuit, liceat diffidere. Non absimilis levitas in variandis epochis aliquando etiam Sinopensibus et Amisenis objecta fuit, a qua tamen eos injuria feliciter purgavi. Quare saltem ea monumenta, quibus ea inconstantia confirmatur, novo videntur examini subjicienda. Fors tollenda Pompejana binis solum numis nixa.

* * *

Notae arithmeticae in numis

Trajani: Α. Γ. Δ. Є. ϛ.

Hadriani: Γ.

Antonini: Δ.

Cum apud plurimas Syriae urbes mos obtinuerit, ut in numorum area inde a Trajano usque ad Commodum signarentur similes notae solitariae, ad haec tempora revocandi haud dubie sunt autonomi his insignes. Vide, quae supra ad II. epocham dixi.

COELESYRIA.

ADRAMA.

Vide *Adraa* Arabiae.

CAPITOLIAS.

Quod fuerit vetus ejus nomen, non constat. Harduinus numos omnes Capitoliadis nomine inscriptos Coloniae Aeliae Capitolinae tribuendos docet, quem solidis argumentis refellit Norisius, praecipue quod Capitolias nostra sese autonomam dicit, quod coloniis non competebat, deinde quod hi numi coloniae mentione abstinent, quae tamen in numis certis Aeliae Capitolinae nunquam abest.

Imperatorii:

Ab Aurelio usque ad Macrinum. Singularis est numus editus a Liebeo: (Goth. p. 322.)

Π. CЄΠ. ΓЄΤΑC. *Caput Getae nudum.* ✠ ΙΜΑΚΓ. ΚΑΠΙΑΑ. *Caput muliebre, juxta annus* ΗΡ. ΑΕ. ΙΙ.

Ingeniose auctor caput aversae ait esse Iuliae Domnae, et literas *ἀρχαιȣσας* explet: *Ιȣλια Μητηρ Αντωνεινȣ Και Γετα.* ΚΑΠ*ιτωλιεων Ιερας Ασυλȣ Αυτονομȣ.*

Epigraphe: ΚΑΠ., ut mox vidimus, ΚΑΠΙΤΩ, vel ΚΑΠΙΤΩΛΙЄΩΝ addito Ι. Α. Α. vel ΙЄΡ. ΑC. ΑΥ. et epochae anno.

Typi:

Mulier turrita stans d. hastam, s. cornucopiae, etiam in templo. In numo Macrini apud Pellerinium *caput humanum tenet.*

Iuppiter sedens d. globum, s. hastam in templo 8 *col., in cujus fastigio quadrigae decurrunt.* (Noris.)

Haud dubie hic est Iuppiter Capitolinus, a quo urbi nomen inditum.

Hi numi simillimi sunt numis Mocae Arabiae.

Tituli *sacrae, asyli, autonomae* in plerisque numis.

Epochae anni.

HΞ. Aurelii. (Vaill.)

ΘΞ. Veri. (Vaill.)

Γϙ. Commodi. (Vaill.)

HP. Severi. (Vaill. Mus. Christinae.)

HP. Caracallae. (Noris Ep. Syrom. p. 478. Getae. (Liebe.)

PK. Macrini. (Mus. Caes.)

Libenter cum Norisio diffido lectioni ZKT. in numo Veri, quem ex museo Mauroceno is recitat [a]), qui annus cum reliquis omnino non cohaeret.

Norisius initium epochae primum fixit ad annum V. C. 839 [b]). Serius adeptus numum Caracallae jam Augusti, illud distulit ad autumnum V. C. 843. Nondum vir summus viderat numos Aurelii et Veri cum annis HΞ. ΘΞ., qui deducti ab 843. incidunt in aetatem, qua neuter adhuc Augustus fuit. Numus Macrini, quem recens ex museo Caesareo protuli, initium necessario ad annum V. C. 850. vel 851. defigit, ad quod omnes alii aliorum imperatorum anni commode possunt exigi. Hi anni incidunt in postremum Nervae, et primum Trajani. Causam stabilitae hujus aerae apud auctores non reperio.

AR. RRR.

DAMASCVS.

Ejus tractus princeps, antiquae famae, et ab ubertate soli, aedium magnificentia, festorum splendore celebrata a Iuliano Aug. [c]). Olim Arabiae attributa, de quo vide Spanhemium [d]).

Autonomi:

Epigraphe in his constans: ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ.

Typi:

Caput muliebre turritum. ☧ *Victoria gradiens,* vel: *Mulier stans d. gubernaculum, s. cornucopiae.*

Caput Bacchi. ☧ *Duo thyrsi in decussem dispositi.*

Caput Solis. ☧ *Caput lunae, nempe: caput muliebre lunae impositum.* Typus explicabitur in Damasco colonia.

Aries currens et respiciens solem lunamque, ut in numis Antiochiae.

Cerva stans. V. Damascum coloniam

Mulier turrita insidens rupi d. extenta, s. cornucopiae.

Pallas stans. Mercurius stans.

Sunt numi apud Pellerinium, Arigonium, Theupoli, in Museo Caesareo.

Epocha, quam dicemus esse Seleucidarum, pluribus numis est inscripta,

a) l. c. p. 280. b) l. c. p. 280. c) Epist. 24. ad Serapion. d) T. II. p. 609.

cujus anni incidunt in IIIvirorum, Augusti, Tiberii, Neronis aetatem.

In numis, in quibus est caput muliebre diadematum, et anni ΕΟΣ. ΠΣ., auctor catalogi Theupoli Cleopatrae effigiem videt a). Haec sententia etsi nihil habeat absoni, nam in ejus reginae moneta numum alium producemus Aradi verisimiliter signatum, tamen maluit Pellerinius id genus numos autonomis accensere.

AE. RR.

Regii.

ARETAS Damasci rex.

Caput regis diadematum. Ϫ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΕΤΟΥ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Mulier capite turrito rupi insidens d. spicas, s. cornucopiae, pro pedibus fluvius emergens.* AE. III. (Mus. Caes. Morelli Specim. p. 227.)

Aretae Arabiae principes jam altero ante Christum saeculo memorantur, quos ex libris Macchabaeorum, et Iosepho collegit Frölichius b). Alii deinde Aretae Damasci reguli produntur. Horum uni, Arabici item sanguinis, Damasceni regum Syriae rixas et impotentiam pertaesi sese dediderunt teste Iosepho. Alter a Pompejo M. misso Aemilio Scauro ad pacem adigitur, de quo agemus in denariis Aemilii Scauri, quibus ipse inscriptus legitur: REX. ARETAS. Tertius Aretas Damascenus perhibetur a D. Paulo c). Numos praesentes Damasci signatos dubitare non sinit typus partis aversae huic urbi proprius. Ergo certum est etiam, esse alicujus Aretae Damasceni, atque aut primi, aut secundi. Titulus ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ, *amantis Graecorum*, dubium non satis expedit.

Sub Trajano Cornelius Palma Syriae praeses pulso Arabum rege urbem Syriae adjecit, ac deinceps perpetuo Romanis paruit, deducta etiam, ut dicetur, colonia.

AE. RRR.

Imperatorii.

Sunt Augusti, Tiberii, Neronis, deinde a Trajano usque ad Alexandrum Sev. Ex his maxime conspicuus foret numus Anniae Faustinae Elagabali uxoris, isque maximi moduli, cujus aversa sic describitur in museo Theupoli: ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ. ΕΛΦ. ΔΟΓΜΑΤΙ. ΣΥΝΚΛΗΤ - - - ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚ - - - ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Nolo in reliquis hujus epigraphes ineptiis refutandis diutius immorari. Satis numum male consarcinatum condemnat annus epochae ΕΛΦ., qui extra Elagabali aetatem cadit. Finxit numum homo impudens, quod sciret, hujus Faustinae numos propter raritatem expeti, sed prodidit eum ignoratio chronologiae. Vide etiam, quae de hoc numo in moneta hujus Faustinae observabo.

Epigraphe: ΔΑΜΑCΚΟΥ. ΔΑΜΑCΚΗΝΩΝ.

Typi: *Caput muliebre turritum, in nonnullis pone cornucopiae.* — *Mulier turrita rupi insidens s. cornucopiae, d. protenta piscem*, (ut putat Vaillantius) *spicas*, (ut Pellerinius) *in aliis videtur*

---

a) Pag. 1208. b) Not. elem. p. 199. c) Ep. II. ad Corinth.

bacillus, *clava etc. Nonnunquam sub pedibus fluvius emergens.* De aliis typis agetur infra in Colonia.

* * *

Ludi: CЄBACMIA. in numis Elagabali et Alexandri, *intra coronam civicam.* Iidem frequenter occurrunt in numis Damasci coloniae.

* * *

Metropolis: ΔΑΜΑCΚΗΝΩΝ.ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. primum legitur in numis Hadriani, et cum in aliquot ejus numis hic titulus omissus sit, dubium non est, ad eam dignitatem ab hoc imperatore fuisse evectam. In causa fuisse videtur odium ejus Augusti adversus Antiochiam; quare et Syriam a Phoenice sejungere meditabatur, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur, ut narrat Spartianus [a]). Parum validam ejus causam aliquando dedit Vaillantius [b]), quasi eum honorem nacta esset ab Hadriano in gratiam Nicolai Damasceni; at serius veriorem ex Spartiano amplexus est [c]). Metropolis mentionem deinceps vix amplius omisit, neque in numis etiam coloniae nomine.

* * *

Epocha praefixo L.

ΕΚΤ. Augusti. (Vaill.)

ΕΛΤ. Tiberii. (Pellerin Lettres p. 157.)

ΕΜΤ. Tiberii. (Vaill. Morelli.)

ΔΟΤ. Neronis. (Morelli.)

ΖΟΤ. Neronis. (Vaill. Mus. Caes.)

ΖΠΤ. Domitiani (Pellerin Mel. II. p. 319.) vi epochae adhuc Caesaris.

ΘΛΤ. ΑΜΤ. Hadriani. (Vaill.)

ΤΜΓ. Antonini. (Arigoni.)

Epocha est Seleucidarum ab anno V. C. 442., at fallit numus postremus, quem necesse est esse Hadriani.

* * *

Sacra: ΔΑΜΑCΚΟΥ. ΙЄΡΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. Alexandri Sev. et Gordiani teste uno, quod norim, Spanhemio [d]).

AE. R.

Colonia. Hoc nomine signari numi incipiunt sub Philippo, et desinunt cum Salonino. Numus Elagabali apud Theupoli coloniae mentionem jam facit, cui vix adsentiar, nam exstant adhuc numi Alexandri Damasci non coloniae.

Epigraphe Latina: COL. DAMA. METRO., saepe etiam plenius, mixtis non raro literis Graecis; saepe turpiter barbara.

S. C. in aversa numi Aemiliani, ut in Antiochenis. (Vaill. Bandur.)

Typi:

Cupressus, cujus in Damasci moneta plantatae causam inde peto, quod haec arbor soli sacra fuit, nam Cyparissus Phoebo carus in hanc mutatus fuit. Solem autem inter praecipua fuisse Damasci numina, mox videbimus, et universim Syros veneratos esse Solem, narrat Dio [e]).

Cupressus inter equum et bovem. Typum explicat autonomus supra descriptus, in quo hinc caput Solis, inde Lunae. Fuit autem equus victima Solis, ut bos Lunae, quod utrumque satis olim probavi [f]). Cupressus item utrique numini sacra, Soli, ut continuo dictum,

a) In Hadriano. b) Num. colon. sub Philip. sen. c) Num. Graec. p. 208. d) T. I. p. 660. e) L. LXV. c. 14. f) Num. vet. p. 197. et 249.

Lunae, quae fuit eadem cum Hecate, vel Proserpina, idque quia Diti sacram pronunciavit Plinius.

Silenus stans propter cupressum utrem humero gestans, etiam intra templum. Fuit hic deaster solitum coloniarum numen, ut dicetur in tractatu de harum numis.

Bacchus stans inter duos palmites, Treboniani. (Vaill.) Bacchum vites per Syriam plantasse, at impeditum a Damasco quopiam, a quo urbi nomen, fabulatur Stephanus. (in Damasco.)

Cerva puero ubera praebens. Vaillantius animal illud *damam* dixit, quod fere eodem recidit, atque a *dama* fors Damascum appellationem trahere. At vero Damasci nomen Graecum non est, sed pervetustum Hebraicum, cum in sacris literis jam dicatur דמשק. Quid quod *dama* verbum Graecum non est, et verbum adfine δαμαλη non *damam*, sed *buculam*, *vitulum* significat, adeoque Damascus non potuit nomen trahere ab animali in numo signato, quod disparis naturae est illi, quod urbis nomen eloquitur. Dici posset, Latinos urbis colonos hoc typo damae vel cervae usos ea solum de causa, ut ad urbis nomen adluderent. Verum cerva jam fingitur in autonomo Pelleriniano, et alio apud Norisium [a]), qui coloniarum numis multo sunt priores. Est ergo argumenti Graeci. Iam vero videmus eundem cervae puellum lactantis typum in numis Tegeae Arcadiae, quem diximus esse Telephum, de cujus fabula constat. Si audimus Stephanum, Damascus Mercurii F. ab Arcadia in Syriam veniens urbem sui nominis condidit. Sin istud creditum revera fuit Damascenis Graecis, pronum est opinari, eos majoris suae patriae facta domestica in numis proposuisse. Quid quod Cyparissum, cujus memoriam Damasceni signata in numis, ut dixi, cupresso aliquo modo conservarunt, ejusdem Telephi filium faciat Servius [b]).

ΠΗΓΑΙ. *Specus, in quo fluvius decumbens*, Otaciliae. (Vaill.) Typus est, ut in numis Latinis inscriptis: AQVA. TRAIANA. Verbum ΠΗΓΑΙ *fontes* indicat. Fuit Damascus sita ad fluvium Chrysorhoam, sed qui aliorum fontium accessione vires accepit; nam et bini amnes apud Damascum aevo remotissimo in sacris litteris memorantur [c]): *Nonne meliores sunt Amanah et Parpar fluvii Damasci omnibus aquis Israelis?* Quare et in numo Herennii apud Pellerinium infra mulierem sedentem duo sunt fluvii emergentes [d]). Huc distuli explicationem numi Graeci cum capite Macrini, quem edidit Pellerinius [e]). In hoc fingitur *mons, ex quo duo fluvii decurrunt, quique ad ejus pedem videntur in unum coire.* Secundum hunc numum Ptolemaeus: *ex Damascenorum montibus fluvius Chrysorhoas appellatus.* Fluvii hi in plures secti canales et fertilitatem agro Damasceno singularem, et jucunditatem conciliavere. Quare Iulianus in laudata epistola inter reliqua encomia eum commendat etiam a πηγων αγλαϊᾳ και ποταμων πληθει, και γης ευφορια, *fontium amoenitate, fluviorum numero, et terrae ubertate.* Iure igitur merebantur

a) Ep. Syrom. p. 78. b) ad Aen. III. 680. c) Reg. IV. c. 5. d) Rec. II. p. VII. e) Lettres p. 9.

hi fontes et rivi, ut numorum quoque praeconio celebrarentur, quorum amoenitas et beneficia hodieque urbem commendant teste Pocokio.

Mulier turrita superne insidens monti, juxta quam Pegasus, et Silenus, inferne quinque mulieres sacrificant, Otaciliae. (Vaill.)

Stantes infra mulieres totidem urbium genii sunt, quae Damascum metropolin suam venerantur. Simile argumentum vidimus in numis Neocaesareae Ponti et Laodiceae Syriae. De Sileno actum. Pegasus, ut acute observat Vaillantius, videtur hic allegorice positus in locum των πηγων Damasci celebratarum, de quibus continuo egimus, quod et hic άπο των πηγων nomen nactus est.

* * *

Legiones:

Lupa cum gemellis, retro vexillum, in quo LEG. VI. F. Otaciliae. (Vaill.)

LEG. III. GAL. *inscriptum vexillo, hinc et inde aquila*, Volusiani, et Treboniani. (Vaill.)

Inscriptae ergo binae legiones in hoc tractu stetere. De legione III. testatur Dio loquens de legionum sua aetate stationibus: *Tres tertiae, una in Phoenice, Gallica nomine* a). Eandem jam prima Augustorum aetatae huic regioni fuisse applicatam, idem Dio refert, cum narrat, in exercitu Vespasiani fuisse legionem III. Gallicam, quae in Syria hiemare solebat b). De legione VI. idem Dio *Sextae duae, - - - altera in Iudaea, Ferrata* c), quo docemur praeterea, literam F, quae τῳ LEG. VI. additur, explendam: F*errata*. Narrat Tacitus sextam et tertiam legionem sub Corbulone in bello Armeniaco militasse ex Syria excitas d).

Mulier turrita rupi insidens, infra duo fluvii emergentes, hinc et inde vexillum, uni inscriptum S, *alteri* T., Herennii. (Pellerin Rec. II. p. VII.)

Hujus explicatio numi a praecedentibus pendet; nempe ut in his legio *sexta* et *tertia* notis VI. et III. indicantur, sic in praesente literis ἀρχαιοσαις S. T. At non admittit istud Pellerinius; nam cum το S perinde notare posset *Sextam* et *Septimam*, et το T *Trigesimam* credibile ipsi non videtur, a Damascenis adhibitam inscriptionem, quae duplicem sensum admitteret. Quare legit potius *Scythica* et *Trajana*. Nimium hoc loco anxium video Pellerinium. Certum est, legionem VI. et III. vel earum saltem partem apud Damascum commoratam, et quidem Herennii aetate, cur ergo literas S. T. aliter explicemus? atque etsi de legione Scythica constet ex eodem Dione, eam huic regioni fuisse adfixam, an istud etiam de Trajana constat? Damascenis sensus duplex imponere non potuit, in quorum tantum usus haec pecunia percussa fuit. Legio III. GAL. legitur etiam in numis Tyri.

* * *

Ludi:

CЄBACMIA. saepe in hujus coloniae numis, perinde atque in imperatoriis Graecis, ut dictum.

AKTIA. KAICAPIA. *intra quernam*, Philippi sen. Numum edidit Vaillantius ex thesauro regio, cujus iconismus propter

a) L. LV. c. 23. b) L. LXV. c. 14. c) L. LV. c. 23. d) Ann. XIII. 35. 38. et XV. 26.

inscriptum ΔΑΜΑ. numum Damascum quidem referendum docet, verum editor eum Tyri numis miscuit. Lapsum corrigant, quibus numum inspicere datur.

* * *

Nomen ab imperatore: COLONIA, AEMILIA. ΔΑΜΑCCO. ΜΗΤΡΟ. nempe ab Aemiliano, cujus est numus. (Bandur.)

* * *

Commemorandus denique aeneus infimi aevi, in quo juxta signum imperatoris stantis, quem Leonem IV. profitetur praeco Sestinus, legitur ΔΑΜΑCΚΟC, de quibus agemus in moneta Leonis IV. Chazari.

AE. C.

HELIOPOLIS.

Hodie *Baalbek*, ad Libanum montem, et fontes Orontis teste Plinio. Secundum etymon *Solis urbs*, cujus et insignem in hac urbe cultum mox docebimur.

Autonomi non exstant, ut nec *imperatorii* Graeci, etsi Holstenius ex Gotifredo numum proferat inscriptum: ΗΛΙΟΠΟ. ΠΡΟΣ. ΛΙΒΑΝΟΝ. a) sed qui ex typo viri equum ducentis certo est Laodiceae ad Libanum, de qua proxime. Quin consultus a me Cl. Montius νυν ἐν ἁγιοις, cujus curae museum Christinae commissum fuit, respondit, praeter verba ΠΡΟC. ΛΙΒΑΝ. in hoc numo nihil aliud confidenter legi.

Colonia deducta fuit seu a I. Caesare, seu verius Augusto, ut arguunt addita IVL. AVG. Male Holstenius, aliique ejus conditorem arguunt Severum nixi testimonio Vlpiani b): *Est et Heliopolitana, quae a D. Severo per belli civilis occasionem Italicae coloniae remp. accepit*, quae verba non indicant, ab imperatore Severo deductam coloniam, sed jus Italicum concessum, nam sic et Paulus Carthaginem, Vticam, Leptim magnam a Severo *juris Italici factas* adserit c), quas pridem antea fuisse colonias constat. Litem terminant numi Nervae et Hadriani, qui ante Severi aetatem diu signati coloniae jam mentionem faciunt.

Numi sunt a Nerva (Pellerin) usque ad Gallieni aetatem.

Epigraphe: COL. HEL. vel: C. I. HEL. vel: COL. IVL. HEL. vel: COL. H. in numo Hadriani, (Vaill.) COL. HELIOP. Gordiani (Pellerin). Inde a Caracalla fere semper COL. IVL. AVG. FEL. HEL.

Typi:

I. O. M. H. COL. HEL. id est: *Iovi Optimo Maximo Heliopolitano. Templum* 10. *columnarum*, inde a Severo frequenter.

Fuisse Heliopolin Soli devotam, nomen prodit, numi distincte non indicant, qui potius Iovem peculiari ratione cultum manifestant. At rem optime conciliat Macrobius d), qui cum primum ex multis testimoniis docuisset, Iovem eundem esse cum Sole, mox propius haec memorat: *Assyrii quoque Solem sub Iovis nomine, quem Δια Ηλιοπολιτην cognominant, maximis caerimoniis celebrant in civitate, quae Heliopolis vocatur.* Addit, dei simulacrum sumptum ex cognomine Aegypti urbe Heliopoli, et habere aliqua Iovis, aliqua Solis, nam esse specie imberbi dextera elata cum flagro in aurigae

---

a) ad Steph. in Heliop. b) L. I. de Censib. c) L. II. de Censib. d) Sat. L. I. c. 23.

modum, laeva tenere fulmen et spicas, quae cuncta Iovis Solisque consociatam potentiam demonstrant. Sed et Iulianus Aug. Solem eundem cum Iove late comprobat in oratione in regem Solem. Vnde et Sarapis idem Iuppiter, idem Sol. Hujus etiam Iovis cultus extra Heliopolin viguit, neque modo apud vicinam Berytum, sed etiam remotissimos Puteolos docente istud marmore, quod edidit Muratorius sub Trajano positum: (pag. 231. 4.) CVLTORES. IOVIS. HELIOPOLITANI. BERYTENSES. QVI. PVTEOLIS. CONSISTVNT. De templo in numis his spectabili haec Malala [a]): *exstruxit hic* (Antoninus Pius) *apud Heliopolin Phoeniciae Libani magnum Iovi templum, quod et ipsum inter mirabilia opera numerandum est.* Et forte superstites adhuc ruinae, et tam propter magnificentiam, quam artem admirandae, quas pictas stitit Pocokius, ad idem templum pertinuere.

* * *

I. O. M. H. *Cupressus intra templum*, Philippi et Otaciliae. (Vaill.)

Typus hic mox dicta de Iove et Sole uno nomine comprehensis confirmat; epigraphe namque ad Iovem, arbor ad Solem refertur, cui eam sacram fuisse supra in Damasco docui, in cujus quoque numis visitur.

* * *

Caput muliebre velatum turritum, pone ramus lauri, typus obvius.

* * *

Legiones:

LEG. VIII. AVG. V. MACEDON. *Caput muliebre turritum cippo impositum adstante hinc et inde milite cum vexillo*, Philippi sen. (Vaill.)

Easdem legiones eloquitur frequens in his numis typus duarum aquilarum legionariarum. In numis Beryti non admodum distantis jam inde ab Augusto leguntur legiones V. et VIII., perinde ac LEG. III. GAL. in numis cum Damasci, tum Tyri. Ex quo apparet, legiones V. et VIII. partem stetisse Beryti, partem Heliopoli. Et docet Strabo [b]), Berytum a Romanis instauratam duabus legionibus ibi ab Agrippa collocatis. Quotae illae fuerint, Strabo non docet, sed docent numi. Legionem V. stetisse in Iudaea, et Titi partes secutam tradit Tacitus [c]). Haec vera sunt cum ex historicis, tum numis. At difficultatem non exiguam offerunt testimonia contraria cum historicorum, tum numorum. Legio V., quae aetate Augusti, Titi, Philippi in Syria stativa habuit, aetate Dionis adfixa fuit Daciae, ut diserte hic prodit: πεμπτον Μακεδονικον ἐν Δακιᾳ. Ibidem eam commoratam sub Philippo, et sequentibus imperatoribus, obvii Daciae numi satis confirmant. Non tantum mihi tribuo, ut ausim me hujus discordiae arbitrum ferre, nam et plures aliae mihi forent componendae, ut cum Dio legionem VIII. Augustam in Germania superiore constituit, quod et confirmatur tegulis apud Argentoratum effossis teste Schöpflino, in quibus scriptum: LEG. VIII. AVG. [d]) numi Beryti et Heliopolis ab Augusto usque ad Philippum saltem in Phoenicia et Syria; aut cum legionem IV. Scythicam in Syria ponit, quam numi Viminacii Moesiae superiori vindicant; aut

---

a) Chronogr. L. XI. b) L. XVII. c) Hist. V. 1. d) B. L. T. X. p. 457.

cum Tacitus imperante Nerone legionem V. e Moesis ad bellum Parthicum recens excitam narrat [a]), quae tamen in Beryti numis sub Augusto et Claudio signatis jam legitur. Vide de hoc argumento nonnulla praeclare observata a Fabricio [b]).

COL. H. LEG. H. *Duae mulieres stantes, quarum singulae gubernaculum tenent*, Hadriani. (Vaill.)

Alius, sed cum epigraphe: C. I. HEL. LEG. H. (Mel. I. p. 273.)

Vaillantius LEG. H. explicat LEG*io* H*eliopolis*, cum quo sentit etiam Pellerinius. Verum cum legio vel legiones in his numis notatae aliae verisimiliter non sint, quam V. et VIII., et haec non minus excubuerint Beryti, quam Heliopoli, mirum videatur, cur Heliopolitanae dicantur, quae perindae poterant dici Berytiae. Quod si Heliopolitanae vocabantur, miror, eas tantum sic vocari in numis Hadriani, nunquam in numis aliorum imperatorum, cum non cessaret appellationis causa. Quare potius censeam, eas legiones adulationis causa sese appellasse *Hadrianas*, quae appellatio τῳ H. indicaretur, et mortuo Hadriano, sublata nempe adulationis materia, desiverit. Pellerinius eorum sententiam recte refellit, qui LEG. H. explicant LEG*io* VIII. quia verisimile non est, notam Graecam inscriptioni Latinae additam. Addo, non solam hic stetisse legionem VIII. sed et V., quae utraque semper conjungitur sive inscriptione, sive symbolis, atque in praesente binae mulieres cum gubernaculis stantes certe utramque legionem indicant. Vide etiam numos Beryti Phoenices.

* * *

Ludi:

CER. SAC. CAP. OEC. ISE. HEL. vel: CERT. SACRV. CAPIT. OECV. ISEL. HEL. *Certamen sacrum Capitolinum Oecumenicum Iselasticum Heliopolitanum.* Typi: *Vna vel tres urnae*, vel: *Pugil nudus*, vel: *Duo viri sedentes urnam una sustinent*, Caracallae, Valeriani. (Vaill.)

Varios hos ludos explicatos vide in tractatu de ludis. Zenobius meminit *ἀγωνος πενταετηρικυ ἀγομενυ ἐν Ηλιυπολει κατα το ἐθος*, *certaminis quinquennalis, quod Heliopoli de more agebatur* [c]).

* * *

Nomina ab imperatoribus: IVL. AVG.

AE. R.

LAODICEA AD LIBANVM.

Ad Libanum montem, cujus mentione tam ab historicis, quam numis ab aliis cognominibus distinguitur. Ptolemaeus eam *Cabiosam* appellat.

Imperatorii:

Ab Antonino ad Decium usque. (Vaill.)

Epigraphe: ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. ΛΙΒΑΝΟΥ. vel ΠΡΟС. ΛΙΒΑΝΩ. vel ΤΩΝ. ЄΝ. ΤΩ. ΛΙΒΑΝΩ.

ΤΥΧΗ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. ΛΙΒΑΝ. *Mulier turrita sedens d. signum militare s.*

---

a) Ann. XV. 6. b) ad Dionis L. LV. §. 23. seq. c) Proverb. Cent. II. §. 35.

caput humanum, pede icunculam calcat, Commodi.

MHN. *Mensis stans cum pileo Phrygio d. equum capistro retinet*, Severi.

Rarus hic deus in numis extra Asiam minorem.

Vir paludatus stans d. labarum, s. parazonium, Antonini.

Caput muliebre turritum, typus frequentior.

* * *

Epocha: ΑΞΥ. ΒΞΥ. in numis Antonini. Est Seleucidarum ab anno V. C. 442.

AE. RR.

LEVCAS.

Leucadiorum unus Plinius meminit: *Coele habet - - - ad orientem Laodicenos, qui ad Libanum cognominantur, Leucadios, Larissaeos.* De situ nihil praeterea, sed ex numis docemur, fuisse positos ad Chrysorhoam fl. Belleyus, qui erudita dissertatione hujus Leucadis numos illustravit [a]), cum videret, a Ptolemaeo in eadem vicinia, nimirum inter Damascum et Heliopolin ad Chrysorhoam collocari Abilam, et omitti Leucadem, urbem, ut ex numorum numero apparet, non parum illustrem, contra a Plinio memorari Leucadios, et omitti Abilam, conjicit, Abilam esse eandem cum Leucade, et nomen Abilae fuisse vetus Syriacum, et Leucadis recentius a Graecis inditum, non tamen vetustum Abilae sic obliteratum, ut in usu esse deinceps desineret, quod pluribus Syriae urbibus, quibus Graeci vetera nomina detraxere, usuvenit. Conjecturam etiam petit ex nomine *Abila*, haud dubie urbi indito, quod ad rupem, Hebraeis אבל, sita fuit; fuisse autem rupi impositam, docent hodierna ejus Abilae rudera, quae copiosius exposita vide a Pellerinio [b]). Quare amplius conjicit ex eadem rupis causa a Graecis fuisse dictam *Leucadem*, exemplo Leucadis Graecae, sic dictae teste Strabone, quod ad albam rupem sita esset. Haec ingeniose Belleyus, quae tamen aliud non sunt, quam conjecturae probabiles.

Autonomi:

ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ. *Victoria.* ✠ ΚΛΑΥΔΙΑΙΩΝ. ΧΡΥΣΟΡΟΑΣ. *Puer dimidius natans.* AE. III. (Pellerin.)

ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ. *Victoria.* ✠ ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΚΛΑΥΔΙΑΙΩΝ. *Caput muliebre velatum turritum.* AE. II. (Pellerin.)

ΗΡΗ. L. ΗΡ. *Caput Iunonis.* ✠ ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ. *Avis.* AE. II. (Pellerin.)

AE. RRR.

Imperatorii.

Trajani, Hadriani, Caracallae, Macrini, Gordiani.

Epigraphe: ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ. vel: ΚΛΑΥΔΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ.

Typi: *Caput muliebre turritum intra templum 4. col.*, quae haud dubie est *Astarte*, quae in numo Gordiani

a) B. L. T. XXXII. p. 695. b) Suppl. I. p. I. dans l'explication.

apud Vaillantium *turrita in cippo stat, Victoria ei ex adverso coronam porrigente.* — *Sol in quadrigis d. elata, s. globum*, Macrini. (Pellerin.)

* * *

Epocha:

1) ЄN. Trajani jam *Dacici.* (Noris Ep. Syrom. p. 483.)

2) ΘΠ. Hadriani. (Pellerin Suppl. I. p. 36.)

3) ANC. Caracallae. (Belley l. c. p. 702.)

4) ΔNC. Macrini. (Pellerin, Theupoli.)

5) ΔOC. ЄOC. HOC. Gordiani. (Vaill. Pellerin Mel. II. p. 324.)

His adde:

6) HP. in autonomo descripto.

Inito calculo apparet, annos numis 1. et 2. inscriptos ab altero principio, eoque recentiore esse petendos, quam annos numis 3. 4. 5. insertos.

Epocham I. vetustioris principii in numis Caracallae, Macrini, Gordiani, Belleyus derivat ab autumno V. C. 717. Ejus causam hanc statuit [a]): Ptolemaeo Mennei F. Heliopolis et Chalcidis regulo V. C. 714. mortuo successit filius Lysanias. Ab hoc Abila, quae secundum Belleyum eadem est cum Leucade, cognomen *Lysaniae*, quo ab aliis cognominibus distingueretur, tulit. Sic Ptolemaeus: Αβιλα ἐπικληθεισα Λυσανιȣ, et apud Lucam [b]): Λυσανιȣ της Αβιλίνης τετραρχȣντος. Hic Lysanias a M. Antonio instigante Cleopatra caesus est V. C. 718., unde verisimile, Abilenses seu Leucadios libertati restitutos beneficium istud constituta epocha celebrasse. Hoc ratiocinium ut valeat, exigit, Abilam eandem fuisse cum Leucade.

Epocham II. ducit ab autumno V. C. 801. vi anni ЄN. in numo Trajani positi. Annum ΘΠ. in numo Hadriani Pellerinius eidem principio illigat. Circa id tempus Claudius mortuo Agrippa Abilam cum Syria conjunxit, eamque, ut videtur, variis beneficiis ornavit, quibus urbs delinita *Claudiae* nomen adoptavit. Vide de hoc plura apud Belleyum [c]). Rursum ergo hic exigitur, Abilam et Leucadem non fuisse urbes diversas. Ceterum quidquid erit, seu una fuit, seu distincta urbs, Belleyi causam non labefactat; nam etsi diversa fuit, vicinae ambae certo fuere, quod ex utriusque ad Chrysorhoam situ colligere licet, atque inde videtur communem semper Leucas cum Abila habuisse sortem.

Annus HP. citati autonomi dubium relinquit, utri epochae applicandus sit. Si priori, signatus est imperante Trajano, sin posteriori, imperante Antonino. Posteriori applicant Belleyus [d]), et Pellerinius [e]), et in capite anticae vident Faustinam jun. sub Iunonis specie. An vultus lineamenta respondeant, ipsi viderint.

AE. RR.

---

a) l. c. p. 701. b) Cap. 3. c) l. c. p. 703. d) l. c. p. 704. e) Rec. II. p. 199.

TRACHONITIS, ITVRAEA.

CAESAREA PANIAS.

Ad fontes Iordanis a Tyro in ortum. Ejus antiquissimum nomen proditur in sacris litteris *Lesen*, et *Lesen-Dan*, quoniam tribui Dan contributa fuit a). Serius dicta *Panias*, a qua etiam ager, in quo urbs sita, Panias vocatus fuit b). Nomen Paniados Plinius ducit a fonte Paneade, e quo Iordanis oritur. At verisimilius est eam sic vocatam a monte Panio. Eusebius c): *Apud Caesaream Philippi, quam Phoenices Paneada nominant ad pedes Panii montis, unde profluit Iordanes.* Hujus montis numi faciunt mentionem. Philostorgius nomen ducit a Pane d): *Secutis temporibus Caesarea Philippi cognominata est. Sed cum gentiles Panos simulacrum in ea collocassent, in Paneados vocabulum transiit.* Addi potest Πανειον, specus, quam peramoenam et aquis divitem laudat Iosephus, et juxta quam Herodes M. illustre templum in Augusti honorem erexit. Cum Pan montes et antra amet, dubium non est, et monti et antro ἀπο τȣ Πανος nomen inditum.

Teste Iosepho e) Philippus tetrarcha Herodis M. filius *juxta Iordanis fontes in Paneade urbem condidit CAESAREAM*, et Hieronymus f): Philippus *in honorem Tiberii Caesaris CAESAREAM PHILIPPI, quae nunc PANEAS dicitur, appellavit.* Etiam in sacris literis dicitur *Caesarea Philippi* g). Ex quo videmus, hanc Caesaream, quo ab aliis cognominibus distingueretur, dictam fuisse *Paniadem* a monte, aut *sub Panio* nempe monte, cui subjecta fuit, aut *Philippi*, nempe a conditore. Haec propter ipsos numos commemoranda fuere, quae prolixius enarrant Norisius h), et Cellarius. Fuisse etiam dictam *Neroniada*, infra sub *Neronias* dicetur.

Imperatorii:

Ex his memorandi primum sequentes.

AVGVSTVS. *Ejus caput nudum.* X C. A. *intra lauream, cui in aliquibus navium rostra intexuntur.* AEnei omnis formae, etiam maximi moduli.

AVGVSTVS. TR. POT. *Caput laur.* X Λ T. C. A. *intra lauream*, AE. II. (Pellerin Mel. I. p. 36. cujus is similes quatuor nactus est.)

Ex posterioribus his numis praecedentium fatum pendet. Hi omnes hactenus nemine repugnante Caesaraugustae Tarraconensis urbi tributi fuere, ac po-

a) Iosue XIX. 47. b) Plinius. c) Hist. eccl. L. VII. c. 17. d) L. VII. c. 3. e) Bell. Iud. L. II. f) in Matth. cap. 16. g) Marci VIII. 27. h) Ep. Syrom. p. 571.

stremum ab ipso etiam Florezio eruditissimo monetae Hispanicae interprete.

Adversatur Pellerinius [a]), I. quia fabricae causis nimio abludunt a certis Caesaraugustanis, et sunt operis plane Syriaci, quales sunt obvii inscripti S. C., qui Antiochiae Syriae tribui solent. II. In Caesaraugustanis semper praeponitur aliud C, nempe Coloniae nota, sic ut sit C. C. A. III. Si Caesaraugustani numos sic inscriptos signassent, reperirentur etiam similes non modo cum capite Augusti, sed etiam Tiberii, et Caligulae, sub quo demum desiverunt signare monetam. IV. Omnis epocha, qualem certe in altero descripto numo indicant literae ΛT., praeter morem Hispanorum est. V. Ejusmodi numi complures Pellerinio ex Syria allati fuere.

Suadente ergo fabrica, hos numos in Syriam derivandos, ut is urbem eliceret, ad quam ii possent referri, coepit primum in naturam epochae ΛT. inquirere. Est hic annus ejusmodi, ut ne quidem a perantiqua Seleucidarum aera possit deduci; nam additus ad V. C. 442. excedit aevum Augusti, cujus caput in his numis sistitur. Censet igitur, annum hunc deducendum ab anno V. C. 421., quo Alexander M. in Syria versabatur, eique a variis urbibus ingentes honores habiti sunt, cujus rei illustre argumentum suppeditat Arca, subinde Caesarea Libani dicta, quae illi templum struxit, in quo sacrificia adhuc Alexandri Sev. aetate peracta sunt. Si igitur initium epochae statuatur annus V. C. 421., praesens numus signatus est ab autumno V. C. 750.

Vt inveniatur urbs, quae literis C. A. possit notari, inquirendum, an elementum C possit indicare Coloniam; si hoc, tum sequens A erit litera *ἀρχαικσα* urbis. Coloniae, quae primam hanc literam habent, in Syria late sumpta sunt tres, Antiochia ad Orontem, Ace et Arca. Antiochia notari nequit; serius enim aedificata a Seleuco epocha tam remota uti non potuit, et primum sub Caracalla deducta est colonia. Neque ad Acen referri potest, quae diu ante Augustum nomen suum in Ptolemaiden immutavit, quin et sub Claudio demum deducta colonia. Neque ad Arcam, quae, si sub Augusto facta fuisset colonia, quod ignoratur, antiquo nomine saltem solo usa non fuisset in numo, sed sese Coloniam Caesaream inscripsisset.

Cum igitur litera C Coloniam indicare non possit, alia via explicandi literas C. A. non superest, quam legendo *Caesarea Augusta.* Quatuor erant Syriae urbes Caesareae nomini: 1. Caesarea Germanicia, 2. Caesarea Libani, olim Arca, 3. Caesarea Palaestinae condita ab Herode. 4. Caesarea Panias. Germanicia vel propterea excludenda, quia Augusta nunquam dicta fuit. Idem dicendum de Caesarea Libani. Caesarea Palaestinae ab Herode M. e fundamentis excitata in annum ΛT. jus non habet. Sola igitur restat Caesarea Panias, cui tribuendos hos numos censet Pellerinius sequentibus praeterea motus rationibus.

I. Cum literis C. A., quas *Caesarea Augusta* interpretatur, conspirat urbis nomen, nam ab Aurelio usque ad Elaga-

a) l. c.

balum se scribit KAIC. CЄB. II. Annus ΛT. ductus ab anno V. C. 421. incidit in annum 750. et 751. At testibus historicis eodem anno 751. Philippus hanc urbem instauravit. Continuo etiam urbs cum nomine antiquo epocham mutavit, et annos computare coepit ab hoc reparationis suae anno, ut confirmant numi, de quo infra. Quare Philippus in dedicatione hujus urbis hos numos magno numero feriundos curaverit exemplo patris Herodis, qui exstructa Sebaste Samaritidis et Caesarea Palaestinae magnifica certamina edidit in Augusti honorem, quod etiam eo verisimile fit, quia similes numi C. A. sub Tiberio aliisque non amplius occurrunt, quia uni tantum certo usui, nempe dedicationis solennibus servierint.

His ergo persuasus rationibus Pellerinius hos numos huic Caesareae tribuendos censet, quod ille totum argumentum singulari adcuratione et perspicacia sibi propria persequitur. Istud omne, quod adfert, etsi adsensum plenum non imperet, multum tamen habet probabilitatis. De eo tamen, quod suspicatur, numos, qui solum C. A. offerunt, esse Caesareae Palaestinae ad mare, et in quibus additur annus ΛT., esse Caesareae Paniados, dubitari fors jure possit. Ex rationibus pluribus, quas adducit, ea sola aliquid habet momenti, quae adfirmat, utriusque generis numos aliquantum differre fabrica, priores esse perelegantis, posteriores cum ΛT. artis inferioris. Istud argumentum si mittam, videtur verisimilius, utrosque ad unam eandemque Caesaream Philippi pertinere. Nam Caesarea Palaestinae vix unquam ab auctoribus *Caesarea Augusta* dicitur. Iosephus uno loco: Καισαρεια Σεβαςη, sed posterior haec vox in aliquibus exemplaribus abest, item Philo in legatione ad Cajum. In numis imperatoriis constanter, ut videbimus, dicitur: Καισαρια ἡ προς Σεβαστῳ λιμενι, nam urbs ipsa dicebatur tantum *Caesarea*, at portus *Sebastos;* in numis coloniae dicitur quidem *Augusta*, sed haec vox praeponitur, non sequitur, et indita fuit a Flavio Augusto, coloniae auctore. At Caesarea nostra in numis fere constanter dicitur *Caesarea Sebaste*, id est, *Augusta*. Vix etiam videtur verisimile, urbes duas diversas ita voluisse conspirare cum typo, tum inscriptione, cum potius urbes homonymae solitae fuerint adfectare criteria, quibus earum numi discernerentur. Mihi ergo omnes hi numi ad unam hanc Caesaream videntur referendi, etsi in tuenda hac sententia pertinacior esse nolim.

* * *

Agrippae I. numos binos in hac urbe signatos quaere in numis hujus Iudaeae regis.

Imperatorii:

Sunt a M. Aurelio usque ad Aquiliam, quibus adde numum Iustiniani, de quo in fine.

Epigraphe: KAIC. CЄB. IЄP. KAI. ACY. YΠ. ΠΑΝЄΙΩ. (Noris, Vaill.) ΠΡ. ΠΑΝ. vel: Π. ΠΑΝЄΙΩ. (Mus. Caes.) KAICAPЄΙΑ. ΠΑΝΙΑC. (Pellerin.) KAICAP. ΠΑΝΙΑΔΟC. (Noris, Mus. Caes.) Πανιας scripsit Ptolemaeus recte secundum numos, et quod ea vox

ἀπο τȣ Πανος ducitur, unde et Nonno *Panos fistula* dicitur. *Πανιαδος συριγγος* [a]), at reliqui scriptores plerique *Πανεας*.

Typi:

Pan nudus trunco innixus fistula canit, typus obvius. — *Fistula septem cicutarum*, Commodi. (Noris.)

De cultu Panos apud hanc Caesaream dictum supra.

Iuppiter nudus stans ad aram in templo tetrastylo d. pateram, s. hastam, in area pedum Panos, numus elegans Elagabali, quem ex museo Caes. edidi. (Sylloge I. p. 59.)

Vir nudus stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus serpens caput cristatum erigens, Commodi (Mus. Caes.)

Videtur in hoc numo propositus Caesareae genius.

Mulier turrita habitu succincto stans s. pede prorae navis insistit, d. inversum remum, s. cornucopiae, Severi, (Mus. Caes.) et Aquiliae. (Pellerin.)

Sistit hic typus Τυχην, seu *Fortunam urbis*, de qua vide, quae olim latius disputavi [b]).

* * *

Epocha:

POB. Aurelii et Lucillae. (Noris, Vaill.)

POB. Commodi juvenis. (Noris.)

PqA. Commodi. (Mus. Caes. Noris.)

PqΘ. Severi, Caracallae. (Mus. Caes. Vaill.)

CA. Domnae. (Vaill.)

CB. Getae Caes. (Noris.)

CIΔ. Caracallae. (Pellerin.)

KC. Diadumeniani. (Mus. Caes.)

CKΓ. Aquiliae. (Pellerin.)

Norisius aerae initium ex numis sibi cognitis constituit inter annos V. C. 751. et 755., intra quos adserit a Philippo tetrarcha Herodis M. filio et structam fuisse Caesaream, et hoc quoque nomine appellatam, quam et inductae epochae causam constituit. Citatus Diadumeniani numus aerae vagae limites arctius circumscribit, nimirum intra annos V. C. 750. 751. Sed et anno V. C. 750. videtur adversari numus Aquiliae cum anno CKΓ. Nam tum adhuc Iuliam Paulam Elagabali torum occupasse, docent ejus numi Alexandrini cum L. Γ. et Δ., secundum quos adeo numos praeferendus certe pro epochae initio annus V. C. 751. Suadet idem principium historia Iosephi. Narrat is [c]), *Philippum Paneadem ad Iordanis fontes positam construxisse, eique CAESAREAE nomen fecisse, et cum vicum Betsaidam lacui Genetsaretico adsitum in urbis formam perduxisset, ei nomen dedisse a Iulia Caesaris filia.* Ex hoc testimonio sequentia ad adfigendum anno V. C. 751. aerae initium eruo. Constat, Herodem M. Philippi patrem mortuum in vere V. C. 750., neque Philippum statim patre mortuo tetrarchiam, in qua sita Panias, adivisse, sed post multas moras, et donec Augustus de dividendo inter filios Herodis regno sententiam dixisset, quae omnia prolixe enarrat Iosephus [d]). Haec dum rata fierent, facile effluxerit annus V. C. 750., ac tum denique potuit condendis urbibus applicare animum, nimirum V. C. 751., quas inter Iosephus priore loco nominat Caesaream no-

a) Dionys. L. VII. v. 49. b) Numi vet. p. 183. c) Ant. L. XVIII. c. 2. d) Ant. L. LXVII. c. 9. seq.

stram. Sed ex eodem testimonio colligo etiam, non potuisse Caesaream fundari serius; nam certum est, eam a Philippo aedificari coeptam ante Iuliadem, aut saltem eodem tempore, ne is majorem videretur habere honorem filiae Iuliae, quam patri Augusto. At necesse est, hanc etiam Iuliadem eodem anno 751. coepisse exstrui; nam constat, Iuliam anno mox sequente atrocium criminum convictam a patre in exilium ejectam, neque amplius restitutam. Quare ante hunc casum necesse est nomen Iuliadis urbi impositum, nullam vero postea neglectae palam mulieris rationem habitam. Non videtur vir summus Norisius ad hanc Iosephi narrationem advertisse, nam secus vel hac facem praeferente arctiores huic epochae limites fixisset. Haec jam olim iisdem verbis disputaveram [a]), quo loco praeterea binos Eusebii [b]) et Hieronymi [c]) parachronismos notavi, quorum ille nomen Iuliadis a Iulia Tiberii matre, hic nomen Caesareae a Tiberio arcessivit contra certam Iosephi et numorum auctoritatem.

* * *

Agmen claudat numus propter aetatem, qui ortum illi dedit, memorabilis.

THC. CЄB. KAICAPЄIAC. *Caput Iustiniani diadematum.* ✕ *Nomen Iustiniani in sigla.* AE. III.

Eum edidit Harduinus, et dissertatione singulari illustravit [d]). Is eum Caesareae Palaestinae tribuit, quoniam ut ait, haec una fuit, quae *Sebastes* cognomentum habuit. Mirum, cum is eodem opere Caesareae Paniadis numos descripserit *Sebastes* nomine addito. Quare si numus hic est genuinus, quod alii viderint, potius ad hanc Caesaream Paniadem pertinet, quae toties KAICAPЄIA. CЄBACTH. inscribitur. Exstant etiam Gabalorum Syriae numi aurei inscripti GABALORVM cum capite Iustini junioris.

AE. RR.

NERONIAS.

Eadem cum praecedente Caesarea, verum Agrippa II. rex Iudaeae cum urbem aedificiis variis ornasset, eam in Neronis gratiam *Neroniadem* appellavit, ut narrat Iosephus [e]).

Regius:

ΝΕΡΩΝ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Neronis.* ✕ ΕΠΙ. ΒΑΣΙΛΕ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΝΕΡΩΝΙΕ. *intra coronam.* AE. III.

Eundem hunc numum jam vulgavit Frölichius [f]), sed putabat indicari ludos Νερώνεια favente ejus sententiae typo coronae Vulgavit etiam Vaillantius [g]), sed legit ΝΕΡΩΝΙ. Γ., quare putavit indicari annum Neronis III. At Pellerinius, qui numum restituit [h]), huic eum Neroniadi tribuit, atque, ut videtur, jure: nam in simillimo ejusdem Agrippae II. alio legitur ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ. Vt ergo a Τιβεριας gentile flectere placuit

a) Sylloge I. p. 59. b) ad annum V. C. 778. c) Comment. ad Matth. c. 16. d) Opp. Sell. p. 907. e) L. XX. c. 9. §. 4. f) Regg. vett. numi p. 106. g) Num. Graec. sub Nerone. h) Rois p. 176.

in Τιβεϱιευς, sic et a Νεϱωνιας Νεϱωνιευς. Tamen mortuo Nerone nomen Neroniadis continuo abolitum restituto vetere Caesareae Paniadis.

AE. RRR.

GABA.

In *autonomo* ΓΑΒΗΝΩΝ, quem Harduinus huc adegit, legendum est ΤΑΒΗΝΩΝ, estque is Tabarum Decapoleos.

Imperatorii

A Tito usque ad Caracallam.

Epigraphe ΓΑΒΗΝΩΝ in variis. —— ΚΛ. ΦΙ. ΓΑΒΗΝΩΝ. Plotinae. (Pellerin Suppl. II. p. IV.) ΚΛΑΥ. ΦΙ. ΓΑΒΗΝΩΝ. Hadriani. (Vaill.) ΚΛΑΥΔΙ. ΦΙΛ. ΓΑΒΗΝΩΝ. Titi. (Frölich IV. Tent. p. 167.) ΚΛΑΥΔΙ. ΦΙΛΙΠ. ΓΑΒΗΝΩΝ. Domitiae. (Ibid. p. 169.)

Antequam a Frölichio hic Domitiae numus vulgaretur, erat eruditorum communis sententia, *το* ΚΛΑΥΔΙ. ΦΙΛ. aut simile legendum esse ΚΛΑΥΔΙΟΦΙΛΩΝ. ΓΑΒΗΝΩΝ., quo epitheto Gabeni se *Claudii amantes* profiterentur. Id cum nondum desideratam lucem adferret, nam plures Gabae in hoc tractu memorantur, factum, ut suspensi haererent eruditi, cui ex pluribus numos sic inscriptos tribuerent. Tenebras plane depulit dictus Domitiae numus, inscriptus ΚΛΑΥΔΙ. ΦΙΛΙΠ., quo non modo praetensum ΚΛΑΥΔΙΟΦΙΛΩΝ disperit, et vera lectio ΚΛΑΥΔΙεων ΦΙΛΙΠπεων stabilitur, verum etiam docemur, hos numos alterius Gabae esse non posse, quam quae fuit in Ituraea, vel Trachonitide. Haec regio Herode M. mortuo ab Augusto data fuit ejus filio Philippo, ut aliquoties dictum a Iosepho, et confirmatur sacris literis: *Philippo autem fratre ejus tetrarcha Ituraeae et Trachonitidos* [a]). Quo factum, ut haec Gaba, quo ab aliis cognominibus distingueretur, *Gaba Philippensis* in numis diceretur. Praeterea Plinius Gabam cum Caesarea Paniade conjungit; quare, uti haec, quemadmodum dictum, vocata fuit *Caesarea Philippi* ab ejus tetrarcha Philippo, sic et haec in eadem regione sita Gaba. *Claudiae* praenomen Frölichius inde derivat, quod Agrippa senior dictam Philippi tetrarchiam a Claudio dono accepit [b]), quod cum beneficii loco ab oppidanis habitum fuerit, hi se *Claudienses* dixere. Hanc Frölichii doctrinam nulli amplius dubio perviam, suo primum suffragio comprobavit Pellerinius, et corrigendum secundum eam Vaillantium docuit [c]), at serius priorum oblitus veterem sententiam Κλαυδιυ Φιλων recoxit [d]), quod hic obiter monendum duxi. Notandum, numos simplice ΓΑΒΗΝΩΝ notatos tam fabrica, quam typis conspirare cum illis, qui ΚΛ. ΦΙ. praefigunt, ut adeo dubitari nequeat, numos hos varie inscriptos ad unam eandemque Gabam pertinere.

* * *

Typi: *Mensis stans*, *Miles stans*, *Victoria*. In numo Caracallae *pardus gradiens*. (Vaill.)

---

a) Lucae cap. 3. b) Ioseph. Ant. L. XX. c) Mel. II. p. 69. d) Suppl. II. p. IV.

* * *

Epocha:

ΡΛΓ. Titi, cujus caput est nudum, et tituli: ΑΥΤΟΚΡΑ. ΚΑΙCΑΡ. (Mus. Caes.)

ΡΛϛ. Domitiani item Caesaris. (Pellerin.)

ΡΜϛ. Domitiani Augusti. (Pellerin Suppl. II. p. IV.)

ΓΝΡ. Domitiae. (Mus. Caes.)

ΑΟΡ. Plotinae. (Pellerin l. c.)

ΖΟΡ. Hadriani. (Vaill. Noris.)

ΖΙC. Antonini. (Vaill. Noris.)

Norisius ex numis Hadriani et Antonini elicuit, epochae exordium vagari intra annos 693. et 696. Alii hic citati et serius cogniti nihil propius definiunt. Quare exspectandum aliorum numorum subsidium. Verisimile interea visum Norisio, eam orsam V. C. 693.

AE. RR.

D E C A P O L I S.

ABILA LEVCAS.

In hujus urbis numos egregie more suo commentatus est Belleyus a), cujus observata in compendium redigam descriptis prius urbis numis.

Imperatorii:

ΛΕΥΚ. ΑΒΙΛΑ. ϛΛC. *Botrus*, Faustinae jun. (Pellerin Suppl. I. p. I.)

CΕ. ΑΒΙΛΗΝΩΝ. Ι. Α. Α. Γ. ΚΟΙ. CΥ. ΛC. *Hercules saxo insidens d. clavam*, L. Veri. (Belley ex Mus. Pellerin.)

CΕ. ΑΒΙΛΗΝΩΝ. Ι. Α. Α. Γ. Β. ΝΕ. ΝC. *Hercules instar Farnesii*, Commodi. (Ibid.)

Plures fuere in hoc tractu urbes, quibus Abilae nomen fuit, verum cum in secundo numo addatur ΚΟΙλης CΥριας, ad aliam hi numi pertinere non possunt, praeterquam vel ad Leucadem Coelesyriae supra descriptam, cuique verisimile diximus fuisse etiam Abilae nomen cognomento Lysaniae, vel ad Abilam Leucadem Decapoleos, quae regio tota a variis auctoribus, ac praecipue Ptolemaeo omnibus his numis synchrono Coelesyriae inseritur. Strictius igitur loquitur marmor Palmyrenum: ΑΓΑΘΑΝΓΕΛΟC. ΑΒΙΛΗΝΟC. ΤΗC. ΔΕΚΑΠΟΛΕΩC b).

Non esse posse hos numos Abilae Lysaniae, docet inscripta illis aera Pompejana. Haec enim urbs anno V. C. 690. paruit Ptolemaeo Chalcidis regulo, cui eam Pompejus numeratis M. talentis confirmavit, et nonnisi anno

a) B. L. T. XXVIII. p. 557. b) Reland. Palaest. ill. p. 391. Muratori p. 115.

V. C. 718. mortuo Lysania in Romanorum potestatem pervenit. Ad haec numi Abilae Lysaniae propriam habent aeram, eamque duplicem, ut vidimus.

Esse vero hos numos Abilae Decapoleos, probatur primum ab aera Pompejana, qua pleraeque Decapoleos urbes usae sunt ex causa, quam infra dabimus. Deinde quia Gadara, quae urbs huic Abilae vicina fuit, iisdem honorum titulis, et eodem modo perscriptis usa sunt, quibus Abila, quae concordia nonnisi a vicinia proficisci potuit.

* * *

Typi:

Hercules eo cultu, qualem descripsimus. In adsitis Gadaris ejus caput saepe conspicitur.

Botrus, secundum quem typum Eusebius, et Hieronymus urbem apposite vocant *οινοφορον*, *vini fertilem*. (Onomast.)

* * *

Honorum tituli:

Sacra, *Asylum*, *Autonoma*, *Illustris*, ut explicandae videntur literae I. A. A. Γ. De prioribus tribus dubium non est, sed difficultatem creat elementum Γ; at quoniam aliis titulis honorificis additur, certum utique est, horum aliquem illo notari. Censet vero Belleyus, esse principium τȣ Γνωριμȣ, *illustris*, *praeclari*, perinde ac aliae urbes titulum ἐνδοξȣ vel λαμπροτατȣ sumpsere. Eadem litera additur etiam titulis vicinorum Gadarorum. Maffejus in Lebretiano pro Γ legit Π [a]. Abilae ἐπισημȣ epitheton tribuit Eusebius [b].

* * *

Nomen ab imperatore:

CЄβαςων ΑΒΙΛΗΝΩΝ, quo epitheto usa fuerit ob beneficia Augusti, ut vicina Gadara ob causam similem se *Pompejana* dixere.

* * *

Neocoratus, et quidem repetitus: B. NЄ. cujus raro mentio in numis Syriae quomodocunque late sumptae.

* * *

Duplex urbis nomen, Leucas Abila, exemplo plurium urbium, quae vetus suum nomen cum adventitio junxerunt. Cur Abila a Graecis dicta fuerit Leucas, vide conjecturas probabiles, quas paullo supra in Leucade Coelesyriae proposui, et quae latius proponuntur a Pellerinio [c].

* * *

Epocha est Pompejana ab anno V. C. 690., nempe cum Coelesyriam ingressus Pompejus urbibus varia privilegia concessit.

AE. RRR.

ANTIOCHIA AD HIPPVM.

Haec urbs a geographis reticetur, quam numi non pauci stabiliunt. Norisius et Harduinus existimant, esse eandem cum urbe Hippo ad montem cognominem posita, et Gadaris vicina, quae in alicujus Antiochi gratiam Antiochiae nomen adoptaverit. Hanc conjecturam juvant epocha, et honorum

---

a) Aut. Gall. p. 115. b) Onomast. c) Suppl. I. p. I.

tituli cum vicinis Gadaris et Abila communes.

Imperatorii:

Antonini, (Pellerin, Mus. Caes.) Aurelii, Veri, Commodi. In Antonini numis legitur: ΑΥΤΟΚΡ. ΚΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. ubi *το* ΚΥΡ. aliud notare non potest, quam ΚΥΡ*ιος*, *Dominus*, quae appellatio tum adhuc in monumentis publicis rara, devexo imperio obvia fuit.

Epigraphe: ΑΝΤΙΟΧ. ΠΡ. ΙΠ. ΤΗϹ. ΙΕΡ. Κ. ΑϹΥΛΟΥ. vel: ΙΕΡ. ΑϹΥΛΟϹ.

Typi: *Mulier capite turrito stans equum capistro retinet, s. cornucopiae,* qui typus fere perpetuus. Videtur haec mulier esse urbis genius ducens equum, qui adlusionem ad urbis aut adsiti montis nomen ἵππος facit, ad quod adludit quoque Pegasus in numo Veri. (Vaill.)

* * *

Epocha:

ΘΚϹ. Aurelii, Veri. (Vaill.)

ϹΜΗ. Commodi. (Vaill.)

Est Pompejana pro more ejus tractus ab anno V. C. 690.

AE. RRR.

CANATHA.

Versus Arabiam prope Bostram, jam in sacris literis memorata.

Autonomus:

ΚΑΝ. *Caput juvenile dubium.* ✕ ΕΟΣ. *Victoria.* AE. III. (Pellerin.)

AE. RRRR.

Imperatorii:

Claudii et Domitiani.

ΚΑΝΑΤΗΝΩΝ. ΒΙΡ. *Caput muliebre velatum turritum*, Claudii. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 568. Mus. Caes.)

In vulgando simili numo bis peccavit Vaillantius, primum, quod caput esse Augusti putavit, deinde quod legendum sibi visum ΡΑΜΑΘΗΝΩΝ. ΒΙΡ., et adeo Ramathae Palaestinae signatum numum contendit.

ΚΑΝΩΘ. ΖΝΡ. *Caput muliebre turritum*, Domitiani. (Vaill. Pellerin, Morelli.)

* * *

Epocham Belleyus, qui in Canatae numos commentatus est, (l. c.) post Vaillantium, aliosque Pompejanam facit, et initium ducit ab anno V. C. 690. Iure istud; at displicet, quod eidem exordio illiget etiam annum ΕΟΣ laudati autonomi, quo posito numus signatus esset sub Caracalla, quo tempore *τω* Σ hac forma scripti vix amplius usus fuit. Adde, quod totus ejus numi cultus ejus imperatoris aevo videatur repugnare. Verisimiliter igitur duplex epocha statuenda, et quidem

I. Seleucidarum ab anno V. C. 442., a quo annus ΕΟΣ videtur ducendus.

II. Pompejana ab V. C. 690., quam amplexi fuerint Canateni, ut sese mori vicinarum urbium confirmarent.

AE. RRR.

DIVM.

Prope Gadara, nomen nactum a Dio Macedoniae urbe.

Imperatorii:

Tres solum cogniti, omnes Getae Caesaris.

Epigraphe: ΔЄΙΗΝΩΝ.

Typus in omnibus: *Mulier capite tutulato stans d. scipionem cum aquila, s. Victoriolam, pro pedibus hinc et inde bos*, ambiguae haec omnia explicationis. Numi duo citantur ab Haymio [a]), tertius a Belleyo in commentariis ad Dii numos [b]).

Epochae annos singuli praeferunt, suntque

ΗΞC. OC. ЄOC.

Est solita Pompejana ab anno V. C. 690. Annus ЄOC. vetat, quo minus in annum 691. moveri queat.

AE. RRR.

GADARA.

Vrbs Decapoleos maxime illustris, et teste Iosepho metropolis Peraeae [c]).

Imperatorii:

Frequentes ab Augusto usque ad Gordianum.

Epigraphe: ΓΑΔΑΡΑ. ΓΑΔΑΡΕΙΣ. ΓΑΔΑΡЄΩΝ.

ΝΑΥΜΑ. ΓΑΔΑΡЄΩΝ. ΔΚC. *Triremis cum multis vectoribus*, M. Aurelii. (Pellerin.) *Alii, sed sine* ΝΑΥΜΑ. Caracallae, Elagabali, Gordiani. (Mus. Caes. Arigoni, Vaill.)

Pellerinio, qui numum, de quo agimus, edidit [d]), mira videtur et vox ΝΑΥΜΑ., quae explenda est legendo ΝΑΥΜΑχια, et typus triremis, quo utroque non dubitat indicari certamina remigiis instituta; quare hos numos censet aliis potius Gadaris tribuendos. Rationes adfert sequentes: I. teste Ammiano in vicinia Gadarorum non erat fluvius navium patiens [e]). II. typus navis in numis Graecis generatim notat ubem maritimam, neque is videtur unquam ab urbe mediterranea advocatus. III. cum Stephanus prodat etiam aliqua in Palaestina sita Gadara, quin et Strabo, ubi de maritimis Palaestinae urbibus agit, memorat etiam regionem aliquam dictam *Gadaridem*, cujus haud dubie caput fuerit urbs *Gadara* vocata, quae verisimiliter est eadem, quae in libris Macchab. et apud Iosephum vocatur *Gazara*, infert, numos omnes cum typo triremis debere tribui maritimis Palaestinae Gadaris, quoniam, verba sunt ejus, naumachiam Gadara Decapoleos mediterranea exhibere nullo pacto potuere.

Vt non negavero, exstitisse forte in Phoenicia praetensa haec Gadara, eisque posse numos trireme insignitos competere, atque etiam perinde ac alias Phoeniciae urbes aera Pompejana uti, ita istud statuere ex adjectis binis aliis causis necesse omnino non est. Nam primum fallitur, typum navis semper arguere urbem maritimam, et nunquam eum ab urbe mediterranea usurpatum. Caesarea Germanicia longe a mari, et cognito saltem fluvio navigabili distabat, et tamen in ejus numis

---

a) T. I. p. m. 271. b) B. L. T. XXVIII. p. 568. c) L. V. c. 3. d) Rec. III. p. XL. e) L. XIV.

ampla navigia velis remisque instructa feruntur. Taceo Nicopolin ad Istrum ampla navigia exhibentem. Testimonium Ammiani nescio an Pellerinii causae faveat, nam Cellarius ex veterum scriptis probat, Gadara fuisse sita prope ripam Iordanis lacu Gennesareth egredientis. Dictum lacum navigiorum fuisse patientem, nemo dubitabit, sed ea neque Iordan in vado destituit; testatur enim cl. Schaw [a]), se in Africa et oriente post Nilum non vidisse fluvium Iordane aquarum mole auctiorem. Favet Gadaris nostris et illud, quod Tiberias eidem lacui, sed in ripa opposita, adsita naves et ancoram in moneta proposuit. Quod si etiam propter Ammiani auctoritatem velimus Gadara aliquantum a Iordane et lacu removere, istud tamen certum, Gadara fuisse vicina Hippo, et Hippum prope lacum sitam. Quid ergo prohibet in dicto lacu naumachiam fuisse celebratam, praecipue cum hic lacus justae fuerit magnitudinis, atque ab ipsis veteribus *maris* nomine, nempe *Tiberiadis* saepe honoretur? Ad instituendam vero naumachiam quis unquam mare spatiosum et apertum requisivit? Cui non cognitum similis generis certamen a Claudio in lacu Fucino multo arctioris ambitus armatis undeviginti millibus editum? alia in ipso Tiberi, circis, amphitheatris? Quid quod in eodem lacu justum praelium navale a Vespasiano commissum est, ejusque momenti, ut is non dubitaverit eam victoriam in plurium annorum numis jactare, an poterit jure excludi naumachia ludicra? Videntur ergo hi ludi acti ab ejus tractus urbibus praesidentibus Gadarenis, quorum urbs metropolis fuit, et in hujus numis haec naumachia exhibita, ut Tarsenses ludos in remotis Codrigis institutos in moneta sua descripsere, et est verisimile, hanc naumachiam institutam in memoriam victoriae navalis, quam a Vespasiano in lacu Gennesareth de Iudaeis relatam mox dixi, de quo vide, quae plura in hujus Augusti numis ad annum V. C. 824. notabimus.

Typi alii frequentiores:

Caput muliebre turritum — *Duplex cornucopiae* — *Caput Herculis imberbe laureatum*, qui Tyrius videtur. — *Iuppiter in templo*, — *Caracalla et Geta stantes jungunt dexteras*, et proponuntur in antica numi. (Pellerin.)

* * *

Honorum tituli:

Sacra, *Asylum*, *Autonoma*, *Illustris*, expressi hoc modo: ΠΟ. ΓΑΔΑΡ. I. A. A. Γ. K. CΤ. in numis Antonini et Veri. (Pellerin, Arigoni.)

Solitarias has literas jam explicavimus supra in Abila Leucade, quae urbs iisdem usa est. Hae literae *ἀρχαιȣσαι* cum antea non satis intelligerentur, ex iis una vox temere constata est. Sic Vaillantius eas legit: - - ΙΔΑC., auctor musei Theupoli ΚΟΤΙΔΑC, uterque in numo Veri. Titulum *ἱερας* confirmat etiam epigramma vetus, agens de Meleagro poeta [b]): *ὀν θεοπαις ἠνδρωσε Τυρος*, *Γαδαρων δ'* ΙΕΡΑ *χθων*. Literae K. CΤ. significant urbis situm, nempe *Κοιλης* CΤ*ριας*, ut dictum supra in Abila.

a) Voyage T. II. p. 71. b) Anal. Brunck. T. I. p. 37.

* * *

Nomen ab imperatore Pompejo: ΠΟ. ΠΟΜΠ. ΠΟΜΠΗ., at in numo Caracallae musei Caesarei plene ΠΟΜΠΗΙΤΕΩΝ. Nomen Pompeji grati Gadareni accepere, nam is dirutam urbem deprecante liberto Demetrio, qui apud eos natus est, instauravit, ut diserte Iosephus [a]). *Gadara deinde paullo ante diruta instauravit in gratiam liberti sui Gadarensis Demetrii.*

* * *

Epocha in omnibus fere notatur praefixo saepe L. vel ЄΤ.

ΔΜ. Augusti (Vaill.)

Bq. Tiberii. (Vaill.)

ΑΛΡ. Neronis. (Vaill. Theup.)

ЄΛΡ. Vespasiani. (Pellerin.)

ЄΛΡ. Titi. (Arigoni.)

ЄΞΡ. Domitiani, (Vaill.) manifesto errore, scribendumque vel ЄΜΡ. vel ЄΝΡ.

ЄΞΡ. ΖΞΡ. Trajani. (Vaill.)

ΗC. Antonini. (Vaill.)

ΓΚC. Antonini. (Pellerin.)

ΔΚC. Aurelii. (Vaill. Pellerin.)

ЄΚC. ϛΚC. Veri. (Vaill.) ΘΚC. (Pellerin Mel. II. p. 319.)

ΓΜC. Faustinae jun. (Arigoni.)

ΓΜC. Commodi. (Vaill.) Crispinae (Pellerin.)

ΒΞC. Caracallae et Getae. (Pellerin.)

ΖΟC. ΗΟC. Caracallae. (Mus. Caes. Pellerin.)

ΑΠC. ΒΠC. Elagabali. (Vaill. Arigoni.)

ΓΤ. Gordiani. (Vaill.)

Epocha Gadarenorum ex numis invicte stabilitur ad autumnum V. C. 690. Anni ΔΚC. Aurelii, ΓΜC. Commodi, ΑΠC. Elagabali docent, non posse ejus initium moveri in annum anteriorem, anni ΑΛΡ. Neronis, ΓΜC. Faustinae junioris, non posse moveri in posteriorem. Optime epocham constituit annus ΓΜC. in numis Faustinae, et idem in numis Commodi et Crispinae, nam complectitur ultimum annum Aurelii, et primum Commodi. At necesse est, in numo Faustinae additum ΘЄΑ, nam quadriennio ante diem obivit.

AE. R.

GERASA.

Vrbis hujus duo tantum numi cogniti fuere Vaillantio, iique

Imperatorii

Hadriani et Crispinae, in utroque: ΑΡΤЄΜΙC. ΤΥΧΗ. ΓЄΡΑCΩΝ. *Caput Dianae.*

AE. RRRR.

PELLA.

Teste Stephano antea dicta *Butis*, nomen novum inditum a Macedonibus a Pella Alexandri M. patria.

Imperatorii:

ΠЄΛΛΑΙΩΝ. ϛΜC. *Vir stans d. pateram, s. scipioni innixus*, Commodi. (Mus. Caes.)

ΠЄΛΛΑ --- *Vir nudus stans in templo*, Elagabali. (Pellerin Lettres p. 15.)

---

a) L. XIV. c. 8.

Epocha est Pompejana, quam Frölichius, qui priorem numum primus edidit [a]), ducit ab autumno V. C. 691. At verisimilius censet Belleyus auspicandam ab anno 690 exemplo aliarum Decapoleos urbium [b]). Iosephus nominatim Pellam a Pompejo habitatoribus suis concessam tradit [c]).

AE. RRRR.

PHILADELPHIA.

Olim dicta *Ammana*, secundum Stephanum deinde *Astarte*, deinde *Philadelphia* a Ptolemaeo Philadelpho Aegypti rege. Vrbs fuisse illustris perhibetur.

Autonomi:

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕ. *Caput muliebre.* ✠ L. ΓΜΡ. *Quinque spicae.* AE. II. (Pellerin Rec. II. p. 248.)

ΦΙΛ. ΚΟΙ. CΤΡ. *Protome Cereris d. spicas.* ✠ ЄΤΟΤC. ΖΚC. *Corbis spicis et papaveribus repletus.* AE. III. (Panel ex le Bret. Mem. Trevoux.)

AE. RRRR.

Imperatorii:

Sunt a Tito usque ad Commodum.

Epigraphe: ΦΙΛ. in numis Antonini et Commodi. (Mus. Caes.) et Aurelii, (Theup.) in reliquis ΦΙΛΑΔЄΛΦЄΩΝ.

Typi:

ΗΡΑΚΛЄΙΟΝ. P. M. A. *Currus a quatuor equis tractus*, Aurelii, max. mod. (Theupoli.)

ΗΡΑΚ - - - ΑΠΑΛΑ. *Sacellum quadrigis vectum*, Commodi. AE. II. (Mus. Caes.)

Numum alterum jam alias vulgavi [d]), quo loco dixi, nomine ΗΡΑΚΛЄΙΟΝ intelligendam aliquam Herculis statuam, aut sacrum ei aliquod symbolum, aut λειψανον, aut sacellum statis diebus per pompam traduci solitum, ut sane Herculem inter principes in hac urbe deos habitum plures alii ejus numi Herculis imagine insignes docent. Vide, quae ibi plura alia exempla similium per urbes pomparum attuli. Ceterum explicationem non reperio seu literarum P. M. A. in numo Theupoliano, seu ΑΠΑΛΑ in numo musei Caesarei, quod quidem ambiguae est lectionis.

* * *

Mentio situs a Coelesyria plerumque additur: K. C. vel ΚΟΙΛ. C. vel: ΚΟΙ. CΤΡ. vel ΚΟ. CΤΡΙΑC. vel plene ΚΟΙΛΗC. CΤΡΙΑC.

* * *

Epocha. Annus ΓΜΡ. praefixo L. notatur aeque in numis Titi, Domitiani, et autonomo. Est aerae Pompejanae, cujus initium exemplo aliarum Decapoleos urbium ducendum ab autumno V. C. 690. Sed auctor chronici Alexandrini ad annum II. Olympiadis CLXXIX. Philadelphenses ab hoc sua tempora numerare ait, qui respondet anno V. C. 691.

AE. RR.

---

a) IV. Tent. p. 226. b) B. L. T. XXVIII. p. 568. c) Ant. L. XIV. c. 4. d) Sylloge I. p. 55.

TABAE.

Antequam de urbe disseram, juvat producere numos, quos huc refert Pellerinius.

Autonomi:

1) ΔΗΜΟϹ. ΤΑΒΗΝΩΝ. *Caput juvenile laur.* ✠ ΔΙΑΟΡ. *Capricornus supra quem* ϛΙ. AE. III.

2) *Caput Iovis laur.* ✠ ΤΑΒΗΝΩΝ. ЄΟ. *Pilei Dioscurorum.* AE. III.

3) *Alii, sed cum annis* Κ. ΓΡ. ΙΡ. AE. III. (Pellerin, Hunter.)

4) *Caput Palladis.* ✠ ΤΑΒΗΝΩΝ. ΓΟΡ. *Victoria.* AR. III.

5) ΤΑΒΗΝΩΝ. *Caput Bacchi.* ✠ ΚΑΛΛΙΚΡΑΤΗΣ. ΡΟΔ. *Pilei Dioscurorum super basi communi.* AE. III.

6) *Caput laureatum barbatum.* ✠ ΤΑΒΗΝΩΝ. ΣΟΛ. *Pilei Dioscurorum, juxta cornucopiae.* AE. (Pellerin Suppl. II. p. 50.)

In hos numos commentatus Pellerinius [a]) quo aliorum judiciis occurrat, praemonet, in plerisque adlatis numis literam primam certum Τ esse, nullo pacto Γ, ut adeo nequaquam legi possit ΓΑΒΗΝΩΝ, atque etsi apud Vaillantium exstet numus Hadriani inscriptus ΚΛΑΤΔΙ. ΓΑΒΗΝΩΝ. ΖΟΡ., qui adeo similis est autonomo numeri IV., tamen quoniam in hoc suo, tum aliis manifestum Τ legitur, necesse est, hos pertinere Tabas, ut alios cum Γ Gabas Ituraeae.

Inquirenda jam urbs horum numorum patria. Habemus Tabas Cariae oppidum, cujus suppetunt cum autonomi, tum imperatorii, verum has fastidit Pellerinius, quoniam earum numi differunt fabrica, et in Cariae et Lydiae moneta anni epochae saltem certae fidei hactenus observati non sunt. Praefert igitur alias Tabas in hoc, de quo agimus, tractu positas, de quibus Stephanus: *Tertia Peraeae, quam Alexander in opere de Syria interpretatur BONAM*, nempe a טוב, *bonus.* Addendum tamen, nullum omnino esse scriptorum alium, qui Tabarum in Peraea, aut Decapoli, aut Palaestina, aut Syria meminisset. Ergo Pellerinius necessitate compulsus, quoniam Lydiae Cariaeve Tabis hi numi non possunt competere, aliae alterius regionis a nemine produntur, Stephani unius auctoritate acquievit.

Quod Pellerinii sententiae opponam, nihil praesto est, malimque cum eo ob adlatas causas adhaerere Tabis Peraeae, licet obscuris, quam alteris Cariae. Observanda tamen videntur quaedam.

Autonomus primo loco descriptus verius videtur Tabas Cariae pertinere cum propter vocem ΔΗΜΟϹ, tum quod ab reliquis nimium videtur abludere, atquae etsi Gaza quoque idem ΔΗΜΟϹ inscriptum offerat, insolitum tamen istud in hoc tractu est. Literae arithmeticae ϛΙ. Tabis Cariae non videntur officere, nam et in harum numis comparent literae solitariae B. Γ. Iudicium, quo Pellerinius literas ΔΙΑΟΡ. ad indicandam epocham adigit, speciosius est, quam ut eruditis videatur posse proba-

a) Rec. II. p. 243.

ri. Sed neque ipse illud importune obtrudit, remque potius in medio relinquit.

Epocham Pellerinius exemplo aliarum ejus tractus urbium Pompejanam facit ab anno V. C. 690. Ex hac lege annum ΣΟΛ., aut ut ipse legendum docet, ΣΟΑ., respondere censet anno V. C. 960., et capite laureato barbato exhiberi Severum. Fateor, proposita capitis lineamenta nihil habere Severi; ad haec ipsam numi speciem, quae plane simplex est manifesto altioris aetatis indicio, minus ad Severi aevum facere, denique litera Σ pro C plane videtur extremis Severi annis repugnare. Ergo haud dubie epocha altius ordienda, quo his difficultatibus occurratur.

Ceterum videmus spissam adhuc caliginem his numis offusam. Sed enim, cum ex elegantibus his numis, quorum etiam unus est argenteus, ex quo metallo nullus adhuc in toto hoc tractu est compertus, jure debeat argui, has Tabas nobile fuisse oppidum, atque adeo credibile prorsus non sit, nullam ejus apud scriptores existere mentionem, occurrit, fuisse hanc urbem duplicato nomine praeditam, ut tot alias, a scriptoribus vero neglecta Tabarum appellatione aliud constanter nomen adventitium usurpatum. Vide, quae hac super re plura ad Antiochiam ad Sarum Ciliciae, et Leucadem Coelesyriae monuimus. Hoc si admittamus, necesse non erit in his Peraeae Tabis acquiescere, sed possunt etiam hi numi alteri urbi Syriae vel Ciliciae aptari, quod mysterium forte dies explicabit.

AR. RRRR. AE. RR.

P H O E N I C E.

Vniversae regionis cogniti numi

Imperatorii:

ΚΟΙΝΟΝ. ΦΟΙΝΙΚΗϹ. *Templum*, in numo Caracallae. (Vaill.)

* * *

Autonomi in variis catalogis citantur cum epigraphe ΦΟΙΝΕΙΚΑΙΩΝ vel ΦΟΙΝΕΙΚΕΩΝ. vel ΦΟΙΝΕΙΚΑΙΕΩΝ., sed quos esse Phoenices Epiri, in hujus urbis numis diximus.

AE. RRR.

In numo Romano Antonini Pii, quem dabimus ad annum V. C. 892, legitur PHOENICE, quo loco monebo, hanc regionem, etsi rarius, scribi etiam *Phoe-*

a) Caes. Iuliani p. 48.

nicia. Infra in numis coloniae Tyri videbimus scriptum PENIC.

ARCA.

Serius dicta Caesarea Libani:

Autonomum Arcae nomine exhibuit Haymius, sed quem esse Acrarum Siciliae, in his diximus.

Imperatorium Tiberii ΑΡΚΑΙΩΝ se vidisse Romae in collectione Ligorii testatur Spanhemius [a]), sed nemini alteri hactenus conspectum. Vt adeo certam monetam Arcae nomine non habeamus; nomine Caesareae Libani producentur infra.

ATABYRIVM.

In Phoenicia teste Stephano. Numum Diadumeniani: ΑΤΑΒΥΡΑΙΩΝ. *Iuppiter sedens*, huc revocant Vaillantius et Harduinus. Citatur ex museo Gottifredi, quod conjunctum fuit cum museo reginae Christinae, in quo numus adhuc est, sed a me in examen vocatus certam lectionem ΚΙΒΥΡΑΤΩΝ offert. Est ergo Cibyrae Phrygiae, et similis illi, cujus iconismus a Vaillantio numis Diadumeniani praefigitur.

BERYTVS.

Maritima ad ostia Lyci, urbs perantiqua, et adhuc sub Romanis nobilis, et ab his deducta colonia, at multo adhuc nobilior saeculo infimo propter literarum studia, ac praecipue juris prudentiae, a Theodosio metropoleos honore ornata [b]).

Autonomi:

Rari fuere ante Pellerinium, qui horum justum numerum vulgavit.

Epigraphe: ΒΗΡΥ. ΒΗΡΥΤΙΩΝ. In singulari apud Pellerinium et Pembrockium: ΒΙΡΥ., quod videtur monetarii vitio tribuendum. In alio apud Pellerinium est epigraphe Phoenicia pro solita Graeca; numus ipse per typum, et additum ΛΑΦ certe est hujus urbis, de qua epigraphe Pellerinius alibi fusius agit [c]). Alius apud Hunterum et nomen urbis BH. inscribit, et praeterea epigraphen Phoeniciam addit.

Typi: Antica fere sistit *caput Iovis*, aut *muliebre turritum*, interdum *etiam velatum*. *Caput unius Dioscurorum inter duo astra*, cujus simile cum exstet in numo parvo aureo anepigrapho, eum Pellerinius non dubitat ad hanc Berytum referre. Forte in caput istud non Dioscuri, sed Cabiri jus habent, quibus donatam Berytum infra dicetur.

In aversa *Neptunus hippocampis vectus*, *aut ejus attributa*, *pilei Dioscurorum*, *Mulier navi insistens*, *Victoria*, *clava intra lauream*.

Literae solitariae, quae per aversarum aream vagantur, indomitae hactenus sunt. Saepe in his legitur ΛΑΦ., quae literae annum epochae notare videri possent, sed praeterquam quod nimis altum iis esset principium quaerendum, qui ipsi haud dubie stante rep. Romana sunt signati, vetat etiam, quod

a) Caes. Iuliani p. 48. b) Cod. L. XI. tit. 21. c) Suppl. IV. p. 65.

in aliis pro ΛΑΦ. legitur ΒΗΦ. aut ΛΑ. ΒΗΦ. Harum ergo literarum sensus adhuc occultus est.

Epochae tamen anni certi in aliquibus reperiuntur, de quibus propter praefixum L. dubitari nequit. Sic legitur L. K. apud Liebe, (p. 168.) L. ΓΝ. (ibid. et Mus. Caes.) ΑΡ. sine tamen praefixo L. (Pellerin). A quo principio hi anni procedant, definire ex numis hactenus notis non potest. Liebeus, qui annum CXV. Seleucidarum pro principio statuit, nihil probat ipso etiam judice Pellerinio. Maffejus annum ΓΝ. a deducta colonia repetit [a]), verum desivere numi Graeci feriri, ex quo esse coepit colonia.

AV. unicus, sed dubius. AE. RR.

Regii:

Caput Antiochi IV. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *ex adverso epigraphe Phoenicia. Neptunus togatus stans d. pateram, s. tridentem, in area* ΛΑΦ. AE. II. (Pellerin Rois p. 78. Mus. Caes.)

Pellerinius et Barthelemyus numos hos Laodiceae signatos putant. Mihi certum videtur, esse hujus Beryti, I. quia Neptunus eodem insolentiore cultu, ut in his numis proponitur, est obvius in numis Beryti, in aliis nunquam. II. quia in horum area est ΛΑΦ in solis item Beryti numis conspicuum. III. quia Berytum constat in numis quandoque inscriptione Phoenicia usam, ut patet ex numo 8. tabulae LXXXI. apud Pellerinium, at istud de Laodicea non constat.

AE. RRR.

Coloniae:

Colonia a Romanis deducta est, verum an a I. Caesare, an Augusto, litigatur. Qui I. Caesarem auctorem putant, nituntur eo, quod exstat numus, in quo hinc *Caput I. Caesaris laureatum.* ✕ COL. IVL. BER. *Colonus agens boves.* Quare cum haec colonia tantum dicatur *Iulia*, suspicatur Patinus, numum vivo dictatore signatum, eumque coloniam deduxisse [b]). Augusto eum honorem adserit Norisius [c]), nimirum ab Vlpiano vocatur *colonia Augustana* [d]). Eusebius in Chronico narrat, Berytum et Patras deductas colonias anno III. Olympiadis CXCI., qui respondet anno V. C. 740., et eundem hunc annum fuisse, quo Augustus militares colonias condidit, docet marmor Ancyranum. Denique Strabo diserte testatur, Berytum a Romanis instauratam duabus legionibus ibi ab Agrippa constitutis [e]). Dissidium componere nititur Vaillantius, coloniam revera deductam a I. Caesare, sed serius ab Augusto collocatis ibi legionibus V. et VIII. auctam.

Autonomi:

COL. *Silenus.* ✕ BER. *Prora navis.* AE. III. (Pellerin Rec. II. p. 216.)

Silenus. ✕ C. B. *intra lauream.* AE. III. (Pellerin Rec. III. tab. 116. n. 9.)

---

a) Ant Gall. p. 115. b) ad Sueton. Iulium c. 42. c) Cenot Pis. Diss. I. c. 2. d) de Censib. e) L. XVI.

Alterum hunc numum, quem ejus praeco inter incertos posuit, huc quoque pertinere, opportune me monuit cl. Neumannus noster.

AE. RRRR.

Imperatorii

Beryti coloniae admodum sunt frequentes a I. Caesare usque ad Saloninam.

Epigraphe: COL. BER. — COL. IVL. BER. — Inde ab Augusto: COL. IVL. AVG. BER. — COL. FEL. AVG. BER. — COL. IVL. AVG. FEL. BER. Epigraphe etiam nonnunquam in utramque numi superficiem dividitur, sic: COL. *Caput M. Aurelii.* ✠ BER. *Caput L. Veri, utrique capiti adstituitur aquila.* (Vaill.) Idem exemplum est in numo Severi et Caracallae eodem modo conjunctorum. (Vaill.) Disjectam etiam epigraphen vidimus in autonomo.

Exstant numi Augusti, in quorum antica est: AVG. *Caput Augusti.* ✠ *Sine epigraphe. Colonus arans*, in aliis: COL. IVL. in aliis: COL. IVL. AVG. Hi numi variam fortunam experti sunt. Welserus eos Augustae Vindelicorum tribuit, alii Fidentiae agri Parmensis, ut videre est apud Mediobarbum, Iobertus adseruit, esse Phari juxta Alexandriam Aegypti, quam dictam fuisse *coloniam Caesaris* prodidit Plinius [a]), inter ignotos alii habuere. Similem nactus sum ego cum capite Vespasiani, et inscriptum: COL. AVG., an additum sit IVL., non discerno. Vespasiani mento incusum est signum integerrimum sistens Astarten stantem cum omni eo cultu, quali tantum in Beryti numis comparet; stat nimirum d. hastam tenens, s. pede prorae navis insistens, s. manu femori admota; eam coronat Victoriola columellae insistens. Hic typus obvius est in Beryti numis inferiore aevo signatis. Quare videntur Berytii immutato forte veteris monetae suae valore eidem posteriorem suam notam impressisse. Videntur igitur hi numi esse Beryti, quae *Iulia* et *Augusta* dicta fuit, et inde ab Augusto copiosos signavit. Istud non negligendum, numum hunc mihi ex Syria adlatum cum pluribus aliis, inter quos plures alii Beryti numi cum coloniae, tum autonomi fuere.

* * *

Typi praeter obvios *coloni arantis.*

V. VIII. COL. BER. *Duae aquilae legionariae*, in numis Augusti et Claudii.

Eaedem aquilae, sed omissis numeris, per omnes fere imperatores usque ad Gallienum conspiciuntur. Legiones binas hic ab Agrippa constitutas, supra ex Strabone vidimus, qui tamen, quae numero fuerint, non prodit. Eaedem etiam nominantur in numis vicinae Heliopolis Coelesyriae coloniae, in cujus numis plura ad has legiones pertinentia adnotavi. Ad has etiam pertinet typus, qui est in numo Elagabali apud Pellerinium: *Victoria stans cum signo militari dexteram porrigens versus duas figuras, quae singula vexilla*

a) Sc. des méd. T. II. p. 4.

militaria tenentes in navi sedent [a]). Videtur utraque legio V. et VIII. virtute sua ad victoriam Actiacam multum contulisse, atque adeo XVII. annis post ab Augusto meritis praemiis adfecta eam Berytum deducendo, quae causa typi praesentis omnino fuisse videtur. Eandem utriusque legionis virtutem maritimam respicit etiam typus in numo Heliopolitano, in quo *stant duae mulieres remum singulae tenentes scripto juxta:* LEG. H., quod *Legiones Hadrianae* interpretor, ut in Heliopolis numis dixi. Quid quod et Nonnus idem innuere videtur, sic de Beryto, quam Beroën vocat loquens [b]):

Σκηπτρον ὁλης Αυγυςος ὁτε χθονος ἡνιοχευσει,
Ρωμη μεν ζαθεη δωρησεται Αυσονιος Ζευς
Κοιρανιην, Βεροη δε χαρισεται ἡνια θεσμων,
Οπποτε θωρηχθεισα φερεσσακεων ἐπι νηων
Φυλοπιν ὑγρομοθοιο κατευνησει Κλεοπατρης.

Cum Augustus capessiverit sceptrum totius terrae,
Ausonius quidem Iuppiter dabit divinae Romae
Imperium, Beryto vero largietur frena legum,
Quando armata scutiferis in navibus
Pugnam bellicosae in mari sedabit Cleopatrae.

Ad ipsam Berytum hi versus non pertinent, quae utique in illo bello ab Antonio et Cleopatra stetit; ergo ad binas legiones, quae ex navibus dimicantes vim Cleopatrae repressere, atque adeo hae προληπτικως dicuntur Berytus, quippe futuri post XVII. annos ejus urbis incolae.

* * *

PE --- SILANI. *Duae aquilae legionariae*, in numo Augusti. AE. III. (Mus. Caes.)

PERM. SIL. *inter duas aquilas legionarias.* (Pellerin Mel. I.)

Epigraphen numi II. Pellerinius legit PERM*issu* SIL*ani*, quam lectionem confirmat numus prior serius repertus, et a me nuper vulgatus [c]). Est hic Q. Caecilius Silanus, qui fine Augusti, et initio Tiberii Syriam rexit, ut docent obvii numi Antiocheni cum ejus praesidis nomine. Etiam numi Africae veteris permissum Dolabellae et Apronii proconsulum offerunt, ut dicetur.

* * *

SEC. SAEC, id est: SEC*uritas* SAEC*uli* typo *Neptuni*, in numis Antonini, Aurelii, Commodi, (Theupoli, Arigoni.) aut *Astartes in templo*, Commodi. (Vaill.)

* * *

DECENNALES. ANTONINI. COS. III. *Astarte stans*, Severi. (Vaill.)

Numus signatus est V. C. 961., quod Caracalla COS. III. processit, et simul vota X. peracta sunt, nam in numis Latinis Caracallae hujus anni legitur quoque: VOT. SOLVT. DEC. COS. III.

* * *

Astarte stans in templo d. hastam cruce praefixam, s. cornucopiae, s. pede prorae navis insistit, coronatur a Victoria columellae insistente.

---

a) Mel. I. b) Dionys. L. XLI. v. 389. c) Sylloge I. p. 56.

Hic typus frequens in numis inde a Trajano, sed etiam mira est ejus variatio; saepe *extra templum, et d. vexillum tenet*, circum aetatem Valeriani, aut *infra templum duo Cupidines d. tridentem tenentes delphinis vecti*, in numo Diadumeniani, (Pellerin, Mus. Caes.) aut *ejus protome in templo inter duo signa militaria, infra navicula*, (non leo, ut visum Vaillantio) in numis Gordiani. (Mus. Caes.)

* * *

Neptunus Nympham d. amphoram gestantem et humi inclinatam manu arripit, Caracallae, et Elagabali. (Vaill. Mus. Caes. Theup.) Eodem habitu uterque proponitur in fastigio templi super elegante numo Diadumeniani, quem pictum sistit Pellerinius, (Mel. I. p. 297.) et qui est etiam integerrimus in Museo Caesareo.

Est haec Nympha Beroe, erudite jam istud observante Vaillantio, cujus fabula ultimae antiquitati involvitur, a qua urbi nomen. At juvat audire Nonnum sic canentem [a]):

Πρωτοφανης Βεροη πελε συγχρονος ἡλικι κοσμῳ,
Νυμφης ὑψιγονοιο φερωνυμος, ἡν μετα-ναςαι
Υιεες Αυσονιων ὑπατηια φεγγεα Ρωμης
Βηρυτον καλεȣσι.

Beroe prima apparens fuit coaeva aequali mundo,
Nomen gerens Nymphae serius genitae, quam coloni
Filii Ausones summa lumina Romae
Berytum vocant.

Ex Nonni ergo doctrina fuit urbs Beroe seu Berytus aequalis mundo ipsi, ut etiam Stephanus eam κτισμα Κρονȣ, *Saturni opus* vocat, et a Nympha Beroe nomen adepta, quamvis Stephanus eam sic dictam velit propter abundantiam aquae, quia Βηρ indigenis *puteum* significat, ut et Hesychius: Βηρ, το φρεαρ, Συροι, et consentit Eustathius [b]). Revera באר Hebraeis est *puteus*, et constat ex sacris literis, puteos in hoc tractu propter utilitatem fuisse expetitos, et a puteis multa loca vocata. Posterior igitur sententia magis est historice vera, sed prior mythologica indigenis lubentius credita. Ceterum non a Romanis primum, ut vult Nonnus, urbs pro Beroe vocata est Berytus, sed id nomen jam prius obtinuit, quod vel ex numis autonomis palam fit. In epigrammate vetere promiscue dicitur *Beroe* et *Berytus* [c]). Ad numi typum ut revertar, narrat Sanchoniaton apud Eusebium [d]): Και επι τȣτοις ὁ Κρονος Βυβλον μεν την πολιν θεᾳ Βααλτιδι, τῃ και Διωνῃ, διδωσι, Βηρυτον δε Ποσειδωνι και Καβηροις. *Interea Saturnus Byblum urbem deae Baaltidi, quae et Dione, dono dedit, Berytum vero Neptuno et Cabiris.* Perhibet item [e]), Neptuno et Baccho inter se pro Beroe Nympha dimicantibus eam Neptuno praetulisse Bacchum, et nonnisi Iovis imperio invitam marino deo nuptam. Quare in numo videmus, Beroen a Neptuno reluctantem trahi. Cum igitur Berytus fuerit donum Neptuno proprium, factum, ut toties in numis ipse proponatur, etiam

a) Dionys. L. XLI v. 364. b) ad Dionys. Perieg. v. 911. c) Anal. Brunck. T. III. p. 13. d) Praepar. Evang. L. I. e) Dionys. L. XLIII. sub init.

intra templum, aut vectus hippocampis, etiam in autonomis Graecis frequenter.

Bacchus vario cultu, stat inter palmites, etiam Satyrum amplectitur.

Ratio Bacchi ex modo dictis petenda.

Silenus cum utre intra templum, Elagabali. (Vaill.)

Vide, quae dicentur in tractatu de numis Coloniarum, in quibus Silenus typus frequens.

Hercules nudus inter duos angues, Elagabali. (Vaill.)

Aeneas Anchisen efferens, Elagabali. (Theup.)

Hic typus symbolum est coloniae Romanae.

Octo figurae sedentes in circulum, infra navis, Elagabali. (Pellerin, Arigoni.)

Argumentum videtur idem quod in numis variarum Ciliciae urbium sunt complura capita in circulum disposita, verum utriusque significatio mihi ignota.

AE. C.

BOTRYS.

Maritima inter Tripolin et Berytum, vetustate sua commendata.

Imperatorii

M. Aurelii, Elagabali, (Vaill. Noris, Arigoni.) Soaemiadis. (Arigoni.)

Epigraphe: ΒΟΤΡΥΗΝΩΝ. *Astarte stans in templo.*

Epochae annus CC. in unico Elagabali. Norisius epocham Iulianam suspicatur ab anno V. C. 705. Tamen ex unico numo, eoque forte non satis integro nihil certi adfirmari confitetur [a]).

AE. RRR.

BYBLUS.

Maritima prope Botryn ad Adonin fl. Ejus antiquitas oppido venerabilis; nam Sanchoniaton a Saturno conditam scribit, at serius deae Baaltidi, quae et Dione, dono datam [b]). Isidem quoque huc venisse quaesitum cadaver Osiridis ad Bybli litus ejectum tradit Plutarchus [c]).

Imperatorii

Ab Augusto usque ad Valerianum.

Epigraphe ΒΥΒΛΙΩΝ in numo Augusti, (Vaill.) ab hoc constanter ΒΥΒΛΟΥ. ΙΕΡΑΣ.

Typi:

Isis velum explicans, frequens inde a Claudio. Fuisse Bybliis rationem ejus deae colendae, paullo ante dictum. Addendum, creditum indigenis, Osirin apud se sepultum [d]), et Isis Osirin suum plorans Bybli diadema capiti suo detraxit [e]).

Astarte in templo, quam Victoria cippo insistens coronat.

Astartes, seu peregrinae hujus Veneris frequens in Phoenice typus. Singularem Veneris in hoc tractu cultum testatur Lucianus αὐτοπτης [f]), et Nonnus Panopolites [g]):

---

a) Epoch. Syrom. p. 392. b) Euseb. Praep. Evang. c) de Is. et Osir. d) Lucian de dea Syr. e) Eustath. ad Dionys. v. 912. f) l. c. g) Dionys. L. III. v. 109. seq.

ȣ ῥοον ειδες Αδωνιδος, ȣ χθονα Βυβλȣ
Εδρακες, ἠχι πελει Χαριτων δομος, ἠχι χορευει
Ασσυριη Κυθερεια;
non flumen nosti Adonidis, non terram Bybli
Vidisti, ubi est Charitum domus, ubi chorum ducit
Assyria Venus?

Mulier turrita puellum sinistra ducit, Augusti. (Morelli Impp. tab. 39.) Incertus hujus typi explicatus.

* * *

Ιερας, *sacrae*, titulus haud dubie propter sacra Adonidis hoc loco obita, quae praedicat Strabo [a]), et Eustathius [b]): ἡ Βυβλος κτισμα Κρονȣ, Αδωνιδος ἱερα, Κινυρȣ βασιλειον αρχαιοτατον, *Byblus Saturni opus, Adonidi sacra, Cinyrae regia antiquissima.*

* * *

Epochae annus CKΔ. De ejus exordio tanto magis disputatur, quod antiquarii inter se discordant, sitne caput anticae Caracallae, an Elagabali. Vaillantius aliquando decidere, cujus caput sit, ausus non est, ut testatur Norisius [c]). Idem in suo de Graecis numis opere dubium nullum movet, cumque Elagabalo numum adserat, epochae principium fixit ad annum V. C. 748. Harduinus Caracallam mavult, et aeram orditur ab V. C. 734. Norisius rem propter dictum dubium in medio relinquit. Ipse ex binis numis, qui sunt in Caesareo, vereor decidere, sintne potius Elagabali, an Caracallae juvenis.

AE. RR.

CAESAREA AD LIBANVM.

Vrbis sic vocatae meminit Victor Schotti, qui Alexandrum Severum natum adserit in urbe *Syriae, cui duplex Caesarea et Arca nomen est* [d]). Eandem etiam Lampridius *Arcam Caesaream* vocat [e]). Habuit ergo *Caesareae* nomen urbs magis cognita primaevo *Arcae* nomine, aeque tamen constat, cujus Caesaris beneficio id nomen sibi sumpserit. Fuit haec Arca non procul a mari prope Tripolin, et ad radices Libani montis posita, ut ex variorum testimoniis eruit Belleyus, qui urbis hujus historiam et numos descripsit [f]). Stetit in hac templum Alexandri M. honoribus dicatum, in quo natus est Alexander Severus, cum parentes festorum occasione ad illud inviserent, cujus causa velut illustris ominis nomen ei *Alexandri* inditum [g]).

Imperatorii:

Eos primus detexit Haymius inscriptos ΚΑΙϹΑΡΕΙΑϹ. ΛΙΒΑΝΟΥ., eosque per hanc ipsam epigraphen ad hanc Arcam pertinere suspicatus est, quod judicium prolatis subinde numis aliis stabilire aggressus est Belleyus. Sunt omnes Antonini, et Aurelii adhuc Caesaris,

a) L. XVI. b) ad Dionys. v. 912. c) Ep. Syrom. p. 396. d) in Alex. Sev. e) in Alex. Sev. f) B. L. T. XXXII. p. 685. g) Lamprid. l. c.

sub Antonini adeo imperio signati, omnes epocha insignes.

* * *

Typi: Caput muliebre turritum, vel: *Figura paludata stans d. vexillum, s. arcum.* Hac Belleyus exhiberi simulacrum Alexandri M. conjecit, quale in celebri illo ejus templo fuerit propositum.

* * *

Epochae anni in his leguntur: ϛNT. HNT. AΞT. BΞT. ZΞT. suntque exigendi ad aeram Seleucidarum V. C. 442. (Belley l. c. p. 686.)

AE. RRR.

Colonia serius deducta est a quo, quave occasione, non liquet. In definiendis hujus coloniae Caesareae numis graviter olim peccatum. Iuvat omnes hos numos hactenus cognitos describere, quo confidentius de iis judicari possit.

1) TITO. FLAVIO. VESPASIANO. *Caput Titi laur.* ꭗ COL. CAESARIA. LIB. ΦΛA. *Caput muliebre turritum.* (Vaill. Spanheim T. I. p. 527. Morelli in Tito tab. XIII. n. 1.)

2) *Epigraphe et caput Elagabali.* ꭗ COL. CAESAREA. ΛIB. AΛΦ. *Mulier loto insignis intra templum.* (Vaill. in Coloniis, sed sub Caracalla.)

Hunc ipsum Vaillantii numum nuper museo Caesareo acquisivi, cujus talis est status:

- - - ANTONINVS. *Caput Elagabali laur.* ꭗ COL. CAESARIA. LIB. AΛΦ. *Fornix templi a duobus hermis fultus, intra quod imago mulieris ad medium usque corpus, capite velato, et in sinistrum humerum inclinato, cui insuper luna bicornis imminet, juxta superne hinc astrum solis, inde lunae, ad dexterum latus sceptrum.* AE. I.

3) IMP. M. ATR. ANTONINVS. *Caput Elagabali laur.* ꭗ COL. CAESARIA. LIB. AΛΦ. *Protome muliebris capite turrito.* (A me vulgatus ex museo Savorgnan in meis Num. vet. p. 281.)

4) ATR. AΛEXANΔROS. CAISAR. *Caput nudum Alexandri adhuc Caesaris.* ꭗ KAISARIA. BΛΦ. *Astarte stans in templo coronatur ab adstante figura paludata.* (Pellerin Mel. I. p. 28.)

In hos numos erudite commentatus est Pellerinius, et annosum veterum antiquariorum errorem feliciter abstersit [a]. Nam Spanhemius et Vaillantius epigraphen aversae in praetenso Titi numo explicuere: *Colonia Caesarea Libera Flavia*, at epigraphen numi II. *Colonia Caesarea Libera anno* 531. Eorum quoque sententiae subscripsit Gorius [b]. Aliam interpretationem attulit Harduinus, quam alioqui falsam commemorare supervacaneum. Omnes hi viri eruditi numos hos Caesareae Palaestinae tribuerunt.

Iudicium istud nimio suspectum visum Pellerinio; nam I. in numis Caesareae Palaestinae multo alia est epigraphe. II. Quo titulo Caesarea Palaestinae uteretur aera Seleucidarum, quam illi in numo secundo ex litteris AΛΦ. agnoscunt, quae ab Herode M. in honorem Augusti exstructa fuit? III. Cur titulus ΦΛA., secundum hos auctores *Flavia*,

a) l. c. b) Morelli Impp. T. II. p. 385.

scribitur Graece, cum reliqua tota epigraphe Latina sit? Ex his ergo arguit Pellerinius I. *το* LIB. legendum *Libani*, et indicare situm ad montem Libanum, perinde ac in numis Graecis supra citatis *το* ΚΑΙϹΑΡЄΙΑϹ. ΛΙΒΑΝΟΥ. Arguit II. *τα* ΦΛΑ. ΑΛΦ. ΒΛΦ. esse annos aerae Seleucidarum. Cum vero secundum viros hos eruditos in numo Titi scriptum sit ΦΛΑ., qui annus imperium Titi multum excederet, recte observat Pellerinius, aut in hoc Titi numo alias esse scriptas literas, quam ΦΛΑ., aut si hae revera leguntur, numum esse debere Elagabali, non Titi, quam suspicionem jam aluit Bimardus, nimirum in numo hoc, qui ex museo Christinae citatur, caput et epigraphen Elagabali ab adulteratore in caput et epigraphen Titi fuisse conversam [a]). Causa admissi peccati fuit duplex, prima, cum numi Graeci inscripti ΚΑΙϹΑΡЄΙΑϹ. ΛΙΒΑΝΟΥ. antiquariis adhuc essent ignoti, et simul haec urbs vix unquam Caesareae nomine fuerit appellata, numos hos, quod maxime congruum visum, Caesareae Palaestinae tribuerunt: at cum haec nimium a Libano dissita fuisset, oportebat *τῳ* LIB. aliam explicationem quaerere; quo factum, ut in voce LIB*era* acquiescerent, tanquam privilegio urbi a Romanis concesso. Altera causa, cum numum I. revera crederent esse Titi, non poterant propter causas adlatas in literis ΦΛΑ. epochae annum suspicari. Cum ergo exitus quaerendus esset, et *το* ΦΛΑ. viros eruditos gentis *Flaviae* opportune commonefaceret, ex qua erat Titus, factum, ut eas literas *Flavia* interpretarentur. Numus III. a me, ut dixi, editus, et cetera Spanhemiano simillimus aperte docet, hunc quoque Spanhemii numum esse Elagabali, eumque aut male lectum, aut ab adulteratore depravatum.

Ex typis mentionem meretur is, quem secundo loco ex museo Caesareo descripsi, nimirum protome muliebris velata, et capite lugentis more in humerum inclinato. Qui typus in memoriam revocat, quod de Venere Adonidem suum lugente narrat Macrobius [b]), *simulacrum hujus deae*, inquit, *in monte Libano fingitur capite obnupto, specie tristi, faciem manu laeva intra amictum sustinens, lacrymae visione conspicientium manare creduntur. Quae imago praeter quod lugentis est deae etc.*

* * *

Epocha igitur in his quoque numis, et quidem anni ΑΛΦ. ΒΛΦ. hi quoque ad Seleucidarum aeram exigendi. Secundum hanc annus ΒΛΦ. coepit in autumno V. C. 973., quo labente, sed anno V. C. 974. constat adoptatum ab Elagabalo Alexandrum, quod cum laete a Caesariensibus acciperetur, qui natum apud se Caesarem noverant, mox cum ejus imagine numos in gaudii sui testimonium signavere.

AE. RRR.

DORA.

Maritima, et longae vetustatis, secundum Stephanum condita a Doro Neptuni F.

---

a) ad Iobert T. II. p. 241. b) Sat. L. I. c. 21.

Bini vulgati a Pellerinio, in quorum uno *epigraphe:* ΔΩΡΕΙΤΩΝ., in alio: ΔΩΡΙΤΕΙΤΩΝ. Panelius in suo legit ΔΩΡΙΗΤΩΝ., in Hunteriano: ΔΩΡΙΕΩΝ. Etiam apud scriptores reperiuntur Δωρίεων, Δωρίτων, Δωρων, ut videre est apud Norisium a). Apud Stephanum Δωρίτης, et Δωριεύς.

Typus: *Caput Iovis.* ✠ *Mulier stans d. vexillum, sive potius hastam cruce praefixam, s. cornucopiae.* Haud dubia Astarte solitus hujus orae typus.

Epochae anni: L. ΡΚΗ. et ΑΛΡ. in Pellerinianis leguntur, de quibus infra. Vterque Nerone imperante signatus.

AE. RRR.

Regius

Cum capite Tryphonis quaerendus in ejus regis numis.

Imperatorii:

Trajani, et Hadriani.

Epigraphe et tituli:

ΔΩΡΑ. ΙΕΡΑ. Trajani (Vaill.)

ΔΩΡ. ΙΕΡ. ΑCΥΛ. ΑΥΤ. ΝΑΥΑΡ. Hadriani. (Vaill. Noris.)

Sacrae et *Asyli* titulos videtur captasse propter religionem Iovis, cujus caput plerumque tam in autonomis, quam imperatoriis comparet. Vtroque titulo jam in indicato Tryphonis numo gloriatur. *Navarchida* notant triremis et acrostolium Iovis capiti adstitutum apud Norisium. *Autonomia* a Pompejo obtenta, quod mox docebit Iosephus.

* * *

Epocha:

ΡΟΕ. in numis Trajani.

ΠΡ. in numis Hadriani.

Est Pompejana, quam Vaillantius et Norisius ducunt ab anno V. C. 691. Pellerinius 690 b). Iosephus de Dora nominatim: *Similiter et maritimas Gazam, Ioppen, Dora, et Stratonis turrim Pompejus liberas esse jussit.* (L. XIV. c. 8.)

AE. RRR.

MARATHVS.

E regione Aradi. Verius Seleucidi Syriae inserenda. Tamen cum Strabo eam vocet *antiquam Phoenicum urbem,* et numi charactere Phoenicio inscripti sint, huc referri commode potest.

Autonomi:

Hujus tantum classis exstant numi; nam serius exhausta fuit, postquam ejus agrum Aradii per vim occuparunt, ut testatur Strabo c).

Caput muliebre velatum, in aliis: *Mercurii,* in aliis: *Apollinis.* ✠ *Epigraphe Phoenicia. Vir togatus stans d. acrostolium, s. columnae innixus.* AE. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

De literis Phoeniciis Marathi monetae inscriptis agam in tractatu singulari post numos hujus regionis.

AE. R.

ORTHOSIA.

Maritima prope Eleutherum fl.

---

a) Ep. Syrom. p. 381. b) Rec. II. p. 217. c) L. XVI.

Autonomi:

HΞT. *Caput muliebre turritum.* ✗ - - - ΩCIЄΩN. *Iuppiter Nicephorus sedens.* AE. II. (Pellerin.)

Caput simile. ✗ ΟΡΘΩCIЄΩN. L. ϛT. *Vir nudus freno regens duo animalia, quae pantherae videntur, iisque quasi insistens, ut vir in notis Tarsi numis.* AE. II. (Pellerin.)

Similis quoque typus est in numo Antonini [a]).

AE. RRRR.

Imperatorii:

A Vespasiano usque ad Alexandrum. Quem Vaillantius cum capite Augusti huc adegit, esse Orthosiae Cariae, in hac diximus.

Epigraphe: ΟΡΘΩCIЄΩN.

Typi: *Dioscuri stantes cum equis*, typus obvius. *Astarte d. hastam coronatur a Victoria columnae insistente, et pede fluvium calcat*, Antonini. (Vaill.) *Templum, in quo Astarte stans inter Dioscuros*, Caracallae. (Vaill.)

Epocha:

HΞT. ϛT. in autonomis.

BΞT. Antonini. (Vaill. Noris.)

BΛΦ. ΓΛΦ. Alexandri, de quibus mox.

ΔΛΦ. ejusdem. (Pellerin Mel. II. p. 325.)

Est Seleucidarum ab anno V. C. 442. In describendis numis cum annis BΛΦ. ΓΛΦ. hallucinatur Pellerinius [b]). Ait, utrumque hunc numum offerre caput Alexandri nudum, et cum solo Caesaris titulo, at in ectypo numi ipso cum anno ΓΛΦ. est quidem epigraphe M. ΑΥΡ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟC. ΚΑΙCΑΡ., sed tamen caput laureatum, et sic etiam describitur in catalogo [c]). Videtur ergo in numo BΛΦ. tantum esse caput nudum, et in numo ΓΛΦ. laureatum, ut revera numus quoque musei Caesarei cum posteriore hoc anno laureatum caput exhibet. Etiam in numo Caesareae Libani conjungitur annus BΛΦ. cum capite Alexandri nudo, et solo Caesaris titulo, atque, ut ibi diximus, labente hoc anno is ab Elagabalo fuit adoptatus. Ceterum intra annum Seleucidarum ΓΛΦ. Alexander et Caesar, et Augustus fuit, nam is coepit in autumno V. C. 974., at Alexander nonnisi proximo vere per Elagabali necem Augusti titulum abstulit.

AE. RR.

SIDON.

Maritima ad Bostrenum fl. àntiquitatis summae, et fama satis superque cognita. Iuvat describere numos secundum verisimilem eorum aetatem, permixtis numis cum autonomis, tum regum, et imperatorum, quo de annis epochae securius judicari queat.

1) Antiochi IV. *Caput regis diadematum.* ✗ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΣΙΔΩΝ. *Navis, infra literae Phoeniciae.* AE.

Antiocho IV. hunc numum tribuit Frölichius. (Annal. Syr. p. 51.)

2) Ejusdem. *Caput radiatum.* ✗ ΣΙ-

---

a) Noris Ep. Syrom. p. 474. b) Rec. III. p. 245. c) Mel. II. p. 183.

ΔΟΝ - - - *Europa tauro vecta.* AE. (Haym.)

3) Ejusdem. *Caput regis laureatum sub imagine Apollinis.* ✠ ΣΙΔΩΝΟΣ. L. HMP. *Europa tauro vecta.* AE. (Pellerin Rois p. 78.)

4) Demetrii I. *Caput diadematum.* ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΙΔΩΝΙΩΝ. *Navis, infra literae Phoeniciae.* AE. (Fröl. Ann. p. 57.)

5) Ejusdem. *Caput simile.* ✠ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. ΘΝΡ. *Navis cum remigantibus.* AE. (Ibid. p. 61.)

6) Alexandri I. *Caput diadematum.* ✠ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΙΔΩ. ϛΞΡ. *Aquila cum ramo palmae.* AR. I. (Pellerin Rois.)

7) Ejusdem. *Caput simile.* ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΣΙΔΩΝΙΩΝ. *Navis, in imo literae Phoeniciae.* AE. III. (Mus. Caes.)

8) Demetrii II. *Caput diadematum.* ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΙΔΩ. ΘΞΡ. *Aquila stans cum ramo palmae, in area acrostolium.* AR. I. (Mus. Caes.) In alio annus ΟΡ. (Mus. Duane.)

9) *Alius, sed* ΟΡ. *et* AR. III. (Fröl. Ann. p. 75.)

10) *Alius, sed* ΔΟΡ. et AR. I. (Fröl. Ann. p. 79.)

11) Antiochi VII. *Caput diadematum, pone* ΘΟΡ. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΣΙΔΩΝΙΩΝ. *Navis, et scriptura Phoenicia.* AE. (Fröl. Ann. p. 83.)

12) Demetrii II. *Caput diadematum.* ✠ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΓΠΡ. *Astarte in navi, juxta scriptura Phoenicia.* AE. (Pellerin Rois.)

13) Antiochi VIII. *Caput regis.* ✠ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΗΠΡ. *sine mentione typi.* (Fröl. Ann. p. 91. ex Harduino.)

14) Ejusdem. *Capita jugata Cleopatrae velatum diadematum, Antiochi VIII. diadematum.* ✠ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΣΙΔΩ. ΙΕΡ. ΑΣ. ΑqΡ. *Aquila stans, pone palmae ramus, in area acrostolium.* AR. I. (Pellerin Rois.)

15) Ejusdem. *Caput diadematum.* ✠ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ЄqΡ. *Astarte navi insistens.* AE. (Pellerin Rois.)

16) Antiochi IX. *Caput diadematum.* ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΣΙΔΩ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. Σ. *Aquila gubernaculo insistens cum ramo palmae, in area acrostolium.* AR. I. (Pellerin Rois.)

Hactenus aera Seleucidarum.

* * *

17) Antiochi IX. *Caput diadematum.* ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΙΔΩ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. Ε. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam.* (Fröl. Ann. p. 101. Mus. Duane.)

18) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum.* ✠ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. L. Ε. *Aquila gubernaculo insistens, pone palmae ramus.* AR. I. (Pellerin.)

19) Autonomi: *Caput Iovis.* ✠ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. L. Θ. *Europa tauro vecta.* AE. (Theup. Pembrock.)

20) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum.* ✠ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. L. Κ. *Astarte super navi.* AE. (Mus. Caes.)

21) Demetrii III. *Caput diadematum cum modica barba, juxta* ΑΚ. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΙΔΩΝΙΩΝ. *Navis, pone literae Phoeniciae.* AE. (Fröl. Ann. p. 111.)

22) Autonomi: *Caput Iovis.* ✠ ΣΙΔΩΝΩΣ. L. ΒΚ. *Victoria super prora*

navis, *infra literae Phoeniciae*. AE. (Pellerin.)

23) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum*. ※ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. L. EK. ZK. ΘK. *Astarte cum hasta crucigera insistens navi*, *infra literae Phoeniciae*. AE. (Pellerin, Mus. Caes.)

24) *Alii cum annis* L. Λ. AΛ. AE. (Pellerin, Mus. Caes.)

25) Autonomi: *Capita jugata*, *barbatum*, *et muliebre turritum*. ※ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. L. AΛ. EΛ. *Navis*, *infra literae Phoeniciae* AE. (Pellerin. Fröl. Ann. p. 117.)

26) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum*. ※ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ. L. ϛM. *Aquila gubernaculo insistens*, *pone palmae ramus*. AR. I. (Pellerin.)

27) Autonomi: *Caput Bacchi*. ※ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. *Cista cum thyrso*, L. ΘM. ΓN. Ξ. *infra literae Phoeniciae*, *omnia intra hederaceam*. AE. (Pellerin.)

28) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum*. ※ ΣΙΔΩΝΟΣ. L. O. *Victoria super navi*. AE. (Mus. Caes.)

29) Autonomi: *Templum* 4. *column*. ※ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. L. ΓP. *Europa tauro vecta*. AE. (Theup.)

30) Augusti. L. IP. (Pellerin Mel. II. p. 326.)

31) Augusti. *Hujus caput*. ※ ΣΙΔΩΝΟΣ. L. ZIP. *Europa tauro vecta*. (Vaill.) *Currus Astartes*. (Noris.)

32) Augusti. *Caput laur*. ※ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. L. ΓKP. *Europa tauro vecta*. (Pellerin Mel. II.)

33) *Alius*, *sed* ΔKP. (Mus. Caes.)

34) Autonomi: *Templum* 4. *column*. ※ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. ZKP. *Europa tauro vecta*. (Hunter.)

35) Autonomi: *Caput muliebre turritum*, *juxta* Z$\frac{A}{ϛ}$ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. EMP. *Navis*, *infra scriptura Phoenicia*. (Pellerin Suppl. II. p. 88.)

36) Caligulae. *Caput laureatum*. ※ ΣΙΔΩΝΟΣ. L. HMP. *Europa tauro vecta*. (Pellerin.)

37) Autonomi: *Caput Bacchi*. ※ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. L. ΔNP. *Cista mystica*, *omnia intra hederaceam*. (Mus. Caes. Theup.)

38) Autonomi: *Caput muliebre turritum*. ※ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ENP. *Navis*, *infra scriptura Phoenicia*. (Hunter.)

39) *Alius*, *sed*: L. ΞP. (Theup.)

40) Claudii. *Hujus caput*. ※ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. AΞP. *Europa tauro vecta*. (Vaill.)

41) *Alius*, *sed* BΞP. (Pellerin Mel. II. p. 326.)

42) Autonomi: *Caput Bacchi*. ※ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. EΞP. *Cista Bacchi intra hederaceam*. (Hunter.)

43) Autonomi: *Caput muliebre turritum*, *juxta* $\frac{A}{ϛ}$ ※ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ϛΞP. *Navis*, *infra scriptura Phoenicia*. (Pellerin Suppl. II. p. 88. Mus. Caes.)

44) Autonomi: *Caput muliebre turritum*, *juxta* $\frac{B}{ϛ}$ ※ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΘΞP. *Navis*, *infra scriptura Phoenicia*. (Ibid.)

45) Neronis. *Hujus caput*. ※ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΘΞP. *Europa tauro vecta*. (Mus. Caes.)

46) Neronis. *Hujus caput*. ※ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. EOP. *Europa tauro vecta*. (Vaill. Theup.)

47) Autonomi: *Caput muliebre turritum.* ✕ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΥ. ΚΑΙ. ΝΑΥΑΡΧ. ϛqΡ. *Navis.* (Mus. Caes.)

48) Autonomi: *Caput Bacchi.* ✕ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΗqΡ. *Bacchus togatus stans d. diotam, s. thyrsum.* (Pellerin.) In alio: *Navis.* (Mus. Caes.)

49) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum, juxta astrum, et acrostolium.* ✕ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΗqΡ. *Navis infra* Λϛ. (Mus. Caes.)

50) *Alius, sed* ΗΙΣ. *infra* Λϛ. (Mus. Caes.)

51) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum.* ✕ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΚΣ. *Navis.* (Fröl. Ann. p. 108.)

52) Trajani. *Hujus caput.* ✕ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ. L. ΕΚΣ. *Mulier seminuda in navi d. extenta.* (Vaill.)

53) *Alius cum anno* ΖΚΣ. (Noris. Mus. Caes.)

54) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum, hinc astrum, inde acrostolium.* ✕ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΖΚΣ. *Protome Astartes in curru*, aut *Navis*, aut *Cista intra hederaceam.* (Mus. Caes. Pellerin, Theup. Beger. Fröl. Ann. p. 113.)

55) Hadriani. *Hujus caput.* ✕ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΖΚΣ. ΗΚΣ. *Protome Astartes in curru.* (Vaill.)

56) Ejusdem. *Raptus Europae, et annus* ΗΚΣ. (Arigoni.)

57) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum, prae quo astrum, pone acrostolium.* ✕ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΙΕΡΑΣ. ΖΚΣ. ΘΚΣ. *Protome Astartes in curru.* (Theup. Mus. Caes.)

58) Autonomi: *Similis adversa.* ✕ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΗΚΣ. *Navis.* (Pellerin.) *Currus seu thensa.* (Mus. Caes.)

59) Autonomi: *Similis adversa.* ✕ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΛΣ. *Navis.* Sic numum ex museo Granelliano descripsit Frölichius, (Annal. p. 115.) at in eo manifeste legitur Λϛ.

* * *

Recitatis Sidonis numis ad figendas epochas aggrediamur.

Epocha I. Seleucidarum, quae certa est vel ex adductis numis regum Syriae.

Epocha II. coepit V. C. 643. in autumno. Istud conficitur ex numis Trajani et Hadriani, in quibus, ut vidimus, communis annus ΖΚΣ. legitur. Si ergo annum 227. subtracta unitate addamus ad 643., emerget annus 869.; anno sequente mense Augusto mortuus est Trajanus, et regnare coepit Hadrianus. Dubium quidem movet Norisius, et suspicatur, annum ΖΚΣ. non in Hadriani, sed Trajani tantum numis legi; at eundem numerum serius Vaillantius reipsa in Hadriani numo musei regii deprehendit. Consentit tamen, cum in certis Hadriani numis legatur ΗΚΣ., hoc notari primum annum Hadriani, sicut τῷ ΖΚΣ. postremum Trajani, adeoque initium epochae ad autumnum V. C. 643. immotum manet a). Reliqui anni in impp. numis contenti ad colligendum annum certum nihil conferunt. Numus Caligulae docet tantum, aeram non potuisse incipere citius, quam ab autumno V. C. 642.

Quaeritur I., quae fuerit causa con-

a) Epoch. Syrom. p. 352.

stitutae novae epochae. Historici nihil adferunt. Verisimile est, occasione belli, quo tum fratres Antiochus VIII. et IX. inter se commissi fuere, Sidonios sibi autonomiam extorsisse, cujus tamen mentionem in numis nunquam fecere, nisi forte huic sententiae obsint numi 17. et 21., jam epocha propria insignes, in quibus quia adhuc comparent regum capita, tum adhuc his videntur fuisse subjecti.

Quaeritur II., ad cujus aerae initium exigendi sint anni in autonomis contenti, v. g. EK. ZKΣ. etc. Frölichius omnes annos minores E. AK. ΘM. aerae posteriori, seu Sidoniorum illigat, et jure istud; nam si anni isti ducerentur ab aera Seleucidarum, prodirent anni, quibus Sidon adhuc Ptolemaeis paruit, nondum Seleucidis. At quod idem annos majores KΣ. ZKΣ. aerae Seleucidarum applicet a), haud dubie peccat. Nam cum hi anni responderent annis V. C. 661. 668., sequeretur, Sidonios post inductam anno V. C. 643. novam suam epocham, atque eam jam in numis suis notatam, ut apparet ex annis E et Θ., per vices ad Seleucidarum epocham transivisse. Non nego, istud fieri potuisse, neque desunt in aliarum urbium numis ejus variationis exempla; verum in his habemus certam rationem, quam docent numi, in Sidone nullam; quin adsunt rationes statuendi, Sidonios inde ab inducta altera aera in hac constanter perseverasse. En illas:

I. Si nonnunquam ad priorem Seleucidarum redivissent Sidonii, istud fecissent in regum Syriae gratiam, ut revera videmus, Tyrios jam post inductam aeram propriam in numis Seleucidarum imagine signatis Seleucidarum item aera usos. Verum apparet ex numis 17. et 21., eos vel in ipsis numis regum capite insignibus adhibuisse annos novae epochae, cur ergo aera Seleucidarum uterentur in autonomis?

II. Non modo annus ZKΣ. autonomis inscriptus, quem Frölichius ex Seleucidarum aera ducit, sed etiam typi in his signati reperiuntur aeque in numis Trajani et Hadriani, ergo ratio non est, eum ad vetustiorem aeram exigendi, imo analogia posteriorem suadet.

III. Si annus KΣ. ducendus est ab aera Seleucidarum, etiam annus ϛqP. numi 47., in quo Sidon *navarchis* dicitur, ab eadem epocha erit derivandus, quoniam utriusque numi aetas non magnopere differt. Esset ergo hic numus signatus V. C. 637. At certum est, *ναυαρχίδος*, *classicae*, honorem primum collatum fuisse a Romanis, qui per varios portus classem securitati imperii servientem distribuerunt. At si annus hic deducatur ab altera epocha, nempe 643., apparet numum signatum V. C. 838. imperante Domitiano. Revera sub hujus patre Vespasiano Sidon navarchidos titulo primum uti coepit.

Video, Pellerinium quoque aerae Seleucidarum nimio indulsisse, qui ab ea annos quoque EMP. ϛΞP. ΘΞP. in parvis autonomis exaratos ducit b), cujus sententiae causam, quae convinceret, nullam reperio. Quin fabrica (nam iidem sunt etiam in museo Caesareo) tam remotum aevum non sapit, et verisimile

a) Annal. p. 105. 108. 113. b) Suppl. II. p. 88.

censeo, Sidonios cum Seleucidarum aera autonomos nullos signasse, quam certe legem a vicinis Tyriis observatam horum numi aperte docent. Ergo quamdiu a Syriae regibus pendebant, nonnisi cum horum capite et aera signavere monetam, abacta deinde, aut saltem imminuta servitute sibi redditi coepere uti cum moneta, tum epocha propria.

Observandae item literae aliae minores in citatis numis Pellerinii, et musei Caesarei, in quorum antica juxta caput muliebre turritum est: Z$\frac{A}{ϛ}$, in aversa EMP. vel hinc $\frac{A}{ϛ}$ inde ϛΞP. vel hinc $\frac{B}{ϛ}$ inde ΘΞP. Alii duo numuli musei Caesarei praeter annos epochae HqP. et HIΣ. in ima parte exhibent Λϛ. Hae notae quam habeant significationem, hactenus ignoro.

* * *

Typi:

Navis, in Sidonis antiquissimis. Re maritima Sidonios forte omnium gentium primos valuisse, lippis notum. Ab his orti Tyrii primum, deinde Carthaginienses fecerunt, quod et mater et avia docuere.

Aquila gubernaculo insistens, retro palmae ramus, in argenteis seu autonomis, seu cum capite regum. Idem typus est etiam in numis Tyri, quam vide.

Mulier d. acrostolium, vel coronam, s. hastam in crucis formam tenens navi insistit.

Est haec Astarte vetustissimum hujus urbis numen, nam ipsum jam Salomonem coluisse *Astartem deam Sidoniorum*, queruntur sacrae literae [a]), in quibus et *Astaroth* legitur. Quae fuerit haec Astarte, controversum vel inter ipsos indigenas. Eam S. Augustinus Iunonem putat, ut Baal Iovem [b]). Sanchoniaton a Phoenicibus Venerem dici testatur. Lucianus lunam putat, et addit, audivisse se Sidone ex sacerdote, esse eandem cum Europa Cadmi sorore, istud tamen inficiari reliquos indigenas [c]). Cum sacrificulo Sidonio sentit quoque Norisius motus eo, quod juxta imaginem Europae tauro vectae legitur ΘΕΑΣ. ΣΙΔΩΝΟΣ. [d]) Argumentum invalidum, nam eandem epigraphen habent numi, in quibus pro typo est navis, Bacchus, vel ejus cista mystica, ut vidimus. Sed quis superstitionis deliria componat? Hujus Astartes protome saepe proponitur intra vehiculum in numis Trajani et Hadriani aevo signatis, quod est instar sacelli quatuor columnis fulti, et rotis impositi inclusa intus deae protome. Hunc morem viguisse in Phoenice tradit apud Eusebium Philo Byblius, qui memorat ναον ζυγοφορȣμενον ἐν φοινικῃ, et Macrobius [e]): *vehitur simulacrum dei Heliopolitani ferculo, velut in pompa ludorum Circensium deorum simulacra.* Sic etiam apud Aegyptios teste Herodoto fuit plaustrum 4. rotarum, quo vehebatur sacellum cum simulacro, quod in eo est [f]), quae omnia erudite jam notavit Cuperus [g]).

---

a) III. Reg. c. 23. b) Quaest. XVI in lib. Iudic. c) de dea Syr. sub init. d) Ep. Syrom. p. 350. e) Sat. L. I. c. 23. f) L. II. c. 63. g) in Harpocrate.

Addo ego typos aliorum populorum similis rationis. Thensam in numo Philadelphiae Coelesyriae in Herculis honorem, Solem Elagabalum in curru in numis Elagabali commatis Romani, cujus religio ab hoc tractu in urbem fluxit, ΑΠΗΝΗ. ΙЄΡΑ. in numis Ephesi, et thensam seu carpentum in Romanorum numis.

Europa tauro rapta, obvius typus inde ab aevo Augusti. Fabula est domestica; nam fuit illa Agenoris Sidoniorum regis filia. Reliqua in vulgus nota. Hi numi etiam Luciano cogniti, nam *numus*, ait [a]) : *quo Sidonii utuntur*, *habet Europam tauro , Iovi videlicet*, *insidentem*. In aversa autonomi, quem olim edidi [b]), conjungitur templum, quod haud dubie illud ipsum est, quod Sidone Europae positum narrat Lucianus [c]).

Alios typos vide in numis Sidonos coloniae.

* * *

ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. Hanc epigraphen passim interpretantur antiquarii, tanquam notaretur Astarte, quae fuit *dea Sidonis*; alii in hac Sidonis dea Europam vident, qua in sententia fuere Norisius, ut mox dictum, et Bimardus [d]). Causa utrique, quia ea verba juxta Europam tauro vectam leguntur, et constat, numorum inscriptionem generatim referri ad typum, quem ii sistunt. Verum istud ipsum est, quod utriusque sententiam labefactat. Nam si Europa propterea erit Sidonis dea habenda, quia haec verba juxta scribuntur, etiam navis, et Bacchus, et cista mystica Sidonis deae erunt habenda, quia, ut in numorum catalogo vidimus, eadem verba his quoque adstituuntur. Ex quo efficitur, hac inscriptione neque Astarten, neque Europam intelligendam. Ad haec si *το* ΘΕΑΣ. ad alterutram referretur, reperiretur etiam nonnunquam scriptum ΘΕΑΣ. ΣΙΔΩΝΙΩΝ., nam ubi *το* ΘΕΑΣ. abest, promiscue scribitur ΣΙΔΩΝΩΣ, vel ΣΙΔΩΝΙΩΝ, certo argumento, quae Sidon est, eandem etiam esse deam. Addendum etiam fuisset ipsius deae nomen, perinde ac in numis Hieropolis legitur: ΘЄΑC. CΥΡΙΑC. ΙЄΡΟΠΟ., non tantum: ΘЄΑC. ΙЄΡΟΠΟ., et in numis Ephesi: ΑΡΤЄΜΙC. ЄΦЄCΙΑ., non ΘЄΑ. ЄΦЄCΙΑ. Ex quo patet, in his numis urbem ipsam Sidonem *deae* nomine compellari. Si quis ex me curiosius sciscitetur, quo superorum plebiscito Sidon inter coelicolas adlecta sit, reponam, eodem, quo ΘΕΑ. ΡΩΜΗ. Fecerit summa urbis antiquitas, propter quam ea maximi apud omnes gentes habita est, ut fastuosus hic titulus urbi adeo venerabili facile ac citra invidiam permitteretur.

* * *

Postremi imperatorii certi hujus urbis sunt cum capite Hadriani, et quidem anno imperii primo, aut ad summum initio secundi signati. Cur deinceps desiverit signare monetam, non constat. Numum Macrini profert unus

---

a) de dea Syr. sub init. b) Num. vet. p. 282. c) I. c. d) ad Iobert T. II. p. 259.

Arigonius, sed dubitare liceat de sincera lectione. Alium cum capite Elagabali, quem Vaillantius ex museo regio citat cum praetensa epigraphe: ΣΙΔΩΝΟΣ. ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ. ΒΛΦ. et typo navis, cum propter Seleucidarum epocham jure suspectus esset, Pellerinius novo examini subjecit, et esse vicinae Tripolis facile agnovit, ut ipse docet [a]). Ea aetate, quam annus ΒΛΦ. designat, colonia jam fuit Sidon, et hoc tantum nomine, et inscriptos Latine numos emisit, de quibus continuo.

Numi regum AR. RRR. AE. RR.

Autonomi AR. RRR. AE. R.

Imperatorii AE. RR.

Colonia deducta ab Elagabalo. Hactenus cogniti fuere tantum numi Elagabali, ejusque gynaecei, et Alexandri Severi, serius numum Etruscillae museum Theupoli invexit, sed quem suspicamur male lectum; nam videtur Sidon temporaria tantum fuisse colonia et metropolis, ademptis Tyro tantisper juribus et Sidonem translatis, quae sub Alexandro fuere restituta, de quo vide plura in numis Tyri coloniae.

Epigraphe: COL. A. P. M. SID. aut plenius: COL. AVR. PIA. METROP. SIDON.

Typi praeter jam notos Europae a tauro raptae, vel currus, in quo Astartes protome, qui etiam nonnunquam solitarium in numi area typum facit,

Astarte stans in templo d. hastam cum cruce coronatur a Victoria columellae insistente, pro pedibus Silenus, idem *Silenus solus typum facit*, in numo Paulae. (Arigoni.) De Sileni solito in coloniarum numis typo agitur alibi.

Mulier seminuda navi insistens velut progressura et profuga, et una respiciens, dextera extenta velut viam commonstrans, quo ire pergeret, Elagabali.

Eundem typum habet etiam numerus supra sub 52. descriptus. Non abs re censent aliqui, eo fingi Didonem Sidone profugam. (Vaill.) Ea apertius exhibetur in numis Tyri.

Mulier stans s. infantem, dexteram versus adstans animal extendit, quod asinus videtur, in area currus Astartes, Elagabali. (Pellerin Lettres p. 15.)

Miri hujus typi explicatum non reperit Pellerinius, neque mihi plus spei. Fabulam eo domesticam latere, id unum possumus arbitrari.

AETER. BFI. *vel* AETERNVM. BENEFI. *Modius protuberantibus spicis.* Elagabali. (Vaill. Theup.)

Eadem aversa est etiam in numis Laodiceae Syriae coloniae, quam vide.

Colonus arans, retro vexillum, cui inscriptum: LEG. III. PAR. In alio: *Tria signa militaria praefixis superne aquilis, singulis in imo adfixa tabella, cui insculptum rostrum navis.* In alio: *Mulier capite turrito stans ante aram, juxta aquila legionaria prorae navis infixa.* Elagabali, Ann. Faustinae. (Vaill.)

Severus legiones Parthicas tres conscripsit, tertiamque ac primam in Mesopotamia collocavit, ut narrat Dio coaevus [b]). Parthica legio etiam me-

a) Mel. II. p. 326. b) L. LV. c. 24.

moratur in numis Gallieni Romanis. Produntur etiam hujus nominis legiones IV. et V., quas in nota huic Dionis loco subjecta citat Fabricius a). Quid adfixa rostra significent, non adsequor. Cohors speculatorum in numis M. Antonii rostra item offert.

* * *

Ludi:

CER. PER. ISEL. OECVM. *Mensa cum duabus urnis, infra vas, et poma;* Elagabali. (Vaill. Theup.)

CERT. SAC. PER. OECVME. ISELA. *inscriptum coronae*, in numis Elagabali et Ann. Faustinae. (Vaill.)

De ludis *Periodicis Iselasticis* vide, quae dicentur in tractatu de ludis.

* * *

Metropolis: Hunc honorem abstulisse videtur, cum colonia deducta est.

* * *

Nomina ab Imperatore. Aurelia ab Elagabalo. *Pia*, haud dubie, quod pia fuit in Elagabalum, quo modo et legiones *Piae* dictae sunt, Tyro interea impia de quo argumento vide numos coloniae Tyri, vel sic dicta, quia Elagabalus *Pius* quoque vocabatur.

AE. C.

TRIPOLIS.

Maritima, omnium veterum consensu nomen nacta, quod tribus urbibus constaret, quas condidere Tyrii, Sidonii, Aradii.

Autonomi:

Capita jugata laureata Dioscurorum imminentibus astris. ✠ ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Astarte capite turrito stans d. scipionem, s. cornucopiae, annus* Λ, *in alio* ΑΛ., *in alio* ΒΛ. m. m. (Pellerin, Pembrock.)

Illustres hi numi soli sunt argentei reliqui aenei.

Epigraphe in his, et quidem in antiquioribus ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ., in sequentibus, ut inscripti anni docent, ΤΡΙΠΟΛЄΙΤΩΝ. Arigonius huc refert numum, in quo ΤΡΙ., (ΤΡ. monogrammate ligatis) et typus palmae. Palma Graecis φοινιξ, a qua Phoenice.

Typi insigniores sunt:

Caput muliebre velatum turritum, pone crux. ✠ ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. L. Γ. in alio: ΙΘ. *Victoria super navi.* AE. II. (Mus. Com. Erbach, Hunter.) in alio: *annus* ΑΠC. AE. II. (Mus. Vitzai.)

Caput muliebre velatum turritum. ✠ ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. L. ΑΣ. *Nemesis gradiens d. stolam a pectore diducit, omnia intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

In simili suo Pellerinius vidit L. A., haud dubie minus integro, perperam adeo miratus annum epochae primum, qui vix aliquando in numis comparet. Integerrima quoque in meo praesente est imago Nemesis, rara in hoc tractu, at obvia in numis Asiae minoris. Numum hunc olim vulgavi, pictumque stiti b).

Capita jugata Dioscurorum. ✠ ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ.L.ϛΤ. *Palmae ramus, omnia intra lauream.* AE. II. (Mus. Caes.)

a) Nota 195. b) Sylloge I. p. 57.

Ibidem a me editus. Rursum peccavit Pellerinius, cum in simili suo legeret L. ϛ. pro manifesto L. ϛT. Epocha utriusque numi est Seleucidarum.

In numis aliis. *Dioscuri stantes cum vel sine equis*, *aut ipsi equites*, de quibus infra in imperatoriis, *Pilei Dioscurorum. Raptus Europae*, *Ramus palmae*, *Victoria navi insistens.* Sunt in variis museis.

Tituli:

Sacra, *autonoma*, in citatis argenteis.

Asylum: hunc titulum colligit Pellerinius ex numo: - - - - ΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΤ. Etsi deest integrum fere urbis nomen, tamen huc vocandum putat Pellerinius propter binas in aversa Dioscurorum protomes, qui typus Tripoli fere proprius fuit. Idem numus est etiam in Caesareo, sed urbis nomine aeque vitiato.

Sacrae et asyli honores abstulerit propter religionem Cabirorum, de quibus infra. Autonomiam adepta videtur a Pompejo, nam anni numis cum hoc titulo inscripti ejus aeram loquuntur.

Metropolis: ΤΡΙΠΟΛΙΤ. ΜΗΤΡ. L. ΜΔ. *Victoria super navi.* Ex quo apparet, V. C. 733. Tripolin metropolis honore gloriatam, cujus in nullo alio etiam serius signato meminit. Idem numus bis exstat in museo Caesareo, sed vox ΜΗΤΡ. dubiae lectionis est.

Epocha, de hac in imperatoriis.

AR. RRR. AE. C.

Regius.

Caput Antiochi IV. radiatum jugatum capiti muliebri. ✠ ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. ΖΜΡ. *Dioscuri in equis.* AE. III. (Mus. Caes.)

DIONYSIVS *Tripolis rex.*

Δ - - - - *Caput regis imberbe diadematum.* ✠ ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. ΘΜΣ. *Dioscuri in citis equis.* AE. III.

Numum hunc ex museo nobilissimi Savorgnani Veneti edidit Blondius [a]). Docuit illustre hoc cimelium, in antica propter diadema agnoscendum regem, ejusque nomen a Δ incipere, quae litera sola superstes est, signatum praeterea Tripoli Phoeniciae, et quoniam hanc aera Seleucidarum usam constat, annum ΘΜΣ. respondere anno V. C. 690. Haec omnia, ut erudite observat Blondius, belle conspirant in Dionysio, de quo haec narrat Iosephus [b]): *και την Πτολεμαιȣ τȣ Μενναιȣ χωραν κατενοησεν ἀνδρος πονηρȣ, και ȣ̓δεν ἐλαττονος* ΔΙΟΝΤΣΙΟΤ ΤΟΤ ΤΡΙΠΟΛΙΤΟΤ *τȣ πελεκισθεντος, ὁσπερ και κηδευων ἐτυγχανεν ἀυτῳ κ. τ. λ. et Ptolemaei Mennaei F. regionem inspexit* (Pompejus) *hominis improbi*, *non minus quam fuerat DIONYSIVS TRIPOLITA securi percussus*, *quique illi adfinitate conjunctus erat*, *etc.* Constat, Pompejum V. C. 690. Syriae, Phoenices, Iudaeae res constituisse, quo tempore hic Dionysius Tripolin in sua potestate habuit, quem cum, ut diximus, everteret Pompejus, ejus causa beneficii grati Tripolitae proscri-

a) Observ. sur quelq. méd. p. 59. b) Ant. L. XIV. c. 3. §. 2.

pta tantisper Seleucidarum aera Pompejanam invexerunt, ut dicetur infra.
AE. RRRR.

Imperatorii.

A M. Antonio III. viro (Vaill.) usque ad Maximum Caes., cujus numus est apud Arigonium.

Epigraphe: ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ.

Typi: *Dioscuri stantes*, vel: *eorum capita*, vel: *eorum pilei*, de quorum cultu mox infra.

Astarte pede prorae navis imposito, d. baculum.]

ΗΛΙΟϹ. ϹΕΛΗΝΗ - - - ΡΙΠΟ - - *Sol et luna stantes*, Antonini. (Pellerin Mel. I. p. 343.) Ex residuis literis omnino videtur consarcinanda vox τΡΙΠΟλιτων.

* * *

Numi CABIRORVM.

Hi a variis sunt vulgati, praecipue Pellerinio (Mel. I. p. 77.) En illos:

Caput Apollinis. ✗ ΘΕΩΝ. ΚΑΒΙΡΩΝ. ΣΤΡΙΩΝ. *Cabiri hastati stantes, omnia intra lauream. AR.* m. m. (Pellerin Mel I. pag. 77.)

Epigraphe et caput Domitiani. ✗ CΥΡΙ. ΚΑΒΙΡΩ. *Capita duo se respicientia medio palmae ramo.* AE. III. (Pembrock P. III. tab. 50. Catal. d'Ennery.)

Caput Antonini Pii. ✗ *Capita adversa Faustinae sen. et M. Aurelii nudum media palma.* (Pellerin l. c.)

ΟΥΗΡΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. *Caput Aurelii nudum.* ✗ CΥΡΙ. ΚΑΒΙΡΩ. *Caput Antonini laur., ex adverso Faustinae jun. cum astro media palma.* (Ibid.)

Eadem adversa. ✗ CΥΡΙ. ΚΑΒΙΡΩΝ. *Capita adversa nuda, infra apis et astrum media palma.* (Ibidem, et apud Arigonium.) Quorum sint capita aversae, disputabitur in numis Annii Veri Caes.

- - - - - *Capita adversa Aurelii et Veri.* ✗ ΚΑΒΙ. CΥΡΙΩΝ. *Capita adversa nuda imminentibus astris Commodi et Annii Caess. media palma.* (Ibid. et Theupoli.)

Pellerinius eodem loco in numos hujus classis commentatus docet primum ex Sanchoniatone, Cabiros spectata origine fuisse Syros, Saturno ipsi saltem coaevos, qui naves fabricare primi aggressi sunt, Berytum etiam Neptuno et Cabiris dono datam. Propter sua in genus humanum merita, quae reperta arte nautica stetere, a Syris consecratos, eorumque cultum a Phoenicibus in Samothraciam delatum. Retentum etiam peregrinum Cabirorum nomen a Graecis, quod creditur duci ab Hebraico כביר, *potens*, ut revera hi dii dicti fuere ϑεοι μεγαλοι, ϑεοι χρηϛοι, ϑεοι δυνατοι [a]). Cabiri nomen exstat in notis Thessalonicae numis, scripto ΚΑΒΕΙΡΟϹ, *Cabirus stans habitu curto, d. malleum tenet*, nam et Vulcani filii ab aliquibus habiti sunt, ac propterea magni eorum in Lemno Vulcano sacra fuere honores. Ceterum incredibile, quam absurda, varia, et male cohaerentia Graeci de horum natalibus, ac religione somniaverint, constitutis in Samothrace mysteriis, de quibus lege copiose

a) Macrob. Saturn. L. III. c. 4.

disserentem Matthaeum Aegyptium [a]). Istud tamen ex typis, et adfictis functionibus colligi potest, Graecos, qui alienos cultus omnes facile civitate donavere, sed ne ex alieno petiti viderentur, sic fabulis involvere, ut apud se nati viderentur, hos inquam Graecos ex his Cabiris Dioscuros suos formasse, nam utrique, tam Cabiri quam Dioscuri ficti fuere imminentibus capiti astris, utrique navigationis auctores et praestites habiti. Vnde et Cajus quidam dicitur ΙΕΡΕΥΣ. ΘΕΩΝ. ΜΕΓΑΛΩΝ. ΔΙΟΣΚΟΡΩΝ. ΚΑΒΕΙΡΩΝ [b]). Quam formam primum Phoenices Cabiris suis adfinxerint, non constat; serius cum Cabirorum idem fuerit munus, quod inter Graecos Dioscurorum, videntur Phoenices, ac praecipue serius Hellenophoenices Cabiros suos retento patrio nomine Dioscurorum habitu, et forma proposuisse, ut ex numis, de quibus hic agitur, satis apparet. Vtrique praecipue culti ab omnibus iis, quibus res maritima cordi fuit. Avita haec fuerat Phoenicibus religio, quorum navigandi studium inde a principio cognitum fuit, neque alia de causa Phocaeenses Ioniae eorum in moneta sua cultum testantur, quam quod teste Herodoto hi primi ex Graecis fuere, qui longinquas navigationes susceperunt. Ex eadem rei maritimae causa hos sibi patronos delegere Ponti Euxini accolae. Vide etiam, quae de his alia docebimus ad denarios Sulpicii Rufi, ac praecipue dissertationem Freretii [c]).

Fecit adulatio, ut urbes, quae hos deos in primis numinibus habuere, eorum nomina et attributa Caesaribus impertirent. Ita Lacedaemonii, cúm epigramma Aurelio et Vero dedicarent sic de iis: ΘЄΟΙϹ. ΟΛΥΜΠΙΟΙϹ. ΝЄΟΙϹ. ΔΙΟϹΚΟΥΡΟΙϹ [d]). Ex eadem ratione in praesentibus numis Antoninus, Aurelius, Commodus, Annius ΣΥΡΙΩΝ. ΚΑΒΙΡΩΝ. nomine compellantur. Quin et in feminas eundem derivatum honorem videmus, et utramque Faustinam in Cabirarum numerum venire, neque injuria istud; nam et *Cabiridas* ex veteribus eruit Pellerinius.

Cur vero numi hi huic sint Tripoli tribuendi, inquirendum. Verisimile quidem primo videri posset, eos Berytum referendos, quoniam haec urbs, ut diximus, donata fuit Cabiris, et ex ejus numis constat, Dioscurorum cultum in ea urbe constitutum. At cum ea a I. Caesare deducta fuerit colonia, et inde ab hoc alii numi nisi cum coloniae nomine cusi non fuerint, jure arguit Pellerinius, numos praesentes vix huc posse pertinere. At pro Tripoli eo judice pugnant causae plures, fabrica, palma arbor, Dioscurorum typus in ejus numis perpetuus, quorum cultus sub Cabirorum nomine a vicina Beryto in hanc urbem duci facile potuit, ac tanto proclivius hic stabiliri, cum ea urbs olim aeque ac hodie mercatoribus constiterit, quorum magnopere interest, horum opem numinum sibi nauticam exercentibus praesto esse.

* * *

Navarchis. ΤΡΙΠΟΛΙΤ. ΝΑΥΑΡΧ.

---

a) S. C. de Bacch. sub init. b) Gruter p. 319. 2. c) B. L. T. XXVII. p. 9. d) Caylus Rec. d' Ant. T. V. p. 190.

ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΑΛΦ. *Navis expanso velo*, Elagabali. (Pellerin Rec. III. p. 259.)

In nullo alio catalogo reperio, Tripolin inscribi *navarchida*. Tamen binos adhuc alios sic inscriptos huc pertinere docuit Pellerinius, nimirum unum Sidonis cum capite Elagabali, quem perperam sic describit Vaillantius: CΙΔΩΝΟC. ΝΑΥΑΡΧΙΔΟC. typo navis, alium Tyri cum ejusdem Elagabali capite in quo lectum a Vaillantio: ΤΥΡ. ΙΕΡ. ΑC. ΝΑΥΑΡΧ. ΒΛΦ., quem idem Tripolin quoque retrahendum comperit [a]).

* * *

Neocoratus, rarus in hujus tractus urbibus, in unico numo notatur, quem continuo descripsi.

* * *

Sacra, *Asylum*, in numo mox laudato, quem Tyro perperam largitus est Vaillantius. In autonomis, sed perpaucis iidem tituli occurrunt.

* * *

Epocha. In hac notanda sedula fuit Tripolis. Numi docent, eam primum usam aera Seleucidarum, deinde Pompejana, serius ad primam Seleucidarum redivisse.

I. Seleucidarum:

ΖΜΡ. in numo Antiochi IV.

L. ΑΣ. in autonomo citato, pro quo perperam a Vaillantio lectum L. A. diximus.

ΘΜΣ. in numo regis Dionysii.

II. Pompejana.

L. Γ. Η. ΗΙ. in autonomis. (Mus. Com. Erbach, Mus. Caes. Pellerin.)

L. ΓΚ. in numo Antonii IIIviri. (Vaill.)

Λ. ΑΛ. ΒΛ. in autonomis argenteis.

L. ΜΔ. in autonomo. (Pellerin.)

III. Seleucidarum iterum.

L. ΠΣ. Augusti. (Vaill.) Lectio suspecta, ut dicetur.

ΑΠC. in autonomo supra descripto.

L. T. Augusti. (Morelli Impp. Tom. I. p. 405.)

ΑΤ. ejusdem. (Theup.)

L. ϛΤ. in autonomo. (Mus. Caes.) Pellerinio perperam L. ϛ., ut diximus.

ΑΛΤ. Tiberii. (Vaill.)

ΜΤ. Ejusdem. (Pellerin Mel. II. p. 328.)

L. ΘΟΤ. in autonomo. (Pellerin.)

ΗΚΤ. Trajani et Hadriani. (Vaill. aliique.)

ΒΛΤ. Hadriani. (Pellerin Mel. II. p. 328.)

ΝΤ. ΤΝΔ. Antonini. (Arigoni.)

ΓΝΤ. ΕΝΤ. ΘΝΤ. Ejusdem. (Vaill. Mus. Caes.)

ΘΝΤ. Aurelii Caes. (Vaill.)

ΔΙΦ. Caracallae. (Arigoni.) Plautillae. (Vaill.)

ΓΚΦ. ΔΚΦ. ΕΚΦ. ΖΚΦ. Domnae, Caracallae. (Vaill. Arigoni, Pellerin, Theup.)

ΗΚΦ. Caracallae. (Pellerin Mel. II. p. 328.)

ΘΚΦ. Diadumeniani. (Catal. d'Ennery p. 488.)

ΑΛΦ. Elagabali. (Vaill. Pellerin Rec. III. p. 259.)

ΒΛΦ. Elagabali, Soaemiadis. (Vaill.) Paulae. (Pellerin.)

ΓΛΦ. Elagabali, Soaemiadis. (Vaill.)

ΦΛΓ. Alexandri capite laur. (Theup.)

Numos tres priores sistere annos ae-

a) Mel. II. p. 326. et 328.

rae Seleucidarum, controversum esse nequit.

Numi sequentes Pompejanam offerunt, quae incipit ab autumno V. C. 690. vel 691. Fuit haec ignota Norisio, at Vaillantius eam eruit ex numo M. Antonii cum anno ΓΚ., in cujus aversa, ut ipse ait, est caput Cleopatrae diadematum. Singularis est Harduini sententia, qui cum annum hujus numi aerae Caesarianae adplicaret, contra unanimem scriptorum omnium et monumentorum consensum pugnam Actiacam ad annum V. C. 727. distulit, quae deliria miremur refutare voluisse Frölichium [a]). Sitne in hoc Antonii numo, ut Vaillantius censet, revera caput Cleopatrae, etsi diademate revinctum adserat, dubitare liceat, quamquam neque Frölichius, neque Pellerinius istud impugnent. Demus, initium aerae Pompejanae a Tripolitanis ductum ab autumno V. C. 691., annus numi ΓΚ. coepit ab autumno V. C. 713., at labente hoc Tripolitanorum anno Antonius Octaviam Octaviani sororem duxit. Quare nemo non videt, non potuisse citra canoram offensionem Cleopatrae vultum cum M. Antonio conjungi. Accedit, antequam Octaviam duceret, vixisse Fulviam ejus veram uxorem, atque etsi jam tum Cleopatram deperiret, tamen nondum eam publice pro uxore habuit, quin et amores suos tum adhuc tectos voluit. Quare mirum videretur, ausos fuisse Tripolitanos utriusque caput jungendo utriusque etiam illicitum commercium in moneta publica proponere. Mallem igitur, caput illud pro Octaviae capite haberi. Numus hic, quem Vaillantius ex museo regio citat, adcurate denuo esset inspiciendus, an vere caput illud diademate ornetur. Vltimus annus certus hujus aerae compertus est annus ΜΔ., qui incipit ab autumno V. C. 734., si epocha coepit ab autumno 691. Causa constitutae epochae non modo est generalis illa, quod hoc anno Pompejus Syriae et Phoenices res constituit, verum etiam privatum adversum Tripolitanos beneficium; nam teste Iosepho Pompejus Dionysium Tripolitanae urbis tyrannum capite plecti jussit, ut supra ad ejus numum dictum.

Seleucidarum aeram antiquata Pompejana denuo respexere Tripolitani. Quando istud contigerit, indagandum. Hanc Vaillantius primum videt in numi Augustei anno ΠΣ. Non adridet haec sententia. Annus hic deductus ab anno 442. inciperet ab autumno V. C. 721. Verum annis 720. 721. 722. usurpatam Tripoli aeram Pompejanam, probant autonomi supra citati cum annis Λ. ΑΛ. ΒΛ. Eandem ad annum 734. rursum comprobat annus ΜΔ. numi autonomi, sed aeram Seleucidarum rursum postulant anni Τ. et ΑΤ. in numis Augusti, qui respondent annis V. C. 741. 742. an verisimilis tanta Tripolitanorum in aerae negotio inconstantia? Ad haec si causa praetensi anni ΠΣ. numus signatus est anno 721, qua ratione lauream, qua Augusti caput redimitum testatur Vaillantius, cum aliis hujus aetatis nu-

a) Animadv. in num urb. p. 97.

mis componemus, in quibus semper capite nudo proponitur? Hujus quidem numi natales is biennio differt; ait enim: (Num. Graec. p. 288.) *Tripolitae Augusto numos dedicarunt anno aerae Seleucidarum* 280, *quem si addideris ejus capiti* 442, *incides in autumnum anni V. C.* 723, *quo Augustus M. Antonium ad Actium superavit.* At scribendum fuerat, annum Seleucidarum 280 incipere in autumno V. C. 721, atque adeo biennio ante pugnam Actiacam. Quare cum neque ea aerarum confusio credibilis videri possit, neque cultus Octaviani huic aetati competat, verisimile est, annum ex numo male exceptum, et quovis pignore certarem, pro ΠΣ. exstare in numo MZ, qui annus ad aeram Pompejanam exactus respondet anno V. C. 737. Numum citat Vaillantius ex museo Foucault, quod nunc est Neapoli. Istud si verum, postremum annum aerae Pompejanae habemus dictum MZ, seu V. C. 737, et cum aerae Seleucidarum restitutae habeamus primum annum T in numo Augusti, qui respondet anno V. C. 741, apparet, eam mutationem accidisse intra dictos annos 737, et 741. Haec scripsi, cum forte incidi in numum autonomum supra citatum cum anno AΠC, qui nunc est in praeclaro museo ill. Comitis Vitzai. Est is certe aerae Seleucidarum, respondens anno V. C. 722, quo tempore diximus apud Tripolitanos valuisse aeram Pompejanam, et Vaillantii adeo lectionem ΠΣ, quam suspectam diximus, videtur confirmare. Quidquid erit, istud jam fere certum, primis Augusti annis utramquae epocham apud Tripolitanos in usu fuisse, subinde plane abolitam Pompejanam. Similem aerarum permixtionem vidimus in numis Apameae Seleucidis.

Aera Seleucidarum a Tripolitanis his numis invicte ad annum V. C. 442 figitur, et quidem I. a numis Trajani et Hadriani cum eodem anno HKT, qui incipit in autumno V. C. 869, qui annus Seleucidarum fuit postremus Trajani, Hadriani primus. Idem praestat annus ΓΛΦ inscriptus tam numis Elagabali, quam Alexandri jam Augusti, et respondens anno V. C. 974. Cum ergo ex his numis certum sit, inter autumnos 974 et 975 caesum Elagabalum, et Alexandrum dictum Augustum, his quoque judicibus affligitur eorum sententia, qui caesum in Septembri Elagabalum dixere. Nam cum annus Seleucidarum coeperit circa Octobrim, si peremptus fuisset Elagabalus mense Septembri, non potuisset ejus necis, et admoti ad imperium Alexandri nuncius pertingere in Phoeniciam currente adhuc anno ΓΛΦ, neque intra tam exiguum temporis spatium, et antequam inciperet annus ΔΛΦ, confici matrices pro Alexandri jam Augusti numis. Etiam numus Caracallae cum anno HKΦ probat, non posse epocham serius anno V. C. 442 incipere. Mirus est calculus Freretii, ex anno HKT probantis, Tripolitanorum aeram coepisse V. C. 443 [a]).

Annus ΒΛΦ in numo Paulae probat,

a) B. L. T. XVI. Mem. p. 295.

hanc adhuc in autumno V. C. 943. Elagabali thorum occupasse.

AE. C.

TYRVS.

Sidone nata, sed matrem opulentia et rebus gestis longe superavit, deductis Carthaginem et Gades coloniis, tolerata Alexandri M. in complures menses obsidione ingens nomen adepta. De ejus antiquitate lege dissertationem Abbatis Fontenu [a]).

Numi hujus urbis abundant, at cum ea duplice aera usa fuerit, et difficile multis visum statuere, utri adplicandi sint varii anni in his signati, e re fore existimavi, si, ut in Sidone facere institui, omnes hujus urbis numos cum regum nominc percussos, tum autonomos, quos in adcuratioribus catalogis reperi, descripsero, addita in fine ordinis chronologici a me observati ratione.

* * *

1) Antiochi IV. *Ejus caput.* ᚷ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΥΡΙΩΝ. ΔΜΡ. vel ΕΜΡ. vel ΖΜΡ. *Navis, infra literae Phoeniciae.* AE. (Frölich Annal. Syr.)

2) Demetrii II. *Ejus caput.* ᚷ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΤΥΡΙΩΝ. ΑΝΡ. ΔΝΡ. ΗΝΡ. ΘΝΡ. *Navis, infra literae Phoeniciae.* AE. (Frölich, Catal. d'Ennery.)

3) Alexandri I. *Ejus caput.* ᚷ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΓΞΡ. ϛΞΡ. *Aquila rostro navis, vel gubernaculo insistens, retro palmae ramus, in area clava, supra quam monogramma Tyri.* AR. I. (Frölich.)

Primus hic est ex illustribus Tyri tetradrachmis. Eorum meminit Iosephus quoque [b]): τȣ Τυϱιȣ νομισματος, ὁ τεσσαϱας Αττικας δυναται, nempe drachmas.

4) Demetrii II. *Hujus caput.* ᚷ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΖΞΡ. *in alio* ΘΞΡ. *Reliqua ut num.* 3. AR. I. (Frölich.)

5) *Eadem adversa.* ᚷ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΤΥΡΙΩΝ. ΗΞΡ. *Navis infra literae Phoeniciae.* AE. (Frölich.)

6) *Eadem adversa.* ᚷ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΥΡΟΥ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ. ΒΟΡ. Typus non proditur. Eum Frölichius ex Harduino citat. AR. I.

7) Antiochi VII. *Ejus caput.* ᚷ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΙΕΡΑ. ΑΣΥ. ΔΟΡ. vel ΕΟΡ. *Typus, ut num.* 3. AR. III. (Frölich, Catal. raisonn. p. 7.) *In aliis* ΖΟΡ. AR. I. (Mus. Duane.)

8) *Eadem adversa.* ᚷ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΥΡ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ΖΟΡ. *in alio* ΗΟΡ. *Navis, infra literae Phoeniciae.* AE. (Fröhlich.)

9) *Eadem adversa.* ᚷ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΙΕΡΑ. ΑΣΥ. ΠΡ. *Typus, ut num.* 3. AR. I. (Frölich.)

10) Demetrii II. *Ejus caput.* ᚷ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΤΥΡ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ΑΠΡ. *Navis.* AE. (Frölich.)

11) Antiochi VII. *Ejus caput.* ᚷ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ΒΠΡ. ΓΠΡ. *Typus, ut num.* 3. AR. I. (Frölich, Mus. Caes.)

12) Demetrii II. *Ejus caput.* ᚷ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. Α. ΙΕ.

---

a) B. L T. XVIII. p. 17.

b) Bell. Iud. L. II. c. 21. §. 2.

ΑΣΤ. ΓΠΡ. *Typus*, *ut num.* 3. AR. I. (Mus. Caes.)

13) Antiochi VII. *Ejus caput.* ✕ ΑΝΤΙ - - - ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Α. ΙΕ. ΑΣΤ. ΔΠΡ. *Typus*, *ut num.* 3. AR. (Frölich ex museo Granelliano, nunc Caesareo, sed in hoc lego potius ΒΠΡ.)

14) Demetrii II. *Ejus caput.* ✕ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Α. ΙΕ. ΑΣΤ. ΕΠΡ. ϛΠΡ. ΖΠΡ. *Typus*, *ut num.* 3. AR. I. (Frölich, Pellerin.)

Annus postremus ΖΠΡ. respondet anno V. C. 628, quo ipso anno Tyrii novam aeram, nempe propriam suam inchoavere, ut infra dicetur.

Numi cum aera Tyriorum.

15) *Caput Herculis laur.* ✕ ΤΥΡΟΥ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ. L. Δ. *Aquila gubernaculo insistens*, *retro palmae ramus*, *in area clava.* AR. I. (Mus. Caes.)

16) *Alius*, *sed* L. Η. AR. I. (Beger.)

17) *Alius sed* L. Ι. AR. I. (Pellerin.)

18) Antiochi VIII. *Ejus caput.* ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΥΡ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ϛΣ. *Aquila stans.* AR. I.

Numum describit Frölichius ex museo Faukener [a]), cujus annus ϛΣ. cum necessario ducendus sit ab aera Seleucidarum, eo interrumpitur series aerae Tyriorum jam coeptae. At facile perspicitur, cum numus regis Seleucidae caput sistat, in ejus gratiam Tyrios Seleucidarum aera in dedicata ei moneta usos. Tam civiles non fuere Sidonii, qui neque in numis regum capite insignibus ab inchoata semel sua aera discessere, ut supra vidimus.

19) *Vt num.* 15, *sed* L. ΚΕ. AR. I. (Noris.)

20) *Alii*, *sed* L. Λ. ΒΛ. AR. I. (Mus. Caes.)

21) *Alius*, *sed* L. Μ. *in area* ΚΡ. Κ. AR. I. (Mus. Caes.)

22) *Alius*, *sed* ΜΕ. *in area* ΚΡ. AR. I. (Mus. Caes.)

23) *Alius*, *sed* Μϛ. *in area* ΚΡ. AR. I. (Catal. d'Ennery.)

24) *Caput muliebre velatum turritum*, *retro palmae ramus.* ✕ ΤΥΡ. *(monogr.)* Α. ΙΕΡ. ΑΣΥ. L. q. *Navis infra literae Phoeniciae.* AE. (Mus. Caes.)

25) *Vt num.* 15, *sed* ΡΖ. AR. I. (Pembrock.)

26) *Vt num.* 15, *sed* ΡΙΓ. ΡΙΔ. ΡΙΕ. ΡΙϛ. ΡΚϛ. *in omnium area* ΚΡ. AR. I. (Pellerin.)

27) *Vt num.* 15, *sed* ΡΛΕ., *pone* ΚΡ. AR. I. (Hunter.)

28) *Caput muliebre velatum turritum*, *retro palmae ramus.* ✕ ΤΥΡ. *(monogr.)* Α. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ΡΜΑ. *Navis infra literae Phoeniciae.* AE. (Pellerin.)

29) *Vt num.* 15. *sed* ΡΞΑ. ΡΟΑ. ΡΟϛ. ΡΟΗ. *in omnium area* ΚΡ. AR. I. (Hunter.)

30) *Caput Herculis.* ✕ ΤΥΡ. *(monogr.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΗΟΡ. *et literae Phoeniciae*, *omnia intra quernam.* AE. (Mus. Caes.)

31) *Vt num.* 15, *sed* ΡΠΒ, *in area* ΚΡ. AR. II. (Pellerin.)

32) *Caput Herculis laur.* ✕ ΤΥΡ.

a) Ann. Syr. p. 101.

(monogr. super clava) in area ΡΠΒ, *et literae Phoeniciae, omnia intra quernam.* AE. (Mus. Caes.)

33) *Caput muliebre velatum turritum.* ✠ ΤΥΡ. *(monogr.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛΕωC. ΙΕΡΑC. ΑΣ. *Palma.* AE. (Mus. Caes.)

34) *Caput idem.* ✠ ΤΥΡ. *(monogr.)* Α. ΙΕΡ. ΑΣΥ. *Navis, infra literae Phoeniciae.* AE. (Mus. Caes.)

35) *Caput Herculis laur.* ✠ ΤΥΡ. *(monogr. super clava) in area* CΓ. Α. *et literae Phoeniciae.* AE. (Mus. Caes. Pellerin.)

36) *Caput mul. velat. turr. pone palmae ramus.* ✠ ΤΥΡ. *(monogr.)* Α. Α. ΙΕΡ. ΑΣΥ. CΓ. *Navis, infra literae Phoeniciae.* AE. (Pellerin.)

37) *Alius, sed* ϛΣ. AE. (Mus. Caes.)

38) *Caput Herculis laur.* ✠ ΤΥΡΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕωC. ΘΣ. *et juxta literae Phoeniciae, clava, omnia intra lauream.* AE. (Pellerin.)

39) *Caput mul. velat. turr. retro palmae ramus.* ✠ ΤΥΡ. ΜΗ. Α. *(omnia uno monogrammate ligata)* ΕΡΑΣ. (sic) ΘΣ. *Palma.* AE. (Mus. Caes.)

40) *Caput Herculis laur.* ✠ ΤΥΡ. *(monogr. super clava) in area* ΙΣ *et literae Phoeniciae, omnia intra quernam.* AE. (Beger.)

41) *Caput mul. velat. turr.* ✠ Μ. ΤΥΡ. *(monogr.)* ΙΕΡΑΣ. ΘΙΣ. *Palma.* AE. (Frölich.)

42) *Caput Herculis laur.* ✠ ΤΥΡ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΚΣ. *Clava intra lauream.* AE. (Mus. Caes.)

43) *Caput mul. velat. turr.* ✠ ΤΥΡ. *(monogr.)* ΙΕΡΑC. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕωC. ΑΚΣ. *Navis.* AE. (Hunter.)

44) *Caput mul. velat. turr. retro palmae ramus.* ✠ ΜΗΤ. ΤΥΡ. *(monogr.)* ΛΣ. *Astarte navi insistens d. acrostolium, s. sceptrum.* AE. (Mus. Caes.)

45) *Caput mul. velat. turr.* ✠ ΤΥΡΟΥ. ΜΗΤΡΟΠ. ΙΕΡΑΣ. ΔΛΣ. *Palma.* AE. (Frölich.)

46) *Caput Herculis laur.* ✠ ΤΥΡ. *(monogr. super clava.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛΕωC. ΗΛΣ. *et literae Phoeniciae.* AE. (Pellerin.)

47) *Caput mul. velat. turr. retro palmae ramus.* ✠ ΤΥΡ. *(monogr.)* ΙΕΡΑΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕωΣ. ΗΛΣ. *Navis.* AE. (Mus. Caes.)

48) *Caput Herculis laur.* ✠ ΤΥΡ. *(monogr.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΑΜΣ. *Clava et literae Phoeniciae intra quernam.* AE. (Theup.)

49) *Caput mul. velat. turr. retro palmae ramus.* ✠ ΤΥΡ. *(monogr.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛΕωΣ. ΙΕΡΑΣ. ΑΜΣ. ΒΜΣ. *Palma.* AE. (Mus. Caes.)

50) *Alius, sed* ΓΜΣ. (Pellerin, Mus. Caes.)

51) *Caput simile.* ✠ ΤΥΡ. *(monogr.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC. ΙΕΡΑ. ЄΜC. AE. (Mus. Caes.)

52) *Alius, sed* ΖΜC. AE. (Mus. Caes.)

53) *Caput Herculis laur.* ✠ ΤΥΡ. *(monogr. super clava)* ΜΗΤΡΟΠΟΛΕωC. ϛΝC. *in area literae Phoeniciae, omnia intra quernam.* AE. (Mus. Caes.)

54) *Caput mul. velat. turr.* ✠ ΤΥΡ. *(monogr.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΙΕΡΑΣ. ϛΝΣ. *Palma.* AE. (Theup.)

55) *Caput Herculis laur.* ✠ ΤΥΡ. *(monogr. super clava.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛΕωC. ϛΝC. ΗΝC. *in area literae Phoeniciae, omnia intra quernam.* AE. (Pembrock, Hunter.)

56) *Caput mul. velat. turr. retro pal-*

mae ramus. ☧ TΥΡ. *(monogr.)* ΙΕΡΑΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΞΣ. ΕΞC. ΘΟΣ. *Navis.* AE. (Neumann, Hunter, Mus. Caes.)

57) *Caput Herculis laur.* ☧ TΥΡ. *(monogr. super clava.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΘΟC. *et literae Phoeniciae, omnia intra quernam.* AE. (Noris.)

58) *Alius, sed* ΑΠΣ. AE. (Mus. Caes.)

59) *Caput mul. velat. turr.* ☧ TΥΡ. *(monogr.)* ΙЄΡΑC. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. ΔqC. *sine typo.* AE. (Pellerin.)

60) *Caput mul. velat. turr. pone palmae ramus.* ☧ TΥΡ. *(monogr.)* ΙΕΡΑΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΘqΣ. *Navis.* AE. (Hunter.)

61) *Eadem adversa.* ☧ TΥΡ. *(monogr.)* ΙЄΡΑC. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. AKT. *Navis.* AE. (Mus. Caes.)

62) TΥΡ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. *Caput Herculis laur.* ☧ ΚΟΙΝΟΥ. ΤΗC. ΦΟΙΝΙΚΗC. AKT. *Templum* 8. *columnn.* AE. (Pellerin.) sed apud Hunterum: ΚΟΙΝΟΝ. ΦΟΙΝΙΚΗC. In simili alio pro AKT. perperam lectum AKTI., ut dicetur infra in *Ludis.*

* * *

Epocham apud Tyrios fuisse duplicem, non numi modo, sed et veterum testimonia evincunt.

I. *Seleucidarum*, ab anno V. C. 442. inscripta numis regum Seleucidarum et secundum aliquorum sententiam etiam autonomis compluribus, in quod infra inquiremus.

II. *Propria Tyriorum.* Hanc eruditi varii a variis principiis duxere, at Norisius Scaligerum secutus, nixus testimoniis Eusebii in Chronico, et actis conciliorum, in quibus diserte anni Tyriorum mentio fit, ejus principium invicte ad autumnum anni V. C. 628. fixit. Argumentis brevitatis causa abstineo, quae qui volet, ab egregia Norisii sagacissimi diligentia petat [a]). Idem vir eruditus causam epochae propriae petit ab autonomia, quam censet Tyrios impetrasse ab Alexandro II. Zebina. Nam cum Demetrius II. ab Alexandro II. apud Damascum victus Tyrum fugisset V. C. 628, mox haud dubie in Alexandri gratiam morte adfectus est, pro qua observantia certum videtur Tyrios autonomiam reportasse. Isthaec eleganter confirmat numus Tyri supra num. 14 cum anno ΖΠΡ. descriptus, et capite Demetrii II. insignis, qui docet I., cum numus signatus fuerit ab autumno V. C. 628, Tyrios adhuc sub autumnum adhaesisse Demetrio II., et quoniam monetam ei dedicavere, regis loco habitum. II. hunc Demetrium primum post autumnum V. C. 628, quo nempe apud Tyrios annus ΖΠΡ. coepit, caesum fuisse. Fuit ergo hic annus ΖΠΡ. respondens anno V. C. 628 postremus aerae Seleucidarum a Tyriis adhibitae, et primus autonomiae, cujus annos deinceps inscripsere, etsi deinceps quoque in numis Seleucidarum regum effigie insignibus in eorum gratiam Seleucidarum aera usi fuerint, ut supra ad numum 18 notavi. Ceterum concessam Tyro a regibus autonomiam testantur scriptores, etsi tempus non definiant. Strabo [b]): *non a regibus modo, verum a Romanis quoque autono-*

a) Ep. Syrom. p. 323. b) L. XVI.

miam obtinuere Tyrii. Et Iosephus [a]): M. Antonium varias Phoeniciae et Palaestinae urbes Cleopatrae subjecisse demptis Sidone et Tyro, *quod eas antiquitus liberas esse sciret.* Autonomiam Tyrii in numis non notavere saltem expresse, quod satis ea per ipsos epochae annos significaretur.

Constitutis epochis alia oritur quaestio, ad utram referendi sint anni numis autonomis impressi. De regum numis dubitandi locus non est, quorum anni Seleucidarum aeram sequuntur etiam in numis post inductam aeram propriam signatis, ut aliquoties diximus. Soli ergo autonomi in jus vocantur.

Censet Frölichius Spanhemium secutus, numos urbium Syriae, praesertim Tyri, Sidonis, et Antiochiae, quorum epochae numerum CC. superant, ante Augustorum tempora signatos, si alia vetustatis signa, et characterum vetustiores formae adsint [b]). Apertius infra [c]): *illud in Tyriorum numis adverto, numos argenteos aeram Tyriorum novam et propriam, aeneos vero veterem Seleucidarum exhibere.* Horum sententiae sese adplicat quoque Pellerinius [d]). At Norisius annos ΗΛΣ. ΘΙΣ. ΘΟΣ. ad aeram novam confidenter exigit [e]), quam sententiam, cum multo mihi videatur verisimilior, hic pluribus argumentis stabilitum eo. Praemonendum vero, numum Elagabali cum anno Seleucidarum ΒΛΦ, quem Vaillantius huc revocavit, non esse Tyri, sed Tripolis, ut in imperatoriis dicetur.

I. Omnium confessione autonomi argentei sequuntur aeram novam, ac necessario quidem, nam anni multi his inscripti tam modici sunt, ut ab aera Seleucidarum duci non possint, Tyro anno primum Seleucidarum 94 ab Antiocho M. subjugata. Exhibent hi annos ordine varios a Δ usque ΡΠΒ, seu ab anno V. C. 631 usque 809. Cum in his magno numero signatis nunquam appareat litera C pro Σ, verisimile est, illud hac aetate apud Tyrios nondum fuisse in usu, et quod sequitur, etiam ab aeneis synchronis abesse debuisse. Iam vero videmus in numis supra a numero 33 usque 38 citatis cum annis ΑΣ. CΓ. ΘΣ. jam existere elementum C, qui si aerae Seleucidarum adplicentur, signati forent V. C. 642, 644, 650. Si elementum istud jam anno 642 valuisset Tyri, incredibile foret, illud saltem non aliquando usurpatum in numis certis argenteis et copiosis usque ad annum 809 signatis. Verum, opponit Frölichius, ex characteribus capiendum indicium, et qui vetustioris sunt formae, esse aerae Seleucidarum, qui recentioris, esse aerae novae. Ad quam ergo aeram pertinere censebit numos, in quorum una eademque facie comparet tam Σ, quam C? ut numero 33: ΜΗΤΡΟΠΟΛЄωC. ΙЄΡΑC. ΑΣ, et num. 35: ΑΣΤ. CΓ, et num. 39: ΜΗΤΡΟΠΟΛЄωC. ΘΣ, et num. 40: ΜΗΤΡΟΛЄωC. ΗΛΣ etc. In his τo Σ suadet aeram Seleucidarum, et C aeram novam. Ex quo jure arguitur, cum illud

a) Ant. L. XV. c. 4. §. 1. b) Ann. Syr. p. 105. c) pag. 107. d) Rec. II. p. 228. 229. e) Ep. Syrom. p. 331. 333.

elementum in numis certae aetatis usque ad annum saltem 809 signatis non appareat, illud tum in usu non fuisse, atque adeo numos dicto elemento praeditos intra hanc aetatem collocandos, id est, ab epocha ducendos non esse, vi cujus intra hanc aetatem caderent, quod fieri necesse est, si ducantur ab aera Seleucidarum. Primum C occurrit in numo 33 sub Vespasiano signato, atque ab hoc tempore videmus utrumque elementum, tam Σ, quam C, promiscue usurpatum. Postremum Σ observatur in numo 60 cum anno ΘqΣ, qui ductus ab aera II. respondet anno V. C. 926. imperantis M. Aurelii XII. Fateor, jam Antonini Pii aetate vix amplius sigma hac forma reperiri, ut docui in Prolegomenis generalibus capite XVII. p. CII., at absurdum non est suspicari, literam hujus formae aliquanto diutius Tyri, quam apud alias urbes perseverasse.

II. Si numi majores ducendi essent ab aera Seleucidarum, ex numis supra num. 33, 38, 39, 42 etc. citatis sequeretur, Tyrum jam fuisse metropolin, et se talem professam in numis annis V. C. 642, 650, 660 etc. signatis. Verum infra, ubi de *metropoli* agam, multo serius id honoris impertitum Tyro, aut saltem Tyrum multo serius hoc titulo in numis usam docebo. Huc etiam adcommoda, quae infra ad *Sacra* et *Asylum* dicentur.

III. Vix verisimile est, et tantum pro libitu fingitur, placuisse Tyriis alia aera uti in argenteis, alia in aeneis. Quin neque verum istud est contradicente numo num. 24, eoque integerrimo musei Caesarei, in quo legitur L. q. Hic annus nonagesimus ex principio aerae Seleucidarum pendere nequit, nam anno primum hujus aerae XCIV. Tyrus proditore Aetolo Theodoto Antiochi M. jugum subivit, ut refert Polybius [a]). Ergo annus hic adcommodandus est aerae novae, ergo Tyrii eodem tempore annos aerae suae novae numis tam argenteis, quam aeneis intulere. Cum praeterea necessarium non sit, ad hanc in diverso metallo aerarum permutationem confugere, et nihil omnino repugnet, quo minus modo simplice omnes annos ab aera II. ducamus, statuendum omnino videtur, Tyrios inducta semel aera propria ab hac, nisi in numis regum, nunquam discessisse. Eam promiscuarum epocharum licentiam a viris eruditis aliis quoque urbibus perperam adfictam, ubi ubi potui, atque ut spero, feliciter reprimere adnisus sum.

Secundum hunc calculum numi postremi cum anno AKT. incidunt in initium imperii Severi, a quo subinde facta colonia numos Graecos fabricare desivit.

De epocha III. vide infra in coloniae numis.

* * *

Typi: Horum in numis Tyri aequabilis semper et constans ratio.

Numi argentei omnis formae, si regum sunt, in antica offerunt *horum caput*, si autonomi, *caput laureatum Herculis Tyrii*, in aversa utrobique *aquilam.*

a) Hist. L. V.

Numi aenei regum in aversa constanter *triremem*.

Numi aenei autonomi:

In quorum antica est *caput muliebre velatum turritum*, in horum aversa est *triremis* vel *palma arbor*. In uno *Astarte navi insistens*.

In quorum antica est *caput Herculis Tyrii*, in horum aversa est *monogramma Tyri super clava*, *claudente oram corona querna*, vel *nomen urbis plene scriptum*, *in medio clava*.

Haec de typorum negotio generatim; seorsim:

Aquila insistens gubernaculo, *aut prorae navis*, (raro utrumque abest) *retro palmae ramus*.

Ratio hujus typi ambigua. Norisius eam repetit ex Nonno narrante [a]), Herculem jussisse condi Tyrum super scopulis, qui magis deinde solidarentur conspersi sanguine aquilarum diis mactatarum [b]). Sed enim idem typus est etiam in numis Sidonis, et si fulmen gubernaculo substituas, in numis Ptolemaeorum. Aliunde ergo petitus communis hic typus videtur.

Caput Herculis laureatum imberbe.

Herculis cultus perantiquus Tyri, et deinceps etiam solennis. Iosephus ex Menandro Ephesio docet [c]), Hiromum Tyri regem, aequalem Salomonis, dejectis antiquis delubris nova templa aedificasse, Herculisque et Astartes fana consecrasse. A vetusto hoc cultu etiam *Tyrii* cognomentum abstulit deus, de quo Tullius [d]): *quartus Iovis et Asteriae Latonae sororis*, *qui Tyri maxime colitur*, tum et Arrianus [e]). De ejus templo plura Herodotus [f]). Herculi Tyrio cum intra urbem sacrificare vellet Alexander M., repulsam ab oppidanis passus urbem obsidione cinxit, ac demum excidit. Herculis Tyrii imaginem in numis quoque Antiochiae Syriae, quin et Sardium Lydiae propositam, in utriusque moneta diximus.

Triremis, ut in Sidoniorum moneta, pertinax Tyriorum navigandi studium notat.

Palma arbor, *aut ejus saltem ramus capiti muliebri turrito*, *vel aquilae adstitutus*.

A palma, *ἀπο τȣ φοινικος*, Phoenice hac arbore praeprimis dives nomen traxit, cujus cum metropolin se ferret Tyrus, eam arborem opportune monetae suae insevit.

Dioscuri et Astarte.

Iusti typi. Illi navigationis praesides, haec dea in Phoenicia domi, ejusque antiquissimum templum Tyri stetisse mox sub *Hercule* docui. De hac vide etiam infra in Colonia.

* * *

Tituli:

Sacra et Asylum. His titulis primum coepit uti in numo Demetrii II. cuso anno Seleucidarum 172, iique deinceps conjuncti constanter leguntur usque ad annum V. C. 833, post quem asyli titulus non amplius comparet, retento solo ΙΕΡΑ, novo argumento, numeros ab epocha Seleucidarum ducendos non esse,

---

a) Dionys. L. XL. b) Ep. Syrom. p. 328. c) contr. Apion. L. I. c. 18. d) de Nat. deor. L. III. c. 16. e) de Exped. Alex. L. II. c. 16. f) L. II. c. 44.

nam tum numi solo ΙΕΡΑΣ notati percussi forent ea aetate, qua, ut ex numis autonomis, quorum aetas est certa, constat, asyli nomen nunquam omissum fuit. Fuisse Tyrum sacram et asylum, historia quoque docet; nam Demetrius II. praelio victus Tyrum religione templi se defensurus petiit, ut narrat Iustinus a). Haec privilegia ei attulerit religio Herculis.

Metropolis. In eorum sententia, qui numeros majores ex aera Seleucidarum ducendos contendunt, Tyrus satis mature se metropolin in moneta professa est. Nam anni ΑΣ. ΘΣ. numis 33 et 38 una cum metropolis titulo inscripti efficerent, Tyrum metropolis honore jam fuisse decoratam annis V. C. 642, 650 etc. At si hac aetate metropolis jam fuit Tyrus, cur titulus tam splendidus omittitur in magnificis argenteis eodem aevo signatis, in quibus tamen alii tituli ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ nunquam negliguntur? Ea difficultas perpetuo vellicabit patronos aerae Seleucidarum. Neque favet iis testimonium Strabonis adserentis b); *controversum esse, utra urbs*, (Tyrus, an Sidon) *Phoenicum metropolis dici debeat*, ex quo sequeretur, jam Tiberii aetate Tyrum fuisse metropolin. Nam ut recte advertit Norisius, hoc loco metropolis nomen sumitur pro *matre urbium*, quae in alias regiones colonos miserit, non eo sensu, qui collatum in alias ejusdem regionis urbes jus doceret. Etsi enim spectata antiquitate potiora suffragia pro Sidone essent, volebat tamen Tyrus Sidone antiquior videri, neque deerant argumenta, quibus id comprobaret. Ait Suidas c), Tyrum aub Hadriano metropolin factam. At numus cum anno ΗΟΡ illi hunc honorem jam sub Claudio tribuit, nisi forte ante Hadrianum se dixit metropolin tanquam mater urbium, ut Heraclea Bithyniae, inde ab Hadriano ex instituto civili, ut revera in metropoleos juribus per hunc tractum plura mutavit Hadrianus, de quo videatur Norisius d), et quae indicavimus in numis Antiochiae Syriae.

Primatum Tyro ex numo male lecto tribuit Holstenius e), sed fraudem ingeniose detexit Norisius f).

Honorificos Tyri titulos omnes videre est in marmore Puteolano, quod edidit Gruterus g), et prolixe explicavit cl. Ignarra h), *της ἱερας και ἀσυλȣ και αυτονομȣ μητροπολεως Φοινικης και ἀλλων πολεων και ναυαρχιδος κ. τ. λ.* Positum fuit marmor, ut ex adjectis consulibus *Γαλλιῳ και Φλακκῳ Κορνηλιανῳ ὑπατοιν* docemur, V. C. 927.

* * *

Ludi Asclepia, quos videre sibi visus est in autonomo Tyri cl. Combius i), sed quem esse Epidauri, dictum in hujus moneta. In numo 62 Spanhemius a Morellio deceptus pro ΑΚΤ. legit ΑΚΤΙ., et quod sequitur, ludos *Actia* indicari putavit k).

* * *

Literae solitariae frequentes in area numorum Tyri observantur, et quidem

---

a) L. XXXIX. c. 1. b) L. XVI. c) in Παυλος Τυριος. d) Ep. Syrom. p. 332.
e) ad Steph. sub *Tyrus.* f) l. c. p. 333. g) p. 1105. h) de Pal. Neap. p. 279.
i) Mus. Hunter. k) ad Morell. ep. I. p. 83.

in argenteis aeneisque supra literas IEP. saepe comparet A. Autonomiam ea notare non potest, jam enim legitur in numo Antiochi VII., sub quo Tyrus libera nondum fuit. Ad haec in numo 36 duplex A τω IEP. imminet. Incertus ergo hujus et similium literarum sensus.

* * *

Epigraphe Phoenicia Graecae saepe conjungitur nomen urbis lingua patria indicans, de quo vide dissertationem Phoeniciae numis subjectam. Solitariae etiam literae ejusdem idiomatis nonnunquam intra pedes aquilae observantur.

Regum AR. et AE. RR.
Autonomi AR. RR. AE. C.

Imperatorii:

Numos hujus classis nomine Tyri expresso signatos nullos habemus. Quem unicum Vaillantius cum capite Elagabali citavit: TϒP. IЄP. AC. NAϒAPX. BΛΦ., esse Tripolis Phoeniciae, detexit Pellerinius a). Verum exstant tetradrachma complura, in quorum Ꭓ ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. etc. ϒΠΑΤ. etc. Typi: *Aquila clavae insistens, juxta palmae ramus*, in aliis: *Caput Herculis Tyrii*, quae eruditi omnes, qui hos numos recensuere, etsi urbis inscriptio absit, Tyro confidenter largiti sunt. At ea potius esse Antiochiae Syriae, disputavi in hujus moneta toto capite II.

* * *

Colonia. De colonia Tyro Vlpianus domo Tyrius b): *huic enim D. Severus et imperator noster ob egregiam in remp. imperiumque R. insignem fidem jus Italicum dedit.* Stetit vero una cum Laodicea Syriae pro Severo contra Pescennium, quare etiam ab hoc misere fuit adflicta. Originem coloniae indicant etiam numi, qui cum coloniae nomine sub Severo incipiunt, et nomen *Septimiae* in epigraphe: COL. SEPT. TYRVS. vel TYRO. METROP. Haec in omnibus constans est, demptis iis, qui sub Elagabalo signati sunt, et nonnullis successoris Alexandri. In his omittuntur tituli omnes, scribiturque aliud nihil, praeterquam TYRIORVM. Inducta haec novitas, neque vel ante Elagabalum, vel post eum observata, jure suspicari fecit Vaillantium, Tyrum malo suo fato adhaesisse Macrino contra Elagabalum. Sententiam hanc numorum ope copiosius illustravit Pellerinius c). Nimirum constat vel ex ipsis numis, Sidonem ab Elagabalo coloniae et metropoleos jura obtinuisse, quibus titulis ante Elagabalum in moneta sua non gloriabatur. Quare Sidon copiosissimos numos hoc imperante, et initio imperii Alexandri in ejus facti memoriam fudit. Interea Tyrii non paucos quidem et ipsi numos cuderunt, sed quoniam omnibus titulis Sidonem translatis orbati essent, praeter nudum TYRIORVM inscribere nihil potuere. Adfert quidem Vaillantius tres cum titulis coloniae et metropolis, sed epigraphen primi vitiatam ipse profitetur, alios duos restituendos Caracallae, cum utriusque hujus Caesaris facile permutentur vultus, non inique con-

a) Mel. II. p. 176. b) Digg. L. L. tit. XV. de Censib. c) Lettres p. 174.

jicit Pellerinius. Addo, etsi reipsa essent Elagabali, istud sententiam non mutare; nam cusi fuerint mox ab adito Elagabali imperio, antequam decreto publico privilegiis suis exciderent. Iis adhuc caruisse principio imperii Alexandri, docet numus Mamaeae vetere adhuc stylo inscriptus: TYRIORVM. (Theupoli.) Verum indulgente Alexandro restituta fuisse privilegia vetera, docent numi rursus inscripti mentione coloniae et metropoleos usque in Gallieni imperium. Hujus Augusti singularem unum edidit Pellerinius: (l. c.)

SEP. TYRO. METROP. COL. PENIC.

Verbum PENIC. barbare scriptum suspicatur vir sagax pro PHOENIC., quo innuere videbantur Tyrii, urbem suam postliminio constitutam *metropolin coloniam Phoenices*, et sibi rursus subjectam aemulam Sidonem. Sane ademptos huic denuo honores hos temporarios, satis vel ex numis colligitur. Nam quae sub Elagabali imperio, et initio Alexandri ingente numero numos signavit, eadem sub sequentibus imperatoribus nullum seu cum, seu sine coloniae mentione amplius protulit dempto numo Etruscillae, qui citatur in museo Theupoli, sed in quo videtur male lectum *Etruscilla*, fors pro *Aquilia*.

Ad verbum PENIC. ut redeam, ut barbarum est, habet tamen rationem vetustatis, nam quae serius *Phoenice*, olim dicta est *Poenice*, quem archaismum retinuere coloni Carthaginienses a Romanis constanter dicti *Poeni*, unde et ducta vox *Punicus* recentior, ut dictum fuit *curaverunt* pro vetere *coeraverunt*. Teste S. Hieronymo [a]) *Poeni sermone corrupto quasi Phoeni.*

Spectata epigraphe observandum, urbis ejusque titulorum nomina semper Latine scribi, at Graece varia alia vocabula aream insidentia, ut mox videre licebit.

* * *

Typi admodum varii sunt et fertiles factis ex historia et mythologia domestica petitis.

ΔЄΙΔΩΝ. *Dido stans s. sceptrum, pro pedibus parva figura, quae ligone terram aperire videtur, in area porta urbis, cui insidet figura operi faciendo, ut videtur, intenta*, Elagabali, Otaciliae, Valeriani. (Vaill.)

Haud dubie hoc typo indicatur Dido Carthaginis a se conditae, et nobilis Tyriorum coloniae substructiones imperans. In eadem mecum sententia est Pellerinius edito simili Philippi jun. numo [b]). Eodem pertinet: *Dido stans s. sceptrum, quatuor viris togatis volumen porrigit*, Philippi sen. et Volusiani. (Vaill.) Censet auctor, exhiberi Didonem, quae viris primoribus seu Libyae, seu Tyriis secum profugis urbis novae ichnographiam tradit. In aliis: *Dido stans juxta navim d. acrostolium*, Philippi sen. (Vaill.) Didonem in Sidonis quoque numis propositam vidimus. Virgilius, qui eam Tyro profectam docet, tamen *Sidoniam* etiam appellat, non uno hoc exemplo utriusque urbis a veteribus confusae, ut dicetur.

---

a) Comm. L. V. in Hierem. c. 5. b) Mel. I. p. 319.

* * *

Mulier stans d. florem, s. calathum, scripto juxta ЄΥΡΩΠΗ, *pro pedibus taurus in insidiis, in area petrae ambrosiae media inter has arbore*, in numo Gallieni.

Praestantissimus hic numus, et hucusque ἀνέκδοτος, servatur in praeclaro museo cels. principis de Waldeck. Europa virgo Tyria, dum legendis in litore floribus occupatur, a Iove tauro rapta, fabula est notissima. De petris ambrosiis, et arbore agetur infra.

* * *

Cadmus stans d. pateram, s. hastam, juxta bos procumbens, retro porta urbis cum moenibus, propter quae scriptum ΘЄΒΗ. Gallieni. (Pellerin Mel. I.)

Cadmus draconem saxo transverberans, Gordiani, Gallieni. (Vaill.)

Serpens saxo ovali implexus, Elagabali, Aquiliae. (Vaill.)

Numus prior Cadmum sistit Thebarum Boeotiae omine bovis procumbentis conditorem, quae fabula nota, ac praecipue ex Nonno a). Hic typus Tyrum facile pertinet, nam, ut ait Curtius b): *coloniae ejus paene orbe toto diffusae sunt, Carthago in Africa, in Boeotia Thebae, Gades ad Oceanum*, quamvis Plinius Sidonem *Thebarum Boeotiarum parentem appellet*, et Euripides apud Aristophanem c), et Lucianum d): Σιδώνιον ποτ᾽ ἄστυ Κάδμος ἐκλιπών. At idem Euripides e):

Καδμος ἐμολε τανδε γαν
Τυριος, ῳ τετρασκελης
Μοσχος ἀδαμαστον πεσημα δικε,
Τελεσφορον διδουσα
Χρησμον, ὁ κατοικισε.
Cadmus venit in hanc terram
Ex Tyro, cui quadrupes
Vitula sponte corpus prostravit,
Completum reddens
Oraculum, ubi habitaret.

Praeclare numi hujus typum explicat oraculum Cadmo datum, quod refert uterque scholiastes ad citatos cum Aristophanis, tum Euripidis versus, ex quo tantum ea, quae huc pertinent, Latine reddita proponam: *ubi primum bos agrestis consederit, et reclinaverit genu in solo herboso, continuo eam nigricanti Telluri caste ac pure mactabis. Oblata hac Telluri hostia in summo colle urbem latas vias habentem statues.* Haec causa est, cur in hoc numo fingatur Cadmus pateram tenens, nimirum ad bovis sacrificium paratus.

Alterius quoque numi argumentum vulgatum, nimirum Cadmus sociorum ultor, quos apud Dircen fontem draco peremit, ad quam fabulam etiam Vaillantius typum numi III. refert.

* * *

ΑΜΒΡΟϹΙЄ. ΠЄΤΡЄ. *Duo lapides praegrandes, juxta arbor*, Gordiani. (Vaill.) In aliis, sed sine hac epigraphe, *Arbor, cui implexus serpens, inter duos lapides praegrandes*, Aquiliae, Gordiani. (Vaill.)

Veram illustrium horum typorum explicationem pridem, ac primus reperit Tristanus, cujus incredibili eruditioni multos debemus numos praeclare ac vere illustratos. Obtulit eam eo loco, quo

a) Dionys. L. IV. v. 293. seq. b) L. IV. c. 4. c) in Ranis v. 1256. d) in Macrob. e) Phoeniss. v. 641.

Hadriani numum cum typo Herculis Gaditani explicavit a). Facem illi praetulit Nonnus Panopolita, qui in mythologiae causis saepe privatas urbium fabulas secutus multa prodidit, quae in aliorum mythologorum scriniis frustra quaeras. Enim vero praesentium argumentum numorum ignotum hodieque esset, nisi ejus aenigma expediret Nonnus, pro quo beneficio eam retulit mercedem, quod jam ex numis ipsis palam fit, non eum sponte multarum fuisse fabularum auctorem, sed ab aliis confictas in opus suum recepisse. Narrat is, Herculem Astrochitonem Baccho sciscitanti aperuisse prodigia, quae condendae in mari nobilissimae Tyro causam dedere, qua ex narratione ea tantum seligam, quae ad explicandos hos numos faciunt, ac quidem verba Herculis ad viros, futuros Tyri conditores b):

Εισοκε χωρον ἱκοιστθε μεμορμενον, ὁπποθι δισσαι
Αςαθεες πλωυσιν ἀλημονες ἐιν ἁλι ΠΕΤΡΑΙ,
Ας φυσις ΑΜΒΡΟΣΙΑΣ ἐπεφημισεν, ἁις ἐνι θαλλει
Ηλικος ἀυτοῤῥιζον ὁμοζυγον ἑρνος ΕΛΑΙΗΣ - -

Donec ad locum veniatis destinatum, ubi binae
Instabiles natant vagae in mari PETRAE,
Quas natura AMBROSIAS appellat, ex quibus pullulat
Cooevae suapte natus contubernalis surculus OLIVAE - -

Et mox infra de eadem oliva c):

Και φυτον ὑψιπετηλον ἑλιξ ΟΦΙΣ αμφιχορευει.

Et arborem alta folia habentem volubilis DRACO circumfunditur.

En tibi ab his dictatis explicatas petras, earumque inscriptionem, olivam, et draconem. Ambrosiae hae petrae saepe in aliorum quoque Tyri numorum area visuntur, cum alius eos typus occupavit, profluente subtus aqua, nimirum quod aqua maris perpetuo humectantur.

* * *

ΩΚΕΑΝ. *Oceanus specie viri barbati capite taurinis cornubus horrente humi decumbens s. arundinem tenet, dexteram extendit versus adstitutas petras ambrosias, ex quibus unda defluit, in area purpura*, Valeriani.

Insigne istud cimelium, ac, quod mihi constet, unicum ex museo Caesareo editum habes in mea Sylloge I. d). Oceani imaginem numis suis inseruere Tyrii ad renovandam majorum suorum gloriam, qui Oceanum primi gentium adire sunt ausi, et maria ultra Herculis columnas sita tentare fundatis etiam ibi coloniis, quas inter maxime illustres fuere Gades. Fingitur Oceanus fluviorum ritu, quia eadem utrisque natura, idem genus, docente scilicet Homero e):

μεγα σθενος Ωκεανοιο,
Εξ ὑπερ παντες ποταμοι, και πασα θαλασσα,
Και πασαι κρηναι, και φρειατα μακρα ναυσιν.

a) Comment. T. I. p. m. 382. b) Dionys. L. XL. v. 467. c) v. 476. d) pag. 58. e) Il. Φ 195.

ingens vis Oceani,
Vnde omnes fluvii, et totum mare,
Et omnes fontes, et putei alti fluunt.

Quos versus proxime est imitatus vetus, et incertus auctor in Voto ad Oceanum: (Wernsdorf Poet. Lat. min. T. IV. p. 314.)

Tu pelagus quodcunque facis, fontesque lacusque,
Flumina quin etiam te norunt omnia patrem.

Etiam cornua illi cum fluminibus communia, sed et ταυρικρανον illum, id est: *tauricipitem* vocavit Euripides [a]).

* * *

Hercules nudus stans ad aram, juxta duae petrae Ambrosiae, Caracallae, Treboniani, Valeriani. (Vaill.)

Herculis perantiquus Tyri cultus ex hactenus dictis abunde cognitus. Memorabile est, eundem hunc typum unis Tyriis proprium exstare etiam in numo Macrini Aegarum Ciliciae, quas vide.

Astarte tutulata stans d. contingit adstitutum tropaeum, s. hastam, cui Victoriola columellae insistens coronam offert, hinc parvulus Silenus stans (in aliis pro hoc palma) inde purpura, nonnunquam eadem Astarte intra templum. Typus obvius.

De Astartes apud Tyrios honoribus egimus in autonomis. Addendum Tullii oraculum [b]): *Quarta Venus Syria, Tyroque concepta, quae Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est.*

Mercurius stans d. baculum, s. caduceum, pro pedibus Ibis, Valeriani, Saloninae. (Vaill.)

Erudite Vaillantius ad typi explicatum advocat Platonem [c]): *Circa Naucraten Aegypti priscorum quendam fuisse deorum, cui dicata sit avis, quam Ibin vocant, deo autem ipsi nomen Theut.* Est hic Aegyptiorum Mercurius. Tum Hyginum [d]), deos prae Gigantum metu in Aegyptum profugos in varias se formas mutasse, *Mercurium factum esse Ibin.*

Silenus juxta palmam stans hanc sublata dextera indicat, Elagabali. (Vaill.) Solitus coloniae typus, de quo alibi.

Mulier insistens navi d. sceptrum, s. acrostolium, adstant hinc et illinc duo puelli nudi, quorum unus aquam ex urna in mare effundit, alter d. delphinum, s. piscem tenet, Elagabali. (Pellerin Suppl. II. p. 54.)

Vir nudus in navi utraque manu extenta, Philippi sen. et Gallieni. (Vaill.)

Vtriusque numi argumentum mihi ignotum.

* * *

Purpura ex concharum genere. Haec singulorum fere numorum coloniae Tyri aream insidet. In numis Aquiliae et Gordiani in imo segmento est *Canis ad purpuram accedens.* (Vaill.) Docent hi typi inventam apud Tyrios purpuram. Nam, ut docent Fasti Siculi ex Palaephato, canis forte in maris litore purpuram depascens cum ad pastorem reverteretur ore ex ejus succo rubicundo, hicque sanguinem putaret, coepit os canis lana abstergere, quae hoc succo tincta cum continuo admirabilem colorem praeferret, istud intelligens Hercules Tyrius philosophus ibi forte obambulans arca-

a) in Oreste v. 1377. b) Nat. Deor. L. III. c. 23. c) in Phaedro. d) Astron. L. II. c. 28.

num conficiendae purpurae Phoeniciae regi aperuit. Factum istud etiam innuit Nonnus [a]), et Achilles Tatius [b]). At Pollux Herculem deum hujus muneris auctorem facit [c]). Istud purpurae inventum Tyro non honorificum modo, sed et quaestuosum fuit. Quare passim apud auctores *Tyria lana*, *purpura*, *murex*, *ostrum* etc. Huc etiam pertinet verbum *Sarranus*, ut: *Sarranum ostrum* [d]), *Sarranus murex* [e]), *Sarana aulaea* [f]). Testibus Gellio [g]) et Servio [h]) Tyrus antiquo nomine dicta est *Sarra*, quod verbum haud dubie detortum fuit ab Hebraico urbis nomine צור. Haec pleraque jam erudite collegit Cellarius [i]).

* * *

Legio:

Colonus arans, pone vexillum, cui inscriptum LEG. III. GAL. Severi et familiae. (Vaill.) In aliis: *Aquila cum simili vexillo*, Caracallae, Treboniani (Vaill.)

Haec legio memoratur etiam in moneta Damasci, in qua de ea fusius egi.

* * *

Ludi:

AKTIA. ЄPAKΛ. *Mensa cum duabus urnis, totidem palmis*, Caracallae, Otaciliae, Saloninae. (Vaill.)

HPAKΛIA. OΛΥMΠIA. *inscriptum urnae*, Elagabali. (Vaill.)

LudosTyri in Herculis honorem fuisse actos, eosque quinquennales, docet auctor Macchabaeorum [k]): *Cum autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, et rex praesens esset, misit Iason ab Ierosolymis viros peccatores portantes argenti didrachma trecenta in sacrificium Herculis.*

AKTIA. KAICAPIA. *intra quernam*, Philippi sen. (Vaill.)

Vaillantius hunc numum in Tyri moneta exhibet, verum adjectus iconismus per inscriptum ΔAMA Damasco vindicat. In utro horum erratum sit, ignoro.

ANTONINIA. ΦOINI. A. ΠΤ. COL. T. M. ROMH. *Duo Centauri urnam sustinentes*, Caracallae.

His verbis singularis hic numus describitur in museo Theupoli, in quo cum omnia videantur mira, et inusitata, et praeter sensum, secundis curis inspiciendus foret, antequam quid de eo statuatur. Vereor, ne numus sit coloniae Laodiceae Syriae.

* * *

Metropolis constanter dicitur, demptis numis imperante Elagabalo signatis, a quo hoc honore privata fuit, ut diximus ad numos coloniae sub initium, et in autonomis. De Tyro colonia metropoli vide plura apud Spanhemium [l]).

* * *

Epocha III. Hanc Pellerinius non obscure colligit ex numo Gallieni, in cujus aversae area luculentae sunt literae NΓ. [m]). Eam existimat duci a tempore, quo a Severo colonia deducta fuit. Ejus facti annus a nemine notatur, censet tamen istud contigisse, quo anno a Par-

a) Dionys. L. XL. v. 304. b) Erot. L. II. c. 11. c) Onom. L. I. c. 4. §. 45. d) Virg. Georg. II. v. 506. e) Silius L. XV. v. 205. f) Iuven. Sat. X. v. 38. g) L. XIV. c. 6. h) ad Virg. l. c. i) Geogr. ant. ad Tyrum. k) L. II. c. 4. l) T. II. p. 610 m) Mel. I. p. 335.

thico bello redux fuit, nempe V. C. 954. Esset ergo praesens numus signatus V. C. 1006. sub principium imperii Gallieni, et ipse testis tertiae Tyriorum epochae.

AE. C.

ARADVS *insula.*

Modica ipsa, et exiguo discrimine a Seleucide dirempta. Tamen inter Phoeniciae urbes numeratur.

Autonomi:

Inscripti omnes ΑΡΑΔΙΩΝ. Iuvat eos in suas classes partiri.

I. *Caput muliebre velatum turritum.* ✠ *Victoria gradiens d. acrostolium, s. palmae ramum, in area annus epochae.* AR. I.

Numi pondere illustres, ac copiosi.

II. *Apis additis variis literis et monogrammatis.* ✠ *Cervus stans, pone palma, sine anno epochae.* AR. et AE. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Idem utrinque typus est obvius in moneta Ephesi. Cur exstet etiam in numis Aradi, mihi incompertum.

III. *Mulier gubernaculo insidens, cujus ansam d. tenet, s. cornucopiae, in area annus epochae.* AE. II. (Pellerin.)

Alii Astartem putant, alii propter attributa Fortunam.

IV. *Caput muliebre velatum adstituto nonnunquam alio capite minore.* ✠ *Bos currens, omisso plerumque urbis nomine, anni:* ΡΞϛ. ΡΟΔ. ΡΟΕ. ΡΠ✠. ΡΠΓ. ΡΠΔ. ΣΚΘ. ΒΝΤ. ΕΞΤ. ΕΟΤ. *additis aliis notis arithmeticis, literisque solitariis cum Phoeniciis, tum Graecis.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin, Hunter.)

Annos his numis inscriptos Liebeus et Frölichius ad aeram Seleucidarum exegere, errore tanto proniore, quoniam in numis, quos descripserunt, nomen ΑΡΑΔΙΩΝ abest. Vnde factum, ut caput muliebre partis anticae crederent esse Cleopatrae uxoris Antiochi VII., cum cujus regno conspirant anni ΡΟΔ. usque ΡΠΔ, quos in suis numis viderunt. At docuit Pellerinius I., hos numos esse Aradi, ut arguunt numi alii cetera simillimi inscripti ΑΡΑΔΙΩΝ, annos adeo inscriptos pendere ab epocha Aradi II., Cleopatrae caput esse non posse, quae saltem anno Seleucidarum 191. diem jam obivit, at in dictis numis notantur adhuc anni 229, 365, 375. Numum citatum cum anno ΡΠ✠ olim edidi [a]), monuique, ab imprudente monetario pro A Graeco temere intrusum Aleph Phoenicium, sic ut annus pure scriptus sit ΡΠΑ.

V. Huc etiam vocat Pellerinius aeneos: *Caput Iovis*, vel *muliebre turritum.* ✠ *Navis sola, vel desuper Pallas irruens cum hasta et clypeo, infra literae Phoeniciae, superne* A, *vel saepius* AP *in monogrammate, quas literas is ἀρχαιοῦσας Aradi conjicit.*

De autonomorum aetate agetur infra sub Epocha.

AR. R. AE. C.

a) Num. vet. p. 279.

Imperatorii:

Comperti a Domitiano usque ad Elagabalum:

Epigraphe: ΑΡΑΔΙΩΝ.

Typi: praeter jam notos ex autonomis *bovis cornupetae*, *Fortunae gubernaculo insidentis:*

Astarte stans coronatur a Victoriola hinc et illinc columellae insistente, Commodi. (Pellerin.)

Neptunus stans, Severi. (Pellerin Suppl. IV. p. 6.)

Vrna cum duobus palmae ramis inter duas Sphinges, Domitiani et Caracallae. (Vaill. Pellerin.)

Cupressus, *hinc leo*, *illinc bos*, *singuli juxta signum militare*, Elagabali.

Numum hunc edidere Norisius, Vaillantius [a]), et Pellerinius, quamvis Norisius pro tauro duplicem leonem, Vaillantius pro cupresso palmam videant. Cum leo et bos juxta signa militaria stent, dubium non videtur, utroque animali indicari legionum symbola, et cum in numis Viminacii leo et bos eodem modo adstantes notent legiones IV. et VII., ita forte eadem animalia in Aradi numis easdem legiones, quarum pars hic excubuerit, indicant. Revera Dio aetate sua legionem IV. Scythicam stetisse in Syria adserit [b]). Quod si quis ex eodem Dione opponat, legionem VII. stetisse in Moesia superiore, nihil istud videatur officere, nam etiam, quae legio IV. a Dione in Syria constituitur, eadem a numis Viminacio adfigitur. Dioni non semper cum numis, quod ad legionum distributionem pertinet, convenit, forte quod hae variis temporibus varia habuere stativa. Quanquam hic modus facile possit explicari, statuendo, tauro vel bove indicari legionem VIII., cujus insigne fuisse taurum ex Gallieni numis discimus. Constat autem ex numis Beryti, et Heliopolis, dictam legionem revera per Phoeniciam, et Coelesyriam fuisse divisam.

* * *

Epocha. Hujus principium ex numis imperatoriis est eruendum.

BMT. (Patin.) BNT. (Noris, Vaill.) TΞ. (Pellerin Mel. II. p. 314.) in numis Domitiani. Annus TΞ vi calculi exigit caput Trajani. Suspicor ergo lapsum auctoris, qui numum esse Domitiani dixerit, qui est Trajani.

ΓΞT. (Vaill.) EΞT. (Pellerin Mel. II. p. 314.) AOT. (Arigoni.) BOT. (Vaill.) ΔOT. addito *Parthici* titulo. (Vaill. Noris Ep. Syrom. p. 364.) EOT. (Pellerin l. c.) Trajani.

ϙT. Hadriani. (Vaill.)

AKT. Aurelii. (Vaill. Theup.) L. Veri. (Catal. d'Ennery.)

Є. BKT. Aurelii et Veri. (Pellerin Suppl. II. p. I.)

HMT. Commodi. (Vaill.)

ϛNT. Severi. (Pellerin Suppl. IV. p. 6.)

Є. TOΔ. Caracallae. (Pellerin.)

Є. ZOT. Elagabali. (Noris. Pellerin, Vaill. Num. Graec. p. 257.)

Norisius refutatis jure aliorum sententiis principium aerae ex numis sibi cognitis deprehendit vagari ab V. C. 494. usque 496. Numi post eruditum

a) Num. Graec. p. 257. b) L. LV. §. 3.

hunc virum comperti nihil propius stabiliunt. Interea probabile esse censet Norisius, initium ducendum ab autumno V. C. 495, cumque annum esse paratae sibi autonomiae. Eam sibi Aradios mature extorsisse illustria suppetunt testimonia. Narrat Strabo [a]), Aradios primum regibus Syris ut amicis obtemperasse. Serius Seleuco II. contra Antiochum Hieracem adhaerentes pactos esse, ut ad se ex regno confugientes recipere liceret, nec tradere invitos, sed eos neque injussu regis ab se dimittere. Qui paciscitur, alterius juribus plene obnoxius non est. Coepit regnare hic Seleucus V. C. 507, ergo Aradus hoc regnante libera jam fuit. Cum hujus filio Antiocho M. Aradios inivisse societatem tradit Polybius [b]), altero manifesto libertatis argumento. Haec utut certa sunt, dubium tamen manet, qua occasione, et quibus modis autonomiam abstulerint, item an ab Antiocho II. Syriae, an Ptolemaeo II. Aegypti rege, quorum uterque anno V. C. 495 regno suo praefuit; nam satis tuto definiri nequit, utri Aradus paruerit. Istud certum vel ipso Strabone teste, Aradum ex hac autonomia magnos fructus percepisse, eorumque opes ac potentiam aperte testantur copiosa tetradrachma ejus nomine signata.

Ab hoc principio pendent etiam anni in autonomis quibuscunque prostantes. In tetradrachmis numerus modicissimus est ϛq, 96, (Pellerin) qui numus adeo signatus est V. C. 590, maxime adultus ZqP, 197, (Theup.) qui respondet anno V. C. 691. Forte isthoc posterius tetradrachmum non exstat. Nam eodem anno Syria et Phoenice a Pompejo in provinciam redactis fieri poterat, ut etiam Aradiorum moneta vices passa sit. Simile quid argenteae monetae Sidoniorum eodem anno accidisse, verisimile videtur.

In iisdem tetradrachmis infra epochae annum constante lege comparent notae arithmeticae, v. g. ΘC. ΜΣ. ΓC. ΔΝ. etc. interjecta semper litera Phoenicia, et inscriptae sic:

ϛq	ΓΔΡ	ΗΛΡ	ΘΞΡ	ΖΠΡ
𐤋	Λ	Λ	ȝI	q
ΑΣ	ΘC	ΘC	ΘC	ΑΣ

Fusiorem horum catalogum proposuere Pellerinius, et Combius. (Mus. Hunter.) Spanhemius et Begerus, quibus unicus tantum hujus generis numus cognitus fuit, credidere, inferiores quoque numeros indicare annos epochae, sed quae ab altero principio procederet. At haec sententia vel eo abunde refellitur, quod inferiores numeri aequabili ratione cum superioribus non crescunt. Adverto etiam, in omnibus ac tot hujus generis hactenus notis non reperiri numerum P, item in nullo tres notas arithmeticas. Aenei, quos in IV. classe descripsi, magis adhuc notis arithmeticis, et literis Phoeniciis onerantur, ut:

ΚΝ	ΘЄ
ΠC	ΑΝ
ΡΟЄ	ΡΠΓ
Μ9	ΔΖ

In his epocham notat semper numerus

a) L. XVI. b) Hist. L. V.

is, qui infra taurum primus est, ut in praesentibus ΡΟЄ. ΡΠΓ. Ex tetradrachmis apparet etiam, uno eodemque tempore apud Aradios valuisse cum Σ tum C, quod etiam in Tyri numis vidimus. ΓC. conjunctum cum anno ZKP docet, το C jam anno V. C. 621 promiscue Aradi fuisse usurpatum. Variae in his notae arithmeticae suum adhuc Oedipum exspectant.

* * *

Concordia. Ejus rarum, et fors unicum in hoc tractu exemplum: ΑΡΑΔΙΩΝ. ΚΑΙ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. qT. *Duo capita muliebria turrita jugata*, Hadriani. (Vaill.) Est Laodicea Syriae ad mare.

* * *

Literae Phoeniciae, vel integra verba constituentes, vel solitariae. Meum de similibus literis judicium vide continuo in dissertatione singulari.

Literae Graecae solitariae in nonnullis observantur, ut Γ in numo Commodi, (Pellerin Mel. II.) A in numo Severi. (Pellerin Suppl. IV. p. 6.) Vide, quae de his ad numos Beroeae Cyrrhesticae notavi.

DE NVMIS LINGVA PHOENICIA INSCRIPTIS.

Prolegomena.

Arduam in me provinciam suscipio numorum Phoeniciorum naturam explicare aggressurus, quamque detrectarem libenter, nisi turpe putarem, ad operis summam hanc deesse partem, tantis studiis proxime inter eruditos agitatam. Sed me in ipso aditu anxium solicitumque recreat non modo illud, quod nullam mihi video impositam necessitatem sapiendi plus, quam sapuerunt illi, qui egregiis linguarum orientalium studiis instructi in hanc arenam descenderunt, verum etiam quod in hac causa citra dedecus liceat minus sapere propterea, quod hactenus post incredibiles conatus, contentionesque non multo plus videam profectum a peristisimis, quam a minus peritis. Et fuit haec princeps causa, cur ante annos complures conspectis virorum praestantissimorum naufragiis recusarem tentare pelagus, cujus turbidum ingenium erepto oculis coelo, objectis undique scopulis, incertisque itineribus alterius litoris spem adimeret. Quare consultius visum, nolle promovenda peregrina hac scientia gloriam quaerere, atque eo omne studium conferre, ut quae hactenus ad illustrandam hanc partem allata sunt, explanem singula, sic tamen, ut licere mihi existimem, quae tenenda videantur, aut reprobanda, aut in incertis putanda, nullo partium studio, solo adductum veri amore dijudicare.

Antequam illud exponere ordior, quod maxime evincere gestit animus, opportunum videtur, disciplinae hujus Phoeniciae progressum paucis exponere. Ajebam, progressum, nam ad ortum quod attinet, scilicet, quae Bochardus, Montfauconius, Rhenferdus, aliique viri praestantes, quibus nostrae aetatis subsidia deerant, huc contulere, quod nullius jam usus sunt, commemorare inutile. Lubet igitur a nostrae aetatis conatibus auspicari.

Primus Barthelemyus in re antiquaria summus, et jam a Palmyrenis lite-

ris magnam laudem adeptus impensius coepit ad explicanda Phoeniciorum monumenta incumbere. Primum, in quo vires suas experiri visum, fuit marmor bilingue hodieque apud Melitenses conspicuum, quod offert quatuor versus scripturae Phoeniciae, cui continuo subjectum est epigramma Graecum:

ΔΙΟΝΤΣΙΟΣΚΑΙΣΑΡΑΠΙΩΝΟΙ
ΣΑΡΑΠΙΩΝΟΣΤΤΡΙΟΙ
ΗΡΑΚΛΕΙΑΡΧΗΓΕΤΕΙ.

Dionysius et Sarapion
Sarapionis filii Tyrii
Herculi archegetae.

Creditum olim, subjecto hoc epigrammate reddi Graece, quod supra Phoenicie scribitur. Cum deinde satis appareret, utriusque sensum esse diversum, nam raro marmora bilinguia idem exprimunt, ut post alios advertit cl. Lanzius [a]), Michael Fourmontius Gallus edita dissertatione, quam habes in *Saggi di Cortona* Tom. III. p. 89, epigramma Phoenicium sic explicavit:

Vrinatore magno *urinatorum magistro* deo *duci et* deo *absorbenti in die*, quo *sublevarunt* ancoram, et *natarunt*, *exierunt* (ad verbum) *navigarunt e Tyro, portum reliquerunt eum? Coeperunt invenire corallium, exiverunt iterum e Tyro, ecce vastare Lydam.*

Haec si quis vere ac juste volet Latine reddita credere, is fateatur quoque, Phoenicios nequaquam doctrinam sanam, sed deliria sua, et insomnia victuris aeternum monumentis mandasse, auctorque tum essem omnibus, qui his se studiis consecrant, idem velint de his inscriptionibus sentire, quod de Persio poeta aiunt sensisse D. Hieronymum, *si non vis intelligi, non debes legi.* Atque Fourmontiana haec ejus epigrammatis versio cum ob hanc ipsam causam non adrideret eruditis IIviris Gallis novi tractatus diplomatici auctoribus, alium orsi sunt explicatum, sic tamen, ut magis jocari, quam serio rem agere viderentur [b]). Nam istud sibi aiunt propositum, *plutôt pour achever de demontrer qu'on ne sauroit faire aucun fond sur celle qu'on vient de voir, que pour nous donner le relief d'avoir déchifré une inscription si dificile - - - Voici sa traduction:*

Fluebat libertas, fluebat sors, inimicus imperabat, hostis absorptus est; tunc insculptum, perverse eum effecisse, Cosuram rubum, (seu desertam) remex ejus deus ejus praecipitavit eum, equus vel equitatus ejus emaciavit eum, pasti sunt Cosurenses, cum deficeret corpus, et aspectus ejus, id est inimici. Addunt continuo, subjectum epigramma Graecum sic esse interpretandum: *Dionysius Caesar Apioni filii Serapionis Tyrii Herculi ductori.*

Liceat ad haec pauca advertere. Exitus docuit, non vanos fuisse vates, cum desperare sunt visi, se veram molesti epigrammatis explicationem daturos. At cur sic non satius visum abstinere? *Quam bellum erat*, ajebat in simili causa ad Velleium Cotta, *confiteri potius nescire, quod nescires, quam ista effutientem nauseare, atque ipsum tibi displicere* [c]). Qua vero etiam fide audiemus interpretes orationis Phoeniciae, implexae

a) Saggio Tom. II. p. 325. b) Tom. I. p. 656. c) Cic. de nat. deor. L. I. c. 30.

admodum, et parum cognitae, quando verba epigrammatis Graeci, linguae cognitae, et vulgatae: ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ. ΚΑΙ. ΣΑΡΑΠΙΩΝ. ΟΙ. ΣΑΡΑΠΙΩΝΟΣ., quod incredibile videatur, interpretari poterant: *Dionysius Caesar Apioni filii Serapionis etc.?*

Ad cel. Barthelemyum ut redeam, plus ille, ut semper alias, gravitatis, solidique studii ad explicandum hoc marmor attulit. En ejus interpretationem, cui prolixa dissertatione fidem facere adlaboravit a):

Abdassar et Asseremor, fils d'Asseremor, fils d'Abdassar avons fait ce voeu à nôtre Seigneur Melcrat, divinité tutélaire de Tyr. Puisse-t-il les bénir après les avoir égarés, ou dans leur route incertaine.

Quemlibet, qui ex veterum superstitione ominibus ducitur, ab explicando hoc marmore revocassent postrema verba: *route incertaine.* Fuisse sane hanc interpretandi viam admodum incertam, atque fallacem, creditum subinde aliis, jurene, an injuria, non disputo.

Hos inter fuit Ioannes Swintonus Anglus linguarum orientalium studiis impense deditus. Aliam is quidem ejus marmoris explicationem adornavit, sic tamen, ut facile pateat, ei a Barthelemyo patefactam viam. Eccam b):

Domino nostro Melcartho deo (tutelari) Tyri matris votum fecerunt Abdasarus, et frater (Abdassari) Aserim — hammarus, is qui filius (est) Aserim — hammari filii Abdassari — iis forte navigantibus (vel huc et illuc inflexo cursu agitatis) benedicat.

Bayerius Hispanus ab his quoque disciplinis insigne nomen adeptus hoc modo epigraphen vertit c):

Domino nostro Melkartho domino Tyri singulariter voverunt servus ejus Abdasar, et frater ejus Abserchemor filii Abdasar, secundum audire eum vocem eorum, benedicat eis.

Hoc defunctus labore Barthelemyus, cui, si quid in obscuri hujus monumenti explicatione prospere cessit, potior laus debetur, ad explicandum marmor ex iis unum, quae apud Citium Cypri reperta vulgavit Pocokius d), eodem loco se convertit e), ex quo hunc sensum elicuit:

Ie dors Abdassar, fils d'Abdissem, fils de Chad de Tsabeth. Après avoir passé tranquillement ma vie, je me suis reposé dans le tombeau pour la suite des siecles. Mathrath mon épouse, fille de Tham --- fils d'Abdmelec a posé ce monument.

At Swintonus idem marmor in examen vocatum sic explicavit f):

Marmor Abdasari filii Abdesasimi filii Hhuri. Lapis sepulcralis Lembi, qui vixit vicenos annos saeculi doloris, (i. e. *aetatis sive vitae infeliciter actae.*) *Descendunt in aeternum in carcerem* sepulcri *mortui* hi *Amathuntis* (seu potius *occisi* hi *Amathusii*) *Monumentum structura* est *domus* (vel *familiae*) *Tami filii Abdemeleci.*

Lubet hoc loco animadvertere, eru-

---

a) B. L. T. XXX. p. 405. b) Trans. philos. Vol. LIV. p. 131. c) de la lengua de los Fenic. p. 356. d) Descript. of. East Tom. II. p. 213. e) B. L. Tom. XXX. p. 423. f) Trans. philos. Vol. LIV. p. 424.

ditum quemdam Armenum Marito Italo, et Niebuhrio Dano in Cypro degentibus adfirmasse, linguam horum marmorum esse Armeniacam, eorumque iis significationem ex eadem lingua petitam aperuisse [a]).

Postremum Barthelemyo tentamen fuit explicatio marmoris Carpentoractensis, hujus, ut prodidit, sententiae [b]):

Bénie soit Thébé fille de Thehhui, chargée des offrandes pour le dieu Osiris, qui n'a point murmuré contre son mari, et qui n'a point révélé les secrets de son mari. Elle fut pure et sans taches aux yeux d'Osiris; elle fut bénie par Osiris.

Ab alio quopiam tentatam hujus monumenti enucleationem, non mihi constat.

Habes fortunam, qua eruditorum conatus in interpretandis Phoeniciis marmoribus sese exercuerunt, quae uberius commemorare placuit, ut non miremur, iisdem dissidiis, et incertis numorum quoque Phoeniciorum explicatus ab eruditis oblatos fere semper laborare. Horum specimina hic non adferimus, quod infra secundum suas classes dabuntur. At nunc disquirendum, quae sint praecipuae causae tantorum dissidiorum in explicandis monumentis Phoeniciis, et quem possimus post multas vigilias in his studiis sperare successum.

Causae praecipuae, quae illa impediunt, sunt, quod deest scientia vera, saltem magnam partem, cum alphabeti, tum linguae Phoeniciae. Nostram ejus alphabeti scientiam nondum satis esse promotam, argumento sit vel unus Sidoniorum numus, quem infra dabimus, cujus aversa exhibet in quatuor versibus epigraphen novem tantum literarum variantium, et tamen post tot conatus Pellerinius et Bayerius in quatuor literis definiendis dissident. Nimirum literae Phoeniciae addita, vel dempta exili tantum lineola, vel apice inter se discrepant, saepe vix, ac ne vix quidem, unde judicium dubium. Distinguenda etiam forent tempora; nam aliis una eademque litera hunc habuit valorem, aliis alium, aut aliis una eademque litera in numis ejusdem urbis alia fuit forma. Exemplo esto *Resch* in numis Tyri, in quibus hoc elementum vocabulum צר *Tyrus* constituens triplici vario modo scribitur, 𐤓 et 𐤓 et 𐤓, ut videre est in adcuratis iconismis Pellerinii [c]). At multo adhuc magis in his alterum elementum *Tzade* variat. Quando vero in monumentis his Phoeniciis distinguere non possumus tempora, ut revera raro possumus, qua quaeso ratione literarum sic variantium tuto definiemus potentiam? Novimus, in lingua Graeca τὸ H aliquando fuisse spiritum, serius literam, pro Q. TH. PS. KH. serius scriptum K. Θ. Ψ. X, mirum etiam pro varia aetate variasse literarum formas, ut v. c. *Sigma* habuit formas S. M. Σ. C. etc. et sic vetus VM. migrasse in ΣT., aut OSKSMTAM in OIKIΣTAΣ. Horum nos elementorum naturam facile definivimus, cum quod monumentis copiosis fuimus instructi, quae eorum aetatem, progressum, et mutationem edocerent, tum quod et linguae Graecae

---

a) Mariti viaggi nell' isola di Cipro. b) B. L. T. XXXII. p. 729. c) Rec. II. tab. 83.

perfecta scientia praesto fuit. Verum an iisdem subsidiis ad linguam quoque Phoeniciam juvamur? Vocabula Phoenicia, perinde atque Hebraica, tribus plerumque literis radicalibus componuntur. Harum ergo vel unicam si temere cum altera permutamus, en tibi aliud vocabulum sensus oppositi.

Atque haec cum jam impediant in monumentis Phoeniciae propriae, tum vero multo magis impedire necesse est intelligentiam monumentorum, quae nobis a Phoenicum colonis per Ciliciam, Africam, Siciliam, Hispaniam sparsis supersunt, apud quos post plura saecula, sublato sensim cum metropoli commercio, et per commixtionem cum barbaris indigenis non literarum modo forma, sed et ipsa lingua corrumpi debuit. Sic teste Velleio Cumaeos Graecos *Osca mutavit vicinia*, et quod magis huc pertinet, teste Sallustio a) Leptitanorum, qui ortu Sidonii fuere, *lingua modo conversa connubio Numidarum.* Vnde Poenus Plauto dicitur *migdilibs* b), et Poeni Virgilio *Tyrii billingues* c). Iam vero cum monumenta Phoenicia nonnisi ex lingua Hebraica, quae Phoeniciae mater est, explicari possint, ipsa vero jam lingua Phoenicia ab Hebraica, et forte plus quam credimus, differat, nam S. Hieronymus Phoenicum idioma Hebraico tantum adfine dicit d), qua deinde fiducia monumenta linguae Phoeniciae in coloniis *μιξοβαρβάροις* luxatae et corruptae ex legibus linguae Hebraicae explicabimus? Idem hi mihi agere videntur, ac si quis solius linguae Graecae peritus, at cui constat, Latinos a Graecis et literas, et linguam accepisse, ex linguae Graecae praeceptis auderet marmora Latina Ancyrana interpretari. Quod vero caput est, jam ipsa literarum forma, quas Phoeniciarum coloniarum monumenta praeferunt, a nativa Phoenicia, ut dixi, nimio discedit. Ergo etsi, quod nonnulli sibi persuadent, stabilitum jam haberemus alphabetum Phoenicium, at nondum habebimus alphabetum coloniarum Phoeniciae. Quod si quis ex prioris lege volet posterius metiri, rectissime fiet, ut in explicandis epigrammatis falsum pro vero, pro Iunone nubem stringat. Lubet, quae dixi, uno exemplo ab Abderae Hispaniae numis petito confirmare. Ejus urbis indubitatum nomen, ut infra testabimur, sic in his exaratur: 19990, vel: 1555o. Ex his secunda litera est *beth*, tertia *daleth*, quarta *resch.* Ab uno hoc exemplo bina in rem nostram memoranda colligimus, primum, eadem elementa in unius urbis numis usque eo variare, ut seu 9 seu 5 scriberetur, perinde esset, alterum, tres varii valoris literas sic inter se esse similes, ut discrimen non appareat. Adscriptum in his nomen latinum ABDERA harum valorem literarum tuto dictavit. At si hoc abesset, quam lepidas irrequieti interpretes de hac epigraphe fabulas nobis consarcinassent? Quod si etiam similium literarum perspectum nobis esset alphabetum, an continuo et teneremus linguam? Linguae Etruscae veteris prae-

a) Bell. Iugurth. c. 77. b) in Poenul. V. 2. 73. c) Aen. I. 665. d ad Isai. L. VII. c. 19.

ceptores, cum ejus literarum valorem denique reperissent, hac una ope ausi sunt etiam tabulas Eugubinas, aliaque Etruscorum monumenta interpretari, sed quorum indefessos, magnamque partem irritos conatus ipsum ajunt summum in coelis Iovem miseratum.

His tamen viri eruditi difficultatibus superiores horum agere interpretes aenigmatum non recusarunt, sed sic, ut profiteri aperte non dubitem, nihil a me unquam majore fastidio lectum, quam quos de hoc argumento scripserunt, prolixos commentarios, ex quorum lectione istud denique obtinui, ut, si exiguam veri nutrimenti partem demas, ceterum infirmis pastus conjecturis, ad extremum renitentem huic pabulo ventriculum experirer. Est tamen in molesta hac causa volupe videre, quantis graves hi viri curis et laboribus, saepe etiam iris, et criminationibus, retractando saepe, quae olim minus dextre dicta videbantur, saepe magno eruditionis apparatu gratis anhelantes, conjecturas suas propugnent, quibus perlectis occurrebat identidem illud Tullii [a]): *quid tam indignum sapientis gravitate atque constantia, quam quod non satis explorate perceptum sit, et cognitum, sine ulla dubitatione defendere?* Non postulo, ut in iis, quae dixi, meo quis sibi standum judicio existimet. Lubet ex ipsorum ore causae hujus peristases, et quam valida sint argumenta, quibus sua confirmant, cognoscere. En quae Barthelemyo ab eruditis aliis objecta commemorat Pellerinius [b]): *car ils lui imputent, d'avoir varié trop frequemment dans la valeur qu'il attribue à divers caracteres Pheniciens et Puniques, et dans la signification des mots qui en sont composé. Il y en a même qui trouvent étrange, qu'après avoir dit dans sa dissertation lue à l'Academie dès l'année* 1758, *que les interpretations qu'il présentoit alors, étoient le produit d'un travail obstiné des plusieurs années, il ait continué jusqu'à aujourd'hui à ne gueres donner autre chose que des problemes accompagnés de doutes, d'incertitudes, et de suppositions, en disant sur chaque médaille, si ce caractere a telle ou telle valeur, si celui-là en a une autre, la legende pourra être lue de telle et telle maniere, et la médaille sera, soit de telle ou telle ville, soit de tel ou tel roi. Dans un endroit on peut lire, selon lui, de deux ou trois manieres les legendes de quelques médailles, et consequemment les attribuer à deux ou trois villes differentes. Dans un autre endroit, le changement de valeur dans les lettres qui forment une legende, ne change rien à l'explication qu'il en avoit donnée.--- De toutes ces ambiguités et variations il resulte, ajoute-t-on, qu'en les lisant on trouve que c'est souvent l'* obscurum *rendu par l'* obscurius, *et qu'après cette lecture on n'est guere plus instruit qu'on ne l'étoit auparavant.* Atque haec dicta fuere in Barthelemyum, cujus tamen in hac parte potiora esse merita, facile patebit ejus commentarios legenti. Ipse etiam Dutensius ridens facilem eorum religionem, qui literis Phoeniciis quem

a) De Nat. deor. L. I. c. 1. b) Suppl. IV. p. 52.

libuit, valorem impertiunt, haec salse: *si l'on veut me permettre de prendre de pareilles libertés avec les inscriptions Pheniciennes trouvées à Citium, je m'engage à les traduire en autant de sonnets de Petrarque* [a]). Magis idem severe alibi [b]): *En effet dès les premiers pas que je fis dans cette carriere, je fus surpris de trouver plus de conjectures que de regles, plus de doutes que de certitude, plus de charlatanerie que de science.* Atque haec posteaquam praeclare edixisset, mirari satis non possum, quo pacto ipse eodem in opere levibus in hoc genere conjecturis pascere animum potuerit. At fuit etiam tempus, quo Barthelemyus quoque fallaces has vocabulorum Phoeniciorum interpretationes coepit fastidire. Agens enim de binis verbis Aegyptiis, quae forte ope linguae Phoeniciae possent explicari, his verbis orationem claudit [c]): *Mais on donneroit dix explications differentes de ces deux termes, toutes également probables, c'est-à-dire, toutes également incertaines. Rien ne se prête plus aux desirs de ceux, qui aiment les étymologies, que les langues orientales, et c'est ce qui a presque toujours égaré ceux qui se sont occupé de ce genre de travail.* Tamen idem vir praeclarus in ultimo paragrapho ejus epistolae, quam anno 1790 ad Bayerium dedit, et quae adnexa est illustris hujus Hispani *Vindiciis* pag. I., non dubitat profiteri, sese, quod ad explicationem plurium numorum Phoeniciorum vel Punicorum attinet, mentem non mutasse; quin praesto sibi esse multas animadversiones in numos Punicos per Africam, et Hispaniam signatos, verum sibi eas conferendi deesse otium, neque sperare se, eas aliquando vulgaturum. Iure dixit vir eximius, sibi *plurium* hujus classis numorum explicationem satisfacere, neque ego, ut ex iis, quae deinceps disseram, patebit, cum nausea rejicio, si qua in hoc genere probabiliter, et cum certa quadam ratione sunt disputata. Aliud, quod averser, non est, quam obnixa illa nonnullorum confidentia in explicandis verbose quibuscunque monumentis Phoeniciis, quo interim in conatu nemini, nisi sibi solis, fidem fecerint, quos equidem amice monitos esse velim, neu sua elati vanitate iratam sibi reddant Nemesin, ejus memores vindictae, quam hujus immoderate argumenti studiosis minatur Artemidorus [d]): *το δε κακως ἀναγινωσκειν τα βαρβαρικα γραμματα και κακως ἐν βαρβαροις ἀπαλλαξαι σημαινει, ἡ νοσησαντα παρακοψαι δια το ξενον της φωνης.*

Cum ergo ex his, quae modo disserui, manifestum sit, parum propitia hactenus Minerva huic disciplinae datam operam, quaeri jure potest, sitne aliqua super spes, fore ut plus lucis his Phoeniciorum reliquiis adfundatur? Aio, superesse exiguam, nisi ex terrae sinu proferantur monumenta copiosiora, et quae oblato faciliore, et certiore sui explicatu magis nos etiam de linguae Phoeniciae natura certos reddant. An ergo penitus abjicienda haec studia suadeo? Nequaquam, verum ut

---

a) Explic. de quelq. méd. p. 19. b) Ibid. in praefat. p. XIII. c) in Anacharsi T. III. p. 596. d) Oneirocrit. L. I. c. 55.

stomachabar hactenus inanes conjecturas magna saepe eruditionis ostentatione propositas, sed argumentis ad persuadendum destitutas, tum et ingentes in causa dubia, et incerta animorum motus, sic auctor magnopere sum, ut id genus monumenta, certiori aliquando usui futura, solicite conquirantur, et adcurate vulgentur, atque uti operae pretium non puto, ut rei numismaticae studiosus, cui tot alii labores sunt exhauriendi, oblata tam modica in explicandis solide his monumentis spe linguarum orientalium difficile studium sectetur, sine quorum perfecta scientia gratis in iis elaboravit, ita ego viris, qui jam peregrina hac doctrina praeclare imbuti sunt, Phoenicias has reliquias veluti cupedias, et tantillam ad princeps suum studium accessionem relinquendas existimo. Lubet denique in eorum gratiam, qui studiis his delectantur, indicare dissertationes a viris eruditis nostri aevi de hoc argumento scriptas.

BARTHELEMY reflexions sur quelques monuments Pheniciens, et sur les alphabets qui en resultent, lû 1758. (B. L. Mem. Tom. XXX. p. 405.)

Extrait du même Memoire. *Exstat in:* DE GUIGNES Memoire, dans lequel on prouve, que les Chinois sont une colonie Egyptienne, 1759 in 8vo.

SWINTON a dissertation upon the Phoenician numeral characters antientli used at Sidon. Read Dec. 7. 1758. (Philosoph. transactions Vol. L. p. 791.)

BARTHELEMY Lettre à Messieurs les auteurs du journal des scavans sur quelques Médailles Pheniciennes. Aoust 1760.

BARTHELEMY Lettre aux mêmes. Novembre 1763.

BARTHELEMY explication d'un bas-relief Egyptien à Carpentras, et de l'inscription qui l'accompagne. Lû 13 Nov. 1761. (Mem. B. L. T. XXXII. p. 725.)

SWINTON some remarks upon Barthelemy's Memoir on the Phoenician letters, relative to a Phoenician inscription in the Island of Malta. Read April 12 and Dec. 13. 1764. (Philosoph. transact. Vol. LIV. p. 119. et 393.)

BARTHELEMY lettre à Mr le Marquis Olivieri au sujet de quelques monuments Phéniciens, pour servir de réponse à deux lettres inserées dans le 54 volume des Transactions philosophiques. Paris 1766.

SWINTON an attempt to interpret the legend and inscription of a very curious Phoenician medal, never hitherto explained. Read May 21. 1767. (Philos. transact. Vol. LVII. p. 266.)

BAYER del alphabeto y lengua de los Fenices, y de sus colonias. En Madrid 1772.

PELLERIN variis operum suorum locis numos Phoenicios explicat, et literarum potentiam definire satagit, praecipue Rec. III. p. 141. Suppl. I. p. 15. Supplem. III. p. 118. Supplem. IV. 48. Lettres p. 27.

DVTENS Explication de quelques Médailles Grecques et Phéniciennes. Seconde edition. A Londres 1776.

Indicanda etiam alphabeta Phoenicia hucusque edita. Omissis iis, quae Scaliger, Seldenus, Samuel Petitus, Rhenferdus, Bochardus, Spanhemius, Montfau-

conius, Bernardus, Clericus, Fourmontius ex incertis fontibus edidere, commemorabo tantum ea, quae a laudatis nostri aevi viris eruditis sunt concinnata.

Alphabetum Phoenicium captum ex marmore Melitensi, numis Phoeniciae, et Siciliae, tum ex marmoribus Citii. *Barthelemy* B. L. Mem. T. XXX. p. 405, item in epistola ad March. Olivieri, et in de Guignes Memoire sur l'origine de Chinois.

Alphabetum Phoenicium ex marmore Carpentoractensi conflatum. *Barthelemy* B. L. Tom. XXXII. Mem. p. 725.

Alphabetum Phoenicium purum, Siculo-Phoenicium, et Hispano-Phoenicium ex numis. *Bayer* de la lengua etc. p. 375.

Alphabetum Phoenicium, Punicum, et Siculo-Punicum ex numis concinnatum, et notis illustratum. *Dutens* Explicat p. 92.

Alphabetum ex marmoribus Melitensibus struxit *Swintonus*, (Philos. transact. Vol. LIV. tab. XII. 6.) aliud ex marmoribus Citii, et numis Punicis, et Siculo-phoeniciis, (ibid. tab. XXIV.) Cyprio-Phoenicium. (ibid. tab. XXV.)

Pellerinius varias de nonnullarum literarum forma et mutatione conjecturas dedit in suis Lettres p. 30. seq.

Alphabeta haec juvari, corrigi, et augeri possent ex numis tetradrachmis Aradi, in quibus varians litera Phoenicia medium semper locum inter duos numeros Graece scriptos occupat.

Proponimus in adjecta pagina specimen alphabeti Phoenicii, quod Barthelemyus ex numis in Phoenicia cusis, et inscriptionibus Melitae concinnavit, vulgavitque in Mem. B. L. Tomo XXX. inter paginas 426. 427. tab. IV., praescripto singulis formis valore, quem sive certa ratio, sive conjectura dictavit. Adjeci alphabetum Samaritanum proximis commentariis serviturum, ut collatis utriusque linguae literis uno conspectu formarum discrimen appareat.

* * *

His disputatis ad ipsum jam numorum examen transimus, quorum agmen commode dividemus in numos I. Phoeniciae propriae, II. Cilicophoenicios, III. Punico-Phoenicios, vel Siculo-Phoenicios, IV. Numido-Phoenicios, V. Hispano-Phoenicios.

I.

NVMI PHOENICIAE PROPRIAE.

Hos in binas classes tribuimus. Prima continebit eos, ex quorum epigraphe certam tenemus urbem, in qua signati numi, altera, quorum epigraphe patriam minus certam efficit.

I. Numi urbium cognitarum.

Marathus.


Caput Mercurii, in aliis: *Caput muliebre velatum.*

מרתע *(Martha.) Vir stans d. acrostolium*, vel: *Victoria gradiens*, *in area literae aliae*, *quarum postremae lineolis constant.* AE. III. (Barthelemy Lettre de 1760. Pellerin Rec. II. tab. 80. Mus. Caes.)

Numos similes propter literas Phoenicias satis cognitas primus Barthele-

Alphabetum Phoenicium et Samaritanum.

Hebr.	vulg.	Phoenicium	Samaritanum.
א	Aleph		
ב	Beth		
ג	Ghimel		
ד	Daleth		
ה	He		
ו	Vau		
ז	Zain		
ח	Cheth		
ט	Theth		
י	Iod		
כ	Caph		
ל	Lamed		
מ	Mem		
נ	Nun		
ס	Samech		
ע	Ain		
פ	Pe		
צ	Tsade		
ק	Koph		
ר	Resch		
ש	Scin		
ת	Tau		



J. Kibler Sc.

myus Maratho Syriae urbi non procul Phoenicia sitae applicuit, omnibus deinceps eruditis in ejus sententiam euntibus dempto Swintono, qui eos Sidonios statuit, (Philos. transact. Vol. LIV. p. 138 et 403.) sed ex causis sane fallacibus, ut mox in Sidone dicemus. De additis lineolis infra.

Sidon.

Caput muliebre turritum.
לצדן vel: לצדנם (*Letzidon vel Letzidonim, Sidoniorum.*) ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. *Triremis.* AE. II. III. (Barthelemy B. L. T. XXX. p. 427. Pellerin Rec. II. tab. 82.)

Praeterquam quod literae, quae epigraphen hanc constituunt, satis sunt exploratae, harum quoque valor ad indicandum *Letzidonim* eo magnopere juvatur, quod ex insciptione ΣΙΔΩΝΟΣ. certe constat, hos numos Sidonem pertinere. Si in numis Phoeniciis omnibus sic conjuncta haberemus indicia, ut ea habemus in numis Sidonis, et Tyri, minus plerumque in figendo literarum valore ambigeremus.

* * *

Caput muliebre turritum, pone MA., vel cornucopiae, vel caduceus.
Literae Phoeniciae quatuor versuum. Gubernaculum. AE. II.

Numum hunc, qui etiam est in museo Caesareo, post alios adcurate pictum stitit Pellerinius [a]), sed epigraphen explicare destitit, quod istud suas excedere vires profiteretur. Serius aemulorum incitatus studiis numum revocavit, literisque Phoeniciis in Hebraicas versis, distinctisque vocabulis hac lege:

לצדנם קם רם בקב קרת צר

epigraphen sic interpretandam duxit: *Sidonii olim projecti per vel propter execrabilem (vel maledictam) civitatem Tyrum* [b]). Et vero novum istud inventum sic adrisit viro erudito, ut profiteri non dubitaret, posse explicationem hanc a sese confidenter, *avec confiance* proponi [c]). At enim confidentiam hanc in diffidentiam vertisse, aliquot post annis patuit, cum sententiam hanc sic aptius reddi posse contenderet: *Sidoniorum antea projectorum in lupanar urbem Tyrum* [d]).

Vtrum viri eruditi hanc ejus interpretationem sive admittendam, sive reprobandam duxerint, mihi ignotum. Meum judicium si velis, mihi pleraque aut arbitrarie reddita, aut cum linguae Hebraicae indole pugnantia videntur. Cur enim vox רם, quam reddit *projecti*, cum voce לצדנם *Sidonii*, quorsum refertur, non conspirat multitudinis numero? Cur קב *execrabilis* non conspirat genere cum sequente קרת *civitas?* Quo vero pacto pro grammaticae regulis vox קב dici possit *participium a verbo* קבה (קבב dicendum fuerat) *execrari, maledicere*, non intelligo. Adverterit ea difficultas Pellerinium, quae causa fuerit, cur serius ex voce קב pro *execrabilis* faceret *lupanar*. Verum non קב, sed קבה Hebraeis *lupanar* dicitur. Video Pellerinium ad similia objecta genera-

a) Rec. III. tab. CXIX. n. 25. b) Suppl. IV. p. 106. c) Ibid. p. 103. d) Additions p. 43.

tim respondere, non sibi omnem indolem linguae Phoeniciae, aut ejus grammaticam satis perspectam esse, verum cum v. c. vox רם derivetur a רמה *projicere*, necesse esse, significare eam illud, quod dixerat, nempe *projecti*. Praeclaram sane methodum, ex linguae unius cognitae incertis alterius incognitae leges constituere. Non nego, vocabulum Phoenicium, cum easdem habet radicales, quas Hebraicum, propter utriusque linguae adfinitatem adfinem etiam significationem habere posse, tamen si huic regulae pertinacius insistimus, gravissime saepe offendemus, et longe adhuc absumus, ut adfirmare possimus, similem explicatum *confidenter* tenendum, qua loquendi formula viri gravis ore prolata necesse est iis, quibus curta est linguarum orientalium scientia, ludum fieri. Ergo cum ab hac parte nullam mihi legem videam impositam, ut Pellerinio sic interpretanti sit habenda fides, possum jure quaerere, sitne verisimile, a Sidoniis finitimam et cognatam Tyrum in monumento publico dictam fuisse *execrabilem*, aut adeo *lupanar?* Nullum me teste exstat testimonium veteris instituti, aut ut planius loquar, nullus exstat antiqui operis numus, qui doceret, populorum iras, odia, contentiones aeternis monumentis commendatas. Multa habemus in numis veteribus stabiliti inter urbes foederis, pacis, concordiae argumenta; qui discordias, atque inimicitias capitales proderet, dempto hoc, si Pellerinio credere mavelis, nullum habemus.

Mitius de Sidoniis judicium fuit illustris Bayerii eandem similis numi epigraphen explicare aggressi a). Praemonendum, nihil viro erudito de Pellerinii explicatione, quam is in Supplemento IV. adornaverat, constitisse; ut adeo in eo, quod dictaverat, sese unum ducem secutus sit. Numus idem est cum Pelleriniano, nisi quod versus secundi litera quarta differt, sed deceptum non fuisse Bayerium, apparet ex similimo altero Arigonii, qui eandem variationem offert b). Is epigraphen hoc modo exsolvit, et interpretatur:

לצדנם אספסב אטאבּת צר

id est: *Sidoniorum magna collectio in aerarium Tyri.* Quoniam Bayerio ne quidem in definiendo literarum valore cum Pellerinio convenit, consequens erat, etiam ejus interpretationem divergere. Quibus argumentis, eruditis sane, at aeque incertis et vacillantibus auctor sententiam suam confirmet, longum foret commemorare, poteritque, cui haec studia cordi sunt, ab ipso fonte petere.

Vt taedia Phoenicia amoenitatibus etiam Butzoviensibus temperemus, fuit Olaüs Tychsenus, saepe mihi proxime in tractatu de numis Hebraicis nominandus, qui eandem epigraphen sic vertendam docuit: *Sidoniorum as stellatus ad qualitatem Tyri* c).

* * *

Certis his, quos hactenus descripsimus, Sidoniorum numis Phoenicio charactere insignitis multo copiosiores alios addidit prodige liberalis Swinto-

a) del Alfab. Fenic. p. 339. b) Num. Phoenic. tab. I. c) Bayer Vindiciae p. 56.

nus [a]). Sunt vero sequentes in omnibus museis obvii:

Caput muliebre turritum.

Navis, in cujus prora Pallas armata irruens, superne literae Phoeniciae variantes, et inferne variantes notae Phoeniciae, quae arithmethicae videri possunt. AE. II.

Caput Iovis.

Similis aversa. AE. III.

Caput muliebre velatum, in aliis turritum.

Figura stans d. acrostolium, s. columnae innixa, ad cujus sinistram literae Phoeniciae, ad dexturam similes notae, ut videtur, arithmeticae. AE. II. III. Similes paullo supra in numis Marathi descripsi.

Caput Iovis.

Duplex cornucopiae, juxta literae solitariae, et similes notae arithmeticae. AE. II.

Causae, quibus motus vir eruditus numos hos omnes Sidoniis tribuit, valde laborant. Primum argumentum, et forte unicum, saltem quo maxime nititur, capit ex literis binis dictas notas arithmeticas praecedentibus, quas putat esse ש et צ, et principia vocabulorum שנת צדן *anno Sidonis.* At plerisque jam visum, literarum alteram non esse צ, sed ח, quo adeo totum hoc argumentum graviter labefactatur. Sane Swintonus ipse in alphabeto Phoenicio, quod serius edidit [b]), simili elemento potentiam τȣ ח dedit, et ipse eodem loco fatetur [c]), literarum ח et צ formam in Phoeniciis esse valde adfinem, nullumque in his elementum forma magis varia occurrere, quam צ. Quod si haec litera tam certum *Tzade* est, quaero, cur Swintonus eam potius velit esse *ἀϱχαικῶν τȣ* צדן, *Sidon,* quam צר *Tyrus?* nam utramque urbem istud potest elementum indicare. Iam vero quae sit verisimilis utriusque hujus literae significatio, mox infra dicemus, cum de notis his arithmeticis agemus. Porro cum jam penitus insedisset animo, numos hos esse Sidonios, coepit vir eruditus numeros infra scriptos, quos epochae annos putabat, ad aeram Sidoniorum exigere, non quidem illam Seleucidarum, sed propriam, quae coepit V. C. 643. Secundum potentiam a viro erudito notis his adsignatam, de qua doctrina paullo infra uberius agemus, hi anni admodum variant. Lubet ex his annum minimum, et maximum seligere. Numum cum anno minimo |||||, seu quinto, ipse citat. Annum maximum, ut obiter inquisivi, reperio |||NNN|כ|, ex lege Swintoni 163 in numo Pellerinii [d]). Ergo numus prior ductus a principio 643 signatus est V. C. 647, alter V. C. 805, ut ex Swintoni calculo consequitur. Argumentum istud ut enervem, lubet praemonere, numos hos secundum suas classes inter se simillimos esse metallo, volumine, fabrica, literarum forma, typis, verbo: omnibus modis. An verisimile est, aut an aliud novimus in omni antiquitate exemplum, rem monetariam unius ejusdemque urbis intra saeculum unum ac dimidium ita sibi constitisse, ut interea ne minimum quidem mutationis esset experta? At quor-

a) Phil. trans. Vol. L. p. 791. b) Philos. trans. Vol. LIV. tab. 12. c) pag. 135. d) Rec. III. tab. 119. n. 20.

sum longius examen? Obvii sunt numi Sidoniorum tam autonomi quam imperatorii circa annum V. C. 805. signati. Ergo ex cognitis his Sidoniorum numis monetae Sidoniae ratio, quae illa aetate viguit, est petenda. Atqui quantum haec spectatis omnibus, quos dixi, modis a Swintoniana discrepat? quod explicare necesse non est, cum utriusque generis numi sint obvii, et facile sit utrosque contendere. Ergo ut certius persuadeat Swintonus, numos hos esse Sidonios, necesse est, ut argumenta magis convincentia expediat, atque ut verisimile reddat, numeros infra scriptos esse revera annos epochae, necesse iterum erit adsignare altius principium, ne numi cum annis auctioribus in aetatem incidant numorum similium fabricae parum idoneam, aut, quod pace ejus viri dictum sit, velit potius nobiscum ignorare, in qua Phoenices urbe omnes hi numi cusi sint.

Typi in his numis plerique ad rem maritimam adludunt, qua inde ab ortu suo excelluisse Phoenicas constat. Parva Palladis statua in prora navis posita more, ut dixi, irruentis videtur esse una ex diis Pataicis, quos a Phoeniciis in triremibus esse circumlatos narrat Herodotus [a]). Erunt, qui Palladem navis tutelam malint, de qua egerunt alii. Vide praeter alios Fabrettum [b]).

Tyrus.

Antica varia.

ΤΥΡΙΩΝ. לצר *typo navis*, in numis tam autonomis, quam regum Syriae, quos vide apud Pellerinium, (Rec. II. tab. 83.) et Barthelemyum. (B. L. Tom. XXX. p. 427. tab. 2.)

Caput Antiochi IV. radiatum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΥΡΙΩΝ. לצר אם צדנם *Navis*. AE. II. (Barthelemy l. c.)

Phoenicias prioris numi literas legendas צר *Tsor* praefixo articulo ל, indubitatum. Sic etiam in sacris literis Hebraicis celebris ea urbs appellatur. Alterius numi verba sic recte vertit Barthelemyus: *Tyri matris Sidoniorum.* In hoc ergo numismate Tyrii Sidonios ab se ortos jactantius praedicant. Sed et ipsi veteres utriusque urbis jura, et vetustatem miscuere, quo de argumento vide nonnulla in earum moneta. De litera ר in his numis admodum variante egi supra in prolegomenis.

II. Numi urbium incertarum.

Hac classe comprehendo eos numos Phoenicio charactere inscriptos, quorum patriam varii viri eruditi suas conjecturas, et alphabeti sui legem secuti eruere sunt conati, sed quorum judicia tanti non videntur, ut adsensum continuo cogamur impertiri, qua in disputatione profiteor, me non auctoritate virorum gravium, quos maximi facio, sed uno argumentorum pondere moveri.

Aco, serius *Ptolemais.*

ꟼO *additis lineolis*, in area numorum Alexandri M. tam aureorum, quam

---

a) L. III. §. 37. b) de Col. Traj. p. 111. seq.

argenteorum, quos vide in museo Caesareo, apud Barthelemyum, (Lettre journ. de sav. 1760.) et Pellerinium, (Rois et Mel. I. p. 140.) Similem eximium, sed aeneum dat idem Pellerinius in fronte Supplementi IV.

Binas has literas legendas עכ, primus qui doceret, fuit Barthelemyus, cumque ea urbs in sacris literis appelletur עכן, non dubitavit, hos numos in hac Galilaeae urbe cusos adfirmare. At enim hunc esse earum literarum valorem, ex certo quopiam monumento non est comprobatum. Literam primam O esse *Ain*, non negavero; alteram esse *Caph*, Barthelemyus probat ex numo Laodiceae mox producendo, sed et haec litera, qua nititur, est ambigui valoris. Barthelemyi judicio cum aequiescerent Pellerinius, Dutensius, aliique, factum, ut vulgo persuasum jam sit, numos similes ad hanc urbem pertinere. At ego hanc sententiam in conjecturis habendam existimo.

*
* *

Caput Iovis.

ך‡ *Navis*, *infra aliae literae Phoeniciae.* AE. III.

Dutensius, qui numum hunc pictum stitit in praefatione pag. IX., et explicavit infra pag. 84, inscriptas literas legit אכ, iisque hanc urbem indicari adfirmat. Diximus mox, ejus nomen scribi עכן, an ergo perinde fuit veteribus Phoeniciis, seu illud per *Aleph*, seu per *Ain* scriberent? Hoc unum argumento sit, quam parum religiosa sint eruditorum in explicandis his numis judicia.

Berytus.

Huic numos binos tribuit Pellerinius, in quibus urbis nomen literis Phoeniciis exaratum videt [a]). Ei in definienda literarum potentia litem movit Barthelemyus, contra quem quo is modo causam suam agat, vide loco indicato. Istud certum, horum priorem propter additum ΛΑΦ sine dubio esse hujus urbis. Vtrum vero epigraphe Phoenicia urbis nomen, et non aliud eloquatur, minus certum; nam et is, quem in sequente *Laodicea* producam, est Beryti, quin tamen addita scriptura Phoenicia ejus nomen eloquatur.

Laodicea.

Caput Antiochi IV. radiatum, ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *sequentibus literis Phoeniciis tredecim. Neptunus stans d. paterum, s. tridentem, in area* ΛΑΦ. et O. AE. II.

Barthelemyus binis locis numum hunc promulgans [b]) epigraphen Phoeniciam sic legit:

ללארכא אם בכנען

id est: *Laodiceae matris in Canaan*, eumque adeo tribuit Laodiceae Syriae ad mare sitae. Quod haec urbs longe a Phoenice dissita, tum condita a Se-

a) Suppl. IV. p. 65. b) B. L. T. XXX. p. 415, et Lettre. journ. sav. 1760. p. 4.

leuco, et colonis Graecis habitata Phoenicio potius sermone, quam Graeco utatur, quod se *matrem* appellet, quam eduxisse colonos non constat, et matrem quidem in *Canaan*, nihil super his, etsi sententiam suam gravissime impetant, movetur vir summus, *il suffit*, inquit, *que ce nom soit clairement exprimé sur la médaille*. Veniam merebor, si hac in causa minus me habeat sibi obsequentem. Si ille ex causis dubiis, literas intelligo Phoenicias, quae saepe viris praestantibus imposuere, numum hunc Laodicensem adserit, at possum ego ex causis certis, nimirum typo et literis areae insertis, Berytiorum esse numisma statuere. In horum moneta obvius est Neptuni typus ex causis cognitis, et quod praecipuum est, literae ΑΛΦ. addito saepe O in solis Berytiorum numis reperiuntur, et constat ex numis Pellerinii, et Hunteri, Berytios non raro numos suos Phoenicio charactere inscripsisse. Vnde sequitur, epigraphen Phoeniciam longe aliud significare, quam istud visum cel. Barthelemyo.

* * *

Non permittunt instituti mei limites, neque etiam operae pretium facturum existimo, si, quas urbes alias eruditi ex similium lectione numorum infirmis sane conjecturis sibi reperisse sunt visi, commemorem, et in judicium vocem. Ejus generis habes apud Bayerium *Carnen* Syriae [a]), apud Pellerinium *Mageddo* Palaestinae [b]), apud Dutensium *Antiochiam* ad Orontem, *Gazam*, *Mariamam* etc. Qui hujus rationis conjecturis delectantur, habent, quo vires suas exerceant, id genus numos apud Pellerinium [c]).

* * *

Postremo et de notis arithmeticis Phoeniciis in moneta Phoeniciae propriae obviis agendum. Lubet aliquot exempla proponere. In numis, quos paullo supra urbi Aco, serius Ptolemaidi, tribui solere diximus, binas literas sequuntur lineolae hac forma: |||—‾_, vel: ||||||—‾_ In aliis, quorum justum numerum edidit Pellerinius [d]), ||||||‾NNN vel |||||NN vel ||||ΓNNN vel: ||||||‾|ɔ| vel |‾|ɔ| vel: |‾Nɔ| et similiter. Hos characteres plerumque praecedunt binae literae שת

Primus fuit Rhenferdus, qui characteres hos esse arithmeticos conjecit [e]). Dissimulatis hujus meritis inventi gloriam sibi vindicavit Swintonus, qui harum notarum natura curatius expensa has leges constituit [f]): ait primum, lineas perpendiculares | esse monades, horizontales — esse decades, characterem N indicare 20, characteres alios, qui praecedunt, 100. Literas שת, quas praeire diximus, rectius Barthelemyus contra Swintonum, cujus sententiam paullo supra in Sidone exposuimus, statuit esse contractum שנת *annus*, quae vox in numis quoque Samaritanis praeire solet [g]), etsi illud acriter impugnet Swintonus [h]). Ex hac ergo lege |||—‾_

a) Pag. 345. b) Suppl. IV. p. VI. c) Rec. III. tab. 119. d) Rec. III. tab. 119.
e) Peric. Phoenic. p. 47. f) Philos. Trans. T. L. p. 791. g) Lettre journ. Sav. 1760. p. 6.
h) Trans. phil. Vol. LIV. p. 136.

significabit 33, ||||||—⁼ 36, ||‾NN 52, et conformiter ad eam Swintonus proposuit tabulam, qua progressionem arithmeticam a monade usque ad chiliadem in notis id genus Phoeniciis sistit. Eandem sententiam amplexus quoque est Pellerinius [a]). Haec viri eruditi, quorum ego judiciis sic adsentior, ut tamen multa subesse ambigua, et nullo certo fundamento nixa existimen. Etenim si lineae perpendiculares monadum potentiam habent, cur eae non eodem loco consistunt, et temere cum alterius potentiae notis miscentur, ut in exemplis adductis videmus! Cur, si lineae horizontales indicant 10, eae temere multiplicantur, scribiturque —⁼ pro ‾N? Quam deinde significationem habent notae aliae ab | et — et N diversae, quas saepe permixtas conspicimus? Quam item ad taedium variata et perturbata est ratio ejus notae, cui Swintonus potentiam centenarii tribuit? Verbo: ut satis videtur verisimile, characteres esse arithmeticos, sic non possum probare eorum consilium, qui in iis continuo epochae annum vident, et tanquam omnis eorum indoles jam esset explorata, eos calculo subjiciunt, et confidenter annum, quo signati sunt, edisserunt, ut praecipue placuit Swintono, sed cujus invalidas in hac causa conjecturas proxime in Sidoniis hujus classis numis indicavimus. Si in numis Graecis, quorum natura nobis magis cognita, ad notas arithmeticas saepe adhaeremus, quam erit periculosum, earum usum in numis Phoeniciis definire? Exemplo sunto numeri numis Aradi inscripti. In museo Caesareo inter numos Siculo-phoenicios exstat argenteus, in cujus aversa supra equum stantem legitur |||||H, ex quo patet, similes lineas in numis Phoeniciorum etiam extra Phoeniciam propriam usitatas fuisse.

II.

NVMI CILICO-PHOENICII.

Phoenices, quos remotissimam Africam, et ipsa Oceani litora colonis frequentasse legimus, multo magis verisimile est, commercii causa in vicinis regionibus, Cilicia, Pamphylia etc. sedem fixisse, atque una linguam suam intulisse. Neque desunt auctores, qui, quod verisimile dixi, oratione confirment. Q. Smyrnaeus [b]):

Παντες, ὁσσοι Φοινικον ἑδος περι παγχυ
νεμονται,
Αιπυ τε Μασσικυτοιο ῥιον, βωμον τε
Χιμαιρης.

Omnes, quicunque circa Phoenicium
solum undique habitant,
Et praeruptum Massicyti jugum, aramque Chimaerae.

Narrat item Plutarchus [c]), Alexandrum M. captis Halicarnasso, et Mileto perrexisse την παραλιαν ἀνακαθηρασθαι μεχρι της Φοινικης και Κιλικιας, *ad pacandam oram maritimam usque ad Phoenicen et Ciliciam*, quo is loco Phoeniciam propriam intelligere non potuit, in quam intrare ne posset, Darii tum adhuc

a) Rec. III. p. 139. Suppl. IV. p. IV. b) L. VIII. v. 106. c) in Alex. M. p. 673.

exercitus ad Ciliciae, et Syriae fauces obstabat. Ex quo patet, partem maritimi ejus tractus appellatam Phoenicen haud dubie a colonis Phoeniciis. Eodem modo habitatam ab iisdem etiam partem Cypri constat; nam praeterquam quod apud Citium Cypri reperta sunt marmora Phoenicie inscripta, quae supra citavi, idem confirmat Diogenes Laertius, cui philosophus Zeno dicitur Κιττιευς ἀπο Κυπρȣ πολισματος Ελληνικȣ Φοινικας εποικȣς ἐσχηκοτος, *Cittiensis ex Cypri oppidulo Graeco, Phoenices colonos habente.* Comprobata horum in Cilicia, Pamphylia, eorumque finibus commoratione verisimile etiam, signatos fuisse numos Phoenicio charactere insignes, in quorum classe putamus sequentes ex causis, quas infra prodemus.

* * *

Epigraphe Phoenicia. Caput galeatum barbatum.

Epigraphe Phoenicia. Iuppiter sedens d. hastam. In alio, sed hac parte anepigrapho: *Caput muliebre adversum diadematum diffusis crinibus, collo duplici unionum serie redimito.* AR. I. (Pellerin Rec. III. tab. 122. n. 7. 8. Dutens tab. I. n. 5.)

Epigraphe iisdem numero, et forma literis constans. Vir cultu barbaro sedens, ut in aversa numorum Arsacidarum, s. porrecta, ut videtur, sagittam, juxta arcus.

Epigraphe Phoenicia, sed vitiata. Iuppiter seminudus sedens s. botrum. AR. I. (Dutens p. 1. et explicatur p. 20.)

Numus prior cognitus jam fuit Fulvio Vrsino. Is cum in epigraphe Phoenicia latere nomen *Annibal* crederet, non dubitavit, caput galeatum huic Poenorum duci tribuere. Vrsinum secuti sunt Haymius, Gronovius, omnesque posteriores, qui de veterum imaginibus egerunt. Quod alias constabat, Fulvii aetate parum exploratam fuisse alphabeti Phoenicii rationem, nunc etiam hoc exemplo comprobatur; nam ex literis capiti galeato adstitutis certum est, nomen *Annibal* componi non posse. Atque istud multo evidentius probat numus alter, in quo eaedem omnino literae juxta virum cultu barbaro sedentem sunt exaratae, nisi et hunc velimus Annibalem adfirmare, quae omnia fusius exposita, lege apud Pellerinium, et Dutensium [a]). Posterior hic existimat, utrumque hunc numum Tarso tribuendum, quod incertum, etsi plane verisimile sit, in Ciliciam, ejusve viciniam pertinere, ut mox disputabimus.

* * *

Epigraphe Phoenicia. Caput Palladis dextrorsum versum.

Epigraphe Phoenicia. Caput Palladis adversum. AR. II. (Mus. Caes. Dutens p. 78.)

Dutensius epigraphen legit: לאדר מלך *Arad rex*, numumque esse Aradi regis insulae Aradi, quod judicium an poterit facile eorum, qui graviora argumenta desiderant, sperare adsensum?

* * *

Epigraphe Phoenicia. Iuppiter sedens dextera, cui aquila insidet, botrum, s. hastam tenet.

a) ll. cc.

Epigraphe Phoenicia. Leo discerpens taurum, vel: *leo gradiens*. AR. I. (Mus. Caes. Dutens, Pellerin Rec. III. tab. 122.)

Tres milites galeati scutati in triremi, cujus prora jam capite arietis, jam equi praefigitur, infra Pegasus marinus.

Epigraphe Phoenicia. Leo cervum discerpens. AR. I. (Mus. Caes.)

Mercurius praegrandibus alis instructus secundum humeros, alatis item pedibus, flexo sinistro genu dexteram attolit, retro caduceus.

Epigraphe peregrina. Leo stans et respiciens intra quadratum. AR. I. (Mus. Caes.)

Hercules clavam, vel arcum intentans.

Epigraphe Phoenicia. Leo cervum depascens. AV. III. AR. I. II. (Pellerin l. c.)

Id genus numos alios recitare supersedeo, quod eorum maximum meritum in literarum varia forma consistit, eorumque adeo iconismos oculis ipsis subjicere necesse est, quos videre potes apud Pellerinium [a]), Dutensium [b]), tum a me ex museo Caesareo bis editos [c]), et in museo Pembrock [d]). At nunc, quod supra promiseram, expedienda ratio, quae numos similes, quos hactenus descripseram, in Ciliciam referendos suadeat. Primum Pellerinius plerosque suos sibi ex Caramania adlatos testatur, cujus partem vetus Cilicia efficit. Idem experimento doctus confirmat abbas Sestinus [e]). Deinde non pauci ex his bovem incusum exhibent, quod signum secundo additum obvium est in ejus tractus numis, ac praecipue Pamphyliae, ut videre est in numo Sidetum apud Pellerinium eadem tabula, et in numis Aspendi, et Malli. Denique iidem hi Sidetum numi in hac Pellerinii tabula propositi peregrinas etiam literas exhibent, quas etsi pure Phoenicias non ausim dicere, sunt tamen Phoeniciis adfines, et haud dubie varios modos expertae propter variarum gentium in hoc maris mediterranei litore permixtionem etiam Straboni memoratam. Istud certum, hos numos regno Alexandri M. esse vetustiores, ut recte etiam advertit Pellerinius, quo tempore adhuc lingua domestica praevaluit, sed quam paullo post praepotens Graecorum lingua saltem ex numis exulare jussit. In moneta Malli Ciliciae recitavi numos hujus urbis, ex quorum typo plane Persico satis apparet, signatos eos, cum adhuc Persis pareret.

In numis primo loco descriptis propter adstitutam aquilam, et oris majestatem facile Iovem agnosco, etsi botrum dextera praeferat, quem privata urbis religio Iovi videtur tribuisse. Iidem hi numi persuadent, deum simili cultu in numo Nagidi stantem, quem olim causa botri esse Bacchum Indicum putabam [f]), Iovem quoque putandum, cumque idem hic numus verius sit Nagidi Ciliciae, quam Cypri, eadem haec typi concordia verisimile facit, praesentes quoque numos Phoenicio charactere inscriptos ejusdem esse regionis. Vtrum vero sint Malli, et epigraphe legenda ΒΑΑΛ.

a) Rec. III. tab. 122. b) l. c. c) Catal. mus. Caes. T. I. tab. V. et num. vet. tab. XVI. d) Part. II. tab. 87. 88. e) Lettere T. III. p. 103 seq. f) Num. vet. p. 237.

TARZ., id est: *Iuppiter Tarsensis*, et in aversa: MIZZERAG. MVTH. *ab implectendo mors*, ut visum Swintono [a]), in meris, ac ludicris conjecturis putandum. Sane confitetur Barthelemyus, cum longam his literis resolvendis operam dedisset, nihil denique reperisse, quo sibi satisfactum videretur [b]).

In numo II. ajebam navis proram jam caput arietis, jam equi promittere. Admonet me istud ejus, quod narrat Strabo [c]), Gaditanos habere naves, quas *equos* appellant, a prorae scilicet insignibus, ἀπο των ἐν ταις πρωραις ἐπισημων, et fuisse naves Libycas, quae propter eandem causam *arietes*, et *hirci* vocabantur, testatur Iulius Pollux [d]). Vide, quae de his navium insignibus alia attuli in numis Phaselidis Lyciae.

Numi, quos sub hoc articulo dedi, cujus sint urbis putandi, etsi de regione satis constat, hactenus nulla certa ratione definitum est. Quare et ego, cum eorum plerosque olim in meis Numis veteribus vulgarem, ferre sententiam consultius detrectavi. Quam meam, sapientem, ut puto, diffidentiam longe improbatam fuisse erudito cuidam anonymo, disco ex libellis Lengnichii, qui prodeunt Dantisci praefixo titulo: *Nachrichten zur Bücher- und Münzkunde*, in quorum volumine II. p. 197. is binos numos, quos ibi tab. XVI. n. 14. et 17. stiteram, in judicium revocat, exploratoque literarum Phoeniciarum valore in numo priore conficit vocabulum מזרן, tribuendo adeo *Mostenae* Lydiae, in altero עצנה, qui erit *Aezanae* Phrygiae. At mihi si aliquando liberet, hoc pacto numorum veterum difficiles nodos explicare, lapidem tum mihi sophronisterem velim esse propitium.

III.

NVMI PVNICO - PHOENICII

vel

SICVLO - PHOENICII.

Phoenices Tyro profectos quocunque seu duce, seu aevo fundasse Carthaginem, inter omnes constat. Ex *Phoenice*, seu *Poenice* enatum est *Poenus* Latinis usitatum, qui diphthongo OE more suo in V mutata dixerunt etiam *Punicus*, ut advertimus in numis Tyri. Cum, qui numi ab aliis Carthagini tribuuntur, eos alii inter numos a Poenis in Siciliae urbibus signatos referant, neque certo constet, apud Carthaginienses, quamdiu sui juris fuere, monetae signatae usum fuisse, aut saltem ambiguum sit inter utrosque discrimen, libuit utrosque in eandem classem conjicere. Superest vero numorum ingens copia, quos propter operis admirabilem elegantiam, et non raro typorum concordiam facile cum Siculorum, ac privatim Syracusanorum moneta permutaremus, nisi istud inscriptae literae Phoeniciae vetarent. Quae causa fuit, cur inde, ex quo rei numismaticae studium intentius excoli est coeptum, certum teneretur, id genus numos cusos in Siciliae parte, quae aliquamdiu Carthaginiensibus paruit,

a) Phil. trans. Vol. LVII. p. 266. b) B. L. T. XXX. p. 424. in nota. c) L. II. p. m. 156. C. d) Onom. L. I. c. IX. segm. 83.

quorsum adeo, atque etiam in insulas in meridiem objacentes, de quibus infra, lingua Phoenicia fluxit. Typos, quos numi hi offerunt, hoc loco explicare supersedeo, quia istud jam in numis Panormitanis praestiti, inter quos numi hi vulgo referri solent, de sola peregrinae inscriptionis natura acturus. Hanc magno conatu explicandam suscepere viri praestantissimi Barthelemyus, Swintonus, Pellerinius, Bayerius, qua fortuna, in singulis contemplabimur.

* * *

Caput Proserpinae spicis coronatum. Literae quinque Punicae. Pegasus volans. AR. max. mod. (Mus. Caes. Pellerin Rec. III. tab. 88. n. 6.)

Pellerinius illustris hujus numi primus praeco epigraphen sic legi posse conjecit: בקרקת, id est: in *Karkath*, ratus Carthaginem Punice dictam *Karkath*, unde Graecorum Καρκαδων, vel Καρκηδων, ut ipse scribit, et Latinorum *Carthago* fluxerint [a]). Barthelemyus, cui secundum, et quartum elementum non *Koph*, ut visum Pellerinio, sed *Aleph* valebat, atque adeo legendum באראת *Bearath* videbatur, cum hanc vocem nonnihil adfinem cum *Emporio* praetensa Siciliae urbe adverteret, leviter suspicatus est, eidem hunc numum posse tribui, ut testatur Pellerinius [b]). Postremus Bayerius ab his longe diversus epigraphen resolvit in בארצת *Birtsath*, idem fere, quod *Byrsa*, quo nomine appellata fuit arx Carthaginis, cujus adeo esse hunc numum, sibi plane persuadet [c]). Quae ex his tribus praestet sententia, non moror. Enarratorem in toto hoc negotio agere institui, non arbitrum.

* * *

Caput Herculis imberbe.

Epigraphe Punica sex literarum. Caput equi, pone palma. AR. I. (Mus. Caes. Barthelemy B. L. T. XXX. p. 427.)

Caput simile.

Eadem epigraphe, nisi quod principio additur litera alia. Caput equi, pone palma. AR. I. (Mus. Caes. Barthelemy l. c.)

Caput muliebre vitta tectum.

Eadem epigraphe. Leo gradiens, pone palma. AR. I. (Barthelemy l. c.)

Praetereo veterum in interpretanda hac epigraphe diligentiam, quos inter Aldretus Hispanus, qui eam legendam KAKKABH putavit, ut dixi in numis Panormi. Ex recentioribus Barthelemyus epigraphen numi prioris legit: עם מחנת, posteriorum, quae eodem recidit: מעם מחנת, id est: *populus castrorum*, a המחנה, *castra*. Verum quo loco positus praetensus hic populus, dicere non habet [d]). Hac sententia repudiata Swintonus interpretatur: *a populo Menenio*, vel similiter, sic ut apud Menas Siciliae signatos hos numos profiteretur [e]). Verum acriter repugnat Barthelemyus, primum quod verisimile nullo pacto est, Menis, urbe paupere et obscura tam copiosam, et argento gravem pecuniam potuisse signari, deinde quod non constet, eam urbeculam aliquando fuisse Poenis subjectam. Quae

a) l. c. p. 20. b) Suppl. IV. p. 78. c) de la Lengua de los Fenic. p. 377. d) l. c. p. 417. e) Phil. trans. Vol. LIV. p. 411.

causa est, cur potius Ponormitanis divitibus, suo videlicet *populo castrorum*, eos adsignet a). In aciem denique progressus Bayerius neutri adhaesit, sed res suas egit. Is inscriptionem legendam censet: עם המחרת *populus Macharae* b), quo constituto verisimile illi visum, eos tribuendos Heracleae Minoae Siciliae urbi, quae olim teste Heraclide Pontico dicta fuit *Macara*. Idem extrema pagina sui operis modeste indicat, partem Carthaginis *Megara* fuisse appellatam, ex quo apparet, eum alienum non fuisse a tribuendis urbi huic his numis. Selige, lector, aut, si malis, totum repudia.

* * *

Caput Proserpinae intra pisciculos. Epigraphe Punica septem literarum. Mulier in citis quadrigis s. scuticam. AR. I. (Barthelemy l. c.) In aliis similibus quatuor *haec mulier ab advolante Victoria coronatur.* AR. I. (Mus. Caes.)

Hujus epigraphen numi Barthelemyus legendam docet: עם מנקרת *populus Minkaroth.* Quo pacto verisimile putat, hos numos esse urbis Siculae, quam veteres *Imachara*, vel *Imichara* appellant c). Siccine oppido adeo ignobili tam illustria tetradrachma largiemur? Inique ergo subinde Barthelemyus Menarum ignobilitatem objecit Swintono similes alios numos his tribuenti. Istud hoc loco monitum velim, literam primam, quam Barthelemyus *Ain* statuit, in numo nitidissimo musei Caesarei esse P inversum, et ejusdem plane formae, sujus est litera penultima, quam is *Resch* statuit. Numus similis musei Caesarei istud habet peculiare, quod eadem haec epigraphe nequaquam more Phoeniciorum a dextera in sinistram tendit, sed more nostro a sinistra ad dexteram. Vtriusque numi exemplum aeri incidi feci in mea Sylloge I. tab. II. num. 13. et 14. Idem phaenomenon reperit etiam Barthelemyus in epigraphe Samaritana numorum Antigoni Iudaeae regis d), et comparet etiam in simili alio apud Pellerinium e).

* * *

Epigraphe Punica quatuor literarum. Palma.

Epigraphe Punica septem literarum. Equus dimidius, quem supervolans Victoria coronat, in area granum hordei. AR. I. (Barthelemy l. c.)

Partis anticae literas Barthelemyus legit מחנת, quam vocem jam supra in alio numo vidimus; partis aversae: קרת חדשת, quas interpretatur, *urbs nova.* Istud si verum, miror sane, adjectivum חדשת esse in statu constructo, scriptumque pro חדשה. Numum hunc vir eruditus aut Panormo tribuendum putat, aut verius Carthagini, quod haec teste Stephano *urbs nova* vocabatur f). Ab aliis tribui etiam solet Dionysio I. Syracusano, quia in simili alio Goltzius juxta equum scriptum reperit ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ, sed quam Goltzii fraudem jam perstrinximus in numis hujus regis.

a) Lettre à Olivieri p. 13. et 27. b) l. c. p. 347. seq. c) l. c. p. 419. d) B. L. Tom. XXIV. p. 52. e) Suppl. IV. p. 119. f) l. c. p. 418.

* * *

Caput muliebre adversum passis crinibus, in alio: *Caput adversum imberbe ejecta lingua.*

Epigraphe Punica quatuor literarum. Pagurus. In alio: *Palma.* AR. III. (Pellerin Suppl. IV. p. 98.)

Quatuor has literas Pellerinius interpretatur משרא *Massara*, quo nomine putat intelligendam urbem, quam Graeci, Latinique dixerunt *Mazara*, prope Lilybaeum sitam. At Barthelemyus legens מטרא eos tribuit Madaurae Africae a).

* * *

Caput virile laureatum, forte Herculis Tyrii.

☆ *Elephas.* AR. II. (Mus. Caes. Pellerin Rec. III. tab. 88. n. 7.)

Palma arbor.

Eadem litera. Pegasus volans. AE. III. (Pellerin Suppl. I. p. 15.)

Similes numos Pellerinius Carthagini tribuendos censet imperante istud hac litera, quam esse *Koph*, et adeo ἀρχαικσαν hujus urbis putat. Barthelemyus illam *Aleph* novae formae statuit.

* * *

Ampla adhuc sylloge confici posset numorum Siculo-phoeniciorum, in quorum aversa, plerumque juxta equum stantem, conspiciuntur literae solitariae Punicae, quarum significatio hactenus prorsus est incognita. Multis patriam adsignavit Swintonus his mysteriis probe initiatus b), sed quorum vim, et potentiam nos profani non adsequimur. Sane in ea dissertatione inscriptas numis voces Punicas adeo suae securus artis interpretatur, ut nihil amplius ad confidentiam deesset, quam ut de se profiteretur, quod Plautinus Milphio c): *nullus me est hodie Poenus Punior.* Promisit etiam vir acris ingenii Bayerius in postremis tractatus sui verbis, sese his quoque tenebris lucem adfusurum, si superi tempus dederint, addo etiam, opem, nam quam hactenus humanam ex cognitis subsidiis praesto habemus, parum reor praeclaris ejus conatibus profuturam. Praestabit differre spes, donec favente fortuna detegatur ara, quam in templo Iunonis Laciniae condidit dedicavitque Hannibal cum ingente rerum ab se gestarum titulo Punicis, Graecisque literis insculpto d).

Numi Cossurae.

Cossura insula, hodie *Pantellaria*, Siciliae ad meridiem subjecta, numos quoque Punice inscriptos offert hoc modo:

Caput muliebre radiatum peregrino cultu, cui in compluribus advolans Victoria coronam offert.

Quinque literae Punicae intra lauream. AE. I. II.

Hos numos pertinere Cossuram, invicte comprobant numi cetera simillimi inscripti COSSVRA, de quibus egimus in ejus insulae moneta. Sed et literae ipsae ex eruditorum sententia judicium istud juvant; nam satis, ajunt, appa-

a) Lettre à Olivieri p. 45. b) Phil. trans. Vol. LIV. p. 393. c) in Poenul. act. V. sc. 2. v. 31. d) Livius L. XXVIII. c. 46.

ret, ex quinque his elementis primum esse ק, alterum ש, tertium ר, quintum ם. Quartum princeps Turris Muciae censet esse כ, sic ut tota vox legatur *Cosurchim* a). Variationem harum literarum vide in ejus principis laudato Auctario V., ejusque Sicilia numismatica, apud Pellerinium b), in D'orville Siculis tab. XV., in Memoriis B. L. Tom. IX. p. 157. In numo singulari principis T. M. juxta caput anticae legitur Graece ΚΟΣΣΥ. manente inscriptione Punica in aversa. Bayerius de iisdem his numis agens, in quae omnia abeat conjecturis plena, et incredibilia, apud ipsum lege c).

Numi Gaulo tributi.

Gaulos, hodie *Gozzo*, insula Melitae adjacens. Numos certos habet Graece inscriptos ΓΑΥΛΙΤΩΝ, de quibus egimus suo loco. Sed et alii inscripti Punice huic tribui solent.

Caput muliebre velatum.

Tres literae Punicae. Tres figurae stantes ad cultum Aegyptium compositae. In aliis: *Caput arietis*, *vel tripus*, *vel pagurus.* AE. I. II.

Caput nudum barbatum, *prae quo caduceus.*

Eaedem tres literae. Aliquid instar tintinnabuli, *vel pilei intra coronam.* AE. II.

Numos hos neglexit princeps Turris Muciae. Videri possunt in Saggi di Cortona Tom. I. p. 35. Pellerin Rec. III. p. 85. Mem. B. L. Tom. IX. p. 157.

Plerique illos antiquarii tribuerunt Melitae, sed diversa plerumque literarum explicatione. Eruditus Boze d) primam literam definit K, sequentes binas R R, et admisso, Melitam Phoeniciis dictam probabiliter fuisse *calvam*, quod eo primum appulsi desertam reperere, facile urbis nomen ducit ab Hebraico קרח *calvus.* Planissime ex Bocharti ingenio. Rejecta hac sententia Fourmontius eodem loco aliam infert statuendo elementum primum מ, reliquas duas ל, quibus sociatis מלל verisimiliter putat posse se conficere, nomen Graeco *Melita* respondens. Ridolphinus Venuti eandem quidem his literis potentiam tribuit, quam Bozius, sed nomen derivat ab Hebraico קרר *frigidus*, et fuisse Melitam a Phoeniciis dictam *frigidam* conjicit, cur istud, mecum ipse ignorat e). Dutensius has literas legit, קנן sed de horum patria numorum nihil audet statuere f), ut neque Bayerius, cui legendum אלל visum g).

Repudiatis aliorum conjecturis alia maluit via incedere Maffeius h), hosque numos vindicandos Gaulo contendit, atque is primam literam definit esse א, alteram ו, tertiam ל, ex quo demum *Aul*, et huic adfine *Gaul* extorquet. Pellerinius, qui abreptus torrente eos olim Melitenses dixit i), serius in Supplemento I. p. 26., et in opere, cui titulus *Lettres* k), secus sensit adserendo, literam primam esse ק Punicum, ut adeo esset קלל, quae vox per ipsas radicales multum haberet cum *Gaulo* adfinitatis.

---

a) Aggiunta V. p. 17. b) Rec. T. III. p. 59. c) de la lengua de los Fenic. p. 360. d) Mem. l. c. e) Saggi di Cort. l. c. f) Explic. de quelq. méd. p. 58. g) Lengua de los Fenic. p. 349. h) Osserv. lett. T. V. p. 288. i) Rec. III. p. 85. k) pag. 33. in nota.

Swintonus, et ipse Gaulo amicus, legendum censet CAVLIN [a]). Ex quo videmus, eruditorum sententias in explicanda hac voce tam parum, quam in plerisque aliis linguae Phoeniciae vocabulis coivisse.

Numus Phoenicius Bruttiis tributus.

Iuvat hoc loco commemorare ejusdem naturae numum, quem Pellerinius vicinis Bruttiis largitus est. Eum sic describit vir eruditus [b]):

Caput Herculis juvenis leonis exuviis tectum. ꓕꟼƎ9 *Pagurus.* AE. III.

Praeeunte Pellerinio numum similem alium musei sui edidit Neumannus noster, et huc revocavit [c]), sed in quo litera postrema nonnihil variat.

Similem alium idem Neumannus serius edidit, sed in quo duae tantum exstant literae, nempe ⅋9 [d]) qui numus idem reperitur quoque in iconibus Arigonii, sed inverso utriusque literae ordine. Haec de similium natura numorum.

Pellerinius Phoenicias numi sui literas legit *Birth*, adseritque, hoc vocabulo notari populum, qui Graecis *Brettii*, Latinis *Brutates*, *Brentii*, *Brittii*, *Bruttii* vocati sunt, ex quo suspicatur, Bruttios origine esse potuisse Phoenices, numum vero esse Bruttium propter typum paguri, et fabricam non dubitat. Quae vir eruditus de Phoenicia Bruttiorum origine conjecturae tantum modo proponit, ea indubitata facit Mazzochius [e]), neque desunt auctori argumenta moris sui: *Brettia* Stephano et regio, et *pix* dicitur; *Berosh* et *Berot* Hebraeis dicitur arborum resinosarum universum genus, ex *Berot* fluxit *Brettia*, et quod sequitur, regio haec nomen suum Orienti debet.

Aliam appellationis causam adstruunt auctores veteres. Stephanus vocatam regionem a Bretto Herculis F. statuit. Istud Mazzochius inter *mera Graecorum, urbibus singulis heroas cognomines de suo adsignantium deliria* reponit [f]). Iusta censura. Verum an non et Mazzochii sententia inter mera nonnullorum urbibus singulis originem orientalem de suo adsignantium deliria reponenda est? At majorum gentium auctores veteres audiamus. Strabo genti huic a Lucanis nomen datum ait, qui vocabulo *Bruttiorum* desertores notare solent [g]). Eandem vocis originem perhibet etiam Diodorus [h]), qui addit, ab indigenarum sermone illis hoc vocabulum inditum. Vtrique etiam egregie in tempore convenit, dum hanc Bruttiorum perfidiam in aetatem Dionysii II. Syracusani, qui exeunte rei Romanae saeculo IV. et ineunte V. regnavit, contigisse scribunt. In tempore inditi nominis consentit quidem etiam Iustinus, verum novae appellationis occasionem ait fuisse mulierem, cui *Bruttiae* nomen fuit [i]). Per hos ergo auctores certum est, nomen *Bruttiorum*, quo gens haec compellabatur, fuisse recens, et ante haec Dionysii tempora penitus ignotum, tractum ex indigenarum lingua. Qua igi-

a) Philos. trans. Vol. LX. p. 91. b) Suppl. III. p. 91. c) Num. pop. Part. I. p. 27.
d) Num. pop. Part. II. p. 117. e) Tab. Heracl. p. 546. f) l. c. g) L. VI. p. m. 392.
h) L. XVI. c. 15. i) L. XXIII. c. 1.

tur veri specie Bruttios cum Pellerinio Phoenicum colonos statuemus, aut eorum nomen cum Mazzochio ex lingua Phoenicia derivabimus? Abstineo argumentis aliis, quoniam inutile videtur, sententiam nulla fultam veterum auctoritate longius refutare. Sed neque mihi cum Pellerinio convenit fabricam in similibus numis Bruttiam agnoscente. Sane de binis, quos vidi ipse, testari possum, me spectata fabrica nihil in iis Bruttii ingenii videre, quin quidvis potius extraneum. Quid quod incredibile quoque videatur, gentis, quae sese Phoeniciam canore adeo per epigraphen profiteretur, originem ita penitus ab historicis reticeri, ut ejus ne minimum quidem aut in his, aut ullo alio monumento vestigium appareat. Extremum quod moneam, est, in aliis id genus numis, ut vidimus, aliam esse epigraphen, ex qua sane vox *Birth* elici non potest. Ex quo apparet, quoniam epigraphe in iis variat, aliud illa contineri, quam nomen urbis, vel populi.

IV.

NVMI NVMIDO-PHOENICII.

Scripturam peregrinam in certis Numidiae numis, quales sunt utriusque Iubae regis, occurrentem viri eruditi ex natura linguae Phoeniciae amant explicare. Non lubet inquirere in hujus fiduciam instituti. Istud certum, Numidicae huic scripturae parum cum literis pure Phoeniciis convenire. Quanquam dubitari vix possit, a Poenis vicinis literarum usum ad ipsos etiam Numidas fluxisse, sed eas longo inter barbaros usu sic depravatas, ut denique vix aliquid sui retinerent. Ipsos hos Numidas, et generatim omnes Poenis vicinos esse puto illos, quos Livius appellat *Libyphoenices*, *mixtum Punicum Afris genus* a), quo modo et Polybius inter Afros puros, (Λιβυας) et Afrophoenices (Λιβυφοινικας) distinguit b). Nimirum quod, ut ait Diodorus c), Poeni cum Afris per matrimonia necessitudinem contraxerant. Vnde factum puto, ut Boccho Mauretaniae regi fidem Punicam exprobraret Sallustius d). Ex his apparet, quanto magis periculosus, atque intutus sit labor, quem explicandis numis has literas praeferentibus impendimus. Fuere tamen, quos parum absterruit ignis doloso cineri suppositus. Evaserintne incolumes nullo notati stigmate, arbitretur, qui eorum commentarios pervolverit. En tibi pauca ex his exempla; nam si quo alio, hoc sane loco taedet esse prolixum.

* * *

Leptis magna, sita in Tripolitana inter duas syrtes. Revera eam Sallustius a Sidoniis conditam dixit, et ejus legum cultusque pleraque esse Sidonia, at linguam modo conversam connubio Numidarum.

Pellerinius numos quinque partim autonomos, partim Octaviani, Octaviae, et M. Antonii capite insignes edidit, et in literis quatuor peregrinis nomen *Lebeditz* contineri conjecit, eosque adeo huic Lepti tribuendos e). Firma-

a) L. XXI. 22. b) Hist. III. 33. c) L. XX. 55. d) Bel. Iug. p. m. 153. e) Rec. III. p. 146.

vit conjecturam numus cum eadem epigraphe alter sibi serius ex agro Tripolitano, in quo haec Leptis stetit, missus [a]. Molestam iterum cramben magno legentium taedio recoquit [b], ut Leptin suam adversus Barthelemyum tueretur, qui hos numos urbi illi ademptos regi Boccho infirma sane conjectura ausus est vindicare [c]. Addo, visum Swintono, eas literas significare ΛΑΠΗΘΟΣ, et quod sequitur, eos numos Cypro deberi. Adeo mirabiliter magistri in ea ipsa arte, quam sibi arrogant, dissentiunt.

* * *

Ad hanc classem pertinebunt etiam judice Dutensio numus *Vagae* Numidiae [d], *Masinissae* [e], *Tabracae* Numidiae [f], cujus urbis nomen in similibus jam legit Pellerinius [g]. Iudice Barthelemyo *Bocchi* regis, judice Pellerinio *Susae* Tunetanae [h], *Iol*, quae et Caesarea Mauretaniae, judice Pellerinio [i].

Satis visum, arbitraria haec judicia solum citasse, ut eorum valorem explorare cupidus quisque possit. Iuvabit hujus disciplinae avidos apud Pellerinium Rec. III. tabula CXX. id genus divitiis referta.

V.

NVMI HISPANO-PHOENICII.

Inter scripturas varias, quibus Hispaniae numi notantur, Phoenicia quoque occurrit. Necesse non est, rem in vulgus notissimam longius commemorare, scilicet colonias a Phoeniciis in litora maris mediterranei, quae deinde pars Baeticae fuere, et ad ipsum usque Oceanum deductas, quarum nobilissima fuere Gades. Ergo una cum coloniis invecta lingua Phoenicia, et numis ipsis illata, quae auctores prodidere, praeclare stabilit. Numos hoc charactere insignes cum explicare negligeret Henricus Florezius illustris monetae veteris Hispanicae interpres, solis scilicet Graecis Romanisque patriae suae numis enucleandis intentus, eas partes in se suscepit Bayerius in opere saepius laudato inde a pag. 368. De opere Ludovici Velasquez, qui Bayerium in eodem tentamine praeivit, vide, quae in prolegomenis ad numos Hispaniae notavi. En tibi urbes charactere Phoenicio in numis suis usas.

Abdera.

Ejus numos sex obtulit Bayerius, in quorum aversa aut pisces sunt, aut templum; juxta scriptura Phoenicia quinque literarum hac forma 19990 vel 15550, quae numerorum Arabicorum speciem omnino referunt, sed eas legendas עבדרת ex certis causis conjecit Bayerius, I. quod in nonnullis Phoenicio huic nomini etiam Latinum ABDEBA adstituitur. II. quod constat, literas Phoenicias ב, ד, ר saepe vix differre. Numum similem Florezius pecuniae Gaditanae inique inseruit, et easdem literas laudatus mox Velas-

a) Mel. I. p. 141. b) Suppl. IV. p. 82. c) Lettre journ. sav. 1763. d) Explic. p. 67. et 132. e) pag. 124. f) pag. 137. g) Lettres p. 148. h) Additions p. 38. i) Rec. III. p. 151. Mel. I. p. 143.

quez interpretatus est *Hasdrubal*. Vsa est Abdera hac epigraphe adhuc in numis Tiberii.

Canaca.

Vrbs ad ostia Anae in Turdetanis sita, cujus meminit unus Ptolemaeus, et quam in geographia sua omisit Cellarius. Huc refert Bayerius numos, in quibus hinc est caput Herculis leonis exuviis tectum, inde piscis unus vel duo, et scriptura vel parcior, quam legit קנק id est: *Canaca*, qua in lectione ipsi cum Velasquio convenit, vel auctior, quatuor adhuc literis aliis praecedentibus, sed in quibus legendis uterque dissidet, quam litem melius dissimulavero. Florezius id genus numos exhibuit, quoque, sed cum Gaditanis miscuit, cum quibus utriusque partis typis plane conspirant, sed si epigraphen spectes, diversis.

Gades.

Noti Gaditani numi, in quorum antica caput Herculis, in aversa unus vel duo pisces addita inscriptione Phoenicia duorum versuum. In horum superiore variant literae, quarum sensum explicare tentarunt Velasquez, Bayerius, Dutensius, non ut reor, satis propitia fortuna. Certiorem sensum offert versus inferior constans literis quatuor quas Bayerius legit אגדר, in aliis: הגדר *Agadir*, vel *Hagadir* praefixo in utroque vel א vel ה. Testibus Festo Avieno, et Hesychio *Gadir* in Phoeniciorum lingua fuit *septum*, περιφραγματα.

* * *

Hispali Baeticae Phoenicios quoque numos tribuit Barthelemyus a), sed argumentis nullam veri speciem praeferentibus, quae jam etiam refutavit Bayerius b).

G A L I L A E A.

A C E.

Vide infra *Ptolemais*.

DIOCAESAREA.

Vide infra *Sepphoris*.

IVLIAS.

Numos fabricae Iudaicae, in quorum aversa ΙΟΥΛΙΑ *intra coronam*, Pellerinius aliique conjecere ad hanc Iuliadem pertinere. At in simili, quem olim edidi c), scribitur ΙΟΥΛΙΑ. CЄ., quae

a) Lettre à Oliv. p. 43. b) pag. 364. c) Num. vet. p. 288.

inscriptio docet, numos hos *Iuliae Augustae*, quae et Livia, tribuendos.

MAGEDDO.

Pellerinius tres literas Phoenicias, quae comparent in autonomo aeneo significare *Mag*, tanquam principium hujus urbis censuit [a]), sed quod valde incertum.

PTOLEMAIS, *olim* ACE.

Maritima, Phoeniciae quoque a variis tributa. In sacris literis vocatur עכו, *Aco*, Graeci *Acen* fecere et propter nominis adfinitatem fabulam pro more dedere, tanquam Hercules ab hydrae morsibus male adfectus a reperta apud hanc urbem herba esset salutem consecutus, unde ea, tanquam ab ἀκεομαι, *medeor*, dicta Ακη. Haec ex Stephano. Serius a Ptolemaeo appellata Ptolemais, et denique a Claudio deducta colonia, secundum quae Plinius: *colonia Claudii Caesaris Ptolemais, quae quondam Ace.* Vtroque nomine exstant autonomi.

Autonomi:

Nomine Aces.

Caput muliebre turritum. ✕ AKH. *Hercules nudus gradiens s. clavam, d. quid instar folii porrigens.* AE. III. (Pellerin.)

Dubium non videtur, hoc typo proponi Herculem, herbam praeferentem, quae salutem heroi restituit, ut dictum.

* * *

Alium autonomum huic urbi tribuit Khellius [b]), sed perperam, nam pro praetenso AKAIΩN legendum AKPAIΩN, estque Acrarum Siciliae.

* * *

In raris Alexandri M. numis aureis leguntur literae Phoeniciae ϒO, quas AK interpretatur Pellerinius, eosque adeo signatos apud hanc Acen conjicit [c]). De his egimus supra in tractatu de numis Phoenicie inscriptis pag. 408.

AE. RRRR.

Ptolemaidis nomine:

Caput Iovis. ✕ ΠΤΟΛЄΜΑΙЄ. ΙЄΡΑC. ΚΑΙ. ΑCΥΛΟΥ. *Fortuna stans.* AE. II. (Pellerin Suppl. II. p. 41.)

Caput Apollinis. ✕ ΠΤΟΛΕΜΑΙΕΩΝ. *Diota, juxta quam avis.* AE. II. (Pembrock.)

Gentile Ptolemaidis Stephano Πτολεμαιευς, quo et usum video Iosephum, recte secundum hos numos. Aliud fuit Πτολεμαϊδευς, si modo bene lectus numus sequens Claudii, quamquam et *Ptolemaidensis* legatur in numis coloniae.

AE. RRR.

De *Antiochenis apud Ptolemaidem*, qui memorantur in variis autonomis, actum est in numis Antiochiae Syriae pag. 305.

Imperatorius

Vnicus, isque Claudii, citatur a Vaillantio ex museo Foucault: ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΕΩΝ. Θ. *Fortuna stans.* De insolentiore hoc gentili mox egimus. Putat Vaillantius, solitarium Θ indicare annum

---

a) Suppl. IV. p. I. b) ad Haym. T. II. p. 102. c) Mel. I. p. 140.

imperantis Claudii, sed videtur ea litera aliud indicare, ut mox dicetur.

AE. RRRR.

Colonia deducta fuit a Claudio, quod docuit Plinius supra citatus, et numi, qui eam *Claudiam* vocant, et ejus etiam mortui caput ostentant. Quo anno deducta sit, non constat. In numo Claudii apud Pellerinium [a]) additur COS. IIII. IMP. XIII. His titulis Claudius usus est anno V. C. 800. Ergo hoc anno Ptolemais colonia jam fuit, qui cum fuerit annus VII. imperantis Claudii, dubitari potest, utrum Θ numi Graeci mox citati annum imperii notet; nam Ptolemais, posteaquam colonos recepit, vix alios amplius praeterquam coloniae nomine numos signaverit.

Exstant Ptolemaidis coloniae numi a Claudio usque ad Saloninam.

Epigraphe : COL. PTOL., etiam COLONIA. PTOLEMAIS. in numis Caracallae et Alexandri, (Vaill.) et COLONIA. PTOLEMAIDENS. in numo Valeriani. (Vaill.) *Claudiam* se dicit in aliquot numis Claudii et Neronis: COL. CLAV. PTOL. (Pellerin Rec. II. p. XI. Arigoni.) et in numo Claudii apud Pellerinium (l. c.) vocatur COL. C. C. S. PTOL., erudito auctore literas C. S. explicante *Civibus Servatis*, quod sane violentum.

DIVOS. CLAVD. vel CLAVDS. non tantum scribitur in aversa numorum Neronis, sed etiam in aversa numi Claudii, qui tum, cum numus signatus est, in vivis adhuc fuit, quod arguit laureatum caput, et additum COS. IIII. IMP. XIII. (Pellerin l. c.) Ex quo apparet, extra urbem etiam vivis imperatoribus *dei* titulum delatum, quanquam dici etiam possit, Ptolemaidenses divinos honores, qui conditoribus tribui consuevere, maturasse.

Typi:

Colonus arans, pone signa militaria IV. (non V., ut enunciat Vaillantius) in numis obviis.

Alii duo, sed vexillis praeterea inscriptum: VI. IX. X. XI. in numis Claudii et Neronis. (Pellerin Rec. II. p. XI.)

Hic typus docet, colonos Ptolemaidis ex militibus emeritis constitisse. Ex quibus hi legionibus capti fuerint, docent numi posteriores.

Mulier insidens rupi emergente subtus fluvio, Trajani. (Mus. Caes.)

Fluvius Ptolemaidi vicinus fuit secundum Plinium *Belus vitri fertiles arenas* volvens. Iosepho idem dicitur *Beleus* [b]).

Diana in templo distylo numi oram ambiente zodiaco, Elagabali, Valeriani. (Vaill.)

Fortuna stans, etiam intra templum, in numis obviis.

Protome barbata cornibus e fronte turgentibus, ante eam cornucopiae, Severi.

Vaillantius Nili imaginem putat, sed vix probat, quamvis varia argumenta Aegyptia numis intulerunt Ptolemaidenses, ut: *Caput Serapidis*, *Harpocratem.* (Mus. Caes.) Hos typos suaserit vicinia Aegypti, et Ptolemaeus urbis alter conditor.

Pes humanus praefixo superne annulo, in area fulmen et caduceos, Saloninae. (Pellerin Additions p. 36.)

---

a) Rec. II. p. XI. b) Bell. Iud. L. II. c. 17.

Annulus praefixus dubitare non sinit, esse pedem votivum annulo suspendi solitum. Solutionem non tento. Similis typus est in numo Aegarum Ciliciae Alexandri Severi. (Vaill.)

* * *

Epocha in numo unico, eoque Elagabali, Vaillantius reperit annum HΞC, cujus principium fixit ad autumnum V. C. 705. Credam potius, ducendum annum ab autumno 706, et Ptolemaidensibus eandem fuisse statuendae novae aerae causam, quae fuit Laodicensibus Syriae. Nimirum I. Caesar V. C. 707 ex Aegypto in Pharnacem profectus praestantioribus urbibus beneficia impertivit, ut diximus in eadem Laodicea.

AE. vix R.

SEPPHORIS *serius* DIOCAESAREA.

Validissima Galilaeae urbs teste Iosepho, mediterranea. Dictam serius *Diocaesaream*, ipsa veterum testimonia comprobant, quae pete e Cellario. A quo imperatore nomen hoc tulerit, non elicimus. Vtroque nomine exstant imperatorii.

Nomine Sepphoris.

Imperatorii:

Cogniti tantum cum capite Trajani. Quem Vaillantius cum capite Domitiani citat, esse ejusdem Trajani, vidit Pellerinius a). Idem vir eruditus primus observavit, in horum numorum antica scribi: ΤΡΑΙΑΝΟΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΕΔΩΚΕΝ. b) quo haud dubie beneficia aliqua a Trajano impetrata indicantur.

Epigraphe constans et sola ΣΕΠΦΩΡΗΝΩΝ.

Typi: *Palma* — *Caduceus* — *Vrbis nomen scriptum intra lauream* — *Duae spicae.*

AE. RR.

Nomine Diocaesareae.

Imperatorii

Antonini, Commodi, Caracallae.

ΔΙΟΚΑΙϹΑΡΕΙΑϹ. ΑΥΤΟΝ. *Templum 4 col., in quo Pallas stans*, Antonini.

Vaillantius hunc numum Diocaesareae Cappadociae tribuit, sed jure huc revocavit Pellerinius c).

ΔΙΟΚΑΙ. ΙΕΡΑ. ΑϹΥ. ΑΥΤΟ. *Typus similis*, Antonini. (Mus. Caes.)

ΔΙΟΚΑΙ. ΙΕΡ. ΑϹΥΛ. ΑΥΤΟ. *Mulier stans in templo 4. col. d. hastam, s. cornucopiae*, Antonini. (le Blond p. 21.)

ΔΙΟΚΑΙϹΑΡΕΙΑϹ. *Templum 4. col., in quo Pallas stans*, Commodi.

Vaillantius hunc numum largitur Diocaesareae Phrygiae, sed satis patet contentis numis praecedentibus, eum huic nostrae vindicandum. Diocaesaream Phrygiae non habere certam monetam, quam sibi tuto arroget, in hac monui.

Singularis est numus Caracallae quem edidit Blondius, (l. c.) in cujus aversa aliud nihil praeter epigraphen laureae inclusam habetur, et sic exaratam:

---

a) Mel. II. p. 48. b) Rec. III. p. 238. c) Mel. II. p. 85. et 260.

ΔΙΟΚΙ
ЄΡΑСΤΑ
ΑΤΤΓΙΦЄ
ΙЄΡΒСΚΑ
ΔΡ

Interpretis honorem, qui aenigma istud evolvat, libenter aliis permittit Blondius, neque ego istud laudis adfecto. Videntur permixtae notae arithmeticae, quod suspicari faciunt literae BC. Fueritne Pellerinius, qui nodum hunc serius tentavit, in eo solvendo satis felix, ego cum eruditis omnibus, ut opinor, magnopere dubitem.

*
* *

Epocham in hoc ipso numo, atque in literis ΔΡ videt Blondius, putatque duci ab anno V. C. 858 exemplo urbium Arabiae Petraeae. Vt etiam demus, literas has indicare epochae annum, ejus principium certe in aliquot adhuc annos differendum; nam in sententia Blondii numus praesens flatus fuisset V. C. 961, quo vigesimum circiter annum egit Caracalla, cui aetati an competat tam liberalis barba, qualis in iconismo eidem tribuitur, dubitari queat.

AE. RR.

Mirabilem numum Frölichius ex Panelii catalogo le Bret recitat: ΣΕΛΕΥΚΟΣ. ΝΕΙΚ. *Caput Seleuci I. diadematum.* ✕ ΔΙΟΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Templum 6 column.* Ex Diocaesareae nomine conjicit vir eruditus, numum aliquot serius saeculis signatum, atque in ejus quidem regis memoriam [a]). Nolo meum de insolente hoc cimelio judicium proferre, quod vereor, ut adcurate descriptum sit.

TIBERIAS.

Ad Lacum cognominem, qui et Gennezareth dicitur, aedificata ab Herode Antipa tetrarcha, et in Tiberii gratiam sic vocata.

Herodis conditoris nomine reperti numi et inscripti: ΤΙΒЄΡΙΑϹ, de quibus agetur in numis hujus tetrarchae. Alium ΤΙΒЄΡΙЄΩΝ cum capite Claudii, et nomine Agrippae I., vide in moneta hujus regis.

Imperatorii

Certi sunt Tiberii, Trajani, Hadriani.

Epigraphe: ΤΙΒЄΡΙΑϹ in numo Tiberii, (Vaill.) deinceps: ΚΛΑΥΔΤΙΒЄΡ. ΚΛΑΥΔΙΟΤΙΒЄΡΙЄΩΝ. a Claudio, ut dicetur. ΤΙΒЄΡΙЄΩΝ. ΤΩΝ. ΚΛΑΥΔΙЄΩΝ. in numo Trajani. (Panel Mem. Trev. Octob. 1737.)

Typi:

Mulier insidens rupi, ex qua aqua profluit, serpentem ex patera pascit, Trajani. (Mus. Caes. Noris.)

Notat typus aquas calidas, quibus salubris exstitit Tiberias teste Plinio, unde et vetus urbi nomen *Ammaus*, quod Graece θερμα, *aquae calidae*, reddas teste Iosepho [b]).

Mulier d. pede prorae navis insistens d. caput humanum, s. hastam, Trajani, Hadriani. (Noris, Vaill.)

Est haec Isis gerens d. caput Osiridis. Nam Isis ad investigandum Osiridis cadaver profecta illud apud Byblum Phoenices reperit teste Plutarcho [c]), et

a) Ann. Syr. p. 21. b) Bell. Iud L. IV. c. 1. §. 3. c) de Is. et Os.

quotannis caput ex papyro factum ex Aegypto Byblum per undas deferri tradit Lucianus αὐτοπτης a). Idem typus est etiam in numis Caesareae Palaestinae, Neapolis Samariae, Scythopolis, Sebastes Samariae, Ael. Capitolinae.

Navis, *ancora*, Trajani et Hadriani, (Mus. Caes. Vaill.) apposite ad Tiberiadem lacui Gennezaret, vel, ut sacrae literae inquiunt, mari Tiberiadis adsitam.

* * *

Nomen a Claudio, cujus beneficio Agrippa rex teste Iosepho amplas ad regnum suum accessiones fecit, qui vicissim honorem imperatori rependit addito Tiberiadi Claudiae cognomento.

* * *

Epocha in plerisque notatur praefixo ET. vel L.

ЄT. AΠ. Trajani. (Noris, Mus. Caes.)

ЄT. ϙ. ejusdem. (Pellerin Mel. II. p. 327.)

L. vel ЄT. AP. Hadriani. (Vaill. Mus. Caes.)

ЄT. ΓP. Ejusdem. (Vaill.)

Ejus principium Norisius ducendum putat ab anno, quo Tiberias ab Herode condita fuit. Istud factum refert Eusebius V. C. 780. Ab hoc anno si duceretur annus AΠ in numis Trajani, hi signati essent ab autumno V. C. 860. Sed observat Norisius, cum Trajanus in numis dicatur tantum *Germanicus*, et omittatur *Dacicus*, quo titulo is decoratus jam fuit anno V. C. 856, ejus principium altius petendum, et saltem removendum ad annum 775, quo facto emerget annus 855, in cujus autumno si coepit annus AΠ Tiberiadensium, potuit adhuc cudi hic numus sine Dacici encomio. Ex his ergo numis probatur, epocham Tiberiadis non potuisse incipere serius, quam ab autumno V. C. 775. At cum eidem Norisio oblatus fuerit numus Trajani cum anno AP, qui idem saepius occurrit in numis Hadriani, necesse duxit epochae initium figere ad annum V. C. 770, cui si addatur annus AP, exibit annus, qui fuit postremus Trajani, primus Hadriani, nempe 870. Erraverit ergo Eusebius natales Tiberiadis ad annum 780 figendo, cujus frequentiores lapsus jam alias comperti.

At vero totum hoc Norisii judicium nititur numo Patiniano Trajani cum praetenso anno AP, qui haud dubie perinde ac numi alii hoc anno praediti Hadriani est, ut non modo suspicatur ipse, sed et amplior suspicandi causa est, quia hactenus Trajani numum cum hoc anno in nullo catalogo reperi. Hoc igitur Patini praeconium si negligatur, ut jure negligendum videtur, fluctuat vi citatorum numorum initium aerae Tiberiadis intra annos V. C. 770. et 775.

* * *

Annus imperii. KΛAT. TIBЄP. L. ϛ. *Ancora*, in numulo integerrimo Trajani cum titulis Γ. Δ. id est: *Germanicus Dacicus.* (Mus. Caes.) Enimvero Trajanus anno VI. imperii dictus est Dacicus. Ceterum in nullo alio Tiberiadis numo imperii annus notatur.

a) De dea Syr. sub init.

* * *

Non praetereundus numus dubie fidei: ΜΗΝ. ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ --- *Deus Mensis stans cum pileo Phrygio*, Antonini. (Vaill. ex museo regio.)

Mensis in hoc tractu typus est perquam rarus, neque putem praeter vicinas Gabas Trachonitidis et Esbum Arabiae alibi reperiri. Cumque praeterea neque epochae annus addatur, neque praenomen ΚΛΑΥΔ., ad haec fatente ipso Vaillantio numi epigraphe vitium fecerit, justa suspicio, legendum potius ΤΙΒΕΡΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, numumque esse Tiberiopolis Phrygiae. Eaedem causae jam etiam Ioberto, et Bimardo scrupulum injecere [a]).

AE. RR.

SAMARITIS.

CAESAREA.

Dicta Caesarea Palaestinae, ad mare sita, olim *turris Stratonis*, sed Herodes M. urbem vetustate fatiscentem magnifice restauravit indito in honorem Augusti *Caesareae* nomine, et addito portu, quem Σεβαςον dixit, ut infra docebitur. Hanc ut Palaestinae urbium maximam et nobilissimam prolixe laudat Apollonius Tyanensis epistola XI. Reliqua, quae ad urbis historiam pertinent, erudite congessit Belleyus [b]).

Imperatorii

Saltem certi non exstant nisi Neronis. Eccos:

ΝΕΡΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. *Caput laur.* Ӿ ΚΑΙΣΑΡΙΑ. Η. ΠΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΛΙΜΕΝΙ. *Mulier capite turrito, et habitu succincto stans d. pede prorae navis insistens, et d. caput humanum, s. hastam tenens, in area* L. ΙΔ. AE. II.

Hanc epigraphen Belleyus contentis numis compluribus musei regii et Pelleriniani feliciter denique complevit, tam acriter olim inter Norisium, Vaillantium, Harduinum disceptatam, cujus ipse pertinacis litigii historiam totam ab ortu suo eleganter ac nitide persequitur [c]). Cum eruditorum IIIvirorum variae sententiae omnes in falsa horum numorum lectione nitantur, nolo iis recensendis immorari, quas qui nosse cupiet, poterit ex fonte indicato petere. Stabilita hac lectione superest, ut comprobetur, numos sic inscriptos ad hanc Caesaream pertinere. Narrat Belleyus Iosephum secutus [d]), Herodem. M.

a) Sc. des méd. P. II. p. 261. b) B. L. T. XXVI. p. 440. c) l. c. d) Bell. Iud. L. I. c. 21.

hoc loco portum Piraeeo Atheniensium capaciorem molitum, atque immensis substructionibus perfectum denique, et regiis ornamentis condecoratum Σεβαςον appellasse. Hanc sententiam egregie confirmant verba Josephi narrantis fatum Antipatri Roma reducis: προσεσχε τῳ ΣΕΒΑΣΤΩΙ ΛΙΜΕΝΙ λεγομενῳ, ὀν κατασκευασας Ηρωδης πολλων χρηματων ἐπι τιμῃ τῃ Καισαρος καλει ΣΕΒΑΣΤΟΝ, *appulit ad PORTVM dictum AVGVSTVM, quem Herodes magnis sumptibus exstructum in honorem Caesaris vocavit AVGVSTVM* [a]). Alibi idem factum referens his verbis utitur: και διαπερασας ἐις τον ΣΕΒΑΣΤΟΝ τον ΛΙΜΕΝΑ της ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ καταγεται, *et trajecto mari in AVGVSTVM PORTVM CAESAREAE defertur* [b]). Ex binis his locis habemus et Caesaream, et adstitutum Portum Augustum, qui praeterea in his numis memoratur, ut urbs ab aliis urbibus nomine Caesareae decoratis distingueretur. Diximus supra in Caesarea Paniade pag. 341, nostram hanc Caesaream urbem vix unquam certa fide dici *Augustam*. Vnus Philo eam vocat την ἐπι θαλαττῃ Καισαρειαν ἐπωνυμον τυ προπαππυ Σεβαστην [c]).

Mulier partis aversae d. caput humanum gestans secundum ea, quae supra ad Tiberiadem notavi, videri possit Isis Osiridis caput praeferens. Sed suspensum me reddit testimonium Belleyi adfirmantis, caput illud in numo Pelleriniano esse laureatum Neronis [d]), quod quidem vix credibile cuiquam videbitur.

Additum L. ΙΔ. indicat annum XIV. imperantis Neronis.

AE. vix rari, sed in plerisque epigraphe a temporis injuriis male habita.

* * *

Peragendum etiam judicium complurium numorum, quos auctores varii, sed ut videtur, inique, huc vocavere, et quidem numos

Augusti cum nomine Veidii Pollionis judice Vaillantio hujus Caesareae, esse Caesareae Bithyniae, in hac evicimus.

Lucii Caesaris numos a Vaillantio et Pellerinio huic Caesareae tributos nihil offerre, quo minus alteri Caesareae, ac praecipue Bithyniae tribui possent, in hujus quoque moneta diximus.

Messalinae et *Britannici* numus a Vaillantio citatus verius quoque videtur Caesareae Bithyniae restituendus.

Claudii et *Neronis* numi, in quibus anni imperii notantur, sunt verisimilius Caesareae Cappadociae, etsi montem Argaeum non praeferant. Haec annos imperii sedulo notavit. Sunt apud Vaillantium.

Neronis alterum apud eundem: ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ typo equi gradientis esse Cymes Aeolidis, in hac comprobavi.

In aliis *ejusdem*, typi: Fasciculus 4 aristarum, vel Pallas telum vibrans praesenti Caesareae non favent, etsi non adversentur. Sunt hi potius Caesareae Bithyniae.

Alium *ejusdem*, typo figurae velatae sedentis esse Caesareae Anazarbi Ciliciae, in hac probavi.

---

a) Ant. L. XVII. c. 5. b) Bell. L. I. c. 31. §. 3. c) de Legat. ad Cai. p. 590.
d) l. c. p. 453.

Regii:

Numum, in cujus antica est caput Caligulae, in aversa: ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ. ΑΣΤΛΟΤ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΒΑΣΙΛΕΤ., Vaillantius in hac Caesarea cusum sanxit [a]). At probabimus in numis Agrippae I., eum signatum Caesareae Paniados.

Certior alius, in cujus aversa Belleyus legendum docet: ΚΑΙΣΑΡΙΑ. Η. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΣΕΒΑΣ. ΛΙΜΕΝΙ [b]). De numo ipso agemus in moneta Agrippae I. Iudaeae regis.

* * *

Colonia deducta a Vespasiano. Plinius: *Stratonis turris, eadem Caesarea, ab Herode rege condita, nunc Colonia Prima Flavia a Vespasiano imp. deducta.* Et Paulus [c]): *Divus Vespasianus Caesarienses colonos fecit.*

Numi porriguntur a Domitiano usque ad Valerianum, nam Titi numus, quem citat Vaillantius, alio pertinet, ut dicetur.

Epigraphe multum variat:

C. AVG. CAESAR. Trajani. (Pellerin.)

COL. PRIMA. FL. AVG. CAESAR. CAESARIA. CAESAREN. CAESARENSIS. Pro PRIMA scribitur etiam P. tantum, at potissimum PR. Pro FL. etiam F. tantum. Haec epigraphe paucis nonnunquam mutatis in plerisque obtinet.

C. I. F. A. C. Hadriani, (Pellerin Suppl. II. p. 47.)

C. I. F. AVG. CAESAR. Hadriani. (Mus. Caes.)

COL. P. FL. AVG. CAESAREN. Hadriani. (Theup.)

Ex his satis apparet, literas I. F. legi debere PRIMA. FLAVIA. Variant in his numis I. et P.

COL. PR. FL. AVG. FE. CAESAR. Severi. (Pellerin.) Literae FE. explendae FE*lix*, quod sub hoc imperatore primum comparet. In numo Diadumeniani musei Caesarei plenius scribitur FEL.

COL. PR. F. AVG. F. C. CAES. Literae F. C. sub Alexandro primum comparent. F. secundo positum legendum F*elix*, dubium non est, at incertum hactenus, quis explicatus literae C. dandus. Ea in aliquibus reipsa τȣ G. speciem praefert. Quare Harduinus contendit, Caesaream hanc dictam fuisse *Germaniciam*, quo factum, ut is numos omnes ab aliis antiquariis Caesareae Germaniciae Commagenes jure tributos huic inique ademptos Caesaream Palaestinae revocaret. Ex epistola Pellerinii ad Khellium nostrum data video, eruditum hunc Gallum aliquando tenuiter suspicatum, τo C. fors legi posse *Clarissima.* Ceterum video, hoc elementum in pluribus coloniarum numis significare *Concordia.*

Serius omnibus his titulis addi coeptum METR. item MET. P. S. P. de quo infra.

Omnes hos varios titulos collegit numus Treboniani, (Pellerin Suppl. II. p. 46.) scilicet:

COL. P. F. AVG. F. C. CAES. MET. PR. S. PAL.

---

a) Numi Graeci sub Calig. b) l. c. p. 450. c) de Censib.

Pellerinius numum Antonini propter epigraphen C. A. C., quam legit *Colonia Augusta Caesarea*, eidem nostrae Caesareae largitur. Eodem modo inscriptos Antonini numos binos dedit Vaillantius, sed legit *Colonia Aelia Capitolina*, reprehensus propterea a Pellerinio [a]), sed inique, ut dicetur in numis Aeliae Capitolinae.

Numos inscriptos: COL. CAES. LIB. ΦΛΑ. huic Caesareae a variis viris summis tributos, quos inter est unus cum praetenso Titi capite, esse Caesareae Phoeniciae ad Libanum, in hujus numis dictum.

Typi:

Mulier turrita habitu succincto stans d. caput humanum, s. hastam, pede super flumine emergente posito, Hadriani, Faustinae jun. Domnae, (Vaill.) Treboniani. (Pellerin.)

Non multum absimilem typum vidimus in numis Tiberiadis, et in numo hujus Caesareae Neronis Graeco, quem paullo supra produximus. Ad Tiberiadem notavimus ex Luciano, esse Isidem gerentem caput Osiridis. At Vaillantius citato eodem Luciani loco putat esse Astarten, adstitutum vero fluvium esse Adonin, qui apud Byblum fluxit, Veneri Astarte percharum, et Bybliis religione sacrum, quod tanto magis verisimile ait, quoniam propter Caesaream nullum flumen memoratur, hujus vero Astartes cum omnibus his causis cultum Byblo Caesaream propagatum. Selige, quod praeplacet.

Mulier stans in templo d. hastam, cui Victoriola columellae insistens coronam offert, Caracallae. (Vaill. Colon. p. 50.)

Est haec certior Astarte hoc cultu in hujus tractus numis obvia.

Figura nuda capite radiato d. elata, s. hastam decumbit super leone gradiente, Volusiani. (Vaill.)

Argumentum incertum. In numo Hadriani apud Pellerinium [b]) est solus leo gradiens.

Apollo nudus stans d. arcum, s. tripode nixus, non infrequens typus in numis Trajani, et Antonini.

Caput Serapidis, typus maxime obvius.

Aquila expansis alis, supra quam velut in corona scriptum S. P. Q. R. Typus frequens inde a Caracalla.

Tituli:

PRIMA. vel, ut in aliis, I. Minus certa hujus appellationis ratio. Harduinus eam sic vocatam ait, quia ibi erant milites legionis I. Aliam serius attulit, quoniam, inquit, prima fuit, quae praenomen Flaviae adoptavit. Vaillantius hoc titulo usam censet, quia fuit metropolis Palaestinae. Pellerinius, qui varias horum sententias recenset, existimat, dictam primam, quoniam ante Caesaream Libani colonia deducta fuit [c]). Haec sententia omnium minime admittenda, nam haec Samaritidis Caesarea Primae titulum monetae jam inscripsit, antequam sciret, exstituram aliquando coloniam secundam hoc nomine; Caesaream autem Libani certum est ex numis, saltem

---

a) Suppl. II. p. 46. b) l. c. p. 47. c) Mel. I. p. 33.

Antoninorum aetate nondum fuisse coloniam.

Felix more aliarum coloniarum.

Metropolis. Hic honos primum legitur in numis Alexandri. Inde a Decio regionem etiam addit, sic: METR. P. S. P. vel liberalius: PR. S. PAL. *Provinciae Syriae Palaestinae.* Hanc etiam memorat Fl. Neapolis, de qua mox infra. Secundum haec recte Aurelius Victor (in Vespas.): *Coacta in provinciam Syria, cui Palaestinae nomen.* Fuere nimirum, qui Syriam in quinque partes divisere, Commagenen, Seleuciden, Syriam Coelen, Phoeniciam, Iudaeam a). Quid quod jam Augusti aetate Palaestini in Syris sunt putati teste Ovidio b):

Culta Palaestino septima festa Syro.

Flavia a conditore Fl. Vespasiano. Iustinianus imp. de urbis hujus excellentia loquens c) narrat, eam primum a Stratone, qui mutatis sedibus excedens Graecia ejus conditor exstitit, in urbis formam fuisse redactam. Verum quod sequitur, satis imperite, cum refert eam a Vespasiano Caesarum appellatione fuisse nominatam, cum antea Stratonis turris vocaretur. Dicere oportuerat, a Vespasiano deductam coloniam, et de nomine suo dictam Flaviam.

Antoniniana, nempe: ANT. in numo Caracallae. (Vaill. Colon. P. II. p. 50.)

AE. C.

DIOSPOLIS.

Olim Lydda; a quo nomen novum acceperit, incertum. Iosephus eam jam Lyddam, jam Diospolin vocat. Numos et historiam hujus urbis erudite illustravit Belleyus d).

Imperatorii:

Caput Domnae. ✠ Λ. CЄΠ. CЄΤ. ΔΙΟCΠΟΛΙC. ЄΡ. in alio ΘΡ. *Caput Serapidis*, in alio ΘΡ. *Ceres.* Ita Vaillantius, et Norisius, sed mendose, ut dicetur.

Caput Caracallae. ✠ Λ. C. CЄΤ. ΔΙΟCΠΟ. ЄΤ. Θ. *Caput Serapidis.* (Pellerin Mel. II.)

Caput idem. ✠ CЄΠ. CЄΤΗ. ΔΙΟCΠΟ. Є. Ι. *Caput muliebre turritum.* (Ibid. et Mus. Caes.)

Caput idem. ✠ ΔΙΟCΠΟ. *Astarte in templo d. pedem globo imponit, d. extenta, s. hastam.* (Pellerin l. c.)

* * *

Nomen ab imperatore, nempe: *Lucia Septimia Severiana.* Ita Belleyus multo probabilius explicat *το* Λ. CЄΠ. CЄΤ., non ut Norisius et Vaillantius: *Lucius Septimius Severus. Diospolitarum.* Iisdem nominibus usas quoque Sebasten Samariae, et Eleutheropolin Iudaeae, infra videbimus, et sic etiam in marmore, quod edidit Thomasinus e), leguntur *Municipes municipi T. Aeli. Hadriani Aug. Civilitani.* Causam adoptati hujus nominis tradit Belleyus post Haymium, quia Severus *in itinere Pa-*

a) Eustath. ad Dionys. v. 877. b) Art. amat. L. I. v. 416. c) Novell. Constit. 103. d) B. L. T. XXVI. p. 429. e) de Tesseris hosp. cap. III.

laestinis plurima jura fundavit, ut refert Spartianus. Ex postremo numo Caracallae videmus, Severo mortuo Diospolitas eam adulationem dissimulasse.

* * *

Annos imperii habemus ex numis loco II. et III. descriptis. Vaillantius et ab eo deceptus Norisius in numis loco I. citatis epochae annos viderunt. Errorem suspicatus Belleyus numos denuo inspexit, reperitque legendum Є. I., suntque anni imperii, ut in Pellerinianis, et Eleutheropolis, cujus urbis numi Diospolitanis multum sunt adfines.

AE. RRR.

IOPPE.

Maritima, ab antiquitate, et Andromeda ibi ceto exposita multum in fabulis illustris.

Autonomus:

Caput muliebre velatum turritum. ✠ ΙΟΠΗ. *Neptunus saxo insidens, retro* Δ. AE. II. (Pellerin.)

Scribitur plerumque geminato Π, sed tamen etiam simplice, ut videre est apud solertem Cellarium.

AE. RRRR.

NEAPOLIS.

Mediterranea ad montem Garizim, olim dicta *Sichem.* Quae fuerit mutati nominis occasio, non liquet. Verisimile videtur Norisio, circa annum V. C. 823, qui expugnatis Hierosolymis rerum novarum in hoc tractu ferax fuit, Neapolis appellationem natam, quod arguit non modo epocha hoc ipso anno ut sibi visum, coepta, sed etiam praenomen *Flaviae* in Flaviorum gratiam praefixum.

* * *

Autonomi neglecto Musseliano cum anno ΛC non exstant.

Imperatorii.

Non pauci a Tito usque ad Volusianum.

Epigraphe: ΦΛ. ΝЄΑCΠΟΛЄϹΩC, rarius in prioribus: ΦΛΑΟΥ. Additur plerumque mentio regionis, de qua infra.

Typi:

Mons, in cujus vertice templum, ad quod copiosi gradus ducunt.

Typus obvius in hujus Neapolis numis, et si quando ab alio typo hic mons extruditur, plerumque contractiore forma areae numi insidet. Est hic mons *Garizim* vetusta, sed saepe variata religione inclytus. Procopius [a]: *Est in Palaestina urbs Neapolis nomine, prope quam mons altus exsurgit, quem Garizin vocant.* Sub postremo Dario, et favente Persarum satrapa Manasses Iudaeorum summi pontificis Iaddi frater sacerdotio a suis motus, quod Samaritanam, nempe alienigenam, duxisset, facta Hierosolymis discessione templum Hierosolymitano aemulum, multorum deinceps litigiorum causam, et sacrifi-

a) de Aedif. Iust. L. V.

cia in hoc monte constituit a). Initio hoc templum deo maximo consecratum erat, at cum Iudaei graviter ab Antiocho IV. vexarentur, Samaritani, ne eadem ferre cogerentur, suam cum Iudaeis cognationem negantes, quam olim coram Alexandro M., quem Iudaeis favere viderunt, jactaverant b), et se Persarum colonos professi petierunt a rege, ut templum suum, quod nullo nomine insigniretur, Iovi Hellenio consecraretur, quod et facile permissum est c). At Iovi Hospitali volente rege dicatum narrat auctor Macchabaeorum d), et Eusebius. Facta paullo post rerum conversione Samaritani se rursum Iudaicae religioni applicuere, et coram Ptolemaeo tuiti sunt, suum in monte Garizim templum ex Mosis praescripto aedificatum esse e). Illud subinde eversum est ab Hyrcano, postquam annos CC. stetisset f), atque sic sublata annosa lis, cum Hierosolymitani apud se, Samaritani in Garizim esse offerenda sacrificia contenderent g). Istud erat, quod mulier Samaritana ad Christum dixit h): *Patres nostri* (Samaritani) *in monte hoc* (Garizim) *adoraverunt, et vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Serius templum Iovis in vertice conditum fuisse, testis est Damascius i): ἐν ᾧ Διος ὑψιστου ἁγιοτατον ἱερον, atque ut verisimile est, excisis Hierosolymis, qua aetate multae Palaestinae urbes et nomina vetera et religionem priscam abjecere. Zenonem denique in eo templum Virgini Matri dedicasse, auctor est Procopius. Hic ergo mons inde ab Antonino saepe in his numis proponitur, adstituta saepe aquila, credo, quod Iovi dicatum fuit. In numo Treboniani est medius inter solem et lunam k), in ejus uno vertice pileus Dioscurorum l), notantur etiam gradus ab imo ad summum ducti. Observante Norisio ex vetere hodoeporico anonymi *ascenduntur usque ad summum montem gradus numero CCC.*

Mulier tutulata stans d. caput virile, s. sceptrum, pede prorae imposito, Faustinae jun., Diadumeniani. (Vaill.)

De hoc typo jam egimus in Tiberiade, in numis Caesareae Palaestinae tam Graecis, quam coloniae.

Diana Ephesia spicas manu praeferens inter duos cervos.

Sic Aurelii numum describit Norisius m). Idem numus spectata aversa integerrimus est in museo Caesareo, et typus: *Mulier stans capite tutulato, inferiore corpore more Dianae Ephesiae coartato, d. elata quid instar flagelli, s. spicas, pro pedibus hinc et illinc bos turgente gibbo.* Etiam Pellerinius in suo Veri numo boves gibbosos agnoscit. Antiquarii omnes Dianam Ephesiam agnoscunt, credo propter cultus similitudinem, et creditos cervos, qui haud dubie in omnibus sunt boves, et quia attributa in numis suis aevo vitiatis non satis discrevere. Mihi verius videtur lunae simulacrum, aut quae eadem cum luna fuit, Isidis. Secundum auctorem Chronici paschalis Vespasianus, quo-

a) Ios. Ant. L. XI. c. 8. b) Ioseph l. c. c) Ios Ant L. XII. c. 5. d) L. II. c. 6. e) Ios. Ant. L. XIII. c 3. f) Ios. Ant. L. XIII. c. 9. g) Ios. Ant. L. XII. c. 1. h) Ioann. IV. i) ap. Phot. k) Pellerin Rec. III. p. X. l) ibid. m) Ep. Syrom. p. 454.

niam ad lunae jubar Hierosolymas cepit, Antiochiae aeneum lunae simulacrum statuit cum IV. tauris Hierosolymas respicientibus [a]). Luna tauris vehitur, quorsum etiam pertinet flagellum manus dexterae.

Reliqui typi: *Serapis stans, aut ejus caput, Aesculapius, Apollo, Victoria, Roma sedens, quadrigae.* In numis Titi, antequam Garizim in monetam migraret, est *Palma*, vel *urbis nomen scriptum intra lauream.*

* * *

Neocoratus: ΝΕΩΚΟΡΟΥ memoratur apud Pellerinium in binis numis, Treboniani, (Rec. III. p. X.) et Volusiani. (Mel. II.) In numis Neapolis coloniae jam sub Philippo se neocoram profitetur, ut videbimus.

* * *

Honoris titulus: ЄΠΙϹΗΜΟϹ, *illustris, nobilis.*

ΦΛ. ΝЄΑϹΠΟΛЄΩϹ. ЄΠΙϹΗΜΟΥ. ΝЄΩΚΟΡΟΥ. Treboniani. (Pellerin Rec. III. p. X.) Eusebius Abilam vocat ἐπίσημον [b]), et teste Bertio in codice Palatino Ptolemaei legitur: Αγκυρα μητροπολις ἐπισημος.

ΦΛ. ΝЄΑϹΠΟΛЄΩϹ. *Aquila expansis alis, supra quam tabella, cui inscriptum:* ЄΠΙϹΗΜΟΥ. ΝΕΩΚΟΡΟΥ. Volusiani. (Pellerin Mel. II.) Hoc epitheto nulla alia urbs gloriatur.

Perperam in simili legit Panelius: ЄΠΙ. C. ΜΙΛΟΥ. ΝΕΩΚΟΡΟΥ [c]).

* * *

Nomen ab impp.

ΦΛ. ΦΛΑΟΥ. a Flaviis Vespasianis, sub quibus aeram quoque invexit.

ΑΥΡ. ΦΛ. etc. ab Aurelio Caracallá, in cujus tantum numis legitur. (Noris, Vaill.)

* * *

Mentio situs. Hanc diligenter, sed varie notavit.

ΦΛΑΟΥ. ΝΕΑΠΟΛΙ. ΣΑΜΑΡΕΙΑΣ. vel ΣΑΜΑΡ. Titi et Domitiani. (Vaill.)

ΑΥΡ. ΦΛ. ΝЄΑϹΠΟΛЄΩϹ. CAM. Caracallae (Noris.)

ΦΛ. ΝЄΑϹΠΟΛЄΩϹ. CΥΡΙΑC. ΠΑΛΑΙCΤΙΝΗC. vel: CΥΡΙΑC. ΠΑΛΑΙCΤ. vel: CΥΡ. ΠΑΛ. Sic fere scribitur ab Antoninis usque ad Diadumenianum.

Palaestina jam passim Herodoto dicta est Syria, et Spartianus quoque hos Neapolitanos vocat Palaestinenses [d]). Vide etiam dicta supra in Caesarea sub *Metropolis*, quae eodem modo se in Palaestina Syria sitam fatetur.

ΦΛ. ΝЄΑϹΠΟΛЄΩϹ. CΥ. Maesae. (Mus. Caes.) Alexandri. (Pellerin.)

In numis post Alexandrum signatis, etiam coloniae nomine, situm non amplius indicat.

* * *

Epocha.

L. AI. Titi et Domitiani. (Vaill.) Inscriptiones anticarum non adduntur.

ЄΤ. ΠΖ. ΠΗ. M. Aurelii, Faustinae jun. In his Aurelii titulus est: ΑΥΡΗΛΙΟC. CΑΙCΑΡ. ЄΥCЄΒους CЄΒαςυ

a) p. 198 ed. Venet. b) in Onomast. c) Mem. Trev. Octob. 1737. d) in Severo.

Τιος, et caput nudum, Faustinae: ΦΑΥCΤΕΙΝΑ. CΕΒΑC. ΕΥCΕ. CΕΒΑ. ΘΥΓΑ. (Noris, Vaill. Mus. Caes.)

ΕΤ. ΠΘ. Aurelii et Faustinae jun. Tituli non produntur. (Vaill. Noris.) Secundum aliquos etiam Antonini Pii. (Noris Ep. Syrom. p. 457.)

ΕΤ. ΠΘ. L. Veri. (Pellerin Mel. II.)

ΕΤ. q. Faustinae jun. cum titulo: ΦΑΥCΤΕΙΝΑΝ. CΕΒΑCΤΗΝ. (Noris, Vaill.)

Norisius ex numis sibi cognitis censuerat, aeram Neapolis ducendam ab autumno V. C. 823, quem secuti sunt Vaillantius, aliique. Huic principio obstat numus Veri cum anno ΠΘ. Nam si hic addatur ad 823, sequeretur, numum signatum V. C. 911, at Verus primum anno V. C. 914 renunciatus est Augustus. Ergo hoc numo praecipiente altius ejus principium figi nequit, quam autumnus 825, secundum quod hic Veri numus signatus esset ab autumno V. C. 913. usque ad autumnum sequentem, quo anno mense Aprili Verus ad imperium evectus est.

Ex numo Aurelii cum anno ΠΗ, in quo is Caesar adhuc dicitur, et laurea abstinet, certi sumus, epocham non posse serius incipere, quam ab autumno V. C. 826. Nam addito numero ΠΗ emergit annus 913, a cujus autumno numus cusus esset. Iam vero M. Aurelius proximo Martio V. C. 914 Augusti titulum et insignia abstulit. Quare vi numorum hujus urbis adcurate descriptorum fluctuat aerae principium inter annos V. C. 825 et 826.

Ex his adeo certum est I. in numo Titi, quem Vaillantius ex museo regio citat, legi non posse AI, aut si istud vere legitur, numum esse Domitiani, non Titi. Revera Morellius tres hujus urbis numos cum capite Domitiani, et anno AI proponit [a]. Nam si statuamus pro aerae principio annum 825, numus Titi signatus esset ab autumno 835. Sed Titus jam in Septembri V. C. 834 diem obivit. II. Si tituli M. Aurelii in numis anno ΠΘ insignibus liberalius essent ab antiquariis descripti, haud dubie fixum haberemus epochae principium. Si enim in his Aurelius adhuc dicitur Caesar, immotum aerae initium habebimus annum V. C. 825. Hoc enim anno non potuisse incipere citius, ex L. Veri numo demonstravi. Quod si aerae exordium statuamus autumnum V. C. 826, hi Aurelii numi signati forent ab autumno 914, sed hic jam praecedente Martio Augustus dictus est. Ex quo videmus, quam inconsulte agant ii, qui partis anticae epigraphen describere negligunt ex qua pro epocharum negotio multa possunt proficua colligi. Multum Vaillantius verae suae laudi, et communi utilitati detraxit, cum per immodicam parsimoniam in plerisque suis operibus imperatorum titulos omisit. III. Si in numis quoque Antonini continetur annus ΠΘ, quod refert Patinus apud Norisium [b], alius rursum annus pro principio statui non potest, quam 825. Nam si statueretur annus sequens 826, numus cum dicto anno signatus esset ab autumno 914, verum Antoninus jam mense Martio ejusdem anni mortuus est.

a) in Domit. tab. XXII. b) l. c. p. 457.

Collectis omnibus vero simillimum est, aerae exordium ducendum ab anno V. C. 825, qui fuit annus III. Vespasiani. Hoc demum anno finitae sunt reliquiae belli Iudaici. Satis verisimile, rebus tum compositis hanc urbem variis beneficiis ornatam, et incrementis auctam, quo factum, ut *Flaviam* se compellaret, pro Sichem Neapolis nomen adoptaret, atque ab eo tempore annos suos dinumerare inciperet.

AE. vix rari.

Coloniam fuisse deductam, numi invicte docent, a quo, incertum. Primi numi, qui eam coloniam produnt, sunt cum capite Philippi. Hos vero ad hanc Neapolin, et non cognominem aliam pertinere, manifestum est ex monte Garizim, qui in omnibus omnino coloniae Neapolis numis saltem in area conspicitur, et hujus urbis numorum indubitatum κϱιτηϱιον constituit.

Quod vero in Neapolis hujus moneta singulare videmus, est, quod etiam, ex quo colonia deducta fuit, non modo offert numos cum coloniae mentione Latine inscriptos, sed etiam numos sine coloniae mentione Graece inscriptos. Ita habemus numos Treboniani et Volusiani Graecos, Philipporum et Volusiani Latinos coloniae. Istud dempta Antiochia Syriae et hac Neapoli in aliis urbibus, posteaquam coloniam recepere, insolitum. Nam ab eo tempore colonias se semper professae sunt seu praefixo COL., seu Graece ΚΟΛ., seu saltem typo, quam doctrinam alibi abunde, ut puto, stabilivi [a]). Quod ad hujus Neapolis numos attinet, facilem sibi exitum reperit Vaillantius; *quod enim etiam Graecos*, ait, *sine coloniae appellatione percussit*, *id videtur scalptorum procul dubio incuria* [b]). Quae causa fuit, cur eos nulla tactus religione coloniarum numis misceret. Inconsulta oratio. Ergo in omnibus Treboniani ac Volusiani numis Graecis, qui magno numero supersunt, et omni vitio carent, et varii sunt argumenti, incurii fuere monetarii? Aut cur, si hi quoque Neapolin, quatenus ea colonia fuit, pertinent, nihil omnino coloniae spectatis typis offerunt? non colonum arantem, non lupam cum gemellis, non Silenum, non signum militare, quae omnia insunt in numis Neapolis coloniae nomine inscriptis? An etiam in his peccatum a scalptoribus? Aliter sensit multo adcuratior Pellerinius, qui inter utrosque numos, ut oportuit, discrevit, atque alios inter coloniae numos, et alios inter imperatorios Graecos recensuit.

Aequius de hac numorum hujus urbis varietate judicavit Frölichius his verbis [c]): *mallem utraque lingua insignes numos Neapoli procusos esse*, *Latinos a deductis colonis*, *Graecos a veteribus incolis*, *prisco suo more*, quam sententiam valere etiam ad Antiochiam copiose comprobavi [d]). Occurrit re iterum expensa, regulam a me propositam, urbes, ex quo coloniae factae sunt, non amplius nisi coloniae confessione feriisse monetam, forte a contrario apud Neapolin instituto non infringi. Fieri poterat, ut quae a Philippo deducta fuit colonia, Treboniano imperante deductis forte aliorsum militibus emeritis, qui

a) Num. vet. p. 233. b) in Colon. p. 216. c) IV. Tent. p. 348. d) l. c.

coloniam constituerunt, coloniae jura amitteret, quo facto oppidani Graeci libertati suae restituti vetus feriundae monetae institutum fuissent secuti. Hoc eo verisimile fit, quod revera cum capite Philippi nullum habemus numum Graecum, Latini coloniae abundant; sub imperio Treboniani binos tantum Volusiani Latinos, at copiosos Treboniani et Volusiani Graecos, ut videre est apud Vaillantium, et in aliis catalogis. Coloniae jura nonnunquam fuisse ablata, supra in Tyri moneta aperte vidimus, tum et Lampsaci Mysiae, et videbimus infra in Nicopoli Iudaeae.

Coloniae ergo Neapolis numos habemus sub Philippis, et post hos binos tantum Volusiani. Insolens epigraphe: I. I. M. M. C. C. PHILIPPIS - - - - *Capita Philipporum jugata.* (Pellerin Mel. I. tab. XXI. n. 3.)

Epigraphe coloniae: COL. NEAPOL. vel: COL. SERG. NEAPOL. vel: COL. NEAPOL. NEOKORO. vel: COL. PVL. NEAPO.

Typi:

Mons Garizim in omnibus, saltem in numorum area.

Cybele, *Aesculapius cum Hygia*, tum sueti coloniae typi: *Lupa cum gemellis*, *colonus arans*, *Silenus*.

Typus insolentior: *Iuppiter stans, ex adverso aquila supra columellam, et signum militare, in horum medio aries juxta spicas*, Volusiani. (Vaill.) Difficilis explicatus.

* * *

Neocoratus, NEOKORO. in quibusdam Philippi numis scribitur. In Graecis, ut dictum, etiam serius.

* * *

Titulus SERG. in compluribus Philippi, et successit in locum *Flaviae*, quem numi Graeci constanter praeferunt. Quid nomen SERG. notet, et quomodo explendum, nondum exploratum. Vaillantii conjectura, qui *Sergiam* censet appellatam, quod forte colonis Sergiae tribui adscriptis constiterit, nondum eruditorum omnium suffragia abstulit. Hoc modo Iconium quoque dici posset tribui Aeliae subjectum, quia in numis *Aelium* dicitur.

PVL. in numo Philippi, quod Pellerinius explet PVL*chra*, quia Smyrna quoque se a *pulchritudine*, ΚΑΛΛЄΙ, laudat. Videtur τo PVL. perinde a quodam nomine proprio deducendum, ac τo SERG.

AE. RR.

NYSA.

Vide infra *Scythopolis*.

RAMATHA.

Numum Augusti a Vaillantio huic urbi tributum verius esse Claudii, et Canathae Decapoleos judicio Belleyi et Pellerinii, in hujus urbis numis diximus.

SCYTHOPOLIS.

Prope, sed tamen cis Iordanem, et Decapoli adnumerata est a Iosepho et Plinio. Antiquissimum nomen fuit *Bethsan*, quare verterunt LXX. την Βηθσαν, ἡ ἐςι Σκυθων πολις a), atque in eadem

a) Iudic. I. 27.

verba aliquoties Iosephus. Dicta etiam fuit *Nysa*. Plinius: *Scythopolin antea Nysam, a Libero patre, sepulta nutrice ibi, deductis Scythis*, et confirmatur numis. Ex Stephano omnia tria nomina colliguntur, sed corrupto textu, quem facile sic restituit Pinedus: ΣΚΥΘΟΠΟΛΙΣ Παλαιστινης πολις, ἡ Νυσσ Κοιλης Συριας, Σκυθων πολις, προτερον λεγομενη Βαιθσαν. Scythopolis denique nomen maxime usitatum, cujus appellationis originem statuit Eusebius [a]), Σκυθαι την Παλαιστινην κατεδραμον, και την Βασαν κατεσχον, την ἐξ ἀυτων κληθεισαν Σκυθοπολιν, *Scythae Palaestinam invaserunt, et Basan occuparunt, a se dictam Scythopolin*. Plura de hoc nomine ex Herodoto vide apud Cellarium, et Belleyum, qui hujus urbis historiam, et numismata omnia, quotquot hactenus nota sunt, erudite illustravit [b]).

Imperatorii

Neronis, Getae, Gordiani. Domnae unum nuper museo Caesareo acquisivi.

Epigraphe: ΝΥCΑ, vel ΝΥCΑΙΕWΝ. ΤWΝ. ΚΑΙ. CΚΥΘΟΠΟΛΙΤΩΝ. in numis Neronis. CΚΥΘΟΠ - - - Getae. ΝΥC. CΚΥΘΟ. ΙΕΡΑC. vel: ΝΥC. CΚΥΘΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΙΕΡΑ. ΑCΥ. Gordiani. Satis ex his apparet, male a Vaillantio Nysae Cariae tributum numum Gordiani, in quo legit: ΝΥCC. ΚΥΘΟ. ΙΕΡΑC. quod ante Pellerinium [c]) jam vidit Harduinus.

Typi: Mulier capite turrita stans d. caput humanum tenet, s. hastae innixa, Neronis. De hoc typo in Tiberiade et alibi. Reliquos typos parum illustres vide apud Belleyum. Ignoti fuere Belleyo:

ΝΥC. CΚΥ. - - - ΡΑC. *Duae mulieres stolatae stantes, quarum dexterior d. facem, ut videtur, sinisterior galeata d. hastam tenet*, Domnae. (Mus. Caes.) Videntur esse Diana Lucifera, et Pallas.

ΝΥC - - - - *Bacchus nudus gradiens d. thyrsum transversum, pro pedibus hinc panthera deum suum suspiciens, illinc Priapus, in area* ΔΤ. Gordiani. (Mus. Caes.)

Epocha:

L. Ρ. ΡΑ. ΕΙΡ. Neronis. (Belley.)
ΔΝC. Getae Caesaris. (Belley.)
ΔΤ. Gordiani. (Mus. Caes.)

Liebeus ex anno ΕΙΡ. epocham orsus est ab autumno V. C. 697 [d]), sed vetant hoc anni Ρ. ΡΑ. in numis Neronis serius cognitis; nam hi concurrerent cum annis 796, 797, quibus Nero adoptatus nondum fuit. Censet ergo Belleyus, quantum argui ex paucis his numis potest, epocham esse Caesarianam ducendam ab autumno V. C. 706. Ex hac lege numi Ρ et ΡΑ. signati sunt annis 805, 806, quibus adoptatus jam fuit Nero, sed nondum Augustus, cum qua concordat quidem etiam epigraphe numi anno ΡΑ. inscripti: ΝΕΡΩΝ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ. ΚΑισαρος ΣΕΒΑΣΤου Υιος, quae fuit formula Caesarum, ut paullo supra in numis M. Aurelii apud Neapolin signatis vidimus. Istud tamen

a) Chron. L. I. b) B. L. T. XXVI. p. 415. c) Mel. II. p. 202. d) Goth. num. p. 336.

mirum, non modo in numo PA, sed etiam P. jam occurrere caput Neronis laureatum, quo cultu, saltem in numis commatis Romani, ante Claudii mortem non proponitur. At Belleyi calculum nimis turbat numus Gordiani cum anno ΔT, qui ductus ab anno 706 ejus imperium annis XII. excedit. Quare ejus verum initium adhuc in incerto est.

AE. RRR.

SEBASTE.

Olim Samaria, post divisionem Israelis regum sedes, a qua regio tota dicta fuit Samaritis. Exstructo in vicino monte Garizim templo perpetua Iudaeis irarum propter religionem causa, ut latius supra in Neapoli exposui, ac propterea ab Hyrcano annua obsidione penitus eversa, refecta deinde a Gabinio Syriae praeside, denique regiam faciem accepit beneficio Herodis M., qui eam in honorem Augusti *Sebasten* appellavit. Haec Cellarius ex Iosepho, aliisque.

Imperatorii

Aliquot proditi a Nerone usque ad Domnam. Inscriptio capitis in his Latina est, saltem in numis Domitiani et Commodi, ut videre est apud Norisium [a]), et Liebeum [b]).

Epigraphe urbis: ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. Plerumque adjicitur CΤΡ. vel CΤΡΙΑC, et ubi istud deest, juvant epochae anni, ne in aliam Sebasten numos transferamus.

Typi:

Mulier capite tutulato stans d. caput humanum, s. hastam, pede fluvio emergenti imposito, Neronis. (Vaill.)

Typus in hoc tractu obvius, de quo egi in numis Tiberiadis, et Caesareae coloniae ejusdem Samaritidos.

Iuppiter, *Ceres*, *Mars*, *Victoria*, *cista Bacchi*, quos depictos vide apud Norisium [c]), et Arigonium.

Epocha:

qA. Neronis. (Vaill.)

L. ΘΡ. Domitiani. (Noris, Vaill. Morelli.)

PI. Ejusdem. (Liebe p. 337.)

PMA. Trajani. (Arigoni.)

L. CIЄ. CIϛ. Commodi. (Noris, Vaill. Theup.)

L. CK. Domnae. (Vaill.)

Norisius hanc aeram ducendam censet a Sebastes natalibus. Aedificatam ab Herode M. V. C. 729 erudite probat. Numi serius reperti huic principio non obstant. Numus Trajani PMA vetat, cum is annus ejus imperatoris postremus sit, ejus initium sequenti alteri anno adfigi. Numi citati annos aliquot anteriores admittunt, ut revera Harduinus annum 727 [d]), Frölichius [e]) 728 praeferunt. Ex his corrigendus Eusebius, qui in chronico suo canone Sebasten conditam ait anno III. Olymp. CXC., qui respondet anno V. C. 736.

AE. RR.

Coloniam deductam fuisse Sebasten do-

a) Ep. Syrom. p. 444. 445. b) pag. 337. c) l. c. et p. 492. d) Chron. vet. test. e) Not. elem.

cet Vlpianus [a]). *Divus quoque Severus in Sebastenam civitatem coloniam deduxit*, et confirmatur numis. De anno non constat. Ex numo Graeco Domnae supra citato cum anno CK certum est, eam V. C. 948 coloniam nondum fuisse.

Domnae binos edidit Vaillantius, binos Caracallae Blondius. Caracallae et Getae singuli museo Caesareo accesserunt, quos stiti in mea Sylloge I.

ΚΟΛ. CΕΒΑCΤΕ. *Templum, in quo tres figurae stantes*, Domnae.

COL. SEBASTE. *Imperator paludatus stans inter Victoriam, et urbis genium muliebrem*, Domnae.

COL. L. SEP. SEBASTE. *Colonus arans*, in alio: *Mulier stans d. vexillum, s. spicas*, Caracallae.

COL. L. S. SEBASTE. *Imp. togatus stans ad aram sacrificat, s. cornucopiae*, Getae. (Mus. Caes.)

COL. L. SEP. SEBASTE. *Pluto in quadrigis Proserpinam rapit volante supra Victoria*, Domnae, Caracallae. (Mus. Caes. et Neumann.)

* * *

Nomen ab imperatore L. SEP*timio Severo* conditore.

AE. RR.

I V D A E A.

Exstant numi Titi: ΙΟΤΔΑΙΑΣ. ΕΑΛΩΚΤΙΑΣ. *Iudaeae captae.* Typus: *Tropaeum, juxta quod Iudaea moesta sedens.* In aliis: *Victoria inscribens clypeo palmae appenso* [b]). Numus Pellerinianus ipsum scriptum ΝΙΚΗ. ΚΑΙC. indicat [c]). Verum hi numi moneta Iudaica non sunt, sed in urbe quapiam Graeca ad celebrandam Titi de capta Iudaea gloriam signati.

De numis Iudaicis charactere Samaritano inscriptis agetur post numos Iudaeae.

AE. RR.

AELIA CAPITOLINA.

Olim Hierosolyma, quo nomine siclos literis Samaritanis inscriptos infra in numis Iudaicis proferemus. Ab Aelio Hadriano urbis restitutore et coloniae conditore dicta *Aelia*, ac praeterea *Capitolina* ab Iove Capitolino, cujus honori ibi Hadrianus templum struxit, ut refert Xiphilinus ex Dione [d]): *ubi templum dei fuerat, alterum Iovi aedificari curavit.* Hic Iuppiter Capitolinus jam inde a Tito Iudaeis fuit fatalis, cum jussi sunt didrachmum, quod prius ex lege in templi

a) de Censib. b) Beger Th. Br. T. III. p. 105. c) Rec. III. tab. 134. n. 1. d) L. LXIX. c. 12.

Hierosolymitani usus pependerant, Iovi Capitolino pendere, de quo agemus uberius in numis Flaviorum commatis Romani.

Coloniae hujus numi sunt ab Hadriano usque ad Hostilianum.

Epigraphe:

COL. AEL. CAP. etiam AELIA. in obviis.

CO. AE. CA. Antonini, (Mus. Caes. Pellerin.) Caracallae. (Liebe.) In simili numo Vaillantius et Harduinus legerunt C. A. O. A. F., eumque tribuerunt Oeae Africae, quos adeo jure perstrinxit Pellerinius [a]).

COL. AEL. CAP. COMM. nempe *Commodiana*, saepe in numis Pescennii, Severi, Diadumeniani, Elagabali, Decii, Herennii. Videtur Aelia magnis a Commodo beneficiis fuisse adfecta, quia nomen ejus tamdiu inscripserat.

COL. AEL. CAP. COMM. P. F. *intra lauream*, nimirum P*ia* F*elix*, quo utroque nomine conjuncto primus usus est Commodus, in numo Decii. (Vaill. Panel Mem. Trev.)

COL. AEL. CAPIT. COND. *Colonus arans, pone signum militare*, Hadriani. (Pellerin Mel. I. p. 239.) In hoc Aelia COND*itorem* Hadrianum profitetur.

C. A. C. *Astarte stans in templo 4 col. (in aliis templum abest) d. caput humanum, s. hastam, d. pede fluvium emergentem calcat.* In aliis: *Aquila expansis alis insistens fulmini*, sunt omnes Antonini, priores apud Vaillantium, posterior apud Pellerinium. (Suppl. II. p. 46.)

Numi hi quorsum pertineant, inter eruditos lis est. Vaillantius epigraphen legit: C*olonia* A*elia* C*apitolina* Pellerinius post Harduinum C*olonia* A*ugusta* C*aesarensis*, eosque adeo Caesareae Samaritidos seu Palaestinae tribuit [b]). Si solam epigraphen in consilium adhibeamus, durabit lis. Nam ut Aelii Capitolini scribere in numis potuere CO. AE. CA., et Caesarenses C. AVG. CAESAR in numo Trajani apud Pellerinium, sic utrique oppidani in moneta nomen coloniae suae majore compendio siglis C. A. C. potuerunt indicare. Ad typos ergo provocat Pellerinius [c]). Astarten sic stantem videt in certis Caesareae numis, ut et aquilam in numo Lucii Caesaris inscripto ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. Verum inutilis utraque provocatio. Nam ut Astarte hoc cultu est in numis certis Caesareae, sic etiam in certis Aeliae inscriptis COL. AEL. CAP., qui sunt apud Vaillantium in Aurelio et Severo. Numum alterum Graecum Lucii cum typo aquilae esse verius Caesareae Bithyniae, in hujus moneta adserui; quid quod in hoc numo aquila non insistit fulmini, quod tamen fieri videmus in numo cum epigraphe C. A. C. Quare neque typi Pellerinio patrocinantur. Quin spectatis his magis credam numos hos Aeliae tribuendos, nam habemus ejus certum numum cum capite Hadriani, in quo similis aquila expansis alis fulmini super signo militari insistit [d]). Verius igitur numi sic inscripti sunt Aeliae Capitolinae, atque id tanto magis, quoniam Caesarenses in Coloniae numis vix unquam copiosos suos titulos omisere. Mirari ergo desinet Pellerinius, typum aquilae in

---

a) Mel. I. p. 277. b) l. c. c) Mel. I. p. 275, et Suppl. II. p. 47. d) Vaill.

nullo alio Caesareae Palaestinae numo comparere.

ΚΟΛ. ΑΙΛ. ΚΑ. *Templum 4. col., intra quod tria idola cylindri specie*, Severi. (Pellerin, Mus. Caes.)

Insolens prorsus epigraphe Graeca in hujus coloniae numis, cum ea ante et post Severum Latina uteretur. Dubium non videtur, aetate, qua numi hi signati sunt, colonis Graecis magis fuisse frequentatam, atque adeo hos non modo patriam suam epigraphen, sed etiam peregrinos suos deos cylindri specie, qua hi forma in aliis Aeliae numis cum inscriptione Latina nunquam, at frequenter in numis Cypri et Pergae finguntur, monetae intulisse. Verisimiliter tribus his cylindris professi sunt oppidani cultum Veneris Paphiae, ut Pergameni quoque ac Sardiani; alioqui teste Pausania [a]) Paphii sacros Veneris suae ritus cum Ascalonitis Palaestinae communicavere. Narrat Malala [b]), Hadrianum Graecis Aeliam habitandam concessisse, et externas eo nationes deductas, perhibet Dio [c]). Etiam Sebastenos Samariae in numis uno eodemque tempore signatis variasse linguam vidimus.

Typi reliqui:

Iuppiter sedens in templo, cui a dextris adstat Pallas, a sinistris genius urbis muliebris, Hadriani, Diadumeniani. (Vaill.)

Est hic Iuppiter Capitolinus urbis praestes. Figura sinisterior, quam urbis genium dicit Vaillantius, forte verius est Iuno, praecipue cum hastam teneat, quae rarius in geniorum manibus est, atque sic tanto certius erit Iuppiter Capitolinus, qui Palladem inter et Iunonem considens fingi solet, de quo vide, quae notabimus in numis Vespasiani commatis Romani ad annum V. C. 824.

Caput Serapidis, Solis, Bacchus, tropaeum, aquila legionaria, colonus arans. Rarior typus: *Dioscuri stantes* media aquila. (Liebe.)

AE. R.

AGRIPPIAS, ANTHEDON.

Maritima. Vetus nomen Anthedon, sed urbem ornavit Herodes M., et in Agrippae honorem Agrippiadem dixit, ut narrat Iosephus [d]).

Autonomi:

Caput muliebre velatum. Ꮍ ΑΓΡΙΠ-ΠΕΩΝ. *Navis.* AE. (Haym. T. I. p. m. 237.)

Similem addidit Pellerinius, in quo praeterea L. IH., qui annus an ab epocha procedat, an tempus imperii notet, incertos nos relinquit.

AE. RRRR.

Imperatorii:

Caracallae unum promulgavit Patinus (Num. impp.): ΑΝΘΗΔΟΝΟϹ. *Astarte capite turrito stans in templo s. hastam, d. pede prorae navis insistens.*

Alium ejusdem: ΑΝΘΗΔ. cum anno

---

a) in Attic. c. 14. b) Chron. L. XI. p. m. 119. c) L. LXIX. §. 12. d) Ant. L. XIII. et Bell. L. I.

vitiato, et eodem typo Vaillantius ex museo regio dedit.

AE. RRRR.

ASCALON.

Maritima, cujus origo fabulis involvitur, ceterum perantiqua, nam ex Iosue discimus, fuisse jam tum unum ex V. satrapiis Philistiim. Iudaeis nunquam subjecta fuit, etsi tota circum vicinia iis pareret. Numos habet regios, autonomos, imperatorios.

Regii:

Antiochi IV. *Caput regis radiatum.* ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΑΣ. ΔΜΡ. *vel* ΕΜΡ. *Iuppiter seminudus stans d. elata coronam, s. pallio involuta.* AE. (Pellerin Rois.)

Antiochi VIII. *Caput diadematum.* ℞ ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΣ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ΕΣ. *Aquila stans cum ramo palmae.* AR. (Fröl. Ann. Syr. p. 101.)

De his numis agetur infra in epocha.

Autonomi:

Caput juvenile nudum. ℞ ΑΣ. *Duo Hermae acutis pileis tecti.* AE. (Pellerin.)

Videntur esse Cabiri, vel Dioscuri.

Caput Solis radiatum. ℞ ΑΣ. *Navis.* AE. (Pellerin.)

Caput juvenile. ℞ ΑΣΚΑ. ΙΕΡΑ. Κ. Α. *Navis.* AE. (Pellerin.)

Caput muliebre velatum turritum. ℞ ΑΣ. Π. *Navis.* AR. III. (Pellerin.) Vnicus ex hoc metallo inter autonomos.

Caput simile. ℞ ΠΡ. ΑΣ. *Navis.* AE. (Pellerin.)

Similem edidit Haymius, sed cum totam scripturam in unum vocabulum conjungeret, effecit numum Prasiorum Laconiae [a]).

ΑΣ. *Caput simile.* ℞ ΘΠΡ. *Navis.* AE. (Pellerin.)

Caput Iovis. ℞ ΑΣ. *Aquila fulmini insistens transverso palmae ramo, annus* ΘΙ. *vel* ΘΡ. Mallem priorem numerum, nam fabrica remotius aevum sapit. AE. (Mus. Caes.)

ΑΣΚΑ. *Caput muliebre velatum turritum.* ℞ ΗqΡ. ΙΣ. *Navis.* AE. (Mus. Caes. Hunter.)

Anni epochae explicabuntur in imperatoriis.

AR. RRRR. AE. RR.

Imperatorii:

Ab Augusto usque ad Alexandrum. Observandum, in his primos imperatores, etiam Augusto posteriores, solo nomine ΣΕΒΑΣΤΟΣ omisso nomine proprio, inscribi, et istud observari adhuc in Hadriano, quem morem et vicinae Gazae aliquamdiu placuisse video.

Epigraphe: ΑΣ. ΑΣΚΑ. ΑΣΚΑΛΩ. nullo alio in his titulo addito, solis epochae annis conspicuis.

* * *

Typi:

Mulier insistens prorae navis capite turrito d. hastam, quae superne saepe in crucem exit, s. quid instar acrosto-

a) T. II. p. m. 170.

lii, in area hinc columba, inde ara, quae saepe tridentis, alias I speciem praebet. Typus obvius. Huic conjungo alium:

Mulier cum luna in capite s. hastam, d. columbam insistit mulieri in piscem desinenti, Antonini, Severi, Elagabali. (Vaill. Noris.) Pro muliere Tritonem aliquoties dixit Vaillantius. In pictura numi Severi apud Norisium est Centaurus marinus. (Ep. Syrom. p. 486.)

Hos numos erudite explicat Norisius ex Diodoro [a]). Narrat is, prope Ascalonem esse profundum lacum, et in vicinia deae templum, quam Derceto Syri vocant, facie mulierem, inferiore corpore piscem. Huic aliquando, antequam haec metamorphosis perageretur, iratam Venerem Syri cujusdam juvenis amorem injecisse, ex qua consuetudine cum ei filia nasceretur, eam prae pudore in deserto exposuisse, at semetipsam abjecisse in lacum, postea aliqua sui parte piscem induisse. Puellam multo tempore a columbis nutritam evulgato denique prodigio a pastoribus educatam, dictamque ab eventu Semiramidem, postremo post varias vices Nino Assyriae regi nuptam. Addit, ob hanc Dercetus religionem Syros abstinere piscibus tanquam sacris. Tradit etiam ex Philone Eusebius [b]), Ascalonitas columbis perinde abstinere, haud dubie ob honorem puellae ab his nutritae. Est igitur in numo priore Semiramis, quam columba rite discernit. In altero ea ipsa fingitur insistens matri Derceto parte feminae, parte pisci. Hujus etiam meminit Ovidius [c]):

de te Babylonia narret,
Derceti, quam versa squamis velantibus artus
Stagna Palaestini credunt coluisse figura.

Lucianus quoque narrat, se Dercetus imaginem vidisse in Phoenicia parte mulierem, a femoribus ad pedes piscem. Addit, Phoenices piscem non attingere, et ex avibus intactas relinquere columbas, idque fieri Dercetus et Semiramidis gratia, illud, quia Derceto piscis formam habet, hoc, quia Semiramis in columbam mutata est [d]). Etiam Cicero [e]): *piscem Syri venerantur.* De antiquissimo Veneris Coelestis apud Ascalonem fano vide Herodotum [f]), de Syris ἀπιχθυσι vide, quae observat Carolus Neapolis [g]), de columba, quod canit Tibullus [h]).

Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palaestino sancta columba suo.

Videtur Artemidorus hanc Derceto cum Astarte confundere. Ait enim [i]): ἰχθυας παντες ἐσθιουσι πλην Συρων τινων των την Ασταρτην σεβομενων, *piscibus omnes vescuntur exceptis Syris quibusdam, qui Astarten colunt.*

* * *

Figura militaris stans d. gladium erigit, s. clypeum et palmae ramum, obvius typus in numis Flaviorum, et aliquanto serius.

---

a) L. II. c. 4. b) Praepar. Ev. c. 5. c) Met. L. IV. 44. d) de Dea Syr. e) Nat. deor. L. III. c. 15. f) L. I. §. 105. g) ad Ovid. Fast. II. 473. h) L. I. eleg. VIII. 17. i) Oneirocr.

Mulier gubernaculo insidens s. cornucopiae, Neronis. (Vaill.)

Neptunus stans cum Delphino, Antonini. (Noris.)

* * *

Sacra et *asylum*, in citatis regio et autonomo. His aliisque omnibus titulis prorsus abstinet in imperatoriis.

* * *

Epocha I. Seleucidarum. Hanc manifestant numi regii. In numis Antiochi IV. sunt anni ΔΜΡ. ΕΜΡ., qui respondent annis V. C. 585. 586. Ascalon, quae primum Ptolemaeis, atque adhuc Evergetae teste Iosepho paruit, tandem armis Antiochi M. cum tota Palaestina Syriae addita fuit.

In numo Antiochi VIII. legitur annus ΕΣ, respondens anno V. C. 646. Ergo hoc anno Ascalon adhuc Seleucidis paruit, etsi omnis reliqua vicinia Iudaeis jam tum subjecta fuerit, de quo videatur Norisius [a]). Quatuor annis serius Ascalon novam aeram inchoavit, de qua mox. Haec Seleucidarum aera ignota fuit Norisio.

Epocha II. propria.

ΑΡ. ΒΡ. $\frac{\text{ϛN}}{\text{BP}}$ ΓΡ. ΘΡ. ΓΙΡ. in numis Augusti. (Vaill. Noris, Mus. Caes. Pellerin Mel. II. p. 316.)

ΑΚΡ. ΑΛΡ. ΕΛΡ. Tiberii. (Vaill. Pellerin l. c. Mus. Caes.)

ϛΝΡ. Claudii. (Vaill. Morelli.) In museo Theupoli citatur numus Claudii cum anno ΒΞΡ., sed hic aut est Neronis, aut inest alius annus.

ΑΟΡ. Neronis (Vaill. Noris.) Vaillantius eidem Neroni tribuit numos cum annis ΒΟΡ. ΡΟΕ. [b]) sed ipse in eodem opere se retractat [c]), aitque esse Vespasiani. Multo magis ejusdem Vespasiani est numus ϛΟΡ ab Arigonio Neroni tributus. Causa frequentium sphalmatum est, quod ut supra innui, hac aetate propria Augustorum nomina numis inscripta non fuere.

ΒΟΡ. ΡΟΕ. Vespasiani. (Vaill. Num. Graec. p. 259.)

ϛΟΡ. Vespasiani et Titi. (Mus. Caes. Pellerin Mel. II. p. 316.)

ΒΠΡ. Titi. (Noris, Theup. Morelli Impp.)

ΘΠΡ. qΡ. ΗqΡ. Domitiani. (Vaill. Pellerin l. c. Mus. Caes.)

ΘΣ. ΑΙΣ. ΓΙΣ. ΔΙΣ. ϛΙΣ. ΖΙΣ. ΚΣ. Trajani. (Pellerin, Mus. Caes.)

ΓΚC. ЄΚC. ЄΛC. juxta Є. Hadriani. (Pellerin, Liebe.)

ЄΝC. ϛΝC. ΞC. ΑΞC. ΒΞC. Antonini. (Vaill. Mus. Caes. Theup.)

ΑΤ. Severi. (Vaill. Noris.)

ΑΚΤ. Elagabali. (Vaill. Noris.)

ΒΛΤ. Alexandri. (Vaill.)

Alteram hanc Ascalonitarum aeram Norisius deduxit ab anno V. C. 650., secutus cum scriptores, tum numos. Eusebius in Chronico ad annum I. Olympiadis 264 haec habet: *Secundo anno Probi juxta Antiochenos annus* 325 *fuit*, *juxta Tyrios* 402, *juxta Laodicenos* 324, *juxta Edessenos* 588, *juxta Ascalonitas* 380. Annus II. Probi componitur cum anno V. C. 1030. Si ergo retro numerentur anni 380 Ascalonitarum, inhibemur ad annum V. C. 650. Etiam auctor Chronici Alexandrini ad annum I. Olympiadis 169 notat: *Asca-*

a) Ep. Syrom. p. 429. b) Num. Graec. p. 16. c) pag. 259.

lonitae hinc sua tempora numerant. Respondet autem hic annus anno V. C. 650. Idem principium stabiliunt numi; nam numus Vespasiani cum anno BOP., et Elagabali cum anno AKT. probant, eam non potuisse incipere citius, et numus Neronis cum anno AOP et alter Trajani cum anno KΣ, non potuisse incipere serius. Causam constitutae aerae non produnt auctores, sed facile est eam ab exemplis finitimarum urbium petere, quae excusso Seleucidarum jugo autonomiam sibi circum haec tempora peperere, quas inter etiam nostra Ascalon numeranda. Docuit Pagius [a]), eam deducendam ab Aristobulo, qui ex Hasamonaeorum gente primus se regem dixit. Sed non satis conspirant tempora, quae ipse alibi dictavit [b]).

Ad hanc epocham etiam exigendi sunt anni in omnibus supra citatis autonomis contenti.

Epocha III. proditur in insigni numo Augusti, quem edidit Pellerinius [c]), et qui est etiam in museo Caesareo. In hujus aversa duplex aera notatur, scripta sic: $\frac{\varsigma N}{BP}$ Certum est, inferiorem annum esse epochae II. orsae ab autumno V. C. 650. Est adeo numus hic signatus ab autumno V. C. 751. Quare initium epochae anni ςN figendum ab autumno 696. Huic enim si addatur ςN, seu 56 detracta unitate, adhaerebimus pariter ad autumnum 751. Non aliud habemus luculentius exemplum aerae duplicis uno eodemque tempore usurpatae. Hanc alteram epocham Pellerinius Pompejanam vocat, quoniam hoc quoque anno, aut sequente Pompejus Raphiae vicinae libertatem concessit, propter quam etiam haec aeram auspicata est ab anno V. C. 697 [d]). At fallitur vir eruditus. Pompejus enim non annis V. C. 696, et 697, quibus ipsi cum rebus Syriae nihil amplius negotii fuit, sed 691 Raphiam et vicinas urbes liberas esse jussit. Aliam stabilitae aerae causam suggerit Iosephus [e]). Narrat is, Gabinium Syriae praesidem obivisse Iudaeam, urbesque eversas instaurasse, inter quas nominat Samariam, Azotum, Scythopolin, Anthedonem, Raphiam, Doram, Marissam, Gazam, et alias, ut addit, non paucas. Fuere hae urbes circum ipsam Ascalonem sitae, ut adeo verisimile sit, ea occasione Ascaloni quoque aliquid beneficii impensum. Certum autem est, Gabinium anno V. C. 697, postquam consulatu decessit, in Syriam missum. Cum igitur hoc anno beneficiis a Gabinio donati aeram inchoarent, ejus principium autumno praecedenti, qui fuit V. C. 696, ut in eo tractu mos obtinuit, illigaverunt. Haec scripseram, cum forte fortuna observavi, Pellerinium sive immemorem eorum, quae scripserat, sive meliora edoctum, causam hujus epochae ad eadem, quae dixi, Gabinii beneficia revocasse [f]).

Epocham IV., et quidem Alexandri M., agnoscit Pellerinius ex hujus urbis tetradrachmis ejus regis nomine signatis [g]), sed quam conjecturam in hujus regis moneta refutavimus.

AE. vix R.

---

a) Crit. Bar. ad V. C. 1030. §. 6. b) Apparat. Chron. §. 45. 46. c) Rec. II. p. 236. d) Mel. II. p. 315. e) Ant. L. XIV. c. 5. §. 3. f) Mel. I. p. 117. g) Mel. I. p. 115.

AZOTVS.

Maritima prope Ascalonem.

Imperatorii:

Vnius tantum generis exstant:

Caput Severi. ✕ ΙΟΤΛ. ΔΟΜΝΑ. ΤΤΧΗ. ΑCΩΤΙΩΝ. *Protome Domnae in templo distylo.* (Vaill. Mus. Caes.)

In numis urbs scribitur *Asotus*, at scriptoribus est *Azotus*, quamquam et Harduinus numum citet inscriptum ΑΖΩΤΙΩΝ.

AE. RRR.

ELEVTHEROPOLIS.

Mediterranea. Quod fuerit vetus ejus nomen, non satis certo constat. Ejus numos, et historiam descripsit Belleyus [a]).

Imperatorii:

Domnae et Caracallae.

Epigraphe: Λ. CЄΠ. CЄ. ЄΛЄΤΘЄ. *Victoria gradiens.*

Anni imperii: Є. Η. et Є. Θ.

Nomen ab imperatore. Vocat se *Luciam Septimiam Severianam.* Causa petenda est ex iis, quae ad Diospolin Samariae monui. Nam hujus, et Eleutheropolis numi spectata epigraphe plene conspirant.

Numos Eleutheropolis reperies apud Haymium [b]), Pellerinium [c]), et Belleyum [d]).

AR. RRR.

GAZA.

Maritima versus Aegyptum, urbs longae vetustatis, in sacris literis dicta עזה, et una ex satrapiis Philisthiim. Quae ad urbis historiam, numorum typos, ac praecipue epocham pertinent, vix aliquid desiderari patitur eruditissimus ac ingeniosus Norisius in opere de Epocha Syromacedonum inde a p. 403, cujus industria de urbis hujus moneta agentem plerumque sublevavit.

Autonomi:

Horum nullus ante Pellerinium cognitus, qui tres reperit. His binos addidit Hunterus.

Caput muliebre turritum. ✕ ΓΑ. *Signum* Ꮒ *majore forma totum aversae typum constituens, in area* L. ΙC. AE. I. (Pellerin.)

Signum istud, ut hic generatim moneam, ita numorum hujus urbis, etiam imperatoriorum, notam characteristicam constituit, ut murex Tyriorum, folium apii Selinuntiorum monetae etc. Certe in numis plerisque saltem minutiore forma areae adfigitur. Ejus signi explicatus a paucis hactenus, quod norim, tentatus est, credo, quod taedebat viros eruditos vanas conjecturas nectere. Suboluit Harduino, esse monogramma ex Γ et Ι contextum, significans Γαζα Ιω, nam ex gemino Γ alteram notam contextam esse, ut quacunque aspicias, Γ occurrat [e]). Laudemus ingenium. Cum illud aliquam triquetrae speciem prae-

---

a) B. L. T. XXVI. p 429. b) T. I. p. m. 266. c) Rec. III. p. 247. d) l. c. e) Opp. sel. p. 781. col. 1.

ferat, qua varias Argivorum colonias usas fuisse constat, et ex variorum testimoniis constet etiam, Io Argivam Gazae substitisse, ut infra dicetur, verisimile aliquando censui, Gazaeos hoc signo suam ab Argivis originem voluisse indicare a). Verum conjecturae modicum inesse pondus ipse satis sentio. Abbas Mignot conjicit esse *Mem* Phoenicium, sed ejus se significationem ignorare profitetur b).

Caput Iovis laur. ℞ ΔΗΜΟC. ΓΑΖΑΕΩ. ΙΕΡ. ΑΣΤ. *Mulier tutulata stans d. pateram, s. cornucopiae, in area* Ή *et* L. IE. AE. III. (Pellerin.)

Caput muliebre turritum. ℞ ΔΗΜΟΥ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΓΑΖΗ. - - *Figura stans d. elata coronam.* AE. II. (Hunter.)

Inscriptum utrique numo ΔΗΜΟC. singulare prorsus est, et in omni hoc Syriae late sumptae tractu praeterquam in Tabarum Decapoleos numo nunquam, quod hactenus sciatur, usitatum. Huic et praecedenti numo inscribitur annus IE. Alteram hanc notam Pellerinius pro Σ habet, legitque adeo 210, et utrumque numum vi epochae ab anno V. C. 693 deductae signatum V. C. 903. At verisimilius videtur, alteram hanc notam esse episemon, id est, senarii notam, non sigma, et indicari annum XVI. ab aera Gazae V. C. 693 ducendum. Nam primum, si nota illa esset sigma, haberemus in uno eodemque numo eam literam triplice varia forma signatam, nempe Σ, C, et E, quod minus verisimile. Deinde typus horum numorum cum simplex, tum venustus magis videtur convenire anno V. C. 708, quam 903, quod non obscure colligunt oculi longiore usu ad dignoscendam numorum aetatem condocefacti.

ΜΕΙΝΩ. *Vir militaris capite galeato et habitu succincto stans d. ramum oblongum adprehendit, s. sceptrum.* ℞ ΓΑΖΑ. Γ. ΕΠ. BqP. (qP sunt in monogrammate) *Frutex.* AE. III. (Pellerin.)

De nomine ΜΕΙΝΩ, et epochae anno agetur in imperatoriis. Numi aetas in Hadriani imperium cadit.

AE. RRR.

Imperatorii:

A Vaillantio aliisque citantur ab Hadriano usque ad Paulam, at integerrimum Augusti habet museum Caesareum, aliumque Morellius. (in Impp.) Claudium habemus apud Liebeum c), et in museo Neumanni, qui in his omissis aliis nominibus ΣΕΒΑΣΤΟΣ tantum dicitur, qui mos et in vicina Ascalone valuit.

Epigraphe ΓΑΖΑ, neque alia unquam.

Typi:

ΕΙΩ. ΓΑΖΑ. *Duae mulieres stantes, quarum sinisterior tutulato capite est, et s. cornucopiae, in aliis tridentem tenet, dexteras jungunt*, Trajani, (Pellerin Lettres p. 168.) Hadriani, Aurelii. (Vaill. Noris.)

Mulier, propter quam scriptum ΕΙΩ, est Io Inachi Argivorum regis filia, quae

a) Num. vet. p. 79. b) B. L. T. XXXIV. Mem. p. 346. c) Gotha num. p. 505.

cum adstante Gazae genio dexteram jungit. De Ius apud Gazaeos cultu multa jam alibi copiosius commemoravi [a]), quae hic contractius proponenda. Stephanus (in Γαζα.): *Vocabatur et* Ione *ab* Ione (ἐκ της Ιȣς), *quae illuc appulit, et ibi permansit.* Idem alio loco (in Ιονιον.) *Ione enim et Gaza vocabatur ab Ione,* (ἀπο Ιȣς) *bovem habens prope in imagine.* Eustathius (ad Dionys. v. 92.): *Ipsam Gazam Ionem vocant aliqui, ubi bos erat in Ius, sive lunae simulacro. Is enim ex Argivorum dialecto lunam significat.* Auctor Chronici Alexandrini [b]): *Cum subinde ex patria fugisset* (Io,) *missi ad eam inquirendam Argivi, cum in Syriam appulissent, visi sunt sibi videre buculam humana voce dicentem: hic ego sum Io.* Ipsam etiam Io, sed absque adscripto nomine video in numis sequentibus.

*
* *

Mulier stans d. hastam, s. cornucopiae, pro pedibus bucula, Aurelii, (Vaill.) Severi. (Pellerin Suppl. II. p. 51.)

Applica, quae modo de simulacro Ius apud Gazaeos cum adstante bove ex Stephano et Eustathio memoravi.

*
* *

ΜΑΡΝΑ. ΓΑΖΑ. *Diana et Apollo stantes in templo distylo,* Hadriani, Faustinae jun. (Noris, Vaill.)

De Marna apud Gazaeos culto plura collegit testimonia Norisius. D. Hieronymus [c]): *Marnas Gazae luget inclusus et eversionem templi pertimescit.* Idem [d]): *Serapion Alexandriae, et Marnae templum Gazae in ecclesias Domini surrexerunt.* Luculentissime Marcus diaconus in vita S. Porphyrii episcopi Gazae, quae inserta est Actis Sanctorum Bollandi [e]): *Erant autem in civitate simulacrorum publica templa octo, nempe Solis, et Veneris, et Apollinis, et Proserpinae, et Hecates, et quod dicebatur Hieron, seu sacerdotum, et Fortunae civitatis, quod vocabant Tycheon, et MARNION, quod dicebatur Cretagenis Iovis* (ut erudite corrigit Norisius ex Stephano, cujus verba mox dabimus, nam in textu est *Critae generis Iovis*) *quod existimabant esse gloriosius omnibus templis, quae sunt ubique.* Addit infra: *Congregati autem idololatrae in MARNEO multa sacrificia et preces faciebant ea de causa. Dicebant enim, MARNAM esse dominum imbrium. MARNAM vero dicunt esse Iovem.* Stephanus [f]): *unde et Cretaei Iovis* (Κρηταιȣ Διος) *templum apud ipsos est, quem nostra quoque aetate vocabant MARNAN, id est: Creta genitum.* (Κρηταγενη.) Ex his ergo testimoniis tenemus rationem inscripti numo ΜΑΡΝΑ, et hoc nomine Gazaeis intellectum fuisse ipsum Iovem, ut testatur Marcus diaconus, qui Gazaeus ipse fuit. Quare miror, in citato numo verbum ΜΑΡΝΑ scribi juxta signum Apollinis, nisi forte fuit simul cognomen Gazae inditum a Marnae cultu apud eos praecipuo. Huic etiam urbi Harduinus ob easdem causas tribuit numum Titi inscriptum ΖΕΥΣ. ΚΡΗΤΑ-

a) Num. vet. p. 79. b) pag. 34. edit. Venet. c) Epist. VII. ad Laetam. d) in Comment. ad Isaiae cap. VII. e) T. V. p. 655. f) in Γαζα.

ΓΕΝΗΣ., quem uberius descripsi in numis Cretae, quorsum verius pertinet.

* * *

ΜΕΙΝΩ in autonomo supra descripto.

Hoc vocabulum erudite Pellerinius ex Stephano explicat narrante [a]): *Vocata est etiam MINOA, quia Minos cum fratribus Aeaco et Rhadamantho profectus ei de se nomen dedit.* Ergo Gaza *Minoa* quoque dicta fuit, quamvis Pellerinius existimet, vocabulo ΜΕΙΝΩ indicari ipsum heroem militari habitu stantem, quem Minoa regem Cretae censet. Ex quo etiam causam culti apud Gazaeos Iovis Cretagenis tenemus, Minoe eum apud Gazaeos stabiliente. Non hic videtur omittendum indicium Eusebii [b]): ἐςι νυν κωμη Μηνωις πλησιον Γαζης, quod Hieronymus vertit: *et nunc est Menois oppidum juxta civitatem Gazam*, fors scribendum: Μινωις, nam hoc modo scribitur urbs Palaestinae, cujus episcopus Zosimus interfuit concilio Chalcedonensi, ut notat Relandus [c]).

Ceterum Gazae, aut verius Palaestinae cum Creta nexus non modo ex citatis hic numis, et inferioris aevi scriptoribus probatur, verum etiam ex scriptoribus aevi superioris. Certe Tacitus veterem aliquorum opinionem prodidit [d]): *Iudaeos Creta insula profugos novissima Libyae insedisse, qua tempestate Saturnus vi Iovis pulsus cesserit regnis. Argumentum e nomine petitur: inclytum in Creta Idam montem, accolas Idaeos, aucto in barbarum cognomento Iudaeos vocari.* Quae opinio ita occupavit Graecos veteres, ut LXX. scripturae Hebraicae paraphrastae vocem כרתים, *Cerethaei*, aliquoties in sacris literis occurentem non dubitaverint Graece reddere Κρητας, et παροικȣς Κρητων. Quare et Theodoretus [e]) revera existimat appulisse quosdam e Creta, et maritimum eum tractum insedisse. Hunc autem tractum fuisse eum ipsum, in quo Gaza stetit, verisimile fit expenso Ezechielis loco [f]), in quo legitur: *propterea haec dicit dominus deus: ecce ego extendam manum meam super Philistaeos, et occidam Cerethaeos.* Ergo Cerethaei fuere pars Philistaeorum, in his vero sitam Gazam constat. Animadvertendum etiam, eruditum Huetium tantam adfinitatem Mosen inter, et Minoa Cretensem deprehendisse, ut crederet, utrumque unum esse eundemque, et solo nomine varium. Haec prolixius exposuit eruditus Gabriel Brotier in suis ad Tacitum animadversionibus [g]).

* * *

Hercules innixus clavae, Hadriani, aliorumque.

Fortuna stans, Antonini. (Vaill.) Videtur esse haec Fortuna eadem, quam Marcus diaconus supra citatus vocat simulacrum *Fortunae civitatis, quod vocabant Tycheon*, et quae in numis inscriptis ΕΙΩ stans cum cornucopiae cum Ione dexteram jungit, ut diximus.

Generatim typi omnes sunt ex Graecia pura petiti, nullo Astartes indicio in vicinarum urbium moneta obviae, quo insuper confirmatur sententia Iosephi

a) in Γαζα. b) in Onomast. c) Palaest. ill. p. 664. d) Hist. V. 2. e) Animadv ad Sophon. Cap. II. v. 5. f) Cap. XXV. 16. g) T. III. p. 538.

adserentis, Gazam fuisse urbem Graecanicam [a]), et, quod supra innui, verisimiliter Argivorum coloniam. Quin adhuc Iuliani apostatae aetate fuisse Graecorum superstitioni supra modum addictam queritur Sozomenus [b]).

* * *

Sacra et asylum, IEP. AΣT. in solo autonomo supra memorato. Gaza sub ipsis etiam imperatoribus variis titulis fuit locuples, ut docet marmor Muratorianum [c]), in quo Gordianum honorat *ἡ πολις ἡ των Γαζαιων ἱερα και ἀσυλος και ἀυτονομος, πιςη, ἡ ἐυσεβης λαμπρα και μεγαλη ἐξ ἐνκλυσεως τȣ πατριȣ θεȣ*, *civitas Gazaeorum sacra et asylum, suis legibus utens, fidelis, pia splendida, et magna ex oraculo*, vel *monito patrii dei*, scilicet Marnae, non, ut interpretatur Muratorius: *ex Enclyseo patrio deo*, addito, *quis deus sub nomine Enclysei coleretur ibi, ignotum mihi est.* In numis Philippi patris: EX ORACVLO. APOLLINIS., et alibi passim. Marmora inferioris aevi raro probam Graecitatem sequuntur, et saepe necesse est sententiam aliorum marmorum subsidio eruere.

* * *

Epocha.

L. IE. in autonomis citatis, quas notas dixi indicare XVI.

L. ZΓ., id est: ΞΓ. Augusti. (Morelli Impp. Tab. 39. n. 15.)

L. Ξϛ. ejusdem. (Mus. Caes.)

L. PI. Claudii. (Liebe p. 305.)

PNΘ. Trajani. (Pellerin Lettres p. 168.)

Γ. ЄΠΙ. BqP. Hadriani. (Vaill.) Idem annus est in autonomo supra citato.

Δ. ЄΠΙ. ΓqP. et Є. ЄΠΙ. ΔqP. Hadriani. (Vaill. Noris.) E. ЄΠΙ. EqP. (Mus. Caes.)

BC. Antonini, et post medios plures.

HIC. (Vaill.)

ΔKC. Aurelii, et Veri. (Vaill. Mus. Caes.)

ZKC. HKC. ΘKC. ΛC. Aurelii, Faustinae jun. (Vaill.)

ΘΛC. Commodi. (Pellerin Suppl. II. p. VI.)

MC. Ejusdem. (Haym T. II. p. m. 296.)

HMC Ejusdem. (Vaill.)

HNC. Severi. (Arigoni.) Caracallae. (Vaill.)

ΘNC. Caracallae. (Vaill.)

ΞC. Severi. (Mus. Caes.)

AΞC. Severi, Domnae. (Pellerin.)

ΔΞC. Plautillae. (Noris, Vaill.)

HΞC. Severi. (Haym.)

IIC. Elagabali. (Vaill.) Paulae. (Pellerin.)

Epocha I. Norisius epocham Gazaeorum ducit ab autumno V. C. 693. refutatis aliorum sententiis, qui eam aliquanto antea, vel post inchoarunt. Iudicium praeivit auctor chronici Alexandrini, qui Gazaeos sua tempora numerare ab anno IV. Olympiadis 179 adserit, qui respondet anno V. C. 693. Addit argumentum aliud ab anno ordinationis S. Porphyrii episcopi sumptum ex laudato saepe Marco diacono, quod quia prolixius est, et implexius, brevitatis causa omitto. Numi, quos recitat, parum doctrinam juvant. Numus

a) Ant. L. XVII. c. 11. p. 4. b) Hist. eccl. L. V. c. 3. c) pag. 1048. 5.

Plautillae per inscriptum annum ΔΞC. probat, epocham Gazae ante annum 692. non posse incipere; nam addito huic 264. obtinebimus annum V. C. 956, in cujus autumno exivisset annus Gazaeorum ΔΞC, at hoc primum anno in aestate secundum aliquorum sententiam, verius exeunte anno superiore constat Plautillam Caracallae nupsisse. Neque initium aerae in annum posteriorem anno 694. dimoveri potest; nam constat, vix anni spatio eam cum Caracalla fuisse conjunctam, Liparam a Severo in exilium actam. Quare cum auctore Chronici Alexandrini Norisius autumno V. C. 693. adhaerendum censet. Causam constitutae hoc anno epochae repetit inde, quod Pompejus quidem anno V. C. 691 coercitis intra terminos suos Iudaeis Gazam, aliasque Palaestinae urbes Syriae contributas libertate donavit, at cum Gaza propter illatas ab Iudaeis clades nimium fuerit exhausta, ea nonnisi biennio post civitatis formam potuit constituere.

Epocha II. in quatuor Hadriani numis supra descriptis, in quibus ea notatur sic: Γ. ЄΠΙ. BqP. etc. Cum praepositae literae aequaliter cum epochae annis procedant, dubitari nequit, eas esse arithmeticas, et coeptam epocham novam constituere, sic ut τȣ Γ. ЄΠΙ. BqP. sensus sit: *annus III. aerae novae, qui respondet anno* 192 *aerae veteris.* Istud luculente comprobatur exemplo vicinae Ascalonis, quae in Augusti numo, ut vidimus, duplice quoque aera usa est, sed proposita sic: $\frac{\varsigma N}{BP}$ pro quo Gazaei scripsere Γ. ЄΠΙ. BqP., sic tamen, ut haec formula idem valeat, ac si scriptum foret $\frac{\Gamma}{BqP}$ Censet Norisius, Gazaeis novae hujus aerae causam fuisse Hadriani in Syriam adventum, qui cum contigerit anno V. C. Iuliano 883, Gazaeos ejus principium fixisse ad autumnum V. C. 882. Non nego, Hadriani adventum novae aerae causam dedisse, at negat numus E. ЄΠΙ. EqP., quem tum, cum haec typis exprimuntur, in museum Caesareum intuli, Gazaeos novam hanc aeram eidem autumni diei, a quo vetus pendebat, illigasse. Etenim idem annus E aerae novae occupat partem anni ΔqP., et partem anni EqP aerae veteris, quod fieri non posset, si unum utrique fuisset anni principium, quo modo supra pag. 281 vidimus, eundem annum Antiochenum HP sociari cum binis annis Neronis E et ϛ. Forte idem ille dies fuit novae hujus aerae principium, de quo ait Chronicon Alexandrinum: Hadrianus Gazae *festum diem instituit*, *qui hodieque appellatur Hadriani.* Notandum in numo Pelleriniano elementum ⱷ compositum, quod valet qP. Sic et in numo Neocaesareae Ponti vidimus PMR, literis MR colligatis.

Numi Augusti supra citati cum annis ΞΓ, et Ξϛ, qui respondent annis V. C. 755 et 758, confirmant, quod de Gaza refert Iosephus. Nam cum narrasset, Octavianum post victoriam Actiacam in Aegyptum transgressum Herodi M. Gazam aliasque urbes vicinas donasse [a]), idem perhibet alibi, Herode mortuo

a) Ant. L. XV. c. 7. §. 3.

Augustum filio Archelao ademisse Gazam, Gadara et Hippum, quia Graecae fuere civitates, easque cum provincia Syriae conjunxisse a)). Mortuus est Herodes V. C. 750. Numi memorati signati sunt aliquot post annis, ex quo Gaza ditioni Romanae accessit.

AE. R.

NICOPOLIS.

Prope Hierosolymas, olim *Emmaus.* Hieronymus post Eusebium b)): *EMMAVS - - - haec est nunc Nicopolis, insignis civitas Palaestinae.* Idem Sozomenus c)): *Vrbs est in Palaestina Nicopolis hodie dicta. Hanc divinus Evangeliorum liber Emmauntem appellat. Post excidium Hierosolymorum Romani Nicopolin vocarunt, ex eventu autem belli nomen imposuerunt.* Dubitari nequit, novam hanc appellationem oppido inditam ab DCCC. militibus emeritis, quibus Vespasianus excisis Hierosolymis Emmaus inhabitandum concessit, ut refert Iosephus d)). Fuit ergo Nicopolis ab origine sua mox colonia, at mutatus certe ejus fuit status, et quidem haud multo post; nam neque inter colonias a scriptoribus refertur, et ejus numi nihil habent coloniae.

Numos hujus urbis pro more erudite illustravit Belleyus e)).

Imperatorii:

ΑΥΤ. Κ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ. ϹΕΒ. ΓΕΡΜ. ΔΑΚΙΚΟϹ. *Caput Trajani.* ✠ ΝΕΙΚΟΠΟΛΕѠϹ. ΕΤΟΥϹ. ΜΒ. *Victoria.* AE. (Belley ex Pembrock.)

ΘΕΑ. ΦΑΥϹΤΙΝΑ. *Caput Faustinae sen. velatum tutulatum.* ✠ ΝΙ. ΒΟ. *Tres spicae colligatae intra lauream.* (Belley.)

Epocha. Hujus exordium Belleyus jure petit ab anno V. C. 824, quo Vespasianus post excisam Iudaeorum metropolin veteranos teste Iosepho in hac urbe collocavit, ut dictum. Cum hoc principio uterque numus recte componitur. Trajani numus signatus est inde ab autumno V. C. 865, Faustinae ab autumno 895. Ea anno praecedente e vivis sublata fuit. Quare in hoc numo cum omnibus consecrationis argumentis proponitur. Satis vel ab ipsis his numis erroris arguitur Iornandes, qui anno IV. Elagabali Emmauntem in Iudaea exstructam, et Nicopolin nominatam refert, quo in errore secutus est antesignanum Eusebium f)).

AE. RRRR.

RAPHIA.

Maritima et extrema versus Aegyptum.

Imperatorii:

Caput Commodi juvenile, epigraphe dempto ΚΟΜΟΔΟϹ. *extrita.* ✠ ΡΑΦΙΑ. ΖΛϹ. *Diana stans.* (Noris Ep. Syrom. p. 438. Vaillant.)

Caput Caracallae. ✠ ΡΑΦΙΑ. ϛΞϹ. *Apollo stans cum lyra.* (Vaill. Harduin.)

Caput Alexandri Sev. ✠ ΡΑΦΙΑ.

---

a) Ant. L. XVII. c. 11. §. 4. b) Onomast. in *Emmaus.* c) L. V. Hist. eccl. d) Bell. Iud. L. VII. e) B. L. T. XXX. p. 294. f) in Chronico.

ΙЄΡ. qC. *Serpens tridenti implicatus.* (Panel. Mem. Trev. Octob. 1737.)

Epocham repetit Norisius a beneficio Pompeji, qui V. C. 691 hujus tractus urbibus Iudaeorum jugo pressis libertatem restituit. Verisimile tamen censet, exemplo vicinae Gazae eam coepisse biennio serius, nempe V. C. 693. Tamen neque ab anno 697 magnopere alienus est, nempe quo Gabinius Syriae praeses complures hujus orae urbes instauravit, quas inter Iosephus Raphiam diserte nominat, ut supra in Ascalone ad epocham III. dixi, quae eadem aera Gabiniana usa est. At cum Ascalon, ut ibi demonstratum est, Gabinianam hanc suam aeram duxerit ab autumno V. C. 696, fieri etiam potuit, ut eandem Raphia ab eodem etiam anno duceret. Dubium istud plurium adhuc numorum subsidium postulat.

AR. RRR.

NVMI SIGNATI NOMINE AVT IVSSV PRINCIPVM IVDAEAE.

Vniversam hanc seriem in tres classes, ut res ipsa postulat, tribuimus, I. in numos Hebraice inscriptos, aut saltem bilingues, qui ipsi sunt numi principum Macchabaeorum, II. in numos regum Herodiadum, III. in numos Augustorum nomine cusos.

CLASSIS I.

Numi Hebraice inscripti, seu numi principum Macchabaeorum.

Haec numorum classis inde a saeculis duobus cum semisse eruditorum ingenia mire exercuit, propterea quod cum sacrarum literarum studio causa linguae et historiae sacrae penitus connectitur. Primus eorum meminit Wilhelmus Postellus in *Alphabeto XII. linguarum* Parisiis anno 1538 edito. Post hunc numos hujus argumenti, qui sibi obtigerunt, explicare adorti sunt viri meis encomiis majores, Arias Montanus, Vilalpandus, Kircherus, Adrianus Relandus, Harduinus, qui multa feliciter ac crudite dictavere, in multis adhaesere, quia defuerunt numi plures, quos contenderent. Horum moniti erroribus certiora deinceps docuerunt Conringius in *Paradoxis de numis Hebraicis*, Soucietus in opere Gallice scripto: *Dissertation sur les Médailles Hebraiques, appellées communement Samaritaines*, Frölichius in *Prolegomenis annalium rerum et regum Syriae*, Barthe-

lemyus variis in dissertationibus, cujus praeclara judicia, cum res tulerit, dabimus. At omnium hactenus laudes superavit Franciscus Perezius Bayerius archidiaconus Valentinus suo *de numis Hebraeo-Samaritanis* Valentiae Edetanorum 1781 edito opere, non minus a chartae, characterum, iconum nitore, quam eruditionis, ac sani ingenii laude omnium, qui sobrie judicant, suffragia promerito. At cum deinde existeret nonnemo, qui negata numorum Samaritanorum fide in ipsum etiam virum praestantem calamum inofficiosum stringeret, quam causam infra capite II. latius tractabimus, altero nos opere donavit, quod *numorum Hebraeo-Samaritanorum vindicias* inscripsit ibidem anno 1790 eodem nitore ac voluminis mole vulgatum. Literarium hujus doctrinae progressum erudite enarratum habes apud Fabricium in Bibliographia antiqua cap. XVI. §. 10, apud eundem Bayerium in opere priore inde a pagina 9, in libello Eberhardi Hauberi Germanice scripto: *Nachricht von den jüdischen Samaritanischen Münzen, Kopenhagen und Leipzig* 1778, et apud industrium Rasche in Lexico sub *Ebraeorum numi.*

Quod hactenus a me constitutum est, quando argumentum aliquod copiose a majoribus tractatum fuit, ut quod optimum est ac scitu necessariam, ex iis decerpam, refutatis iis, in quibus errasse sunt visi, in hac quoque causa mihi praescribendum putavi, sic tamen, ut nemo non intelligat, non perfunctoriam meam fuisse operam, quam examinandis eorum, qui praecessere, scriptis impendi. Antequam ad ipsam numorum explicationem procedo, prolegomenorum instar aliquot sunt capita praemittenda, quorum I. aget de charactere numorum Hebraicorum, II. de eorum fide, III. de eorum aetate, denique IV. de nominibus, pondere, ac materia monetae Hebraicae.

CAPVT I.

De charactere numorum Hebraicorum.

Numos Hebraicos duplice charactere insignes reperimus, uno, qui *Samaritanus* dicitur, altero, qui *Hebraicus quadratus*, et *Assyrius* quoque appellatur, quo in hanc diem biblia exarantur. Numi Hebraici genuini omnes priorem Samaritanum exhibent, qui posteriorem quadratum, cujus generis sunt obvii in omni metallo sicli, tum numi cum effigie Adami, Davidis, Christi etc. modernae artis sunt omnes. Quod cum omnium confessione certum jam putetur, mirum videatur, ante annos non multos Hieronymum Gradenigo archiepiscopum Vtinensem edita dissertatione siclum argenteum Assyriis literis inscriptum in vere antiquorum numero putasse.

Vter character sit antiquior, saepe disputatum. Fuere, qui honorem hunc tribuerent Assyrio, atque hoc tabulas legis scriptas, et fuisse Mosi familiarem contenderent. Alii vetustiorem Samaritanum adfirmant, eum vero, quem Assyrium dicimus, a Iudaeis post LXX. annorum captivitatem ex Chaldaea reducibus adhiberi coeptum, quam ego litem nostrarum esse partium non puto, cum nosse nobis sufficiat, numos, de quibus unis agimus, nonnisi Samarita-

num characterem praeferre. Qui amplius sese instrui cupit, adeat eruditos Gallos auctores *novi tractatus diplomatici.* (Tom. I. p. 593.)

At quaeritur, cur Hebraei charactere Samaritano, non Assyrio suos signaverint numos. Ejus causam hanc statuit Froelichius [a]). Duplicem, ait, fuisse Hebraeis characterem, ut et populis aliis, Aegyptiis, Phoenicibus etc.; Horum unum fuisse sacrum, quo lex scribi solita, alterum usus civilis. Ejus discriminis vel illud unum esse argumento, quod sacra biblia more memoriam omnem excedente diverso charactere exarata sunt ab illo, quem in numis habemus. Sed accedit et auctoritas Rabbi Obadiae a Bartenora distinguentis inter scripturam Cuthiim, id est: Samaritanorum, qua, ait, usum fuisse Israel in rebus profanis et moneta argentea, quae nunc quoque reperitur, et quae (ut ipse perperam censet) percussa est tempore regum Israel, et eodem charactere signata. Scriptura autem, inquit, qua nos scribimus libros hodie, dicitur scriptura Assyria, estque scriptura tabularum legis. Sed praetensum istud discrimen utriusque characteris vario modo adhibiti non admittunt laudati diplomaticae novae scriptores [b]), neque cl. Chishul [c]), aliique, ut neque admittere videtur Bayerius, cum probare intendit, etsi argumentis minus solidis, Christi aetate Samaritanas literas apud Hebraeos exolevisse [d]).

Neque vero etiam satis expedita ratio, cur character hic dicatur Samaritanus. Ejus causam altius petitam hanc adfert Frölichius: literas, ait, Samaritanas multo esse antiquiores ipso vocabulo *Samaritanus*, quod constet, Samariam nonnisi annis circiter CM. ante Christum conditam. Captam subinde bis ab Assyriis Samariam, Chutaeis serius Babylone eo traductis, quos adeo verisimile est, sensim Cananaeorum linquam didicisse, et literas usus civilis usurpasse. Samaritanos hos sub principibus Macchabaeis saepe victos, ac tandem Samariam ipsam ab Hyrcano eversam tradit Iosephus. Excisis sub Vespasiano Hierosolymis, et gente sub Hadriano per totum orbem dispersa exolevit inter Iudaeos character civilis, cum cogerentur uti charactere civili ejus regionis, in qua viverent, quin tamen alterum sacrum cum religione penitus connexum omitterent. Verum Samaritani, qui, quoties Iudaei ab externo hoste premebantur, toties se Iudaeos esse pernegabant, relicti adeo suis sedibus, usitatum characterem retinuere. Atque hanc unam causam putat Froelichius, cur post Iudaeorum dispersionem Hebraicus hic et civilis character, et quem in numis conspicimus, *Samaritanus subinde* ab Hebraeis appellaretur.

Alphabetum ex scriptura Samaritana conflatum post alios correctius edidere Froelichius [e]), et Galli diplomaticae novae auctores [f]). Aliud ex numis captum exhibent Bianconus [g]), et

---

a) Annal. Syr. proleg. p. 75. b) l. c. p. 597 et 600. c) Ant. Asiat. p. 28 nota 51. d) de num. Hebr. p. 238. e) l. c. f) Tom. I. p. 654. g) de Ant. lit. Hebr.

Bayerius [a]), Froelichianum et Bayerianum restituit Raschius [b]). Nobis placuit sistere alphabetum Samaritanum, quale illud postremo Bayerius in Vindiciis suis pag. 120. vulgavit. Altius pag. 404. illud cum Phoeniciorum alphabeto conjunctum dedimus.

CAPVT II.

De fide numorum Hebraicorum.

Si Talmudistis credimus, Hebraici varii generis numi varia aetate apud Iudaeos valuere. Olaus Tychsenius pagina 12 libelli sui, quem de mala numorum Samaritanorum fide conscripsit, et de quo infra copiosius agemus, aliquot ex his auctoribus testimonia congessit. In tractatu Sanhedrin Talmudis Hierosolymitani circa annum 300 a nato Christo scripti, mentio fit numi cum imagine regis Saulis. Fertur enim ibi Abigail Nabalis uxor Davidi obsequium detrectasse per causam, quod *moneta domini nostri Saulis adhuc in usu esset.* Vide ibi numos alios Davidis, et Salomonis, Isaaci et Rebeccae, Abrahami et Sarae, Iosue, Davidis, Mardochaei ex his legis Iudaicae παραφρασταῖς captos. Verum hi id genus numos aut sponte confinxere, aut illi eorum aetate re vera exstitere, sed a misello hoc populo per terrarum orbem disperso in memoriam pristinae fortunae fabricati, quo modo videmus, in numis contorniatis, qui Romae inferiore imperatorum aevo percussi sunt, insignium praeteritae aetatis virorum memoriam, nulla tamen auctoritate publica, fuisse renovatam. Istud tamen ex his Talmudistarum testimoniis discimus, similis naturae numos, qui hodie omnium manibus teruntur, et quorum capite praecedente memini, nequaquam novicium esse saeculi nostri, ac proxime praecedentium inventum, sed jam primis post Christum saeculis ob causam, quam verisimilem dixi, in vulgus editos. Ceterum quamcunque hanc mercem in vetere Hebraeorum moneta non esse putandam, facile ex iis, quae partim jam diximus, et magis definite docebimus deinceps, elucescit. Denique generatim, quod jam fere inter omnes convenit, neque adeo longius probare attinet, in monetae spuriae classem rejicimus numorum agmen, qui, cujuscunque sint aevi, charactere quadrato, sive Assyrio, non eo, quem Samaritanum dicimus, insigniuntur.

At fuere viri docti, qui numos quoque Hebraeo-Samaritanos nullo dempto in spuriorum numerum amandavere, ex quibus lubet proferre, qui postremus hoc in argumento versatus est, auctorem libelli Germanice scripti, cui titulus: *Die Unächtheit der jüdischen Münzen mit hebräischen und samaritanischen Buchstaben, bewiesen von Oluf Gerhard Tychsen, herzogl. Mecklenburgischen Hofrath, Professor der morgenländischen Litteratur zu Bützow. Rostock u. Leipzig* 1779. Id est: *Falsitas numorum Iudaicorum cum Hebraicis et Samaritanis literis, demonstrata ab Olao Gerardo Tychsenio ducis Mecklenburgici consiliario, linguarum Orien-*

a) l. c. p. 224. b) Lexic. Tom. IV.

talium Bützovii professore. Rostockii et Lipsiae 1779. Hujus libelli indicium cum primum ad me perlatum fuit, mirari mecum ipse, quo pacto vir nulla hactenus ex studiis nostris laude spectatus spondere possit *demonstratam* falsitatem numorum, quos plerique saeculi praeteriti antiquarii, praesentis omnes, qui in arena nostra excelluere, fraudis suspicione immunes sunt professi. Crevit admiratio, quando deinde opus ipsum inspicere, et argumentorum obtusam aciem, quorum mox summa capita exponam, contigit experiri. Prodiit biennio post indicatus supra Perezii Bayerii de numis Hebraeo-Samaritanis liber, nostrum quidem omnium communi applausu acceptus, at Tychsenio invisus, et quod postea patuit, gravissimarum irarum causa. Quas enim tum admoverit machinas homine liberali plane indignas, quibus uti non solent, nisi qui causae suae viribusque indubitant, ut praeclari adversarii elevaret existimationem, Bayerius ipse amare conqueritur in opere, quod Tychsenii criminationibus provocatus vulgare nuper coactus fuerat, quodque operis sui praecedentis *Vindicias* inscripserat.

Summa sententiae a moroso hoc judice latae haec est: numos Hebraeo-Samaritanos ad unum omnes esse spurios, et opus ab impostoribus in tenebris peractum, et cupidis antiquariis obtrusum. Et causae quidem temerariae patrocinium auctoritatibus agere instituit. Ait, istud ipsum non paucis viris eruditis visum, Othoni Sperlingio, Christophoro Wagenseilio, Iacobo Basnagio, Carolo Patino, Francisco Wise, ac non ita pridem Adlero, Arizarrae, Dobrowskio, denique Iulio Schlaegero. At pace Tychsenii ex hoc numero eximendi certe sunt Wisius, et Adlerus; neque enim hi universam Hebraeorum monetam impugnavere, sed quosdam tantum numos, ut dicetur infra. De reliquis antequam judicium fero, nosse cumprimis velim, cum de numorum veterum fide, atque integritate agitur, nequaquam audiendos aut vetustiores artis nostrae magistros, quibus non tanta, quanta hodie, numorum copia praesto fuit, aut eos, qui majorem operam ad colligendam ex numis veteribus eruditionem, quam ad examinandam eorum fidem attulere. Omnes, quos continuo enumeravi, si Patinum demas, ad alterutram classem pertinent, quin sunt in horum numero nonnulli, quorum de re numismatica merita fere sunt ignota. Magnum Tychsenio ad causam suam momentum in judicio Schlaegeri, thesauro Saxo-gothano praefecti, quem in libello Germanice scripto dejerat, omnium, qui per Europam scientiam numorum profitentur, sine dubio esse praestantissimum, cujusque ad ejus libelli calcem epistolam ad se scriptam adfert, qua eruditus is vir testatur, nullum sibi hactenus numum charactere Samaritano inscriptum occurrisse, qui secundum artis nostrae leges aut non propalam falsus, aut saltem non suspectus sibi esset visus. Qua ejus sententia magnifice collaudata addit continuo Tychsenius: *et dubitabimus adhuc, quo minus numos Hebraicis, vel Samaritanis literis inscriptos ad unum omnes ab impostoribus fabricatos statuamus?* Quibus perlectis coepi pendere animi,

utrum praestet, hominem isthaec tanta cum fiducia effutientem justo deridiculo permittere, an lapidem illi sophronisterem a propitia Minerva exorare. Nolim vel minimum veris Schlaegeri laudibus detrahi, at magno miramur opere, praeclarum illum virum aevo suo dici inter rei numismaticae magistros principatum obtinere, quo in vivis adhuc fuere Belleyus, Pellerinius, Barthelemyus, Enneryus, aliique, quibus omnes nos in monetae veteris cognitione lubenter adsurreximus, atque istud dici a Tychsenio, nullis hactenus in arte nostra experimentis cognito. Nemo, opinor, nostrum erit, qui spectatis scientiae numismaticae meritis Schlaegero non longe praeferat Christianum Liebeum, cui is in regenda gaza Saxo-gothana successit, qui tamen monetam Samaritanam genuinam agnovit, comprobavitque [a]). Ac nescio, quae tanta sit Tychsenio in Schlaegeri judicio confidentia. Multo is Tychsenio moderatior, atque circumspectior nequaquam adfirmat, nullum exstare numum Hebraicum certae fidei vix enim, inquit, decimam partem scriniorum, quae veterem monetam ubicunque continent, sibi inspicere licuisse. Istud unum adserit, nullum *sibi* id genus numum hucusque conspectum, quem confidenter genuinum spondere possit. Enimvero ex his dictis nemo arguerit, Schlaegerum universo hujus monetae agmini fidem negasse, nisi is, cujus intererat, exitiale de omnibus his numis ferri judicium.

Sed contendamus et nostras auctoritates, et quantum hae et numero, et excellentia Tychsenianis praestent, lectoris arbitrio permittamus. Missis interim Rabbanitis Nachmanide, Azaria, Alaskero, qui hoc numorum genus ante renatas literas probavere, quorumque infra testimonia proferemus, en tibi certos eorum patronos Wilhelmum Postellum, I. B. Vilalpandum, Ioh. Morinum, Athanasium Kircherum, Hottingerum, Coringium, Bochartum, Relandum, Eisenschmidium, atque ne horum nimium auctoritati tribuamus, quia constat, magis illos illustrandae cuipiam philologiae parti, quam privatim arti numismaticae impensius vacasse, en tibi rursum illustria nomina, Harduinum, Spanhemium, Soucietum, et qui nostro aevo inclaruere, Liebeum, Frölichium, Pellerinium, Barthelemyum, Enneryum, Dutensium, Combium, Woidium, Bayerium, quorum, praecipue quos postremos nominavi, non modo scientiam in explicandis numis, sed etiam usum in explorandis adprobandisque nemo nostrum est, qui non maximis laudibus gestiat efferre. Atqui horum si fallunt judicia, alterutrum necesse erit consequi, aut stupidi omnes fuisse ingenii, qui, cum Parisiis, Londini, Madriti, Vindobonae ad regias, aut privatorum gazas, sed quae regiis aequiparari possunt, adsiderent, in mediis suis copiis opibusque non viderunt, quod Butzovii in sua monetae veteris egestate vidit Tychsenius quidam, aut fuisse mendaces, ac falsiloquos, qui, quacunque spe, quocunque animo, falsum pro vero potuerunt efferre. Libenter Tychsenio meam quoque auctoritatem opponerem, qui in museo Caesareo justum numerum

a) Goth. num. p. 143.

monetae Hebraicae, probissimorum me judice natalium, conservo; verum qui praestantissimorum virorum contempsit judicia, qui palam ausus est adserere, momenta Bayerii *nullius* esse roboris, et se *demonstrasse* falsitatem numorum Samaritanorum, quo pacto sperem meam illi auctoritatem profuturam? Vt tamen aequum lectorem securum reddam, si quis forte Tychsenii argumentis volet adstruere fidem, et ejus conatum non potius incredibilem animi pertinaciam, et ὁρμην putare, lubet nuperum Barthelemyi, nobilissimi in arena nostra palaestritae, testimonium arcessere, quod scriptis in hac causa anno 1790 ad Bayerium literis inseruit, et quas hic ad calcem suarum Vindiciarum adjecit. Ejus verba sunt: (pag. VI.) *J'admire le zèle, avec lequel vous soutenez l'honneur des médailles Samaritaines; je n'aurois pas ce courage. Si l'on doutoit de leur authenticité, il faudroit douter de celle des médailles Grecques, et des Romaines. Je n'ai pas lu l'ouvrage de M. Tychsen, mais quand même ses raisons seroient très ingénieuses, elles n'affoibliroient jamais l'autorité des monumens qu'il veut détruire. Tous les grands Cabinets de l'Europe contiennent des médailles Samaritaines; celui du Roi en particulier, par les nombreuses aquisitions qui se sont faites de mon temps, en conserve plus de* 80. *Partout elles ont été scrupuleusement examinées par des Antiquaires à qui une longue expérience avoit appris à discerner les pièces vrayes d'avec les pièces fausses, partout on a deposé en leur faveur, etc.* Nemo ergo deinceps de numorum Samaritanorum fide dubitabit, nisi qui una volet Barthelemyi excellentiam tam illustribus hactenus argumentis comprobatam numismaticis Tychsenii ratiociniis extra hanc causam plane ignotis inferiorem ducere.

Factum forte fortuna, ut aliquot abhinc annos, quo tempore hanc de numis Hebraicis lucubrationem adornaveram, inciderem in librum Germanice scriptum, cui titulus: *Bibliothek der alten Litteratur und Kunst. Göttingen* 1786. In ejus operis parte I. pagina 201 vidi de laudato altius Bayerii libro, qui numos Hebraeo-Samaritanos explicat, praeclarum ferri judicium a viro quopiam erudito, qui nomen suum solis literis *Ch.* expressit, a quo praeterea intellexi, Tychsenium mentem de impugnata a se numorum Samaritanorum fide mutasse. Fateor, non mediocrem me ex eo indicio cepisse voluptatem, cum viderem, apud virum praeclarae indolis consilium bonum, etsi serum, plus opinione praejudicata valuisse, atque, ut ait vetus proverbium: (Diogenian. Proverb. Cent. II. §. 76.)

Ἀλλοτε μητρυη πελει ἡμερα, ἄλλοτε μητηρ, obortam illi denique diem matrem, quae saniora doceret, quam olim dies noverca docuerat, gratulabar. Quare ejus viri honori magis consultum putabam, si, quae ipse damnavit, non amplius recoquerem, et amico silentio praeterirem. Sed neque istud nobis solatium reliquum fecit. Etenim in libello, quem anno 1787 Butzovii edidit, quemque Bayerius Vindiciis suis pag. 71 ad verbum inseruit, profitetur ipse, *indignabundum sese in prima parte Bibliothecae Göttingae anno superiore excusae fabulam*, se opinionem de fictitia numorum Samaritanorum conditione deposuisse, *relatam legisse*, ac mox in falsum ejus indicii aucto-

rem graviter invehitur. Haec cum legissem, cepi consilium, quod sane dempto Tychsenio omnibus facile probabitur, incredibilem ejus, et obnixam adversus bonam causam obstinationem perstringendi. Sed desino longius molestum argumentum persequi, ne mihi irascar ipse, ob quam causam leviter succensui praeclaro Bayerio, quem nollem in refutandis imbellis inimici judiciis tam operose versatum, et amplas nobis Vindicias, receptis in eas futilibus Tychsenii criminationibus, scriptisque ad se ejus literis, quarum sententiam nemo cordatus erit, qui nosse cupiat, aut cognitam non aspernabitur, propinasse. Satis hercle fuerat edixisse, in urbium illustriorum museis exstare numos Samaritano charactere insignes, eorumque fidem a viris in arte nostra principibus copiose approbatam, illorumque eos manibus quotidie teri, minimumque eo laborandum, quod rariores hos numos aut non viderit Butzovium, aut eruditus quidam Butzoviensis non adprobaverit.

Quos hactenus memoravi auctores, omnibus ad unum numis Samaritanis bellum ἄσπονδον indixere. Mitior fuit virga censoria Hadriani Relandi, et Francisci Wise Angli, sed tamen necdum, ut oportuerat, indulgens. Nam aeneis Hebraicis dandum quidem jus civitatis censuere, at in spuriorum numero habendos siclos omnes, etsi Samaritanis literis insignitos. At vero ex omnibus Wisii argumentis a me adcurate expensis nullum reperi, quod eos reprobandos continuo suaderet a). Ait, eos a falsariis lucri cupidis effictos obtrusosque, et eruditis fucum factum. Novimus malas falsariorum artes, at si valet viri praestantis accusatio, nullius aut populi, aut regis habebimus numum vere veterem, quoniam in omnium horum numis imitandis sese fraus recens exercuit. Non negamus, ex his quoque numis multos esse maligni commatis, damus etiam, falsos esse omnes illos, qui sibi conspecti fuere, at non propterea eadem ignominia notandi sunt ejus generis omnes alii. Cusa fuisse apud Hebraeos numismata argentea cum eadem utrinque inscriptione ac typo, qualem infra in moneta Simeonis dicemus, certum est ex testimonio rabbanitae Mosis Ben Nachman Gerundensis, quod quoniam hos numos eximie illustrat, lubet totum adferre. In hujus appendice ad Perusche Hattorah haec leguntur: *Benedixit mihi hucusque deus, quod dignus habitus fui, et perveni Acho, et inveni ibidem in manu seniorum istius terrae monetam argenteam sculptam sculpturis sigilli, in cujus latere erat quasi aspectus virgae amygdali, et ex altero quasi aspectus* צלוחית, *id est:* amphorae, *et in amborum laterum ambitu scriptura insculpta satis evidens. Et ostenderunt scripturam Cuthaeis, qui legerunt eam illico. Est enim scriptura Hebraea residua Cuthaeis illis, prout memoratur in Massichta Sanhedrim. Legerunt autem e latere uno:* השקלים שקל siclus siclorum, *et ex altero:* ירשלים הקדשה Ierusalem sancta, *et dixerunt, quod virga baculi Aaronis sunt amygdali et flores ejus, et figura secunda urna mannae.* Non opinor Wisium numi hujus fidem in dubium vocaturum, nam scripta

a) Mus. Bodl. p. 214.

haec sunt a Nachmanide, quem constat dixisse exeunte saeculo XII. et ineunte XIII., quo sane tempore nullus adhuc impostor adulterandae monetae veteri animum applicuit; praeterea numus hic spectatis omnibus causis talis est, quales esse siclos infra in moneta Simeonis docebimus, dempto שקל השקלים haud dubie a Cuthaeis false lecto, sed quod ipsum jam rabbi Azarias in שקל ישראל *siclus Israel*, ut oportuit, correxit in opere suo מאור עינים Tract. III. cap. 56. Si ergo revera olim signati sunt numi similes et etiam ante VI. saecula conspecti, cur non et horum aliqui ad nos poterant pervenire? Si suos, quos vidit Wisius, non agnovit genuinos, at suos, quos viderunt, tales agnovere, ut vetustiores antiquarios taceam, Frölichius, et Belleyus, qui id genus plures exstare cum in regio, tum in variis privatorum per Galliam museis aperte testatur [a], quibus adde viros in antiquitatis numariae crisi insigniter versatos Pellerinium [b], et Barthelemyum [c], qui et nuper judicium suum confirmavit in epistola ad Bayerium data, quam hic Vindiciis suis ad harum calcem pag. III. inseruit. Denique siclos veram fuisse monetam, non tantum pondus, infra capite IV. auctoritate Fl. Iosephi, et Philonis probabitur.

CAPVT III.

De aetate numorum Hebraicorum.

Istud jam nunc omnibus persuasum, non existere numos Hebraicos, quos ante tempora principum Macchabaeorum signatos certa possis ratione adfirmare. Credibile, remotissimis temporibus, ut inter omnes alias gentes, inter Iudaeos mutuum commercium siclis non numeratis, sed appensis peractum. Enimvero testimonia, quae alterius sententiae patroni ex emptione Abrahae et Iacobi adducunt [d], usum monetae jam tum signatae non evincunt. Fuisse tamen libere permissum usum monetae exterae, etiam cum viventium illis effigies impressae erant, certum est ex Matthaeo narrante [e], Christum oblato sibi denario, qui erat numisma census, sciscitatum: *cujus est imago haec, et circumscriptio?*

Ex hujus classis numis, quos habemus superstites, ii, qui Simeonem principem inscribunt, jam suapte Macchabaeorum aevum eloquuntur. Alios in quibus legitur: *redemptionis*, vel *liberationis Sion*, eodem pertinere, infra docebimus. Supersunt sicli, seu numi argentei, quorum per inscriptionem incerta est aetas. Verum hi, etsi Macchabaeorum aetatem non testantur, non tamen inficiantur, neque certam per se causam offerunt, quae altius iis aevum adsignari necessario postulet. Quin inscripti his anni I. II. III. idoneum argumentum sufficiunt, eos Simeonis principatui deberi, quod iidem anni in certis ejus numis leguntur. Argumenta alia pete ex ipsis numis. Denique alios imperante Hadriano fuisse signatos, infra in moneta Simeonis docebimus.

a) B. L. Tom XXI. p. 459. b) Lettres p. 31. c) B. L. Tom. XXIV. p. 56. d) Genes. c. 23 et 33. e) Cap. XXII. 20.

CAPVT IV.

De nominibus, pondere ac materia monetae Hebraicae.

Hebraeorum pondus et moneta fuere siclus et partes, ut Romanorum as et partes. Siclus divisus in siclum dimidium, vel ejus tertiam, vel quartam partem, et fuit haec moneta cum argentea, tum aenea, ut infra in moneta Simeonis exemplis patebit. Adde obolum, Hebraice *ghera*, qui fuit sicli pars vicesima.

Fuisse Hebraeis siclum monetam argenteam, diserte testatur Iosephus [a]): ὁ δε σικλος, νομισμα Εβραιων ὠν, Αττικας δεχεται δραχμας τεσσαρας, *siclus vero qui est Habraeorum numisma, valet quatuor drachmas Atticas.* Eundem sicli valorem ex Philone eruit Bayerius, etsi is sicli explicate non meminerit. Nam pretium redemptionis voti in viris statuit δραχμας διακοσιας νομισματος ὁλαργυρου, *drachmas CC. ex moneta argenti puri.* Iam cum in Levitico cap. XXVII. 3 istud ipsum pretium statuatur L. sicli argenti, apparet, Philonem, qui eandem summam in drachmis computavit, siclum IV. drachmis aestimasse. Vt fides habenda est Iosepho et Philoni, qui Iudaei ipsi fuere, sic certe peccavere, quod pondus sicli comparatum nimio auxerunt, nam tetradrachmum Atticum pondere multum praestare siclo, jam pridem vidit Frölichius, cui pondus sicli integri est circiter granorum 229 librae Norimbergensis, cum tamen tetradrachmum Atticum appendat ejusdem librae grana circiter 284. Vide hoc ejus tentamen in Prolegomenis ad Annales Syriae pag. 84, ubi plura, quae ad monetae Hebraicae pondus pertinent, persequitur. At multo adcuratius est examen, quod nuper in siclorum pondere instituit Barthelemyus, quia plures contendendi facultatem habuit. Exstat illud in epistola, quam eruditus is Gallus ad Bayerium dedit, quamque hic sub finem suarum Vindiciarum pag. VI. vulgavit. Comparatis is siclis VII. reperit eorum pondus granorum Parisinorum 271 $\frac{3}{4}$, 268, 267, 266, 258, 256, pondus semisicli granorum 132 $\frac{3}{4}$. At vero pondus tetradrachmi Attici, quod idem vir praeclarus jam olim longo et operoso examine eruit, cujusque nos summam dedimus in Volumine I. hujus operis in Prolegomenis generalibus capite IX. pag. XLV., est circiter granorum 320 librae Gallicae. Ergo Iosephi testimonium cum numis ipsis comparatum justo intervallo differt. Propius ad verum pondus accessit D. Hieronymus, cum ait [b]): *Siclus enim viginti obolos habet, et quarta pars sicli quinque sunt oboli.* Cum drachma Attica contineat obolos sex, oboli viginti dabunt drachmas $3\frac{1}{3}$, cumque juxta Barthelemyi examen drachma Attica contineat circiter 80 grana Parisina, drachmae $3\frac{1}{3}$ efficient grana 267, quod pondus cum vero siclorum pondere mox indicato rite conspirat. Iosephum, qui pondus nimio auxit, excusare quidem conatur Barthelemyus, sed, ut videtur, magis amice, quam solide. Contra fuere, qui de sicli pondere plus justo detraxerunt, quos inter Hero Alexan-

a) Ant. Iud. L. III. c. 8. §. 2. b) in Mich. proph. cap. 14.

drinus illum didrachmum fecit, et staterem siclos duos complexum.

Monetam Hebraicam argenteam tantum, aeneamque novimus, aurea, saltem certae fidei, ignota.

NVMI

PRINCIPVM ET REGVM IVDAEAE

Hebraice inscripti.

Saeva regum Syriae imperia, ac praecipue Antiochi IV. jam pridem Hebraeorum ingenia suapte ferocia ad excutiendum jugum accenderunt. Gentis tandem suae mala miseratus MATHATHIAS ex stirpe Hasamonaeorum ducem sese extulit, spretisque regis mandatis suos, ut libertatem capesserent, est cohortatus. Moritur V. C. 587, A. X. 167, relictis filiis V. paternae virtutis ac consiliorum aemulis, *Ioanne*, *Simeone*, *Iuda*, *Eleazaro*, *Ionathane.*

IVDAS patri Mathathiae succedit, multis pro populi libertate praeclare patratis tandem in ipso praelii tumultu strenue dimicans occumbit V. C. 593 A. X. 161. Patris et filii nulli cogniti numi.

IONATHAN fratre Iuda demortuo dux Iudaeorum constituitur. Eum Alexander I. Syriae rex summum pontificem et amicum appellat missa insuper corona aurea et purpura. Denique pravis Tryphonis Syri artibus perit V. C. 611, A. X. 143.

Ionathani duo hactenus numi tributi, sed munere, ut mihi post alios visum, irrito; nam horum unus bilinguis verius est Alexandri Iannaei, alter pure Hebraicus incerti est principis, quem dabimus infra inter numos Hebraicos dubios.

SIMEON.

In fratris Ionathanis locum ducis, vel principis nomine succedit. Ei Demetrius II. Syriae rex non modo pontificatum et principatum confirmat, sed et tributa remittit, et genti libertatem impertit, in cujus memoriam beneficii constituta epocha, quae omnia confirmantur numis. Nono pontificatus anno a Ptolemaeo Abobi filio collocatis insidiis occiditur V. C. 619 A. X. 135.

Numi Simeonis.

Sub hoc demum principe certa Hebraeorum moneta incipit expresso Simeonis nomine, at quo ejus anno istud fieri coeptum, inquirendum. Plerique ejus numi annos aliquos epochae more, ut: anno I., vel II. etc. inscriptos praeferunt, addito: *redemptionis Israel*, vel *liberationis Israel*, *Sion*, *Ierusalem.* Hujus aerae initium commode definit auctor libri I. Macchab. cap. 13 v. 41: *Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum gentium ab Israel*, *et coepit populus Israel scribere in tabulis et gestis publicis: anno primo sub Simone sacerdote magno*, *duce*, *et principe Iudaeorum.* Procurata haec populo libertas indulgente Demetrio II. Syriae rege. Annus memoratus CLXX. est aerae Seleucidarum, qui coepit in autumno V. C. 611. Ab hoc igitur anno plane verisimile, inscriptos hos Simeo-

nis annos esse ducendos; nam dubium non est, extendendum etiam ad numos, quod auctor ejus libri in tabulis et gestis publicis scriptum dixit, quod apertius colligitur ex epistola Antiochi VII. Evergetae Demetrii II. fratris, quam is biennio, aut triennio post eidem Simeoni scripserat, et qua illi veniam signandae monetae propriae confirmare videtur: *nunc ergo statuo tibi omnes oblationes, quas remiserunt tibi ante me omnes reges, et quaecunque alia dona remiserunt tibi. Et permitto tibi facere PERCVSSVRAM PROPRII NVMISMATIS in regione tua.* Και ἐπετρεψα σοι ποιησαι ΚΟΜΜΑ ΙΔΙΟΝ ΝΟΜΙΣΜΑ της χωρας σου a). His ut praeclare ea, quae dixi stabiliuntur, tamen mirum nonnullis visum, annos in his Simeonis numis ultra quartum non progredi, cum is annos solidos VIII., nempe ab anno V. C. 611 usque 619 principatum tenuerit. Varias varii causas attulere. Forte post annum IV. coepere anni epochae in moneta reticeri, et ad haec tempora pertinent numi infra citandi, qui Simeonis quidem nomen, at sine anni mentione ostentant. Monendum, cl. Freretium negare, annos, qui in libro I. Macchabaeorum leguntur, esse aerae Seleucidarum, quod hactenus eruditis passim creditum, sed alterius, cujus initium figendum ad annum V. C. 447, de quo vide, quae olim monebo in expositione aerae Seleucidarum.

In recensenda Simeonis moneta placuit lex Bayerii eam secundum inscriptos annos recitantis, quibus continuo subjiciam eos, qui annum omittunt.

Annus I. Simeonis.

שקל ישראל Shekel Israel. *(Siclus Israel.) Calix, supra quem* א.
ירושלם קדשה Ierusalem Kedoshah. *(Ierusalem sancta.) Ramus trifidus cum floribus.* AR. I. (Bayer, et alibi.)

En tibi veram veri sicli imaginem Samaritanis inscripti literis, sed quibus hic et deinceps Assyrias substituimus. Pars adversa inscribitur *Siclus Israel*, ut adeo siclum comprobet ipsa etiam epigraphe. Non igitur probare possum conjecturam Bayerii, qui id genus numos, quod a pondere tetradrachmorum, ut capite IV. diximus, amplius deficiunt, tridrachma, sive dodrantes siclorum putavit b). Nam in numis anni I., II. et IV. videbimus, cum numus fuit pars totius, monetarios quoque hanc partem, ut: *dimidium*, *quadrans*, adscripsisse. Ergo cum hi, de quibus agimus, numi dicantur pure *sicli*, integri etiam, et non eorum partes erunt putandi. Calix putatur indicare vas illud, quo manna recondebatur. Elementum א supra positum significat annum I., quod ne dubium cuipiam videatur, vetant sicli anni II., in quibus elemento ב, sive II. praefigitur ש, seu litera ἀρχαιυσα τυ שנת *annus.* Neque vero dubium est etiam, elementa haec esse notas ejusdem epochae, quam mox in sequentibus videbimus, nimirum liberationis Israel sub Simeone, quae cau-

a) Macchab. I. c. 15. v. 5, 6. b) De num. Hebr. p. 70.

sa est, cur numos hos, quos autonomos jure dicere possis, quod principis aut effigie, aut nomine carent, Simeonis monetae accenseamus.

In parte aversa scribitur: *Ierusalem sancta*, quod elogium urbi proprium esse voluit non modo gens Hebraeorum, sed neque negaverunt exteri. Sic in epistola sua Antiochus VII. [a]) *Ierusalem autem SANCTAM esse et liberam*, et sanctam hodieque compellant ipsi Turci. Typus rami florescentis creditur indicare ramum Aaronis saltem ex mente rabbi Nachmanidis supra citati sub finem capitis II. Alii in eo aliud vident.

Prodiit nuper Petropoli libellus, cui titulus: *I. G. Kochii consil. Aul. etc.: Tentamen enucleationis hieroglyphicorum quorundam numorum* 1788 *ex typogr. imp.* Adjectae sunt tabulae aeneae, quas olim Klemmius libello suo *de numis Hebraeorum Tubingae* 1730 annexuit. Numos hos omnes Kochius nequaquam, quod inter nos omnes convenit, esse Samaritanos statuit, sed signatos in Aegypto, et inscriptos lingua Arabica, numos ipsos ramum palmae ac calicem vel urceum sistentes signatos esse hieroglyphis, Pharaones, id est: reges Aegyptios significantibus. Sensus inscriptionum, qui nobis est v. g. *Siclus Israel, Ierusalem sancta etc.* Kochio interprete est: *magnum agmen odore percepit*, et: *communi usui permissae palmae maris ramus siccus diffudit odorem*, etc.: Praetereo plura alia eo in libello contenta, quae auctori certa et explorata sunt visa, nobis, quorum praecordia ex pejore luto finxit deus, in ἀπιςοις putantur. Saepe querimur in circulis eruditionis nostra aetate defectum, forte rectius ejus abusum miserabimur, atque idem evenire sanae philologiae, quod nunc maxime sanae physicae, quam virtutis occultae praeceptis, incantationibus, teratologiis, atque omni fere veteris superstitionis apparatu inquinari, corrumpique videmus.

Observandum denique, hactenus tantum observatos siclos cum annis א, ב, ג, id est: I. II. III., et qui auctiores offerunt annos, in suspectis putandos. Deinde, in siclis, et semisiclis anni praesentis epigraphen *Ierusalem sancta* literis X exarari, at in siclis annorum II. et III. literis XIII. ut videbimus.

* * *

חצי השקל Chatsi hashekel. (*Dimidium sicli.*) *Calix supra quem* א. ירושלם קדשה Ierusalem Kedoshah. (*Ierusalem sancta.*) *Ramus trifidus cum floribus.* AR. II.

Hujus numi, qui est in museo regis Galliarum, et indicium, et ectypon Barthelemyus nuper communicavit cum Bayerio, qui ejus in Vindiciis suis meminit inter adnexas sub finem eruditi ejus Galli literas pag. V., expresso in proxima tabula aenea iconismo. Nunc primum vocabulum חצי, *dimidium*, occurrit, in semisiclo proximi anni, et in numo aeneo anni IV. rediturum. Cum vocabulo conspirat etiam pondus, nam appendit librae Gallicae grana 132 ¾, cujus duplum efficere pondus sicli, diximus capite IV.

a) I. Macchab. 15. 7.

* * *

שמעון נשיא ישראל Simeon nassi Israel. (*Simeon princeps Israel.*) *Palma.*

שנת אחת לגאלת ישראל Shenat achat legeulat Israel. (*Anno I. redemptionis Israel.*) *Pampinus.* AE. II. (Bayer tab. I.)

Eadem epigraphe exarata intra coronam pampineam.

Eadem epigraphe. Diota. AE. I. (Harduin, Bayer in fronte operis.)

Eadem epigraphe. Ramus palmae intra lauream.

Eadem epigraphe. Lyra. (Kircher Oedip. Aeg. et restitutus a Bayerio p. 26.)

Sunt numi hi omnes perrari. Palma vetus Iudaeae symbolum, pampinus videtur indicare laetam vini abundantiam, vel aliam aliquam sacram allegoriam. De utroque vide Bayerium a).

* * *

שנת אחת לגאלת יש (*Anno I. redemptionis Israel.*) *Botrus.*

Literae novem peregrinae a Samaritanis diversae. Palma arbor. AE. II. III. (Mus. Caes. Bayer tab. I. n. 4. 5.)

Hujus naturae numum primus edidit Harduinus, et commentario sui moris illustravit in Plinio suo b). Serius suum de illo judicium edixit Soucietus in sua de Hebraeorum numis dissertatione, et post hunc Frölichius reperto numo simili in museo collegii S. I. Post hos omnes ejusdem argumenti binos exhibuit Bayerius adjecto suo commentario c). Omnes eo conveniunt, his literis contineri nomen *Simeonis principis*, quale est in praecedentibus, sed scriptum literis alienis. At cum sententiae huic obstare viderentur literae in singulis variantes, (nam in omnibus his quatuor, videlicet Harduiniano, Frölichiano, et utroque Bayeriano, etsi idem est literarum numerus, tamen eaedem forma differunt) cum tamen, si idem nomen expressere, eandem debuissent obtinere formam, eo tandem se redactum vidit Bayerius, ut Simeonis nomen steganographica, seu arcana scriptura exaratum cogeretur conjicere, inventa eum in finem, ne nomine suo palam monetae inserto jus regum Syriae videretur velle violare d). Verum si istud, necesse erit admittere, quoniam elementa haec in omnibus variant, etiam legem steganographicam, qua exarandum fuit Simeonis nomen, saepe esse mutatam. Sed nolo cum hujus, tum Harduini, et Soucieti conjecturis commemorandis, quibus sua stabiliunt, diutius inhaerere, quod longius petitae sunt, et quod aenigmatica ejusmodi monumenta recte quidem eruditorum oculis subjiciuntur vulgata, sed et recte intacta relinquuntur, nisi cum dies probabilem aliquem explicatum sufficit, cujus naturae certe non est is, quem obtulit Bianconus, qui scripturam legit: אל עקר יהב, *deus abstulit afflictionem* e).

* * *

Annus II. Simeonis.

שקל ישראל Shekel Israel. (*Siclus Israel.*) *Calix, supra quem* שב. ירושלים הקדושה Ierusalaim hakedo-

a) Pag. 217. b) Tom. I. p. 432. c) pag. 155. d) pag. 169. e) de ant. lit. Hebr. p. m. 25.

scha. (*Ierusalem sancta.*) *Ramus trifidus cum floribus.* AR. I. (Mus. Caes. Bayer.)

Non differt hic siclus a siclo anni I., nisi literis שב, qui שנת ב, *annus II.*, notant, et numero literarum XIII., quibus aversae epigraphe exaratur. Reliqua vide ad siclum anni praecedentis.

* * *

חצי השקל Chatsi hashekel. (*Dimidium sicli.*) *Calix, supra quem* שב.

ירושלים הקדושה Ierusalaim hakedoscha. (*Ierusalem sancta.*) *Ramus trifidus cum floribus.* AR. II. (Bayer Vindic. pag. 34, iconismus est pag. 42.)

Illustrem hunc numum, neque aliunde hactenus cognitum, primus nuper vulgavit Bayerius, cujus similem, sed cum anno I. supra dedimus, cum quo conspirat etiam pondere, ut ibidem testatur Bayerius.

* * *

ירושלם (*Ierusalem.*) *Templum IV. columnis fultum, in quarum medio janua.*

שב לחר - - ישראל Shenat shetaim lacherut Israel. (*Anno II. liberationis Israel.*) *Calix.* AR. I.

Hunc musei Hunteriani numum Bayerius sub finem operis primi pag. XII. ex testimonio cl. Woide indicavit. Similem, sed in nonnullis diversum, exhibuit etiam Bayerius, quem describam infra in numis Simeonis anni incerti, quorsum explicatum differo.

* * *

שמעון (*Simeon.*) *Palma.*

ש ב לחר ישראל Shenat shetaim lacherut Israel. (*Anno II. liberationis Israelis*) *Pampinus.* AE. II. (Mus. Caes. Beyer p. 95.)

שנת שתים Shenat shetaim. (*Anno II.*) *Diota.*

חרת ציון Cherut Tzion. (*Liberatio Sionis.*) *Pampinus.* AE. III. (Mus. Caes. Bayer p. 95. et in Vindic. p. 46.)

Iam nunc occurrit vocabulum חרת, vel praefixo *Lamed* לחרות, vel parcius לחרת, vel לחר. Derivandum quidem videtur a חרת, *sculpsit, scripsit*, ex quo ergo substantivum חרות significaret *sculpturam, scripturam.* Quae significatio cum hoc loco non adrideret eruditis, dum ultra inquirunt, repererunt vocabalum illud in Mischnicorum libris pro *libertate* sumi, ut adeo serius haec ejus significatio fuerit introducta. Vide de hoc plura apud Bayerium [a]).

Etiam nunc *Sion liberatum* dicitur, cum numi praecedentes liberatum Israel praedicarent. Signati sunt adeo hi numi post diem XXIII. mensis II., quo docemur, Iudaeos Sionem ingressos, et qui fuit Simeonis annus II. [b]).

* * *

Annus III. Simeonis.

שקל ישראל Shekel Israel. (*Siclus Israel.*) *Calix, supra quem* ש ג.

ירושלים הקדושה Ierusalaim hakedoscha. (*Ierusalem sancta.*) *Ramus trifidus cum floribus.* AR. I.

Hactenus legis instar creditum, nullum exstare probae fidei siclum cum anno III. Vnicus tamen hic nuper illatus

a) Pag. 21. seq. b) I. Macchab. XIII. 51.

est in museum regis Galliarum, de quo Barthelemyus: *il est bien conservé et d'une antiquité incontestable*, ut lego sub finem Vindiciarum Bayerii pag. VII., qui et continuo pag. IX. ejus ectypon proposuit, quod plane ejusdem cum siclis anni II. rationis est.

* * *

שנת שלוש Shenat shelosch. (*Anno III.*) *Diota.*

חרות ציון Cherut Tzion. (*Liberatio Sionis.*) *Pampinus.* AE. III. (Bayer p. 116.)

* * *

Annus IV. Simeonis.

שנת ארבע חצי Shenat arba chatzi. (*Anno IV. dimidium sc. ponderis monetarii.*) *Malum citreum, hinc et illinc fasciculus ramorum.*

לגאלת ציון Legeulat Tzion. (*Redemptionis Sion.*) *Palma arbor, hinc et illinc vas frugibus refertum.* AE. II. (Bayer tab. IV. n. 1.)

Ramorum fasciculum ad Hebraeorum festum *Lulav*, quod *palmae ramum* significat, referunt eruditi. Alii aliter sentiunt. Vide plura apud Bayerium [a]). Malum citreum refertur ad morem, quo fructus is in xenopegiae festo gestari est solitus.

* * *

שנת ארבע רביע Shenat árva revia. (*Anno IV. quadrans.*) *Duo fasciculi ramorum.*

לגאלת ציון Legeulat Tzion. (*Redemptionis Sion.*) *Malum citreum.* AE. II. (Bayer.)

שנת ארבע Shenat arva. (*Anno IV.*) *Fasciculus ramorum, hinc et illinc malum citreum.*

Eadem epigraphe. Calix. AE. III.

Numi hi omnium sunt maxime obvii. Bianconus in antica numi sui, qui huic posteriori similis est, legit: פש ארבע, quas priores binas literas explet: שנת פסח *pascha anni*, nempe *quarti* [b]), adprobante ejus sententiam Swintono Anglo [c]). Non occurrit viris eruditis, elementum פ in nullo Samaritano certae fidei hactenus repertum. Numi integri hanc, quam dixi, epigraphen praeferunt.

* * *

Numi Simeonis absque annorum notae.

שמעון Simeon. *Porticus IV. columnis fulta, cujus medio intercolumnio adfixa lyra, in imo linea sinuata.*

לחרות ירושלם *Fasciculus ramorum, juxta malum citreum.* AR. I. (Bayer.) AE. (Bouteroue, Pembrock. P. II. tab. 85.)

Numus hic a variis editus, at correctius a Bayerio. Hic post alios existimat, hoc typo exhiberi mausoleum, quod a Simeone patris fratrumque exuviis magnifice in urbe Modin exstructum refert auctor Libri I. Macchabaeorum XIII. 27. Sed dubium movet numus alter similis a me supra in numis Simeonis anni II. descriptus, in quo teste Woidio juxta similem porticum scriptum legitur ירושלם *Ierusalem.* Sin istud, sistet sane typus substructionem aliquam, non quae in Modin, sed quae Hierosolymis stetit, quarum nomen juxta scriptum

a) Pag. 127. b) de Ant. lit. Hebr. p. m. 28. c) Trans. philos. Vol. L. p. 792.

est, et haud dubie ejus urbis aedificium aliquod illustrius, ut partem templi etc.

* * *

שמעון Simeon, *intra lauream.*
נשיא ישראל nassi Israel. *(Princeps Israel.) Amphora.* AR. III. (Harduin.)

Eadem adversa.

לחרות ירושלם lacherut Ierusalem. *(Liberationis Ierusalem.) Duae tubae.* AR. III. (Mus. Caes.)

Existimat Frölichius, in numo hoc fingi tubas duas, quas olim Moses dei jussu fieri fecit, ut earum cantu castrorum motus regeretur, ut legitur Numeror. X. 11.

* * *

שמעון Simeon. *Botrus.*
לחרות ירושלם lacherut Ierusalem. *(Liberationis Ierusalem.) Lyra.* AR. III. (Souciet.)

שמגעו *(sic)* Simeon, *intra lauream.* *Eadem epigraphe. Calix.* AR. III. (ex mus. Hunter. apud Bayer. sub. fin pag. XIII.)

שמעון Simeon. *(Palma.)* *Eadem epigraphe. Pampinus.* AE. II. (Mus. Caes. Bayer.)

Eadem adversa.

לחרות ירוש lacherut Ierus. *(Liberationis Ierus.) Botrus.* AE. III. (Mus. Caes. Bayer tab. VI.)

ון - - - Simeon. *Lyra.*
שלם - - - *Ierusalem. Ramus palmae intra lauream.* AE. III. (Bayer tab. VI.)

Numi Simeonis

imperante Hadriano cusi.

Prodigio simile, moneta Simeonis Halamonaei imperante Hadriano signata. Verum istud res ipsa eloquitur. En ejus testes numos hactenus repertos.

ון - - - *apparentibus in extima ora literis Latinis* NOPTI - - - NCI. *Botrus.*

לחרות - - ושלם *apparentibus in ora literis* P. M. TR. P. COS. *Lyra.* AR. III.

Numus hic primum vulgatus exstat in Bell. Lettr. Tom. III. hist. p. 184, eumque vidit et Soucietus in sua de numis Hebr. dissertatione p. 15. 16, ubi et alium similem ex museo regio citat. Eundem restitutum, et aeri incisum dedit Barthelemyus in singulari dissertatione, quam Vindiciis suis inseruit Bayerius sub finem pag. IX.

שמעון Simeon. *Racemus, in ora numi literae* ΤΠΔ.

לחרות ירושלם *Ramus palmae, in numi ora manifestae literae:* IAN. CEB. ΓΕΡ. ΔΑ. *apparente adhuc linea faciei imperatoriae.* AR. III.

Hujus numi descriptionem cl. Woide Anglus cum Bayerio communicavit, qui eum sub finem operis sui primi pag. XIII. vulgavit. Est in museo olim Hunteri.

עון - - *in area residuae literae* TR. *Botrus.*

לחרות ירושלם *Duae tubae, apparentibus adhuc vestigiis capitis Trajani.* AR. III.

Numum hunc musei abbatis Tersan eodem loco vulgavit Barthelemyus, restituit una cum iconismo Bayerius.

Ex his numus prior ex museo Pontcarrei supremi apud Rothomagenses praesidis protractus eruditum Gallorum consessum, ut indicato loco videre est, primum in admirationem rapuit, deinde in varias sententias distraxit. Istud continuo ab omnibus animadversum, esse

numum Trajani, docentibus hoc residuis literis Latinis. Alii ejus impugnare cimelii fidem, alii adfirmare, additas scalpello per fraudem literas Latinas, alii, novam Trajani matricem veteri Simeonis numo temere impressam, alii recentiorem esse Simeonis matricem et Trajani numo superinductam credere, quae postrema sententia cum adrideret etiam erudito Henrion, adserere non dubitavit, numos Hebraicos omnes Simeonis nomine insignes non esse Simeonis Macchabaei, qui aliquot saeculis Trajanum praecessit, sed Simeonis Barchocebae, qui imperante Hadriano populares Iudaeos ad excutiendum Romanorum jugum cohortatus gravissimi ejus belli auctor exstitit, atque istud tanto videri certius, quia Basnagius [a]), aliique in veterum Iudaeorum scriptis repererunt, Barchocebam nomine suo feriundos numos curasse.

Nemo non videt, rei summam eo niti, ut certi reddamur denique, ad quem novicius character pertineat, ad Simeonem qualemcunque numo inscriptum, an Trajanum. Ajo ad Simeonem, qua in sententia facile mihi cum cl. Henrion convenit. Enimvero in numis id genus recusis illum jure censebo novicium characterem, cujus signa in media numi area sunt evidentiora, at veterem dicam illum, cujus signa fere abolita sic tantum tralucent, ut per spissam nebulam sol, cujusque aliquot solum literae illaesae mansere in numi margine, quorsum matrix recens ab exstantioribus mediis numi partibus impedita pertingere non potuit. At in omnibus his, quos citavi, numis, quod Hebraicum est, dominatur, imperator extrusus veteris juris non habet, quod ostendet, praeter residuas in ora literas, et fugientia augusti capitis lineamenta. Addo argumentum aliud ex penu numismatica depromptum. Si in numo primo novicius character est Trajani veteri Simeonis Macchabaei inductus, ubi gentium statuemus hunc signatum denarium? Romaene? at quis credat, veterem Macchabaei numum aut in urbem evasisse, aut tam oscitantes fuisse illustris ejus imperii monetarios, ut massam jam signatam malleo iterum subjicerent? An foris? At ea aetate monetae Romanae officinam extra urbem non novi. At, inquies, Trajanus bellum gessit in Oriente; facile ergo monetarii, qui castra sequebantur, cum in Syria incudem exercerent, Simeonis numum, quem propter Iudaeae viciniam ad manum habebant, potuerunt recudere. Verum neque istud potest admitti, nam inscriptum OPTIMO. PRINCIPI satis evincit, denarium hunc signatum, antequam in Orientem proficisceretur Trajanus, ut docebimus in moneta Trajani, et quod sequitur, numum urbi natales suos debere. Non satis haec argumenta apud animum versarunt ii, qui Trajani χαραγμα aetate posterius crediderunt. Sed enim qualecunque istud effugium placuit eruditis, quod omnia alia malebant, quam signatam Simeonis nomine ea aetate monetam agnoscere. Tamen veterem Trajani characterem in suo agnovit Woidius, non ausus est aperte negare Bayerius [b]).

---

a) Hist. des Juifs. L. VI. ch. 9. b) Num. Hebr. p. 238, et in Prologo.

Male rem suam agunt, qui hanc sententiam tuentur propterea, quia difficile est explicare, quis Simeoni Macchabaeo nexus sit cum aetate Trajani. Antequam istud ago, nonnihil immorandum memoratae supra Henrionis sententiae, qua is sanxit, numos omnes Simeonis nomen praeferentes non esse ejus Macchabaei, sed Simeonis Barchocebae famigerati sub Hadriano Pseudomessiae. Iudicium istud, quod audacius visum, nemini, quod norim, adrisit, ac propterea continuo impugnatum a Pinartio, sed qui argumentum validissimum, et quo uno tota Henrionis doctrina disperit, opponere neglexit. Nam quod omnium maxime inquiriri oportuit, fueritne huic Barchocebae nomen Simeonis, quod tribuit Henrion, neque a Pinartio fuit inquisitum, neque serius a Biancono, Bayerio, aliisque, sed ab Henrione prolatum temere passim creditum. Et tamen nullum exstat monumentum, in quo is Simeonis nomine compelletur. Quod si Simeon dictus non est, aut saltem sic dictum probari nequit, qua illi fiducia tribuemus numos Simeonis nomine insignes, et non modo hos, in quibus sumus, bilingues, sed etiam alios omnes, quorum cum Simeone illo Macchabaeo nexum ipsa epigraphe, ut vidimus, aliaeque causae abunde stabiliunt?

Alia ergo ad eos explicandos tentanda via, eaque ut insolentior, sic ab ipsis horum numorum causis imperata. Iam istud indubitatum, eos neque ante Trajanum, neque post Hadrianum feriri potuisse. Non ante Trajanum, quod hujus nomine sunt inscripti; non post Hadrianum, quod exacti hoc imperante ex Iudaea Hebraei et toto orbe dispersi non amplius in unam gentem coaluere, nullo adeo monetae propriae, et lingua patria loquentis futuro usu. Intra hos limites non aliud horum numorum genesi commodius tempus adsignabimus, quam quo Barchocebas palam obsequium detrectavit, et elato belli signo populares suos a Romanorum servitute ad pileum vocavit. Istud si admittas, facilem habes hujus monetae explicatum. Erat tum Iudaeorum fortuna non absimilis illi, quam Macchabaeorum aetate experti sunt. Pressi tum a regibus Syriae, et ad tributum adacti, nunc a Romanis. Inter haec mala exstitere tum Mathathias ejusque filii, quibus ducibus excussum denique per vim jugum, et parta genti libertas, quam nunc provinciam in se suscepit Barchocebas. Ergo ille idoneo consilio veterem Simeonis, quo olim propugnante ablatum jugum gentium, monetam resuscitavit, ut populum ea conspecta pristinae majorum virtutis commonefaceret, essetque, ut fuit tum, testimonium publicum restitutae libertatis. Quod vero numos imperatorios in monetae patriae usum convertit, causam video duplicem, alteram necessariam, arbitrariam alteram, sed meditatam. Vnam necessariam dixi, quod, ut fit in tumultuario imperio, non continuo praesto fuere, quae ad metallum flandum feriundum requiruntur. Commode defectum suppleverunt numi imperatorum, quorum magna tum ubique copia, ac praecipue Trajani.

Idem accidisse vidimus in subitis nonnullorum tyrannorum imperiis; nam et Regalianus et Dryantilla fere semper in aliena moneta habitant. Altera causa fuit, quod novos numis imperatoriis typos inducendo monetam exteram in monetam moris Iudaici convertit, ex qua pro vetere instituto quaevis animantium signa exulabant. Adde contumeliam, quae speciem praebuit in ipsius principis caput saevientium, conjurantiumque, cum ex moneta eum publica deturbarent. His ergo de causis veterem monetae patriae morem revocavit, aut verius numos veteres Simeonis restituit, eodem plane modo, quo numos consulares eadem fere aetate a Trajano restitutos videmus servatis tam anxie eorum archetypis, ut nisi epigraphe restitutos diceret, hodieque cum archetypis misceremus, et tamen utrorumque aetas sic distat, ut aetas numorum Simeonis Macchabaei, et eorum, quos a Barchoceba restitutos dixi. Quod si scriptorum veterum nullus meminit, hanc a Barchoceba restitutionem tentatam, at neque veterum quispiam restitutae a Trajano monetae meminit.

Perlatis nuper ad me, quas avide exspectaveram, Bayeri Vindiciis vidi, idem argumentum haud ita pridem tractatum quoque fuisse a cl. Barthelemyo, ut supra ad hujus generis numum primum indicavi. Quo in ratiocinio ita mihi cum viro summo convenit, ut in his, quae in hac causa modo exposui ante annos jam plures literis tradita, nihil occurreret, quod mutandum videretur. Addit idem in eadem dissertatione, ab his numis valide confirmari, quod pridem docuerat, literarum Samaritanarum usum apud Iudaeos saltem usque ad alterum post Christum saeculum valuisse.

Numos primum ac tertium, quos initio descripsi, esse ex obviis Trajani denariis, facile inspicienti patebit. Alter pondere drachmae obvius item est ejusdem imperatoris ex eorum genere, quorum aversa inscribitur ΔΗΜαρχικης ЄΞυσιας ΥΠατος Β. vel Γ. vel Δ etc. qua ex epigraphe superest tantum ΥΠΑ., id est: COS. IV. Ex inscriptione partis anticae alterius incudis injuriam evasere literae τραΙΑΝ. CЄΒ. ΓЄΡ. ΔΑκικος etc.

De numis Hebraicis dubiis.

יאוחננהן הכוהן הנשיא *(Ieoçhannahan sacerdos princeps) intra coronam.*

Literae dubiae. Duplex cornucopiae intermedio papavere. AE. III. (Bayer Num. Hebr. p. 176.)

In alio simili:

- - - - - יהוחנן *superne* A *reliqua epigraphe dubia.* AE. III. (Bayer l. c. p. 178. Mus. Caes.)

יונתן הכהן הגדל והבריו, *(Ionathan sacerdos magnus et - - - -) intra coronam.*

Duplex cornucopiae intermedio papavere. AE. IV. (Barthelemy B. L. Tom. XXIV. p. 49.)

Alios similes a variis editos separata tabula pictos stitit Bayerius a), ad quos animadvertendum, omnes inter se

a) Num. Hebr. p. 190.

quidem esse simillimos modulo, typo, versuum numero, literarum forma, situ, et ordine, sed tamen in iis variare vocabula, et observari complures literas diversas ab iis, quas in Simeonis moneta videmus.

Numum III. *Ionathani* summo pontifici, et ante Simeonem fratrem, sub quo moneta Hebraica, quam hactenus descripsimus, signata est, vita functo tribuit Barthelemyus, at Bayerius hunc, et similes omnes *Ieochannahani*, seu *Iohanni* Hyrcano Simeonis filio. Lubet audire praecipuas ejus causas.

Omnes hi numuli, inquit a), adeo sunt inter se similes, ut necesse sit, eos esse unius principis. Quod si placet eos inter plures principes dividere, sic ut horum alii ex mente Barthelemyi sint vere Ionathanis, alii ex mente sua Iohannis Hyrcani, necesse erit statuere, Hyrcanum in cudendis numis suis respexisse exemplar numorum, quos patruus Ionathan feriundos curavit. At cur Hyrcanus potius exilem hanc despectamque Ionathanis monetam imitaretur prae illustri altera, quam vidimus, patris Simeonis? cur formam literarum, quam in patris numis viderat, immutaret, et revocaret eas, quae sunt in numis patrui? Cur Ionathan *sacerdotis magni* titulo est usus, quando eo usus non est Simeon successor, aut cur hic eo abstinuit, quando illo gloriatus jam est frater Ionathan, qui praecessit? Sunt haec Bayerii argumenta gravissima, reliqua praetereo, quod aut infirmiora sunt, aut numos ab eo Iohanni Hyrcano tributos aeque feriunt. Concludit b), hunc quoque Barthelemyi numum Hyrcano esse tribuendum. Quod si in eo revera Ionathanis nomen legitur, factum istud contendit seu caelatoris oscitantia, seu quod Hyrcanus Ionathanis quoque nomen tulerit, ut eum appellat Eusebius. Iam vero antea professus est c), se in aliis id genus numulis, quos sive Pembrockius, sive alii edidere, *Iohannis* nomen satis liquido legere.

In universa hac lite quae tenenda sententia, quae aspernanda? Causam fateor ancipitem, et tenebris undique circumseptam. Me quidem judice omnes hujus argumenti numuli unum eundemque principem habebunt auctorem, quod toto cultu habituque simillimi sunt, et facile adsentior Bayerio adserenti, verisimile non esse, Hyrcanum, cujus quoque nomine id genus numos signatos agnoscit Barthelemyus, contempta monetae patriae forma ad modulum monetae patrui Ionathanis redivisse. At quis statuendus Iudaeorum dux horum auctor numorum? Istud enimvero pendet a vocabulo, quod in horum numorum epigraphe versum primum constituit, et quo contineri principis nomen conspirant omnes. Verum cur vocabulum istud fere in singulis aliter exaratur? In Barthelemyano satis luculentum est *Ionathan;* in Bayerianis praetensum Iohannis nomen jam scribitur *Ieochannahan*, jam *Iehochanan*, idem in aliis numis vocabulum, etsi aliis literis scriptum, ad eandem *Iohannis* significationem adigit Bayerius. Habeo ante

a) Num. Hebr. p. 192. b) l. c. p. 199. c) l. c. p. 192.

oculos id genus numos sex, quatuor ex museo Caesareo, binos ex museo Neumanni nostri; ex his unicus est, qui conspirat cum numo in tabula Bayeriana num. IV. posito, reliqui cum inter se, tum ab omnibus ibi propositis discrepant. Idem observavit in numis similibus musei Hunteriani Woidius, ut ipse in epistola ad Bayerium data, hujusque operi ad calcem adjecta testatur. An ergo admittemus, principis Hyrcani nomen in numis uno eodemque tempore cusis tot formarum fuisse patiens? Quod si quis volet contendere, quotiescunque versus primi characteres variant, toties alium principem intelligendum, nae is saltem octo varios principes constituat, nam mihi saltem octo id genus numi sunt cogniti, in quibus ii characteres toto, ut ajunt, coelo differunt, et ex quibus neque Ionathanis, neque Iohannis nomen quantocunque conatu elicias. Satius igitur, horum examen numorum hactenus intentatum relinquere, aut saltem non magnopere illi immorari, quod post magnos et hiatus et conatus in conjecturas denique parum proficuas desinimus. Nimis in illo multa progressum difficilem reddunt, imperfecta linguae scientia, characteres partim ignoti, partim in exilibus his numis male expressi, aut etiam exesi, plures propter raritatem contendendi difficultas, denique historicorum ejus tractus inopia. Quid si negare vellem, numos hos esse principum Hasamonaeorum, quis poterit me falsi arguere? Iam istud inter omnes certum, horum vocabula numorum componi literis, quarum complures alia sunt forma, quam qua sunt ii, quibus certi Simeonis numi inscribuntur. Quis vero credat, intra paucos annos sic eas sub unius regionis principibus degenerasse? Habuit vicina Idumea et Arabia suos regulos sui per intervalla juris et ritus Iudaici, nonnullorum etiam certos habemus numos. Quis negare ausit, ab horum quopiam monetarium sibi jus adrogante hos signatos numos inscriptos quidem literis Hebraicis, sed quae pro regionis diversitate variabant? Et forte tota similium numorum epigraphe, quam adhibitis tormentis principis jubemus nomen profiteri, aliud non est, quam sacra quaedam sententia, cujusmodi serius Arabum moneta ex Korano depromptam solet ostentare. Sic et sententiam includit famigeratus ille Sidoniorum numus a nobis in numis Phoeniciis prolatus, et sententiam videre sibi visus est Pellerinius in numo bilingui Antigoni, quem infra proponam. Non est mihi animus, singularem hanc ejus opinionem tueri, ajo tantum, diversam esse posse harum inscriptionum explicationem, et forte eam, quam viri eruditi hactenus se reperisse credidere, ἐρανιον ὁσον fallere. Scilicet ut eorum ego consilium laudo, proboque, qui ejuscemodi numos curate descriptos in lucem edunt, et conjecturis sobrie ac parce illustrant, sic nolim eorum sequi institutum, quos in iis explicandis copiosos et obnixos video, non multo hactenus felicius collocata opera, quam fuit ab iis, qui in situm paradisi terrestris inquisivere. In his cum essem, forte fortuna in Barthelemyi epistolam ad Bayerium datam incidi, in qua summus hic vir, et in hac arena insignis prae aliis famae candide profitetur,

sese eruditorum in hoc argumento altercationes et dissidia denique pertaesum istud studiorum genus abjecisse, quo magis amoenis deinceps disciplinis posset vacare [a]).

* * *

Inter numos incertos hujus classis referendi etiam sequentes:

Diota, hinc et illinc litera varians Samaritana.

Botrus cum pampino. AE. III. (Bayer Num. Hebr. p. 202.)

Numos similes quatuor exhibuit Bayerius addito amplo commentario. Conjicit, tribuendos Alexandro Iannaeo, de quo mox, aut hujus filio Aristobulo, quem narrant adventanti Pompejo ingentis pretii vitem auream, quam in his numis exhiberi existimat, obtulisse. Mutavit serius mentem. Nam cum simili altero sibi forte oblato inscriptum legeret ΙΟΤΛΙΑ, numum hunc aliosque adeo huic similes Iuliadem Galilaeae urbem vocandos sanxit [b]), malim Iuliae Tiberii matri tribuendos, ut dicemus infra in classe III. in hujus Augustae numis.

Numi principum Iudaeae

inde a Simeone usque ad Herodem Magnum.

Simeoni V. C. 619 A. X. 135 insidiis, ut diximus, caeso

IOHANNES filius in pontificatu sufficitur, cui cognomen *Hyrcani* fuit, quod Antiochum VII. ad bellum Parthicum comitatus Hyrcaniam subegit. Samariam Iudaeis perpetuo inimicam evertit. Moritur V. C. 647 A. X. 107 relictis filiis *Iuda*, *Alexandro Iannaeo*, et *Antigono.*

Fuere, qui huic Iohanni Hyrcano numos tribuerent, sed conjecturis parum solidis, ut paullo altius dictum.

IVDAS, qui et *Aristobulus*, et *Philellen*, patri succedit, et se regem primus appellat fratre Antigono aliquamdiu regni socio. Moritur V. C. 649 A. X. 105.

ALEXANDER IANNAEVS *et* IONATHAN

reges.

Alexander fratre mortuo alter Iudaeae rex, saevi et inquieti ingenii. Moritur V. C. 675 A. X. 79 relictis filiis *Hyrcano* et *Aristobulo.*

De Ionathane ignota omnia, ut dicetur.

Numi:

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΤ. *Ancora.*

Astrum, inter cujus radios literae Samaritanae. AE. IV.

Primum stabiliendi typi. Antica indubitatam ancoram offert. De aversae typo variant sententiae. Rotam dixere Barthelemyus [c]), et Pellerinius [d]). Ego olim coronam malebam [e]). At numus similis nitidior, quem serius museo Caesareo intuli, tum similes alii,

---

a) Bayer Num. Hebr. sub. fin. p. XXI. b) Vindic. p. 24. c) B. L. Tom. XXIV. p. 61. d) Rois p. 214. e) Catal. mus. Caes. Tom. I. p. 248.

quos Neumannus noster possidet, luculentum astrum exhibent. Quod vero illud nonnullis aut rota, aut coronā visum est, fecit circulus extimas radiorum partes ambiens, sed et hic in simili Neumanni ancoram partis anticae ambit, cujus ille causam uni monetarii libidini recte imputat.

Quaerendum deinde, quis sit Alexander, quem numi hi diserte memorant. Primus, qui, ni fallor, numum similem promulgavit, Frölichius eum Alexandro Syriae regi, incertus tamen, primone, an secundo, adscripsit, nihil de fabrica Iudaica suspicatus, quod in suo literae peregrinae astri radiis interceptae oculum fugerunt [a]). Barthelemyus et Pellerinius, quod literis his *Ionathanis* nomen perscriptum legere visi sunt, signatos hos in Iudaea numos statuerunt, scriptumque in altera numi pagina nomen Alexandri I. Syri, quod ab hoc Ionathan dictus est summus pontifex et amicus, ut auctor libri I. Macchab. cap. 10 testatur [b]). Horum sententiae accesseram ego, et proxime Neumannus [c]). Et suadebant istud causae sane probabiles, ac primum quidem mutua inter utrumque principem amicitia, cumque Ionathan confirmatum pontificatus jus Alexandro deberet, eadem ratione videri potuit regis praepotentis et de se bene meriti nomen in moneta sua sociasse, qua subinde reges Ciliciae, Ponti, Bospori atque etiam Iudaeae Romanorum principum vultus aut nomina monetae suae commiserunt. Causam promovit ancora Alexandri nomini adstituta, gentilicia, ut omnes noverunt, regum Seleucidarum tessera, qua hoc loco signanda profiteri visus est Ionathan, Alexandrum e Seleuci sanguine prognatum, quem in illustrem hanc stirpem per nefas intrusum communis tum ferebat opinio. At horum omnium conjecturis adversus Bayerius nequaquam, ajebat, in his numis agi de Alexandro quopiam extero, sed ejus nominis rege domestico, nimirum vel Alexandro Iannaeo Iohannis Hyrcani filio, vel altero Alexandro Aristobuli II. filio, qui a Pompejo M. una cum patre Romam abductus falsis per iter custodibus in Iudaeam reversus aliquamdiu turbas dedit, donec a Gabinio in ordinem redactus est [d]).

Dixi supra, in parte aversa horum numorum intra astri radios contineri literas Samaritanas, quae judicio Barthelemyi et Pellerinii *Ionathan* significant. Ac Barthelemyus quidem non modo multo serius veterem suam sententiam tueri perrexit, sed testatus insuper est, oblatos sibi fuisse numos, in quibus Ionathanis nomini nomen aliud *regis* adjectum reperit, scripto nimirum inter radios יהוכתן מלך *Iehonathan Melech, (Ionathan rex.)* Lege haec a viro erudito tradita ad calcem Vindiciarum Bayerii, ac primum in sua ad Bayerium epistola p. IV., deinde in adjecta altera epistola ad auctores diarii *Journal des Sçavans* pag. XV. XVI., ubi et numi imaginem expressam habes.

Cum causam dubiam implexamque habemus tractandam, aliud, quod cum ratione agamus, non superest, nisi ut

a) Annal. Syr. p. 67. b) ll. cc. c) ll. cc. d) Num. Hebr. p. 198.

primum, quae certa sunt, commonstremus, iisque fruamur, deinde edisseramus, quae incerta, eorumque enucleationem permittamus posteritati. Numulos hos esse Iudaicos, dubitari nequit, partim quod animantium absunt imagines, partim quod literis Samaritanis sunt inscripti. Satis etiam verisimile, nomine ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ non intelligendum Alexandrum Syrum, sed regem hoc nomine indigenam. Exstant enim numuli alii non multum absimilis rationis, quos proxime recensebo, qui certe sunt Antigoni Iudaeae regis, et hinc regis quidem nomen Graece scriptum: ΒΑCΙΛΕΩC. ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ, illinc item epigraphen Samaritanam exhibent. Vt ergo in his necesse non est, exterum quempiam Antigonum respicere, sic neque in praesentibus exterum Alexandrum. Ex binis Alexandris indigenis, quos supra memoravi, potius in praesentes numos jus haud dubie est Alexandro Iannaeo, qui ipsos annos XXVII. regno praefuit. Quo minus Alexandrum alterum malim, in quem magis inclinat Bayerius, in causa est, quod is nonnisi per seditionem Iudaeam invaserat, neque, quod constet, regis nomen tulerat. Diximus, qui Alexandrum Syrum praeferunt, potissimum typo ancorae niti. Non repugno, ancoram commode ad Syriae regem referri, sed ajo etiam, posse illa seu sacram, seu allegoricam significationem contineri, perinde ac botro, pampino, ramo, calice, palma, ac similibus. Sic et numi Tiberiadis Galilaeae ancoram sistunt nullo utique cum Syriae rebus nexu.

Quod ad Ionathanis nomen attinet, credamus Barthelemyo adserenti, manifeste illud in numis suis legi, tametsi ipse non habeam, quo istud confirmem. Habeo ante oculos numos id genus quinque, sed in quibus omnibus literarum radiis interceptarum tenuia tantum supersunt vestigia. Sed quis deinde erit horum numorum Ionathan? Conjecerat olim Barthelemyus, esse ejus, qui in Iudaeae principatu fratrem Simeonem praecessit. Verum mutavit sententiam, ex quo in numo suo *regis* titulum Ionathani additum vidit, cum certum sit, primum fuisse inter Hasamonaeos Iudam Aristobulum, qui in regium nomen invaserit. At quis hic rex Ionathan, cum de Iudaico hujus nominis rege non constet? Iudicium istud meas vires excedere tanto fateor lubentius, quanto apertius professus est Barthelemyus ipse regii hujus numi praeco et index, ad explicandum hoc dubium praeter conjecturas nihil sibi praesto esse.

* * *

Alexandro Iannaeo numos alios Bayerius olim per conjecturam adscripsit, sed retractavit serius, ut diximus supra in numis Hebraicis dubiis.

* * *

Alexandro Iannaeo in pontificatu succedit filius *Hyrcanus*, sed eo victo regnum occupat frater *Aristobulus II.* At Pompejus tum Damasci agens auditis utriusque fratris juribus Hyrcanum pontificem, sed absque regis nomine constituit, Aristobulum cum filiis Alexandro et Antigono captum Romam abducit. Libertate subinde a Caesare donati, et in Iudaeam reduces Aristo-

bulus pater filiusque Alexander Pompejanorum artibus occumbunt uno deinceps superstite Antigono, de quo continuo.

ANTIGONVS.

Aristobuli II. filius. Vitatis Pompejanorum insidiis, quibus, ut dixi, pater fraterque succubuere, a Iulio Caesare ex Aegypto Syriam ingresso adversus Hyrcanum pontificem ac patruum regnum Iudaeae petit, sed non impetrat, quod Caesar Antipatro Herodis M. patri, et Hyrcani in rebus omnibus administro palam faverat. Occiso Caesare Antigonus a Parthis, qui V. C. 714 duce Labieno Syriam invaserant, quosque magnis sibi muneribus devinxerat, Iudaeae rex praepositus Hyrcanum foede mutilatum Hierosolymis ejicit, ipse biennio post a M. Antonio, qui Herodem Iudaeae regem designavit, per Sosium legatum capitur, virgisque caesus securi percutitur V. C. 716 principum, regumque stirpis Hasamonaeorum postremus.

Numi:

- - - - ANTIΓNOT *(sic) scriptum extrinsecus circum coronam.*

Duplex cornucopiae, intra quod duae literae Samaritanae, circum illud extritis aliis superstites literae כהן גדל Cohen gadol *(Sacerdos magnus).* AE. II. (Barthelemy B. L. Tom. XXIV. p. 49.)

BACIΛΕΟC. ANTIΓON. *intra coronam.*

Cornucopiae simplex, circum similes literae גדל כהן *praeter extritas alias.* AE. III. (Barthelemy l. c.) In simili musei Caesarei adverto luculentas literas מתת Mathath. Alios duos similes vulgavit Pellerinius, sed in uno legitur BACIΛ. ANTIΓ., in alio: BACIΛΕΩC. AN. AE. II. (Rois tab. XVI.)

BACIΛΕΩC. ANTIΓONOT. *extrinsecus scriptum circum coronam, intra quam* E.


Duplex cornucopiae, intra quod et extra literae Samaritanae. AE. II. (Pellerin Rois tab. XVI.)

BACIΛΕΩC. ANTIΓONOT. *extrinsecus scriptum circum coronam.*

Duplex cornucopiae multis intra et extra hoc literis Samaritanis. AE. II. (Pellerin Suppl. IV. p. 119.)

In priores binos additis eorum iconismis praeclare commentatus Barthelemyus eos invicte huic Antigono vindicavit, cum ab aliis aut Antigono Macedoniae regi, aut Antigono Asiae regi, aut Antigono Ioannis Hyrcani filio, qui cum fratre Aristobulo I. aliquamdiu Iudaeae regnum tenuit, adscriberentur. Plus molestiae dedere literae Samaritanae, quod earum major pars aevum non tulit paucis superstitibus, ex quibus, ut dixi, vocabula *sacerdos magnus* conficiuntur. Idem duas literas, quas in numo primo dixi intra duplex cornucopiae consistere, legit ש א, id est: *anno I.* nempe regni Antigoni. Istud si verum, probabile etiam, literam, quae est in corona numi III., quamque Pellerinius E existimat, esse potius Samaritanam, et quidem *aleph* eodem explicatu, ad cujus etiam formam in numi pictura accedit. Pel-

STEMMA HERODVM.



lerinius numi postremi epigraphen explicare aggressus mire se torsit, dum tandem sequentem sententiam extunderet: *Mathathias sacerdotium juxta bonum praeceptum dei transportavit.* Sed utrum haec interpraetatio vere sit ex genio linguae Hebraicae, et hoc viri eruditi judicio standum, arbitrentur alii. Quae sit mea in similium explicatione inscriptionum sententia, satis supra exposui, quo loco de numis Hebraicis dubiis egeram. Satis esto, Barthelemyum in suis ad Bayerium literis, quas hic ad Vindiciarum suarum calcem posuit, testari, literas Pelleriniani hujus numi multum esse vitiatas a). Tamen istud certum, in numo II., quem ex museo Caesareo exhibui, literas מתת *Mathath* non esse ambiguas, cumque idem vocabulum Barthelemyus videret in numo suo, et in aliis similibus certam epigraphen כהן גדל *sacerdos magnus*, inscriptionem numi integram efficit: *Mathathias sacerdos magnus*, quam praeterea conjicit ad ipsum Antigonum pertinere, quia qui Graecis Antigonus, idem Iudaeis videtur dictus Mathathias, quo modo Aristobulo domesticum nomen fuit Iudae, Alexandro nomen Iannaei etc. Vide haec pluribus discussa in Bayerii Vindiciis sub finem pag. XV.

CLASSIS II.

NVMI REGVM ET PRINCIPVM HERODIADVM.

Fuit Herodiadum stirps postrema principum indigenarum, quae regio nomine Iudaeae praefuit, qua exstincta ad nostram usque aetatem exteris imperiis paruit. Exstant ejus principum numi justo numero, sed rari plerique, et non solum ob hanc causam, sed etiam quod historiam cum sacram, tum profanam magnopere illustrant, avide semper expetiti. Eorum catalogum olim scripsit Harduinus in sua *de numis Herodiadum* dissertatione, quae est in ejus Operib. selectis p. 328, quem subinde copióse auxit Frölichius b). Operae pretium puto, omnem Herodis genealogiam hoc loco ob oculos ponere, non levi ad explicandos ipsos numos subsidio. Eam post alios proposuit cl. Brotierus in suis ad Tacitum notis c), etsi in nonnullis mancam, uti v. g. in Herode M. omisit uxorem primam Dorin matrem Antipatri. Nostris usibus sequens catalogus, etsi contractior sufficiet. Qui plus desiderat, adeat Reinerum Reineccium.

STEMMA HERODVM ILLVSTRATVM.

1. ANTIPATER, dynasta Idumaeus, Hyrcano a consiliis, et in rebus gerendis primus administer. Ejus uxor 2) CYPROS nobilis ex Arabia prosapiae. Vide Iosephum, ex cujus testimoniis etiam quae sequuntur, pleraque deprompta.

3. HERODES MAGNVS. Vide numos.

4. DORIS uxor prima, plebeia, ex

a) Pag. IV. et XIV. b) Regg. vet. num. anecd. p. 90. c) Tom. II. p. 368.

aula ejicitur. Ejus filius 5) ANTIPATER. Postquam multas in patrem fratresque turbas dedisset, patris jussu paullo ante hujus mortem occiditur.

6. MARIAMNE patre Alexandro, Aristobulo II. avo genita, altera Herodis M. uxor.

7. ARISTOBVLVS Herodis M. et Mariamnes filius, a patre occiditur.

8. BERENICE Aristobuli uxor ex Idumaeis oriunda, Antoniae Claudii Aug. matris familiaris.

9. AGRIPPA I. Aristobuli et Berenices filius. Vide numos.

10. CYPROS filia Phasaeli, Agrippae I. uxor. Ei Iuliae nomen a nonnullis perperam adfictum est. Vide proximam Berenicen.

11. AGRIPPA II. Agrippae I. et Cypri filius. Vide numos.

12. DRVSVS moritur infans.

13. BERENICE Agrippae I. et Cypri filia, nupta primum Herodi Chalcidis regi, deinde Polemoni II. a patrio Ponti regno ad partis Ciliciae regnum traducto, sed a quo innata sibi levitate discedit. Tito Caesari occasione belli Iudaici cognita et impense amata victorem Romam comitatur, serius a Tito generose dimittitur, quod hunc amomorem displicere Romanis intellexit. Ad eam pertinet celebre epigramma, quod Athenis vidit Sponius: (Voyage Tom. III.)

ΙΟΥΛΙΑΝ. ΒΕΡΕΝΙΚΗΝ. ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ. ΜΕΓΑΛΗΝ. ΙΟΥΛΙΟΥ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΘΥΓΑΤΕΡΑ. ΚΑΙ. ΜΕΓΑΛΩΝ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ. ΤΗΣ. ΠΟΛΕΩΣ. ΕΚΓΟΝΟΝ.

Iuliam Berenicen reginam magnam Iulii Agrippae regis filiam, et magnorum regum benefactorum urbis neptem. Mirum sane, hanc epigraphen a Frölichio [a]), eumque secuto Brotiero referri ad Cypron Agrippae I. uxorem, cum singula paene verba huic sententiae adversentur. Errori causam praebuit numus Graecus inscriptus: ΑΓΡΙΠΠΑΣ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΚΑΙ. ΙΟΥΛΙΑΣ. ΥΙΟΣ, quem jam Harduinus adscripserat Agrippae II. Agrippae I. filio [b]), cumque in numo hujus mater dícatur *Iulia*, creditum continuo, Cypron dictam quoque fuisse *Iuliam*, et ex marmoris testimonio etiam Berenicen. Verum satis hodie constat, Graecum hunc numum pertinere ad hominem Romanum, nempe Agrippam Postumum, qui fuit filius M. Agrippae, et Iuliae Augusti filiae. Nihil ergo praesens marmor ad Cypron; nam totum est ejus Berenices, quam pater *Iuliam*, ut sese *Iulium* in honorem gentis Iuliae sueta tum adulatione vocaverit, sitque Cypros solo suo interea, et nativo nomine contenta.

14. DRVSILLA. Agrippae I. filia, Agrippae II. soror, uxor primum 15) AZIZI, Emesae regis, qui ut Drusillam ex lege ducere posset, verpus esse maluit. Deinde 16) Antonii FELICIS Iudaeae praesidis, cui fortuna per vices tres uxores reginas attulit. V. Walchium de Felice trium reginar. marito in Symb. liter. Rom. Decade II. Vol. III.

17. AGRIPPA Drusillae et Felicis

a) Notit. elem. p. 228. b) Chronolog. vet. test. p. 573.

filius. Cum matre in Vesuvii incendio Tito imperante perit.

18. MARIAMNE, Simeonis filia, uxor Herodis M.

19. HERODES, qui et PHILIPPVS apud Marcum a), alius a Philippo tetrarcha, de quo infra. Fuit Herodis M. et Mariamnes filius.

20. HERODIAS Agrippae I. soror, nupsit primum Herodi Philippo patruo, subinde abducta ab altero patruo Herode Antipa, ejus deinde in exilium pulsi comes.

21. SALOME Herodis Philippi et Herodiadis filia, quae matris suasu petiit necem Ioannis Baptistae. Vide Iosephum, et Matthaeum b).

22. MALTHACE Herodis M. uxor.

23. ARCHELAVS Herodis M. et Malthaces filius, ethnarcha Iudaeae post patris mortem ab Augusto dictus c). Anno principatus X. Viennam Galliae in exilium mittitur.

24. HERODES ANTIPAS Herodis M. et Malthaces F. tetrarcha Galilaeae, Herodiadis alter maritus. Vide numos.

25. CLEOPATRA Herodis M. uxor.

26. PHILIPPVS Herodis M. et Cleopatrae F. Ituraeae et Trachonitidis tetrarcha. Vide numos.

27. HERODES Agrippae I. frater, cujus et filiam Berenicen, suam neptem, uxorem habuit. Fuit rex Chalcidis. Vide numos.

28. MARIAMNE altera Herodis Chalcideni uxor.

29. ARISTOBVLVS Herodis Chalcideni et Mariamnes F. A Nerone Armeniae minori praeficitur.

HERODES MAGNVS.

Antipatri Idumaei filius, jam inde a puero magnis rebus intentus Romanorum primores sive Pompejanos, sive Caesarianos sibi cumprimis observandos duxit, valuitque tantum apud eos gratia, ut ab Antonio, cujus potestati permissus Oriens, Iudaeae tetrarcha, ac non multo post V. C. 714 rex ipsius etiam senatus voluntate designaretur d). Sed exclusus tum ab Antigono Hasamonaeo Iudaeae regnum Parthorum beneficio occupante, subinde impetratis ab Antonio auxiliis, quorum dux Sosius, Antigonum Hierosolymis inclusum ad deditionem cogit, ipse remoto aemulo Iudaeae regnum securus auspicatur V. C. 716 e). Augusti gratiam ut captaret, retineretque, omnibus grassabatur obsequiis, aedificatis ejus nomine urbibus dicatisque templis. Denique post administratum gnaviter, magnifice, ac liberaliter regnum, sed et infanda crudelitatis exempla, qua in suspectos quosvis, atque ipsos etiam liberos, uxores, propriumque sanguinem desaeviit, enatis per totum corpus vermibus inter atrocissimos dolores animam efflat V. C. 750, de quo mortis anno vide, quae proxime in numis filii Herodis Antipae disputabuntur. Supremis tabulis regnum sic inter filios divisit, ut

a) Cap. VI. v. 17. b) XIV. 3. seq. c) Ioseph. Ant. L. XVII. c. 11. §. 4. d) Ios. Ant. Iud. L. XIV. c. 14. §. 4. 5. et Bell. Iud. L. I. c. 14. §. 4. e) Dio L. XLIX. §. 22.

Archelaus rex esset, Herodes Antipas Galilaeae tetrarcha, Philippus Trachonitidos [a]), quod ratum habuit Augustus, nisi quod Archelaum non regis, sed ethnarchae nomine praeesse Iudaeae voluit [b]).

Numi:

ΗΡΩΔΗC. *Botrus.* ℞ ЄΘΝΑΡΧCC. *Galea cristata, juxta perexiguus caduceus.* AE. III. (Liebe p. 139.) Sed Harduinus legit: ΗΡΩΔΟΥ. ЄΘΝΑΡΧΟΥ, (Num. Herodiad. in Opp. sel. p. 328.) quem posteriorem modum in omnibus, quos vidit, deprehendisse se testatur Barthelemyus. (B. L. T. XXVI. pag. 536.)

Alius similis, sed hinc botrus, illinc caduceus. (Barthelemy l. c. ex museo Chamillard.)

Mirum sane, Herodem in his numis dici Εθναρχον, *gentis principem*, quem illi titulum a Romanis datum non constat. Testibus historicis primum *tetrarcha* fuit, mox inde ab anno V. C. 714 *rex*, etsi *ethnarchae* titulus in Iudaeae principibus neque ante, neque post Herodem insolens fuit; nam is teste Iosepho antea datus Hyrcano, posthac Archelao Herodis M. filio. Existimat Spanhemius [c]), appellationem hanc Herodem sibi vindicasse illo tempore, quo, Hyrcano ethnarcha a Parthis victo et in captivitatem abducto solus rerum in Iudaea potiebatur, necdum tamen regis titulo Romae, quod ei postea contigit, decoratus. Sed nullo istud fundamento nititur. Forte verior est conjectura Scipionis Maffeji, existimantis [d]), memoratum in hoc numo Herodem ethnarcham esse potius Archelaum, quem, ut mox diximus, hoc fuisse honoris vocabulo praeditum constat. Ejus opinionis causa princeps est, quod idem hic Archelaus a Dione *Herodes Palaestinus* diserte dicitur [e]), quo modo et is, qui in numis dicitur Agrippa, apud Iosephum, et in Actis Apostolorum c. XII. v. 1. Herodes quoque dicitur, ut pridem post alios advertit Norisius [f]). Addo, eum Herodis M. filium, qui a Marco cap. VI. v. 17. dicitur Philippus, a Iosepho ipsum quoque Herodem appellari [g]). Enimvero animadverto, plerisque Iudaeae principibus geminum fuisse nomen, unum instituti patrii, alterum peregrinum, neque istud solum in gente Herodis, sed jam etiam sub principibus Hasamonaeis, sic qui *Ioannes*, idem et *Hyrcanus*, qui *Iannaeus*, et *Alexander*, qui *Iudas*, et *Aristobulus*, etc. unde veram tenemus causam, cur eorum nomina apud scriptores varient, et quae adeo ipsis etiam numis potest applicari, qui forte domestico nomine appellant illum, qui nobis tantum ex peregrino cognitus est. Iam ex Herodis M. filiis binos habemus ex patris nomine vocatos, Herodem Philippum, et Herodem Antipam, quid ergo vetat, tertium quoque filium fuisse Herodem Archelaum? Adeo verum est, quod ait Plutarchus [h]): πολλα δε, ως

a) Ios. Ant. L. XVII. c. 8. b) Ios. l. c. cap. XI. c) de Pr. num. T. I. p. 521. d) Ant. Gall. p. 113. e) L. LV. §. 27. f) de num. Herod. Antip. g) Ant. Iud. L. XVIII. c. 5. §. 1. h) de Pyth. orac. p. m. 401.

ἐοικε, των ὀνοματων ἀποκρυπτουσιν ἀι παρωνυμιαι, scilicet multa nomina a cognominibus occultantur.

Typus botri jam ex Hasamonaeorum numis cognitus. De galea quod dicam, non habeo, nisi quod simillimae formae galeam dependentibus cristis habemus in numis Philippi V. Macedoniae regis. Iuxta hanc galeam in his numis apparet minutum sigillum, quod in plerisque iconismis instar 8 vel contracti Graeci ȣ effictum videmus. At Barthelemyus in suis manifestum caduceum agnoscit, qui et in altero Chamillardi solus numi aversam occupat.

* * *

Galea. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΗΡΩΔΟΥ. L. Γ. *Ara luculenta, in area* T, *cui imminet parvum* o. AE.

Numus similis a variis editus, et ab his varie accepta litera T partis aversae. Harduinus eam dixit principem literam vocis Τιβεριας, apud quam urbem hunc statuit numum signatum [a]), quod esse falsum, mox dicetur. Maffeius eam cum L. Γ. conjunxit, cusumque adeo numum contendit anno 3o3 aerae Seleucidarum [b]). Sed quascunque has eruditorum sententias oppido fallere demonstravit Barthelemyus, cum testatur, in numo simili recens in museum regis illato observari parvum o literae T imminens, ut adeo haec forma sit instar monogrammatis, neque adeo vel urbem, vel aeram significare possit [c]).

Ex inscripto ΒΑΣΙΛΕΩΣ patet, numos similes esse Herodis cujuspiam, qui regis nomen tulit. Non ergo, quod censuit Harduinus [d]), pertinere possunt ad Herodem Antipam Galilaeae principem, quem regioni huic non regis, sed tetrarchae nomine praefuisse infra dicemus. Perperam vero tetrarcham hunc etiam regem appellatum probare intendit ex Actis apost. cap. XII. v. 1. *misit rex Herodes manus etc.* nam hoc loco Herodis nomine intelligendum Agrippam I., paullo altius diximus. Novi, eundem tetrarcham regem dici apud Matthaeum cap. XIV. et Marcum cap. VI., at constat, a veteribus nonnunquam reges dici, qui erant regis filii, et Herodis M. quidem filii tetrarchae tanto magis, etsi minus proprie, reges dici poterant, quod portioni suae regia potestate praeerant, unde apud Hesychium: Τετραρχαι ὁι βασιλεις, quo sensu et Iosephus Lysaniae tetrarchiam dixit Λυσανιȣ την βασιλειαν [e]). Interea vix credibile, Herodem Antipam sese in moneta publica dixisse regem, quem tetrarcham tantum esse voluerunt Romani, cujusque moneta certa tetrarchae tantum nomine inscribitur. Quod si rex revera fuit, cur Agrippae I. regi regium titulum invidit, et postremo principatus sui anno profectus est Romam, ut eundem honorem sibi a Caligula peteret [f])? Herodes jure dictos reges novi binos, Herodem M., ejusque ex filio Aristobulo nepotem Herodem Chalcidis regem. Video, ab eruditis praesentes numos jam huic, jam illi Herodi tribui, malim ego Herodi M.; nam qui numi certi sunt Herodis

a) Opp. sel. p. 331. b) Ant. Gall. p. 113. c) B. L. Tom. XXVI. p. 538. d) Opp. sel. p. 331. e) Bell. Iud. L. II. c. 11. §. 5. f) Ios. Ant. L. XVIII. c. 7. §. 1.

nepotis, ejus caput proponunt, quia signati a Chalcidensibus, gente Graeca, quos nulla religio vetuit animantium signa monetae imprimere. E converso existimo, numos, qui his signis destituuntur, tribuendos Herodi M., cusos scilicet in Iudaea superstitionis suae tenace. Istud si verum, signati sunt hi numi V. C. 718, qui fuit regnantis Herodis annus III.

* * *

Clypei quatuor in orbem dispositi. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΗΡΩΔΟΥ. *Galea, in area* ЄΙ. AE. III.

Numum hunc edidit Frölichius ex museo Savorgnan a). Ex eadem causa, quam mox prodidi, tribuendum puto Herodi M. Clypei partis anticae eo modo sunt dispositi, quo eos dispositos videmus in numis Macedonicis; sed jam in his monui, in pluribus urbium regumque numis etiam extra Macedoniam hunc typum deprehendi. Ex anno epochae ЄΙ. confit, numum hunc signatum V. C. 730, qui fuit Herodis M. annus XV.

* * *

Numi Herodis M. hactenus ex aere tantum reperti sunt. Si fides Zonarae, aureos etiam, argenteosque flavit. Narrat enim b), eum ingruente fame *τον όντα κατα τα βασιλεια κοσμον συγκοψαι εις νομισμα*, *thesaurum regium in numos concidisse.* At Fl. Iosephus, unde haec hausit Zonaras, verba: *εις νομισμα* reticet, contentus dixisse, aurum et argentum thesauri regii concisum fuisse c).

HERODES *Antipas* TETRARCHA.

Patris Herodis M. testamento primum rex, sed mutata voluntate Galilaeae tantum et Peraeae tetrarcha constituitur confirmante Augusto d). Ademptam fratri Herodi Philippo uxorem Herodiadem in justae uxoris loco habet, quod cum ei exprobraret Ioannes dictus Baptista, salutaria monentem misso carnifice e medio tollit. Christo sibi tradito illudit. Exeunte Caligulae imperio Romam profectus, ut regis titulum ab imperatore impetraret, sed praeventus Agrippae I. criminationibus Lugdunum Galliae in exilium mittitur, ejus tetrarchia eidem Agrippae tributa V. C. 792 P. X. 39.

Numi:

ΗΡΩΔΟΥ. ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ. *Ramus palmae, in area* L. ΛΓ. *in alio:* L. ΛΔ. ✠ ΤΙΒΕΡΙΑϹ. *intra lauream.* AE. II. (Pellerin Rois p. 175, Barthelemy B. L. Tom. XXVI. p. 537.)

Numi hi signati sunt apud Tiberiadem Galilaeae urbem, quam Herodes condidit, et in Tiberii honorem sic appellavit, ut in hujus urbis numis diximus. Anni inscripti indicant annos tetrarchiae, quam ex patris testamento post hujus mortem adivit V. C. 750, ut ad sequentes numos probabimus.

* * *

ΗΡΩΔΗΣ. ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ. *Ramus palmae, in area* L. ΜΓ. *in alio:* L. ΜΔ.

a) Ad num. regg. vet. access. tab. II. et in Not. elem. tab. XX. b) Annal. L. V. c. 16. c) Ant. L. XV. c. IX. §. 2. d) Ios. Ant. L. XVII. c. 8 et 11.

Ι ΓΑΙΩ. ΚΑΙΣΑ. ΓΕΡΜ. ΣΕΒ. *intra lauream.* AE. III.

Numi hi, ex quo detecti fuere, continuo summo loco sunt habiti, quod eorum ope annus mortis Herodis M., atque adeo et annus nati Christi adcuratius innotescit. Tanti ergo momenti cum sint, necessarium cumprimis visum, de eorum fide ac probitate, et ne qua fraus bonam causam corrumperet, nos esse securos.

Is, qui annum ΜΓ, seu 43 exhibet, anno 1689 in lucem prodivit ex museo Rigordii patricii Massiliensis. Migravit deinde in museum le Bret, ut refert Bimardus a), ex quo eum citat quoque Panelius b). Eum non multo post praeclara dissertatione illustravit Norisius specie epistolae ad Pagium datae: *de numo Herodis Antipae.* Verum quod fusus credebatur, etsi ex vero archetypo, scrupulum eruditis, atque ipsi etiam Norisio injecit, et erant, quibus reprobandus omnino videbatur. Sed universam hanc causam de numi Rigordiani seu probitate, seu mala fide jam parum moramur, ex quo nobis constat, similem alium servari in locuplete thesauro quondam Pellerinii, ut ejus ipsius oraculo docemur c), cujus deinde simile exemplar fidei indubitatae nuper ipse in museum Caesareum intuli, sed in cujus aversa legitur: ΓΑΙΩ. ΚΑΙΣΑΡ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΩ.

Alterum cum anno posteriore ΜΔ, seu 44 primus edidit Vaillantius d). Vnde insignem hunc numum hauserit, non constat. Ejus tamen certam esse fidem, reperisse se credidit Freretus reperto libello ipsius Gallandi manu exarato, in quo is refert, sibi, cum Nointellum legatum in Palaestinam comitaretur, et apud Hierichuntem subsisteret, oblatum numum aeneum, in cujus facie una palma cum epigraphe ΗΡΩΔΟΥ. ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ, et in area ΜΔ, in altera laurea, in cujus tamen medio quid sit, distinguere ipse non potuit. Iudicavit ergo Freretus, idem inscriptum fuisse laureae, quod in numo Rigordiano, nempe: ΓΑΙΩ. ΚΑΙΣΑ. ΓΕΡΜ. ΣΕΒ., neque adeo Vaillantii numisma posse in dubium vocari e). Verum metuo, ut hoc Frereti judicio plene liceat acquiescere. Subit enim animum suspicio, visum Gallando numum esse potius illi similem, quem ex hujus Herodis numis supra primum ex Pellerinio et Barthelemyo citavi. Sane si Gallandi verbis disertis stare velimus, plus illi cum hoc, quam cum Rigordiano convenit. Ait, epigraphen numi fuisse: ΗΡΩΔΟΥ. ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ, at in Rigordiano est: ΗΡΩΔΗΣ. ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ, deinde typum fuisse palmam, *palmier*, cujus omnino speciem praebet illud, quod Pellerinii iconismus exhibet, at in Rigordiano simplex est palmae ramus. Illud, quod inclusum laureae distinguere non potuit Gallandus, aeque poterat esse epigraphe ΤΙΒΕΡΙΑC, ac quod malebat Freretus: ΓΑΙΩ etc. Quod ad inscriptum annum attinet, animadvertendum, eum in citato numo Barthelemyi sic exaratum: ΛΔ et quod sequitur, ambiguo sensu, legendumne sit ΛΔ

a) ad Iobert T. II. p. 443. b) Mem. Trev. Octob. 1737. c) Rois p. 175. d) B. L. Tom. II. p. 495. e) B. L. Tom. XXI. p. 292.

seu 34, an MΔ, seu 44, et erant eruditi non pauci testibus ipsis Barthelemyo, et Frereto a), qui posteriorem hanc lectionem probaverant. Quod his visum, potuit et videri Gallando, potuitque is numi, quem viderat, siglam resolvere in MΔ, resolvendam potius in ΛΔ. Ex quo patet, multo mihi videri verisimilius, hunc Gallandi numum esse ejusdem naturae cum Pelleriniano. At vidit Vaillantius numum Rigordiano similem, sed anno MΔ notatum. At verisimile etiam, Gallandum numi hujus indicium cum Vaillantio communicasse, ab hoc eum cum Rigordiano collatum, ejusdemque esse naturae dempto epochae anno creditum, et talem deinde in iconismo propositum. Non haec otiose, aut Frereti, si viveret, ingratiis disputavi, qui forte et ipse mecum consensisset, si cum citato Gallandi numo contulisset similem alium, quem Barthelemyus ex museo regis recitavit, ac tum profecto minus laborasset in explicando anno MΔ, quem nonnisi quaesitis effugiis cum annis tetrarchiae Herodis Antipae potuit componere.

Misso igitur tantisper anno praetenso MΔ in alterius anni certi MΓ naturam inquiramus, quo usi sunt eruditi ad definiendum annum, quo Herodes M. diem obivit, atque etiam annum nati Christi propius definiendum.

Iam ex Iosephi verbis confecerunt eruditi, mortuum Herodem anno V. C. Varroniano 750 A. X. 4 tempore verno. En causas paucis propositas. Ait, regnasse Herodem post interfectum Antigonum annos XXXIV., postquam autem a Romanis rex creatus fuerat, annos XXXVII. b). Ejusdem testimonio creatus est rex Olympiade CLXXXIV. C. Domitio Calvino iterum, et C. Asinio Pollione cos c). Processere hi consules V. C. 714 A. X. 40. Hoc ergo anno ipse in urbe praesens conferentibus operam M. Antonio et Octaviano in ipso senatu renunciatus est rex, et quidem ejus primo semestri, nam Iosephus istud factum refert Olympiade CLXXXIV., quae eo anno currebat adhuc usque ad solstitium aestivum. Si igitur principio ejus anni coepit Herodis annus I., necesse est, annum regni XXXVII. coepisse initio anni 750, sed qui annus postremus paucorum tantum esse dierum potuit, quod ipse ejus mense Martio, aut Aprili mortuus est, ut dicetur. Altera nota chronologica a Iosepho citata est annus XXXIV inde ab interfecto Antigono. Factum istud contendit Dio Claudio et Norbano cos. d) qui fuere consules anni V. C. 716 A. X. 38, et quidem, ut ex serie historica colligi potest, eo anno jam adulto. Si ergo tum coepit annus I. Herodis, annus ejus XXXIV. coepit anno jam adulto V. C. 749 A. X. 5, quo labente ipse mense Martio sequentis anni Iuliani diem obivit. Aliud Iosephus insigne argumentum offert, cum narrat, Philippum Herodis M. filium mortuum anno Tiberii XX., postquam tetrarchiae annis XXXVII. praefuit e). Annus Tiberii XX. fuit annus V. C. 787, a quo si

---

a) ll. cc. b) Ant. L. XVII. c. 8. §. 1. c) Ant. L. XIV. c. 14. §. 5. d) L. XLIX. §. 22. e) Ant. L. XVIII. c. 4, 5, 6.

subtrahamus annos Philippi XXXVII., devenimus ad annum V. C. 750, quo tetrarchiam mortuo patre adivit Philippus. Haec de anno mortis Herodis M. certa ex Iosepho ducimus. Quod ad anni tempus attinet, binas idem peristases commemorat, primum eclipsin lunae, quae paucos dies ejus mortem praecessit. Eam Astronomi ad diem XIV. Martii figunt. Deinde quod mortuus est Herodes, antequam pascha celebraretur. Ad comprobandum eundem mortis annum praeclare etiam faciunt numi Quinctilii Vari Antiochiae signati cum annis EK. ϛK. ZK. ducendis ab aera Actiaca. Horum postremus ZK, qui haud dubie etiam postremus ejus Syriae praesidis fuerit, incipit in autumno V. C. 749 A. X. 5. Constat vero etiam ex Iosepho, Varum ante Herodis mortem, et etiam aliquanto post, Syriae administratione functum, et non raro ad eum regem commeasse. Ex quo sequitur, ejus mortem diutius differri non posse, quod Augustei moris non fuit, magistratuum imperia prorogare. Haec, quae dixi, copiosius exposuere Vaillantius [a]), ac praecipue Freretus [b]).

Herodis mortem ex Iosephi testimoniis ad tempus vernum anni V. C. 750 A. X. 4 fixum egregie etiam confirmat citatus Herodis Antipae numus cum anno MΓ, seu 43. Constat, eum patris testamento constitutum tetrarcham Galilaeae. Coepit ergo annum I. tetrarchiae numerare mox a morte patris, seu a vere V. C. 750, ergo annus numi MΓ, seu 43 inivit in vere V. C. 792 P. X. 39. Certum vero, Antipam eodem hoc anno in Italiam appulsum tetrarchia spoliatum, et Lugdunum Galliae exulatum ire jussum, quod jam erudite comprobavit Norisius in eundem hunc Antipae numum commentatus. Ex quo efficitur, mortem Herodis M. in annum posteriorem differri non posse. Hactenus plana omnia, ac proclivia. At Freretio numus anno MΔ notatus, quem omnino existere credidit, crucem merito fixit, quod is annus dictos limites et auctoritate copiose stabilitos, nimirum mortem Herodis M. et exilium Antipae excedere videbatur. Hunc ergo excessum ut cum annis Antipae conciliaret, necesse visum primum statuere, anno mortis Herodis alterum mensem Nisan extra ordinem intercalatum, deinde annum Antipae primum fuisse incompletum et paucorum tantum dierum, sic ut sequente proxime Nisan iniret Antipae annus alter, quem morem numerandorum in Iudaeae regibus annorum ex verbis Talmudi comprobat. Sed haec viri praestantis effugia tum tandem amplectenda censebo, cum certi erimus, existere revera numos Antipae anno MΔ notatos, quod supra in dubium vocavi.

Ex hac ergo disputatione necessario sequitur, et invicte demonstratur, aeram vulgarem nati Christi, quam Dionysius Exiguus monachus Scytha ad diem XXV. Decembris V. C. 753 fixit, aliquot saltem annis retardare. Certum enim est ex sacris literis, natum

a) B. L. Tom. II. p. 495. b) B. L. Tom. XXI. Mem. p. 278.

Christum, cum adhuc in vivis esset Herodes M. At qua ratione Christus, quem aera nostra vulgaris V. C. 753 natum statuit, Herode adhuc vivente nasci potuit, quem V. C. 750 diem obivisse modo demonstravimus? Vnde sequitur, Christum post annum V. C. 749 nasci non potuisse, et aeram nostram saltem annis IV. plus justo praevertere. Sitne Christi nativitas magis adhuc retrahenda, quod aliqui historicis, chronologicisque argumentis ducti senserunt, meum non est inquirere, quod in praesente instituto numismatica tantum tractamus.

PHILIPPVS TETRARCHA.

Herodis M. et Cleopatrae filius patris testamento Gaulonitidem, Trachonitidem, Bataneam, et Paniadem abstulit a). In honorem Augusti Caesaream ad Panium, quae et a conditore *Caesarea Philippi* dicta est, aedificat. Vir moderatus quietique ingenii, et in jure dicundo assiduus, postquam XXXVII. annos tetrarchiae praefuit, mortuus est V. C. 787 P. X. 34. Vacuam ejus morte ditionem, quod prolibus careret, Tiberius provinciae Syriae attribuit b).

Numi:

ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput Augusti laureatum.* ℞ ΦΙΛ - - - ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ. *Templum 4 columnarum, inter quas:* L. Kϛ. AE. III. (Panel Catal. le Bret.) *Alius cum* L. ΛΓ. AE. II. (Maffei Antiq. Gall. epist. 22. pag. m. 112.)

Numum ex citatis alterum cum L. ΛΓ. edidit etiam abbas Fontenu addito erudito commentario c). Statuit is, cum pars antica vivi adhuc Augusti effigiem offerat, annum ΛΓ referri non posse ad indicandum annum tetrarchiae. Nam quo tempore Augustus obiit, nonnisi annus XVII. tetrarchiae Philippi agebatur. Conjicit igitur, annum numi ΛΓ pendere ab aera Actiaca in ejusdem Augusti honorem instituta, et a pluribus Syriae urbibus recepta, cujus initium cum sit annus V. C. 723, apparere, annum ΛΓ coepisse V. C. 755, qui fuit annus V. Philippi. Haec eruditus abbas, verum satis apparet, cum sic scripserat, nondum illi fuisse cognitum numum Panelii cum L. Kϛ, qui ductus ab aera Actiaca inibit in autumno 749, verum toto hoc tempore regnavit adhuc pater Herodes. Vix igitur dubitari potest, annos his numis inscriptos esse annos tetrarchiae, praecipue cum videamus, in omnium aliorum Iudaeae principum numis annos inscriptos semper ab eorum principatu pendere. Nihil vero obest, caput Augusti praeferre viventis speciem nullo adjecto consecrationis cultu, nam videbimus infra copiosos Vespasiani et Titi numos post eorum obitum sub Agrippa II. signatos nullo consecrationis indicio.

Cum pars adversa sistat caput Augusti, verisimile est etiam, templum aversae esse illud ipsum, quod teste Iosepho

---

a) Ios. Ant. L. XVII. c. 8. §. 1. b) Ios. Ant. L. XVIII. c. 4. §. 6. c) B. L. hist. T. V. p. 270.

Herodes pater juxta specum Panium in Augusti honorem struxit.

Primi sunt hi principis Iudaici numi, qui effigiem insculptam exhibent, cujus plura deinceps exempla dabunt numi Agrippae II. Sed verisimile est, Graecos his principibus subjectos id genus numos feriundos curasse. Constat passim ex Iosephi bello Iudaico, hujus tractus urbes a Graecis habitatas. Quanquam constet etiam, Iudaicos reges, ex quo Romanis obnoxii esse coepere, cum legibus suis laxius cohaesisse. Exemplo esto, Herodem M. templa Augusto condidisse, deinde Herodem tetrarcham Tiberiade domum suam animantium signis exornasse, serius propterea ab iratis Iudaeis incensam, ut refert Iosephus in Vita sua cap. 12. Quanto statuarum populo antiqua clarorum artificum exemplaria imitantium Agrippa II. Caesaream Philippi frequentaverit, narrat Iosephus [a]).

AGRIPPA I. MAGNVS.

Natus Aristobulo Herodis M. filio et Berenice. Caeso patre cum matre octennis Romam profectus et in aula educatus paullatim profuturas sibi amicitias contraxit. Caligulam quod impensius coleret, a Tiberio extremo imperii anno conjectus in vincula, sed hoc paullo post mortuo non libertatem modo volente Caligula, sed et patrui Philippi, et Lysaniae tetrarchias regio nomine adeptus est, adjecta non multo post Antipae in exilium missi tetrarchia. Ergo in Orientem profectus, rebusque ibi ordinatis Romam redux, dum Claudium in obtinendo imperio prompte adjuvat, hujus beneficio veterem ditionem Iudaeae, Samariae, Abilae accessionibus auget. Exactis annis regni VII. moritur, suis propter adfectum in leges patrias multum commendatus V. C. 797, P. X. 44. (Ios. Ant. L. XIX. c. 8. §. 2. Philo de Legat. ad Caium.)

Numi:

Caput Caligulae. ✕ ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ. ΑΣΥΛΟΥ. ΑΠΡΙΠΠΑ. ΒΑΣΙΛΕΥ. *Vir togatus stans d. chartam involutam.* AE. II. (Vaill. Num. Graec. p. 11.)

ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΑΣ. ΙΕ - - - *Caput Caligulae laur.* ✕. ΒΑΣΙΛ. ΑΓΡΙΠΠΑ. Γ. *Princeps cum sceptro in lentis quadrigis.* AE. II. (Frölich Not. elem. tab. XX. n. 10. ex museo Savorgnan.)

Numum priorem Vaillantius et Frölichius Caesareae Palaestinae signatum adserunt, sed perperam, ut videtur, ex binis causis, I. quod imperante Caligula, cujus caput antica exhibet, Samaritis, in qua sita Caesarea Palaestinae, Agrippae nondum paruit, ejus ditioni serius Claudii beneficio adjecta, ut diserte tradit Iosephus [b]). II. quod Caesarea Palaestinae nunquam sese in numis *asylum* dixit. Erit ergo *Caesareae Sebastes*, quae et Panias dicta, condita a Philippo tetrarcha Agrippae nostri patruo, cujus ditionem a Caligula primo imperii sui anno Agrippae regio nomine permissam idem Iosephus auctor est [c]), et quae docentibus numis aliis constanter sese dixit *asylum*.

a) Ant. L. XX. c. 9. §. 4. b) Ant. L. XIX. c. 5. §. 1. c) L. XIX. c. 4. §. 5.

Ex iisdem causis alterum quoque numum eidem Caesareae Paniadi confidenter largior. Non placet τo ΣΕΒΑΣΤΑΣ a Frölichio promulgatum. Quid enim Dorismus in numo hujus tractus? Dividendum censeo vocabulum, legendumque: ΚΑΙΣΑΡειας ΣΕΒΑΣΤης ΑΣυλȣ ΙΕϱας. Litera Γ annum haud dubie significat, et quidem principatus Agrippae. Typum uterque numus Romanum habet.

* * *

ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΜΕΓΑΣ. ΑΓΡΙΠΠΑΣ. ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡ. *Caput regis diadematum.* ℞ ΚΑΙΣΑΡΙΑ. Η. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΣΕΒΑΣ. ΛΙΜΕΝΙ. *Mulier stans cum gubernaculo et cornucopiae.* AE. II.

Ita utriusque partis epigraphen legendam censuit Belleyus [a]), aliis pro ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡ legentibus ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ, quanquam istud non immerito quidem, quando et frater Herodes, ut mox videbimus, se dixit *Philoclaudium*, et de Claudii in Agrippam officiis constat. Epigraphen vero aversae: *Caesarea ad portum Sebastum*, a variis varie, sed inique lectam, idem restituit ex numis Neronis apud Caesaream Samaritidos, cui et praesens numus debetur, signatis. Ejus explicationem pete ex moneta hujus urbis. Dicitur in numo ΜΕΓΑΣ, nimirum a Caligula Claudioque, ut in ejus vita diximus, tot provinciarum accessionibus ornatus, quarum reditus teste Iosepho [b]) fuere MCC myriades drachmarum.

* * *

Caput Claudii. ℞ ΕΠΙ. ΒΑΣΙΛΕ. ΑΓΡΙΠ. ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ. *intra lauream.* AE. II. (Vaill. Num. Graec. p. 14.)

Signatus numus Tiberiade Galilaeae cum capite Claudii, qui non modo Agrippam multis beneficiis adfecit, sed ut videtur, etiam urbem; nam haec se deinceps in ejus honorem ΚΛΑΥΔΙΟΤΙΒΕΡΙΕΩΝ inscripsit.

* * *

βαCΙΛΕΥC. ΑΓΡιππα. *Caput Agrippae diadematum.* ℞ ἀγϱιΠΠΑ. ΥΙΟΥ. ΒΑCιλεως. *Agrippa filius in citato equo.* AE. III. (Wise Mus. Bodl. p. 118.)

Hujus numi explicationem pete ex numis synchronis Epiphanis et Callinici Antiochi IV. Commageni filiorum, qui et ipsi ΒΑCΙΛΕΩC. ΥΙΟΙ, *regis filii*, in numis appellantur, et equis vecti proponuntur. Teste Iosepho Agrippa eundem Antiochum liberali hospitio excepit [c]).

HERODES REX *Chalcidis.*

Agrippae I. frater, quo deprecante a Claudio Chalcidis regnum obtinet [d]). Regnavit annos VIII.

Numi:

ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΗΡΩΔΗΣ. φιλοκλαΥΔΙΟΣ. *Caput diadematum.* ℞ ΚΛΑΥΔΙΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΕΤ. Γ, *in alio:* ΕΤ. Ε. *intra coronam.* AE. II. (Harduin, Seguin.)

ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΗΡΩΔΗΣ. *Caput diadematum.* ℞ ΚΛΑΥΔΙΑ. ΚΑΙΣΑΡΙΑ *intra coronam.* AE. III. (Harduin Num.

a) B. L. Tom. XXVI. p. 450. b) Ant. L. XIX. c. 8. §. 2. c) l. c. §. 1. d) Ios. Ant. L. XIX. c. 8. §. 1.

Herod.) Verum in alio simili, qui est in museo principis Waldeck, lego hinc: ΒΑCΙΛΕΤC. ΗΡΟΔΗC, illinc: ΚΛΑΤΔΙΩ. ΚΑΙCΑΡΙ.

Titulus *Philoclaudii* grati in Claudium est animi argumentum, et *regis* nomen numos hos praelucente historia hujus esse Herodis proprios jubet. Si vera esset Harduini lectio, haberemus in numo priore ludos *Claudia Caesarea*, sed cum in numo simili, quem ipse vidi, scriptum sit ΚΛΑΤΔΙΩ. ΚΑΙCΑΡΙ, pro ludis habemus nomen ipsum Claudii Caesaris dedicandi formula.

AGRIPPA II.

Agrippae I. filius. Patre V. C. 797 mortuo annos natus XVII. aliquamdiu privatus vixit, dum illi V. C. 801 P.X. 48 Claudius Chalcidis regnum Herodis morte vacuum impertiret. Ei quinquennio post Claudius pro Chalcide tetrarchiam Philippi regio nomine concessit, quam subinde Nero parte Galilaeae auxit [a]). Ortis sub hoc in Iudaea turbis auctor primum suae genti fuit, ut arma adversum Romanos ponerent, at cum nihil proficeret, cum Vespasiano arma junxit. Propterea a gente Flavia ad imperii fastigium evecta benigne semper habitus in regia dignitate annos natus LXXII. obiit V. C. 852 P.X. 99 regum Herodiadum, omniumque Iudaeae regum postremus.

Numi:

Sunt hi justo numero, omnes fere epochae anno insignes, quam coepisse dicemus V. C. 814 P.X. 61. Sunt praeterea variae naturae, alii bilingues, alii ritus vere Iudaici, alii peregrini, alii notam S. C. praeferunt. Eos omnes studiosius descripsit Frölichius [b]), a quo tempore vix alium proditum reperi.

* * *

ΒΑCΙΛΕΩC. ΑΓΡΙΠΠΑ. *Tabernaculum.* ✕ L. E. ς. Z. Θ. *Tres spicae.* AE. III.

Dubitatum, sintne similes numi Agrippae I., an II. Istud certum, numos anno Θ notatos Agrippae I. esse non posse, qui VII. tantum annos regnavit. Sed istud ipsum, postremum hunc numum Agrippae II. necessario tribuendum, argumento mihi est, etiam praecedentes, quia simillimae sunt fabricae, et formae, esse posterioris Agrippae. Censent eruditi, his typis indicari tabernaculorum festum, et oblationem primitiarum frugum. Solos hos numos vere Iudaicos dixeris, quod signis animantium abstinent. Reliqui omnes hominum aut capita, aut signa ostentant, unde conjicere licet, eos a Graecis signatos.

* * *

ΝΕΡΩΝ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Neronis.* ✕ ΕΠΙ. ΒΑΣΙΛΕ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΝΕΡΩΝΙΕ. *intra coronam.* AE. III. (Pellerin Rois p. 176. Vaill. Frölich.)

Numum hunc signatum esse Neroniade, quae et Caesarea Paniados, jam dixi in numis hujus urbis, quo loco et eum explicatum habes. De praefixo ΕΠΙ vide paullo infra.

---

a) Ios. Ant. L. XX. c. 8. §. 4. b) Reg. vet. num. p. 105.

* * *

ΒΑϹΙΛЄΟϹ. ΜΑΡΚΟΥ. ΑΓΡΙΠ-ΠΟΥ. *Dextera spicas et papavera stringens.* ℞ ЄΤΟΥϹ. ΑΙΤΟΥ. *Corolla, omnia intra coronam.* AE. III. (Pellerin Suppl. I. p. 1.)

Bina in praeclaro hoc numo singularia occurrunt, I. praenomen ΜΑΡΚΟΥ, quo Agrippam nostrum usum ex nullo alio monumento constat. Tractum illud conjicit Pellerinius a *Marco* Antonio IIIviro, cujus benevolentiae stirps Herodiadum splendorem suum debuit. Forte tutius alii ab ipso M. Agrippa Augusti genero duci volent. II. Modus scribendi anni regni ΑΙΤΟΥ, quod positum pro ἑνδεκατυ, id est: anno XI., nimirum numero cardinali ΑΙ, seu XI. addita terminatio ordinalis ΤΟΥ ex vocabulo ἑνδεκαΤΟΥ. Eodem loco exemplum simile adfert ex numo Antonii et Cleopatrae, in quo scriptum: ЄΤΟΥϹ. ΚΑΤΟΥ. ΚΑΙ. C., id est: ἐτυς εἰκοςυ πρωτυ και διακοσιοςυ, *anno XXI. supra CC.*

* * *

Epigraphe et caput Vespasiani, in aliis Domitiani. ℞ ΒΑ. ΑΓΡΙΠ. L. ΙΔ. *Victoria stans scribit in clypeo.* AE. I. II. (Frölich, alii.)

Cum epocha Agrippae II. coeperit anno V. C. 814, ut infra ex numo Domitiani patebit, numi praesentes signati sunt V. C. 827. Frölichius nullum certum hujus Agrippae numum cum capite Vespasiani novit, cujus inscriptus annus praesentem ΙΔ praeverteret. Quare promulgatos a Vaillantio numos cum capite Vespasiani, et annis Ζ et Θ male lectos suspicatur, quod annus Ζ a capite epochae V. C. 814 ductus nondum in imperium Vespasiani, et annus Θ nonnisi in ejus annum I. incidat. Quare conjicit, in iis potius scriptum ΙΖ et ΙΘ. Typus haud dubie captae Iudaeae memoriam renovat.

* * *

Caput in aliis Titi, in aliis Domitiani. ℞ ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΕΤ. ΙΘ. *Triremis.* AE. II. (Vaill. Harduin.)

Idem alterutrius caput. ℞ ΕΤΟ. Κ. ΚΑ. ΚΓ. ΚΔ. *Palma, vel Victoria.* AE. II. (Frölich.)

* * *

IM. CA. D. VESP. F. DOM. AV. GER. COS. XII. *Caput Domitiani laur.* ℞ ΕΠΙ. ΒΑ. ΑΓΡΙ. ΕΤ. Κϛ. S. C. *Caduceus inter duplex cornucopiae.* AE. III. (Harduin num. Herod. Vaill. Num. Graec.)

Eadem adversa. ℞ SALVTI. AVGVST. S. C. ΕΠΙ. ΒΑ. ΑΓΡΙ. ΕΤ. Κϛ. *Ara.* AE. II. (Harduin l. c. ac praecipue Frölich Reg. vet. p. 111.)

Hi numi initium epochae, qua usus est Agrippa II., stabiliunt. Domitianus nonnisi anno V. C. 839 P. X. 86 fuit consul XII., quo eodem anno currebat annus Κϛ, seu 26, ergo annus ejus epochae primus figendus ad V. C. 814 P. X. 61, qui fuit imperantis Neronis octavus, Agrippae inde ab V. C. 801 P. X. 48, quo rex a Claudio dictus est, decimus quartus. Quae Agrippae causa fuerit constituendae aerae anno regni sui XIV., non constat. Harduinus, qui stabilitam eam adserit propterea, quod eo anno commissum Agrippae ex S. C. imperium rei militaris

in Palaestina est [a]), hujus causas sententiae hodieque nobis debet. Pagius annum Kϛ ad regnum Agrippae refert [b]), sed satis eum refellunt anni numorum, quos dedimus, et dabimus, cum imperantibus compositi.

At plura alia numi hi observatu digna offerunt, primum, quod bilingues sunt, deinde quod regis nomini praefigitur ΕΠΙ, denique quod additur nota senatusconsulti S. C., quae omnia simul conjuncta in nullo alio numo vetere reperiuntur, et quae explicare mearum non esse virium profiteor. Quod ait Frölichius, numos similes a Romanis colonis, sed Agrippae subjectis cusos videri [c]), tantum abest, ut dubium tollat, ut etiam augeat. Nam si Agrippae subjecti, quid ad eos senatus consultum? Cum viderem praepositum ΕΠΙ, credidi primum, Agrippam in urbe aliqua Iudaeae, vel Samaritidos Romanis subjecta magistratu honorario functum, ut olim Carthagine Nova Mauretaniae reges Iubam II. et Ptolemaeum, quia praefixum ΕΠΙ plerumque magistratum eponymum indicare solet: verum et in numo supra citato: ΕΠΙ. ΒΑΣΙΛΕ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΝΕΡΩΝΙΕ. legimus praefixum ΕΠΙ, qui tamen numus signatus est apud Neroniadem, quam in Agrippae fuisse potestate constat, ex quo illi hunc tractum Nero cessit [d]). Praestat., in tanta caligine non ultra progredi.

* * *

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. ϹЄΒΑϹ. *Caput laur.* ✠ ЄΤΟ. Κϛ. ΒΑϹΙ. ΑΓΡΙΠΠ. *vel* ΑΓΡΙΠΠΑ, *vel* ΑΓΡΙΠΠΑϹ. *Victoria inscribens clypeo, et pede galeam calcans.* In aliis: *Duplex cornucopiae, intra quod caduceus.* AE. II. III. (Frölich l. c.)

Recitavi hos numos, ut appareat, eodem anno Kϛ plures variae rationis numos ab Agrippa signatos fuisse.

* * *

ΑΤΤΟΚΡΑΤ. ΟΤЄϹΠΑϹΙΑΝΩϹЄΒΑϹΤΩ, *vel similiter*, *vel:* ΑΤΤΟΚΡ. ΤΙΤΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. ϹЄΒΑϹ. *vel similiter*, *vel*, ΔΟΜЄΤΙ. ϹЄΒΑϹ. ΓЄΡ. ΜΑΝΙ. *aut similiter.* ✠ ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. cum annis variis: ЄΤΟ. Κϛ. ΚΖ. ΚΘ. *Dea stans cum cornucopiae*, *vel Victoria*, *vel duplex cornucopiae etc.* AE. I. II. III. Singulos ex variis museis recitat Frölichius.

Paullo ante comprobavi, epocham Agrippae II. incipere V. C. 814, cujus anno XIX. mortuus Vespasianus, et anno XXI. Titus. Ex quo sequitur, citatos Vespasiani et Titi numos cum annis 26. 27. 29, quoniam utriusque vitam excedunt, iis vivis feriri non potuisse, sed post mortem grati animi causa in honorem gentis Flaviae, cui, ut mox dicetur, plurimum debuit Agrippa, etsi, quod mirum, utriusque consecrati absit mentio. At enim non alius superest hunc excessum explicandi modus.

* * *

ΒΑ. ΑΓΡ. *Caput muliebre turritum.* ✠ ΕΤ. ΔΛ. *Cornucopiae.* AE. III. (Pellerin Rois p. 176.)

ΑΤΤΟ. ΔΟΜΕ - - - *Caput Domi-*

a) Num. Herod. Opp. sel. p. 349. b) Crit. Bar. ad ann. Chr. 60. c) Reg. vet. p. 111. d) Ios. Ant. L. XX. c. 8. §. 4.

tiani laur. ✕ ЄПI. BACI. AΓPIΠ. ЄT. ΛЄ. *omnia intra lauream.* AE. II. (Harduin.)

Anni 34 et 35 postremi sunt, quos cogniti hactenus Agrippae numi offerunt. Ex quo patet, Agrippam II. anno V. C. 848 P. X. 95, et sub Domitiani exitum vixisse adhuc et regnasse. Alioqui et teste Iusto Tiberiensi apud Photium a) Agrippa noster παρελαβε την αρχην επι Κλαυδιυ, ηυξηθη δε επι Νερωνος, και ετι μαλλον υπο Ουεσπασιανυ, τελευτᾳ δε ετει τριτῳ Τραιανυ, *inchoavit regnum sub Claudio, auctus sub Nerone, et adhuc magis sub Vespasiano, mortuus vero anno III. Trajani*, ergo anno V. C. 852 P. X. 99, vel anno serius. Haec non vidit Tillemontius, qui Agrippam circa annum P. X. 93 mortuum conjecit. Vide argumenta alia a Frölichio ad stabiliendam Agrippae II. mortem proposita b).

ZENODORVS TETRARCHA PONT. MAX.

Eum, etsi Iudaici ritus non fuerit, cum principibus Iudaicis conjungimus, quia eorum aetate vixit, et tetrarchiam obtinuit, quae deinde Herodi ejusque posteris permissa fuit. Zenodori vitam et res gestas in ejus numi explicatione, quem mox recitabimus, erudite descripsit Belleyus c).

Hic Zenodorus conducta pretio Lysaniae tetrarchia, quae Trachonitide, Batanea, Auranitide, Paniade constabat, latro verius, quam princeps, ac propterea delatus Augusto circa annum V. C. 730 ejus jussu solam Paniadem retinuit demptis provinciis reliquis paullo post Herodi M. permissis. V. C. 734 praesente in Syria Augusto cum restitui sibi veterem ditionem incassum peteret, eodem anno Antiochiae exstinguitur, residua ejus ditione Herodi quoque donata.

Numi:

NE. KAI. L. ZΠ. *Caput Augusti nudum.* ✕ ZHNOΔΩPOΣ. TETPAPXHΣ. KAI. APXHP. *Caput Zenodori nudum.* AE. II. (Belley l. c. Pellerin Rois tab. XVI.)

Hanc, quam proposui, veram esse hujus numi epigraphen, ex integriore Pelleriniano comprobavit Belleyus, cum inique hactenus ab Harduino, Vaillantio, Morellio lectum esset L. BΠΣ vel ΘΠΣ, aut similiter pro certo L. ZΠ, et in aliorum lectione vocabulorum varie esset peccatum. Dicitur Zenodorus TETPAPXHΣ ex causa, quam diximus. Titulum APXHP., qui additur, perperam scriptum pro APXIEPευς, dubitari nequit, unde discimus, Zenodorum cum principatu etiam pontificis max. dignitatem conjunxisse.

NE. KAI. juxta caput anticae scriptum Havercampus explevit legendo: NEρων KAIσαρ. Verum omnium consensu caput illud est Augusti, et hoc imperante vixit, mortuusque est Zenodorus. Verius rectiusque Belleyus legit NEος KAIσαρ, *junior Caesar*, et talis dici poterat Octavianus a I. Caesare adoptatus, eodem fere sensu, quo is, antequam Augustus diceretur, in nu-

a) Cod. 33. b) Reg. vet. p. 93. c) B. L. Tom. XXVIII. p. 545.

mis scribitur CAESAR. DIVI. F. Sic et in numis Faustinae jun. habemus NЄA. ΦΑϒCΤЄΙΝΑ.

Restat expediendus annus epochae ΖΠ, cujus ut initium reperiatur, in utrumque Zenodori terminum inquirendum. Caeso Cleopatrae insidiis Lysania, qui V. C. 714 patri Ptolemaeo Mennaei F. successit, Chalcidis tetrarchia M. Antonii beneficio eidem Cleopatrae permissa fuit. Obiit haec violenta morte V. C. 724. Ergo ante hunc annum Zenodorus tetrarchiam sibi ab Octaviano permissam adire non potuit. Zenodorum mortuum diximus V. C. 734. Certum igitur, intra X. hos annos Zenodori numos signatos. At mihi magis adhuc spatium istud coarctandum videtur. Nam Octavianus V. C. 727 dictus *Augustus* deinceps minus digne *novus Caesar* appellabatur, quo eum nomine hi numi compellant. Ergo si ex his principiis annos 87 revolvamus, nutabit aerae principium inter annos V. C. 637 et 640, sed incerta tamen ejus constitutae causa. Existimat Belleyus, regibus Syriae ea aetate inter se digladiantibus Chalcidenses excusso Syrorum jugo autonomiam sibi impetrasse, et inde annos computare coepisse, cui deinde instituto sese quoque Zenodorus adcommodaverit.

CLASSIS III.

Numi Iudaici Augustorum nomine cusi.

Exstant numi aenei parvi inde ab Augusto usque in Neronis aevum, quos in Iudaea signatos jure censemus, quia more Iudaico nullum animantis signum insculptum offerunt, et praeterea annos imperantis principis, quod etiam huic tractui proprium, inscribunt. Lubet eos, ut sibi successere, paucis enarrare.

* * *

Augustus.

ΚΑΙCΑΡΟC. *Spica.* ℞ L. Λ. ΛΓ. ΛЄ. ΛΘ. Μ. ΜΑ. *Palma.* AE. III. (Mus. Caes. Morelli impp.)

Anni inscripti sunt anni Victoriae Actiacae V. C. 723.

* * *

Tiberius et Iulia mater.

ΙΟϒΛΙΑ *intra coronam.* ℞ L. Γ. vel L. ϛ. *Lilium.* AE. III. (Pellerin Rec. II. p. 241. Morelli num. Liviae tab. III. n. 36.)

ΙΟϒΛΙΑ *intra coronam.* ℞ L. B. *Palmae ramus.* AE. III. (Panel de numo Tarrac. tab. III.)

ΤΙΒЄΡΙΟϒ. ΚΑΙCΑΡΟC. CЄ. *Simpulum.* ℞ ΙΟϒΛΙΑ. CЄ. *Lilium.* AE. III. (in meis Num. vet. p. 288.)

Pellerinius vocabulo ΙΟϒΛΙΑ numi sui putabat indicari Iuliadem Galilaeae urbem, eumque in hac cusum, quanquam non abhorreat ab eorum sententia, qui illo Iuliam Augusti filiam intelligendam credidere. Prior sententia certe fallit docente numo III., in quo vocem ΙΟϒΛΙΑ excipit CЄβαϛῃ. Alteram conjecturam evertit non eadem modo causa, nam Iulia Augusti filia nunquam Augustae nomen tulit, sed etiam inscripti anni B, Γ, qui, cum in hac sententia ducendi forent ab aera Actiaca, respondebunt annis V. C. 724, 725, quo tempore Iulia puella fuit no-

vennis, et nullo tum adhuc illustriore nomine. Est ergo horum numorum Iulia mater Tiberii, ut plane patebit ex numis sequentibus.

* * *

ΤΙΒΕΡΙΟΥ. ΚΑΙCΑΡΟC. L. H. *vel* IA. *Simpulum.* ✠ ΙΟΥΛΙΑ. ΚΑΙCΑΡΟC. *Tres spicae colligatae.* AE. III. (Mus. Caes.)

ΤΙΒ. ΚΑΙCΑΡ. *intra lauream.* ✠ ΙΟΥΛΙΑ. L. A. *vel* Θ, *vel* IA, *vel* IΔ. *Palmae ramus.* (Morelli num. Liviae, Mus. Caes. Panel l. c.)

ΤΙΒΕΡΙΟΥ. ΚΑΙCΑΡΟC. *Lituus.* ✠ L. IZ. *in alio:* L. IH. *intra coronam.* AE. III. (Pellerin Lettres p. 5. Neumann.)

Anni inscripti sunt anni Tiberii. In numis primi loci post ΙΟΥΛΙΑ. ΚΑΙCΑΡΟC subaudi μητηρ.

* * *

ΙΟΥΛΙΑ. *Botrus cum racemo.* ✠ L. A. *Diota.* AE. III. (Bayer Vindic. p. 25.)

Numum hunc esse Iuliadis Galilaeae conjecit Bayerius. Verum descripti hactenus numi magis Iuliam Aug. exigere videntur. Accedit, si essent ejus Galilaeae urbis, scripturos monetarios fuisse ΙΟΥΛΙΑC, quod fuit certius ejus oppidi nomen, quo modo legitur etiam ΤΙΒΕΡΙΑC in numis vicinae Tiberiados.

* * *

Claudius et Agrippina jun.

ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟC. ΚΑΙCΑΡ. ΓΕΡΜ. L. IΔ. *Duae spicae decussatae.* ✠ ΙΟΥΛΙΑ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ. *intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

* * *

Nero et Britannicus Caess.

ΝΕΡΩΝ. ΚΛΑΥ. ΚΑΙCΑΡ. *Duo clypei decussati.* ✠ ΒΡΙΤ. ΚΑΙ. L. IA. *vel* L. IΔ. *Palma.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin Mel. I. tab. 1.)

Annus uterque est Claudii, cujus duos filios Caesares hi numi exhibent, Neronem adoptivum, Britannicum naturalem.

* * *

Nero Aug.

ΝΕΡΩΝΟC *intra lauream.* ✠ ΚΑΙCΑΡΟC. L. Ε. *Palmae ramus.* AE. III. (Mus. Caes.)

ARABIA.

Praeter hanc Arabiam provinciam fuit Arabia nomus Aegypti, cujus etiam habentur numi. Sunt tamen etiam, qui cum propter typum, tum fabricam, quae diversa est ab ea, quam nomi Aegypti praeferunt, haud videntur huic Arabiae Asiaticae posse adimi. Eccos:

ΑΡΑΒΙΑ. L. ΙΓ. *Mulier stans, ad cujus pedes camelus*, Trajani, nisi forte Hadriani est. AE. II. (Vaill.)

Camelus fuit perpetuum Arabiae ejus, de qua modo agimus, symbolum, quod vel ex numis gentium Plautiae et Aemiliae constat. Praeterea obvii sunt numi Trajani commatis Romani, inscripti: ARABIA ADQ*uisita* typo similis mulieris stantis, juxta quam excubat camelus. Ajebam, numum hunc forte esse Hadriani. Nam Vaillantius, qui eundem in Numis Graecis sub Trajano vulgavit, serius a Pagio per Toinardum consultus, respondit: Patinum eum numum Trajano per errorem tribuisse; penes se enim alias fuisse Hadriani numum, in quo eadem inscriptio insculpta [a]).

ΑΡΑΒΙΑ. *Protome muliebris capite turrito*, Trajani. AE. III.

Sunt bini in museo Caesareo. Eorum fabrica Aegyptiacum nomorum stylum non sapit. Haud dubie signati sunt in memoriam adquisitae a Trajano Arabiae, perinde ac ΔΑΚΙΑ in aliis ejusdem numis legitur.

Annus imperii: L. ΙΓ., nisi fors annus aerae est, de quo vide infra in epocha Bostrae.

AE. RR.

ADRAA.

Arabiae Petraeae prope Bostram. Eusebius [b]): *ἡ δε Αδραα της Βοϛρης διεϛηκε σημειοις κε*, *Adraa a Bostra distat millibus passuum XXV.*

Imperatorii:

ΑΔΡΑΗΝΩΝ. *Caput muliebre turritum*, Aurelii.

Sic legendam epigraphen docet Pellerinius [c]) contra Vaillantium, qui legit ΑΔΡΑΜΝΩΝ, numumque tribuit Adramnae Coelesyriae, etsi nulla hujus apud veteres sit mentio.

ΑΔΡΑΗΝΩΝ. ΤΥΧΗ. *Caput muliebre turritum*, Lucillae.

Adramnae iterum hunc numum tribuit Vaillantius. Si numus prior est Adraae Arabiae, etiam hunc esse ejusdem dubitari nequit, praecipue cum et

---

a) Pagi Crit. Baron. ad ann. Chr. 105. b) in Onomast. c) Mel. II. p. 93.

vicina Bostra eandem epigraphen TTXH, et eundem typum offerat. Hunc numum perperam Havercampus tribuit Adrano Siciliae, ut in hac monui.

ΑΔΡΑΗΝΩΝ. ΔΟΤCΑΡΙΑ. *Mensa, supra quam urna intra duas icunculas, sub mensa torcular*, Aemiliani. (Belley ex Panel. B. L. T. XXVI. p. 424.)

Ludi *Dusaria* et torcular comparent etiam in numis vicinae Bostrae, ex quibus significationem pete.

* * *

ΑΔΡΑΝΝΩΝ. ΚΟΜ - - - ΗC. CΚΘ. in numo Commodi, quem citat unus Harduinus, et ad eandem Adramnam Coelesyriae refert, de quo nihil decido, ut neque de anno CΚΘ, quem is ab anno V. C. 705 ducit.

AE. RRR.

AELA.

Arabiae Petraeae, Pellerinius *autonomum* aeneum, in quo legit ΑΕΛΑΝΩΝ, huc referri posse censet, sed rationes, quas adfert, non convincunt.

BOSTRA.

Arabiae Petraeae, a Pella et Philadelphia Decapoleos in occasum, a Damasco in meridiem. Vrbs illustris, cujus historiam et numos prolixe descripsit Belleyus a).

Imperatorii:

Certi exstant ab Antonino usque ad Caracallam. De numo Augusti, qui citatur in museo Theupoli, in cujus X ΒΟΣΤΡΩΝ, typus *cetra*, dubitari jure potest, cum non constet, ante Trajani aetatem Romanis aliquid juris in Arabiam fuisse. Tentavit Augustus ejus partem duce usus Aelio Gallo, ut narrat Strabo b), sed non eam, qua Bostra stetit, neque etiam in Arabia constitit.

Epigraphe:

ΒΟCΤΡΩΝ, Caracallae. (Vaill.)

ΝΕ. ΤΡΑ. ΒΟCΤΡΑ. vel: Ν. ΤΡΑ. ΒΟCΤΡΑ. Commodi. (Vaill. Mus. Christinae.)

ΝΕΑC. ΤΡΑΙΑΝΗC. ΒΟCΤΡΑC. Antonini. (Pellerin Rec. III. p. 244.)

ΝΕΑC. ΤΡΑΙΑΝΗC. tantum, Faustinae sen. (Pellerin Mel. II.)

Addo inscriptiones in Bostrae coloniae numis occurrentes,

Colonia enim serius deducta est, quo auspice, non constat. Id factum ab Alexandro Sev. contendit Vaillantius, quia cum hujus capite primos detexit ejus coloniae numos, tum quod se *Alexandrianam* in numis vocat. At serius detectus est a Pellerinio ejusdem coloniae numus cum capite Elagabali. Idem cognitus jam fuit Belleyo; quare miror, eruditum hunc virum Vaillantio de condita colonia adhaerere c). Quoniam Bostrae numum Graecum cum capite Caracallae, et sine mentione coloniae habemus, certum est, coloniam non deductam ante Severum, et verisimiliter ab hoc, si fides Damascio apud Photium d): τα Βοςρα της Αραβιας, πολιν μεν ȣκ αρχαιαν, ὑπο γαρ Σεβηρȣ τȣ βασιλεως πολιζεται, *Bostra Arabiae, urbem non*

a) B. L. T. XXX. p. 307. b) L. XVI. c) l. c. p. 311. d) Cod. 242.

antiquam, quippe a Severo Aug. conditam. Coloniae ergo numi sunt ab Elagabalo usque ad Decium.

COLONIA. BOSTRA. in variis.

N. TRA. BOSTRA. Elagabali. (Pellerin.)

N. TR. ALEXANDRIANAE. COL. BOST. Alexandri et Mamaeae. (Vaill.)

COL. METROPOLIS. BOSTRA. inde a Philippo.

Epigraphe numi Pelleriniani supra citati: NЄAC. TPAIANHC. BOCTPAC. veterem litem feliciter componit. Nam Vaillantius voces decurtatas NЄ. TPA. in Graecis, aut N. TR. in Latinis explevit legendo: NEρμια TPAιανη. Felicius Harduinus, quod eventus docuit, NEα legendum censuit. Tamen serius Vaillantii errorem amplexum apparet ex ejus numis urbium illustratis novae editionis. Analoge ergo N Latinum est *Nova*. Ex numo Faustinae, in quo NЄAC. TPAIANHC. absque BOCTPAC scribitur, colligimus, urbi abolito saltem secundum primum institutum Bostrae nomine inditum fuisse alterum *Novae Trajanae*, verum oppidanos vetus suum denuo respexisse, ac tum voces NЄAC. TPAIANHC. in epitheta honorifica transivisse. Cur haec Trajana dicta fuerit *Nova*, decidere difficile est. Si Trajanae Augustae, quarum una in Dacia, altera in Thracia stetit, prius sic fuere compellatae, habemus rationem expeditam, cur posterior haec nostra *Novae* nomen abstulerit. Sed hoc ipsum est, de quo ambigi possit. Vide etiam infra in *epocha*.

* * *

Typi:

TTXH. NЄAC. TPAIANHC. BOCTPAC. *Mulier stans d. tropaeum, s. cornucopiae, pede prorae imposito*, Antonini. (Pellerin Rec. III. p. 244.)

TTXH. NЄAC. TPAIANHC. *Mulier turrita stans d. innixa hastae, s. duas spicas*, Faustinae sen. (Pellerin.)

A. γαθη TTXH. BOCTPΩN. *Caput muliebre turritum, pone cornucopiae*, Caracallae. (Vaill.)

His ergo typis *Bona Fortuna* urbis proponitur, de qua olim fusius egi [a]).

Astarte stans in templo d. hastam cruce praefixam, s. cornucopiae, pro pedibus duo Centauri, in numo coloniae Mamaeae. (Vaill.) *Eadem eodem modo stans in templo, ad ejus pedes Silenus*, Decii. (Pellerin.)

De hac Astarte in numis adsitarum regionum obvia dicere plura non attinet.

Camelus, notum Arabiae symbolum, Commodi. (Vaill.)

Caput muliebre turritum, pone cornucopiae, Mamaeae. (Vaill.)

Est caput Fortunae civitatis, seu Τυχης.

Colonus arans, Silenus, Alexandri. (Vaill.)

Silenum numo inlatum statuit Belleyus ob vini ad Bostram laetos proventus. At non advertit animum, hunc deastrum solitum esse coloniarum typum.

* * *

Ludi:

AKTIA. ΔOTCAPIA. *intra coronam*,

---

a) Num. vet. p. 183.

Philippi. (Mus. Caes. Frölich IV. Tent. p. 128.)

ΔΟΥΣΑRIA. *Torcular intra coronam*, Decii. (Pellerin Rec. III. p. XXXVIII.)

Monet Pellerinius [a]), ad hanc quoque urbem pertinere numum cum simili typo, quem perperam, ut ait, Vaillantius Tyro coloniae tribuit, et in quo is item perperam Gallieni caput vidit. At vix credam, bis a Vaillantio in eodem numo peccatum, quem ipse *integrum* profitetur. Et poterant Dusaria etiam Tyrum propagari. Simile torcular, sed contractiore forma, exhibetur quoque in area numi Alexandri Sev. apud Vaillantium, sed qui typi sensum non satis perspexit. Eadem Dusaria et torcular comparent in citato supra numo vicinae Adraae, tum et in numo coloniae Germes Galatiae, ut in hac dictum.

Ludos *Dusaria* erudite explicavit Frölichius [b]). Ea celebrata docet in honorem Dusaris; nam sic Tertullianus [c]): *unicuique etiam provinciae et civitati suus est deus, ut Syriae Astarte, Arabiae Dusares.* Et Stephanus [d]): θεος δε ουτος (Δουσαρης) παρα Αραψι - - - τιμωμενος. Hunc vero Dusarem apud Arabas fuisse Bacchum, docet Hesychius: Δουσαρην τον Διονυσον οι Ναβαταιοι ονομαζουσιν. Plura pete ex ipso Frölichio. Adde, quod refert Arrianus [e]), Arabas duos tantum deos colere, *Coelum*, (Ουρανον) et Bacchum. Neque defuere, qui Bacchum apud Arabas ex Iove natum adsererent, quos inter Dionysius Periegetes [f]). Hunc etiam Bacchi cultum comprobat typus torcularis, atque ut post alios observat Belleyus, ipsum quoque urbis etymon, quod ducitur ex Hebraico בצר *vindemiavit*, ex quo ejus nominis urbes in textu Hebraico dicuntur בצרה. Ad quod adludere censet verba Isaiae [g]): *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? torcular calcavi solus.*

* * *

Metropolis: Belleyus Elagabali numum ex Pelleriniano citat inscriptum: N. TR. MET. BOSTRA., verum Pellerinius ipse eundem numum describens titulum MET. omittit [h]). Ergo probari nequit, Bostram jam ejus imperatoris aetate fuisse metropolin. Primum hoc honore gloriatur in numo Philippi supra ex Theupoli citato, et alio Frölichiano ejusdem Augusti, eumque in numis Decii constanter repetit. Et verisimile est, Bostram Philippo metropolis jura debere, qui Arabs ipse fuit, et quidem Bostrenus, cuique patriam suam fuisse caram, infra in Philippopoli videbimus.

* * *

Epocha: ЄT. PΔ. in numis Severi editis a Begero [i]), et Pellerinio [k]), neque alius hactenus annus in Bostrae numis observatus. Ejus exordium Belleyus repetit ab eo tempore, quo Bostra cum regione vicina in Trajani potestatem venit, quod accidit V. C. 858, duce Romani exercitus A. Cornelio Palma, ut

a) l. c. b) l. c. c) Apolog. c. 24. d) in Δουσαρη. e) de Exp. Alex. L. VII. c. 20. f) Orb. descr. v. 939. g) XXIII. 1. 2. 3. h) Mel. I. i) Thes. Br. T. III. p. 129. k) Rec. III. p. 244.

narrat Dio [a]). Revera etiam Chronicon Alexandrinum narrat, Petraeos et Bostrenos hinc annos suos computare. Observandum tamen ex Belleyo, anni initium ducendum ab aequinoctio verno, quod late ibi probat [b]). Supra in *Arabia* numum Trajani descripsi, in quo legitur L. IΓ., quo forte dicebam notari annum imperii Trajani. Tamen non repugnat, eo notari annum epochae ductae ex eodem principio V. C. 858. Dubium enim non est, eum numum communi Arabiae nomine insignem in nobiliore aliqua adquisitae tum Arabiae urbe, atque adeo vel Petrae, vel potius Bostrae, quae insuper per Trajani benefacta *Trajanae* nomen recepit, fuisse signatum, quo admisso numus hic cusus fuisset a vere V. C. 870, Trajano subinde mense Augusto ejusdem anni mortuo.

AE. Graeci RRR. Coloniae RR.

ESBVS.

Vrbs in sacris literis saepe memorata, sed nomine *Hesebon.* Alii eam in Peraea constituunt, sed Ptolemaeus, et Hieronymus in Arabia locant, et ipse Plinius *Esbonitas Arabas* vocat.

Imperatorii:

Bini, iique Caracallae hactenus solum cogniti:

ΑΥΡ. ЄϹΒΟΥϹ. *Deus Mensis cultu solito.* (Vaill.)

ЄϹΒΟΥ. *Astarte stans in templo tetrastylo capite turrito d. pede fors globo imposito, s. hastam.* (Pellerin Suppl. III. p. 135.)

AE. RRRR.

MOCA.

Arabiae Petraeae teste Ptolemaeo.

Imperatorii

Bini tantum reperti:

ΜΟΚΑ. ΙЄΡ. ΑϹΥ. ΑΥΤΟ. *Mulier turrita in templo tetrastylo d. hastam, s. cornucopiae*, Antonini. (Vaill.) Est satis nota Astarte.

Mulier succincta stans d. spicas et papaver, s. cornucopiae, Severi. (Vaill.) Nimirum Fortuna urbis.

Capitoliensium Coelesyriae numi tam inscriptione, quam typo cum his conspirant. Non audiendus Harduinus, et ejus adsecla Iobertus, qui distracto bifariam vocabulo ΜΟΚΑ legunt: ΜΟνων ΚΑπιτολιεων, atque hos numos Aeliae Capitolinae tribuunt, quorum doctrinam abunde refutavit Bimardus [c]).

AE. RRRR.

PETRA.

Vrbs ejus tractus princeps, quae *Arabiae Petraeae* nomen fecit. Romanis inde a Trajano subjecta numos signavit.

Imperatorii.

Hadriani, Aurelii, juncto etiam L. Vero, Severi, Getae, quos dedere Vail-

a) L. LXVIII. §. 14. b) pag. 313. c) ad Iobert. T. II. p. 252.

lantius, Theupoli, Arigonius, Pellerinius, Mus. Caes.

ΠЄΤΡΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC. in solis Hadriani numis, et adhuc in his:

ΑΔΡΙΑΝΗ. ΠЄΤΡΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC., neque in sequentibus *Hadrianae* appellationem negligit, raro Μητροπολεως.

Typus fere unicus: *Mulier turrita petrae insidens d. pateram, s. tropaeum.*

Epochae annum forte notant literae ΡΛΔ, quae sunt in area numi Severi apud Pellerinium [a]), quam si notant, fluctuat ejus exordium intra annos V. C. 812. et 830. Nulla nobis constat probabilis ejus inductae ratio.

AE. RR.

PHILIPPOPOLIS.

In agro Bostreno, a Philippo Augusto, qui apud Bostram natus est, aedificata, et de ejus nomine appellata [b]).

Exstant numi cum *Coloniae* nomine, et capitibus Philippi, et Marini, qui *Philippopolin* inscribunt, sed quos certius esse Philippopolis Thraciae, in hac dictum.

RABATHMOMA.

Arabiae Petraeae secundum Ptolemaeum, qui eam Ραβαθμωμα scribit, cum quo consentit Stephanus: Ραβαθμωμα πολις τριτης Παλαιστινης, ἡ νυν Αρεοπολις. Sita in vetere Moabitide. Eusebius [c]): Μωαβ πολις της Αραβιας, ἡ νυν Αρεοπολις, καλειται δε Μωαβ και ἡ χωρα, ἡ δε πολις Ραββαθ Μωαβ.

Imperatorii:

Sunt Severi, Caracallae, Getae, at secundum ingeniosam et veram Wisii Angli correctionem [d]), quam etiam calculo suo adprobat Pellerinius [e]), haec est eorum epigraphe:

ΡΑΒΑΘΜΩ.ΒΛ. *Vir armatus stans in cippo, d. gladium, s. clypeum et hastam, hinc et illinc fax ardens*, Getae, in cujus antica scriptum: ΑΥΤ. ΚΑΙ. Π. ΓЄΤΑC., et est caput laureatum. Prostat in museo Theupoli, sed inique scribitur ΡΑΒΑΘΜΟΒΑ.

ΡΑΒΑΘΜΩ. ΔΛ. *Figura galeata stans d. spiculum, s. clypeum, hinc et illinc ara*, Severi. Vaillantius hujus numi index legit: ЄΝ. ΠΑΘΜΩΔΑ, tribuitque Pathmo insulae maris Icarii.

ΡΑΒΑΘΜΩ. ΔΛ. in numo Caracallae, quem Wisius ipse vidit, et qui sibi sanae correctionis auctor exstitit [f]). Typum non prodit.

Huc etiam pertinere videntur sequentes:

ΡΑΒΒΑΘΜΩΜΗΝΩΝ. ΒΜΡ. *Mulier galeata stans d. hastam, s. aquilam, pede cippo imposito*, Severi. (Vaillant. Harduin.) Wisio et urbis inscriptio, et epochae annus suspectus.

ΡΑΒΒΑΘΜΩΜΑ. *Neptunus stans d. delphinum, s. tridentem*, Caracallae. (Vaill.) Sed lectio haud dubie corrigenda ad exemplum praecedentium. Harduinus in simili legit: ΡΑΒΒΑΑΜΗΝΩΝ. ΡЄ. Omnia confusa.

ΡΑΒΒΑΤΑΜΗΝΩΝ. *Hercules Antaeum suffocans*, Gordiani. Vaillantius hu-

a) Mel. II. p. 129. b) Victor Schotti, Zonaras. c) in Onomast. d) Mus. Bodl. p. 205. e) Mel. II. p. 128. f) l. c.

jus numi praeco Stephanum citat. Meminit is Rabbatammanae Arabiae montanae. Sed quis de numorum patria certum quid adfirmet suspecta inscriptionis lectione? Satis esto, descriptos a me numos, ut ab aliis descripti fuere.

Typi:

Figuram militarem, quae proponitur in numis I. et II., verisimile est esse ipsum Martem, qui adeo typus Stephani et Eusebii verba confirmat adserentium, ut principio diximus, hanc urbem vocatam quoque *Areopolin.*

Typus Neptuni in numo V. docet contra, quam sentiunt alii, ejus imaginem non semper notare urbem maritimam.

* * *

Epocha. Ejus principium Wisius figit ad annum V. C. 928, quo M. Aurelius in Syriam transmisit. At numus Getae cum Augusti titulo, et anno BΛ. probat, eam non potuisse incipere citius anno V. C. 930. Nam additis huic annis 31 obtinemus annum V. C. 961; at constat, Getam Augusti titulum certo non abstulisse ante annum V. C. 962. Numus Severi cum anno ΔΛ docet, epocham non potuisse incipere serius anno V. C. 930, nisi forte, quoniam apud Arabas, ut supra in Bostra diximus, annus coepit in vere, admitti adhuc possit annus 931. In causa est mors Severi, quae contigit mense Februario V. C. 964. Statuendus ergo pro aerae principio annus V. C. 930. M. Aurelius tum invisit Syriam, et Palaestinam, ex quo itinere videtur etiam vicina Arabia aliquid emolumenti percepisse.

AE. RRR.

MESOPOTAMIA.

ADDAEA.

Huic urbi Haymius numum maximae formae tribuit, in quo hinc capita Gallieni, et, ut ait, Valeriani junioris, illinc ΑΔΔΔΕΟΝ, *Dioscuri stantes*, intra quos IB. Satis obscura est haec Mesopotamiae urbs, et literae IB potius suadent, numum alicui Lyciae, Pamphyliae, Ciliciae urbi, in quibus hae literae scribi sunt solitae, in ΔΕΩΝ desinenti tribuendum, praecipue cum ex Haymii iconismo appareat, priores urbis literas non satis esse sanas [a]).

AMIDA.

De numis huic tributis vide infra in Carrhis.

a) Tom. II. p. 381.

ANTHEMVSIA.

Situs incerti. Nicephorio adstituit Plinius.

Imperatorii

Caracallae hactenus cogniti.

ΑΝΘΕΜΟΥϹΙΩΝ. *Caput muliebre velatum turritum.* (Maffei Ant. Gall. p. 115. Pellerin Mel. I. p. 346. Harduin ad Plin. T. I. p. 268.) Citati hi numi eundem omnes typum habent.

AE. RRR.

CARRHAE.

Crassi clade nobilitatae.

Recensendi primum numi Carrharum nondum coloniae.

Autonomi:

Caput Solis radiatum, juxta fax ardens. ✠ ΚΑΡΡΗΝΩΝ. ЄΤ. C. *Luna imminentibus binis astris, infra caput bovis.* AE. (Arigoni.)

De addito ЄΤ. C. dubitare liceat, nam certi nondum sumus, Carrhenos in moneta sua annos signasse, et si verum est epochae principium a Vaillantio ad annum V. C. 809 fixum, de quo infra, numus signatus est sub Gallieno, quo tempore Carrhae pridem colonia fuere, ac tum το ΚΟΛ. vix fuisset omissum. Ad haec Carrharum moneta nobis cognita sub Gordiano desinit, ut adeo Arigonii lectioni, ut saepe alias, etiam hic liceat diffidere.

* * *

Quos Haymius inscriptos, ut putabat, nomine ΚΑΡΡΑΣ huc adegit [a]), esse Carthaeae, quae fuit Ceae insulae oppidum, in hujus numis demonstravimus. De nullo igitur autonomo hujus classis certi esse possumus, etsi habeamus autonomum coloniae nomine.

Imperatorii.

Antequam colonia deduceretur, horum aliqui memorantur, cujus generis numos Vaillantius temere in coloniarum moneta recenset, etsi coloniae mentionem non faciant, in quo multo adcuratior fuit Pellerinius. Hujus generis certos habemus cum capite Aurelii et Veri; nam suspectus mihi oppido numus Plotinae: ΚΑΡΡΗΝΩΝ typo *cervi*, qui citatur in Theupoli, atque alter Severi: ΑΥΡΗΛΙΟ. ΚΑΡΗΝΩ. typo *muscae alis explicatis*, quem describit Pellerinius [b]). Nam cum Carrhae jam colonia sub M. Aurelio fuerint, non dubitem, etiam in hoc posteriore scriptum fuisse ΚΟΛ., sed quas literas aevum adroserit.

ΜΑΡκῳ ΑΥΡηλίῳ ΦΙΛΩΡωμαιοι Μητροπολεως Α. (πρωτης) ΑΙΡ. *Caput nudum M. Aurelii.* ✠ ΑΥΡηλιων ΚΑΡΡΗΝΩΝ. ΦΙΛΩΡωμαιων Μητροπολεως Α. (πρωτης) *Caput intra crescentem lunam.* (Vaill.)

Insolentior epigraphe partis anticae, et luculentus error adversus grammaticam, cum scribendum sit ΦΙΛΟΡωμαιοι, quem tamen correxit Harduinus ejus et ipse numi praeco.

ΚΑΡΗΝΩΝ. ΦΙΛΟΡΩΜ. *Luna cum astro*, in numo L. Veri. (Pellerin.)

a) T. II. p. 141. b) Mel II.

De Metropoli prima, titulo Φιλοϱωμαιν, et typis vide infra in numis coloniae.

Epochae annum nobis Vaillantius ex descripto hic M. Aurelii numo offert, nempe AIP. Ejus exordium refert ad annum V. C. 809, quo victus a Corbulone Vologases est, Harduinus in biennium differt. Ceterum in nullo alio Carrharum numo hactenus epochae annus compertus dempto autonomo supra citato ex Arigonio, sed eo, ut jam observavi, suspectae lectionis. Neque credam, lectionem epigraphes hujus numi spectata parte antica omni suspicione liberandam, et quoniam tota ea insolentior, ut dixi, est, praestolandum adhuc aliorum praeconium, et differendum etiam de epocha judicium.

AE. RRR.

Colonia deducta certe est a M. Aurelio, nam, ut vidimus, ejus et L. Veri exstant numi absque coloniae mentione, et rursus utriusque Augusti numi, qui Carrhas coloniam profitentur. Accedit *Aureliae* nomen tractum a M. Aurelio coloniae conditore.

Autonomus.

Caput Mensis cum pileo Phrygio. ✠ ΚΟΛ. ΜΗΤΡ. ΚΑΡΡ. *Luna cum astro.* (Pellerin.)

AE. RRRR.

Imperatorii:

A M. Aurelio usque ad Tranquillinam.

Epigraphe:

ΑΥΡ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ. ΦΙΛΟΡ. ΚΟΛ. M. Aurelii. (Arigoni.)

ΚΟΛ. ΑΥΡ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ. L. Veri. (Vaill.)

ΑΥΡ. ΚΑΡΡΗ. ΦΙΛΟΡ. ΚΟΛΩΝ. Є. ΙΓ. Commodi. (Arigoni.)

ΚΑΡ. ΚΟ. ΜΗ. ΠΟΛ. Commodi. (Vaill.)

ΚΟΛ. ΚΑΡΡ. Severi. (Vaill.)

ΚΟΛ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC. ΚΑΡΡΗΝΩΝ. Caracallae. (Vaill.)

ΚΑΡ. ΚΟ. ΜΗ. ΜЄCCΟΠ. Α. Alexandri. (Pellerin Mel. I. p. 347.) Vaillantius in similibus pro Α legit Δ, de quo agemus infra sub *Metropoli.*

* * *

Typi:

Luna crescens, intra quam astrum, typus obvius, vel: *Caput juvenile cum pileo Phrygio super luna,* ut in citato autonomo.

Haec omnia ad cultum lunae, seu maris, seu feminae, pertinent, cujus apud Carrhas celebris cultus exstitit; nam narrat Spartianus, Caracallam Carrhas Luni dei gratia venisse, additque, ex Carrhenorum theologia lunam et marem, et feminam credi.

Caput muliebre velatum turritum imminente capiti luna, juxta idolum super columella malleum tenens, (Cabirum dixit Vaillantius) in numis Gordiani. (Vaill. Mus. Caes.)

Mulier turrita rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens, in numis Alexandri passim.

Fluvius est Chaboras, cui Carrhae adsitae.

* * *

Exstant in museo Caesareo numuli Caracallae, quos hoc loco describere operae pretium.

IMP. M. AVR. ANTONINVS. AVG. *Caput Caracallae laureatum.*
COL. MET. ANTONINIANA. *Caput muliebre velatum turritum.* AE. IV.

Eadem adversa.
COL. MET. ANTONINIANA. AVR. ALEX. *Caput muliebre velat. tur.* AE. IV.

Epigraphe et caput dubium.
- - - ANTONIN - - - *Caput muliebre velatum turritum, juxta quod cornucopiae.* AE. IV.

IMP. CAES. M. AVR. ANTON - - - *Caput Caracallae laureatum.*
COL. AVR. METROPOL. ANTONINIANA. CA. *Caput muliebre velatum turritum.* AE. IV. integerrimus, et fabricae pro aetate perelegantis.

Argumenti causa addo alium Commodi ejusdem musei Caesarei.

KAICAP. AT. KOMOΔOC. CЄ. *Caput laur.*
TΠЄP. NIKHC. PωMAIωN. *Caput muliebre velatum turritum.* AE. IV. ejusdem fabricae et elegantiae.

Plerosque hos numos jam olim vulgavi [a]). Cum catalogum musei Caesarei ederem, horum primum Edessae Mesopotamiae tribuendum putavi secutus Vaillantium, qui ejus obiter meminit [b]), et Bayerum [c]). At sententiam mutare cogit numus insignis loco IV. citatus, quem serius museo Caesareo intuli, quique aliorum omnium veram patriam haud dubie, ut videtur, definit. Persuadet istud additum post omnes urbis titulos CA., quod explendum esse legendo CA*rrhae*, atque adeo excludendam Edessam, cui absque his literis aliquod in hos numos jus esse posset, nemo non videt. Additos omnes honorum titulos competere Carrhis, partim ex citatis earum numis certis vidimus. *Antonianam* se vocat haec colonia ex nomine tum imperantis. Nomen *Alexandrinae*, quod offert numus II., altioris est indaginis. Non raro illud reperitur in numis urbium, quae ab Alexandro Severo appellationem honorificam sunt mutuatae. Verum additum illud in numo Caracallae, qui Alexandrum pluribus annis antevertit, hactenus res nova et insolens. Sed enim cui constat, quam ineptus Alexandri M. imitator exstiterit Caracalla, cuique placitum fuerit ea revolvere, quae super hoc argumento docui in numis Alexandri M. Berhoeae Macedoniae signatis, exploratam habebit rationem tituli hujus ab adulatione concepti. Quoniam nomen ALEX. in hoc numo postremum positum est, possit cuipiam videri, eo coloniam quandam *Alexandriam* notari. Verum hoc nomine praeter eam, quae in Troade sita fuit, colonia nulla exstitit. Igitur aeque in hoc numo abest urbis nomen, ac in numo ex citatis primo. Neque desunt aliarum urbium exempla. Vidimus numum Bostrae Arabiae inscriptum NЄAC. TPAIANHC. omisso BOCTPAC. Ergo nequaquam dubitandum, facem praeferente numo IV., numos hos omnes Carrhas pertinere. Non obstat, epigraphen in iis esse Latinam, quae in aliis coloniae Carrharum numis esse Graeca solet, nam

a) Sylloge I. p. 61. seq. b) Numi Colon. sub. Caracalla p. m. 34. 35. c) Hist. Osrhoen. p. 183.

et Aelia Capitolina, et Sebaste Samariae variavit lingua, et Antiochiae monetam bilinguem novimus. Constat, Caracallam postremo vitae tempore apud Carrhas commoratum, atque tum verisimile est, in ea colonia aliquid in monetae negotio immutatum.

Postremum Commodi numum addidi propterea, quia omnino geminum alteri, quem loco IV. descripsi, dicere possis, sic ut unum alteri facile substitueres, nisi vetaret inscriptio tam idiomate, quam argumento varia. Epigraphe ΥΠΕΡ. ΝΙΚΗϹ. ΡΩΜΑΙΩΝ. in variis argenteis denarii pondere cum capitibus M. Aurelii, L. Veri, et uxorum suppresso urbis nomine legitur, quos dabimus infra in numis Mesopotamiae urbium incertarum. Vt hunc numum Carrhis signatum putem, suadent fabrica et typus cum numo IV. communes. Eo Carrheni Commodo qualemcunque de barbaris relatam victoriam gratulantur, forte solutis propterea in vicino Nicephorio votis, qua in urbe Iuppiter Nicephori nomine colebatur.

* * *

Honorum tituli:

ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΩΝ. in numis Aurelii, Veri, Commodi tam coloniae nomine, quam antea signatis. Hoc titulo etiam Edessae reges usi sunt. Eo suam in Romanos fidem testabantur Mesopotamiae populi, quibus in imperii R. limite collocatis arbitrarium fuit, seu Romanis, seu Parthis sese applicarent.

Nomina ab impp. Aurelia, a M. Aurelio, a quo etiam ante conditam coloniam beneficiis videntur fuisse adfecti. *Antoniniana*, *Alexandriana*, a Caracalla, ut dictum.

Metropolis: In numo M. Aurelii supra ex Vaillantio descripto jam legitur M. A. In numis Commodi et Elagabali apud eundem ΜΗ. ΠΟΛ., quod pro ΜΗΤΡΟΠΟΛ. At distinctius in numis Alexandri ΜΗ. ΜΕϹϹΟΠ. Α. Cum hic titulus in aliis M. Aurelii et L. Veri numis omittatur, verisimile est, Carrhas metropoleos honorem ab eodem Aurelio abstulisse. Deinceps eam mentionem vix amplius omittit. Additum A probat secundum Vaillantium, Carrhas sibi metropolis *primae* honorem arrogasse, nam et Edessa se metropolin dixit. At mirer, iam aetate M. Aurelii Carrhas dici metropolin *primam*, quando illo imperante non fuit altera quaepiam secunda; nam Edessa tum adhuc propriis subjecta regibus a Caracalla demum deducta est colonia, et vel ab hoc, vel Macrino dicta Metropolis. Quo augetur suspicio, hunc Aurelii numum male a Vaillantio promulgatum, atque praetensum A plane abesse. Vaillantius, cum in numo, ut putabat, Emisae coloniae Syriae (revera enim hic quoque numus est Carrharum) legeret ΜΗ. ΜΕϹϹΟΠ. Α., et in aliis Carrharum: ΜΗ. ΜΕϹϹΟΠ. Δ., (sed et hic erravit legendo Δ pro A) existimavit, ab Elagabalo Emisam, quae fuit hujus patria, dictam fuisse *primam* metropolin Mesopotamiae, Carrhas *secundam*, Δευτεραν. Alii cum in numo simili Alexandri Severi primas literas legerent ΑΜΙ., eum Amidae Mesopotamiae largiti sunt, quam sententiam resuscitavit Bayerus in Opusculis suis a Klotzio editis p. 535. Nunc satis constat, legendis his numis deceptum Vaillantium, numumque priorem perinde

esse Carrharum, non Emisae, et in altero non legendum Δ, sed solitum A. Eam litem prolixius disputatam vide apud Pellerinium [a]).

* * *

Annus imperii Є. ΙΓ. in numo Commodi citato, si modo non imponit iconismus ab Arigonio propositus.

AE. R.

EDESSA.

In Osrhoene sita. Proprios olim reges habuit, quorum plerique Abgari vocabantur. Horum unum bene sub Severo de Romanis meritum Caracalla per fraudem circumventum regno spoliavit, et Edessam sibi subjecit. Ex eo tempore signati numi imperatorii. Sub eodem adhuc Caracalla deducta fuit colonia, ut ejus ipsius numi addito ΚΟΛ. fidem faciunt. Quam inconsulto Vaillantius aliique hujus, et alterius Edessae Macedoniae numos miscuerint, ad hujus numos jam monui, quo loco et facile discrimen inter utriusque numos proposui.

Imperatorii.

In classem numorum Edessae nondum coloniae forte recipiendi aliqui Caracallae numi, qui mentione ΚΟΛ. abstinent, signati adeo ante, quam urbs colonia deducta esset, etsi norim, eam mentionem in nonnullis post Caracallam reticeri. Vaillantius eos cum coloniae numis miscuit, quod eum in Carrharum quoque numis fecisse supra monuimus.

* * *

Coloniae numi sunt a Caracalla usque ad Decium. Hos inter insignis esset, si modo certae fidei, numus Gordiani Africani junioris, quem sic descriptum reperio (Sestini Lettere T. IV. p. 130.):

Μ. Α. Κ. Γ. ΑΦΡ. ΚΑΛΟϹ. *Caput Gordiani jun. nudum, cum signo incuso caput Pupieni exhibente.* ✠ ЄΔЄϹϹΑ. Ο. Μ. *Caput muliebre turritum.* AE. II.

Quod Gordiani nomen indicet tertia litera K, non intelligo. Certe in omnibus aliis omnium gentium ejus numis abest. ΚΑΛΟϹ, *Pulcher*, epitheton est ab omnibus imperatorum, regum, principum monumentis publicis alienum, quia in viris parum honorificum, quin neque in feminis hucusque repertum. Honestius Gordianus senior in numis Alexandrinis dicitur ϹЄΜνος, *Venerabilis.* Mirum etiam, nomen *Africani*, quod cognomen tantum fuit, scribi tribus literis, et adjectum laudis epitheton ΚΑΛΟϹ perscribi totum, cum interea vera ejus nomina *Antonii Gordiani* literis tantum ἀρχαικαῖς absolverentur. Elementis Ο. Μ. notari Οπελλιανη Μακρινιανη, et legi in solis Macrini et Diadumeniani numis, certum est, quid ergo illa ad Gordianum Africanum? Displicent numi, qui tot, tamque insolentia nobis praedicant. Satis apparet, numum, cum primum lucem vidit, Macrini aut filii vultum et nomina tulisse.

Epigraphe addito aut suppresso coloniae nomine:

ΚΟΛ. ΜΑΡ. ЄΔЄϹϹΑ. Caracallae.

a) Rec. II. p. XIV.

AT. AN. ЄΔЄCCA. Ejusdem. (Holsten. ad Steph. p. 107.)

MHT. KOΛ. ЄΔЄCCA. Macrini.

O. M. ЄΔЄCCA. Macrini, (Theup.) Diadumeniani. (Mus. Caes.)

A. O. M. ЄΔЄCCA. (Αντωνινιανη Οπελλιανη Μακρινιανη) Macrini. (Hard.)

MAP. AYP. KOΛ. ЄΔЄCCA. Elagabali.

MHT. KOΛ. ЄΔЄCCHNΩN. Maesae, Alexandri, Gordiani.

KOΛ. ЄΔЄCCA. Decii.

Typi:

Mulier turrita rupi insidens, coramque ara, pro pedibus fluvius emergens; ea manu tenet aliquid, quod Vaillantius jam sistrum dixit (in Maesa) *jam vexillum* (in Alexandro), *at Pellerinius tempellum* (in Mamaea), *circum eam in aliquibus sunt 4 astra.*

Caput muliebre velatum, cui ex adverso est simulacrum Palladis, ut videtur, columellae impositum, Gordiani. (Mus. Caes. Vaill.) *Nonnunquam sunt etiam duo similia capita se respicientia.*

Metropolis: cujus mentio primum fit in numis Macrini, quamvis forte ad eum honorem jam a Caracalla fuerit evecta, etsi Mesopotamia jam Carrhas metropolin habuit, sed quae ipsa causa videtur, cur ex eo tempore Carrhae se metropolin A, id est *primam*, scripserint.

Nomina ab impp.

MAP. AYP. ANTΩ. etiam majore compendio, a Caracalla, et Elagabalo.

A. O. M. in quo A. vel Antoninianam notat a Diadumeniano, vel potius, quia praeponitur, Aureliam a Caracalla, O. et M. Opellianam, Macrinianam.

AE. C.

REGES OSRHOENI seu EDESSENI.

Regnum Osrhoenum in Mesopotamia juxta Euphratem et ex adverso Commagenes situm nomen traxit ab Osrhoe Heviae filio, qui V. C. 617. distracta turbis cum intestinis, tum externis Syria regnum apud Edessam fundavit, unde et reges Edesseni dicti sunt. In medio Romani Parthicique imperii positum, et utriusque jam suspicionibus, jam insidiis patens tamen usque ad Caracallam perstitit, a quo in provinciam redactum est, ut dicetur.

Hujus regni historiam amplis commentariis illustravit Theophilus Sigefridus Bayerus in opere: *Historia Osrhoena et Edessena ex numis illustrata.* Eo-

rundem etiam regum catalogum et numos proposuit cl. Wise [a]). Vterque eorum seriem ab regni ortu perpetuam dedit ex Dionysio Telmariensi, quem ex Syriaco Latine reddidit Assemannus. Hos adeat, qui omnium Osrhoenes regum volet historiam nosse. Meo enim instituto eos tantum persequar, quorum numos habemus superstites. Ex praecedentibus illustriores fuere *Mannus*, qui proditione Crassum in bello Parthico in insidias traxit, et sub Tiberio *Abgarus*, qui literas, quae adhuc exstant, ad Christum scripsisse ferebatur, de quo vide Bayerium.

Regum Osrhoenes plerisque nomen fuit *Abgarus*, sed in codicibus variae scriptum, Αβγαρος, Αυγαρος, *Abbarus*, *Abagarus* etc. In numis constanter ABΓΑΡΟC. Vnde factum, ut scriptores aliqui omnes ejus gentis reges communi nomine dictos Abgaros putarent. Sic Procopius [b]): Αυγαρος ἡν τις ἐν τοις ἀνω χρονοις Εδεσσης τοπαρχης. Οὑτω και τυς κατα ἐθος βασιλεις τηνικαυτα ἐκαλυν. *Erat superiore aetate Abgarus quispiam Edessae toparcha. Ita ibi pro more reges appellabant.* Sed enim alios ibi reges aliis nominibus appellatos eorum catalogus docet. Alterum regum nomen, atque illud quoque frequens est *Maanus*, in numis semper MANNOC. Alia in numis nomina non occurrunt.

Omnes fere horum regum numi altera facie Augusti vel Augustae caput, et nomen offerunt. Commode igitur eadem lege, qua imperantes, procedent.

HADRIANVS *et* ABGARVS.

- - - ΔΡΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Caput Hadriani laur.* ☧ ΑΒΓΑ - - - *Caput Abgari tiara tectum, juxta astrum.* AE. III. (Bayer p. 155.)

Dionysius Telmariensis sub Hadriano memorat Maanum Osrhoenes regem. Ergo Bayerus, ut numi Abgarum cum Maano Dionysii conciliet, putat, huic Maano dignitatis causa fuisse nomen Abgari. At cur non idem dignitatis datum illi, qui non multo post successit, et Mannus in numis scribitur? Si verus est numus, qualis proditur, mallem hujus testimonio credere, quam Dionysii, praecipue cum Bayerius ipse non raro ab hoc abeat, et quem fallacem saepe expertus est Wisius [c]). Sed et salvum esse potest Dionysii testimonium, si forte numus non est Hadriani, sed alterius imperatoris. Enimvero caput in Bayeri iconismo propositum nihil habet Hadriani. Ex quo miseram commentariorum nostrorum sortem licet cognoscere, saepe a fallacibus seu historicorum, seu antiquariorum testimoniis pendentem.

M. AVRELIVS, L. VERVS *et* ABGARVS.

Caput M. Aurelii, in alio: *L. Veri.* ☧ ΑΒΓΑΡΟC. ΒΑCΙΛΕΥC. *Caput barbatum tiara diademata tectum.* AE. III. (Patin Numi impp. p. 192. 207.)

Si partes anticae vere ad Aurelium et Verum pertinent, habemus iis imperantibus Abgarum Osrhoenes regem.

a) Catal. num. Bodlei. p. 299. b) Persic. L. II. c) l. c. p. 305.

Ejusdem nominis regem ea aetate statuit etiam chronologus Telmariensis.

* * *

M. AVRELIVS, FAVSTINA IVNIOR, L. VERVS, LVCILLA *et* MANNVS.

Epigraphe et caput M. Aurelii. ✠ ΒΑCΙΛΕΥC. ΜΑΝΝΟC. ΦΙΛΟ - - - *Pallas stans d. hastam, s. clypeum.* AR. III. (Spanheim T. II. p. 578.)

Epigraphe et caput Faustinae jun. ✠ ΒΑCΙΛΕΥC. ΜΑΝΝΟC. ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟC. *Iuno stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus pavo.* AR. III. (Ibid.)

Α. Κ. Λ. ΑΥΡ. ΟΥΗΡΟC. C. *Caput L. Veri nudum.* ✠ ΒΑCΙΛΕΥC. ΜΑΝΝΟC. ΦΙΛΟΡΩΜΑΙC. (sic) *Sine typo.* AR. III. (Neumann Num. pop. T. II. p. 89.) In alio: *Mulier stans d. pateram, s. hastam.* AR. III. (Pembrock P. III. tab. 25.)

ΛΟΥΚΙΛΛΑ. CΕΒΑCΤΗ. *Caput Lucillae.* ✠ ΒΑCΙΛΕΥC. ΜΑΝΝΟC. ΦΙΛΟΡΩΜΑ. *Mulier stans d. pateram, s. hastam.* AR. III. (Mus. Caes.) In alio: *Ceres sedens d. spicas, s. facem.* AR. III. (Seguin Num. sel. p. 158.) In alio: *Salus sedens.* AR. III. (Vaill.)

En tibi utrique Augusto, et uxoribus dedicatam a Manno monetam. At quis huic inscriptus Mannus? Fuisse Arabiae, quae in Mesopotamia est, regulum, existimant Seguinus et Spanhemius [a]). Causa illis praecipua Dio, narrans [b]), Abgarum Edessae regem et Mannum finitimae Arabiae principem diu cunctatos, Trajano belli Parthici causa Mesopotamiam ingresso occurrere. Praesentium ergo numorum Mannum illius putant esse aut filium, aut nepotem. Bayerius cum videret ex numis supra citatis, eum, qui M. Aurelii, et L. Veri aetate Edessae rex fuit, dictum fuisse Abgarum, non Mannum, Abgarum etiam eo aevo Edessae regem statuat Telmariensis, nihilque similitudinis intercedat inter hos numos, et ceteros Edessenos, malebat Mannum nostrum alterius toparchiae regulum constituere. Fateor, rationes has non esse aspernandas. Tamen commode hoc loco hos recensemus numos, quoniam, etsi non sunt Edessae, sunt certe ditionis vicinae. Nam is tantum tractus reges Mannos tulit. Ad haec velim consulas, lector, quae infra post certos Mesopotamiae numos disputabo de numis drachmae pondere Aurelii, Veri, et uxorum, inscriptis: ΥΠΕΡ. ΝΙΚΗC. ΡΩΜΑΙΩΝ., cum quibus numi praesentes adeo conspirant metallo, pondere, fabrica, typis, ut dubitari nullo pacto possit, eandem utrisque esse patriam. At copiose etiam ibi comprobabo, ejus argumenti numos non alibi, quam in Mesopotamia cusos, et, quod plena utriusque generis numorum concordia fere persuadet, forte eodem nostro Manno procurante.

Mannus hic, qualiscunque is fuit, sese ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΝ profitetur. Ejus causa nequaquam ambigua. L. Vero ea tempestate per causam belli Parthici Mesopotamiam obtinente, ut Romano-

a) ll. cc. b) L. LXVIII. §. 21.

rum, in quorum tum potestate erat, gratiam captaret, eorum sese amicum est professus, et parum prospere suas sese acturum res speravit, si tantum utriusque Augusti tum imperantis effigiem monetae inferret, nisi iisdem obsequiis utramque mulierem Augustam mactando has quoque in partes traheret. Denique ne non totus Romanus haberetur, placuit totum monetae Romanae modum adhibitis etiam typis Romanis servare, sic ut, nisi vetaret epigraphe, non posses hos numos a Romanis ejus aevi denariis discernere, quas omnes peristases habes etiam in numis ΤΠΕΡ. ΝΙΚΗϹ. etc. quos citavi.

COMMODVS *et* ABGARVS.

ΚΑΙϹΑΡ. ΛΟ. ΚΟΜΟΔΟϹ. *Caput Commodi laur.* ꭗ ΒΑϹΙΛΕΤϹ. ΑΒΓΑΡΟϹ. *Caput Abgari mitra conica tectum.* AE. III. (Mus. Caes. Pembrock.)

Videtur rarissimi hujus numi Abgarus esse idem, qui deinde in numis Severi dicitur Λ. ΑΙΛ. ϹΕΠ. ΑΒΓΑΡΟϹ. Nimirum in gratiam Commodi se dixit *L. Aelium*, in gratiam deinde Severi *Septimium*. Idem sensit etiam cl. Wise [a]), et Bayerius [b]).

SEVERVS *et* ABGARVS.

ΑΤΤΟΚΡΑ. ϹΕΤΗΡΟϹ. ϹΕΒ. *aut similiter. Caput Severi laur.* ꭗ ΒΑϹΙΛΕΤϹ. ΑΒΓΑΡΟϹ. *Caput Abgari mitra tectum, prae quo in aliquibus sceptrum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Similis adversa. ꭗ ΒΑϹΙΛ. ΜΕΓ. ΑΒΓΑΡϹϹ. *Caput simile.* AE. III. (Wise p. 304.)

Similis adversa. ꭗ Λ. ΑΙΛ. ϹΕΠ. ΑΒΓΑΡΟϹ. *Caput simile.* AE. III. (Ibid.) Apud Bayerum titulis praefigitur ΒΑϹ. (Tab. V. n. 3.)

Imperante Severo Osrhoenis praefuisse Abgarum, historia docet, quem bello adortus est Severus, quia a Nigro stetit. A Spartiano et Victore parum concinne *Persarum rex* dicitur. Reconciliatus tamen imperatori, Romamque profectus magnifice ab hoc recipitur. Hujus causa benevolentiae adoptasse *Septimii* nomen videtur. A Caracalla, quo is tempore Parthis bellum intulit, in vincula conjectus est, regno in provinciam redacto. In marmore Graeco prope Romam reperto, quod post alios recitat Bayerus, legimus, Antoninum Abgari regis filium dedisse tumulum fratri Abgaro, anno aetatis XXVI. mortuo. Verisimile videtur, utrumque fratrem fuisse filium Abgari nostri, atque ut hic sibi nomen *Septimii* addidit, sic filio nomen *Antonini*, exemplo Severi eandem filio appellationem tribuentis. Forte Antoninus hic idem est, quem a Gordiano recepisse regnum infra dicemus.

Praeter historiam numi quoque, quos modo recensui, Abgarum Severo aequalem sanciunt. Ex his praecipue notandus tertius, qui Abgaro nomina *L. Aelii Septimii* indit. *L. Aelii* nomina a Commodo capta supra verisimile dixi. Quod ad *Septimii* nomen attinet, conspirat quidem Dionysius Telmariensis, qui in annalibus *Abgarum Severum* pro-

a) Mus. Bodl. p. 306. b) l. c. p. 174.

dit, sed is rursum omnia perturbat, quando ex ejus calculo is coepit regnare V. C. 941, P. X. 188 porrecto in annum unum et menses VII. regno, quod tempus intra Commodi imperium cadit. Quo ergo is pacto adsciscere sibi *Severi* nomen potuit, qui tum privatus adhuc fuit? Sed testimonium hominis parum adcurati, quo merito fuit omnis aevi sui chronologorum grex, aut corrigant, aut concilient historici, quod jam tentavere Bayerius, et Wisius, quos adi.

ABGARVS *et filius* MANNVS.

ΑΒΓΑΡΟϹ. ΒΑϹΙΛΕΥϹ. *Caput regis barbatum tiara conica tectum.* ℞ ΛΛΑΝΝΟϹ. ΠΑΙϹ. *Caput modeste barbatum simili tiara tectum.* AE. III. (Pellerin Rois p. 153.)

ΒΑ - - - ΑΒΓΑΡΟ - *Caput simile.* ℞ ΑΛΑΝΝΟϹ. *Caput imberbe simili tiara tectum.* AE. I. (Pembrock P. II. tab. 72. Wise p. 299.)

Insignis est numus prior, qui patrem Abgarum cum filio Manno sociat. Et vero constat etiam ex catalogo Dionysii, circum illam tempestatem regnasse *Abgarum Severum* cum filio, quem mox *Maanu bar Abgar*, id est: *Mannum Abgari filium*, appellat, quanquam, ut supra indicavimus, is Severi aetatem plus justo praevertit. Hunc Mannum Abgari F. memorat etiam Iulius Africanus scriptor Syrus a sagittandi arte insignem, quod testimonium recitat cl. Wise [a]).

In numo priore duo praecipue sunt observanda ΛΛ scriptum pro Μ, tum et additum verbum ΠΑΙϹ, *filius*, nullo alio in numis exemplo. nam pro illo in aliis valuit verbum ΥΙΟϹ. Teste Pellerinio numus hic ejusdem est fabricae, cujus sunt numi alii obvii Abgari Severi. Quae causa, tum et forma literarum oppido evincit, cimelium istud ad hujus aevi Abgarum Mannumque revocandum, non vero ab Abgarum, ejusque filium Mannum, qui aetate Augusti in regum serie recensentur, quod aliquando leviter suspicatus est Barthelemyus [b]).

Idem etiam numus veterem errorem feliciter corrigit. Nam similem olim edidit Gallandus [c]), sed aversae inscriptione in numo minus integro sic lecta: ΡΥΟΝΝΟϹ. ΒΑ., quo praeconio decepta historia *Ryonnum* in regum Osrhoenes catalogum intulit. Ejus fallax ectypon vide apud Wisium [d]), qui pro sua perspicacia eam lectionem pridem in dubium vocavit. Verum opem ferente numo Pelleriniano patuit denique, in hoc quoque legendum ΜΑΝΝΟϹ. ΠΑΙϹ. ut testatur Barthelemyus [e]).

Numus alter a praecedente lucem mutuatur. Haymius, qui primus eum vulgaverat [f]), cum scriptum reperiret ΑΛΑΝΝΟϹ, Alannum quempiam Alanorum, Sarmatici populi, regem sibi finxit, qui cum Abgaro Osrhoeno societatem adversus Parthos iniverit, quae adeo causa fuerit signati communi nomine hujus numi. Ejus sententiam secu-

a) pag. 304. b) B. L. T. XXVI. p. 540. c) Mem. Trev. Septemb. 1701. d) l. c. p. 308. e) l. c. f) T. II. p. m. 70.

tus deinde est Frölichius [a]), etsi mirus nemini non videri debeat praetensus hic inter populos tanto intervallo distantes nexus et armorum societas. At enim primus fuit Cl. Wise, qui acute conjecit, perperam a monetario scriptum ΑΛΑΝΝΟC pro MANNOC, et Mannum hunc Abgari filium putandum [b]). Praeclaram viri eruditi conjecturam confirmavit praecedens Pellerinii numus serius repertus, ex quo certum habemus *Mannum filium*.

GORDIANVS III. *et* ABGARVS.

Exstinctum sub Caracalla, hujusque perfidia Osrhoenes regnum sub Gordiano III. revixit. Facti hujus scientiam unis numis debemus, tacentibus omnibus historicis. En tibi ejus testes numos:

ΑΤΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. CЄΒ. *Caput laureatum*, *in aliis radiatum.* ☧ ΑΒΓΑΡΟC. ΒΑCΙΛЄΥC. *Caput regis tectum tiara solita.* AE. II. III. Sunt obvii.

Similis adversa. ☧ ΑΤΤΟΚ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. ΑΒΓΑΡΟC. ΒΑCΙΛЄΥC. *Abgarus tiara tectus stans et s. scipionem tenens Gordiano in suggestu sedenti Victoriolam offert.* AE. m. m. et I. (Theup. Mus. Caes.) In alio: *Eadem epigraphe. Imperator capite radiato paludatus stans s. globum*, *adstat Abgarus d. elata*, *s. scipionem.* AE. I. (Bayer tab. VII.) In alio: ΑΒΓΑΡΟC. ΒΑCΙΛЄΥC. *Abgarus eques pacificatoris habitu.* AE. I. (Ibid.)

Quis fuerit hic Abgarus ad regnum Osrhoenes a Gordiano vocatus, aeque ut alia omnia ignotum. Verisimile, fuisse filium ejus, quem regno exuit Caracalla, quemque bonus Gordianus ad abolendam praedecessoris infamiam restituerit. Et vero probabile est, fuisse postremo Abgaro filios, ut diximus in Abgaro Severo. Videtur Abgarus Gordiani satis diu regno praefuisse, quod ejus numorum etiam in remotis nostris terris magnus exstat numerus.

HILEIA.

Obscuro huic oppido *autonomum* aeneum tribuit Pellerinius: *Caput Paladis.* ☧ ΙΛΗΑ. *Ceres sedens d. spicas*, *s. ramum inversum*, *pro pedibus duo serpentes.* Spectata literarum positione etiam aliter potest epigraphe legi. Numo huic simillimus est alter, quem edidit Khellius [c]), nisi quod in hoc inscriptio est ΑΘΗ. Quare etiam prior numus Athenarum verius est. Neque vero serius ipse auctor eruditus alienus fuit a restituendo Athenis numo, ut profitetur ipse in indice Supplementi IV. p. 131. Ipsa etiam fabrica, ut ex iconismo apparet, parum favet Mesopotamiae.

MEGIA.

Imperatorium Trajani edidit Pellerinius: ΜЄΓΙΑΙΤΩΝ. *Mulier sedens d. spicas*, *s. quid instar sceptri* [d]). Auctor eruditus, quoniam aliud urbis nomen magis adfine non habetur, tribuit numum Megiae Mesopotamiae, cujus unus Zosimus meminit, etsi ab hoc scribatur Μηγια. At enim docuit cl. Sestinus, in si-

a) Reg. vet. num. p. 119. b) l. c. p. 300. c) Adpendic. I. d) Mel. I. p. 20.

millimo suo distincte legi ΛΑЄΡΤЄΙΤѠΝ, huncque adeo numum Pellerinianum restituendum Laerte Ciliciae [a]).

NICEPHORIVM.

Ad Euphratem, ab Alexandro M. conditum teste Plinio.

Imperatorius.

Gordiani citatur a Vaillantio: ΝΙΚΗΦΟΡΙΩΝ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam.* Videtur ergo urbi a Iove Nicephoro nomen inditum.

AE. RRRR.

NISIBI.

Tigridi fluvio vicina, antiqua et nobilis, Graecis dicta Antiochia Mygdonia [b]).

In area numorum Seleuci VI. Syriae regis non raro scriptum legitur ΝΕΙΣΙ., quo aliqui indicari hanc Nisibin fuere qui crederent, sed quod nos refutavimus in moneta hujus regis.

* * *

Coloniae tantum numi exstant, quam a Severo deductam probabile est, cum quod *Septimia* dicitur, tum quod ait Dio [c]): Severum Nisibi magnam dignitatem addidisse, cujus etiam pars fuerit coloniae honos.

Numi hactenus reperti a Paula usque ad Decium.

Epigraphe: CЄΠ. ΚΟΛΩ. ΝЄCΙΒΙ. (nunquam ΝΙCΙΒΙ, ut apud scriptores legitur.) Sub Decio tantum: ΚΟΛ. ΝЄCΙΒΙ. (Pellerin.) In numo Paulae: ΚΟΛΩΝΙΑC. ΝЄCΒЄΙ. (Pellerin Suppl. I. p. 44.) errore haud dubie monetarii.

Typi: *Caput muliebre velatum turritum, supra quod aries saliens*, typus obvius. — *Mulier rupi insidens d. spicas, supra aries saliens, infra fluvius emergens*, Gordiani, Otaciliae. (Pellerin, Vaill.) *Aries intra coronam*, Philippi. (Pellerin.)

Typo mulieris indicari urbis genium constat, sed arietis difficilior explicatus. Male Vaillantius eo indicari censet, annum urbis in vere, nempe cum arietem sol pervadit, incepisse, nam similem arietem salientem etiam exhibent in moneta sua Antiocheni, quorum tamen annum coepisse in autumno, certum est.

Metropolis. Eo honore urbem praeditam a Philippo, existimat Vaillantius, quoniam cum hujus capite primum numum addito ΜΗΤ. reperit. Verum anteriorem cum capite Gordiani reperit Pellerinius; quin exstant bini Alexandri capite insignes in museo Caesareo, et apud Theupoli. Cum ergo alii Alexandri numi hoc titulo abstineant, alii utantur, certum est, ab hoc imperatore Nisibin metropolis honorem adeptam.

Nomen ab impp.

CЄΠ. et in numis Philippi apud Pellerinium Λ. CЄΠ., a Severo, coloniae, ut verisimile est, parente.

ΙΟΥ. CЄΠ. vel ΙΟΥΛ. CЄΠ. vel: ΙΟ. Λ. CЄΠ. etc. in numis Philippi, et Otaciliae, adoptato *Iuliae* nomine a Philippo, qui ex gente Iulia fuit.

AE. R.

---

a) Lettere P. II. p. 104. b) Theodorit. Hist. L. I. c. 7. c) L. LXXV. 3.

RHESAENA.

Gordiani de Persis victoria nobilis.

Imperatorii:

Exstant Caracallae tantum. (Mus. Caes. Pellerin.)

ΡΗϹΑΙΝΗϹΙΩΝ. *Mulier rupi insidens d. spicas, in area* Γ.

Hi numi consentiente etiam Pellerinio inter coloniae numos referendi non sunt, nam ejus indicium nullum neque inscriptione neque typo praebent. Quare etsi, ut verisimile est, a Severo deducta fuit, tamen hi Caracallae numi eam aetatem praecedunt.

AE. RRR.

Colonia, ut dixi, deducta a Severo, quod arguit praenomen *Septimiae* passim obvium. Numi sunt Alexandri Sev., ac praecipue frequentes Decii.

Epigraphe:

ΡΗϹΑΙΝΗϹΙΩΝ. saepe absque addito ΚΟΛ., sed typi coloniam arguunt, nimirum *Colonus arans*, vel addita *Legio*, quae colonos constituit, vel *Vexillum*, vel *Aquila* legionis insigne, vel *Centaurus arcum tendens*, de quo infra.

ϹЄΠ. ΚΟΛ. ΡΗϹΑΙΝΗϹΙΩΝ. in aliis passim.

Typi:

Mulier velata et turrita rupi insidens d. aquilam, pro pedibus fluvius emergens, Alexandri.

Aquila legionis, ut dixi, insigne plerümque in his numis conspicitur, saltem in area constituta.

Genius urbis turritus et Pallas stantes ad aram sacrificant, in area superne aquila, hinc tropaeum, illinc Centaurus arcum tendens, Decii. (Vaill.)

De Centauro vide mox in *Legione*.

Templum, in cujus aditu noctua, infra fluvius enatans, Decii. (Vaill.) In alio pro noctua est *Aquila*, Etruscillae. (Vaill.)

Iovis et Palladis cultum hi numi praedicant.

Legio: hujus vera lectio talis est, nam falsam et usque ad Pellerinii tempora inveteratam mox perstringemus:

LEG. III. P. vel plenius: LEG. III. PIA. in numo Alexandri. (Pellerin Mel. I. p. 348.)

Vtraque epigraphe aut urbis titulos consequitur, aut inserta est vexillo, aut bis ponitur, semel addita urbis nomini, iterum in vexillo conspicua, in numo Decii. (Pellerin l. c. Mus. Caes.) De legione III., quae in Mesopotamia stetit, haec Dio [a]): *Severus Parthicas primam et TERTIAM in Mesopotamia constituit.* Huic ergo legioni, aut ejus parti Severus coloniae conditor Rhesaenam habitandam concesserit.

Vaillantius Centaurum in area sculptum suspicatur ad notandas I. et III. legiones Parthicas, quae teste Dione in Mesopotamia adfixae fuere, et quarum insigne fuisse Centaurum numi Gallieni docent. At enim secundum citatos Gallieni numos Centaurus non legionis I. et III., sed II. Parthicae insigne fuit. Reperio tamen apud veteres, quo typus juvari possit. Narrat Herodianus [b]), Alexandrum Sev. magnam vim sagittariorum, quos secum ex oriente addu-

a) L. LV. §. 24. b) L. VI. c. 16.

xerat, partim ex agro Osrhoenorum, partim e Parthia transfugas adversus Germanos instruxisse. Apud Trebellium Pollionem conqueritur Claudius Gothicus, omnes sagittarios, quod pudet dicere, Zenobiam possidere [a]). Propius quid refert Notitia dignitatum [b]): *Equites sagittarii indigenae primi Osrhoeni Rasin.* Eques sagittarius commode indicatur typo Centauri arcum tendentis, et Rasin in Notitia memoratum judice quoque Cellario idem esse videtur, quod Rhesaena; unde colligitur, dictos sagittarios apud Rhesaenam stetisse, et verisimile adeo, Centauri symbolo hos notari milites. Forte tamen hic sagittarii typus zodiacum et astrologiam respicit, nam etiam in vicinae Singarae moneta recurrit.

* * *

Stabilita ex Pellerinio vera lectione L. III. P. notandus duplex error veterum antiquariorum.

I. Omnes, qui Pellerinium praeivere, atque etiam ipse magnus Norisius, et Iobertus [c]) eas literas legerunt: L. IHP. id est: *anno* 118, atque adeo epocham nobis obgesserunt sub Hadriani imperio incipientem. Haec igitur ex epocharum catalogo deinceps expungenda.

II. Vaillantius in quibusdam numis Alexandri et Decii vexillo inscriptum legit: LEG. III. GAL., quam lectionem merito in dubium vocat Pellerinius [d]), qui in suis integris legit LEG. III. P. Legionem III. Gallicam stetisse apud Damascum, et Tyrum, in his vidimus.

AE. C.

SELEVCIA AD TIGRIM.

Vrbs celebris ad Tigridis et Euphratis confluentem prope veterem Babylonem a Seleuco I. condita. Gentile Luciano Σελευκευς ἀπο Τιγριος [e]).

Autonomus:

Caput muliebre turritum. ✠ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΙΓΡΕΙ. *Tripus.* AE. III.

Singularem hunc numum ex museo regis Galliarum video citari a Pellerinio [f]), et Barthelemyo [g]) verum quo sit ex metallo, quo typo, aut epigraphe, non addiderunt. Consultus a Cl. Neumanno Abbas Blondius ejus numi omnes causas, ut proposuimus, descripsit, sic tamen, ut fateretur ipse, multum eum a temporis injuriis passum.

* * *

In hac etiam urbe existimo signata tetradrachma regum Parthorum, de quibus vide, quae disseram in animadversionibus regum Parthiae monetae subjectis §. VII.

AE. RRRR.

SINGARA.

Colonia Romana, a quo deducta sit, nemo prodidit. In numis dicitur AVP. CEΠ., ex quo colligi potest, eam a M. Aurelio, vel L. Vero deductam, a Severo beneficiis adfectam.

Numi exstant cum capite Alexandri

---

a) in vita Claudii. b) Notit. Osrhoen. c) T. II. p. 302. d) Mel. I. p. 551. e) in Macrob. f) Rec. II. p. 172. et 249. g) B. L. T. XXVIII. p. 598.

et Gordiani, suntque apud Vaillantium, et in museo Caesareo.

Epigraphe constans: ATP. CЄΠ. KOΛ. CINΓAPA.

Typi:

Caput muliebre velatum turritum, supra Centaurus arcum tendens, de quo typo egimus in vicina Rhesaena.

Mulier turrita rupi insidens, supra idem Centaurus, infra fluvius emergens, Gordiani. (Vaill.)

AE. RR.

ZAYTHA.

Vrbs parum cognita, ex qua Gordiani sepulcrum conspici potest teste Ammiano et Zosimo.

Imperatorius Trajani, atque hic unicus hactenus cognitus, et editus a Pellerinio (Rec. III. p. 252.):

ZATΘHC. NIAC - - *Victoria cultu solito.*

Adludit typus ad relatas a Trajano in hoc tractu victorias.

AE. RRRR.

VRBIS INCERTAE MESOPOTAMIAE.

Exstant certi cujusdam generis numi M. Aurelii, L. Veri, et uxorum, qui me judice in aliqua Mesopotamiae urbe sunt signati. Eos a variis auctoribus promulgatos olim collegi additis commentariis a), quos huc transferre instituti ratio postulat.

ATT. KAI. M. ATPHΛIOC. ANTΩNINOC. CЄ. *Caput M. Aurelii laur.* Ӿ TΠЄP. NIKHC. PΩMAIΩN. *Armenus humi sedens, juxta clypeus, et vexillum*, in imo APMЄN. AR. III. (Mus. Caes.)

Eundem hunc numum edidit Khellius b), sed bis offendit, cum quod pro clypeo aedificium arcuatum vidit, tum quod scriptum inferne, etsi dubitantis more, dixit NЄCI. pro certissimo APMЄN.

Eadem adversa. Ӿ TΠЄP. NIKHC. PΩMAIΩN. *Venus stolata stans d. pomum, s. hastam.* AR. III. (Vaill.)

ΦATCTINA. CЄBACTH. *Caput Faustinae jun.* Ӿ TΠЄP. NIKHC. PΩMЄΩN. *(sic) Idem Veneris typus.* AR. III. (Mus. Caes.)

Eadem adversa. Ӿ TΠЄP. NIKHC. PΩMAIΩN. *Mulier stans cum 4 infantibus, quorum duos in sinu gestat, in imo duo stant.* AR. III. (Vaill. Theup.)

Eadem adversa. Ӿ TΠЄP. NIKHC. TΩN. CЄBAC. *Venus stans d. pomum, s. hastam.* AR. III. (Vaill.)

Eadem adversa. Ӿ TΠЄP. NIKHC. TΩN. KTPIΩN. CЄ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam.* AR. III. (Mus. Caes.)

Eadem adversa. Ӿ TΠЄP. NIKHC. TΩN. KTPIΩN. *Lectisternium cum duobus puellis.* AR. III. (Harduin Hist. Aug. p. 779.)

ATT. K. Λ. ATP. OTHPOC. CЄB. *Caput L. Veri.* Ӿ TΠЄP. NIKHC. KTPIΩN. CЄ. *Pallas stans d. telum s. clypeum.* AR. III. (Vaill.)

Eadem adversa. Ӿ TΠЄP. NIKHC. TΩN. KTPIΩN. CЄBAC. *Mulier stans d. globum, s. cornucopiae.* AR. III. (Liebe p. 258.)

ΛOTKIΛΛA. CЄBACTH. *Caput Lu-*

a) Sylloge I. p. 63. b) Supplem. ad Vaill.

cillae. ℞ ΥΠΕΡ. ΝΙΚΗC. ΤΩΝ. ΚΥΡΙΩΝ. CΕ. *Mulier stans d. globum, s. cornucopiae.* AE. III. (Mus. Caes.)

Auctores omnes, qui hos numos promulgavere, eorum natale solum definire non sunt ausi. Pellerinius, quo loco insignem suum Rhodiorum numum explicat inscriptum: ΡΟΔΙΟΙ. ΥΠΕΡ. ΤΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ. [a]), adserit, in hac oratione subaudiendam vocem ΝΙΚΗΣ, ac praeterea omnes argenteos drachmae pondere simili modo inscriptos (quo nomine intelligit hos ipsos, quos hic proposui) Rhodo tribuendos. Hanc sententiam satis puto a me refutatam in moneta Rhodi, quam, si lubet, adi. Alia ergo huic numorum generi adsignanda patria.

Si quid valet in re numismatica analogia, et numorum contentio, vix licebit de argenteae hujus monetae patria Mesopotamia dubitare. Ejus rei argumentum certissimum suppeditant numi Manni Edessae regis, aut certe regionis cujuspiam, quae Edessae vicina fuit. Cum his nostri hi numi sic omnibus partibus conspirant, ut necesse sit, utrosque in eadem, aut saltem ejusdem regionis officina signatos statuere. Enimvero non fabrica modo et metallum, (argentei utrique sunt) et pondus, et volumen, tum et literarum forma eadem in omnibus sunt, verum etiam aetas eadem; nam quo tempore Manni numi signati sunt, eodem et hi nostri; illi enim perinde ac hi capita Aurelii, Veri, et uxorum exhibent. Ad haec in utrisque, ut conferenti planum fiet, typi ex Romana ejus aetatis moneta deprompti sunt. Vtrum hercle verisimilis tanta concordia, si in dissitis regionibus signatos quis volet statuere, hosque nostros exempli causa malleum expertos in Rhodo, dum alteri Manni in mediterranea, et tanto intervallo distante Mesopotamia lucem videre? Quare nisi me fallunt omnia, omnes hi numi aut in una eademque Edessa, aut in vicina quapiam urbe, ceu Carrhis, sunt percussi. Etiam aevi hujus historia sententiam meam praeclare juvat. Docet haec, Mesopotamiam sub Antonini Pii mortem a Parthis repentino incursu subjugatam, mox a Romanis, ipso L. Vero expeditioni praefecto, armis vindicatam, ac tum alios reges ejectos, alios constitutos, confirmatos alios, civitatum etiam formas immutatas, quas inter Carrhae deducta colonia. Quare praeceps in adulationem Mesopotamia omnis, et hac suadente Mannus rex sese in numis ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΝ, et Carrheni quoque in suis sese ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥC appellavere, indito etiam coloniae suae *Aureliae* nomine a victoribus Augustis utroque Aurelio. Quare altero obsequii genere ab iisdem regibus populisque vota quoque causa recentis Romanorum victoriae soluta, et signati propterea numi argentei, quos citavi, et inscripti: ΥΠΕΡ. ΝΙΚΗC. etc. Ad idem argumentum pertinet numus aeneus Commodi cum epigraphe: ΥΠΕΡ. ΝΙΚΗC. ΡΩΜΑΙΩΝ., quem supra in Carrhis proposui. Nimirum inde ab recuperata sub Aureliis Mesopotamia in

a) Lettres p. 23.

hac regione festa et certamina epinicia fuerint constituta, atque horum occasione id genus numi signati, cujus generis est etiam aeneus I. formae cum capite L. Veri a Nicaeensibus Bithyniae cusus, in cujus aversa: ΡΩΜΑΙΩΝ. ΝΙΚΗΝ. ΝЄΙΚΑΙЄΙC. a) et alter ejusdem Veri eodem modo inscriptus b).

Observare juvat, in praesentibus numis typos omnes luculente ex moneta Romana ejus aevi petitos, quos inter is, quem primum proposui typo Armeniae, exactus plane est ad numos Aurelii et Veri inscriptos ARMEN. Culpanda in horum descriptione numorum Vaillantii indiligentia, constanter Σ pro C contra certam archetyporum fidem obtrudentis.

P A R T H I A.

Imperatorium Trajani Vaillantius ex Mediceo citat. ΠΑΡΘΙΑ. *Captivus lugens juxta tropaeum sedens.* Est hic signatus in quapiam urbe Graeca extra Parthiam, perinde ac alii inscripti ΔΑΚΙΑ, et commendat Trajani de Parthis victorias. Ejusdem rationis sunt numi Romani inscripti PARTHIA. CAPTA. sub eodem Trajano percussi.

AE. RRRR.

a) Gesner tab. CXVIII. n. 21. b) Pellerin.

REGES PARTHIAE.

Parthi, gens Scythica, domesticis seditionibus patria pulsi proximas Hyrcanis terras occupaverant, obscuri nominis, sive cum Persae, sive Macedones rerum potirentur. Mortuo Alexandro M. post nonnullas vices Seleucidarum denique imperium passi, claritudinem non multo post accepere, dum deficere palam a Syriae regibus sunt ausi. Factum istud imperante Antiocho II., annum definiente Iustino [a]) L. Manlio Vulsone, M. Atilio Regulo Cos., qui fuit V. C. 498. A. X. 256., a quo anno suae Parthos aerae initium duxisse credidit Vaillantius. Secundum Eusebium octo istud annis serius contigit. Defectionis auctores perhibentur Arsaces, et Tiridates fratres, illustrioris ambo virtutis, quam ut praefectorum libidinem possent perferre. Hoc genti hactenus despectae, et in servorum loco habitae ad potentiam initium, eousque subinde prosperis successibus provectam, ut non modo iis, quos dominos passa fuerat, imperaret, sed et sic Romanorum nosset cupiditatem eludere, ut velut diviso orbis imperio principatum ipsa in Oriente obtineret, donec, quae sunt magnorum regnorum fata, veteres iterum dominos Persas cogeretur experiri.

Horum Parthiae regum numi, etsi, quod longe petendi sunt, in locupletibus quoque numophylaciis perrari sunt, tamen ex omnibus in unum collecti insignem efficiunt numerum, et illustrem seriem inde a regni exortu usque ad ejus sub Alexandro Severo eversionem suppeditant. Eos Vaillantius de omnibus fere veterum regnorum numis praeclare meritus ex cognitis sibi museis congessit, et in perpetuam seriem tributos animadversionibus illustravit, sed impedivit mors, quo minus meditatum longis curis opus in lucem mitteret. Vulgatum tamen serius est praefixo fronti titulo: *Arsacidarum imperium, sive regum Parthorum historia ad fidem numismatum adcommodata. Parisiis* 1725. *in* 4. Defuisse praeclaro proposito supremam manum, quae frequentes naevos abstergeret, pridem conquesti sunt viri eruditi, quos inter fuere non pauci, qui quae Vaillantius peccaverat, emendare sunt adorti, novo labore tanto fidentius collocato, quod insignia numorum Parthicorum accesserunt supplementa Vaillantio ignota, quae, ut in nostris stu-

a) L. XLI. c. 4.

diis fieri solet, dissidere a veteribus praeceptis coegerunt. Hos inter cum laude memorandus Erasmus Frölichius qui ope numorum hujus classis magno numero in thesaurum Caesareum recens illatorum multa feliciter explicavit in opere, cui titulus: *Regum veterum numismata anecdota*, *Vindobonae* 1752. Sed viri immortalis Pellerinii merita haec quoque numorum series depraedicat, non lectissima modo sua supplementa, sed et insignes suos commentarios cum orbe harum deliciarum cupido communicantis, quos liberaliter obtulit primum in opere: *Médailles des Rois p.* 131, deinde in *Melange I. pag.* 147, iterum in *Supplement III. pag.* 4, denique in *Lettres pag.* 62. Qui alii hoc argumentum illustraverint, per hos commentarios indicabitur.

Illud in hac regum Parthiae serie multo molestissimum, quod certa lex aut ratio abest, qua numi singuli suis rite regibus possint adjudicari. Tentavit istud Vaillantius, sed aut fefellit aperte, aut temere quamlibet conjecturam legis instar habuit, quam ejus confidentiam pridem severe, sed jure perstrinxit Freretius [a]). Tamen in describendis Parthiae regum numis Vaillantii ordinem plerumque retinui, non quo illum videar approbare, sed quo indomitum istud agmen qualicunque illa, sed aliqua tamen statione consistat.

Enumeratis regum Parthiae numis subjiciam animadversiones nonnullas, in quibus agam I. de metallo et fabrica, II. de epigraphe, III. de nominibus regum ac titulis, IV. de typis, V. de epocha, VI. de inscriptis mensibus, VII. quorum jussu numi hi in Parthia sint signati.

ARSACES I.

Secundum Trogum incertae originis, secundum Ctesiam ex regio Persarum genere, cum videret, a Phericle, aliis Agathocle, pro Antiocho II. iis terris praefecto, fratris Tiridatis pudicitiam tentari, caeso contumeliae auctore Parthos solicitat, ejectisque Syrorum praesidiis Parthiae se regem appellat. Obiit in praelio V. C. 500, A. X. 254, cum annos duos, et paullo amplius regnasset. De propagato in posteros reges per venerationem Arsacis nomine, eoque ipso in deos relato agemus infra animadversione III.

Numi:

Caput regis imberbe tectum galea ad humeros deflua, et diademata. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΣΑΚΟΥ. *Parthus sedili, quod tapete tegitur, insidens d. arcum praetendit.* AR. III. (Pellerin.)

Numi hujus Arsaci I. tribuendi causa fuit Pellerinio, quod nullum, nisi ΒΑΣΙΛΕΩΣ, titulum praefert. Enimvero exiles fuisse Arsacis I. res, argumento est, quod ipsa per se Parthia pauper fuit, regi vero per biennium, quo imperavit, satis fuit, regnum vi adsertum adversum Syros amissa repetentes tueri. Mihi tamen magis videtur probabile, numum hunc pertinere ad Arsa-

a) B. L. Tom. XIX. p. 108.

cem II. per causas, quas continuo dabimus.

* * *

Vaillantius Arsaci I. tribuit bina tetradrachma amplis honorum titulis turgida, quod judicium jure reprehendunt Barthelemyus et Pellerinius. Est uterque Phraatis IV.

ARSACES II. *Tiridates.*

Arsacis I. frater, forma haud dubie amoribus apta, quod Agathoclis satrapae libidinem irritaverat. Regnum a fratre relictum magnis accessionibus auget. Seleucum II. cum magno exercitu Parthiam ingressum, ut rebelles ad obsequium revocaret, praelio victum capit, regie tamen habitum post annos IX. in regnum remittit. Ob tot res praeclare gestas *Magni* cognomentum emeruit, ut testatur Syncellus ex Arriano. Obiit regni anno XXXVII. V. C. 537.

Numi:

Caput regis imberbe tectum galea ad humeros deflua et diademata. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. *Parthus sedili, quod tapete tegitur, insidens, d. arcum praetendit.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin Suppl. III. p. 4.)

Iure hunc numum Arsaci II. impertit Pellerinius, quia priscam praefert simplicitatem, nullo alio insignis titulo, praeterquam ΜΕΓΑΛΟΥ, quo eum a suis donatum fuisse diximus. Cum in hoc numo similia videam oris lineamenta, quae in praecedente Arsaci I. tributo, et reliqua omnia ejusdem rationis dempto uno ΜΕΓΑΛΟΥ encomio, verisimile videtur, illum quoque Arsaci I. tributum numum Tiridati restituendum. Cui obstare videtur nomen ΜΕΓΑΛΟΥ in priore omissum, is comprobet etiam, Tiridati statim ab adito regno *Magni* titulum inditum. An non pronum credere, primos Tiridatis numos eo titulo caruisse? at postquam illo per insignia facta dignum sese reddidit, signatos deinceps numos cum ejus mentione.

Vaillantius huic quoque regi adjudicat tetradrachma titulorum fastu inflata, quae certe posteriori aevo debentur.

ARSACES III. *Artabanus I.*

Antiochum III. primum hostem, deinde armorum socium habet. Quamdiu regnaverit, incertum.

ARSACES IV. *Priapatius.*

Regnavit annos XV. relictis filiis Phraate et Mithridate, quod unum nobis Iustinus de hoc Arsace memoriae proditum reliquit. Alio loco ejus quoque filium adserit Artabanum II. a).

ARSACES V. *Phraates I.*

Cum filios plures haberet, fratrem Mithridatem virtutis ergo successorem appellat.

Numi:

Protome regis barbata diademata.

a) L. XLII. c. 2.

X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Parthus sellae, cui tapes insternitur, insidens d. arcum inversum protendit.* AR. III. (Pellerin.)

Numum hunc pertinere ad unum ex primis Arsacidis, arguit simplex ΒΑΣΙΛΕΩΣ suppresso ΒΑΣΙΛΕΩΝ, tum forma sedilis, quod utrumque in sequentibus variabit. Pellerinius numos similes tribuit Arsaci II. Tiridati, verum hujus numi certiores vultum sistunt imberbem, alium ornatum capitis, et lineamenta. Serius sane suae ipse conjecturae visus est diffidere [a]). Quod vero ad hunc potius Arsacem numum hunc pertinere existimem, in causa est titulus ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, quem adscivit etiam Antiochus IV. Arsacis V. aequalis. Satis enim videtur verisimile, Parthos nonnunquam Syrorum instituta imitanda sibi proposuisse.

ARSACES VI. *Mithridates I.*

Arsacis IV. filius natu minor, virtute regum Parthiae nemini secundus, Babyloniam, Bactrianos, Medos, Elymaeos sibi subjicit, Demetrium II. Syriae regem bello captum plures annos in liberali custodia habet. De vero incipientis aut desinentis regni anno nihil certi habemus.

Numi:

Protome regis barbata naso adunco, et diademata, in aliis: *Caput tiara diademata tectum.* X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Parthus sedili quatuor fulcrorum insidens d. arcum inversum praetendit.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Numos similes Vaillantius tribuit Arsaci IX., sed eos hujus esse Arsacis Pellerinius ex titulo ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ colligit. Nimirum ille tot victis populis tot etiam reges Parthis fecit tributarios, ut adeo jure superbum hunc titulum sibi potuerit adsciscere. Sed enim ex eo istud tantum sequitur, nulli alteri regum anteriorum in hunc titulum jus fuisse, et forte primum exstitisse Arsacem VI., cui illo gloriari placuit. Verum cum titulum semel susceptum non raro adhibuerint etiam reges successores, et hi eosdem reges sibi habuerint subjectos, quis vadem aget, tales numos ad hunc potius Arsacem, quam ad aliquem ex successoribus pertinere? Incertum istud sane. De titulo ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ, qui nunc primum occurrit, agemus infra animadversione III.

Vaillantius huic regi tribuit numum, qui addit titulos ΘΕΟΥ, ΔΙΚΑΙΟΥ, ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ, sed istud admodum est ambiguum.

ARSACES VII. *Phraates II.*

Arsacis VI. filius, ab Antiocho VII. Evergete, quod fratrem Demetrium II. in captivitate detinuerat, bello petitus plerasque provincias amittit, sed ejecto versa fortuna hoste recuperat. Perit in bello contra Scythas.

a) Suppl. III. p. 6.

Numi:

Caput regis barbatum tiara tectum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Parthus more solito sedens.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Numum huc refert Pellerinius ob titulos ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ, et ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, quorum is illi competit, quod filius fuit patris ΘΕΟΥ, hic quod Antiochum VII. insigni relata victoria repressit. At enim patrem habuisse appellationem ΘΕΟΥ, sola Vaillantii conjectura nititur, ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ autem nomen alii quoque ex victoriis sunt adepti.

Vaillantius in numo, quem huic Arsaci II. tribuit, legit titulum ΞΕΝΙΟΥ, *Hospitalis*, in Parthorum regum numis hactenus ignotum. Verisimilius legendum fuerat ΔΙΚΑΙΟΥ, quod suspicatus jam est Frölichius [a]).

ARSACES VIII. *Artabanus II.*

Arsacis VII. patruus. Ejus neque clara memoria, neque numi certi. In bello contra Scythas Thogarios ex vulnere obit.

ARSACES IX. *Mithridates II.*

Arsacis VIII. filius, cui res gestae *Magni* cognomen dedere teste Iustino. Cum L. Sulla, qui restituendi in Cappadociam Ariobarzanis causa in Asiam missus est, per legatos egit, primo hoc Romanorum cum Parthis commercio. Hujus regis tristem exitum commemorat Iustinus [b]), sed Mithridatem II. cum Mithridate III. confundit, quod jam advertit Vaillantius.

Numi:

Caput regis barbatum tiara tectum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Parthus sedens, ut alias.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput simile. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΥΣ. *Parthus sedens.* AR. III. (Mus. Caes.)

Numum priorem huic Arsaci largitur Haymius cum propter titulum ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, quem ob res praeclare gestas promeritus videbatur, tum alterum ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ, quod teste Iustino [c]) cum Scythis prospere aliquoties dimicavit, ultorque injuriae parentum fuit. Haymii judicium adprobat Pellerinius, qui et numum alterum etsi titulis diversum huc revocat. Fieri poterat, ut hic Arsaces Αυτοκρατορος nomen arcesseret aemulatione Tryphonis Syriae regis eodem usi, at tum numi similes in superiora tempora essent retrahendi.

Secundum Vaillantium hic Arsaces IX. primus fuit, qui *Magni* nomen sibi a populis datum monetae intulit. Sed ostendimus, jam Arsacem II. eo gloriatum. Idem Arsaci IX. numum dedit, quem nos Arsaci VI.

---

a) Reg. vet. numi p. 48. b) L. XLII. c. 4. c) L. XLII. c. 2.

ARSACES X. Vaillantio *Mnascires*.

Regum, qui proxime successere, series plane incerta est. Ad has Vaillantius redactus angustias Mnascirem quemdam, qui lacunam expleat, huc cogit, quem Lucianus Parthorum regem appellat, et vixisse annos XCVI. a). Sed Lucianus tempus non addit, quo is regnavit, aeque adeo incertum, atque numus, quem Vaillantius huic esse Mnasciri proprium vult.

ARSACES XI. SANATROECES.

Barbarum istud nomen non ignotum scriptoribus, sed varie promulgatum, seu ignoratione, seu librariorum vitio. Luciano dicitur Σινατροκης, in mea editione corruptius Σιναθροκλης b), Phlegonti Σινατρȣκης c), Appiano Σιντρικης d), at in numo fertur Σανατροικης. Hic Parthiae imperavit, quo tempore Lucullus cum Mithridate et Tigrane bellum gessit, mortuusque durante adhuc illo bello successorem habuit Phraatem filium exactis vitae annis LXXXVII., cum regnasset annos VII. Haec ex citatis auctoribus certa tenemus. Sed incerta sunt, quae Vaillantius de ejus stirpe et fortuna de suo deprompta commemorat.

Numi:

Protome regis modeste barbata diademata. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΑΝΑΤΡΟΙΚ - - ΜΕΓΑΛΟΤ. ΑΡΣΑΚΟΤ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΤΕΡΓΕΤΟΤ. *Parthus sedens cultu solito.* AR. III. (Pellerin.)

Protome similis. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΤ. ΑΡΣΑΚΟΤ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΤΕΡΓΕΤΟΤ. *Idem typus.* AR. III. (Mus. Caes.)

Protome similis. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΣΑΚΟΤ. ΕΠΙΦΑΝΟΤΣ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΤΕΡΓΕΤΟΤ. *Idem typus.* AR. III. (Vaill.)

Vultus idem in numis II. et III. eos eidem regi vindicat, etsi Sanatroecis nomen non addatur.

ARSACES XII. *Phraates III.*

Arsacis XI. filius, ut mox dictum. Eum data epistola, quae integra exstat in fragmentis Sallustii, in belli societatem trahere conatus est Mithridates Ponticus, atque idem pro se tentavit Lucullus, mox Pompejus M. Huic is infensiorem se praebuit, quod regem quidem, sed non regem regum se appellasset e). Ei praeterea fuisse cognomen *Dei*, testatur Phlegon supra citatus. Filios habuit Mithridatem et Orodem.

Numi:

Protome regis modeste barbata diademata. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΚΟΤ. ΜΕΓΑΛΟΤ. ΔΙΚΑΙΟΤ. ΘΕΟΤ. ΕΤΠΑΤΟΡΟΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Parthus sedens.* In aliis: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΤ - - - *in fine:* ΚΑΙ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. AR. III. (Vaill. Mus. Caes.)

Tituli ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ., et

---

a) in Macrobiis. b) in Macrobiis. c) ap. Phot. cod. 97. d) bell. Mithr. e) Dio L. XXXVII. §. 6.

ΘΕΟΥ, quibus regem hunc usum constat, ut diximus, persuasere Vaillantio, ut ei numum hunc adjudicaret.

Eodem Pellerinius refert numum, qui etiam est in Caesareo: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΔΙΚΑΙΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΚΑΙ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ, sed infirma sane conjectura.

ARSACES XIII. *Mithridates* III.

Arsacis XII. filius. A suis propter crudelitatem regno pulsus, mox Babylone obsessus captusque a fratre Orode interficitur. Quem numum Vaillantius huc vocat, incerti est regis.

ARSACES XIV. *Orodes*.

Arsacis XII. filius, fratre interempto regnum adit. Crassum cum exercitu internecione delet. Syriam Romanis praerepturus eo filium Pacorum mittit, sed quem Cassius reprimit. Per Labienum IIIvirorum metu ad Parthos transfugam, addito iterum filio Pacoro, Syriam, Palaestinam, Phoenicen, Ciliciam, et Asiae partem vexat, sed utrumque P. Ventidius praelio victum interimit. Rex dolore caesi filii amens in morbum incidit, et regni procuratione filio Phraati commissa hujus jussu infami parricidio necatur.

Ei a Vaillantio numus incerta lege tribuitur.

ARSACES XV. *Phraates IV.*

Vt tutius regnaret, fratres XXX. caeso perfide patri inferias mittit. M. Antonium in Parthiam ingressum, cum aliquamdiu velut reti inclusum extrema quaeque pati coegisset, ex finibus suis ejicit. Tiridatem sibi insidiantem victum praelio in Syriam fugere cogit, sed cum saevire in suos non desineret, solio pellitur evocato e Syria Tiridate, nonnisi aegre Scytharum auxiliis restitutus. Augustum V. C. 734. in Syria degentem dum metuit, ei signa militaria, et captivos Romanos ex Crassi et Antonii cladibus retentos restituit. Filios IV. Romam obsides mittit specie firmandae amicitiae, revera quod fidem popularium suspectam haberet. Extremis regni annis rupta iterum cum Romanis concordia, sed non multo post reparata C. Caesare Agrippae F. metum ex vicino ostentante. A filio Phraate occisus est renovato scelere, quo se ipse in patrem obstrinxit.

Numi:

1) *Caput regis modeste barbatum diadematum.* ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΔΙΚΑΙΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Mulier capite turrito stans s. cornucopiae, d. palmae ramum regi sedenti offert, in imo:* ΞΑΝΤΙ. *et* ΠΣ. AR. I. (Sestini Lettere T. II. p. 63.)

2) *Protome regis capite modeste barbato diademato crispis crinibus.* ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΚ□Υ. ΕΥΕΡΓΕΤ□Υ. ΕΠΙΦΑΝ□ΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝ□Σ. *Mulier stans s. cornucopiae palmae ramum regi sedenti offert, in imo:* Τ. ΜΗΝ□Σ. Γ□ΡΠΙΑΙ□Υ. AR. (Vaill. Arsac. imper. pag. 6.)

Sed Barthelemyus fatetur, in hoc numo, qui nunc est in museo regio, literas praetensas Υ. ΜΗΝΟΣ parum esse integras, et pro his verisimilius legendum ΔΙΚΑΙΟΥ. [a]), quod videtur confirmare similis numus Pellerinii [b]).

3) *Eadem adversa.* ☧ *Eadem Epigraphe. Pallas stans s. hastam coronam regi sedenti offert, in imo:* ΑΠΟ. ΜΗΝΟΣ. ΓΟΡΠΙΑΙΟΥ. AR. I. (Vaill. l. c. p. 8.) Sed Barthelemyus pro ΑΠΟ legendum censet ΑΠΣ. et esse annum aerae Parthicae 281 [c]), sed quae Barthelemyi lectio suspecta videtur Pellerinio [d]).

4) *Eadem adversa.* ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΙΣΑΚΟΥ. ΕΥΕΙΓΕ--- ΔΙΚΑΙΟΥ. ΕΠΙ+ΑΝΟΥΣ. +ΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Mulier capite tutulato stans s. cornucopiae, d. palmae ramum regi sedenti offert, in area* ЄΠΣ, *in imo* ΥΠΕΡ. AR. I. (Mus. Caes.) Annum Frölichius aliter legit, ut dicetur infra. In simili auctor Catalogi musei d'Ennery legit: ΑΠΕΥΠΕΡΒΕΡΕΤΟΥ [e]). Dividenda haud dubie ea vox, legendumque: ΑΠΣ, nempe annus aerae 281, et ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΟΥ, quod pro ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΥ, quod est nomen mensis.

5) *Eadem adversa.* ☧ *Eadem epigraphe. Pallas stans s. hastam, d. palmae ramum sedenti regi offert, in area annus* ϛΠΣ *et literae* ΣΑ. AR. I. (Mus. Caes.)

6) *Eadem adversa.* ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΙΙΣΑΚΟΥ. ΙΥΕΙΓΕΤΟΥ. ΔΙΚΑΙΟΥ. ΙΠ. ΕΠΙ+ΑΝΟ. +ΙΛΕΛΛΑΝΟΥΣ. *Mulier capite tutulato stans s. cornucopiae, d. coronam regi sedenti porrigit, in imo:* ΜΗΝΟ- ΙΥΔΥ. et annus ΖΠΣ. AR. I. (Pellerin Lettres p. 68.)

7) *Eadem adversa.* ☧ *Similis epigraphe. Mulier stans s. cornucopiae, d. coronam regi sedenti offert, in imo:* ΠΕΡΙΤΙΟ. *et, ut videtur, annus* ΗΠΣ. AR. I. (Mus. Caes.)

8) *Eadem adversa.* ☧ ΒΑΣΙΛΕ - - ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΙΣΑΚΟΥ. ΕΥΕΙΓΕΥ. ΔΙΚΑΙΟΥ. - ΠΙΦ. ΑΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΗΛΛΗΝΟΣ - - - ΟΣ. ΑΥΔΝ - - - *Mulier stans s. cornucopiae, d. binas spicas regi sedenti offert, in area annus* ΑqΣ. AR. I. (Pellerin Lettres p. 68.)

9) *Eadem adversa.* ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ -- ΣΑΚΟΥ. ΕΥΕΙΓΕΤΟΥ. ΔΙΚΑΙΟΥ. ΕΠΙ+ΑΝΟΥ. -- ΕΛΛΗΝΟ - *Parthus sedens arcum inversum ostentat, in area annus* ΑΙΥ. *in imo mensis* - ΑΙΣΙΟΥ. (id est: ΔΑΙΣΙΟΥ.) AR. I. (Barthelemy B. L. T. XXXII. p. 678.)

10) *Eadem adversa.* ☧ ΒΑCΙΛΕΩ - ΒΑCΙΛΕΩΝ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΙCΑΚΟΥ. ΔΙΚΑΙΟΥ. ΕΠ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ - - - ΛΕΛΛΗΝ. *Mulier tutulata stans s. cornucopiae, d. coronam regi sedenti offert, in imo* ΑΥΔΥΝΑΙ. AR. I. (Pellerin Rois et Lettres p. 68.) In alio: ΔΑΙ. (nempe mensis Δαισιȣ Catal. d'Ennery.) In alio: ΔΙΟΥ. In alio: ΑΡΤΕμισιȣ. (Ibid.) In alio: ΑΡΤΕΜΙ. (Sestini Lettere T. II. p. 65.) In alio: ΔΙΣΥ. forte ΔΥΣΥ. nempe Δυϛϱος mensis. (Sestini ibid.) In alio: ΣΟΛΩΙΟΝ. (Catal. d'Ennery.) Forte legendum ΣΑΛΩΟΥ vel ΛΩΙΟΥ. sic ut ΣΑ. sint literae incertae significationis in his nu-

a) B. L. T. XXXII. p. 677. b) Rois. c) l. c. p. 677. 678. d) Lettres p. 69. e) p. 31.

mis obviae, et ΛΩΟΥ *Lous* mensis Macedonicus.

Numos similes sibi cognitos Vaillantius Arsaci I. et II. tribuerat. Vtrique titulorum et copiam et fastum non competere jam viderunt alii, et habemus utriusque certiores alios, quos indicavimus. Vaillantius notatos in suis epochae annos non vidit, qui potuissent errorem dedocere. Contra is huic Phraati IV. tribuit drachmam, quae, ut ex vultu nobis jam satis cognito apparet, ejus certe non est. Olim Pellerinius quoque id genus numos tribuit Mithridati III. [a]), serius suum ipse errorem professus est [b]).

Haec tetradrachma curatius descripsi propterea, ut ne quid desideremus, quod ad insertos annos et menses, tum ad formam literarum in his numis turpiter luxatam pertinet, de quibus singulis agemus distinctius post horum regum numos. Nonnulla tantum, quae ad inscriptionum fidem, et explicatum pertinent, hoc loco sunt monenda.

Cum numum IV. ederet Frölichius, haec de inserto aerae anno memorat: *in nostri area perspicue expressa est epocha* ΑΛΣ. *anno* 235 [c]). Mirum sane, istud a viro erudito adseri, quando numus, quem prae oculis habeo, literam primam non A, sed perspicuum Ε offert. Et vero fuisse et Frölichio visum Ε, eo manifeste apparet, quod annum ΑΛΣ non, ut oportuisset, reddidit 231, sed 235. Ergo elementum A pro Ε typothetae vitio irrepsit, quem deinde errorem Frölichius, cum non satis animum adverteret, in posterioribus suis scriptis omnibus propagavit, aliisque eruditis ejus propagandi auctor exstitit. Istud cum ignoraret Barthelemyus, et non in numero Graeco, sed Arabico mendum suspicaretur, legendum esse 231 putavit [d]). Elementum secundum nequaquam tam perspicuum Λ est, ut non aeque Π haberi possit. Ergo cum numus hic per vultus lineamenta, titulos et reliqua omnia certum det Phraatem IV., evidens est etiam praecipiente istud aerae Parthicae calculo, elementum II. non esse Λ, sed Π putandum. Quare integer hic numerus absque dubio legendus ΕΠΣ.

In numi V. quoque praeconio idem Frölichius erroris causam praebuit eruditis. Illius is iconismum bis dedit, primum in opere: *Regum vett. numismata anecdota tab. I. n.* 10., deinde in *Notitia elementari* Tab. XIV. n. 6. Vtrobique praeter certum aerae annum ϛΠΣ expressit alium, ut sibi legendum videbatur, ΞΑΡ, id est: 161, vel ΞΛΡ, id est: 137. Tamen et ipse dubium de hac lectione non dissimulat, nam sic ait pag. 57 operis prioris: *Sed in nostro praeterea in media area literae sunt, ut puto*: ΞΑΡ. *Sed* Ρ *dubium est, et* Α *vel* Λ. Istud cum fugeret eruditum Reinoldum Forsterum Anglum, fidemque iconismo Frölichiano omnem haberet, duplicem in hoc numo aeram Parthicam agnovit, quarum vetustior ϛΠΣ duceretur ab anno V. C. 349, altera ΞΛΡ ab anno 498, variaque inde ducit argumenta historiam regum Parthorum, numosque illustrantia, quae vide Volumine III. operis: *Archaelogia published*

a) Rois p. 149. b) Lettres p. 64. c) Reg. vet. numi p. 57. d) B. L. T. XXXII. p. 678.

by the society of Antiquaries of London pag. 159. At irritus omnis hic conatus; nam praeterquam quod, ut dixi, dubiam esse lectionem ipse Frölichius profitetur, testari ipse possum, praetensas literas ΞΑΡ, vel ΞΛΡ aliud non esse, quam ΣΑ in his Parthorum numis obvium.

In numis V. et IX. occurrunt ΔΙΚΑΙΟΤΙΠ. et ΔΙΚΑΙΟΤΕΠ. in numo VIII. ΕΠΙΦ. ΑΙΦΑΝΟΤΣ. Incassum laborabit, qui sanam inde significationem volet elicere, quando isthaec aliud non sunt, quam testimonium luculentum, Graecos in barbaro solo detentos sensim patriam elegantiam, et feriundae ad nitorem monetae leges dedidicisse, quo super argumento nolo esse verbosior, quod istud jam praecepit Pellerinius a). Addita ΙΠ. et ΕΠ. superflua sunt exordia sequentis ΕΠΙΦΑΝΟΤΣ.

* * *

Protome capite diademato, tam barba, quam caesarie in cincinnos coacta, in aliquibus collum exornat animal, quod Pellerinio capricornus visum, in aliis supra caput astrum unum, vel duo, et lunula, vel lunula tantum, in aliis advolans avis, quae coronam rostro stringit. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΚΟΤ. ΕΤΕΡΓΕΤΟΤ. ΔΙΚΑΙΟΤ. ΕΠΙΦΑΝΟΤΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Parthus sedens d. arcum inversum protendit, per aream variae literae solitariae, monogrammata, saepe ancora.* AR. III. (Mus. Caes.)

Protome similis. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΤ. ΑΡΣΑΚΟΤ. ΕΤΕΡΓΕΤΟΤ. ΕΠΙΦΑΝΟΤΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Parthus sedens.* AR. III. (Mus. Caes.)

Id genus numi drachmae pondere, etsi alibi perrari, in museo Caesareo abundant. Phraati IV. eos tribuit Pellerinius b), non tam propter eosdem titulos, quos in mox citatis, et certis ejus regis tetradrachmis vidimus, quam propter capricornum, quem in nonnullis regis collo inhaerere diximus. Factum istud ab rege statuit propterea, quod is teste historia Augustum observaverat, cujus signum genethliacum fuisse capricornum constat. Quare, arguit, ceteri omnes, qui his sunt similes, etsi capricornus absit, ejusdem sunt regis. Verum praesto sunt, quae ingeniosam hanc ejus doctrinam impediunt. Primum in certis Phraatis IV. tetradrachmis barba cultu simplice, nullo adjuta artificio dependet, at in drachmis, de quibus nunc agimus, ea quoque in cincinnos dividitur. Non vero satis causae reperio, ut idem rex in numis aliis alium praeferret capitis modum. Deinde animal, quod is capricornum putat addito cornucopiae, alterius potius animalis speciem praefert, surgentibus ex medio corpore luculentis alis, sed quae Pellerinio cornucopiae visae sunt. Gryphum dicerem, nisi in oblongam, et tenuem caudam desineret, sed quam et gryphus et capricornus inficiantur. Sunt in museo Caesareo numi similes viginti et amplius, qui ejus animalis formam sistunt. At quod maxime ejus sententiam labefactat, est in eodem museo numus integerrimus et elegantissimus ex eorum genere, quos Pel-

a) Lettres p. 68. seq. b) Suppl. III. p. 7.

lerinius Arsaci VI. largitur, qui animal simillimum ostentat adfixum collo regis, Augusti aevum longe praevertentis. Ergo illud facilius alia omnia, quam delatum Augusto obsequium significabit. Non igitur magnopere obstabo, si quis numos similes ad alium volet Arsacem derivare, nisi forte religionem incutiant tituli iidem, quibus Phraatem IV. usum certo constat, sed quibus etiam rex alius uti potuit. Vide etiam, quae huc facientia in Arsace XVIII. notabo.

ARSACES XVI. *Phraataces.*

Vix regnum delibavit, suis propter necatum patrem infensus e medio tollitur V. C. 757.

ARSACES XVII. *Orodes II.*

Incertum, quo patre natus a proceribus ad Parthicum regnum evocatur, sed ab iisdem propter crudelitatem post paucos menses occiditur.

ARSACES XVIII. *Vonones I.*

Phraatis IV. filius, Roma, ubi complures annos obses retentus erat, ferente Augusto evocatus regnum adit, sed Parthis Romanos in rege suo mores non ferentibus inducto rege alio ejicitur.

Ei Vaillantius tribuit drachmam ex earum genere, quas in patre Phraate IV. recitavi, motus ave ad caput regis advolante, quam aquilam dicit, eamque tanquam insigne R. imperii adstitutam, ut regnum se a Romanis accepisse testaretur, quod ipsum homini inconsulto invidiam apud suos auxerit. Istud si verum, iterum aliquid decedit conjecturae Pellerinii, similes drachmas Phraati IV. tribuentis.

ARSACES XIX. *Artabanus III.*

Per matrem ex Arsacidarum gente Vononis odio ad regnum vocatus, sed a Tiridate, quem Romae detentum Tiberius petentibus Parthis indulserat, pulsus, iterum ab instabili populo restituitur. Mesopotamiam cum exercitu ingressus a L. Vitellio Syriae praeside sibi ad Euphratem occurrente tantum terroris accipit, ut Augusti et Caligulae tum imperantis statuas impetrato colloquio adoraret, et liberos obsides daret. Varia fortuna ad extremum usque agitatus cum regnasset annos XXVIII., mortuus est imperante Claudio.

Ei Vaillantius drachmam tribuit inscriptam: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΑΜΦΙΜΑΧΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. Nulla sane certa ratione hic ei numus adjudicatur. Ceterum titulus ΑΜΦΙΜΑΧΟΥ. res nova, et vocabulum ipsis lexicographis ignotum, sed vereor, ut rite lecta sit epigraphe. Saepe in id genus drachmis ita disjectae sunt literae, ut facile quis vocabulum possit alterius significationis elicere, sed quam monetarius reipsa non intenderit.

* * *

Hoc loco chronologiae causa describendi numi sequentes:

Caput regis barbatum corona rotunda tectum. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΔΙΚΑΙΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Vi-*

ctoria, vel mulier stans cum cornucopiae regi sedenti palmae ramum, vel cornucopiae offert. Anni et menses: ΓΝΤ. ΓΟΡΠΙΑΙ. — ΔΝΤ. ΥΠΕΡΒΕΡΕΤ. — ΔΝΤ. ΑΠΕΛΛΑΙ. — ΕΝΤ. — ΖΝΤ. — ΗΝΤ. — ΖΞΤ. — ΗΞΤ. — ΘΞΤ. — ΕΟΤ. AR. I.

Praeclaros hos numos, et usque hodie ad unum ignotos omnes, abbas Sestinus ex illustri museo Ainslieano descripsit. Intervallum inter primum ΓΝΤ et postremum ΕΟΤ est annorum XXII., quorum ille incidit in tempora prima Claudii, hic in postrema Neronis, ducto, ut infra statuemus, aerae exordio ab anno V. C. 443. Sintne omnia horum numorum capita unius ejusdemque Arsacis, auctor neque diserte edixit, neque nobis licet ex iconismis conjicere, quos malo consilio nullos dedit. Haud dubie tamen eadem in singulis lineamenta viderit, quia omnes uni Arsaci XXIII. Volagasi I. largitus est. Sin vere istud vidit, magnum sententiae nostrae de aerae exordio intentatur malum. Quia enim numi hi annos XXII. continent, saltem inter Arsaces quinque, nimirum ab Arsace XIX. usque ad XXIII. erunt dividendi, quos omnes eadem habuisse oris lineamenta, eundem capillorum capitisque cultum, verisimile non est. Atque haec praecipua Sestino causa visa fuerit, cur aerae exordium decennio distulerit, nempe ad annum V. C. 453, quo pacto omnes hi numi tribui possunt uni eidemque Volagasi I., cujus diuturnum fuisse regnum constat.

* * *

Hujus adhuc regis videtur esse aeneus III. formae cum anno ΕΝΤ. quem infra in aeneis regum Parthiae numis dabo.

ARSACES XX. GOTARZES.

Artabani III. filius. Fratri Bardani regnum cedit, illud hoc caeso iterum aditurus.

Numus:

Caput regis barbatum diadematum. X ΒΑCΛΙΕ - - ΑΡ - - - ΤΟCΚCΚΛΛΟΤΠCΝΟC. ΓΟΤЄΡΖΗ. ΑΡΤΑΒΑΝΟΤ. *Parthus sedens arcum inversum praetendit.* AR. III.

Numum hunc a Barthelemyo, dum Italiam lustraret, repertum et acquisitum scripta ad cl. Paciaudum epistola illustravit Eduardus Corsinus proposita ejus icone. Postquam multa de Gotarzis regno, et variorum scriptorum lapsibus esset praefatus, sic denique numi hujus epigraphen legendam censet: ΒΑCΙΛЄΤC. ΓΟΤΗΡΖΗC. ΒΑΡΔΑΝΟΤ. ΤΙΟC. ΚΑΙ. ΚΑΛΟΤΜΕΝΟΤ. ΑΡΤΑΒΑΝΟΤ. *Rex Gotarzes Bardanis filius vocati etiam Artabani* [a]). Nemo non videt, hunc epigraphes modum penitus abludere ab eo, quo hactenus omnes regum Parthiae numos inscriptos vidimus. Deinde cum in omnibus his numis, qui scripturam in quatuor partitam latera offerunt, epigraphe occipiat ab Aquilone, hinc flectat in ortum, ab-

a) pag. 18.

hinc in Austrum, et desinat in occasu, vir eruditus, ut intentum sensum extorqueat, cogitur saltus in Parthorum moneta insolitos subsidio vocare. Denique si scriptura hujus numi esset quaquaversum sana, et literae luculentae, possemus tum forte praetensum explicatum admittere. At vero fatente ipso Corsino et numi iconismo, partim evanidae sunt literae, et quae exstant, partim barbarae et hiulcae, sic ut inscriptio a Corsino enunciata magis videatur sermo eruditae conjecturae, quam ipsius numi. Sane ad Bardanem suum extundendum aliud non habuit, praeterquam literas AP. De hoc ergo numo sic existimo: esse eum Gotarzis, non negavero, quod in eo teste Corsino expressum legitur nomen ΓΟΤΕΡΖΗ, et testatur quoque Barthelemyus, in numo a se in Italia adquisito proponi et caput, et nomen Gotarzis [a]). Sed adsentiri non possum, reliquam inscriptionem esse legendam, ut censet Corsinus. Neque vero etiam ea lectio probata videtur Barthelemyo, quod, cum de hoc numo loquitur, nihil aliud dicit, quam in eo contineri Gotarzis nomen, dissimulata mira reliquae inscriptionis lectione a Corsino inducta. Advertendum etiam, exstare in museo Caesareo drachmas omnino IX., qui collati cum numo Corsiniano non modo idem caput, reliquumque omnem simillimum cultum offerunt, sed eandem etiam plane aversam, cum iisdem etiam per aream sigillis, qualia sunt monogramma AT cum subjecto globulo, et crucula intra pedes Parthi sedentis, at in his luculenta inscriptio; etsi barbara quoque ΠΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΝΟΔ. ΕΤΕΡΓΕΤΠ. ΔΙΧΑΙΟΤ. ΕΠΙ+Α-ΝΟΤΣ. +ΙΛΕΛΛΗΧΟΣ., quae, demptis orthographiae peccatis, prorsus eadem est in numis Arsacis XV. Phraatis IV. Sunt praeterea in eodem museo aliquot alii ejusdem modi, sed charagmate usque eo barbaro, ut ne unicam quidem sanam vocem ex literis misere luxatis possis componere. Similes ergo numos esse ejusdem Gotarzis, quia simillimi sunt numo Corsiniano, nullus dubito. Non obstat, abesse in his Gotarzis nomen; nam et in Arsacis XI. moneta vidimus, nomen Sanatroecis in numo uno addi, in aliis omnibus omitti.

ARSACES XXI. *Bardanes.*

A suis occiditur revocato fratre Gotarze.

Ex mente Vaillantii hujus Arsacis est drachma inscripta: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΚΟΤ. ΠΑΝΑΡΙΣΤΟΤ. ΔΙΚΑΙΟΤ. ΕΤΕΡΓΕΤΟΤ. ΕΠΙΦΑΝΟΤΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. Numum recitavi, non quod eum revera hujus esse regis existimem, sed ut non dissimulem nondum ex numis cognitum titulum ΠΑΝΑΡΙΣΤΟΤ, *longe optimi*, etsi forte fallax est lectio, quam etiam paullo supra in insolente titulo ΑΜΦΙΜΑΧΟΤ suspicabar. Si vera est lectio Morellii, ex quo Vaillantius numum hunc hausit, erit is forte Arsacis XXV. Chosrois. Constat, Trajanum, quo tempore huic bellum indixit, nominibus suis addidisse nomen Αϱιςȣ, *Optimi.* Forte

a) B. L. T. XXXII. p. 682.

Graeculi orientales, ut Chosroen hoste superiorem ostenderent, ei nomen praestantius Παναριςυ indidere.

ARSACES XXII. *Vonones II.*

Exiguo tempore, et inglorius regno praefuit.

Numus ei tribuitur a Vaillantio: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΜΙΤΡΑΗΤΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. Ratio certa non adfertur. Ex titulis observandus nondum hactenus compertus ΜΙΤΡΑΗΤΟΥ. Vaillantius a verbo μιτραω, vel μιτροω, *mitra cingo*, derivat, ut adeo rex hic ita videatur appellatus a mitra, capitis ornamento; verum μιτραητης ductum a μιτροω non commode graecissat. Vaillantium videtur voluisse corrigere Frölichius, cum eo loco, quo regum titulos commemorat, habet ΜΙΘΡΑΕΤΟΥ, *soli coaevi* [a]), quod utrum ex monumento vero sibi cognito, an suomet ingenio suffecerit, ignoro. Vaillantius insolitos omnes hos titulos ΑΜΦΙΜΑΧΟΥ, ΠΑΝΑΡΙΣΤΟΥ, ΜΙΤΡΑΗΤΟΥ ex collectione Morelliana recitat, sed omnes, quod miror, desunt in gaza Caesarea his drachmis praedivite.

ARSACES XXIII. VOLAGASES I.

Vononis II. filius. Armeniam occupat, eamque fratri Tiridati permittit. Nero Domitium Corbulonem in Orientem mittit, qui regem turbulentum ad obsequium revocaret. Is Tiridate pulso Tigranem Archelai Cappadociae regis nepotem Armeniae regem praeficit. Sed Volagase cum exercitu Armeniam ingresso advolans ex Syria Corbulo cogit Tiridatem, qui regnum iterum invaserat, diadema ante Neronis imaginem ponere, et instituta Romam profectione illud ex imperatoris manu recipere. Post hoc amicitiam aliquamdiu cum Romanis coluit Volagases. Serius irritatus, quod petenti sibi adversum Alanos auxilia negasset Vespasianus, Syriam invadere paravit quidem, sed cohibitus est ostentato armorum metu a Syriae praeside Trajano Trajani Aug. patre, ut probabimus in numis Trajani ad annum V. C. 867. Mortuus videtur imperante Domitiano.

Numi:

Caput regis barbatum tiara Parthica tectum. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΒΟΛΑΓΑΣΟΥ. ΔΙΚΑΙΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Mulier turrita stans regi sedenti coronam porrigit, in area annus:* ΗΤ. AR. I. (Vaill.)

Numus hic si talis est, qualis promulgatur, confirmat sententiam Vaillantii, initium aerae Parthicae ab anno V. C. 498 repetentis; sed idem plane evertit alteram, quam et nos sequimur, referentem ejus principium ad annum V. C. 443. Nam si posterior haec valebit, annus ΗΤ cadet in annum V. C. 749, quo anno non Volagases, sed Phraates IV. Parthiae praefuit. Lapidem hunc ut amoverent alterius sententiae patroni, aut putant, alium aliquem Volaga-

a) Not. elem. p. 124.

sem circa annum 749 adversus Phraatem in Parthia insurrexisse, aut quod magis probaverim, numi epigraphen in dubium vocant. Sane Vaillantius eum non vidit ipse, sed ex collectione Morelliana recitat. Numos vero ex hac citatos non admodum fidos esse testes, ex numis proxime praecedentibus licet colligere. Vide, quae adversus hujus numi fidem plura disputat Barthelemyus [a]).

Frölichius Volagasis I. numum cum anno ΛΛΤ ex Vaillantio citat [b]), sed quem in hujus opere non licuit reperire. Aeneum, qui per annum ΔΟΤ est hujus regis, vide infra in aeneis regum Parthiae.

ARSACES XXIV. *Pacorus.*

Volagasis I. filius. Regnasse eum sub Domitiano, et Trajano, Vaillantius ex Martiali, et Plinio juniore eruit. Ceterum ejus gesta obscura.

Drachma ei a Vaillantio tribuitur nulla certa ratione; alter item aeneus propter inscriptum annum ΕΝΤ, sed qui secundum nostrum aerae Parthicae calculum est potius Arsacis XIX., ut diximus.

ARSACES XXV. *Chosroes.*

Et hic Volagasis I. filius, Exedarem, qui patri Tiridati in Armeniae regno successerat, inconsultis Romanis solio dejicit inducto Parthamasiri fratris Pacori filio. Ergo Trajanus extremis imperii sui annis V. C. 867 indicto bello in Orientem profectus Parthamasirin decedere Armenia cogit, capta deinde Parthia Parthamaspatem pro Chosroe regem creat, quae omnia in moneta Trajani copiosius enarrabuntur. Verum mortuo paullo post Trajano, cum Hadrianus provincias omnes trans Euphratem sitas deductis praesidiis abjiceret, in regnum iterum reversus Chosroes amicitiam deinceps cum Romanis coluit. Quo anno obierit, incertum. Ex iis, quae de aera Parthica disseremus, verisimile fit, mortuum ante annum V. C. 875.

Numulum aeneum per inscriptum annum ΔΟΤ Chosroi tribuit Vaillantius, sed qui est per nostrum calculum Volagasis I.

ARSACES XXVII. VOLAGASES II.

Chosrois filius. Antonino Pio ad imperium evecto coronam auream mittit, ut dicetur in hujus numis ad annum V. C. 892. Reliqua ejus incerta. Regnavit saltem ab anno V. C. 875 usque 902, ut continuo patebit.

Numi.

Protome capite barbato, et tiara tecto, pone Δ. Ӿ ΒΑϹΙΛ-- ΒΑϹΙΛΕ--- ΟΛΑΓΑϹ-- ΔΙΚΑΙΟΥ. ΕΠΙ+ΑΝΟΥ-- ΙΛΕΛΛΗΝ-- *Mulier turrita stans regi sedenti coronam porrigit, in area annus* ΓΛΤ, *in imo mensis* ΠΕΡΙΤ -- AR. I. (Pellerin Suppl. III. p. 10.)

---

a) B. L. T. XXXII. p. 675. b) Reg. vet. numi p. 74.

Alius cum anno ΗΜΥ. AR. I. (Citatur a Barthelemyo ex Longuerue.)

Alius cum anno ΑΝΥ. AR. I. (Vaillant, sed a quo Volagasi III. tribuitur.)

Eadem adversa, pone caput Γ. X ΒΑΣΙΛ - - - ΛΑΓΑCΟ - ΔΙΚΑΙΟ - - ΠΙ+ΑΝΟΥC - - - ΛΛΗΝ - - *Idem typus, in area annus* ΓΝΥ, *in imo mensis* ΑΠΕΛΛΑΙΩ. AR. I. (Pellerin l. c.)

Alius, sed cum anno ΔΝΥ, *et absque mense.* AR. I. (Theupoli p. 1222.)

Eadem adversa, pone caput Α. X ΒΑCΙΛΕΩC. ΒΑCΙΛΕΩΝ. ΑΡCΑΚΟΥ. ΒΟΛΑΓΑCΟΥ. ΔΙΚΑΙΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥC. *Idem typus, in area annus* ΞΥ. AR. I. (Pellerin l. c.)

Primus Volagasis II. numus offert annum ΓΛΥ, 433, qui secundum nostrum calculum ducitur ab V. C. 875. Adversatur huic sententiae Vaillantius, aliique historiae Arsacidarum scriptores, qui hoc anno regnasse adhuc Chosroen existimant. Sed causam recentioris sententiae exponam infra in aerae hujus examine. Istud certum, in omnibus his numis caput anticae esse omnino idem, ut adeo necesse sit, esse omnes unius regis. Ergo certum est etiam docentibus his numis, Volagasem II. regnasse saltem ab anno V. C. 875. usque ad 902, qui conficitur ex anno ΞΥ numi postremi. At mox anno 903 regnasse Volagasem III., ex sequentibus patebit.

ARSACES XXVII. VOLAGASES III.

Forte Volagasis II. filius. Quievit, quoad Antoninus Pius vixit; hoc V. C. 914 mortuo, cum Armeniae causa Orientem turbaret, a L. Vero Aug. armis petitus, et multis adfectus cladibus utrique Augusto *Armeniaci*, *Medici*, *Parthici Maximi* titulos peperit. Regnavit ab V. C. 902 saltem usque 933, ut docent numi. Hujus Volagasis aliquoties meminit Dio sub Caracalla [a]), sed quo anno mortuus sit, non addit.

Vaillantius Arsacem XXVII. facit Monnesem quempiam ex numo cognitum, eumque Volagasis II. successorem. At numi Volagasi II. succedere jubent Volagasem III., ut continuo docebitur. Hoc constituto ruunt omnia, quae a Monnese, quem in Parthiam intruserat, patrata nulla scriptorum veterum auctoritate adseruit. De Monnesis numo agam infra in moneta regum Bactrianorum.

Numi:

Protome regis barba promissa, capite tiara tecto, pone Β. X ΒΑCΙΛΕ - - - ΑΓΑCΟΥ. ΕΠΙ+ΑΝΟΥC. -ΙΛΕΛΛΗΝΟC. *Parthus stans, (in aliis numorum sequentium: Mulier turrita stans) regi sedenti lauream offert, in area annus* ΑΞΥ. AR. I. (Pellerin Suppl. III. p. 19.)

Alius similis, sed cum anno ΔΞΥ, *infra mensis* ΑΠΕΛΑ - - AR. I. (Ibid.)

Alius similis, sed cum anno ΕΞΥ, *et sine mense.* AR. I. (Ibid.)

Alius addito mense ΑΠΕΛΛΑΙΟΥ. AR. I. (Catal. d'Ennery.)

Alii similes, sed cum annis ϛΞΥ.

a) L. LXXVII. § 12. 19.

ΘΞΥ. AqΥ. AR. I. (Barthelemy B. L. T. XXXII. p. 680.)

Alius similis, sed sine anno, in imo mensis ΔΙΟΥ. AR. I. (Mus. Caes.)

Volagasis II. numum postremum cum anno ΞΥ habuimus; en tibi primum Volagasis III. cum anno mox sequente ΑΞΥ. Non esse tamen utrumque numum unius ejusdemque Volagasis, divergentia oris lineamenta, capitis cultus, et barbae modus luculente comprobant, in quo discrimine jam praeclare consensere Pellerinius et Barthelemyus [a]). Numum cum anno AqΥ huic etiam Volagasi tribuit Barthelemyus, cum quod idem offert caput, quod praecedentes, tum quod residuae literae ΛΑ certum Volagasem faciunt [b]). Eundem hunc numum Vaillantius cessit Artaxerxi Persae, et facere debuit, quia multo serius aerae Parthicae initium exorsus est.

Aeneum hujus regis cum anno ΕΟΥ vide infra in numis aeneis regum Parthiae.

ARSACES INCERTI

secundum epochae annos digesti.

ΒΑϹΙΛΕΩϹ - - - Ι+ΑΝ - - *et certo anno* ΔϤ. AR. I. (Barthelemy l. c.)

Literae regis nomen complexae oculos fugiunt. Barthelemyus caput esse simile asseverat illi, quod est in numo sequente.

* * *

Protome regis barbata capite diademato. Ӿ ΒΑϹΙΛΕѠϹ. ΒΑϹΙΛΕѠΝ. ΑΡϹΑΠΚΟΥ. ΜΕΓΑΛΟΥ. --- *Mulier stans regi sedenti coronam offert, in area annus* ΗϤ. AR. I. (Vaillant.) Idem est in museo Theupoli, sed in quo aliud non legitur, quam ΑΡΣΑΚ. ΗϤ. (pag. 1222.)

Numus hic a Vaillantio editus [c]) nunc in museo regio servatur, eumque restituit Barthelemyus in tabula citatae saepius dissertationi adjecta. Sed magnum est inter utrumque iconismum discrimen. Ex praetensis enim a Vaillantio titulis alius non legitur in Barthelemyi icone, nisi - ΑϹΙΛΕ - - et ex regis nomine solum ΔΠΚΟ., ut adeo nihil satis certi de nomine ΑΡΣΑΠΚΟΥ, seu *Arsapce* erui possit, pro quo insolito vocabulo numus Theupoli substituit ΑΡΣΑΚου. Vaillantius ex calculi sui lege numum tribuit Sapori Persae, sed ex nostro computu, secundum quem annus ΗϤ ductus ab anno V. C. 443 cadit in anuum 950, erit Arsacis cujuspiam, qui aut successit Volagasi III., aut si hic tum vivus adhuc fuit, in parte regni imperavit. Vide etiam, quae ad numum sequentem observabimus.

ARSACES PACORVS.

Protome regis capite imberbi diademato, pone Δ. Ӿ ΒΑϹΙΛΕΩ - - ΑΡϹΑ - - ΠΑΚΟ - - - ΙΚΑΙΟ - - - ΕΠΙ+ΑΝ - - ΕΛΛΗ - - *Mulier turrita stans regi sedenti coronam offert, in area annus* ϤΙ. AR. I. (Pellerin Mel. I. p. 147)

Numus hic cum anno ϤΙ biennio tan-

a) ll. cc. b) l. c. p. 675 et 680. c) Imper. Arsac. p. 394.

tum differt a praecedente cum anno HΦ, sed certe unius regis uterque non est, quod arguit caput in priore liberaliter barbatum, in hoc imberbe, deinde in praesente nomen *Pacori.* Fuerintne ille Arsaces et hic Pacorus filii Volagasis III., qui patri forte successere, an alii ex Arsacidarum stirpe, veterum silentium definire non sinit. Teste Dione [a]) Volagasis III. filii mortuo patre perpetuis se bellis regni causa attrivere. Pacorum in historia Parthica jam vidimus filium Arsacis XIV. Orodis. Annus ΦI secundum nostrum calculum cadit in annum V. C. 952, qui fuit septimus imperantis Severi.

ARSACES - - - -

Caput regis barbatum tiara tectum, pone B. Ӿ - - - - *Mulier stans regi sedenti coronam offert, in area annus* KΦ. AR. I. (Mus. Caes.)

Numus per solum aerae provectae annum insignis, nam regis nomen exesum est.

ARSACES VOLAGASES *forte IV.*

Caput regis, pone B. Ӿ--- ΑΓΑ--- *Victoria stans regi sedenti coronam offert, in area* ΔKΦ. AR. I. (Barthelemy ex museo Vaticano B. L. T. XXXII. p. 681.)

Ex residuis literis ΑΓΑ jure arguit Barthelemyus, numum hunc ad Volagasem quempiam pertinere. At quem illum? Existimat idem, esse posse Volagasis illius, qui regnavit imperante Commodo. Fuit is Volagases III. Sed repugnat annus ΔKΦ, qui signatum numum docet V. C. 966, at Dio jam ad annum praecedentem memorat, Volagasis mortui liberos regnandi causa secum bello commissos [b]). Ex quo patet, Volagasem hunc esse a priore diversum. Lego alibi apud Dionem [c]), Caracallam Volagasi Partho bellum intulisse, quod is Tiridatem, et Antiochum, quos reposcebat, dedere recusaret, Parthum metu perterritum eos reddidisse. Factum istud refert Dio ad V. C. 968, biennio post, quam numus hic signatus est. Haec si ita habent, habebimus Volagasem IV. forte tertii filium. Sed haec indicasse satis esto; nam taedet his incertis diu immorari.

ARSACES *Vaillantio XXIX. Artabanus IV.*

A Caracalla bello petitur, quo caeso Macrinus, cum sese tantae moli resistendo imparem videret, oblata pecunia pacem redimit. Ab Artaxerxe Persa populares suos in Parthos concitante victus Arsacidarum ultimus occumbit, regno in Persas translato V. C. 979. P. X. 226.

Numulos aeneos binos huic Artabano dedit Vaillantius suum aerae calculum secutus, sed qui sunt alterius regis, ut dicetur paullo infra.

* * *

Cl. Sestinus ex museo Ainslieano edidit tetradrachma cum annis AKΦ.

---

a) L. LXXVII. §. 12. b) L. LXXVII. §. 12. c) L. LXXVII. §. 19. 21.

ΓΚΦ. ΔΚΦ., quos ille suum secutus canonem Arsaci postremo Artabano IV. tribuit [a]). Nomina regis non adjecit, sive quod oblitus est, sive quod ambiguam lectionem offerunt.

ARSACES *incertus residuus.*

Protome regis capite modeste barbato diademato. ※ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ - - - ΗΝΟΣ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Parthus sedens, in area monogramma.* AR. III. (Mus. Caes.)

Philopatorem supra in Arsace IV. exhibuimus, sed vultus lineamenta, et capitis cultus in numo praesente diversa sunt, quod utrumque ejus est modi, quem in numis, quos Arsaci XV. tribuimus, observamus.

Numi aenei regum Parthiae

inscripti Graece, et cum annis epochae:

Caput regis barbatum diadematum, juxta annus ΕΝΤ. *in aliis;* ΔΟΤ. ※ *Caput muliebre velatum turritum, juxta in aliquibus litera* Α. AE. III. (Vaill. Arsac. imp. p. 302. 321. Mus. Caes.)

Caput regis barbatum, et tiara tectum. ※ *Mulier turrita sedens, in area annus* ΓΚΤ. AE. III. (Spanheim. T. I. p. 449.)

Caput regis prolixe barbatum, et tiara tectum, juxta ΕΟΤ. ※ *Caput muliebre velatum turritum, juxta* Α. AE. III. (Mus. Caes.)

Numos similes solo capitis cultu diversos edidit Pellerinius, eosque regum Persarum, sed Parthis servientium monetam statuit, quia capiti imminet globus, solitus eorum regum cultus, et crines Persico more sunt compositi. Quare et Frölichium arguit, id genus numos, cum Parthici nihil habeant, Parthis tamen tribuentem [b]). Idoneae et mihi hae causae visae sunt, et me quoque impulere, ut numos similes in Persarum regum classem conferrem, quo eos loco infra descriptos reperies. At enim vir eruditus neglexit agere de numis, quos coram proposui, et qui ex capitis cultu certum Parthiae regem proponunt. Ergo sicut ex Pellerinii sententia numuli, quos promulgavit, percussi sunt a Graecis in Perside degentibus, sic numi hoc loco a me propositi feriri poterant a Graecis in Parthia commorantibus. Quare ducto aerae Parthicae exordio ab anno V. C. 443, numus, in quo legitur annus Parthicus ΕΝΤ, erit Arsacis XIX. Artabani III., in quo annus ΔΟΤ, Arsacis XXIII. Volagasis I., in quo annus ΓΚΤ, Arsacis XXV. Chosrois, in quo annus ΕΟΤ, Arsacis XXVII. Volagasis III. Et vero caput numi postremi simillimum est capiti, quod in certis Volagasis III. tetradrachmis conspicitur. Vide etiam numulos similes a Panelio ex museo le Bret editos [c]), tum et omnes hos collectos additis novis Ainslieanis apud Sestinum [d]).

---

a) Lettere T. II. p. 71. b) Suppl. III. p. 23. c) Mem. Trev. Octob. 1737. d) l. c. p. 75.

Numi aenei regum Parthiae

inscripti literis peregrinis.

Caput regis barbatum tiara diademata tectum, pone B. ☧ *Epigraphe peregrina. Cippus, super quo circulus grandior.* AE. II. III. (Mus. Caes. Pellerin Suppl. III. p. 32.) Swintonus in barbaro hoc typo *clavim* videt. (Phil. Trans. Vol. XLIX. p. 593.)

Caput ipsum ejusque cultus, praeterea adstituta litera B, in numis Parthicis, ut vidimus, frequenter obvia, numos similes certos Parthicos faciunt. Epigraphen aversae, literis, ut verisimile, Parthicis conflatam, Pellerinii secutus exemplum, libenter iis explicandam relinquo, qui veteres Orientis linguas se penitius callere profitentur. Swintonus Palmyrenas literas in his numis exhiberi putat.

* * *

Pellerinius eodem loco argenteum ex museo Pembrock Parte III. tab. 77. n. 2 restituit, in quo hinc caput certum regis Parthi, nempe tiara Parthica tectum, illinc ara luculenta, epigraphe utrinque Persica in orbem scripta, iisdem nempe literis constans, quibus inscribuntur numi Persarum Sasanidarum, de quibus agemus in horum moneta. Opportune conjicit Pellerinius, esse hunc numum signatum apud Persas, sed Parthis adhuc subjectos, et eapropter regis Parthi caput illi insertum.

ANIMADVERSIONES

in universam regum Parthiae monetam.

Cum numi regum Parthiae in plerisque ab aliorum regum numis differant, operae pretium visum, nonnullas in eos animadversiones in paragraphos tributas proponere, tanto certiore meo de iis judicio, quod his cimeliis abundat museum Caesareum, ex quo Franciscus I. Aug. Arsacidarum, et successorum Persarum numos ferre CC. a monacho ordinis Carmelitarum ab Oriente reduce emptos gazae intulit.

§. I.

Metallum et fabrica.

Regum Parthiae numi fere omnes argentei. Aureus nondum observatus. Aenei perpauci, quos continuo recensui. Argenti puritas in drachmis lauta satis, non eadem in tetradrachmis laude, quibus vile metallum admixtum, eoque liberalius, quo Parthiae res propiores exitio fuere, quod vitium Parthiae cum plerisque regnis commune fuit.

Fabrica in primorum regum numis commoda, deinceps sic degeneravit, ut plane intelligas, universum eum tractum in veterem barbariem prolapsum. Nimirum et Graeci artifices, qui capta a Macedonibus Persia artes invexere, et ipsi inter barbaras gentes positi degeneraverunt, atque eam barbariem comprobat non modo picturae ruditas, sed et epigraphe omnis saepe sensus expers, de qua jam egi supra, at agam iterum infra in articulo proximo. Eo etiam vitio laborant numi Parthici, praecipue qui sunt maximae formae, quod matrix plerumque majoris fuit voluminis, quam orbiculus signando numo destina-

tus, quo factum, ut hujus finibus non omnes literas recipientibus ex integro versu saepe duae tantum aut tres stationem suam obtinuerint exclusis reliquis.

§. II.

Epigraphe.

Haec in parte aversa numorum Parthicorum istud habet peculiare, quod plerumque lineis quatuor perfectum quadratum efficientibus absolvitur. Literae principio concinnae satis, temporis progressu miras metamorphoses passae sunt. Obvium in his videre est + pro Φ, et □ pro O, quae tamen neque extra Parthiam ignota. Non raro scriptum I pro A, E, P, Φ, atque adeo una eademque nota quinque literarum potentiam sortita est. Videas etiam □ pro B, N pro K, Δ pro Τ, X pro K vel N, ut taceam absurda alia a monetariis in extremam barbariem prolapsis invecta. Multa proin in his vocabula ambiguae lectionis, et quae forte incautioribus illuserint, qui insolentes regum titulos in illis reperere. Denique in postremis epigraphe turpiter barbara, et defoedata literis quacunque forma temere congestis.

Inde a Volagase II. numis tam argenteis, quam aeneis pone regis caput inscripta litera solitaria alphabeti. Repertae hactenus A, B, Γ, et in uno Δ, at omnium frequentissime B. Putabat Vaillantius, esse literas ἀϱχαιϰσας urbis, in qua numi signati. Praestat, earum sensum nos ignorare profiteri, et forte aliud non sunt, quam notae monetariorum.

§. III.

Nomina regum et tituli.

Parthici regni conditori nomen fuit *Arsaces*, cujus apud posteros tanta fuit veneratio, ut id nomen successores reges omnes usurparent. Comprobant istud aeque numi, atque auctores, quos inter Iustinus [a]): *Sic Arsaces quaesito simul constitutoque regno non minus memorabilis Parthis, quam Persis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus matura senectute decedit. Cujus memoriae hunc honorem Parthi tribuerunt, ut omnes exinde reges suos ARSACIS nomine nuncupent. --- Nam sicut supra dictum est, omnes reges suos hoc nomine sicut Romani Caesares, Augustosque cognominavere.* Quin et a Parthis hunc regni sui conditorem post mortem solenni ritu consecratum tradit Ammianus [b]), et quod magis mirum, ipsi etiam Parthorum successores Persae ex stirpe Sasanidarum passim *Arsacidae* ab inferioris aevi scriptoribus dicti sunt, quae testimonia collegit Frölichius [c]), et Spanhemius [d]).

Habuere tamen Arsacis successores nomina alia privatim, quae scriptores prodita reliquerunt. In numis quidem haec rara, et comperta hactenus tantum *Sanatroeces*, qui Arsaces XI, *Gotarzes*, qui Arsaces XX, *Volagases I.*, qui Arsaces XXIII., eumque secuti alii duo,

---

a) L. XLI. c. 5. b) in Iuliano. c) Dub. de Minnisari p. 76. d) T. I. p. 459.

vel tres ejusdem nominis, et circa regni Parthici finem quidam Arsaces *Pacorus*. Reliqui omnes Arsacis tantum nomine in numis usi magno artis nostrae incommodo, nam facile numi Parthici suis singuli regibus possent tribui, quod nunc in paucis tuto praestamus, si non abessent appellationes privatae. Sed enim idem malum in regibus quoque Aegypti, qui Ptolemaei omnes, et Pergami, qui Philetaeri, molestum est.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. tum et ΜΕΓΑΛΟΥ superbi tituli saepe recursant. Et eos adfectabant Parthiae reges non modo testibus numis, sed et scriptoribus, indignum rati, si ab exteris nationibus sibi negarentur, cujus fastidii plura exempla videre potes apud Spanhemium, qui de hoc *regis regum* titulo solito eruditionis apparatu disserit [a]). At non poterat elogium istud videri indebitum, quando constat, Parthiae reges plures alios sibi habuisse tributarios, ut reges Persarum, et Elymaeorum teste vel uno Strabone.

ΔΙΚΑΙΟΥ, *Iusti* elogium in solis regum Parthiae, Helioclis incerti, et Samis Armenii numis reperimus. Videntur hi Plutarcho fuisse ignoti, cum edixit [b]), nullum hactenus regem ambivisse nomen Δικαιȣ, etsi vocari voluerint Πολιορκηται, Κεραυνοι, Νικατορες, Αετοι, Ιερακες.

ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ, *Amantis Graecorum*. Hoc quoque nomen unis Parthiae regibus in moneta proprium, si numos Aretae Damasci reguli demas. Verisimile est, adjectum hunc titulum a monetariis, quos Graecos fuisse dubium non est, et qui, quales optaverunt sibi contingerent reges, tales etiam captandae causa benevolentiae, appellaverunt, ferentibus istud facile Parthis, qui Graecos intra imperii sui fines magno numero positos, civitates etiam munitas, et copiosas obtinentes sunt reveriti, de quibus agetur infra §. VII. De titulo ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ vide idonea alia apud Spanhemium [c]).

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ, ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ, ΘΕΟΥ, ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. jam ex numis regum Syriae cognita, et haud dubie horum imitatione arcessita.

ΞΕΝΙΟΥ, ΑΜΦΙΜΑΧΟΥ, ΠΑΝΑΡΙΣΤΟΥ, ΜΙΤΡΑΕΤΟΥ, nomina nova, in unis Parthiae regum numis a Vaillantio reperta, de quorum dubia fide egi in Arsacidis VII. XIX. XXI. XXII.

ΣΩΤΗΡΟΣ in numo Monnesis apud Vaillantium [d]), sed quem nos non Parthiae, sed Bactrianae regem facimus.

§. IV.

Typi:

Pars adversa caput, vel protomen regis vario cultu sistit. Arsacidae primi teguntur galea diademata, cujus pars deflua aures obtegit, ut in numis nonnullis regum Armeniae. Sed paullo post valuit diadema simplex, ut in numis regum exterorum, sed in aliquibus est latius. Frequens etiam gestamen tiara sublimis in arcum sinuata, quali Abga-

a) Tom. I. p. 460. b) in Aristide p. 321. c) Tom. I. p. 466. d) pag. 339.

ri Edesseni usi, additis variis ornamentis. De peregrino hoc capitis cultu, et Orientis regibus familiari vide, quae copiose disseruere Spanhemius [a]), et Pellerinius [b]). Observandum adhuc, unum eundemque regem jam simplice diademate, jam tiara ornatum proponi. Ejus exemplum in Arsace VI. stitimus. Incerta hujus variationis causa. Conjicit Pellerinius, diadema simplex cessisse in usum ordinarium, sed tiaram in solennes festorum caerimonias reservatam [c]).

Saepe regis capiti adstituuntur astra solis et lunae. Causam dabit Ammianus, qui, cum Arsacem I. propter virtutem a suis consecratum perhibet, addit: *unde ad id tempus reges ejusdem gentis praetumidi appellari se patiuntur solis fratres et Lunae* [d]). Intelligit tempus Gratiani imperantis, quo pridem Persae in Parthorum regnum successerant. Tametsi Persarum in solem et lunam adfectus nequaquam ab Arsacidis tractus statui possit, quem certum est, jam apud vetustissimos Persas fuisse receptum. Ita Herodotus sacrificare Persas soli et lunae refert [e]), longe adeo ante Arsacidas, et apud Aristophanem queritur Trygaeus, solem et lunam Graeciam Persis proditum ire, quod hi utrique sideri sacrificant, alios Graecis deos agnoscentibus [f]). Ergo Parthi a Persis traxere cultum siderum, quibus deinde velut diis suum etiam Arsacem inseruere.

In aversa drachmarum unicus typus: *Parthus insidens sellae plerumque quatuor fulcrorum arcum inversum protendit.* Sedentem hunc Parthum nullus dubito esse regem ipsum habitu cultuque militari propositum, et praeferentem arcum, quo armorum genere secundum innumera veterum testimonia prae aliis inclaruere Parthi. Istud ut opiner, movet auctoritas Dionis, quo testante Phraates IV. M. Antonii legatos admisit ἐπι τȣ χρυσȣ διφρȣ καθημενος, και την νευραν τȣ τοξȣ ψαλλων, *aurea sella sedens, ac nervum arcus contrectans* [g]). Sellam hanc fuisse partem cultus regii, argumento est, quod ejus a Trajano captae jacturam gravissime ferebant Parthi, quamque iis impense flagitantibus Hadrianus redditurum se quidem promisit, tamen, qui alia omnia reddidit, constanter reddere distulit, et hujus exemplo Antoninus quoque, etsi multum oratus [h]), memores, ut opinor, veteris Parthorum pertinaciae, captas bello Crassi aquilas diu restituere tergiversantium, et ut Parthos ostentato pretioso hoc pignore semper in obsequium pronos haberent.

In tetradrachmis idem rex simili sellae insidens, sed cultu pacem praeferens, remoto arcu, et toga ad pedes deflua venerabilis. Ei adstans mulier plerumque capite turrito, et sinistra cornucopiae gestans, nempe urbis genius, coronam offert. Rarius officium istud praestat Pallas. Typus hic totus est ex Graecorum ingenio, quemadmodum etiam in aversa numorum aeneorum, quos supra

a) T. I. p. 465. b) Lettres p. 90. c) Rois p. 135. 139. d) L. XXIII. e) L. I. c. 131. f) in Pace v. 405. g) L. XLIX. §. 27. h) Spartian in Hadr. Capitolin. in Antonino.

recensuimus, objicitur caput muliebre turritum, qua Graeci imagine urbis genium finxerunt. Sed probabimus etiam articulo VII., tetradrachma haec revera fuisse Graecorum in Parthorum finibus commorantium monetam.

§. V.

Epocha.

Quo anno Arsaces excusso Seleucidarum jugo regni Parthici fundamenta jacerit, non satis compertum. Iustinus annum certo charactere definivit, cum ait, eam defectionem contigisse primo Punico bello L. Manlio Vulsone, M. Attilio Regulo cos a). Processere hi consules V. C. 498, A. X. 256. Vagum istud Iustini indicium visum est Freretio, quod uterque hic magistratus post sexennium, nempe V. C. 504, A. X. 250 consulatum repetiit b). Sed non advertit vir praestans, altero hoc anno non Marcum, sed C. Attilium consulatu functum. Alia, neque magnopere tamen a Iustino divergentia regni Parthici principia ex veteribus collegerunt eruditi, quae videsis apud Frölichium c), et Freretium d).

Vaillantius Iustini calculum secutus non modo initium regni Parthici, sed etiam aerae Parthicae numis tetradrachmis inscriptae ab anno V. C. 498, A. X. 256 deducit. Vaillantio accessere Frölichius, aliique. Eodem instituto alii quoque a regni Parthici exortu aeram deduxere, sed quoniam, ut modo innui, aliis aliud visum rei Parthicae exordium, necesse est, ab aliis aliud quoque aerae exordium constitutum.

Horum serius judicium acriter oppugnare coeperunt viri in paucis illustres, Freretius e), Barthelemyus f), et Pellerinius g). Princeps illis et invictum argumentum, quod anni auctiores AqΥ, HΦ, ΦI, KΦ, ΔKΦ in numis, qui per inscriptum nomen, et capitis cultum certe sunt regis Parthi, ducti ab anno V. C. 498 caderent in annos, qui sint posteriores anno V. C. 979, P. X. 226, quo Parthorum regnum a Persis eversum constat. Vt nodus hic non ignotus erat Vaillantio, tantum tamen aberat, ut epochae exordium semel constitutae pateretur loco moveri, ut non dubitaret etiam, numos Arsacis nomine inscriptos tribuere Parthorum successoribus Persis, et quidem numum cum anno AqΥ Artaxerxi, alium cum HΦ Sapori. Nimirum, ut existimat, Artaxerxes licet Persa Arsacidarum regno potitus Arsacis etiam nomen usurpare in numis perrexit, perinde atque Augusti successores Augusti etiam et Caesaris appellationem retinuere. Atque eadem etiam de causa coeptam a Parthis epocham retentam a Persis h). Sed neque Vaillantio in speciosa hac causa subsidium. Reperti sunt serius numi, quos supra citavi, quorum unus inscriptum habet nomen Arsacis Pacori, et annum ΦI, alter nomen Volagasi, et annum

---

a) L. XLI. c. 4. b) B. L. Mem. T. XIX. p. 103. c) Annal. Syr. p. 26. d) l. c. e) l. c. f) B. L. T. XXXII. p. 671. g) Mel. I. p. 148, Suppl. III. p. 11. h) Imp. Arsac. p. 392.

ΔΚΦ. Quod si daremus etiam, continuatum a Persis per reverentiam Arsacis nomen, an poterit probare Vaillantius, adscita etiam ab iisdem privata Parthorum, Pacori, et Volagasis? Memorata difficultate hac Vaillantio maxime inimica licet reticere argumenta alia, quibus Frölichius praesentem Vaillantii causam fulcire adnisus est [a]). Neque etiam refutare amplius attinet sententiam Corsinii aerae exordium multo adhuc longius differentis, videlicet in annum V. C. 525, A. X. 229 [b]).

His ergo moti rationibus viri laudati coeperunt respicere exordium aerae, quod annos certis regum Parthorum numis inscriptos non ultra annos imperii Parthici evagari pateretur. Neque consilium aliud visum opportunius, quam si aerae Parthicae initium idem adsignarent, quod fuit aerae Graecorum ab astronomis Chaldaeis Babylonis et Seleuciae inductae, et coeptae mense Octobri V. C. 443 A. X. 311. Non ergo multum illi dissensere a vetere sententia Harduini, qui annos Parthicos illigavit aerae Seleucidarum, quae aeram Graecorum unico anno praevertit ducta ab autumno V. C. 442, A. X. 312 [c]). Hanc sententiam si sequare, numi hujus argumenti intra terminos suos rectissime continentur. Obstare quidem huic doctrinae videntur numi duo a Vaillantio citati, quorum unus Volagasis nomine notatus offert annum HT. Annus hic in sententia nostra concurreret cum anno V. C. 750, A. X. 3, at tum certum est, regnasse in Parthia Phraatem IV. Nodus hic qua ratione sit expediendus, dixi supra in Arsace XXIII, Volagase I. Alter numus, quem citat Vaillantius [d]), et qui nobis adversatur, inscribit Arsacem, et annum AqT. Hic ex nostra sententia ductus ab anno 443 concurret cum anno V. C. 933 P. X. 180, at enim tum Volagasem Parthis praefuisse constat. Verum Barthelemyus inspecto iterum numo, cujus etiam, ut ampliorem fidem faceret, sincerum iconismum restituit, certas in eo reperit litteras ΛΑ, quae cum nomen quidem Volagasi, at non Arsacis possint constituere, certum nobis Volagasem efficiunt, ac praeterea sententiam nostram firmant.

Istud aerae Parthicae exordium ab eruditis IIIviris ad annum V. C. 443 revocatum ut praestabilius est iis, quae a Vaillantio, aliisque annis multo posterioribus sunt adfixa, quoniam ab horum peccatis immune est, tamen nondum sic est stabilitum, ut necessario ex citato anno pendeat, et expectandae plurium suppetiae numorum, quorum ope, quod hactenus probabilis tantum conjecturae instar est, certum etiam efficiatur. Difficultates non paucas huic inimicas sententiae in ipsis commentariis dedi, neque dissimulavi eas, quas nuper Abbas Sestinus objecit. Observari tamen meretur, quod narrat cl. Niebuhr Danus in itinere suo Arabico nuper edito [e]): in urbe Mesopotamiae Tigri adsita, dicta hodie Mosul, visum sibi marmor, quod teste epigraphe positum se profite-

a) Dubia de Minnis. p. 75. b) de Numo Minnis. c) Numi ill. sub Παρθια. d) pag. 391.
e) Reisebeschreibung nach Arabien Theil II. Seite 362.

batur anno post Christum 1744, inde ab Alexandri imperio 2055, edoctumque se ibi, Christianos ejus tractus non in inscriptionibus modo, sed et majoris momenti actis utramque solere aeram conjungere, primumque apud eos anni mensem haberi Octobrim, dictum eorum lingua *Teschrin el aval.* Ex quo efficitur, ab ipsis Christianis traditam a majoribus aeram Alexandri, aut potius Graecorum hodieque conservari, a qua si subducatur aera Christi, habemus alterius exordium ante Christum 311, V.C. 443, rite secundum traditam supra regulam. Quod quidem me judice argumentum plurimum valet ad confirmandum istud aerae initium, praecipue cum hujus classis numos apud Mosul, Bagdad, Merdin, Bassora frequentes effodi testetur cl. Sestinus [a]), qui haec loca ipse adivit, et collectos ibi numos museo Ainslieano intulit.

Idem vir eruditus cum videret, recentiorem hanc doctrinam minus commode componi cum numis, quos a se repertos modo dixeram, aliud eruditorum judicio aerae exordium obtulit, nimirum ab anno V. C. 453, A. X. 300, quo nonnullis se obviare incommodis sperabat, quae aliorum sententias vexant. Vsus in rem suam est testimonio Marcellini, qui Arsacem I. non demum adversus Antiochum II. rebellasse prodidit, quod docuere scriptores alii, sed jam adversus ipsum Seleucum I. Nicatorem, quod cum verisimile putet accidisse V. C. 453, inde ducendum aerae exordium conjecit. At enim vix persuaserit viris doctis, ut unius Marcellini testimonium anteferant scriptoribus aliis, quorum major vulgo est auctoritas, cumque adeo doctrina haec in causa praecipua peccet, nimirum in tempore defectionis Parthorum, tanti facienda non sunt leviora quaedam commoda, quae in hac sententia numorum Parthicorum explicationi magis, quam in alia, serviunt. Atque haec de causa usque adeo implexa, et nullo facile ingenio ex subsidiis hactenus cognitis explicanda abunde dicta existimo.

Adverto denique, epocham solis tetradrachmis inscriptam, drachmis nunquam. Non igitur literae ΣΑ., quae sunt in drachma Vaillantii [b]), epocham notabunt, ut visum Freretio. Plerumque in area drachmarum occurrunt monogrammata et literae solitariae, quorum explicatio dubia. Accedit, quod litterae ΣΑ. sunt in tetradrachmo Arsacis XV. supra citato, etsi in eo jam habeatur certus epochae annus.

§. VI.

Menses.

Habent et istud numi Parthici sibi unis proprium, quod non annos modo, sed et menses numis inscribunt; sed ut annos, sic et menses reperias tantum in tetradrachmis. Inscripta vero illa vocabula esse certos menses, non modo docebit subjectus mensium hactenus in his numis repertorum catalogus, sed docet etiam vocabulum ΜΗΝΟΣ horum aliquibus praefixum. Hactenus detecti sunt

a) l. c p. 75, et 83. b) pag. 58.

ΑΡΤΕ. *Artemisius.*
ΔΑΙ. ΔΑΙΣΙΟΥ. *Daesius.*
ΛΩΙΟΝ pro ΛΩΟΥ. *Lous.*
ΓΟΡΠΙΑΙΟΥ. *Gorpiaeus.*
ΥΠΕΡ. ΥΡΕΡΒΕΡΕΤΟΥ. *Hyperberetaeus.*
ΔΙΟΥ. *Dius.*
ΑΠΕΛΛΑΙΟΥ. *Apellaeus.*
ΑΥΔΥΝΑΙ. *Audynaeus.*
ΠΕΡΙΤΙΟΥ. *Peritius.*
ΔΙΣΤ. pro ΔΥΣΤ. *Dystrus.*
ΞΑΝΤΙ. pro ΞΑΝΘΙ. *Xanthicus.*

Panemum quoque repertum refert Pellerinius a), sed quo in museo exstet, non addit. Idem in horum uno videre *Artemisium* sibi visus est b), sed serius errorem suum ipse agnovit suffecto Audynaeo c). Tamen certum Artemisium habemus ex numo Arsacis XV. musei d'Enneryani, ut supra vidimus. Omnium igitur mensium ex his numis habemus nomina, eosque secundum Macedonum appellationem, quod a Syromacedonibus invecti fuere. Quae causa fuerit, cur numis Parthicis inscriberentur, quaesitum. Causae, quas Vaillantius adfert d), inconcinniores sunt, quam ut commemorari, deinde refutari mereantur. Altera conjectura est Pellerinii opinantis, inscripto mensis nomine Graecos in Parthia degentes professos cultum, quo deum Mensem observabant, et qui aliquoties in numis veteribus addito ΜΗΝ, vel MENSIS indicatur e). Conjectura haec utut erudita, speciosa tamen magis, quam solida videtur, atque ut, quae obvia sunt, plerumque longius arcessitis praestant, credam potius, quemadmodum inscribendo anno significari volebant monetarii, quo anno signatus numus, sic inscribendo mense voluisse significari, quo is mense malleum sit expertus. Enimvero Siculis Mensem fuisse deum creditum, non constat, qui tamen et ipsi figlinis suis menses inscripsere f).

§. VII.

Quorum jussu Parthica haec moneta signata.

Numos drachmae pondere fuisse monetam ab ipsis Parthiae regibus imperatam, vix dubitem. Sane utriusque partis typi, caput regis, et Parthus sedens, toti Parthici sunt. Neque obest, inscriptos esse Graece, nam et Iudaeae, et Mauretaniae reges lingua in numis non sua usi sunt, etsi utrique indigenae essent. In causa esse potuit major cum copiosis indigenis Graecis commercii opportunitas.

Secus existimo de numis hujus classis tetradrachmis, etsi non obscure intelligam, hos quoque a viris eruditis monetam regum jussu signatam putari. Enimvero quid ad Parthiae reges epocha Graeca his numis inscribi solita, et quidem ducta ab eo tempore, quo totus is tractus coepit parere Seleuco homini extero ad ejus deinde successores translatus, quorum jugum Parthi, quod serius patuit, impatienter ferebant? An verisimile, voluisse eos funesti, ac genti suae indecori servitii memoriam in

a) Lettres p. 72. b) Rois p. 149. c) Lettres p. 65. d) pag. 7. et 17. e) Lettres p. 72.
f) Torremuzza Inscript. Sicil. Class. XV.

monumentis publicis conservare? Atque ut etiam istud permittendum videatur an ullo pacto probabile, Parthiae reges tantum tribuisse Syromacedonibus sibi natura inimicis, ut eorum etiam mensibus, tanquam propriam anni divisionem non haberent, uterentur? Denique sunt in omnibus his numis typi prorsus ex Graecorum ingenio petiti, ut mulier capite turrito tenens cornucopiae, et regi coronam offerens, aliquoties Pallade obsequium istud praestante, aut in aeneis minutis caput muliebre turritum, certa imago Graeci urbis genii.

Istud ergo monetae genus Parthicis regibus ademptum tutius credo urbibus Graecanicis Parthorum imperio obnoxiis tribuemus. Harum non paucas ab Alexandro M., et successoribus in hoc Orientis tractu conditas, et colonis Graecis permissas memorant scriptores. In Parthia Apameam et Heracleam numerat Strabo [a]), in Media Laodiceam, Apameam, Ragiam [b]), at praecipuus earum numerus ac potentia in Bactriana, et Mesopotamia. Eae Parthiae regibus aut plene subjectae, aut certis legibus liberae eorum tamen imperio obnoxiae fuerunt. Has inter facile eminebat Seleucia a Seleuco Nicatore prope veterem Babylonem ad Tigrim condita, cui plebis urbanae fuisse sexcenta millia tradit Plinius, quamque *liberam hodie, ac sui juris, Macedonumque moris* appellat [c]). Copiosius de ea Tacitus [d]): *civitas potens, septa muris, neque in barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens. Trecenti opibus aut sapientia delecti, ut senatus, sua populo vis, et quoties concordes agunt, spernitur Parthus etc.* Captam in bello L. Veri cum trecentis millibus refert Hieronymus [e]). Mithridates VI. Ponti rex in praecipuis potentiae Parthicae argumentis posuit *Seleuciam maximam urbium* [f]). Ab harum urbium quapiam si numos hos voles signatos adserere, nihil sane reperias, quod videatur posse obstare, ac praecipue si Seleuciam hujus velis monetae patriam constituere. Eam Plinius dixit *liberam, ac sui juris*, ergo suo jure signavit monetam, perinde ac tot urbes aliae, quas Romani suis legibus vivere permiserunt. Dixit eam *Macedonum moris*, quem declarant Macedonica mensium nomina numis inserta, quorsum sane spectat illud Senecae [g]): *Quid sibi volunt in mediis barbarorum regionibus Graecae urbes? quid inter Indos Persasque Macedonicus sermo?* Tacito dicitur *conditoris Seleuci retinens*, quod praestitit sane, signando in iis aeram, cujus auctor fuit idem, qui urbis; *neque in barbarum corrupta*, unde typi in iis semper Graecae indolis; *civitas potens*, unde insignia haec tetradrachma. At signavit numos cum regis Parthi capite, nimirum ut tot Syriae ac Phoenices urbes regis sui, tot per imperium Romanum urbes, imperatoris capite insignes numos cuderunt. Tamen et eadem Seleucia cudit numos autonomos, ut in ejus moneta ostendimus, quo planius appareat, permissam illi autonomiam jam a Plinio et Tacito indicatam.

---

a) L. XI. p. m. 783. b) L. XI. p. 796. c) L. VI. §. 30. d) Ann. VI. c. 42. e) in Chronico. f) Sallust. Fragm. L. IV. hist. g) Consol. ad Helv. c. 6.

REGES PERSIAE.

Rem Persarum monetariam in tres classes dispescimus, I. qualis erat inde a Cyro usque ad postremum Darium, II. qualis sub Arsacidis Parthiae regibus, III. qualis sub regibus Sasanidis.

I.

Numi Persarum

a Cyro usque ad postremum Darium.

Non diu in hac classe propter causae inopiam morabimur. Modicum enim est, quod vel suppeditent scriptores veteres, vel monumenta ipsa residua. Si Plutarcho fides, Cyrus, regno a Medis ad Persas translato nobilis, pecunia signata usus jam est. Nam mulieribus, quae admirabili documento fugientibus viris auctores fuere, ut conversi praelium instaurarent, aureum singulis repraesentari jussit [a]). Vnde credo tractum morem, ut Persiae reges, quotiescunque Persidem intrarent, feminis singulis aureum largirentur [b]). In Persica hujus classis moneta memorantur a scriptoribus *Darici*, seu *Sagittarii.* Darici, Δαρεικοι, sic dicti ab auctore Dario, seu is fuit Xerxis pater, seu vetustior alius, quod incertum. Vide Suidam [c]), et scholiasten Aristophanis [d]). Darici aurei a metalli puritate fuere celebrati, ut revera nonnisi partem XXIV. alieni metalli admixtam facto periculo didicit Barthelemyus [e]). Ἡμιδαρεικων, *Daricorum dimidiorum*, meminit etiam Xenophon [f]). Iidem Sagittarii, Τοξοται, dicti ab impressa imagine sagittarii, ad quam adlusit Agesilaus apud Plutarchum [g]). Nam ab ephoris a bello Persico ad tuendam Spartam revocatus ajebat, se a Persarum rege triginta sagittariorum millibus ex Asia ejici. Nimirum Persarum numis notam sagittarii habentibus, quorum triginta millibus Athenas missis effecit rex magnus, ut populos Atheniensibus in bellum adversum Lacones incitantibus redire hi in patriam cogerentur. Cum sagittarios hoc loco Plutarchus vocet χρυσους Δαρεικους, *aureos Daricos*, satis apparet, Daricos et sagittarios unam eandemque fuisse monetam sic dictam jam ab auctore, jam ab imagine. Passim videntur docere veteres, Daricos tantum fuisse monetam auream. At Plutarchus diserte

a) de Virt. mul. p. 246. b) Plut. in Alex. c. 69. c) in Δαρεικος. d) in Eccles. ad v. 598. e) B. L. T. XXI. hist. p. 24. f) Exped. Cyri L. I. p. 252. g) Lacon. apophth. p. 211.

Daricos aureos et argenteos memorat, quo loco tentatam Cimonis abstinentiam narrat, dum Rhoesaces barbarus in ejus domo deposuit *φιαλας δυο, την μεν ἀργυρειων ἐμπλησαμενος Δαρειχων, την δε χρυσων*, *phialas binas, quarum unam argenteis Daricis, alteram aureis implevit* a). Idem eruo ex Aeliano narrante b), a Persarum regibus cuivis legato donari solitum *ταλαντον Βαβυλωνιον ἐπισημȣ ἀργυρȣ*, *talentum Babylonium argenti signati.*

Numi DARICI *seu* SAGITTARII.

Vir corona radiata tectus flexo uno genu d. hastam tenet, s. arcum praetendit. X *Cavitates informes.* AV. (Mus. Caes. Pembrock P. I. tab. I. n. 2, et P. II. tab. 75.) AR. I. (Spanheim T. I. p. 324. Sestini Lettere T. III. p. 146.) *In horum uno juxta sagittarium legitur* ΠΤΘΑΓΟΡΗ. (Sestini ibid.)

Vir corona radiata tectus flexo uno genu d. hastam tenet, s. arcum praetendit. X *Vir eodem cultu ac situ, sed dextera retro conversa telum e pharetra promit.* AR. I. (Pembrock l. c. Spanheim Caes. Iul. preuves p. 80.)

Persa stans pendente a tergo pharetra telum evibrat. X *Navis expanso velo.* AR. III. (Mus. Caes.) Cui adde alios cum variis typis apud Pembrock. (P. II. tab. 75.)

Per typum et fabricam peregrinam numi similes commode in Persicae monetae loco habentur, ad quorum deinde normam in urbibus Persarum imperio subjectis putem signatos argenteos, quos altero, et tertio loco citavi. Enimvero eodem loco in museo Pembrock video depictum argenteum similem, sed cujus aversa praeter litteras fugientes sistit Herculem cum leone luctantem, qui typus est in vetustissimis Tarsi numis. Et apparent in pluribus id genus sagittariis argenteis eadem tabula Pembrockiana propositis signa incusa bovem referentia, quae nota heterogenea obvia est in numis Ciliciae, Pamphyliae, et vicini tractus argenteis. Quare verisimile, in illis regionibus, quo tempore Persis adhuc paruere, numos id genus cum imagine Persica cusos. Ejus certissimum argumentum est nomen ΠΤΘΑΓΟΡΗ horum uni inscriptum. Narrat ejus praeco Sestinus, cum binis eum Daricis aliis, uno aureo, altero argenteo, repertum in insula Samo. Verisimile ergo, quo tempore Samii Persis paruere, (nam varia fuit eorum ante Alexandrum M. fortuna) hunc fuisse signatum numum inscripto praeterea privato suo rectore Pythagora. Existimat Sestinus, hoc Pythagorae nomine indicari ipsum philosophiae Italicae magistrum Pythagoram Samium. Quam sententiam ut plures aliae causae, quas nunc dissimulo, evertunt, tum etiam scripturae modus. Qui Pythagorae aetati plurimum detrahunt, quos inter Henricus Dodwellus, natum eum statuunt V. C. 185, cum quo aevo componi posse formam literarum nomen illud constituentium, quae recentiora jam tempora sapit, negaverint omnes palaeographiae Graecae magistri. Accedit, non exstare exemplum magistratus inscripti numis tam remoti temporis. Inter sagittarios argenteos refe-

a) in Cimone c. 10. b) V. H. L. I. c. 22.

ras etiam numos Aryandicos, quos Daricis simillimos adrogato sibi jure cudendos curavit Aryandes pro Cambyse Aegypto praefectus, quem propterea interficiendum curavit Darius successor a), de quo agemus uberius in prolegomenis ad numos Aegypti.

Numi Darici cum aurei, tum argentei summae sunt raritatis. Causam dabit Strabo loquens de Persarum hujus aevi regibus b): *Maximam*, ait, *auri atque argenti partem in supellectile habent, in numis perexiguam. Illam enim existimant et ad donandum magis aptam, et ad reponenda adservandaque in thesauris cimelia. Numismatis vero tantum sufficere arbitrantur, quantum usui satis sit, et tantum auri percutiunt, quantum impensis sufficiat.* Interim haec minus conspirant cum testimonio Plutarchi, pluribus locis immensam monetae signatae vim ab Alexandro in Persia captae, praedicantis c). Huc refer etiam, quod narrat Herodotus d), quo tempore Xerxes in Graeciam exercitum traduxit, fuisse in Lydia Pythium quemdam, hominem privatum, qui in thesauris suis numerabat quadragies centena millia staterum Daricorum aureorum. Eodem teste e) Mardonius Xerxis contra Graecos dux, tulit secum in Graeciam χρυσον πολλον μεν επισημον, πολλον δε και ασημον, *multum aurum signatum, multum non signatum.* Alexander M. Susis in thesauro regio praeter auri et argenti non signati XL. M. talentum auri, χαρακτηρα Δαρεικον εχοντα reperisse dicitur f).

Ad pondus et valorem Darici aurei quod attinet, haec tradit Harpocration: εισι μεν χρυσοι στατηρες οι Δαρεικοι, ηδυνατο δ' ο εις ταυτο οπερ και ο χρυσους παρα τοις Αττικοις ονομαζομενος. *Darici sunt stateres aurei, valebat vero horum unus tantundem, quantum dictus ab Atheniensibus aureus.* Idem paullo infra: λεγουσι δε τινες, δυνασθαι τον Δαρεικον αργυρας δραχμας εικοσι, *ajunt vero aliqui, valere Daricum argenteas drachmas viginti.* Idem passim docent grammatici alii. Hero quoque Alexandrinus Daricum adpendere drachmas duas testatur, nimirum quantum stateres Graecorum aurei solebant adpendere, ut dictum in Prolegomenis generalibus Vol. I. p. XLI. Revera Daricus musei Caesarei, et Pembrockianus justum habent duarum drachmarum Atticarum pondus. Quare recte dicitur valuisse drachmas XX. secundum decuplam tum auri ad argentum rationem.

II.

Numi Persarum

sub Arsacidis Parthiae regibus.

Persia everso sub Dario Codomano Achaemenidarum imperio in Alexandri M., et ab hujus morte in Syromacedonum potestatem transivit constituto satrapa. Sed enim Orientis provinciis per regum Syriae socordiam paullatim obse-

a) Herodot. L. IV. c. 166. b) L. XV. sub fin. c) in ejus vita. d) L. VII. §. 28. e) L. IX. §. 41. f) Diod. Sic. L. XVII. c. 66.

quium exuentibus Persia etiam proprios iterum reges nacta est, sic tamen, ut primum a Seleucidis, deinde a vicinis, multoque potentioribus Parthis penderent, diserte istud testante Strabone a): *nam etsi adhuc Persae proprium regem habent, viribus tamen longe sunt inferiores, et Parthorum regis dicto sunt audientes.* Et apertius postremis verbis libri XV. *Hodie seorsim Persae suum habent corpus et reges aliis regibus subjectos, primum Macedonibus, deinde Parthiae.* His regibus duce Pellerinio tribuuntur sequentes

Numi:

Caput regis barbatum diadematum imminente capiti globo, et crinibus retro in glomerem collectis. Ⅹ *Caput muliebre turritum, juxta anni* ΓΚΤ, ΗΚΤ. ΘΚΤ, ΖΛΤ, ΦΚΑ. AE. III. (Mus. Caes. Pellerin Suppl. III. p. 23. seq.)

Id genus numulos pro Parthicis vulgavit Frölichius b). Enimvero simillimos alios inscriptis etiam epochae annis produximus supra ad calcem numorum Parthiae regum, hoc uno discrimine, quod in his ex capitis cultu certi agnoscuntur Parthiae reges, at in praesentibus ex eodem capitis cultu certi Persiae reges, ut magis patebit contentis Persarum numis classis III. Iure ergo Pellerinius numos similes tribuit regibus Persiae, sed cusos a Graecis urbibus in illorum imperio constitutis, quae eandem aeram secutae fuerint, quam Graeci, quorum numos in moneta Parthica recensuimus, nimirum ab anno V. C. 443 A. X. 311.

De aeneis Persice inscriptis, sed cum capite regis Parthi egimus supra ad calcem monetae Parthicae.

III.

Numi regum Persarum Sasanidarum.

Artaxerxes Persa V. C. 979 P. X. 226 victo Artabano postremo Arsacidarum Parthiae regum Persiae regnum inde a Dario Codomano aut exstinctum, aut ab aliis regibus pendens resuscitavit novae ipse stirpis conditor, dictae *Sasanidarum*, quod Sasani cujuspiam ipse nepos esset. In ea Persiae regnum ipsis IV. saeculis constitit, dum a Saracenis everteretur. His Parthorum successoribus tribui nunc solent sequentes

Numi:

Epigraphe, ut creditur, Persica. Caput regis barbatum diadematum, saepe etiam radiatum, imminente capiti globo, saepe crinibus retro in glomerem collectis, additis nonnunquam alis, saepe etiam astris solis et lunae. Ⅹ *Epigraphe similis. Ara altior ignita, conspicuo nonnunquam inter flammas capite humano, adstat hinc et inde vir hastatus, vultu in aliis ad ignem converso, in aliis ab igne averso.* AV. (Pellerin.) AR. (Mus. Caes.)

Numos similes Frölichius museo Caesareo recens illatos omnino XXXII. primus esse Persarum Sasanidarum agno-

a) L. XV. p. 1059. b) Reg. vet. num. p. 64.

vit, et eorum nonnullos aeri incisos proposuit [a]). Serius similes alios vulgavit Pellerinius [b]), quos inter eximius aereus unus, in cujus antica capita regis et reginae jugata, quibus posita juxta protome juvenilis coronam porrigit. Reliqui omnes ex argento probe puro sunt, volumine ad primum et secundum modulum accedentes, sed laminae tenuis. In museo Caesareo duo sunt quinarii ambitu, sed hi quoque tenues.

Typus ignis in parte aversa tam conspicue propositi, tum et astra solis et lunae suaserunt Frölichio, et qui eum secuti sunt, ut Persicam hos numos monetam crederent. Enimvero copiosa habemus veterum testimonia, quanta religione veteres Persae ignem, et solem lunamque observarint, quae pleraque collegit Frölichius [c]), et Foucherius [d]). Ceterum et eo ducem Frölichium libenter consector, qui dissimulato suo judicio, quorum hi numi regum offerrent capita, malebat exspectare, *dum doctior aliquis exsistat, qui legere veterum Persarum characteres, et intelligere se posse credat et possit.* Eodem consilio ab explicandis etiam argumentis aliis in hac moneta obviis abstineo, quod libenter permitto iis, qui contentiorem ad explicandos Persarum ritus et religionem operam contulerunt.

Atqui, quod diu optaveram, hanc nuper in se provinciam suscepit eruditus quidam Gallus vulgato opere his verbis inscripto: *Mémoires sur diverses antiquités de la Perse, et sur les médailles des Rois de la dynastie des Sassanides etc. par A. J. Silvester de Sacy. De l'imprimérie nationale executive du Louvre* 1793. *in 4to.* Quod simul atque ex Indiciis literariis Gottingensibus comperi [e]), nihil erat, quod impensius curandum putassem, quam ut opere ad praesentis argumenti enucleationem tam copiose servituro potirer. Ejus Parisiis arcessendi cum nollent librarii nostrates propter belli nunc maxime saevientis impedimenta in se curam suscipere, dedi operam, ut illud per Helvetiorum agrum ad me perferretur. At enim plures jam sunt menses, ex quo spes meas retardari, et votis moram injici cum taedio experior. Nimirum infelix illa, ac cerrita Gallorum natio omissis veteribus suis studiis, quorum ope, cum reges adhuc summae rei praefuere, veram, solidamque doctrinam circumferre per terrarum orbem in primis curis habuit, mutatis jam nunc ingeniis ejus tantum indolis libellos alis gestit instruere, et examinum more in omnes terrarum recessus emittere, per quos religionis avitae, legum patriarum, optimorum principum possit contemptum in animos populorum ingenerare, scilicet ne sola sit, quae paucorum pressa tyrannide, sanguinis ac vitae, parentum liberorumque, facultatum, ac sacrorum patriorum cogatur jacturam experiri, aut ne sola sit, quam olim incorrupta posteritas infra belluarum, aut si quid est his atrocius, magisque sangui-

a) Reg. vet. num. p. 66. b) Suppl. III. p. 34. c) l. c. d) B. L. T. XXVII. et XXXI.
e) Jahr 1793, Stück 178, Seite 1777.

narium, naturam deprimendam, et generis humani execrationi permittendam judicabit. Quapropter quidquid cl. Sacyus ad praesentium explicationem numorum utile, atque oportunum attulerit, ne dubitet benignus lector, alio quopiam idoneo loco, ac forte sub universi operis finem inter ea, quae addenda, aut corrigenda videbuntur, a me commemoratum iri.

* * *

Aeneos etiam fere I. formae vulgavit Pellerinius a) fabricae barbarae, in quorum antica caput est cum cultu regum Parthorum, in aversa caput peregrino item cultu; litterae utrinque habentur peregrinae, verum ignotae. Id unum ex capitis cultu colligi potest, in hoc tractu barbaram hanc segetem pullulasse. Similem olim edidit Frölichius, ratusque, in eo legi posse ΚΟΜΟCΙ--, perperam credidit, esse numum *Comosici* Getae b). Swintonus in simili legere sibi visus ΠΡΟΖΟΤ, Perozem Persarum regem, cujus in historia Armeniae meminit Moses Chorenensis, in hoc numo expressum credidit c). Incerta, ut vides, omnia.

REGES BACTRIANAE.

Bactriana longe in ortum posita Oxo flumine et India divisa fuit. A Cyro majore in potestatem redacta Persis paruit, dein Macedonibus victore Alexandro M., qui urbem in ea de suo nomine Alexandriam aedificavit constitutis satrapis. Mortuo Alexandro pars fuit provinciarum Orientis, quas sibi Seleucus Nicator virtute subjecit. Sed cum posteri regendae tantae moli a mediterraneo in Indiam porrectae longe essent impares, factum, ut satrapae excusso Syrorum jugo regnum sibi in Bactriana constituerunt.

Aliquorum ex his regibus comperti numi Graece inscripti. Mirum videri possit, in gentem usque adeo remotam non modo linguam moresque Graecos illatos, sed et utrumque tamdiu in ea constitisse, et quidem diutius, quam forte hactenus creditum, ut infra ex numis ipsis comprobabimus. Verum reges priores, qui, postquam a Syris discessum est, sibi successerunt, fuisse Graecos, mox videbimus. Deinde quanta fuerit Graecorum in Bactriana potentia, testem locupletem habemus Strabonem d), qui Graecos ibi propter soli praestantiam adeo fuisse opibus auctos praedicat, ut, si Appollonio Adramytteno fides, Arianam obtinuerint et Indiam, et plures, quam Alexander,

a) Suppl. III. p. 38. b) Ad num. reg. vet. access. p. 36. c) Phil. Trans. Vol. LVI. p. 298. d) L. XII. p. 785.

gentes subegerint, maxime Menander etc. Insigne huc momentum confert auctor peripli maris Erythraei, qui Arrianus fuisse putatur. En ejus verba: καὶ Αλεξανδρος ὁρμηθεις ἀπο των μερων τȣτων ἀχρι τȣ Γαγγȣς διηλθε - - - ἀφ' ȣ μεχρι νυν ἐν Βαρυγαζοις παλαιαι προχωρȣσι δραχμαι, γραμμασι Ελληνικοις ἐγκεχαραγμεναι, ἐπισημα των μετα Αλεξανδρον βεβασιλευκοτων Απολλοδοτȣ και Μενανδρȣ. *Ab his partibus* (Bactrianis) *profectus Alexander ad Gangem usque penetravit - - - quamobrem ad haec usque tempora in Barygazis antiquae drachmae reperiuntur Graecis sculptae literis cum insignibus Apollodoti et Menandri, qui post Alexandri obitum ibi rerum fuerunt potiti.* Menandrum paullo supra Bactrianae regem ex Strabone diximus, qui et in Indiam imperium extendit. Quare et ejus numi facile Barygazam pervenerunt, quae fuit urbs Indiae intra Gangem. Ex quo adeo loco exstitisse Bactrianorum monetam veterem Graecam manifeste tenemus, cujus partem efficiunt numi, quos continuo indicabimus.

In describendis regibus Graecis, quorum prodemus numos, operam levavit Theophilus Sigefr. Bayerus, qui *historiam regni Graecorum Bactriani* erudite conscripsit, quem plerumque in hoc tentamine sequemur. Adde, quae de ejus regni eversione ex monumentis Sinarum attulit cl. de Guignes [a]).

* * *

THEODOTVS pro Antiocho II. Bactrianae praefectus solicitatis ad defectionem colonis Graecis regnum sibi comparat. Factum istud ex sententia Bayeri aliquot annis ante, quam Parthi deficerent. Sed difficile est ἀκριβως definire verum defectionis annum. Fuit Theodotus originis incertae. Graecum fuisse ipsum nomen prodit. Successorem habuit Theodotum II.

Ejus numus nondum cognitus, saltem qui ejus certo sit.

* * *

EVTHYDEMVS.

Oriundus Magnesia. Sublato Theodoto II. regnum invasit. Antiochum M. primo hostem experitur, deinde amicum, ea lege, ut se Bactrianae regem agnosceret, quod factum ex Bayeri calculo circa annum V. C. 548. Filium illi fuisse Demetrium Polybius et Strabo prodidere, destinatum etiam Antiochi M. generum, verum an patri successerit, incertum.

Numus:

Caput regis diadematum. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΕΥΘΥΔΗΜΟΥ. *Hercules rupi insidens d. clavam sublimem effert alteri rupi juxta positae innixam, in area monogramma.* AV. III. (Pellerin Additions p. 95.)

Multis nominibus eximius est hic numus. Nam non modo metallum, et operis elegantia singulare illi pretium addunt, sed etiam quod hujus regis unicus est, quando jam rarissimi sunt numi omnes regum Bactrianae. Accedit et illud, hunc Euthydemi numum fuisse postremum, quem Pellerinius commen-

a) B. L. T. XXV. Mem. p. 17.

tario illustratum vulgavit jam fere centesimum aetatis annum agens, et oculorum usu destitutus. Non ergo poterat summus hic vir, quo nemo hactenus copiosius de re numismatica Graeca meritus est, majore cum gloria vetus suum studiorum curriculum finire.

Pars aversa Herculem sistit amicum Graecis Macedonibus per causas cognitas numen. Simili cultu, nisi quod abest rupes clavae fulcrum, propositus exstat in tetradrachmis, quae Antiocho II. Syro tribuimus. Et Hercules aliorsum in eo tractu cognitus, nam ipsam Indiam adivisse, tentata frustra Aorni obsidione, creditum. Vide Curtium [a]. Praeclare igitur secundum hunc, aliosque Bactrianorum numos dixit Plutarchus [b]: *δια δ' Αλεξανδρον τες Ελληνων θεες Βακτρα και Καυκασος προσεκυνησε. Per Alexandrum factum, ut Bactra et Caucasus Graecorum deos adorarent.*

* * *

MENANDER. Ejus magnum a justitia et rebus gestis apud Bactrianos nomen, pro cujus cineribus, velut Palladio, in certamen descenderunt civitates Bactrianae [c].

EVCRATIDES.

Incerto genere ortus. Multa bella magna virtute gerit, India etiam in potestatem redacta. A filio, quem regni consortem fecerat, occisus, traducto etiam per cadaver suum carpento indignum vitae exitum sortitus est. Haec Iustinus, qui eum Arsacis VI. aequalem facit [d]. Praestantis ejus viri memoriam conservarunt Eucratidea, urbs in Bactris ex conditoris nomine appellata, tum et insignes duo numi.

Bayerus filio quoque fuisse Eucratidis nomen conjecit. Quid illo deinceps factum, non liquet, et quae Bayerus commemorat, a solis conjecturis pendent.

Numi:

Caput regis juvenile galea diademata tectum. X. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΕΥΚΡΑΤΙΔΟΥ. *Dioscuri pileo astrifero tecti in citis equis d. hastam, s. palmae ramum, in area monogramma.* AR. m. m. (Pellerin Rois p. 129.)

Eucratidis numum similem jam ex museo imperatorio Petropolitano recitavit Bayerus in opere saepe memorato [e], differt tamen in nonnullis; nam primum dicitur adpendere nonnisi drachmam cum semisse ponderis Coloniensis; deinde vultus Eucratidis esse senilis [f], cum Pellerinianus perquam juvenilem sistat. Denique Bayerus in numi area vidit literas HP, quas esse aerae Bactrianae notam adserit, quam ipse ab anno V. C. 499. deducit. Verum judice Pellerinio, cum quo mihi facile convenit, ligatae hae literae HP aliud non sunt, quam monogramma, quale etiam in suo, etsi alterius formae, conspicitur. Parum igitur tuto aera Bactriana, nullo alio monumento comprobata, fallace hac nota nititur.

---

a) L. XI. c. 11. b) de fort. Alex. or. I. c) Plut. in praecept. reip. ger. p. 821.
d) L. XLI. c. 6. e) pag. 99. f) ibid. p. 94.

ADINNIGAVS *Corsino* MINNISARES.

Caput regis barbatum diadematum. Ⲭ -ΛΕΙΛ - - ΑΔΙΝΝΙΓΑ□ - ΣΩΤΗΙ□Σ. *Hercules nudus petrae insidens d. elata clavam, in imo annus* ΤΛΓ, *in area monogramma, nempe* Α *intra quadratum.* Pot. I.

A quibus vulgatus sit hic numus ādditio iconismo, et quorsum pertineat, dicetur mox infra.

MONNESES.

Caput regis barbatum diadematum. Ⲭ -ΛΕΙΛ - - - ΟΝΝΗΣ - - - ΩΤΗΡΟΣ. *Hercules nudus basi insidens d. elata clavam, infra annus* ΤΚΒ *vel forte* ΤΚΕ. AE. I.

Complector utrumque hunc numum, et Adinnigai, et Monnesis, quos contra atque aliis hactenus visum, Bactrianae regibus insero, quod antequam probare instituo, juvat aliorum de his numis judicia commemorare.

Cl. Eduardus Corsinus anno 1754 libellum edidit, cui titulus: *de Minnisari, aliorumque Armeniae regum numis, et Arsacidarum epocha dissertatio.* Agitur in hac de numo, quem priore loco proposui, sed vir eruditus pro certo ΑΔΙΝΝΙΓΑΟ. legit ΜΙΝΝΙΣΑΡ. Eum ergo applicat *Minnisari* Armeniae regi, cujus in Trajani rebus gestis meminit Dio, sed quem *Manisarum* appellat. Atque hac fiducia novum invexit aerae Parthicae principium ab anno V. C. 525, ex quo annum numi ΤΛΓ deducit. Vniversa haec causa cum minus probaretur Frölichio, eodem adhuc anno libellum opposuit inscriptum: *Dubia de Minnisari aliorumque Armeniae regum numis, et Arsacidarum epocha nuper vulgatis*, quibus clevare Corsini argumenta omni ingenii et eruditionis apparatu est aggressus. Non tamen victum se professus Corsinus causae suae suppetias iterum venit dissertatione altera Romae 1757 edita. Possum commemorandis iis, quae eruditi IIviri pro sua quisque causa attulerunt, abstinere, non tam quod instituti mei brevitas tam copiose disputata non recipit, quam quod omnis Corsini doctrina jam hoc uno disperit, quod numo inscriptum ΜΙΝΝΙΣΑΡ. praetendit, quando certum est, in eo legi ΑΔΙΝΝΙΓΑΟ., quam vocem non modo reperit Frölichius in fideli pictura ex ipso archetypo musei Stoschiani excepta, et sibi a Gorio Vindobonam missa, sed etiam Abbas Barthelemyus, qui singularem hunc numum olim musei Palatii, deinde Stoschii, regis sui thesauro intulit, et subinde aeri incisum eruditorum oculis subjecit [a]). Quare ultro collabuntur omnia, quae Corsinus tanto nisu de Minnisare in monetam recepto, et statuendo alio aerae Parthicae principio disputaverat. Denique ne quid praetermittam, quod ad Dionis Manisarum pertinet, video a Vaillantio ὡς ἐν παρόδῳ citari numum, et huic Manisaro Armeniae regulo tribui, in cujus adversa exhibetur: *Caput tiara ornatum*, in aversa: ΒΑϹΙΛΕΩΣ. ΑΒΑΙΣΣΑΡΟΥ. *typo aquilae* [b]).

Non minor in alterius numi examine contentio, et in legenda inscriptione

a) B. L. T. XXXII. p. 671. b) Imp. Arsacid. p. 306.

dissensus. Eum primus ex museo suo protulit Vaillantius [a]), qui epigraphen sic effert: ΒΑϹΙΛЄѠϹ. ΒΑϹΙΛЄѠΝ. ΜΟΝΝΗϹΟΥ. ϹѠΤΗΡΟϹ. ЄΠΙΦΑ-ΝΟΥϹ. cum anno ΥΚΒ. Deinde Monnesem hunc in regum Parthorum catalogum intrudit invitis numis Volagasis I. et II., ut diximus in Arsace XXVII. Eundem numum serius vidit Maffejus in museo ducis d'Estrées, sed qui sic inscriptum prodit: ΒΑϹΙΛΕΩϹ. ΜΟΝ-ΝΗϹΟΥ. ϹΩΤΗΡΟϹ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. cum anno ΥΚΕ. Ceterum ambiguus haeret, sitne rex Parthiae, an Bospori statuendus [b]). Cimelium istud in gazam tandem regiam translatum multo, quam antea factum, adcuratius edidit Barthelemyus [c]), et patuit nonnulla intrusa, quae in numo conspicua non sunt, ut Vaillantii ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, vel Maffeji ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, et ne quidem praetensum totum nomen ΜΟΝΝΗϹΟΥ legi, extremis utrinque literis evanidis. Neque illaesa est postrema epochae litera; unde factum, ut Vaillantius legeret ΥΚΒ, Maffejus ΥΚΕ. Barthelemyus in priorem lectionem propendet. Eodem hoc fatente numus hic varie lectus unus idemque est, non diversi. Quod cum ignoraret Pellerinius, binos dixit exstare Monnesis numos variantibus aerae annis insignes [d]).

Explorata religiose utriusque numi natura jam etiam, cujus sint patriae, inquirendum. Quod cum adcuratius expenderem, intellexi I., numos hos esse non posse regum Parthiae, ut visum Vaillantio, Pellerinio, et plerisque aliis, II. haud dubie esse regum Bactrianae putandos. En utriusque thematis rationes paucis expositas.

I. Non esse numos regum Parthiae, ipsi inscripti epochae anni comprobant. Etenim annus ΤΛΓ in numo Adinnigai ductus ab anno V. C. 443, quod principium aerae in numis Parthicis statuimus, incidit in annum V. C. 775, quo tempore in Parthia regnavere filii Phraatis IV. aliive, quorum omnium tenemus nomina. Annus ΥΚΒ in numo Monnesis incidit in annum V. C. 864, at tum regnasse Chosroem constat. Nullus ergo utrique locus in regum Parthorum serie relinquitur. Accedit, typum Herculis, aut titulum ΣΩΤΗΡΟΣ in nullo regis Parthi numo hactenus conspectum, quos constat certos suos, ac nusquam variatos habuisse typos.

II. Ajebam, esse numos regum Bactrianae. Vt facile erat evincere, numos hos non esse Parthicos, sic, quia Parthicam Graecorum monetam metallo, volumine, forma literarum, aliisque modis proxime imitantur, facile intelligimus etiam, signatos illos in provincia Parthorum imperio vicina, aut, si lubet, etiam obnoxia, atque vel unum istud a Bosporana illos moneta excludit, cui eos posse inseri, leviter suspicatus est Maffejus. Enimvero reperio, idem jam etiam visum insigni Barthelemyo in haec verba disserenti [e]): *Numi Adinnigai et Monnesis, quod eosdem typos et fabricam praeferunt, in eadem videntur regione signati, sed ob easdem causas differunt a regum Parthiae nu-*

---

a) l. c. p. 339. b) Galliae Antiq. p. 114. c) l. c. d) Suppl. III. p. 15. e) B. L. T. XXXII. p. 683.

mis. Erant in Armenia, Mesopotamia, et toto Parthorum imperio dynastiae plures, quorum principes suo nomine pecuniam signaverunt. Quare dubium non est, harum uni utrumque numum tribuendum. Coeptam a viro erudito telam perago. Esse numos regum Bactrianae, argumentum habeo unicum quidem, at illud, ut reor, solidum, ab ipso typo petitum. Sistit hic Herculem petrae insidentem, et d. clavam elatam tenentem, perinde atque typus in citato supra Euthydemi numo, quem fuisse Bactrianae regem certo constat. Vix verisimile videatur, si numi hi alterius essent regionis, monetarios sic anxie Herculem ad omnes Herculis Euthydemiani apices fuisse ficturos, et conspiraturos in typo, qui secundum omnes causas vix in aliis numis exstat. Confer, amabo, omnes tres, de quibus agimus, numos, et negabis interesse discrimen, nisi quod Euthydemi numus elegantis est operis, alteri, quod prolapsa jam arte percussi sunt, barbari. Admissa hac mea sententia reliqua omnia commode explicantur. Graeci in Bactriana positi, quorum quanta fuerit potentia, in prolegomenis ad Bactrianae regum numos diximus, eodem modo signavere pecuniam cum capite regis sui, quo Graecos in Parthia positos monetam cum regis Parthici capite signasse diximus. Vsi deinde sunt aera Seleucidarum ab anno V. C. 442, vel, ut aliis placet, aera Graecorum ab anno sequente ducta, perinde ac Graeci Parthici, nimirum aera, cum adhuc Seleucidis parerent, utrisque communi. Denique veterem etiam Herculis typum retinuerunt, sub hac nimirum imagine in Bactriana impensius culti.

Superest, ut occupem, quae novam hanc sententiam possunt in invidiam vocare. Testibus Iustino et Strabone Graecorum in Bactriana imperium eversum est primum a Parthis, deinde a Scythis Nomadibus. Testimonia haec collecta habes apud Bayerum [a]). Scytharum etiam in Bactrianam invasionem in monumentis Sinensium aut vidit, aut videre sibi visus est cl. de Guignes [b]). Non inficior. Verum si eversum est Graecorum in Bactriana imperium, non etiam eversi coloni Graeci, qui eam inde ab Alexandro M. copiosi incoluere. Enimvero quemadmodum everso a Parthis Graecorum Seleucidarum trans Euphratem imperio perrexerunt tamen Graeci legibus suis uti, numosque cum Parthici regis capite ferire constituerunt, sic horum exemplo idem a Graecis Bactrianis factum verisimile est. Quales fuerint hi Reges post Eucratidem, quem ex Graecis Bactrianae regibus postremum memorat historia, ignoramus. Dubitari nequit, inter perpetuos motus, et horribiles procellas, quibus haec Orientis pars prae aliis regionibus concussa est, praevalentibus jam his, jam illis, Bactrianam jam hos, jam illos dominos nactam, seu Parthos, seu Scythas, seu ex indigenis quempiam. Et forte Parthus fuerat memoratus in numo Monneses, nam istud nomen aliquoties in historia Parthica proditur. Et vero non temere adserimus, Bactrianam etiam post eversos

a) l. c. p. 96. b) B. L. Mem. T. XXV. p. 17.

reges Graecos regibus item paruisse. Ita enim lego in periplo maris Erythraei, qui a nonnullis Arriano tribuitur: *και τουτων ἐπ' ἀνω μαχιμωτατον ἐθνος Βακτριανων, ὑπο βασιλεα ἐσαν ἰδιον τοπον.* Vt certum est, Graecam hanc orationem esse luxatam, ita certum etiam, hanc ejus esse sententiam debere: *supra hos bellicosissima gens Bactrianorum, quae proprio regi est subjecta.* Ex his ergo, quae modo disputavi, illud unum tenemus, numos hos esse regum Bactrianorum, etsi quo genere fuerit aut Adinnigaus, aut Monneses, caliginosa nocte premat deus.

Addendus his omnino est numus alter quem proxime in museo Caesareo deposui:

Caput regis barbatum diadematum crinibus pone in glomerem compositis. ✠ *epigraphe ambigua, ut dicetur. Hercules sedens eodem omnino modo, quo in praecedentibus, in area monogramma.* AE. fere I.

Per causas, quas hactenus dedi, dubitari non potest, ejusdem eum esse regionis, cujus sunt numi laudati Adinnigai, et Monnesis. Si enim typum aversae spectes, eundem ad omnes apices cum illis puta, neque deest monogrammatis quoddam genus, etsi propter operis ruditatem satis informis, et eodem loco positi, quo illud in numo Adinnigai conspicitur. Dolendum, ab epigraphe ambigua nihil opis accedere. Ex utroque numi latere saltem unus scripturae versus est conspicuus, in imo segmento, quod in illis annum epochae continet, manifestae sunt literae OAO, sed quae epocham notare non possunt. Capitis cultus in parte adversa Parthicus plane est. Aut igitur eo tempore, quo signatus est hic numus Bactriani servivere Parthis, aut si malis Bactrianum regem statuere, is regis Parthi cultu fingi se voluit.

* * *

Edidit Swintonus numum (Phil. Trans. Vol. L. p. 175.):

- - - ΒΑCΙΛΕΩΝ. ΜΕΓΑC. ΜΟ - - -
Caput regis more Parthico tectum. ✠ *Epigraphe Parthica. Victoria gradiens.* AE. II.

Monnesis numum existimat auctor judicio plane incerto; nam in MO literam O dubiam ipse profitetur.

FINIS VOLVMINIS III.

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM.

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM

CONSCRIPTA

A

IOSEPHO ECKHEL

THESAVRO CAESAREO NVMORVM, GEMMARVMQVE VETERVM, ET REI ANTIQVARIAE IN VNIVERSITATE VINDOBONENSI DOCENDAE PRAEFECTO.

PARS I.

DE NVMIS VRBIVM, POPVLORVM, REGVM.

VOLVMEN IV.

CONTINENS

AEGYPTVM, ET REGIONES AFRICAE DEINCEPS IN OCCASVM SITAS,

OBSERVATA GENERALIA AD PARTEM I. HVIVS OPERIS,

ET

INDICES IN PARTEM I.

EDITIO SECVNDA.

VINDOBONAE

SVMPTIBVS FRIDERICI VOLKE

MDCCCXXVIII.

CONSPECTVS VOLVMINIS IV.

NVMI VRBIVM, POPVLORVM, REGVM.

Aegyptus . . . . Pag. 1
Numi Alexandrini . . . . — 26
Nomi Aegypti . . . . — 99
Marmarica . . . . — 116
Cyrenaica . . . . — 117
Syrtica . . . . — 130
Byzacene . . . . — 133
Zeugitana . . . . — 136
Numidia . . . . Pag. 152
Mauretania . . . . — 153
Numi populorum, urbiumque incertarum . . . . — 162
Numi regum incertorum . . . . . — 167
Numi barbarorum . . . . — 170
Plagia barbarorum numismatica . . — 176

OBSERVATA GENERALIA AD PARTEM I. HVIVS OPERIS.

CAP. I. De magistratibus et titulis honorificis . . . . Pag. 187
Sectio I. Magistratus domestici . — 188
§. I. De ordinibus civitatum . . — 189
§. II. De archontibus, praetoribus, scribis. . . . . — 192
§. III. De ephoris . . . . — 199
§. IV. De prytanibus . . . . — 200
§. V. De quaestoribus . . . . . — 202
§. VI. De pontificibus . . . . Pag. 203
§. VII. De Asiarcha . . . . . — 207
§. VIII. De stephanephoris . . — 212
§. IX. De panegyriarchis, agonothetis, gymnasiarchis . . — 214
§. X. De theologo . . . . . . — 217
§. XI. De hieromnemone. . . — 217
§. XII. De Amphictyonibus . . — 219
§. XIII. De curatoribus . . . — 220

§. XIV. De sophistis . . . . Pag. 221
Sectio II. Magistratus Romani . . — 224
§. I. De ordinibus Romanorum — 224
§. II. De consulibus . . . . . — 228
§. III. De proconsulibus, propraetoribus, legatis, praesidibus . . . . — 229
§. IV. De quaestoribus, proquaestoribus, quaestoribus procos., quaestoribus propr. . — 245
§. V. De procuratoribus . . . — 249
§. VI. De pontifice, VIIviro epulonum . . . . — 252
§. VII. De parentibus, patronis — 252
CAP. II. De Magistratu eponymo . — 255
CAP. III. De urbibus autonomis, liberis, immunibus . . . . . — 262
CAP. IV. De urbibus amicis et foederatis . . . . — 271
CAP. V. De urbibus metropolibus . — 273
CAP. VI. De urbibus primis . . . — 282
CAP. VII. De populis, et urbibus neocoris . . . . — 288
CAP. VIII. De urbibus sacris, et asyli jure gaudentibus . . . . — 306
CAP. IX. De urbibus navarchidibus — 309
CAP. X. De mentione situs, et magnitudinis . . . . — 310
§. I. A regionibus, populis, urbibus . . . . — 311
§. II. A montibus . . . . . — 312
§. III. A luco . . . . — 313
§. IV. Ab ἀνω et κατω . . . — 313
§. V. A mari . . . . Pag. 313
§. VI. A fluviis et fontibus . . — 313
§. VII. A magnitudine . . . — 320
CAP. XI. De urbium variis nominibus — 320
CAP. XII. De urbibus originem suam, aut communicatam cum aliis civitatem professis . . . — 323
CAP. XIII. De urbibus imperatorum nomina sibi addentibus . . . — 325
CAP. XIV. De reliquis urbium epithetis . . . . — 330
CAP. XV. De concordia . . . . — 331
§. I. Concordia generatim sumpta . . . . — 332
§. II. Concordia inter Augustos — 332
§. III. Concordia civitatum exterarum cum Romanis . . . — 332
§. IV. Concordia civitatum secum ipsis . . . . — 333
§. V. Concordia cum civitate una, vel pluribus . . . . . — 333
CAP. XVI. De adlusione ad urbis populive nomen . . . . — 341
CAP. XVII. De heroibus, heroidibus, conditoribus, personis illustribus . . . . — 342
CAP. XVIII. De numis cistophoris . — 352
§. I. Eorum catalogus . . . . — 352
§. II. Patria . . . . — 354
§. III. Typi . . . . — 356
§. IV. Inscripta magistratuum nomina . . . . — 359
§. V. Eorum origo, et aetas . . - 363

§. VI. Metallum, pondus, usus, copia . . . . Pag. 364
§. VII. Cistophori improprii . — 367
CAP. XIX. De numis inscriptis: ΑΝΕΘΗΚΕ . . . . — 368
CAP. XX. De characteribus chronologicis . . . . — 374
Sectio I. De epocha . . . . . — 375
Sectio II. De epochis urbium, populorum, regum monetae inscriptis, earumque initio . . — 377
Sectio III. De modo, quo anni in numis scribi consuevere . . . — 381
Sectio IV. De epochis in moneta vetere latius patentibus . . . — 395
§. I. Aera Seleucidarum . . . — 396
§. II. Aera Pompejana . . . — 399
§. III. Aera Caesariana . . . — 400
§. IV. Aera Actiaca . . . . — 401
Sectio V. De variis unius ejusdemque urbis epochis . . . . . — 402
Sectio VI. De epocha duplice in uno eodemque numo . . . . — 403
Sectio VII. De anni apud veteres initio . . . . — 404
Sectio VIII. De modo epocharum exordia eruendi . . . . — 405
Sectio IX. De annis principatus et magistratus . . . . — 411
Sectio X. De numis inscriptis: ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ . — 413
Sectio XI. De mensibus, et diebus . . . . — 420
CAP. XXI. De festis ac ludis . . . Pag. 421
§. I. Commune . . . . — 428
§. II. Catalogus festorum ludorumque . . . . — 432
CAP. XXII. De numis regum, principum etc. . . . . — 454
§. I. Catalogus regionum, et urbium, quae numos regum, principumve suorum nomine signaverunt . . . . — 455
§. II. De nominibus principum . — 457
§. III. De mentione dignitatis in numis principum . . . . . — 459
§. IV. De variis principum titulis epithetis . . . . — 460
§. V. De insignibus regum, et principum . . . . — 463
CAP. XXIII. De numis coloniarum . — 464
Sectio I. Catalogus coloniarum R. et municipiorum . . . . — 465
Sectio II. Quae coloniarum R. et municipiorum ratio . . . . . — 467
Sectio III. De inscriptionibus in numis coloniarum et municipiorum . . . . — 470
Sectio IV. De coloniarum et municipiorum nominibus epithetis . — 471
Sectio V. De magistratibus in his — 474
§. I. IIviri . . . . — 474
§. II. IIIviri quinquennales . . — 476
§. III. Praefecti IIviri et quinquennales . . . . — 477
§. IV. IIIIviri . . . . — 480

§. V. Aediles . . . . Pag. 481
§. VI. Decuriones . . . . . . — 482
§. VII. De conditione magistratuum municipalium . . . — 482
§. VIII. Caesares et reges IIviri . . . . — 487
Sectio VI. De typis in numis coloniarum, et municipiorum . . — 488
Sectio VII. De permissu signandae in coloniis monetae . . . — 497
Sectio VIII. De metallo in coloniarum numis . . . . . . Pag. 499
Sectio IX. Quando numi in coloniis feriri desierint . . . . . — 500
Sectio X. De numis heterogeneis in moneta coloniarum . . . — 500

* * *

INDICES IV. in universam partem I. . . . . — 503

A E G Y P T V S.

Primam Aegypti vetustissimae ac tot laudibus celebratae epocham ad nostrum institutum non pertinere, nemo est, qui non intelligat. A regibus tum suis gubernatam, quos Pharaones sacrae literae, scriptores Graeci privatis nominibus appellant, vix credam propria moneta usam. Novi, a Diodoro Siculo ad istud aevum referri legem latam adversum eos, qui monetam adulterarent [a]), sed vereor, ut leges omnes, quas ibi praedicat, apud veteres Aegyptios valuisse credibile sit, aut forte moneta ea fuit minus proprie talis, nimirum quae certo tantum nobilis metalli pondere constiterit. Sunt, qui in vetere ejus aevi Aegyptiorum moneta numerent tenuissima auri folia, quae saepe sub lingua cadaverum medicatorum (*mumias* hodie dicunt) reperiuntur. Sed neque haec in nostrum censum admittimus, quorsum nos illos tantum numos vocamus, qui impressa qualiacunque publicae auctoritatis signa continent. Verisimile igitur, ea adhuc aetate apud Aegyptios aurum argentumque non numeratum fuisse, sed appensum, perinde atque tum apud alias gentes fuit constitutum. Est haec communis nunc eruditorum sententia. At non ita visum ornatissimae viragini Massiliensi Barbier de Longpré, quae luculentum, ut putabat, Pharaonis numum, et quod sequitur, omnium, qui per orbem celebrantur, antiquissimum regi Borussorum dono miserat. Eum descriptum, et quod mirere, collaudatum vide in *Nouveaux Mémoires de Berlin* 1744. *hist. p.* 26. et in *Jour. encyclop. Octob.* 1776. *p.* 218.

Regibus indigenis successere reges Persae, ex quo Cambyses Aegyptum in potestatem suam redegit, et duravere, dum Alexander eversi regni Persici provincias omnes sibi subjiceret. Habuerintne Aegyptii Persis subjecti monetam, quam Aegyptiam proprie dicere possis, non satis constat. Dubium non est, communi tum Aegyptios cum Persis moneta, Daricis scilicet usos. Enimvero signatae in Aegypto intra hanc periodum

---

a) L. I. §. 78.

monetae unicum exemplum apud Herodotum reperio. Narrat is [a]), Aryandem, qui pro Cambyse Persa Aegypti res procurabat, ab hujus successore Dario neci datum propter adrogatum sibi monetae jus. Nam cum Darius ex auro purissimo numos flandos curasset, similes in Aegypto Aryandes, sed ex argento item purissimo feriit. Addit, sua quoque aetate argentum omnium purissimum esse Aryandicum. Polluci quoque argentum, quod perpurgatum est, dicitur Aryandicum [b]). Hoc tamen ipsum exemplum potius probat, quod dixeram, communem fuisse tum Aegyptiis Persisque monetam. Nam quod Aryandes tentaverat, contra leges factum.

Visum tamen eruditis nonnullis, Aegypto etiam sub Persis propriam pecuniam fuisse. Sane istud verisimile censet Pellerinius propterea, quod et Phoenices et Philistaei vicini, et iisdem Persis subjecti suam habuere monetam [c]). Verum ex numis, quos edidere, alii a severiore crisi verae suae patriae subinde sunt restituti, alii dubium adhuc relinquunt, sintne revera moneta Aegyptia, aut saltem ejus certum criterium non praebent. Ita Winckelmannus Aegyptium numum dixit [d]), quem esse Crotonis verius judicavit Pellerinius [e]). Idem Pellerinius numum remotae antiquitatis edidit [f]):

Bos gibbosus jacens, cujus tergum operimento tectum est, inter ejus cornua lunae discus. ✕ *Eques d. hastam, cujus caput pileo tegitur, circum literae peregrinae.* AR. II.

Vir eruditus typo anticae Apin agnoscit Aegyptiis deum familiarem, et cum numus praeterea ex Aegypto sibi adlatus esset, non dubitat eum Aegypto tribuendum. Non magnopere repugnavero. Sed quod addit, credibile esse, typo equitis exhiberi Aryandem Aegypti praefectum sub Dario postremo Persiae rege, (corrige, sub Dario Hystaspis,) minus credo eruditis probabitur. Narrat Herodotus, ut paullo supra docui, Aryandem eodem modo signasse numos, quo Darium, nisi quod hujus essent aurei, illius argentei: ἀργύριον τ'ωὖτο τȣτο ἐποίεε (νομισμα). At numorum aureorum Darii, nempe Daricorum, longe alius est typus, ut in Persica moneta diximus, neque unquam Apin homo Persa monetae intulisset, Aegyptiorum superstitione Persis exosa. Ergo saltem, quantum ex Herodoti verbis colligi potest, Aryandis hic numus esse nequit.

Mortuo Alexandro M. cum Ptolemaeus regnum Aegypti sibi posteritatique adsereret, tum vero copiosi in Aegypto numi regio nomine feriri coepti, sed defecerunt victa ad Actium Cleopatra, et Aegypto in potestatem Romanorum redacta. Exin illustrem Augustorum Augustarumque seriem numismaticam Aegypto debemus, cujus nos merita suo loco adfatim praedicabimus. In hac singularem classem constituunt numismata illa, quae imperantibus Trajano, Hadriano, Antonino, Aurelio cum horum capite et inscriptis Aegypti nomis magno numero signata sunt.

---

a) L. IV. c. 166. b) L. III. c. XI. §. 87. et L. VII. c. XXIII. §. 98. c) Rec. III. p. 1. d) Hist. art. p. 68. edit. Dresd. e) Rec. I. p. 46. f) Additions p. 15.

Dempta hac nomorum moneta certos alios urbium Aegyptiarum numos, sed autonomos, seu cum imperatorum capite non habemus, et qui hactenus hujus generis prolati sunt, de horum aut fide aut vera lectione jure dubitatur. Vnde colligimus, urbibus ejus regionis permissum non fuisse propriae monetae usum. Pellerinius binos solum numos vulgavit, quos in Aegypti urbibus signatos credidit [a]), unum inscriptum ΘΕΟΥ. ΠΑΝΟΣ., quem Panopolin revocavit, alium typo Apis, et Ibidis. De priore agam in numis nomi Panopolitae, de altero in numis Apis, et Batrachi-Marmaricae urbium. Aegypti monetae accensetur etiam sequens:

ΣΩΤΗΡΑ. (sic) *Caput muliebre turgente supra frontem diademate, pone urceus et* Β. Δ. ⳨ ΚΑΛΛΗ. ΤΥΧΗ. ΑΙΓΗΠΤΟΥ. (sic) *Mulier stans d. gubernaculum, s. cornucopiae.* AR. I. (Theupoli p. 1209.) AE. II. (Haym T. II. p. m. 100. Muselli T. I. Pembrock P. II. tab. 16.)

Cum, ut dixeram, autonomis careat Aegyptus, verisimile videtur, capite anticae Augustarum aliquam proponi, eamque honoris causa dici ΣΩΤΗΡΑ. Ceterum mira in utraque facie scribendi lex, in antica ΣΩΤΗΡΑ pro ΣΩΤΕΙΡΑ vel ΣΩΤΙΡΑ, in postica ΑΙΓΗΠΤΟΥ pro ΑΙΓΥΠΤΟΥ, quae bina peccata facile persuadere possent, numos similes ab adulteratoris officina prodiisse, nisi Haymii auctoritas eos suffragio suo adprobantis intercederet. Vidi serius eundem numum argenteum pondere tetradrachmum, sed qui aperta νοθειας indicia prae se tulit. Aeneus similis, sed idem manifeste spurius exstat etiam in museo Caesareo. Arbitretur lector.

His praelibatis universam Aegypti monetam in tres classes tribuimus, quarum I. aget de numis regum, II. de numis Augustorum, dictis Alexandrinis, III. de numis nomorum Aegypti.

a) Rec. III. p. 3.

NVMORVM AEGYPTIORVM

CLASSIS I.

DE NVMIS REGVM.

Horum numi incipiunt ab auctore regni Ptolemaeo Lagi F, et desinunt cum Cleopatra postrema Aegypti regina, suntque illustres in omni metallo. Rarissimi aurei, rari argentei, obvii aenei.

Regum Ptolemaeorum historiam ac numos conscripsit celeberrimus Vaillantius in opere: *Historia Ptolemaeorum Aegypti regum ad fidem numismatum accommodata. Amstelaedami* 1701. *in folio.* Ad historiam quod attinet, ex fontibus quidem ipsis adcurate eam collegit, sed sermone illam Latino tam hiulco ac barbaro, adeo scatente mendis cum suis, tum typographicis propinavit, ut ex ejus oratione sensum saepe sanum non queas elicere. Negligentiae vero summae passim in hoc opere luculenta habes specimina, ut cum in canone chronologico Epiphanem constanter appellat, qui Evergetes est, et cum Cleopatrae postremae historiam sic finit [a]): *Romani diem, quo capta fuit Alexandria* - - - Seriem numismatum si spectemus, potuit sane vir illustris dignum aliquid hoc in opere praestare, qui et vetus erat in hac palaestra pugil, et gloriari ipse jure potuit, *plures se possidere regum Aegypti numos, quam sint in universis totius Europae cimeliis* [b]). Verum idem ab eo hoc in opere fuit hic peccatum, quod et in ejus historia regum Parthorum. Nimirum cum singulorum regum vellet repraesentare numos, maleque consultum suo putaret operi, si vel in uno hiatum proderet, necesse non raro fuit niti conjecturis, sed saepe inanibus, quarum fallaciam ex ipsis his commentariis facile perspicies. Enimvero illud in regum Aegypti numis multo est molestissimum, quod magna eorum est copia, quos nulla certa ratione, etiam cum regis effigiem habent propositam, suis possis regibus tribuere me quidem judice, quod tamen judicium aliis multo fuisse proclivius video, sed quam facultatem hactenus a me impetrare non potui. Sunt in museo Caesareo horum regum tetradrachma omnino XXVI., sed quae inter sunt XIII., quibus verisimili quapiam conjectura hactenus dare nomen non potui. In causa est, quod reges Aegypti omnes dicti sunt Ptolemaei, et non nisi

a) pag. 187. b) in praefat.

raro in numis addatur cognomen honorificum, quibus eorum nonnulli fuere insignes. Quod quidem silentium non in numis modo, sed et veteribus historicis culpandum, qui, cum Ptolemaeorum mentionem faciunt, raro quotus fuerit, adjiciunt, incertosque nos in tanto eorum numero relinquunt. Quae quidem negligentia nonnunquam et veteribus stomachum movit. Sic cum Aelianus induceret Aegyptios aliquid de Ptolemaeo narrantes, addit: *ὁποστος δὲ ἦν ἔτος, ἐκείνους ἔρεσθε*, *quotus autem hic fuerit, ipsos interrogate* [a]). Ceterum in factis historicis, quae ennarrabo, Vaillantium plerumque secutus sum. Quare necesse visum non est indicare fontes. Numos Vaillantio ignotos, ut et recentiorum eruditorum observata locis suis inserere non neglexi.

PTOLEMAEVS I. SOTER.

Lagi Macedonis et Arsinoes filius, et Herculis abnepos, si fides Theocrito [b]), alii Philippi II. regis filium dixere, alii obscurae originis secundum amarum grammatici cujusdam responsum apud Plutarchum [c]). Vide eruditos criticos ad Curtii L. IX. cap. 8. Iam a praeclara in Philippum II. fide cognitus, mox ab Alexandro inter duces adlectus, in bellis omnibus cum virtute, tum comitate egregiam regi navavit operam. Mortuo Alexandro M. in celebri provinciarum inter duces partitione V. C. 431. A. X. 323. Aegyptum pro Philippo Aridaeo administrandam abstulit. In suam profectus provinciam non multo post Cyrenaicam quoque sibi subjicit, et Alexandri M. corpus magnifico apparatu accipit, dignumque tanti regis cineribus hospitium magnis sumptibus Alexandriae instruit. Perdiccam, qui Alexandriam invaserat, cum clade rejicit a suis mox interemptum, subinde Phoeniciam, Coelesyriam, Iudaeam occupat. Inita cum Seleuco, Lysimacho, Cassandro adversus Antigonum armorum societate Demetrium Antigoni F. ad Gazam Palaestinae vincit, et Seleuco ad praeripiendam Babyloniam intento auxilia ministrat. Verum ab eodem Demetrio V. C. 448. famigerata ad Citium Cypri navali pugna vincitur. Antigono post hanc victoriam diadema regium sumere auso ipse quoque Ptolemaeus diadema sumit. Sociis belli Lysimacho et Seleuco Antigonum V. C. 453. ad Ipsum Phrygiae internecione delet. Defectus viribus praeterito Ptolemaeo Cerauno, quem sibi uxor prima Eurydice peperit, alterum ex Berenice natum regem appellat, ipse anno post V. C. 470. A. X. 284. moritur, annos natus LXXXIV [d]). regni anno XL. aliis XXXIX., a laude bellica, prudentia, moderatione, et constituto regno novo immortalem gloriam consecutus.

Illustriores proles fuere ex *Eurydice* Antipatri F. *Ptolemaeus Ceraunus* a patre, ut dixi, praeteritus, subinde perfidus Seleuci percussor, et Macedoniae rex. Ex *Berenice*, de cujus genere infra in ejus numis, *Ptolemaeum II.* et *Arsinoen* Lysimacho Thraciae regi nuptam, subinde fratris Ptolemaei II. uxorem. Sed Berenice jam ex priore ma-

a) Nat. anim. L. VIII. c. 4. b) Idyll. XVII. c) de ira cohib. d) Lucian. in Macrob

rito Philippo quodam liberos habuit *Magam*, de quo in numis Ptolemaei II., tum *Antigonen* Pyrrho Epiri regi, et *Theogonen* Agathocli Syracusano nuptas [a]).

Numi:

Caput regis diadematum. ✕ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *Aquila insistens fulmini, per aream monogrammata varia, ut:* ΤΥΡ. *addita clava,* ΜΙ. *aliaque, vel initia vocabulorum, ut:* ΕΥ. ΠΗ. *etc. vel literae solitariae.* AV. I. (Pellerin, Pembrock.) AV. IV. (Mus. Caes.) AR. I. obvii.

Caput regis diadematum. ✕ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *Iuppiter d. fulmen, s. clypeum in quadrigis elephantorum, inferne literae dubiae.* AV. II. (Liebe Goth. num. p. 9.)

Caput regis diadematum. ✕ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Aquila fulmini insistens, in area anni:* Λ. ΛΑ. ΛΒ. ΛΓ. ΛΔ. ΛΕ. Λϛ. *tum monogrammata varia et literae.* AR. I. (Pellerin, Mus. Caes. Pembrock, Theupoli.)

Numos inscriptos ΘΕΩΝ. ΑΔΕΛΦΩΝ. vide in moneta Ptolemaei II.

Soterem inter Ptolemaeos omnes facillime discernas. Frons illi ampla et ossea, mentum projectum, aetas in senium vergens. Etiam *Soteris* titulus, de quo infra, discrimen juvat. Pars aversa, ut in plerisque regum Lagidarum numis, aquilam fulmini insistentem offert. Hujus typi varias causas, sed arcessitas adfert Vaillantius [b]), tum Begerus [c]). Existimo, lectum hunc a Sotere typum ob majorem suum in Iovem adfectum, cujus attributa sunt aquila et fulmen. Sic placitus Seleucidis Apollo, Lysimacho et Philetaeris Pallas etc. Observandi Iovis Ptolemaeis etiam insignior causa, quod Iovem Ammonem in potestate sua habuere. Et hunc sibi signanda aquila fuisse propositum, comprobant Ptolemaeorum numi aenei, in quorum antica obvium caput Iovis Ammonis. Typus numi Gothani a communi hujus monetae lege prorsus abludit. Tamen et numus coaevi Seleuci I. adfine exemplum offert, illata Pallade, quae vetus fuit Macedonum numen, elephantorum quadrigis vecta. Soter Iovem suum maluit, etsi causam non teneamus, cur elephantos currui junxerit. Eundem hunc numum possedit etiam Pellerinius, sed qui eum maluit tribuere Ptolemaeo III. [d]). Res omnino dubia.

ΣΩΤΗΡΟΣ, quo Ptolemaeum Lagi F. nomine compellant numi et scriptores passim. Quod nomen cum ita magnum dixisset Cicero, ut Latino uno verbo exprimi non possit, sic deinde pergit: *is est nimirum SOTER, qui salutem dedit* [e]). Salutatum eum hoc nomine a Rhodiis, adfirmat Pausanias [f]). Collatum in eos beneficium, et adeo causam collati tituli ex Diodoro habemus, nimirum quod eos a Demetrio obsidione pressos cum hoste conciliavit [g]). Alii alias ejus nominis causas, sed infirmas adferunt, quas vide apud Spanhemium [h]). Dictus etiam est ΘΕΟΣ

a) Reinecc. in regib. Cyren. b) p. 24. c) Thes. Br. T. I. p. 261. d) Rois p. 42. e) in Verr. L. II. c. 63. f) L. I. c. 8. g) L. XX. c. 99. h) Tom. I. p. 415.

testibus numis mox citatis, sed quos in filio Philadelpho explicabimus.

Annos regni exhibent numi ultimo loco positi, ad quos bina juvat observare, primum, tantum iis Ptolemaei nostri numis regni annos inscribi, in quibus ΣΩΤΗΡΟΣ titulus inscriptus legitur, deinde, quando titulus hic adest, extrudi alterum ΒΑΣΙΛΕΩΣ, tanquam nimirum dignitas regia commemoratis regni annis satis esset indicata.

De literis ΕΤ. ΠΗ. etc. aliisque notis, quae per aream numorum hujus Ptolemaei, et sequentium vagantur, agemus infra post omnes regum numos.

* * *

Caput regis diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Caput reginae diadematum pendentibus retro cincinnis, infra literae variae dubiae.* AE. fere II. et III. (Mus. Caes.)

Numos similes Soteri tribuit Vaillantius, eumque secuti alii. Iidem caput aversae esse Berenices, quae fuit altera Soteris uxor, adfirmant. Verum certi Berenices numi, quos mox recitabimus, diversa oris lineamenta, diversum capitis cultum sistunt. In numis Magae Cyrenes regis probare contendam, in numis similibus exhiberi potius caput Philadelphi, eosque a Maga signatos.

AV. RR. AR. RR. AE. R.

BERENICE SOTERIS.

Si fides scholiastae Theocriti [a]) fuit Soteris et soror et conjux, cum quo videtur sentire Herodianus, qui Ptolemaeum Alexandri successorem sororiis amoribus fuisse implicatum dixit [b]). Teste Pausania [c]) primis nuptiis juncta fuit Philippo cuipiam Macedoni, sed ignobili et plebeio, ex quo liberos quoque habuit, quos memoravimus supra in uxoribus Soteris. Ceterum vocabulum Βερενικη vel Βερονικη est pro Φερονικη, scilicet Macedonum more, qui litera B pro Φ usi sunt, ut diserte Plutarchus [d]).

Numi:

ΘΕΩΝ. *Capita jugata Soteris et Berenices etc.*

De his numis mox agetur in Ptolemaeo II.

* * *

Caput reginae diadematum. ✕ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ. *Clava, in area monogramma et flos loti, omnia intra lauream.* AR. II. In alio: *Eadem epigraphe. Remus, in area monogramma* ΜΑΓ. *omnia intra lauream.* AE. II. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Numos hos esse hujus Berenices, Pellerinius colligit primum eo, quod vultus in his simillimus est illi, qui est in aureis inscriptis ΘΕΩΝ, de quibus mox; deinde ex monogrammate ΜΑΓ., quo indicari Magam Berenices ex priore toro filium, in proximis Ptolemaei II. numis docebimus.

AR. et AE. RRR.

a) Idyll. XVII. v. 34. b) in Commodo. c) L. I. c. 7. d) Quaest. Graeca 9.

PTOLEMAEVS II. PHILADELPHVS.

Soteris et Berenices F. Eum pater adhuc vivus Aegypti regem dixit posthabito Ptolemaeo Ceranno, quem ex priore uxore Eurydice sustulit. Cyrenen seditione Magae fratris uterini, de quo agam mox in numis, ab Aegypto avulsam, eo defuncto recipit. Romanorum ejecto Italia Pyrrho virtutem admiratus cum his amicitiam jungit. Moritur V. C. 507. A. X. 247. anno regni XXXVIII. Alii mortem longius differunt. In hoc principe maxime enituit incredibilis literarum amor, et abstrusa quaeque noscendi intelligendique cupiditas. Hac ille impulsus eruditos omnes magnis propositis praemiis ad se evocavit, monumenta vetustatis omnia, et doctorum commentarios ubicunque reconditos missis, qui investigarent, conquisivit, amplissimam Alexandriae bibliothecam instruxit, ut plantarum, lapidum, animalium indolem, et quaevis naturae arcana penitius nosceret, classes per sinum Arabicum dimisit, et elephantorum venationes primus in Aegypto instituit. Inter viros doctrina illustres, quos secum habuit Philadelphus, magnum nomen adepti sunt, qui Pleiades a numero septenario dicti sunt, quanquam in hoc sapientum collegio saepe plus valuere pravi ingenii abortus, quam prioris aevi sana veraque doctrina.

Vxores habuit *Arsinoen* Lysimachi Thracis filiam, ex qua illustriores nati Ptolemaeus III. et Berenice. Illa repudiata duxit *Arsinoen* alteram ejusdem Lysimachi viduam, suamque sororem, de qua infra in ejus numo.

Numi:

ΘΕΩΝ. *Capita jugata Soteris diadematum et Berenices.* ✠ ΑΔΕΛΦΩΝ. *Capita jugata Philadelphi diadematum genis modica barba vestitis, et Arsinoes, pone clypeolus.* AV. m. m. II. et III. (Mus. Caes.)

Sine epigraphe. Capita eadem Soteris et Berenices. ✠ ΘΕΩΝ. ΑΔΕΛΦΩΝ. *Capita eadem Philadelphi et Arsinoes.* AV. m. m. (Vaillant. p. 52.)

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila fulmini insistens, in area anni:* L. Mϛ. (Mus. Caas.) L. MH. (Pellerin Additions p. 83.) L. MΘ. (Vaill.) L. N. (Haym.) L. NB. (Pellerin l. c. p. 80.) L. NΔ. (Catal. raisonn. p. 9.) L. Nϛ. (Pellerin l. c. p. 79.) *in area* KI. ΠΑ. Δ. *etc.* AR. I.

Caput Iovis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila insistens fulmini, in area:* L. MA. *et flos loti.* AE. II. (Theupoli.)

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila fulmini insistens, in area:* L. A. B. Δ. Z. IA. IΘ. K. etc. Λ. ΛΘ. AR. I.

Prioris generis aureos pridem illustravit Spanhemius [a]). Caput virile partis anticae esse Ptolemaei Soteris, ipsa lineamenta dictant. Iunctum ergo mulieris caput est uxoris Berenices. Vtrique capiti applicatur epigraphe ΘΕΩΝ, quam tuetur illustre monumen-

a) Tom. I. p. 422.

tum Adulitanum, in quo legitur: Βασιλευς Μεγας Πτολεμαιος (Ptolemaeus III. Evergetes) Υιος Βασιλεως Πτολεμαιυ (Ptolemaei II. Philadelphi) Και Βασιλισσης Αρσινοης ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ, Των Βασιλεων Πτολεμαιυ (Ptolemaei I. Soteris) Και Βασιλισσης Βερενικης ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ ἀπογονος a). Quo loco videmus sane, Soterem et Berenicen communi *deorum* nomine honorari. Eodem modo Sostratus Cnidius exstructae Soteris jussu in insula Pharo turri teste Strabone inscripsit: ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡΣΙΝ. nempe Ptolemaeo Soteri et Berenice, et utrumque consecratum canit Theocritus b). Pars aversa sistit caput Philadelphi juncto capite conjugis et sororis Arsinoes, quae ipsa causa fuit additi juxta vocabuli ΑΔΕΛΦΩΝ, fratrem una et sororem notantis. Observandum denique, aureos hos numos esse trium formarum, sic ut alii sint maximae, seu I. formae, alii II., alii III. formae. Habet museum Caesareum singulos I. et III. formae, alterius inspiciendum mihi dedit Christophorus Wiesioloski nobilis Polonus, veterisque monetae impense studiosus. Eorum pondus cum ad bilancem explorarem, reperi, eos, qui sunt I. formae, aureos Hungaricos VIII., qui II., aureos IV., qui III., aureos II. planissime exaequare, quod causa adcurati apud veteres in auro ponderis monendum duxi. Simile aliud religionis in auro monetariae exemplum dabo in numis consularibus aureis inscriptis ROMA, quorum alii habent notam LX., alii XXXX., alii XX.

Numus alter utrumque vocabulum ΘΕΩΝ. ΑΔΕΛΦΩΝ Philadelphi et Arsinoes capitibus adstituit. Quoniam Vaillantio verisimile visum non est, Philadelphum, cum in vivis adhuc esset, dictum *deum*, existimat, non hunc modo numum, sed praecedentes quoque cetera simillimos, signatos esse a Ptolemaeo III. Evergete, tam patris matrisque, quam avi aviaeque charam memoriam in illustribus his tam metallo, quam pondere numis conservari cupiente, quam ego conjecturam quo aut confirmem, aut evertam, non habeo.

Numi argentei tertio, tum et aeneus quarto loco citati auctiores offerunt annos, quam ut regno cujuspiam e Ptolemaeis possint accommodari. Sanxit ergo Vaillantius, Philadelphum initio regni continuasse annos patris Soteris, ut adeo hic numerandi modus veram habuerit epochae naturam; serius eundem sui annos regni numis inscribere coepisse. Sententiae hujus pars prior propter allatam causam vix videtur posse in dubium vocari, ejusque instituti alterum exemplum praebet eadem Aegyptus, cum videamus in numis Commodi, quos Alexandrinos dicimus, patris M. Aurelii annos continuatos. Tamen illi Pellerinius graves opposuit difficultates, quibus commemorandis necesse duco longius inhaerere, quo pateat, quibus laqueis regum Aegypti res numismatica impediatur.

Profert Pellerinius binos Philadelphi numos cum annis ΝΒ. et Νϛ. et facie jam in senium vergente c). At enim

a) Chishul Ant. Asiat. p. 76. b) Idyll. XVII. c) Additions p. 79.

Philadelphus, quem Vaillantius anno Lagidarum XV. natum adserit, non potuit anno ejusdem aerae NB. seu LII., quo aetatis annum XXXVIII. egerat, senili vultu proponi. Enumerat deinde numos alios Philadelphi, in quibus sunt numeri minuti Δ, E, ϛ, etc. scilicet annorum regni, quales postremo loco descripsimus, et facies regis apparet juvenilis, etsi horum numorum eadem aut non multum dispar sit aetas, quam sit illorum, in quibus numeri sunt auctiores; nam numus cum anno MΘ., qui est aerae Lagidarum, ejusdem est aetatis cum numo, in quo legitur IA, seu annus regni Philadelphi XI. At vero hos quoque numos cum annis minutis esse Philadelphi, ipse confidenter adserit. Audi eum sua lingua loquentem [a]: *L'on ne pourra pas dire, que ces médailles avec des basses dates ne sont pas de ce Roi: elles sont incontestablement de lui, et il seroit impossible de s'y méprendre. Les deux premiers Ptolemées sont aisés à reconnoître entre tous les autres etc.* Ergo, prosequitur, si veram putabis Vaillantii doctrinam, numeros ampliores esse annos continuatae aerae Lagidarum, duo inde sequentur absurda, in numis uno eodemque tempore signatis Philadelphum jam juvenem, jam senem proponi, deinde eodem illum tempore et aera Lagidarum et annis regni in numis usum. Hos ille nodos sibi inextricabiles dum eruditis proponit, non inficiatur tamen, utrosque tam cum numeris auctis, quam minutis numos ad Philadelphum pertinere.

Quid igitur in hoc ancipiti deprehensis consilii? Quae mea sit sententia, paucis expediam. Quantumcunque fastidiat vir praestans, tamen, ut dixi, confiteri cogitur, utriusque generis numos esse Philadelphi. At variant lineamenta in ejusdem aetatis numis. Esto: an non variant eadem in aliorum extra Aegyptum regum numis? Si haec in regum numis tam certum sunt criterium, cur ipse in definiendis Seleucidarum numis, ut vidimus, tam est inconstans? Ait, in numis suis, qui pinguiores annos exhibent, vultum esse magis senilem, quam pro Philadelphi aetate. Contra, est in museo Caesareo ejus regis numus cum anno Mϛ. et vultu sic juvenili, qui facile decere potest virum annos XXXII. natum. Quod si vario hoc vultus modo usque adeo movetur Pellerinius, conferat quaeso faciem Philadelphi in numis aureis, quos primo loco descripsi, cum ejusdem facie in numis praesentibus, et multo diversissima in utrisque oris lineamenta deprehendet; et tamen caput in aureis his numis, juxta quod scriptum ΑΔΕΛΦΩΝ, esse Philadelphi, neque ipse negaverit. Ex quo rursum arguere licet, non tam proclive esse numorum Philadelphi criterium, quam virum eruditum palam adseruisse mox vidimus, cum vultus in numis iis ipsis, quos ex aliis causis satis constat ejus esse regis, tantopere abludant. Eadem difficultas, quod nunc opportune monere visum, magis adhuc in discernendis sequentium Ptolemaeorum numis ingravescit, sic ut in disponendis compluribus eorum te-

a) l. c. p. 82.

tradrachmis, quae sunt in museo Caesareo, exitum nondum repererim, cogererque, ea hactenus in Ptolemaeorum incertorum catalogum conjicere. Neque enim temere lubet sequi auctoritatem aut Vaillantii, aut alterius cujuscunque, quae certa ratione non nititur. Ad praesentis argumenti numos ut redeam, quando certae aliae causae praesto sunt, quae numum Philadelpho tribuendum evincunt, parum nos moveri patiamur dissonis oris, aetatisque lineamentis, cujus causa varietatis in diversos artifices ad rem monetariam adhibitos videtur rejicienda.

Superest difficultas altera, quam adhibiti uno eodemque tempore, ut apparet, tam aerae Lagidarum, quam regni anni objiciunt. Istud si verum est, et nisi forte numi ii, in quibus minuti sunt anni, alterius potius sunt Ptolemaei, quanquam confidenter illos Philadelpho tribuit Pellerinius, ejus ego explicandi aliam viam non reperio, quam placuisse monetariis aliis, prorogare coeptos a Sotere annos, aliis annos a Philadelphi regno ordiri, atque aliquanto tempore utramque illis rationem permissam. Praeclare hanc conjecturam confirmant numi Commodi apud eandem Alexandriam signati, in quorum aliis continuantur anni patris M. Aurelii, in aliis anni minuti a solius Commodi imperio ducti. Si utrumque in Commodo obtinuit, cur absurdum dicetur in Philadelpho? Quanquam et hanc sententiam turbant anni conjugis Arsinoes numis inscripti, de quibus infra, ut magis pateat, exitum ex hoc labyrintho esse desperatum.

Ex omnibus Ptolemaei II. numis abest titulus ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ., eum tamen sistit numus uxoris Arsinoes, de quo infra.

* * *

Caput regis diadematum. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila fulmini insistens.* In aliis: *Fulmen solum, utrobique in area monogramma* ΜΑΓ. AE. II. (Pellerin, Mus. Caes.)

Caput diadematum. X ΒΑΣΙ. ΠΤΟΛΕ. *Dimidius equus marinus, infra monogramma* ΜΑΓ. *et pagurus.* In alio: *Navis dimidia, et idem monogramma.* AE. III. (Pellerin.)

Hos numos Pellerinius Ptolemaeo II. propter monogramma ΜΑΓ. tribuere non dubitat, quo indicari *Magam* existimat. Fuit Magas filius Berenices ex priore toro, ut diximus in uxoribus Soteris, atque adeo frater uterinus Philadelphi, et a Sotere favente matre regendae Cyrenaicae praefectus. Reliqua, quae ad hunc Magam pertinent, vide in numis regum Cyrenes. Ergo, quos hoc loco recitavi, numi signati sunt tum, cum Magas Philadelphi nomine Cyrenaicam regeret. Eruditi varii cum ad monogramma istud animum non adverterent, numum cum typo fulminis largiti sunt Ptolemaeo Ceranno Soteris ex prima uxore filio, serius per Seleuci I. caedem Macedoniae regi, nimirum fulmine ad Cerauni cognomen adludente.

AV. RR. AR. R. AE. RRRR. Magae RR.

ARSINOE PHILADELPHI.

Caput reginae diadematum velatum imminente flore loti, pone A *vel* Θ *vel* K *vel* Λ. ☧ ΑΡΣΙΝΟΗΣ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. *Duplex cornucopiae colligatum.* AV. m. m. (Mus. Caes. Pellerin.) *In aliis adduntur anni:* L. B. *vel* ϛ. AV. m. m. (Mus. M. Ducis.) L. ΛΓ. AV. m. m. (Hard. in not. ad Plin. T. II. p. 736.)

Illustres hi numi aurei certam sistunt Philadelphi uxorem; sed cum, ut diximus, binas habuerit hoc nomine conjuges, primam Arsinoen Lysimachi F., et hac repudiata Arsinoen alteram sororem suam eodem patre ac matre natam, Lysimachi viduam, variarunt eruditorum sententiae, aliis priorem, posteriorem aliis in hoc numo agnoscentibus. Hodie tamen antiquarii in Arsinoe II. fere acquiescunt, et verisimile istud propter incredibilem et cognitum Philadelphi in sororem adfectum, quae causa fuit, cur *Philadelphus* et passim appellaretur, et in numis praesentibus scriberetur. Literas solitarias partis anticae Vaillantius more suo ἀρχαιὰσας urbium facit, in quibus signati sunt, quam sententiam jure fastidit Pellerinius, additque, videri illis indicari annos regni Philadelphi. Verum quo pacto A notare potest annum I. Philadelphi in numo Arsinoes alterius, quae primo hoc Philadelphi anno, et aliquot consequentibus adhuc Lysimacho nupta fuit? Quidquid erit, istud certum, annos regni indicari in numis, quorum postremo loco memini, propter praefixum L., et habere nos adeo annos B. ϛ. et ΛΓ. At enim ad quod principium referendi sunt anni minuti B et ϛ? An ad regnum mariti Philadelphi? Verum anno II. ejus regnantis fuit Arsinoe adhuc uxor Lysimachi. Ab his adeo numis ingravescit difficultas, qua supra dixi laborare calculum annorum Philadelphi numis inscriptorum. Vide, quae de hoc argumento plura disserui in meis numis veteribus pag. 290., quo loco numos Arsinoes ex museo Mediceo stiti.

Numi hi Ptolemaeo II. titulum ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ jam ex historicis cognitum palam impertiunt. Nescio, quis malus genius adstiterit Vaillantio, cum scripserat, Ptolemaeum nomen Philadelphi sumpsisse, quod cum fratre Ptolemaeo Cerauno in gratiam rediverat [a]). Praeterquam quod nulla nixus veterum auctoritate istud adserit, an verisimile, Ptolemaeum II. causa fratris Cerauni, quem, etsi forte simulate amicum, tamen quod a paterno Aegypti regno sibi jure debito exclusus fuerat, inimicum sibi ἄσπονδον sperare debuit, Philadelphum se voluisse appellare, ut taceam Ceraunum propter nefariam caedem Seleuci, et liberorum Lysimachi publica infamia notatum, et paullo post ab irruentibus in Macedoniam Gallis jugulatum? Quo vero animo Arsinoe Philadelphi titulum ab amore in fratrem Ceraunum petitum numis suis inferret, quae post mariti Lysimachi caedem ab hoc Cerauno, fratre suo germano, simulato amore in matrimonium petita, cum nuptiarum dies appeteret, vidit suos ipsius ex Lysimacho natos liberos a perfido sponso in suo sinu interfici,

a) Hist. Ptol. p. 28.

seque in insulam Samothracen ejici, quo in exilio usque ad tyranni interitum detenta fuit? At causam capti hujus tituli cum cognitus fratris adversum se *sororem* et conjugem amor, tum numi praesentes liberaliter suppeditant. Nam cum Arsinoe ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ titulum in numos suos arcessit, quo tamen Ptolemaeus ipse in moneta sua constanter abstinuit, satis apparet, factum istud, ut palam jactaret, honorifici hujus tituli argumentum a se petitum.

Dixi, in parte aversa exhiberi duplex cornucopiae. Mavult Barthelemyus poculum dictum Graecis ῥυτον, quod teste Athenaeo [a]) habuit cornu formam, et quod jussu Ptolemaei Philadelphi insertum fuit manui sinistrae signorum Arsinoes, magis refertum omnis generis fructibus, quam fuit cornu Amaltheae [b]). At vero eundem typum objiciunt numi Arsinoes Ptolemaei Philopatoros, Berenices Ptolemaei X., et Cleopatrae M. Antonii, nisi et in his dicamus effícta ῥυτα, non copiae cornua. Et forte bonus conviva, qui istud apud Athenaeum enarravit, confuderit signa Arsinoes cum signis Cleinus, quae ejusdem Philadelphi amica, eique a poculis fuit, multasque habuit Alexandriae erectas statuas, quae in manibus haberent rhyton, ut refert Polybius apud eundem Athenaeum [c]).

AV. RRR.

PTOLEMAEVS III. EVERGETES.

Philadelphi et Arsinoes prioris, Lysimachi filiae, filius, sed ab Arsinoe altera, quod haec liberis carebat, adoptatus patri succedit V. C. 507. A. X. 247. Seleucum II. Syriae regem, quod Berenicen novercam, quae eadem sua Ptolemaei soror fuit, interfecit, bello persequitur, et occupatis fere omnibus ejus provinciis, etiam trans Euphratem positis, et corrasa ingenti praeda in Aegyptum revertitur. Multas gentes versus Aethiopiam et sinum Arabicum sitas sibi subjicit. Pacis tempore bibliothecam sibi a patre relictam magnis augere accessionibus pergit, moriturque magna relicta nominis gloria propinato, si Iustino fides, a filio veneno V. C. 533. A. X. 221, cum regnasset annos XXV., sed XXVII. eidem tribuit marmor Adulitanum, quo super dubio vide notam Chishulli [d]).

Vxor *Berenice* Magae Cyrenes regis et Arsinoes F. secundum Iustinum [e]), et Polybium [f]). At secundum Pausaniam filia Apames Antiochi I. Syri filiae [g]). Hyginus eam Ptolemaei et Arsinoes filiam et Evergetae sororem appellat [h]), cum quo sentit quoque Catullus in poematio Callimachi de coma Berenices a se Latine reddito. At multo certior prior sententia cum propter auctoritatem virorum gravium, quos citavi, tum maxime, quod Ptolemaeus Philadelphus filiam jam habuit dictam Berenicen, nuptam Antiocho II. Syro, neque ullo pacto verisimile, binas filias eodem fuisse nomine; denique quod eadem Berenice ex Evergete filium habuit dictum Magam, at unde istud, nisi ex

---

a) L. XI. p. 497. b) B. L. T. XXX. p. 510. c) p. 576. d) Ant. Asiat. p. 75.
e) L. XXVI. c. 3. f) Exc. ex L. XV. g) L. I. c. 7. h) Poet. astron. L. II. c. 24.

nomine avi materni? Quod si Callimachus auctor coaevus, et qui tum Alexandriae degebat, sed cujus poemation Graecum interiit, ejusque interpres Catullus eam dixere sororem, id forte intellectum eo sensu, quod secundum Aegyptiorum institutum sorores plerumque in fratrum connubia concessere. Si Eratostheni fides a), cognomen habuit Ευεϱγετιδος, *beneficae*; nam de ejus coma in sidera relata cum loquitur, ait: πλοκαμοι Βεϱενικης Ευεϱγετιδος, nisi forte restituendum: Βεϱενικης Ευεϱγετȣ, *Berenices Evergetae* uxoris, ut supra vidimus: ΑΡΣΙΝΟΗΣ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. Fuisse mulierem animi supra sexum generosi, tum patuit, quando, Evergetae jam desponsata, sed matre Demetrium Antigoni Macedoniae regis fratrem praeferente, cum quo ipsa mater deinde turpiter consuevit, novum sponsum in matris lecto immissis percussoribus interfici jussit b). De ejus coma sideribus illata vide Hyginum et Catullum c).

Ex hac Berenice natus *Ptolemaeus Philopator*, qui successit, *Arsinoe* futura fratris Philopatoris uxor, et *Magas* a fratre interemptus.

Numi:

Caput regis diadematum. ⅹ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. L. Z. *Aquila insistens fulmini, in area duo pilei Dioscurorum.* AR. I. (Vaill.)

Dubium non videtur, numum hunc Tripoli Phoeniciae cusum, quod suadent Dioscurorum pilei in hujus urbis moneta obvii. Phoenice Aegypti regibus inde a Sotere usque ad excessum Ptolemaei V. Epiphanis paruit. Cum ergo, inquit Vaillantius, regum aliorum, qui Aegypto imperitabant, teneamus effigiem, necesse est, eam, quam praesens numus exhibet, neque aliorum cuipiam convenit, esse Evergetae. Conjectura sane tenuis.

* * *

Caput Iovis Ammonis. ⅹ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Aquila fulmini insistens, in area* K. ΘΕ. Φ. etc. AE. m. m. I. II. III. (Mus. Caes.)

En tibi certissimos hujus Ptolemaei numos propter additum ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ titulum, quem sibi ab Aegyptiis datum propterea, quod deos a Cambyse ex Aegypto in Persiam abstractos in bello adversum Syros suscepto recepit, restituitque, adserit Hieronymus d).

AR. incerti. AE. R.

PTOLEMAEVS IV. PHILOPATOR.

Evergetae et Berenices filius, ut tutius regnaret, matrem, fratremque Magam interficit, quibus amotis otio, lustris, et voluptati indulget. Tamen Antiochum M. Coelesyriae causa bellum moventem insigni ad Raphiam victoria reprimit. Moritur V. C. 550. A. X. 204. variantibus aliorum calculis. Dictus fuit *Tryphon* teste Plinio e), haud dubie propter libidinis intemperantiam, et *Gallus*, quod Gallorum sacerdotum more hedera caput redimiret f). In

a) Castaster. 12. b) Iustin. l. c. c) ll. cc. d) in Daniel. c. XI. v. 7. e) L. VII. §. 57.
f) Scaliger ad chron. Euseb.

numis unus titulus *Philopatoris* legitur, de quo infra.

Ex Arsinoe sorore et conjuge natus *Ptolemaeus V. Epiphanes.* Sed Arsinoe meretricum machinis jubente fratre occisa est.

Numi:

Caput regis diadematum. ☧ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. *Aquila fulmini insistens, in area monogramma* ΤΥΡ. *subjecta clava, et* ΩΣ. AR. I. (Pellerin.)

Caput Iovis diadematum. ☧ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. *Aquila fulmini insistens.* AE. (Vaill.)

Numus prior rarissimus regi nostro vultum admodum juvenilem tribuit, nimirum qui puer regnum adivit, primis annis sub Sosibii tutela exactis. Titulum ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ explicat Iustinus [a]: *Aegyptum patre ac matre interfectis occupaverat Ptolemaeus, cui ex facinoris crimine cognomentum* Philopatori *fuit.* Nimirum nomen istud a Ptolemaeo serio adoptatum, ut procuratae necis paternae suspicionem amoliretur, at orbis parricidii conscius ἀντιφραστικῶς cepit.

* * *

Tetradrachma reliqua, quae ab antiquariis capto ex lineamentis indicio eidem Ptolemaeo tribui video, minus certo hujus sunt regis.

AR. RRRR. AE. RRR.

ARSINOE PHILOPATORIS.

Caput Arsinoes diadematum, supra humerum baculus. ☧ ΑΡΣΙΝΟΗΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. *Cornucopiae, in area* ΝΙ. *in imo* Α. AV. m. m. (Theupoli. Catal. d'Ennery.)

Illustres sunt hi numi, neque praeterea alibi a me reperti.

AV. RRRR.

PTOLEMAEVS V. EPIPHANES.

Mortuo patre quinquennis regnum adit, sed cum Aegypti res tutorum seu discordiis, seu cupiditate pessumirent, et Antiochus M. Aegypti provinciis inhiaret, legatos Romam misere Alexandrini, qui tutorem regi suo a senatu peterent. Missus a Romanis Aemilius Lepidus regnum tutorio nomine administrat, cujus facti memoriam servavit denarius gentis Aemiliae. Alii Epiphanis filio Philometori praestitam hanc a Lepido tutelam autumant, quod dissidium in commentariis ad citatum denarium commemorabo. Epiphanes cum principio regnum cum laude gubernasset, sensim in voluptates et inertiam declinavit, cumque ad haec vitia accederet avaritia, a conjuratis veneno tollitur V. C. 573. A. X. 181.

Ex Cleopatra Antiochi M. filia suscepit *Ptolemaeos VI. et VII.* et *Cleopatram* utriusque fratris thalamum per vices expertam.

a) L. XXIX. c. 1.

Numi:

Tetradrachma quinque solitis typis Ptolemaeo Epiphani tribuit Vaillantius, in quibus scripti sunt anni inde a L. A. cum mediis usque ad L. KB. Sitne viri praestantis criterium ejus naturae, ut fallere non possit, inquirere non lubet, nam plus ad contendendos numos habuit opis, ac praeterea in vultuum criterio ceteris acutius potuit videre. Tamen mirari subit, numum inscriptum L. A. huic tribui regi, qui primo regni anno nonnisi quadrimus aut quinquennis fuit, pictura numi, ut videre cuivis licet, virilem omnino aetatem prodente.

PTOLEMAEVS VI. PHILOMETOR. DEVS.

Quinquennis sub tutoribus regnare incipit. Recuperandae Coelesyriae intentus ab Antiocho IV. vincitur, qui victoriae fructus legens Aegyptum ipsam occupat. Restitutus ab ipso, qui pepulerat, hoste fratrem Ptolemaeum VII. in regni communionem vocat, sed ab hoc ejectus Romam fugit, mox senatus auctoritate hac lege inter dissidentes fratres pax constituitur, ut Philometor Aegyptum cum Cypro, frater Evergetes Libyam cum Cyrene obtineret. Antiocho IV. Syriae rege vita functo ipse turbarum magna pars fuit, quibus Syria aliis regibus ejectis, aliis intrusis misere differebatur. Moritur V. C. 608. A. X. 146. anno regni XXXIV.

Ex Cleopatra sorore filium habuit patrui Ptolemaei VII. Evergetae insidiis interemptum, et *Cleopatras duas*, quarum major famigerata illa trium Syriae regum uxor a filio Antiocho VIII. caesa est. Vide numos regum Syriae.

Numi:

Caput regis diadematum. ✗ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ. ΘΕΟΥ. *Aquila fulmini insistens cum transverso palmae ramo, infra* L. Δ. AR. I. (Vaillant.)

Caput Iovis diadematum. ✗ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila insistens fulmini, in area* L. ΛΔ. *et balaustium.* AE. II. (Pellerin.)

Numum priorem esse hujus regis, titulus ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ evincit. Cepit hoc nomen in matris gratiam, in cujus tutela fuerat, alterum ΘΕΟΥ advocavit vanitas, jam nonnullis praecedentium Ptolemaeorum tributum. In marmore apud Chishull [a]) legitur: ΒΑΣΙΛΕΑ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΝ. ΚΑΙ. ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΝ. ΤΗΝ. ΑΔΕΛΦΗΝ. ΘΕΟΥΣ. ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΑΣ. Aeneum alterum huic regi largitur Pellerinius propter annum ΛΔ, nam demptis duobus primis Ptolemaeis nullus successorum tot annos regnavit.

Praeter tetradrachmum citatum nullum aliud reperit Vaillantius, quod Philometori tribueret. Et tamen verisimile est, intra annos XXXIV., quibus regno praefuit, copiosos ejus nomine numos fuisse cusos. Ex quo patet iterum, hunc auctorem in distribuendis ex oris similitudine numis magis conjectu-

a) Ant. Asiat. p. 88.

ras quasdam vagas, quam certam rationem secutum, et haud dubie non paucos, quos Ptolemaeis aliis impertivit, esse Philometoris.

AR. certi RRRR. AE. RRR.

PTOLEMAEVS VII. *Evergetes, vulgo Physcon.*

Mortuo fratre Philometore ex Cyrenaica, quam ex pacto tenuerat, Alexandriam appulsus, caeso fratris filio puero Aegypti regnum invadit, et in omnes, qui obstare videbantur, implacabili crudelitate saevit. Quibus irritatum malis vulgus eum *Cacergetem* dixit, ut in ludibrium verteret nomen *Evergetae*, quod sibi, incertum qua de causa, indiderat. Apud Athenaeum [a]): Πτολεμαιȣ τȣ ἑβδομȣ βασιλεως, τȣ και Ευεργετȣ κληθεντος, *Ptolemaei regis septimi, qui et Evergetes dictus est.* De titulo Κακεργετȣ vide apud eundem [b]). Sed et ob foedas libidines et corporis saginam *Physconis* nomen meruit, utrumque tamen in numis reticetur. Moritur V. C. 638. A. X. 116 anno regni XXX., cum regnum legasset Cleopatrae ex fratre nepti, eidemque uxori, et filiorum uni, quem ipsa maluisset.

Vxor I. Cleopatra soror, sed qua repudiata uxor II. Cleopatra ex fratre neptis, ex qua nati *Ptolemaeus VIII.* et *Ptolemaeus IX.*, qui successere.

Ex concubina Irene natus *Ptolemaeus Apion*, futurus Cyrenes rex.

Numi:

Caput regis diadematum vultu in senium vergente. Ϫ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila fulmini insistens cum transverso palmae ramo, in area* L. Iϛ. *et* ΠΑ. AR. I. (Vaillant.)

Physconi numum hunc tribuit Vaillantius causa vultus senilis, qui nimirum fratri Philometori superstes fuit, et ipse annos XXX. regnavit. Aliud indicium petit a palma transversa, quod nimirum haec quoque in certo fratris Philometoris numo sic conspiciatur.

De numis Physconis haec Pellerinius [c]), esse omnium minime raros, et eo inter omnes regum Aegypti numos facile discerni, quod eorum omnes in area aversae loti florem exhibent, et quidem ea forma, qua is in monumentis aliis non comparet. Eam ego doctrinam neque in Vaillantii, neque aliorum commentariis reperi. Vtinam vir eruditus, dum ignotam hactenus regulam praescribit, docuisset etiam primum peculiarem ejus floris formam, deinde causam, ob quam numi, in quibus hujus formae lotus comparet, Physconi sint adjudicandi.

PTOLEMAEVS VIII. SOTER DEVS *vulgo Lathurus.*

Ptolemaei VII. Physconis et Cleopatrae F., a populo invita matre, quae filium juniorem Ptolemaeum Alexandrum malebat, quod sibi obsequentiorem speraverat, rex agnoscitur. Cum

---

a) L. VI. p. 252. b) L. XII. p. 549. c) Rois p. 44.

X. annos regnasset, matris artibus regno ejicitur suffecto fratre Alexandro. Tolerato complurium annorum exilio, cum matrem a fratre Alexandro caesam, ipsum vero metu regno excessisse intelligeret, in Aegyptum redit, regnumque recuperat. Haec ex Pausania a). Moritur circa annum V. C. 673. A. X. 81.

Vxor Cleopatra Selene, ex qua nata *Berenice*, cujus numum dabimus infra. Ex concubina nati *Ptolemaeus XI. Auletes*, et *Ptolemaeus* alter futurus Cypri rex.

Numi:

Caput Iovis diadematum. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΣΩ. ΘΕ. *Duplex cornucopiae colligatum.* AE. II. (Mus. Caes., le Blond Observ. p. 7.)

Eundem numum Pellerinius olim Ptolemaeo I. Soteri tribuit, serius agnitum errorem retractavit praecone usus erudito Blondio. Additus Σωτηρος titulus, quo scriptores veteres Ptolemaeum VIII. compellant, laudatos hos numos huic regi vindicat. De juncto ΘΕȣ nomine nondum hactenus constabat. Eum quoque *Lathurum* appellant Iustinus b), et aliquoties Plinius, et dictum *Philometorem* κατ' ἀντίφρασιν refert Pausanias c), sed haec convicia numorum veterum gravitas nunquam recepit, quibus serius Goltziana sive fraus, sive oestrus liberale in thesauro suo hospitium dedit.

* * *

Vaillantius bina tetradrachma solitae formae, solo ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. notata, et cum annis A. et I. fiducia lineamentorum huic Ptolemaeo tribuit, an jure, decidant alii.

AR. incerti. AE. RRR.

PTOLEMAEVS IX. ALEXANDER I.

Ptolemaei VII. Physconis filius natu minor a matre Cleopatra pulso fratre Lathuro in regnum intrusus. Matrem, cujus se peti insidiis cognoverat, interficit quidem, sed facto populi facinus detestantis concursu in exilium pellitur, mox comparata classe ubi reditum per vim urget, maritimo praelio victus interit, fratrique iterum Lathuro hactenus exuli ad recuperandum regnum viam aperit V. C. 668. A. X. 86.

Filium habuit *Ptolemaeum X. Alexandrum.*

Numi:

Vaillantius tria tetradrachma solita item inscriptione et typo huic Alexandro impertit, addito, neminem esse tam tironem, qui in his non prima fronte Ptolemaeum Alexandrum agnoscat. Quo oraculo si tibi satisfactum putas, adi ejus iconismos, et tuo laetus Alexandro fruere.

Binos adhuc numos Ptolemaeis Alexandris video dedicari. Horum unum: *Caput juvenile elephanti exuviis tectum.* Ӿ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Victoria gradiens d. lauream, s. tridentem, in area anchora.* AE. III. Pellerinius huic Ptolemaeo IX. eidemque Alexandro I. defert. Alterum: *Caput juvenile leonis exuviis*

a) L. I. c. 9. b) in proleg. L. XXXIX. c) L. I. c. 9.

tectum. ☧ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Aquila fulmini insistens et respiciens.* AR. III. Vaillantius Ptolemaeo X. Alexandro II. tribuit. At enim si hi numi vere sunt horum regum, causam cuperem attulissent, cur iidem in tetradrachmis inscribantur nomine ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ., at in praesentibus nomine ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Ad haec video, in regum Aegypti numis rarissime omitti nomen ΒΑΣΙΛΕΩΣ, atque istud tum tantum, cum honorificus quidam titulus ejus vicem supplet, ut ΣΩΤΗΡΟΣ. vel ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. Videntur ergo numi similes cum propter has, tum alias causas potius Alexandris Epiri regibus tribuendi, ut in his diximus.

Alios Ptolemaei IX. numos vide continuo in numis Cleopatrae.

CLEOPATRA *mater Ptolemaeorum VIII. et IX.*

ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. *Caput Iovis Ammonis.* ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Duae aquilae insistentes fulmini, in area cornucopiae.* AE. I. (Pellerin.)

Caput Iovis Ammonis. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Duae aquilae insistentes fulmini, in area cornucopiae.* AE. I. III. II. Numi obvii.

ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. *Caput muliebre elephanti exuviis tectum.* ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila insistens fulmini.* AE. II. (Vaill. Pellerin.)

Caput muliebre elephanti exuviis tectum. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila insistens fulmini, in area cornucopiae.* AE. II. III. Numi obvii.

Hos numos Pellerinius et Vaillantius huic Cleopatrae tribuunt, nimirum quae ipsa, et quidem ex mariti testamento regno praefuit, adscito in societatem primum priore, dein altero filio, quorum alterutrius nomen superficies aversa prodit. Conjunctum etiam duorum regnum rite arguit aquila duplex. Tamen non satis causae video, cur iidem numi non possint referri ad Cleopatram postremam, quae regia quoque potestate Aegypto praefuit sociatis per intervalla binis fratribus. Ad oris lineamenta provocabit Pellerinius multum diversa ab iis, quae Cleopatrae postremae certi ejus numi vindicant. Verum nequaquam satis liquet, capite elephanti exuviis tecto proponi Cleopatrae effigiem. Quid enim obstat, quo minus esse genium Alexandriae existimemus? Enimvero caput simillimum est in obviis numis Alexandrinis, Galbae, Othonis, Titi, adscripto insuper ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ, et simili cultu est mulier in numo Alexandrino Hadriani cum anno ΙΕ. Constat vero etiam, inclinante Aegypti regno magnam fuisse Alexandrinorum potentiam, reges pro libitu ut aut reciperent, aut amolirentur, ut adeo jure praepotentis ejus urbis genius, quem ab ipsis regibus observari decuit, regiae monetae sit insertus. At vero, judice Pellerinio, in aliis numis elephanti exuviae caput muliebre operiunt, quod est Cleopatrae, in aliis virile, quod est filii Ptolemaei. Vereor, ne praetensa id genus capita virilia antiquariorum oculis illudant, nulla sane horum culpa,

sed artificum utriusque sexus lineamenta confundentium. Cui ignotum, in obviis aureis A. Hirtii caput velatum, quod est Pietatis, sic esse fictum, ut in aliis indubitatam, quod decuit, mulierem arguat, in aliis tam ambigua praeferat lineamenta, ut essent etiam viri non pauci praestantes, qui illo caput Iulii Caesaris sisti dejerarent a)? Verius igitur tenendum puto, quotiescunque hoc cultu caput proponitur, esse genii Alexandriae. Neque vero additum ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ Cleopatrae etiam caput comprobabit, nam tum barbatum cornutumque caput numi primi, juxta quod perinde scriptum ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ, ejusdem esse Cleopatrae necesse erit statuere. Atque his praecognitis facile resolves argumenta, quibus alieno in opere utitur Pellerinius, ut Ptolemaeo IX. adsereret caput similis cultus insculptum veteri silici, addito ΑΛΕ. ΕΠ. Β. quod explicat: ΑΛΕξανδρȣ ΕΠΙφανȣς Βασιλεως b).

CLEOPATRA SELENE.

Ptolemaei VII. Physconis filia, uxor primum Ptolemaei Lathuri, subinde Antiochi VIII. Grypi, denique Antiochi X. Philopatoris. Ejus numos jam in regibus Syriae produximus. Horum unum, qui certo in Aegypto signatus est, restituimus.

Numus:

ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΣΗΛΗΝΗΣ. (sic.) *Caput reginae.* ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila insistens fulmini.* AE. II. (Vaill.)

Vide numos regum Syriae post Antiochum VIII.

BERENICE.

Ptolemaei VIII. Lathuri et Cleopatrae Selenes filia. Patre sine haerede masculo vita functo volentibus Alexandrinis regno praeficitur, non multo post urgente Sulla regni torique consortem admittere cogitur Ptolemaeum X. consobrinum, a quo XIX. sociati regni die occiditur.

Numi:

Caput reginae velatum. ✠ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ. *Cornucopiae inter duo astra.* AV. (Patin ad Sueton. in Tito cap. 7. Panel Catal. le Bret.) AV. quinarii forma. (Catal. d'Ennery.) AR. I. (Vaill. Theup.) AE. I. (Liebe p. 128.)

Sola sine regni socio in his numis comparet Berenice, sed et diximus, solam aliquamdiu regno praefuisse. Numismatis *Berenicii* meminit Pollux c), sed cujus Berenices, non distinguit.

AV. AR. AE. RRR.

PTOLEMAEVS X. ALEXANDER II.

Ptolemaei IX. Alexandri I. filius. Patre ad recuperandum Aegypti regnum, quo propter matris caedem exciderat, cum classe praefecto ipse interea in Co subsistere jussus, adventanti subinde Mi-

a) Morelli Impp. T. I. p. 39. b) Caylus T. V. p. 149. c) L. IX. c. 6. §. 85.

thridati ab insulanis una cum thesauris traditus, cum hujus fortunam inclinare cerneret, ad Sullam confugit, a quo benigne acceptus in avitum Aegypti regnum data in uxorem Berenice consobrina restituitur, qua post XIX. dies caesa solus regnum retinet. Ab Alexandrinis, quibus semper invisus, et inde metuendus amplius non fuit, pulsus Tyrum fugit, ubi paullo post contracto morbo diem obit, cum antea Romanos, quo suos ulcisceretur, testamento haeredes scripsisset.

Numi:

Argenteum drachmae forma, quem Vaillantius huic regi, sed, ut videtur, perperam tribuit, descripsi supra in numis patris Ptolemaei IX.

PTOLEMAEVS XI. *novus Dionysus, Auletes.*

Alexandrini audito, Romanos supremis tabulis a Ptolemaeo X. haeredes regni constitutos, veritique, ne hi vacuam rege provinciam occuparent, Ptolemaei VIII. Lathuri filios duos nothos advocant, et alterum Aegypti, alterum Cypri regno praeficiunt. At Aegypti rex nihil firmum ratus, nisi quod Romanis probaretur, profusis largitionibus senatus consultum extorquet, quod sua in Aegyptum jura solidaret. Paullo post Cyprus lege Clodiana in provinciam redigitur, cujus rex cum vim opponere non posset, hausto sponte veneno moritur. Quo facto in rabiem acta plebs Alexandrina, quod nullam a rege suo fratri opem latam vidit, movere seditionem non destitit, dum rex fuga salutem quaereret, qui Romam delatus, et ut in regnum suum restitueretur, supplex, dum deliberando tempus teritur, quo esset modo restituendus, ad Gabinium Syriae praesidem proficiscitur, et hoc adjuvante regnum recuperat, caesa mox filia Berenice, quae se absente regnum Aegypti obtinuit cooptato marito primum Cybiosacte quodam, qui se sanguine cum Seleucidis conjunctum ferebat, deinde Archelao, filio ejus Archelai, quem Mithridates VI. inter illustriores exercitus sui duces habuit. (Strabo L. XVII. p. 1146.) Moritur V. C. 704. A. X. 50. princeps immoderatus et voluptatibus immersus. Dictus *novus Bacchus* sive per adulationem, sive propter formae illecebras, et *Auletes*, quod choraulam potius egit, quam regem.

Proles habuit *Ptolemaeos duos*, qui successere, filias *Tryphenen*, *Berenicen*, famosam *Cleopatram*, et *Arsinoen*.

Numi:

Caput regis radiatum exstante retro tridente. ⵣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Cornucopiae radiis circumdatum*, *in area* ΔΙ. *aut aliud*, *aut nihil.* AV. m. m. AR. I. (Vaill. Theupoli, Pembrock, Mus. Christoph. Wiesioloski nob. Poloni.)

Illustres hos numos Vaillantius aliique hujus esse Ptolemaei statuunt causa tridentis. Qui enim novum Bacchum se appellari permisit, facile etiam admiserit nomen alterum *Neptuni*, postquam ejus nomine Gabinius Archelaum maritima pugna vicit.

Alium etiam numum aeneum, eum-

que obvium: *Caput diadematum.* Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila fulmini insistens*, nulla certa ratione eidem offert Vaillantius.

AV. et AR. RRR.

PTOLEMAEVS XII. *Dionysus.*

Patris testamento annos natus XIII. rex appellatur destinata uxore Cleopatra sorore, quae orto tum Romanorum bello civili Pompejum propter ejus in patrem merita commeatu copiisque palam juvat, sed quod omnia neglecto fratre per se una administraret, ab Alexandrinis in Syriam ejicitur. Pompejum ad Pharsalum victum et in Aegyptum profugum Ptolemaeus suorum suasu interfici jubet. Secutus paullo post Caesar, captusque forma Cleopatrae dum eam conciliare fratri, et restituere in Aegyptum adlaborat, difficili bello a Ptolemaeo petitur, sed in quo hic victus, mersusque Nilo perit V. C. 707. A. X. 47.

Numi:

Caput regis hedera redimitum prominente retro thyrso. Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila fulmini insistens.* AR. I. (Vaillant.)

Propter hederam et thyrsum, Bacchi certa attributa, praesentem numum huic tribuendum Ptolemaeo putant eruditi. Hedera etiam in numis redimitur Antiochus VI. Syrus, qui et ipse Dionysi nomen tulit. Ptolemaei cognomine *Dionysi* meminere etiam Lucianus, et Clemens Alexandrinus, sed quotum intellexerint, non satis certum. Lege disputantem Spanhemium a).

AR. RRRR.

PTOLEMAEVS XIII.

Puer undennis, Ptolemaei XII. frater, hoc undis hausto ex Caesaris victoris praescripto rex Aegypti proclamatur designata etiam uxore, tum et regni consorte sorore Cleopatra, sed hujus circumventus insidiis perimitur V. C. 712. A. X. 42.

Numi:

Tetradrachmum cum typis solitis propter faciem magis juvenilem postremo huic Ptolemaeo commodat Vaillantius, sed quod criterium magnopere sane vacillat.

CLEOPATRA M. *Antonii.*

Ptolemaei XI. filia, post cujus obitum nupta primum fratri seniori Ptolemaeo XII., et hoc, ut diximus, flumine merso, juniori fratri Ptolemaeo XIII., quo suo jussu interempto impetravit, quod intenderat, ut sola regnaret. Ingruente post Caesaris necem bello civili IIIviros pecunia navibusque juvat. Antonium in provincias transmarinas profectum, sibique varia objectantem, instituto ad eum in Ciliciam itinere sic brevi apparatus pompaeque magnificentia et nitore, ac cumprimis formae sermonisque illecebris sibi devinxit, ut in omnibus deinceps haberet obsequentem. Quae

a) T. I. p. 435.

reliqua ejus fuerit fortuna, ut suo penitus Antonio devota cum eo consueverit, ac denique uxoris nomine cohabitaverit, ut bello ab Octaviano petita victa sit ad Actium, quoniam cum Romana haec historia connectuntur, in M. Antonii moneta exequemur. Post cladem in Aegyptum profuga, cum dilapsis regibus amicis armis jam diffideret, et Octavianum solitis artibus, quae una sibi spes reliqua fuit, flectere nequiret, verita, ne ad triumphum reservaretur, aspidis, ut creditur, morsu sibi mortem acceleravit, ac Ptolemaeorum regnum secum tumulo intulit V. C. 724. A. X. 30. Atque hunc in modum vitam finivit mulier, ut illustris formae, sic et libidinis et avaritiae insatiabilis, atque ambitionis adeo immoderatae, ut non contenta Aegypti regno fraterna caede parto Romanum etiam imperium palam adfectaret, cumque duos viros ejus aetatis maximos in retia traxisset, quod in tertio fefellerat, necem praeoptavit aetatis anno XXXVIII. Vide Plutarchum in Antonio, et Dionem.

Liberi Cleopatrae: ex Iulio Caes. *Caesario*, Octaviani jussu, ut fertur, interemptus. Ex M. Antonio: *Alexander*, et *Cleopatra* gemelli, et *Ptolemaeus* cognomine *Philadelphus*. Hi ab Octaviano in triumphum ducti, Cleopatra subinde Iubae juniori elocata, eique permissi fratres Alexander et Ptolemaeus.

Numi:

ΒΑCΙΛΙCCΑ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ. ΘΕΑ. ΝΕѠΤΕΡΑ. *Caput reginae diadematum.* ✠ ΑΝΤѠΝΙΟC. ΑΥΤΟΚΡΑΤѠΡ. ΤΡΙΤΟΝ. ΤΡΙѠΝ. ΑΝΔΡѠΝ. *Caput M. Antonii nudum.* AR. I. (Vaill. Morelli.)

Caput margaritis ornatum prominente retro pharetra. ✠ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. *Duplex cornucopiae.* AE. (Vaill.)

Cleopatram, quam numus prior in genere *novam deam* appellat, Dio narrat suo ipsius adflatu dictam fuisse Lunam et Isidem [a]), et refert Plutarchus, eam novae Isidis nomine oracula fudisse [b]). Lunae nomen confirmat numus alter Dianae imagine. Pars aversa, qua Antonius *imperator III.* et *IIIvir* appellatur; explicabitur in ejus numis.

* * *

- ΛΕΟΠ. - - Γ. Μ. Α. Τ. *Caput Cleopatrae.* ✠ ΚΡΑΣ. *Crocodilus.* AE. I. (Mus. Caes.)

Numum hunc olim edidi, et latius explicavi [c]). Mancam anticae epigraphen legendam censui: κΛΕΟΠατρα Γυνη Μαρκȣ Αυτοκρατορος Τριτον. Nomine ΚΡΑΣ. dixi indicari P. Canidium Crassum notum M. Antonii ad varia bella legatum, et ab ipsa Cleopatra, quod gratia apud Antonium valebat, impense observatum. Obvii est exempli in moneta M. Antonii tam argentea, quam aenea memorari ejus seu legatos, seu quaestores, at horum aliquem prodi in numo solius Cleopatrae, si praesentem demas, alibi nondum reperi. Nimirum mulier impotens imperare se ipsis provinciis Romanis, et quidem, quod turpe dictu, harum praesidibus saepe non invitis, palam prae se tulit. Enimvero teste Dione [d]) non Antonium modo, sed

a) L. L. c. 5. b) in Anton p. 941. c) Num. vet. p. 292. d) L. L. §. 5.

ceteros etiam, qui apud eum gratiosi erant, praestigiis suis ita sibi obstrinxit, ut ausa esset imperium sibi in Romanos polliceri, ejusque maxime solenne esset jusjurandum, jurare per jus, quod ipsa olim in Capitolio datura esset.

* * *

ΒΑϹΙΛΙϹϹΗϹ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑϹ. *Caput reginae.* ✠ ΕΤΟΥϹ. ΚΑΤΟΥ. ΚΑΙ. Ϛ. ΘΕΑϹ. - - - *Caput M. Antonii nudum.* AE. II. (Pellerin Suppl. I. p. 6.)

Singulare est in hoc numo epochae annus hoc, quo dictavimus, modo expressus. Recte advertit Pellerinius, legendum: ετυς εικοςυ πρωτυ και διακοσιοςυ, id est: *anno vicesimo primo supra ducentesimum*, ad quam lectionem comprobandam aliud ibi insigne exemplum adfert ex numo regis Agrippae: ΕΤΟΥϹ. ΑΙΤΟΥ. id est: ενδεκατυ, *anno XI.* Auctor catalogi d'Ennery numo simili suo inscriptum praetendit: ΕΤΟΥϹ. ΚΔ. ΤΟΥ. ΚΑΙϹ. quod explicat: *anno XXIV. Caesaris* [a]). Concinne, si superis placet, utrumque. Interea non satis liquet, qua in urbe hi sint numi signati. Ex epochae natura verisimile putat Pellerinius, esse cusum in insula Arado.

* * *

Caput reginae diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. *Aquila insistens fulmini, in area* L. Ϛ. AR. III. (Vaill.)

Vultus et capitis cultus dubitare non sinunt, rarissimum hunc numum postremae esse Cleopatrae.

* * *

Omitto numos alios huic Cleopatrae tribui solitos, sed qui certa criteria non suppeditant. Omitto etiam numos Latine inscriptos seu argenteos, seu aeneos, quos recenset Vaillantius, partim quod hi opportunius in M. Antonii monetam differentur, partim quod verisimilius aliis videtur, caput muliebre in multis numis cum M. Antonii capite jugatum non esse Cleopatrae, sed Octaviae, quod curate in ejus IIIviri numis expendemus.

AR. RRR. AE. RR.

PTOLEMAEI INCERTI.

Capita jugata Sarapidis et Isidis cum loto in utriusque capite. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila insistens fulmini, retro duplex cornucopiae, infra* ΔΙ. AR. I. (Mus. M. Ducis.)

Numus a me olim editus [b]), sed nullo pacto, cujus sit Ptolemaei, colligi potest. Metallum tenue esse unius ex posterioribus Ptolemaeis persuadet. Similem editor musei Pembrock tribuit Soteri I. [c]).

* * *

Caput Iovis Ammonis. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila fulmini insistens, in area* L. KZ. *vel* L. KH. *et flos loti.* AE. II. (Mus. Caes.)

Numum similem jam recitavi in numis Ptolemaei II. Philadelphi, quem certum est ejus esse regis propter additum L. MA. Non vererer, praesentes quoque numos eidem largiri, sed video, numos, in quorum aversa est flos loti, a Pellerinio tribui Ptolemaeo VII. Physconi, etsi hujus legis causam non adferat, ut diximus.

a) pag. 513. b) Num. vet. p. 294. c) P. II tab. 56.

* * *

Caput regis diadematum. ♃ *Messor segetem falce amputans.* AV. IV. (Pellerin Rois p. 208.)

Ex oris lineamentis colligit Pellerinius, tribuendum numum uni ex primis Ptolemaeis. Aegyptium vero numum comprobare videtur etiam, quod idem aversae typus est etiam in Alexandrino Antonini Pii.

* * *

Superest ingens agmen numorum aeneorum, qui una parte caput Ammonis, altera ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ., et aquilam fulmini insistentem exhibent. Absunt tamen criteria omnia, quae Ptolemaeos discernant, et ipsi etiam regni anni. Sola in iis monogrammata, literae, minuta sigilla variant. Sed etsi incertae sunt stationis, eos tamen commendat non modo insignis fabrica, sed etiam eorum non paucos amplum volumen, ac cumprimis pondus, quo omnes aliorum populorum numos superant demptis Italorum assibus. Praetereo numos aeneos alios vagis typis, et vaga Ptolemaei cujuspiam inscriptione.

De initiis vocabulorum in regiis Aegypti numis.

Pars aversa regiae hujus Aegypti monetae saepe per aream sistit principia vocabulorum ΠΑ. ΚΙ. ΠΗ. ΘΕ. ΔΙ. ΜΕ. etc. Sunt haec Vaillantio, qui in explicandis omnibus omnium numorum literis solitariis facilem exitum, plerumque infelicem, reperit, literae *ἀρχαικαι* urbium Aegypti vel Cypri, in quibus signatos hos numos contendit, nimirum Paphi, Citii, Pelusii, Thebarum, Diopolis, Memphis etc. Verum, ut jam advertit Pellerinius [a]), sunt in numis aliis similibus literae solitariae ejus naturae, ut iis vix idoneam aliquam urbem, in qua cusi essent, possis reperire. Quare facile mihi cum eo convenit, esse eas monetariorum notas quocunque demum explicatu, nobis certe hactenus ignoto. In numo Soteris I. cum Vaillantius videre se literas AB. putaret, eas continuo in *Abydus*, quae fuit Aegypti urbs, produxit. At si cum hoc numo contendas ejusdem Soteris numos a Pellerinio vulgatos, patebit, nequaquam legendum esse AB., sed ΛΒ., quo annus regni XXXII. indicatur.

---

a) Additions p. 83.

NVMORVM AVGVSTORVM

CLASSIS II.

DE NVMIS AEGYPTIORVM

vulgo

ALEXANDRINIS.

Exstincto Ptolemaeorum regno, et Aegypto in Romanorum potestatem redacta, imperatorum deinceps nomine moneta feriri coepta, quam modo tractandam suscipimus. Alexandrina imperatorum dici solet, quia verisimile est, Alexandriae principe Aegypti urbe fuisse signatam.

Hanc numorum classem illustrem faciunt cum incredibilis eorum numerus, tum argumenta, quae continent, ac denique series imperatorum perpetua inde a M. Antonio IIIviro usque in imperium Diocletiani producta. Quae insignia eorum merita cum specto, mirum saepe visum, non pridem eruditorum aliquem ad universam colligendam, explicandamque animum appulisse. Enimvero simile tentamen ante annos bene multos sucepit Khellius noster spectatae vir eruditionis, ac promptae in haec nostra studia voluntatis, quod manu scriptum possideo. In eo vir praestans eum ipsum ordinem secutus est, quem sibi Frölichius in annalibus rerum regumque Syriae praescripserat; nimirum imperatorum annalibus adstituit numos per inscriptos annos eo pertinentes, quos partim in catalogis, variisque auctoribus editos reperit, partim ii, quos erudito literarum commercio sibi conjunctos habuit, secum communicavere. Opus istud in Hadriani usque tempora deductum imperfectum mansit. Ex eo viri eruditi conatu ad praesens meum institutum vix aliquem percepi fructum quod in multis idem redundat, idem deficit, deinde nihil, aut vix aliquid commemorat eorum, quae ad typos eorumque explicatum, aliasque horum numorum causas pertinent, ut praeteream, non satis purgata eum crisi aut in eorum selectu, aut epigraphes lectione usum. Quod Khellius morte praeventus exequi non potuit, cumulate praestitit Georgius Zoëga Danus, mihi, quod cum voluptate profiteor, longiore Vindobonae usu notissimus, qui cum

catalogum monetae Alexandrinae Caesarum, quae in museo Borgiano adservatur, edere pararet, eadem opera numos hujus argumenti omnes, quos in praestantissimis Europae museis aut vidit ipse, aut quos in catalogis reperit sive praelo vulgatis, sive manu scriptis, collegit et in lucem dedit vulgato opere, cui titulus: *Numi Aegyptii imperatorii prostantes in museo Borgiano Velitris, adjectis praeterea, quotquot reliqua hujus classis numismata ex variis museis atque libris colligere obtigit. Romae apud Antonium Fulgonium MDCCLXXXVII. in 4to.* Prodiit vero auspiciis Em. S. R. E. Cardinalis Stephani Borgia, cujus nomen, quod veteris aevi reliquias non modo magna cura, majoribus impensis conquirere studet, sed etiam, praestantissimorum usus virorum opera, quos undecunque oriundos sibi devinctos habet, et in amicis putat, publici fieri juris gestit, cujus, inquam, nomen jam nunc in Aeternitatis templo praefulget, et quoad philologiae honos habebitur, omnium linguis ac gratulatione celebrabitur. Opus istud si praestantissimis adnumero, quae in simili causa lucem viderunt, nemo erit eorum, qui modo aequi sint ac periti artis nostrae judices, cujus non sperem laturum suffragia. Neque enim in eo desiderabis aut copiosam multarum rerum scientiam, vastamque eruditionem, aut totius partes nitide ac ordine dispositas, aut in colligendis Aegyptiis numis industriam et adcurationem, quo quidem in conatu rem fecit omnibus nobis gratissimam, quod tandem in lucem protraxit hujus argumenti numos, quos locupletissimum regis Galliarum museum continet. Neque feliciorem impendit operam vulgandis iis, qui cogniti nondum fuere, quam ingeniose ac dextere corrigendis iis, qui aversa Lucina sunt editi, aut denique aspernando Goltzii figmenta, aliorumque cognitos abortus, quibus nulla ars fingendo potest subvenire. Eadem opera auctor clarissimus instituit inquirere in religionis Aegyptiae genesin, naturam, causas, mysteria, ejus explicare allegorias et labyrinthos multis saepe infeliciter tentatos, significationem rerum ac nominum vocata suppetias Coptorum lingua enucleare; quae quidem superflua existimarem pleraque, si mihi uni scripta putarem, et non tot aliis, quibus sane persuasissimum est, inesse certam aliquam rationem, consilium ac nexum in Aegyptiorum superstitione, quam vetustissimus stupor parturivit, consecravit antiquitatis opinio, exornavit callidum sacerdotum ingenium, ut plebs rudis suas aliquid putaret esse nugas, quam denique historicorum et grammaticorum credulitas anilibus fabulis ac figmentis sic involvit, ut quid antiquissimo aevo creditum fuerit, discernere cum ratione non possis. Spero, ea, quae modo disputavi, nequaquam viri praeclari ingratiis esse dicta, quando in operis praefatione modestius ipse, quam verius professus est, semetipsum sibi succensere, quod Aegyptiarum rerum explicationem nonnunquam tentare ausus esset, de quibus nisi praemisso diuturno et indefesso studio nihil sani in medium adferre datur. Sed enim vatem me ausim praestare amicissimo Zoëgae,

quaecunque aliquando post impensum qualecunque studium in hac causa scripserit, aeque sibi displicitura, capturumque sero experimentum, exercitationi ac vigiliis parum respondisse fructus speratos, eumque rectissime arbitrari, qui ad investigandas Aegyptiae theologiae causas non nimiam ἀκρίβειαν adferendam putat, praeclari ejus dicti Horatiani memor: *Est quodam prodire tenus, si non datur ultra.* Vt enim Aegyptius Nilus suum diu caput occuluit, sic et suum Aegyptiorum dii, et quod arcana Isis de se olim praedicaverat, potest eadem in hunc diem jure praedicare: ΤΟΝ. ΕΜΟΝ. ΠΕΠΛΟΝ. ΟΥΔΕΙΣ. ΠΩ. ΘΝΗΤΟΣ. ΑΠΕΚΑΛΥΨΕΝ [a]).

Ad meum in hac operis parte institutum quod attinet, non est mihi animus texere catalogum omnium hujus classis numorum, cum quod istud instituti mei limites vetant, jamque abunde a cl. Zoëga est praestitum, tum quod repetita crambe lectores fatigaret; nam inde a Commodo vix alii jam illustres typi, aut saltem non jam ex prioribus cogniti occurrunt, solis annis inscriptis chronologiae causa reliquum hujus monetae meritum facientibus. Sedulo tamen cavebo, ut nihil ejus omittam, quidquid commemoratu dignum est, et quocunque pacto philologiae studia ornat juvatque, sic ut perlectis his abunde videri possit instructus lector, neque amplius quidquam ad hujus monetae intelligentiam desiderare. Ejus causa universum hoc tentamen in IV. capita dispesco, quorum I. complectetur typos in hac classe frequentiores, II. partem chronologicam, III. fabricam, metallum, modulum, IV. ipsum numorum catalogum.

Adjumentis ad perficiendum hoc opus usus sum, primum museo Caesareo, hujus classis moneta, ex quo ejus catalogum typis vulgaveram, praeclaris accessionibus aucto; deinde catalogis jam cognitis, quos inter illustriores sunt ii, qui numos musei Theupoli et Arigonii continent, quanquam in his cautione opus est, quia eorum aut dictata aut picta saepenumero fallunt, tum numi Bandurii inde a Decio, denique et lectissima laudati Zoëgae supplementa. Magno etiam usui fuit catalogus musei Philippi de Stosch ipsius possessoris manu exaratus, et petenti Khellio anno 1752 missus, in quo pretiosam horum numorum supellectilem, eamque adcurate descriptam reperi, tum et catalogus MS. musei S. Floriani Austriae superioris olim Apostoli Zeno. Auctores alios illustres, Pellerinium, Barthelemyum, Belleyum, qui, cum occasio tulit, eorum nonnullos edidere, suis locis indicatos reperies.

CAPVT I.

Typi hujus classis frequentiores.

Plerique numi Alexandrini deos aut ritus sacros, petitos sive a religione domestica, sive Graeca, sive Romana offerunt. Ex Graecorum disciplina huc

---

a) Plut. de Is. et Osir. p. m. 354.

fluxere Hercules varios suos labores exercens in numis Antonini, Iuno Argiva, Neptunus Isthmius etc. in numis Neronis, aliique passim dii aut heroes, quos tamen huc non voco sed tempori, quo signati sunt, reservo, quia aut rarius in his numis comparent, aut plerumque aliquid habent causae, quod eos cum imperatoribus connectit, quorum imagines in antica exhibentur. Romanum ritum olent lectisternia, Spes, Concordia, Abundantia, Providentia etc. typi prorsus Romani, at in moneta Alexandrina luculenti servitutis testes. Possum adeo hoc loco ab iis explicandis abstinere, quod istud in moneta Romana praestabitur. His ergo prolegomenis complector tantum numina Aegyptia, eaque illustriora, cum quod domestica sunt, atque adeo hujus propria tractatus, tum quod frequenter per universam hanc numorum classem recurrunt. Neque tam facile speres, reperturum te in hac classe deorum imagines eo cultu, quali eos vetustissima Aegyptiorum aut religio aut ars proposuit; inde enim ab Alexandro M., ex quo servire primum Graecis, deinde Romanis coacti sunt, ritum veterem aut cum externo miscuere, aut dedidicere.

SARAPIS.

ΣΑΡΑΠΙΣ. L. Γ. *Caput Sarapidis modio vel calatho tectum.* Vespasiani. (Stosch.)

ΖΕΤΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ. L. ENAT. *Sarapis seminudus stans cum calatho in capite dexteram demitit versus adstans humi animal triceps, s. hastam.* Vespasiani. (Pellerin Mel. I. p. 224.)

Sarapis simili cultu sedens dexteram extendit versus simile animal triceps. In numis variis.

Sarapis idem, sed adstat praeterea Mercurius d. caduceum, s. oblongum palmae ramum tenens. Trajani. (Neumann num. pop. Part. II. tab. 3.)

ΕΤΓΑΜΙΑ. L. ENAT. *Sarapis eodem cultu sedens.* Vespasiani. (Pellerin Rec. III. p. XXXI.)

ΗΛΙΟΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ. L. ΙΓ. *Sarapis stans cum calatho in capite d. extenta, s. hastam.* Domitiani. (Pellerin, Mel. I. p. 224.)

ΗΛΙΟC. L. Є. *Serpens cum capite Sarapideo arrectus insistit equo gradienti.* Veri. (Zoëga.)

Caput Sarapidis cum calatho, radiis, cornu Ammonis, prae quo cornucopiae, pone tridens illigatis serpentibus. Antonini. (Mus. Caes.)

Mulier capite radiato aut turrito stans d. caput Sarapidis, s. hastam. In numis variis.

Sarapidis cultum alii Sinope Ponti a Ptolemaeo seu Sotere seu Philadelpho advectum, alii in Aegypto jam vetustissimis temporibus cognitum adfirmant, de quo lege disputantem Spanhemium (ad Callim. in Cerer. v. 1.) Probat idem ex Plutarcho de Iside, nomen ipsum *Sarapidis* non fuisse a Ptolemaeis Alexandriam Sinope advectum, sed fuisse vernaculum Plutoni ab Aegyptiis ex longo datum. Fugit virum insignem testimonium Diogenis Laertii, quo, si modo verum is dixit, comprobatur, etiam Sarapidis nomen jam ante Ptolemaeos apud Sinopenses valuisse. Ro-

fert is [a]), cum Athenienses Alexandrum Bacchum salutarent, dixisse Diogenem Cynicum: κἀμὲ Σάραπιν ποιήσατε, *et me Sarapin facite*, adludentem nimirum ad princeps patriae suae Sinopes numen.

Istud certum, Aegyptios in Sarapide suo omnium maxime insanivisse, delata illi rerum omnium summa potestate, ejusque honores per omnem late orbem propagatos testibus monumentis innumeris, quae commemorare otium non est, et videri possunt in Aristide [b]). Quod ejus honori erectum stetit Alexandriae templum, omnibus aliis praefert Dionysius Periegetes [c]). In numis praesentibus dicitur ΖΕΥΣ. et ΗΛΙΩΣ. *Iuppiter* et *Sol.* Cum sol est, proponitur in his numis aut forma humana, aut forma serpentis arrecti super equo, cujus typi mysticum sensum, et quatenus cum sole connectatur, novit cl. Zoëga [d]). Hic numus lucem communicat aliis inde a Domitilla non infrequentibus, in quibus sistitur serpens erectus equi currentis dorso imminens. Secundum alios scriptores Plutonis, Neptuni, aliorumque numinum sortitus est potentiam, in quo argumento facundi fuere Abbas Fontenu [e]), Oisellius [f]), Brotierus [g]), collectis, quod unum poterant, scriptorum omnium de hoc Sarapide sententiis, quando sana, concors, sibique constans doctrina ex hoc superstitionis labyrintho obtineri nequit.

Iuppiter Sarapis est, qui cum reliqua Iovis gravitate cultuque, sive stet, sive sedeat, conjungit calathum, quem capite gestat, et dexteram versus adstans animal triceps demittit. Quam difficile sit, animal istud, si oculorum judicium sequaris, definire, vel inde potest colligi, quod, qui similes numos descripsere, jam Cerberum, jam aquilam, aut Sphingem, aut hircum, aut hippogryphum dixerunt. Neumanno illud in numo, quem supra loco IV. citavi, speciem praebuit hominis dimidii ex terra emergentis, cumque constet, Sarapidem cum Dite inferorum rege permixtum, et, qui juxta adstans fingitur, Mercurium, dictum inferum, quae ad manes pertinent, procurare, ingeniose conjecit, proponi Mercurium animam ab inferis evocantem. Credam, sigillum illud ex Macrobio explicandum, cujus unius verba lubet hic adferre [h]). *Alexandria*, inquit, *Sarapin atque Isin cultu paene attonitae venerationis observat, omnem tamen illam venerationem Soli se sub illius nomine testatur impendere, vel dum calathum capiti ejus infigunt, vel dum simulacro signum tricipitis animantis adjungunt, quod exprimit medio eodemque maximo capite leonis effigiem; dextera parte caput canis exoritur mansueta specie blandientis, pars vero laeva cervicis rapacis lupi capite finitur, easque formas animalium draco connectit volumine suo, capite redeunte ad dei dexteram, qua compescitur monstrum.* Habes secundum haec Macrobii verba luculentam Sarapidis in

---

a) L. VI. §. 63. b) Orat. in Serap. c) descr. orb. v. 255. d) pag. 253. e) B. L. T. X. p. 465. f) Thes. sel. num. p. 218. g) ad Tacit. Tom. III. p. 533. h) Saturn. L. I. c. 20.

his numis effigiem, calathum, triceps animal, et ad istud compescendum dexteram dei demissam. Veniam ergo merentur ii, qui monstrum illud Cerberum dixere, nam et Cerberum Sarapidis socium ipse dixit Plutarchus a), et Artemidorus b), et Cerberum agnitum fuisse etiam a Statio, colligo ex hoc ejus versu c):

Cur servet Pharias Lethaeus janitor aras.

Sed etiam dabimus veniam iis, qui aliud dixere, quia in opere minuto, eoque rudi Alexandrino trina haec capita minus commode distinguuntur. At commode ea distinxeris in numis Latinis Caracallae per postremos ejus annos signatis, qui eundem Sarapidem sedentem sistunt. Constat, Sarapidem, qualis Alexandriae colebatur, a Caracalla eximie observatum. Placuit ergo, talem eum in numis Latinis proponere, qualis teste Macrobio ab Alexandrinis fingebatur. At nullo alio monumento vetere testimonium Macrobii certius confirmatur, quam antiqua illa lampade, quae exstat in Lucernis veterum sepulchralibus a Petro Sante Bartolio editis, a Petro Bellorio explicatis, novissime a Begero recusis d), in qua istud trium capitum animal, videlicet leonis, lupi, et canis, et tortuoso dracone obvolutum clare oculis objicitur, ut adeo de ejus natura, qualis a Macrobio describitur, dubitari nullatenus possit.

Dedimus *Iovis Sarapidis* effigiem, jam etiam ratio *Solis Sarapidis* expedienda. Missis sexcentis testimoniis, quae eum solem dicunt, audiamus ipsius dei oraculum sese apud Macrobium professi e):

Ομμα τε τηλαυγες, λαμπρον φαος ἠελιοιο.

Oculum longe lucentem, splendidum, lumen solis.

Ejus, cum sol est, veram effigiem praebet numus ΗΛΙΟΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ., qui differt a Iove Sarapide, quod abest monstrum triceps, et quod dexteram porrigit, quod idem facit etiam sol in tot numis inferioris aevi, inscriptis ORIENS. Vtrumque et Iovis et Solis nomen in Sarapide conjungit marmor, quod ex Tournefortio recitat Belleyus f): ΔΙΙ. ΗΛΙΩ. ΜΕΓΑΛΩ. CΑΡΑΠΙΔΙ. κ. τ. λ.

ΕΥΓΑΜΙΑ Iovi Sarapidi in numo V. adscriptum explicatus est difficilis. Ejus vocabuli, etsi ex lexicis abest, significationem tamen facile tenemus; nam si substantivum est, significat *bonas nuptias*, si adjectivum, aliquid ad bonas nuptias pertinens. Posterior modus placuit ejus numi praeconi Pellerinio existimanti, ejus vocabuli eundem esse sensum, qui est verbi ΘΕΟΓΑΜΙΑ in numis Nysae Cariae, qua certum est intelligi certamina constituta in honorem Plutonis et Proserpinae. At enim praeterquam quod veteres ludorum ΕΥΓΑΜΙΑ non meminerunt, vellicat et illud, quod in nullo hactenus numo Alexandrino videre licuit aut disertam mentionem ludorum, aut consuetum aliquem eorum typum. Forte ΕΥΓΑΜΙΑ aliud non notat, quam ipsas *bonas nuptias*, quarum fors praeses habitus fuit Sara-

a) de Is. et Osir. b) Oneiroer. L. V. eventu 92. c) Silv. L. III. carm. II. v. 112.
d) Parte II. num. 7. e) l. c. f) B. L. T. XXXVII. p. 405.

pis, quam sententiam juvare videtur idem Macrobius, secundum quem adstituta *canis blandientis effigies futuri temporis designat eventum, de quo nobis spes licet incerta blanditur*, quod sane in nuptiis ominis modum habere potest. Plus confert Aristides, qui haec de Sarapide praedicat [a]): *προεστηκε δε και παντων ζωων γενεσεως και τροφης*, *quin et animalium omnium praeest generationi et alimentis*. Praeest ergo et nuptiis generationis causa institutis.

Numus VII. per multiplicata attributa comprobat, quod principio dixi, in Sarapide suo Aegyptios deorum agmen vidisse. Sic radii solem, cornu arietinum Ammonem, tridens Neptunum, serpentes Aesculapium faciunt. Creditum vero quoque fuisse Aesculapium, diserte docet Tacitus [b]): *deum ipsum* (Sarapin) *multi Aesculapium, quod medeatur aegris corporibus - - - conjectant*. Quae causa fuit, cur eum Caracalla quoque officiis demerendum duxerit, ut in ejus numis Romanis docebimus.

Quam dicendam putem mulierem numi postremi, quae caput Sarapidis dextra praefert, utrum Isidem, an genium Alexandriae, non satis liquet. Istud certum, placitum hunc typum Alexandrinis, quia frequenter in hac numorum classe redit.

In numis Vespasiani ejusque familiae saepius et majore cum ostentatione Sarapidem proponi videmus. Ejus causam ex Tacito tenemus, narrante, Vespasianum Alexandriae ejus templum ingressum, ut super rebus imperii consuleret, deum vero ipsum, quo in novum imperatorem ferretur adfectu, miraculorum etiam, quae ibi commemorat, celebritate manifestasse [c]). Idem Sarapis perfrequens deinceps in his numis typus, ac denique: DEO. SERAPIDI. vel: DEO. SANCTO. SARAPIDI. in minutis aeneis imperante Iuliano desultore signatis.

ISIS.

Caput Isidis cum loto in capite. Typus obvius.

Isis sedens, etiam intra templum, Horum lactat. Typus obvius.

Caput Isidis intra concavum lunae. Commodi et successorum.

Isis stans simul sistrum tenet, simul velum explicat, adstituta saepe turri pharo. Inde a Domitiano typus frequens.

Capita jugata Sarapidis et Isidis. Antonini. (Mus. Caes.)

Quod inter deos mares in Aegypto Sarapis, illud inter feminas Isis antiquae dea prosapiae et latae potentiae, de cujus fortuna rebusque gestis vide Plutarchum de Iside et Osiride, et mythologos passim.

Lotus perpetuum Isidis attributum, et frequens adsecla filiolus Horus, cui maternas curas impendit. In numo III. lunae cornibus ambitur, nam ut Sarapis sol, sic Isis luna Aegyptiis credita. In numo IV. tenet sistrum, velumque explicat. Est haec Isis Pharia, proposita etiam et inscripta numis Iuliani: ISIS. FARIA., in quorum explicatione dabimus causam sistri, veli, et adpositae phari. In numo V. habes Sarapi-

a) Orat. in Sarap p. m. 55. b) Hist. IV. c. 84. c) Hist. IV. c. 81. 82.

dem et Isidem conjunctos. Isis suo olim Osiridi fidelis subinde Serapidi adhaesit, sive mutatis studiis, sive, quod teste Plutarcho Osiris et Sarapis unum idemque sunt.

HARPOCRATES.

Harpocrates nudus loto insidens dextera ori admota, s. flagellum, globo capiti imminente. Antonini, Commodi, etc.

ΑΡΠΩΚΡΑΤΗϹ. L. ΙЄ. *Figura stolata et velata cum triplici flore in capite stans dexteram ori admovet, s. clavam.* Aurelii. (Zoëga.)

Eadem aversa, sed sine ΑΡΠΩΚΡΑΤΗϹ., non infrequens per imperia Hadriani, Antonini, Aurelii, comparet etiam in numis nomi Prosopitis.

Harpocrates dextera ori admota, s. cornucopiae in crocodilum desinit, in pluribus numis Trajani. (Zoëga.) Idem typus in numis nomi Menelaitis, et Xoitis comparet.

Harpocrates idem qui Horus, Osiridis et Isidis filius, ex Aegyptiorum doctrina sol. Lactatum a matre paullo supra in Iside vidimus, atque etiam alias semper infantis more proponitur. Talis, qualis in numo I. proponitur, auctore Plutarcho Aegyptiis symbolum fuit solis exorientis [a]). Digitum ori apponit, quia secundum Plutarchum est ἐχεμυθιας και σιωπης συμβολον, *taciturnitatis et silentii symbolum*, nam et cum legumina illi offerebantur, adclamari solitum: *lingua est fortuna, lingua genius* [b]). Fuit hic gestus sic proprius Harpocrati, ut hoc solo indicato ipse satis indicatus videretur. Sic recitatis aliis Aegypti deis ita ipse memoratur ab Ovidio [c]):

Quique premit vocem, digitoque silentia suadet.

Vicissim indicato Harpocrate ipse etiam hic gestus, seu silentium, etsi verbo dissimulatum, indicabatur, ut apud Catullum [d]): *patruum reddidit Harpocratem*, id est, patruo silentium imposuit. Cessit ergo in proverbium, ut advertit Erasmus in Adagiis. Apposite ad hanc ejus naturam dictus est *Sigalion*, a σιγαλεος, *tacitus*, quo eum nomine appellat Ausonius [e]):

Tu, velut Oebaliis habites taciturnus Amyclis,
Aut tua SIGALION Aegyptius oscula signet,
Obnixum, Paulline, taces.

At vero jam dudum Varro dixerat [f]): *Ste* (id est: silentium) *Harpocrates digito significat*, et idem alibi teste D. Augustino [g]): *in omnibus templis, ubi colebantur Isis, et Serapis, erat etiam simulacrum, quod digito labiis impresso admonere videretur, ut silentium fieret.* Quanquam sunt qui putent, hunc silentii in Harpocrate explicatum esse merum Graecorum inventum, eum vero gestum ad solis potius allegoriam pertinere [h]). Et profecto verisimile mihi videtur, per unam hujus gestus causam Harpo-

a) De Pythiae orac. p. 400. A. b) de Is. et Osir. p. 378. c) Met. IX. 691. d) epigr. 74 et 100. e) Epist. XXV. v. 26. f) de L. L. lib. IV. g) de Civ. dei L. XVIII c. 5. h) Jablonski Pantheon Aeg. Part. I.

cratem a Graecis sic factum Sigalionem, ut olim Gnathaena meretrix Sigeum in Helesponto situm per solam hujus nominis causam fecit urbem silentii [a]). Tenet manu flagellum exemplo patris Osiridis. Sed nolo persequi a mythologis abunde discussa. Vide Harpocratem Cuperi, Aegyptia Com. Caylus, Iablonskium, et Pierres gravées du Duc d'Orl. T. I. p. 7.

Figura stolata stans d. ori admota, s. clavam. Vide numos supra descriptos. Similem typum ostendi olim ex numo Hadriani [b]). Dextera ori admota Harpocratis me quidem facile admonuit, verum quid ad Harpocratem stola? quid clava? Necessitate igitur compulsus circumspexi mulierem deam, quae et silentium amet, et cum qua componi clava possit, visumque est, exhiberi Angeronam, magnum Romae, et arcana religione venerandum numen. Citatus supra, et nuperrime vulgatus numus adscripto ΑΡΠΩΚΡΑΤΗϹ. certum nobis hoc typo Harpocratem praestat. Harpocrates androgynus, tum tributa clava illi deo, quem imaginem quandam fuisse infantiae et infirmitatis veteres nonnulli docuere, en novum aucupium, cui animum curasque intendant ii, qui enucleandis Aegyptiorum mysteriis delectantur. Hactenus fortunam propitiam non habuere. Nam testatur cl. Zoëga [c]), nihil se invenisse apud veteres, quo clavae causam explicaret; conjicit tamen, adludi ad arcendos a mysteriis profanos, tum Harpocratem a Graecis cum Hercule confusum videri. Acquiescat his, qui volet.

Quem modo virum, feminamque vidimus Harpocratem, numi extremo loco positi parte hominem, parte crocodilum praestant, nimirum ut haberent etiam Aegyptii, quod Graecorum Hippocentauris opponerent. Ejus quoque explicatum relinquo iis, qui Isidis sacris initiati sunt.

AMMON.

Caput Ammonis cum cornu arietino imminente capiti globo. Domitiani. (Stosch.)

Caput prorsus simile, infra quod aries monili ornatus, ante quem ara. Antonini, aliorumque.

Libycum hoc numen, et inter majores Aegypti deos receptum abunde cognitum. Positus infra ejus caput aries commonefacit ejus, quod refert Hyginus [d]): Bacchum, cum Libyam oppugnaret, arietis ducis beneficio puteum, cum sitis urgeret, commonstrantis exitium cum exercitu evasisse, ac propterea eo loci Iovis Ammonis templum facto cum cornibus arietinis simulacro constituisse. Globus capiti imminens Ammonem solem comprobat, nam ejus sideris potentiam perinde ac Harpocrates ex Aegyptiorum doctrina nactus est.

APIS.

Hujus dei bovis formam, insignia,

---

a) Aelian V. H. L. XIII. c. 13. b) Sylloge I. p. 70. c) pag. 193. d) Astron. L. II. c. 20.

et ineptam religionem describere supervacaneum, quod satis ex Herodoto, Plinio, Diodoro, et Ammiano sunt cognita. In hujus classis numis inde a Domitiano proponitur forma bovis, hoc uno a profanis fratribus diversi, quod discum inter cornua gestat, quia lunae symbolum fuit, ut testatur Ammianus [a]). Dextero lateri impressam habuit lunam crescentem adserentibus istud Plinio [b]), et Ammiano [c]). Revera eam eodem loco observari in numis Alexandrinis cum capite Hadriani, et Antonini, testatur Caylus [d]), et cl. Zoëga variis locis.

AGATHODAEMON.

ΝΕΟ. ΑΓΑΘ. ΔΑΙΜ. L. Γ. Δ. ς. *Serpens inter spicas arrectus implicatis caudae spicis et papaveribus.* Neronis (Mus. Caes.)

Sine epigraphe. Serpens similis adsurgens et cauda caduceum vel sistrum constrictum tenens; in nonnullis ex adverso exsurgit serpens alter corpore crassiore. In numis obviis. In aliis: *Serpens similis, sed cum capite Sarapidis.* (Zoëga tab. XII.)

Agathodaemon, *bonus genius*, Aegyptiae quoque superstitionis, docentibus non modo his numis, sed et Lampridio narrante, Elagabalum Aegyptios dracunculos Romae habuisse, quos illi *Agathodaemonas* vocant [e]). Sic et alveus Nili, qui τȣ Delta latus occidentale definit, dictus est Agathodaemon auctore Ptolemaeo. Serpentum allapsus boni fuisse ominis loco habitos, innumeris posset exemplis comprobari, cumprimis vero genii serpentum plerumque formam sunt ementiti. Sic cum Aeneas patri Anchisi inferias mitteret, ut refert Maro [f]), videretque anguem parentis tumulo succedentem, haesit

Incertus, geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet.

In praesentibus numis dicitur ΝΕΟς ΑΓΑΘος ΔΑΙΜων, *novus bonus genius*, haud dubia adulatione in Neronem, cujus effigiem antica sistit. Bono huic genio ex eadem causa puto tribui spicas et papavera, ex qua eadem tribuuntur Bono Eventui in numis Romanis. Credo, spicis, papavere, caduceo notari concordiam a bono genio seu speratam, seu impetratam, ut saepe in hac numorum classe videmus eadem haec attributa a duabus junctis dexteris contineri. Ovidio in consortio numinum Aegyptiorum memoratur quoque *Plenaque somniferi serpens peregrina veneni* [g]), qua non dubito indicari nostrum Agathodaemona. Cl. Zoëga in nota ad hunc numum citat Eusebium narrantem [h]): Aegyptios et Phoenices serpentem pro boni genii symbolo habuisse, at quod ibi addit, fuisse capite accipitrino, istud non docent numi, qui eum vel cum capite serpentino vel humano exhibent. Dixi supra, cum bini proponuntur serpentes, horum alterum corpore esse crassiore. Teste Solino [i])

---

a) L. XXII. c. 14. b) L. VIII. §. 71. c) l. c. d) Ant. T. I. p. 43. e) in Elag. p. m. 111. f) Aen. V. 95. g) Metam. IX. 693. h) de praep. evang. L. I. 10. i) L. XL.

subtiliora sunt capita feminis, alvi tumidiores, pestis nocentior, masculus aequaliter teres est, sublimior etiam mitiorque. Conjuncti ergo in numis mas et femina generationis symbolum videri possunt.

NILVS.

ΝΙΛΟΣ. L. Γ. *Protome barbata crinibus filo revinctis, flore loti pone humerum prominente, retro astrum.* Titi. (Mus. Caes.)

ΑΥΤΟΚΡΑ. *Caput, flore loti ornatum et barbatum inter duplicatum cornucopiae, ex quorum uno promicat puellus.* Claudii, aliorumque.

Vir barbatus decumbens d. cornucopiae, s. arundinem, ex adverso puellus exultans, infra aut crocodilus, aut hippopotamus, superne plerumque scriptum Iϛ. In obviis Trajani etc.

Nilus capite lotum gestans d. cornucopiae, s. arundinem, circum ipsum ludit puellorum agmen, juxta crocodilus. Trajani, (Pembrock P. III. tab. 82.) M. Aurelii, (in meis num. vett. p. 301.) Alex. Sev. (Arigoni.)

Vir barbatus hippopotamo vectus d. spicas, s. cornucopiae. Mamaeae. (Pellerin Mel. I. tab. 15)

ΩΚЄΑΝΟC. L. ϛ. *Vir barbatus humi considens d. arundinem, s. cornucopiae, et simul urnae innixus.* Commodi. (Pellerin Rec. III. p. 119.)

Habes illustriores hujus classis numos, qui Nili nobis imaginem sistunt. Fuisse illum tot monumentis celebratum, nequaquam mirum, quod quo tempore alii per orbem fluvii deficiunt, ipse unus suopte ingenio late visus erat restagnare, nulla certa causa, quod fontes occultaverat. Quam variae proditae fuerint annui ejus incrementi a veteribus causae, videre potes in appendice a Iungermanno Herodoti editioni adjecta [a]), apud scholiasten Apollonii [b]), et in Aristidis oratione de Aegypto, ac praecipue apud Senecam [c]). At si is propter arcanam hanc, insolentemque virtutem miraculo fuit, idem quod stato aquarum tumore fecunditatem Aegypto incredibilem procuravit, coelestes honores obtinuit, nullo incolarum fastidio, qui suapte in superstitionem proni, quae libuit animalia, nullius, aut multo levioris comperta beneficii consecraverant. Et valuit tantum grata ejus boni recordatio, ut beneficum istud flumen eodem loco, quo Iovem, putarent veteres, quod nimirum, quae Iovis credita fuere beneficia, alimenta, et ad vitam sustendandam facultates, eadem et Nili esse propria intellexerunt. Iam pater Homerus illustre illi nomen dedit Αἰγυπτοιο διϊπετεος ποταμοιο, *Aegypti a Iove manantis fluvii* [d]), tum dictus Pindaro Νειλος Κρονιδας, *Nilus Saturnius* [e]). At multo his disertius Parmeno laudatus ab Athenaeo [f]), et scholiasta Pindari [g]): Αιγυπτιε Ζευ Νειλε, *Aegyptie Iuppiter Nile!* scilicet praestante vorticibus suis Nilo, quod alibi Iove imbribus. Quorsum sane respexit Euripides sic fabulam Helenam inchoans:

---

a) pag. 785. b) ad L. IV. v. 269. c) Nat. quaest L. IV. d) Odyss. Δ. 477. 581. Ι. 284. e) Pyth. Δ. 99. f) L. V. p. m. 203. g) ad cit. vers.

Νειλȣ μεν αι δε καλλιπαρθενοι ροαι,
Ος αντι διας Ψεκαδος Αιγυπτȣ πεδον
Λευκης τακεισης χιονος υγραινει γυας.
Nili quidem haec sunt formosis Nymphis habitata flumina,
Qui pro coelesti gutta Aegypti solum
Candida liquefacta nive irrigat et agros.

Sed non unum istud Nili benefactum; nam qui profusus agris, idem potus feminis fecunditatem praestitit, testante Plinio [a]): *praeterquam in Aegypto, ubi fetifer potu Nilus amnis*, et si fides scholiastae Aeschili [b]), *aqua Nili in partus masculos valet, unde se proluens Iuppiter Martem genuit.* Narrat Eustathius [c]), feminas ex hujus fluminis potu quatuor, quin et advocato teste Aristotele septem proles uno partu edere. Et quidem inveteratus ejus fluvii cultus diu duravit, nam et Eusebius suo illum aevo religiose ab indigenis observari scripsit [d]), et exstant numi parvi aenei Alexandriae signati, quos vulgo Iuliano tribuimus: DEO. SANCTO. NILO. cum sueto ejus jacentis typo. At quod magis mirandum, durat hodieque vetus superstitio. Habet Nilus in Abyssinia ad ipsos fontes sacerdotem suum, qui ad Sirii exortum in frequente populi conventu fluvio vaccam nigram immolat, eumque in solenni hymno vocat summum deum, orbisque σωτηρα, teste horum Iacobo Bruce in Itinerario suo, qui ante annos XXII. post alios Nili fontes ipse vidit, et copiose descripsit.

Monumenta, quae illustre hoc flumen exprimunt, copiosa sunt, et praeter citatos hujus classis numos illud offerunt etiam numi Hadriani commatis R., tum et non pauca signa marmorea. Quod humi vel sedens vel jacens ac liberaliter barbatus fingitur, innixus urnae, et arundinem vel cornucopiae gestans, istud sibi cum fluviis fratribus commune, notumque habet explicatum. At ejus propria sunt I. crocodilus, hippopotamus, lotus. II. puellus unus, aut auctiore numero, adscripto saepe Iϛ., quorum omnium rationem paucis dabimus.

I. Crocodilus et hippopotamus, noti Nili incolae, tum et lotus, quae in Nili paludibus habitat, flumen, cui adsuevere, neque in ipsa moneta deserunt, et suae causam societatis per se ipsi loquuntur. De Nili forma agens Lucianus sic ait [e]): ει πȣ τον Νειλον ειδες γραφη μεμιμημενον, αυτον μεν κειμενον επι κροκοδειλȣ τινος, η ιπποποταμȣ. *Si aliquando vidisti Nilum pictura expressum, ipsum quidem stratum super crocodilo vel hippopotamo.* Reliquum hujus testimonii dabimus infra. Crocodilus tam certum erat Nili criterium, ut cum Nealces pictor eum vellet intelligi, asellum pingeret in litore bibentem, et crocodilum ei insidiantem [f]). Hippopotamus perrarum hodie in nilo animal, ac propterea ejus certa forma necdum satis historiae naturalis studiosis cognita. Inter eas imagines, quas monumenta vetera suppeditant, Daubentonus exactissimam putat eam [g]), quae habetur in

a) L. VII. § 3. b) Supplic. v. 862. c) ad Dion. Perieg. v. 22. d) in vit. Const. M. L. IV. c. 25. e) in rhet. praecept. f) Plin. L. XXXV. p. 707. g) Pierr. grav. du Duc. d'Orl. T. II. pag. ult.

numo Alexandrino Mamaeae apud Pellerinium [a]).

II. Puellus unus pluresve, pro his saepe numerus Iς. id est: XVI., quo indicatur, tot Nilum cubitis illo anno surrexisse, felicissimo fertilitatis augurio, nimirum teste Plinio [b]): *Iustum incrementum est cubitorum XVI. Minores aquae non omnia rigant, ampliores detinent tardius recedendo. Hae serendi tempora absumunt solo madente, illae non dant sitiente. Vtrumque reputat provincia. In XII. cubitis famem sentit, in XIII. etiamnum esurit, XIV. cubita hilaritatem adserunt, XV. securitatem, XVI. delicias.* Ergo cum cubita XVI. excrevit Nilus, non neglexerunt Alexandrini, has suas delicias in moneta publice jactare, quia certum istud fuit ἐυετηρίας augurium. De hoc Nili incremento aliquid auditu percepit ineptus auctor oraculorum Sibyllinorum; sed cum illud in fertilitatis argumentum vertere debuisset, hoc ejus XVI. cubitorum tumore cladem regioni praedixit [c]).

Cubitorum vicem saepe obeunt puelli, docente iterum Plinio [d]): *Nunquam hic* (lapis basaltes) *major repertus est, quam in templo Pacis, et imperatore Vespasiano Aug. dicatus, argumento Nili XVI. liberis circa ludentibus, per quos totidem cubita summi incrementi augentis se amnis intelliguntur.* Et est operae pretium, referre lepidum modum, quo exprimendum esse Nilum praecipit Philostratus [e]): περι τον Νειλον ὁι πηχεις ἀθυρυσι, παιδια ξυμμετρα τῳ ὀνοματι, και ὁ Νειλος ἀυτοις ὑπεργαννυται τα τε ἀλλα, και ὁτι κηρυττυσιν ἀυτον, ὁσον Αιγυπτιοις προεχυθη. *Circa Nilum cubita ludunt, quae sunt puelli ejusdem cum nomine mensurae, et Nilus iis summopere delectatur cum ob alias causas, tum quod indicant, quantus Aegyptiis profusus sit.* Plinii et Philostrati testimonium egregie confirmant monumenta residua, ceu signum marmoris candidi vastae molis in hortis Vaticanis, aliudque exiguum marmoreum in villa Albana, repentibus ludicre quaquaversum per senis corpus puellis cubita notantibus. Idem etiam argumentum videas in numo ex citatis IV. atque etiam in aeneis Hadriani Romanis, inscriptis NILVS.

Nili capiti modium aptat Suidas. Etenim hic incertus, cujus naturae sit Sarapis, haec habet [f]): τυτον δε ὁι μεν Δια ἐφασαν ἐιναι, ὁι δε τον Νειλον, δια το μοδιον ἐχειν ἐν τῃ κεφαλῃ, και τον πηχυν, ἠγυν το τυ ὑδατος μετρον. *Hunc alii quidem esse Iovem dixerunt, at alii Nilum, quod modium haberet in capite, et cubitum, id est: aquae mensuram.* In numis Nilus modium non praefert, sed familiarem sibi lotum; verum cum Suidae verbis praeclare conspirat gemma edita a Winkelmanno [g]), in qua proponitur protome Nili, per cujus caput et humeros repunt quatuor puelli, ipse tectus modio, in pectore duplex cornucopiae in decussem positum spicis copiisque refertum praefert, adscripto: ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘΕΟΥ. *Providentia dei.* Quod Suidas πηχυν, *cubitum*, appellat, aliud certe non est, quam puellus ex eorum genere, quales vidimus. Enimvero cum de

a) Mel. I. tab. XV. n. 7. b) L. V. §. 10. c) L. V. d) L. XXXVI. §. 11. e) in Imag. f) in Σαραπις. g) Mon. ant. p. 109.

Nilo sermo est, vox πηχυς non cubitum, sed puellum cubitalem significat. Sic paullo ante a Philostrato cubita dici vidimus puellos ejusdem cum nomine mensurae, et apertius a Luciano loco supra citato, qui cum memorasset, Nilum pingi crocodilo, aut hippopotamo incumbentem, prosequitur, adstitui praeterea μικρα τινα παιδια παρ' αυτον παιζοντα, πηχεις αυτες οι Αιγυπτιοι καλεσι, *parvos quosdam pueros juxta ludentes; cubita autem illos Aegyptii appellant.*

Reperta sunt etiam monumenta, in quibus fingitur caput barbatum porrectis e fronte cancri forficulis. Esse caput Nili, opinatus est Fabrettus [a]), propterea quod sole cancrum occupante augeri incipit. Ejus sententiam collaudavit Gorius reperto in vetere gemma simili capite [b]). Sane dixit Porphyrius [c]): Αιγυπτιοις δε αρχη ετες εχ υδροχοος, ὡς Ρωμαιοις, αλλα καρκινος, *Aegyptiis anni initium facit non aquarius, ut Romanis, sed cancer.* Theon, qui idem docuit, causam addit, quia τοτε εμβαινει ὁ Νειλος, *tum Nilus adsurgit* [d]). Verum hac forma videre Nilum in numis nondum contigit.

ΩΚЄΑΝΟC. in numo postremo. Erudite Pellerinius et Graecam hanc dictionem, et virum procumbentem Nilo applicat. Enimvero Tzetzes haec de Nilo [e]): ὁ Νειλος τρις μετωνομασθη, προτερον γαρ ΩΚΕΑΝΟΣ αν εκαλειτο, δευτερον αετος, οτι οξεως επερρευσε, τριτον Αιγυπτος, το δε Νειλος νεον εςι. *Nilus ter nomen mutavit, primum enim OCEANVS dictus, deinde aquila, quia cum impetu fertur, tertium Aegyptus, Nili vero nomen recens est.* Eadem habes apud Diodorum [f]). Haec ut vera sunt, tamen vocabulo ΩΚΕΑΝΟΣ et typo ipsum potius Oceanum, quam Nilum indicari contra Pellerinium puto. Nam si tam certus est Nilus, cur absunt ejus certa attributa, seu crocodilus, seu hippopotamus etc. quorum aliquod Nilo semper adstituitur? At cum Nilum fastidio, facile tamen concedam, Oceanum Nili causa monetae Aegyptiae illatum, nam teste Hecataeo, quem citat scholiasta Apollonii [g]), creditum fuit, Oceanum cum Nilo aquas communicasse. Docuit etiam Democritus, quem laudat idem scholiasta [h]), Nilum annuum suum incrementum debere Oceano in meridiem posito. Quid quod refert Theophylactus Simocates [i]), ex mente sacerdotum Aegypti Nilum ortum trahere ab ipso Oceano orbem circumdante. Non ergo mirum, Oceano quoque, a quo regioni per Nilum tanta accedere beneficia creditum, in moneta Alexandrina locum permissum. Quod fluvii humi decumbentis ritu fingitur, nihil obest, nam Oceani nomen omnibus passim aquis dari testatur scholiastes Euripidis [k]): παν δε υδωρ Ωκεανος λεγεται, ut e converso Homerus Oceanum flumen dixit [l]):

Την δε κατ' Ωκεανον ποταμον φερε κυμα ροοιο,

a) Col. Traj. p. 304 b) Mus. Flor. T. II. tab. 19. n. 52. c) de Nymphar. antro. d) in Aratum. e) ad Lycophr. v. 119. f) L. I. c. 19. g) ad L. IV. v. 259. h) ad L. IV. v. 269. i) Hist. L. VII. c. 17. k) ad Hippol. v. 121. l) Odyss. Λ. 638.

At illam per Oceanum fluvium ferebat
fluctus undarum.

et apertius [a]):

Ουτε τις ἐν ποταμων ἀπεην, νοσφ' Ωκεανοιο.

Neque quis fluviorum aberat, praeter Oceanum.

Denique Oceanum non absimili modo pictum offert insignis numus Tyri, scripto juxta ibi quoque ΩΚΕΑΝΟC., quem vide.

SPHINX.

Vetus Aegypti abortus, et religione consecratus. Vt aenigmata dictasse perhibetur, sic merum ipsa aenigma. Nam quod composita esset ex capite virginis reliquo corpore in leonem abeunte, habita est symbolum ingenii cum fortitudine conjuncti [b]). At teste Plutarcho [c]) ante templa collocabantur Sphinges, quo innueretur, rerum sacrarum doctrinam constare perplexa et sub involucris latente sapientia. Nostri aevi eruditis certum visum, juncto leonis virginisque typo ab Aegyptiis adlusum ad singulare beneficium exundantis Nili eo ipso tempore, quo sol in leone et virgine adhaeret, quam sententiam prae aliis impensius dilexit Comes Caylus [d]), a Kirchero, ut videtur, haustam [e]). Vt non inficior, esse ingeniose repertam, sic tamen esse veram spondere non ausim, primum quod haec doctrina nullo, quod norim, veterum testimonio comprobatur, nam Horus Apollo leonem tantum Nili fuisse symbolum dixit, quia, cum sol hunc subit, amplior fit Nili inundatio [f]), deinde quod credibile forte est, Sphingis imaginem multo esse antiquiorem Zodiaci in XII. animalia descriptione. Sane Sphingem remotissimae esse aetatis inventum, non modo certissima docent Herodoti, aliorumque oracula, sed et residua Aegyptiorum monumenta late porrectae vetustatis, velut obelisci, aliaque, insculptam Sphingem praeferentia. Quid quod ex mente eruditorum astronomi Aegyptii (Aegyptios ajo, diversos ab Alexandrinis Graecis) nequaquam usi sunt zodiaco in XII. signa diviso, sed in signa XXVII. vel XXVIII., et est verisimile, priorem illam divisionem repertam fuisse a Chaldaeis, et ad Graecos translatam. Vide haec disputata a cl. Bailly [g]). Ceterum quem sensum recondat compositum istud animal, nihil moramur. Istud certum, natum esse in Aegypto, ac propterea in hac quoque numorum classe frequenter comparere, sed forma in nonnullis immutata. Nam vetus illa et necdum corrupta Aegyptiorum Sphinx alis adhuc caruit, quas haud dubie addidere Graeci, ut docent obviae Chiorum drachmae, et denarii Augusti, derivato subinde in Aegyptum exemplo, jam tum a ritibus externis minus alienam. Aegyptiam etiam Sphingem carere mammis, quae in Graeca turgent, primus observavit cl. Zoëga, qui de varia Sphingis forma et significatione multa congessit [h]). In nonnul-

a) Il. Υ. v. 7. b) Clem. Alex. strom. V. Synesius de Regno pag. 7. et de Provid. p. 101. c) de Is. et Osir. p. m. 354. d) Antiq. T. I. p. 45. e) Obel. Pamph. p. 286. f) L. I. c. 21. g) Hist. de l'Astronomie moderne Tom. III. h) Numi Aeg. p. 140.

lis Alexandrinis Sphinx alata pedem anteriorem rotae imponit, incerto sensu. Insolitum Sphingis cultum videbimus in Hadriani numis.

ALEXANDRIA.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. vel: ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. (in aliis abest epigraphe.) *Caput muliebre elephanti exuviis tectum.* Inde a Claudio frequenter.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. *Mulier elephanti exuviis tecta et habitu succincto stans d. coronam, s. hastam,* Vespasiani. (Stosch.)

En genium Alexandriae elephanti rictu caput operientem, incertum, qua de causa. Africae genius in plerisque catalogis dicitur; at cur Alexandrini aut Africae genium numis suis inferrent, aut illato adscriberent ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. pro ΛΙΒΥΑ.? Eodem modo culta mulier in numis Hadriani anno IE. notatis ejus imperatoris manum osculatur, in qua certa agnoscenda est Alexandria, ut dicetur. In denariis gentis Aemiliae genium Alexandriae facit mulier turrita more aliarum Graeciae urbium. Ammianus memorat templum genii Alexandriae, quod in ipsa hac urbe stetit [a]).

Numum cum praetensa epigraphe ΑΛΕΞ. ΑΙΓΥΠ. vide infra in numis Augusti.

Alium cum mentione urbis Alexandriae, eumque vere antiquum dabimus infra in numis nomorum Aegypti.

Alexandriae etiam meminere aliquot concordiae numi, quos signavere Ephesii, et Samii, de quibus agam paucis post enumeratos omnes imperatorum hujus classis numos.

CAPVT II.

Pars chronologica.

Insigni ad chronologicam imperatorum historiam adjumento Alexandrinis his numis annos imperii inscriptos videmus, idque tanta religione, ut ex immenso eorum numero, qui certe ad hanc classem pertineant, unicum norim Aelii Caesaris anno suo destitutum, credo propterea, quod hic jam ex inscripto Aelii consulatu est cognitus. Verum ut, quae huc pertinent, recte intelligamus, praecipienda nonnulla sunt I. de calculo annorum Alexandrinorum, II. de modo, quo hi anni in numis notantur.

I. Aegyptiorum veterum annus una cum diebus V. epagomenis, quos exeunti anno adjecere, constabat diebus 365. Annus ipse divisus in menses XII., quorum primus fuit, qui ipsorum lingua dicebatur *Thot.* At cum usus apud eos non obtineret, singulis quatuor annis diem intercalandi, factum necessario, ut caput neomeniae Thot singulis quadrienniis in Kalendario Iulianno uno die retrocederet. Haec ratio mutari coepit mense Sextili V. C. 724., quo Alexandriam expugnavit Octavianus; nam, si fides Dioni [b]), tum constitutum, ut dies, quo capta fuit Alexandria, faustus esset, et ab hoc reliquis Alexandrinorum annis numerandis initium sumeretur. Captam Alexandriam Kalendis Sextil. ejus anni, certum cum

a) L. XX. p. m. 405. b) L. LI. §. 19.

ex Orosio [a]), tum ex Kalendario Antiate. In ejus etiam memoriam hac die annua celebrata festa, quorum meminit Dio, inde constat, quod serius Eudoxia Valentiniani III. uxor iis abolitis suffecit festum S. Petri ad vincula Kalendis Aug. celebrandum, ut post alios refert Nauzeus [b]). Verum quod subjicit Dio, ab hoc die reliquis Alexandrinorum annis numerandis initium sumptum, multum torsit chronologos, quod constet, nunquam aut Alexandrinos aut Aegyptios a Kalendis Aug. annos suos numerasse, sed a neomenia Thot, constet vero etiam, dicto anno V. C. 724. A. X. 30. Alexandrinos neomeniam Thot fixi inchoasse die XI. Sextilis, Aegyptios reliquos neomeniam Thot vagi die XXXI. Sextilis. Verum has lites chronologis relinquimus, quorum lucubrationes mox citabimus. Nos, qui annos solum numis Alexandrinis inscriptos spectamus, eorum initium nullo peccandi periculo a die XXIX. Augusti ducemus, etsi malit Nauzeus eorundem initium annorum in iis imperatoribus, qui Hadrianum praecessere, ducere a die XI. Augusti [c]). Qui plus in hac doctrina instrui cupit, praeter Petavium, Dodvellum, aliosque chronologiae magistros eruditas variorum Gallorum lucubrationes consulat, qui in illustrando hoc argumento copiosi fuere, ut Bimardi de la Bastie [d]), de la Nauze historiam Kalendarii Aegyptii [e]), Frereti canonem Astronomicum [f]). Horum ergo judiciis confectum jam est, Alexandrinorum annum, ut dixi, fixum coepisse in neomenia Thot, quae in anno communi cadit in diem XXIX. Augusti, in anno, si ita loqui fas est, bissextili, in diem XXX. ejusdem mensis.

Alexandrini sic numeravere annos imperatorum, ut, quocunque anni tempore hi imperium auspicarentur, annus eorum B. sive II. semper duceretur a proxima neomenia Thot, dies vero praecedentes conficerent annum A, seu primum, etsi plerumque incompletum, et saepe paucorum tantum dierum. Haec doctrina adeo vera est, adeo solidis argumentis et exemplis stabilita, ut jam a nemine in dubium vocetur. Sane aut hoc, aut nullo modo explicari potest in Galba annus B, in Hadriano annus KB, in Elagabalo E, in Probo H, aliique in aliis anni, quam in his numis chronologiae legem pridem agnovere Norisius [g]), Pagius [h]), Philippus de la Torre [i]), aliique. Neque vero haec annos supputandi ratio nova est, aut exemplis destituta, nam et in calculo astronomico Theonis Alexandrini anni imperatorum ad aeram Nabonassaris exacti sic numerantur, ut annus imperantis primus putetur illud temporis spatium, quantumvis modicum, quod usque ad sequentis anni exordium fluxerat [k]). Sic et in numo vicinae Cypri cum Galbae capite legas: ΚΟΙΝΟΝ. ΚΥΠΡΙΩΝ. ΕΤΟΥϹ. Β. [l]) etsi hic VII. tantum menses imperavit.

---

a) L. VI. c. 19. b) B. L. T XVI. Mem. p. 186. c) l. c. d) B. L. T. XII. p. 136. et T. XIII. p. 437. e) Tom. XIV. Mem. p. 334. et Tom. XVI. Mem. p. 170 et 193. f) T. XXVII. Mem. p. 121. g) de numo Herod. Antipae. h) Critic. ad ann. 69. i) de annis Elag. p. 28. k) Freret B. L. T. XXVII. Mem. p. 121. l) Haym. T. II. tab. 29.

Eodem exemplo urbes quoque, cum novam epocham induxerant, primum ejus annum plerumque habuerunt incompletum, quod observatum fuit etiam ab Antiochenis in statuenda aera Caesariana, aliisque, de qua lege agetur uberius in tractatu de epochis. Praeclare vero etiam hic Alexandrinorum mos comprobatur exemplo vicinae Iudaeae, ut habetur in Talmud secundum interpretationem Buxtorfii [a]): *Prima dies Nisan est novus annus regum; annus ille est, a quo numerare, et supputare incipiebant annos regni regum suorum in contractibus, chirographis, et publicis omnibus instrumentis et diplomatibus, qui ad annos et menses regis regnantis componebantur, adeo ut, quamvis uno tantum mense, una hebdomada, vel uno die ante Nisan in regem electus et confirmatus fuerit, dies ille, hebdomas, vel mensis pro integro anno reputati fuerint, et secundum regni sui annum Nisan ille denuo inchoaverit.*

Augusti ad imperium evecti ab anno A, id est primo, ut consentaneum, initium duxere. Fuere tamen, qui patris annos continuarent. Sic annus K fuit M. Aurelii postremus, Commodi F. primus, et quod sequitur, KA. hujus secundus. Alterum exemplum est in numis Caracallae, continuatis patris Severi annis. Vide utriusque numos. Caesaribus dati sunt anni Augustorum suorum. Sic M. Aurelius Caesar habuit annos patris Antonini Pii, quo mortuo coepit notari M. Aurelii Augusti annus A. Tamen in Tiberio, Aelio Caesare, Constantio Chloro, et Gal. Maximiano habita ratio Caesareae dignitatis. Vide eorum infra numos. Augustae maritorum annos nactae sunt. Vnam Severinam continuasse mortui Aureliani mariti annos, ex numis probabile fit. Vide, quae notabimus ad Aureliani numos commatis Romani.

II. Annorum numeri aut notis indicati sunt, ut: A. Δ. IB. KA. etc. aut inde a Vespasiano partim notis, partim plene scripti, ut: ΔΕΥΤΕΡΟΥ. ΤΡΙΤΟΥ. ΤΕΤΑΡΤΟΥ. ΠΕΜΠΤΟΥ. ΕΚΤΟΥ. ΕΒΔΟΜΟΥ. ΕΝΑΤΟΥ. ΔΕΚΑΤΟΥ. in compositis: L. ЄΝΔЄΚΑΤΟΥ. vel: ΤΡΙϹ. Κ. Δ. id est: ΤΡΙϹ. *Και Δεκατȣ*, vel: ЄΝΝЄΑ. Κ. Δ. id est: ЄΝΝЄΑ. *Και Δεκατȣ*. Singularia sunt: ΤΡΙϹ. ΚΑΙ. tantum, suppresso plane *Δεκατȣ* in numis Hadriani, et in binis eodem tempore cusis, uno Antonini, altero Faustinae jun. (Mus. Caes.) In numo Sabinae: ЄΝΝЄΑΚ. pro ЄΝΝЄΑ. ΚΑΙ. ΔЄΚΑΤΟΥ. (Zoëga.) Numero praefigi solet litera L, nempe *ἀρχαιȣσα* vocabuli *λυκαβαντος*, de cujus natura agemus in tractatu de epochis. Singulare est in numo Vespasiani scriptum plene ΛΥΚΑΒΑΝΤΟΣ. ΔΕΚΑΤΟΥ. Nonnisi sub Domitiano praefigi promiscue coepit vel L. vel ΕΤΟΥΣ. Idem anni notandi modus observatus est etiam in marmoribus. Sic Celestra Memnonis vocem se audivisse profitetur L. $\overline{Z}$. ΑΔΡΙΑΝΟΥ. ΚΑΙϹΑΡΟϹ. ΤΟΥ. ΚΥΡΙΟΥ. *anno VII. Hadriani Caesaris domini*, ut pedi dextero famosae Memnonis statuae inscriptum legitur [b]).

a) Synag. Iud. c. 17. b) Pocock descr. of east. T. I. tab. 58.

CAPVT III.

Metallum, modulus, fabrica.

Aurei hujus classis numi non exstant, solo argento et aere in hos impenso, sed et argentum raro purissimum, pauci ea conditione, ut praevaleat admixta argenti portio, in plerisque dominatur aes tantilla argenti parte adspersa, sic ut saepe in aeneorum numero habeantur, quam mixturam Galli *potin* appellant, etsi minus proprie, ut diximus in proleg. general. cap. VII. p. XXVII. Praeter argenteos sic varie mixtos reliquus numerus aheneus.

Coeperunt mixti argentei sub Tiberio, suntque deinceps frequentes usque ad Nervam, rariores deinceps, sed sub Commodo iterum obvii, sub Gallieno tandem defecerunt.

Aenei sunt inde ab Augusto usque ad exitum, sed variat modulus. Primae formae numi incipiunt sub Vespasiano, sed sub hoc filiisque adhuc parce, at ingens eorum numerus sub Trajano, Hadriano, Pio, et Aurelio, deinceps admodum rari. Hujus formae postremum Pellerinius cum capite Claudii Gothici habuit. Inde a Gallieno usque ad finem sunt fere III. formae, sed crassiusculi. Exstant etiam inde ab Augusto numi ex aere minuto et tenui usque in aevum Antonini, quorum potior typus Agathodaemon, aut corbis frugibus refertus inter duas faces. Eadem forma sunt numi plerique nomorum Aegypti.

Numos artis eximiae in hac classe frustra quaeres. Haec cum optima est, mediocritatem non excedit. Sed enim jam tum ars per imperii R. provincias defecit.

CAPVT IV.

Catalogus numorum illustriorum.

M. ANTONIVS IIIVIR.

Caput M. Antonii nudum, pendentibus e collo leonis exuviis, retro clava. ℞ ΡΩΜΗΣ. L. A. *Prora navis.* AE. fere II. (Mus. Caes. Patin Impp. p. 17.)

Patinus, qui numum hunc primus edidit, vocabulo ΡΩΜΗΣ. Alexandriam indicari adserit, quae vulgo *Roma Aegypti* dicebatur, cum quo sentit etiam Havercampus [a]), et Vaillantius [b]). Alexandriam ea aetate sic appellatam viri eruditi nullo quidem auctore adserunt, sed tamen ex numo praesente potest colligi, ex quo praeterea alia non aspernanda eruuntur. V. C. 720. factum, ut, quod antehac nusquam visum, M. Antonius extra Romam, nempe Alexandriae, Kalendis Ian. consul procederet; eodem anno eandem urbem de capta Armenia triumphans ingressus est, quod rursum contra instituta majorum ausus fuit. Quare cum numus hic fabricam Aegyptiam praeferat, et in Aegypti moneta obvium sit videre annos signatos, et quidem praefixo L, quin et numi cum M. Antonii imagine Aegypto probe conveniant, verisimile omnino est, eum Alexandriae cusum, et vocabulo ΡΩΜΗΣ hanc ipsam urbem notari, quam sic vocari voluerit Anto-

a) Fam. Morelli p. 30. b) Aegypt. num. p. 200.

nius, ne consulatum in hac auspicando et triumphando, quae in vetere solum Roma peragi solebant, contraire patriae legibus videretur. Ex his, quae dixi, colligi non obscure potest, τῷ L. A. notari hunc ipsum annum V. C. 720., quo nimirum primum in hac nova Roma peracta sunt, quae veteri hactenus solum permissa fuere. Herculis vero ritu proponitur, quod ab Antone Herculis F. genus duxit, et teste Plutarcho ejus vultus Herculis imaginibus similis habitus fuit, de quo abunde agetur in ejus IIIviri moneta. Etiam in contorniatorum uno, qui est in museo Caesareo, ejus capiti adstituitur clava.

AVGVSTVS.

Caput Octaviani laureatum.
L. B. KAICAPOC. AYTOKPATOPOC. *Aquila fulmini insistens, in area cornucopiae.* AE. II. (Vaill. hist. Ptol. p. 199.)

Anni mentio in hoc numo suspecta, ut dicetur.

KAI - - - *Caput Augusti laur.*
L. I. *Rana.* AE. IV. (Mus. Borgia.)

Forte potius est Claudii, ut monebimus infra.

Caput idem.
L. IΔ. *Ibis.* AE. IV. (M. Borgia.)

Si non fallit numi ectypon, est is verius Claudii, vel Hadriani.

Antica incerta.
L. Λ. AYTOKPATΩP. *Capricornus cum globo et cornucopiae.* AE. II. (Morelli Impp.)

Antica incerta.
L. Λ. *Instrumenta pontificalia.* AE. III. (Arigoni.)

Antica incerta.
L. ΛE. *intra quernam.* AE. IV. (Arigoni.)

Antica incerta.
L. ΛH. *Capricornus*, vel: *Victoria gradiens.* AE. II. (Morelli Impp.)

Caput Augusti laur.
L. ΛΘ. *intra quernam.* AE. II. (Mus. Neumann.)

Caput idem.
L. M. *intra quernam.* AE. II. IV. (Mus. Caes. Theupoli, Borgia.)

KAIΣAP. ΣEBAΣTOΣ. *Caput laur.*
L. M. *Victoria gradiens.* AE. II. (Theupoli.)

Antica incerta.
L. M. L. MA. ETΘHNIA. *Caput muliebre spicis ornatum.* AE. II. (Zoëga ex mus. reg. Gall. Morelli.)

Caput Augusti laur.
L. M. L. MA. *intra coronam quernam*, vel: *Victoria gradiens.* AE. II. (Mus. Stosch, Theupoli, Caes.)

Caput Augusti nudum.
L. MB. *Victoria gradiens.* AE. II. (Mus. Bracciano, Arigoni.)

Caput Augusti laur.
L. Mϛ. (verius MΓ. ut dicetur.) *Victo-*

ria gradiens. AE. II. (Pellerin Mel. II. in fronte libri.)

* * *

ΑΥΓΟΥϹΤ. *Caput nudum.* ΑΥΤΟΚΡΑΤΟ. ΚΑΙϹΑΡΟϹ. *Aquila fulmini insistens, in area cornucopiae, et* M. *vel* Π. AE. II. (Theupoli, Arigoni.)

* * *

Habes hic descriptos numos hactenus cognitos omnes, quos sic potes in Alexandrinorum numero putare, ut tamen evidenter probari de omnibus non possit. Certum monetae Alexandrinae aevi Augustei criterium faciunt: caput Augusti cum vel sine addita epigraphe; in aversa annus imperii praefixo L definitus, typus moris Aegyptii, denique et fabricae modus. Secundum has leges nemo dubitabit, recitatum mox numum typo Ibidis esse Aegyptium, quia haec avis Aegypti propria semper est habita, aut numum inscriptum ΕΥΘΗΝΙΑ, quia vocabulum istud in sequentium imperatorum numis, et in Aegyptiis tantum, obvium est. Haec si absint, aut palam moneta Alexandrina non sunt, aut certe ratio evidens non est, cur numi similes Aegypto potius, quam regioni alteri vicinae sint adsignandi. Sic manifeste peccaverunt Patinus, Morellius, aliique, qui in hanc classem contulerunt numos varios Augusti quidem nomine, sed non effigie insignes, quos potius, quia hominis, aut animalis effigiem nunquam continent, in Iudaea signatos communis jam est sententia. Contra cur numi cum typo capricorni, coronae quernae, Victoriae etc. tam certi Alexandrini sint putandi, causam idoneam non reperio. Non sane hanc praebent anni imperii praefixo L, nam eodem modo numi quoque Iudaici, quos modo citavi, inscriptos Augusti annos praeferunt. Neque certam rationem sufficit fabrica; nam ut haec monetam regionum longe dissitarum facile distinguit, ita minus tuto monetam regionum vicinarum aequaevam. Sic commode discernimus inter monetam Siculam et Thraciam, at non aeque inter Siculam, et alteram vicinae Graeciae M. Certe spectata fabrica difficile est discrimen inter numos Aegyptios, et numos vicinae Palaestinae, Phoeniciae, Syriae. Quemadmodum ergo urbes Iudaeae numos signaverunt Alexandrinis plane similes, nisi quod Augusti caput exclusere, sic nihil est, quod repugnet, numos complures praesentis catalogi posse opinari cusos in urbibus Graecis Palaestinae, Phoeniciae, Syriae, Cypri etc. Interim proponere hos numos hoc loco idoneum visum, cum quod certae causae non sunt, quae eos esse Alexandrinos inficientur, tum quia hic locus iis recensendis opportunissimus videtur, cum certe aliquo loco sint recensendi.

At nescio, utrum aliqua sit verisimilis ratio, quae Alexandrinam esse monetam suadeat v. g. numos inscriptos ΠΑΤΗΡ. ΠΑΤΡΙΔΟΣ. typo fasciculi spicarum, aliosque, quos cl. Zoëga p. 8 et 9. repraesentat, quibus in numis ipsi etiam imperii anni desiderantur, qui certus quidam sunt numorum Alexandrinorum character. Habet major pars Caesarum, ac praecipue Augusti et Trajani, numos commatis peregrini, quorum patriam nulla possis conjectura adsequi, et quos ego in disponendis museis, adornandisque catalogis soleo

subjicere cujusque imperatoris numis commatis Romani. Atque haec de adlatis numis generatim. Persequamur reliqua.

Numum ex citatis primum cum L. B. jure cl. Zoëga false a Vaillantio descriptum suspicatur, eumque non esse diversum ab eo, quem ultimo loco proposui, id est: nulla anni nota insignem, conjicit. Tuto tamen inter Alexandrinos referendum putat, quia aquila sic fulmini insistens, addito cornucopiae, et litera solitaria obvius est in regia Aegypti moneta typus. Conjecturae justae; verum non parum me absterret sigma lunatum C, quod in hujus generis numis non tantum apud Vaillantium, sed et Arigonium et Theupoli hoc modo formatum comparet; atqui sigma hujus formae numi Alexandrini ante Domitianum non offerunt. Quos proximos vir eruditus sistit cum annis Γ, E, S, id est: 3, 5, 6, jure inter spurios ablegandos, dicemus infra. Qui sequitur, Arigonianus, inscriptus L. ENAτϰ, genuinum quidem existimo, sed vereor, ut numus sit Augusti, et non inferioris cujusdam Caesaris, quia in hac moneta anni imperii usque ad Vespasianum, aut saltem Neronem, semper notari, nunquam perscribi sunt soliti. Numum cum L. I. et typo ranae, quem secundo loco proposui, mallem Claudio tribuere; est enim in museo Caesareo simillimus alter, sed inscriptus: TIB. ΚΛΑΤ., atque idem plane cum illo, quem cl. Zoëga eadem tabula I. operis sui postremum dedit. Similes numulos alios ranae typo insignes vide infra in Batracho Marmaricae, cui eos non nulli tribuendos putant. Neque satis Augustum refert numus cum L. IΔ., ut in ipso catalogo monui. Qui sequuntur, inde a L. Λ. sine dubio hujus sunt imperantis. Annus ultimus teste citato Pellerinii numo est Mϛ, 46, qui quidem praeconi ipsi inexplicabilem objecit difficultatem, neque istud injuria; nam si annus primus Augusti ducatur ab initio mensis Thot anni V. C. 724., quo nempe labente, mense Augusto, constat captam Aegyptum, annus numi Mϛ incipiet in Thot anni V. C. 769, at certum est, Augustum jam biennio ante diem obivisse. Coactum ergo se vidit Pellerinius, numum hunc ex catalogo monetae Alexandrinae eximere, et tribuere alteri cuipiam urbi, v. g. Syriae, quae annos suos ab aera anteriore, qualis fuit Actiaca, duceret. At enim fatente Zoëga, qui numum ipsum Lutetiae inspexit, annus ibi potius MΓ. 43, legitur, qui quidem facile sese annis Augusti adcommodat; nam inciperet in Thot V. C. 766., quo labente mortuus est Augustus XIX. Augusti anni Iuliani V. C. 767. Eundem etiam annorum numerum collegit Philo, cum narrat Augustum *ἐν τρισι και τεσσαρακοντα ἐνιαυτοις ἐπικρατησαι Αιγυπτȣ* [a]).

Ex typis memorandus unus is, qui juxta scriptum ΕΤΘΗΝΙΑ offert, et qui occurret mox iterum in numis Liviae, et deinceps in aliis frequenter. Vocabulum istud idem significat, quod in numis Latinis *Abundantia*, quae Aegyptum cumprimis nobilitavit. Videtur iis annis monetae fuisse inscriptum, qui-

a) Legat. ad Caium p. 567.

bus altius restagnans Nilus cognitam provinciae fertilitatem auxit, cujus vice epigraphes saepius subinde usurpatus numerus cubitorum Iϛ. Haec Ευθηνια idem fuit, quod Ευετηρια, id est: *felix annus*, et quo nomine usus est Iosephus, cum abundantiam Aegypti indicaret, ἐν τοις της ἐυετηριας καιροις [a]), cujus quoque tanquam deae stetit templum Corinthi teste marmore Sponii: ΤΟΥϹ. ΝΑΟΥϹ. ЄΥЄΤΗΡΙΑϹ. ΚΑΙ. ΚΟΡΗϹ. [b]).

Numi Augusti suspecti, aut prave vulgati.

DIVI. IVLI. *Caput Iulii Caes. laur.* L. Γ. S. C. *Augustus in quadrigis elephantorum.* (Goltz.)

Alius, *sed* L. E. AR. max. mod. (Mus. Vatic.)

Alius, *sed* L. E. *sine* S. C. (Harduin ex mus. Baudelot.)

Numos hos intactos reliquissem, nisi Zoëgam patronum nacti essent. Professus est ipse, sibi numum ex citatis primum principio in cognitis Goltzii figmentis habitum fuisse, atque istud tanto certius, quod testatur Erizzo, id genus sese numos a Parmensi falsario percussos vidisse; verum cum postea in museo Vaticano similem alium, sed argenteum max. mod. vidisset, judice se, alioque viro egregio genuinum, in gratiam cum Goltzio redivisse. Meum de singulari hoc cimelio judicium sic habeto: si Vaticanus hic numus vere antiquus est visus, istud aliud non probat, quam esse eum tanto artificio ad veterem modum fabrefactum, ut, quod saepe alias factum, etiam viris praestantissimis possit illudere. Ceterum numi hi tam continent insolentia et paradoxa, ut nulla auctoritate contrarium docente impetrare a me possim, quo minus spurios existimem, et vel numum priorem, reliquorum antesignanum, a Goltzio confictum, et reliquos ad hujus exemplar elaboratos, vel etiam ipsum Goltzii numum fuisse ex spuriis unum, atque illi genuinum creditum. Accedit ad elevandam numi Vaticani fidem etiam illud, Zoëgae, quod video, non observatum, quod argenteus est, cum tamen Alexandrinus probae fidei argenteus per totum Augusti imperium nondum sese obtulerit.

* * *

ΚΑΙΣΑΡΟΣ. *Fasciculus spicarum, vel instrumenta pontificalia.* ⳩ ΑΛΕΞ. ΑΙΓΥΠ. *Palma.*

Similes numos edidere Goltzius, Tristanus, Erizzo, Camelus, Spanhemius [c]), et praecipiente aversae epigraphe tribuerunt *Alexandriae Aegypti*, nimirum Goltzio more suo, ut libuit, numorum inscriptiones dictante. Numi similes genuini aversae epigraphen habent L. Α. — L. ΑΓ. — L. ΑΕ. suntque numuli Iudaici sub Augusto percussi, quales supra in imperatoria Iudaeae moneta dedimus.

L I V I A.

Caput Liviae. ⳩ L. ΛΘ. Μ. ΜΑ. ΜΒ. *Typi: Corona querna.— Canistrum spicis*

---

a) Ant. L. II. c. 5. §. 7. b) Misc. p. 363. c) T. I. p. 343.

refertum, *utrinque fax serpentibus implexa.* — *Pallas stans.* AE. II. (Mus. Caes. Morelli Impp. Stosch.)

Caput Liviae. ✠ ΕΥΘΗΝΙΑ. L. ΛΘ. ΜΑ. *Protome muliebris capite spicis ornato*, *et spicis ex sinu promicantibus.* AE. II. (Mus. Com. Vitzai, Morelli Impp.)

Hos numos certum est imperante Augusto signatos, quia auctiores offerunt annos, quam ut alteri principi possint adcommodari. Ergo jure caput anticae tribuimus Liviae Augusti conjugi. De horum nonnullis dubitari rursum potest, utrum Alexandrini sint putandi ex causis, quas in moneta Augusti mox commemoravimus. Alexandrini tamen certi sunt ii, in quorum aversa videmus canistrum frugibus refertum, positumque inter duas faces, quibus serpentes obvolvuntur. Nam primum hic typus obvius est in certis Alexandrinis sequentium imperatorum. Deinde quia typus hic ad Cererem utique refertur, cujus proprius est calathus frugifer, tum et faces et serpentes. At constat ex scholiaste ad Callimachi hymni in Cererem versum I., Ptolemaeum Philadelphum in Cereris honorem Thesmophoria eodem ritu, quo Athenis peragi solebant, Alexandriae constituisse, inter quorum caerimonias fuit etiam solennis calathi processus, de quo agam pluribus in numis Trajani, quorum unus ipsam calathi pompam sistit. Constat vero etiam, Liviam in frequentibus numis imagine Cereris donatam, eique ejus deae attributa commodata, ut docebimus in ejus numis, et patet etiam ex postremo hic citato cum typo Ευθηνιας, *Abundantiae*, qui certus etiam est Alexandrinus, et de quo mox in numis Augusti egimus.

* * *

Numos Liviae tres, inscriptos: ΙΟΥΛΙΑ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. inter Alexandrinos retulit Zoëga. Cum neque addantur anni imperii, et typi cornucopiae et aquilae certam Aegypti monetam non arguant, mallem eos inter incertae regionis numos referre. Accedit, numos hos causa nominis *Iuliae* imperante Tiberio signatos. At enim per totum hujus imperium, ex quo nimirum is Augustus dictus est, alios Alexandriae cusos non novimus, quam argenteos, et cum constante aversa ΘΕΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Mirum ergo foret, si in Iulia typos variarunt Alexandrini, cur istud non facerent etiam in Tiberio.

CAIVS CAESAR *Agrippae F.*

ΓΑΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. *Caput Caii nudum.* ✠ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Augusti nudum.* AE. II.

Numum hunc in catalogo musei Caesarei inter Alexandrinos locavi, quia fabricam habet ex ingenio monetae Aegyptiae. Verum cum criterium istud, ut supra monui, fallax sit, non ausim negare, in quapiam Phoeniciae, vel Palaestinae urbe potuisse signari.

DRVSVS *Tiberii F.*

Caput perquam juvenile. ✠ L. ΛΘ. *intra coronam quernam.* AE. III. (Mus. Caes.) AE. II. (Mus. Neumann.)

Numum hunc patris Tiberii numis praeponere libuit, quia Augusto impe-

rante signatus, docente istud anno ΛΘ. Eum primum edidit Frölichius [a]), et Druso Tiberii F. tribuit, quia imperantis Augusti anno XXXIX., qui ex calculo horum annorum, ut docuimus supra in Augusto, ducitur ab autumno V. C. 760., nullus alius fuit idoneus juvenis Caesar, cujus honori urbs extera numos dedicasset. At tum Drusus noster annum circiter XX. agebat, per patrem Tiberium in spem imperii succrescens, idoneus adeo, cujus jam nunc benevolentiam sibi provinciae demererentur.

TIBERIVS.

Ejus habemus numos nomine primum CAESARIS, deinde AVGVSTI.

Nomine CAESARIS.

Caput Tiberii nudum. Ӿ ΤΙΒΕΡΙΟΥ. L. Γ. Δ. Ε. Ι. *typis hippopotami, crocodili, aquilae, coronae.* AE. III. IV.

Numi hi Tiberium neque Augustum appellant, neque laurea cingunt. Quare dubitari nequit, Augusto vivo, et cum Caesar tantum adhuc esset, fuisse signatos. Alexandrinos annum Tiberii I. numerasse ab anno V. C. 757., quo adoptatus ab Augusto, Caesaris titulo, et tribunicia potestate iterum donatus est, jam haud dubius in imperio successor, mihi plane persuadeo. Exegit in hoc statu annos X., donec mortuo V. C. 767. Augusto Augusti titulum ipse suscepit, atque istud praeclare comprobant numi, qui Tiberio tantum Caesari X. annos largiuntur, accedente in numis proximis et Augusti titulo et laurea.

Nomine AVGVSTI.

ΤΙΒΕΡΙΟΣ.ΚΑΙΣΑΡ.ΣΕΒΑΣΤΟΣ. L. ΙΔ. ΙΗ. Κ. *Caput laur.* Ӿ ΘΕΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Augusti radiatum.* AR. vel AE. II. (Morelli, Stosch, Zoëga.)

Alios typos numi Tiberii Augusti, qui certi Alexandrini sint, non offerunt, ut neque in ejusdem imperatoris numis aureis, et argenteis commatis R. typos videmus variantes.

Quos alios praeterea numos Cl. Zoëga ex variis auctoribus addidit, characterem certum monetae Aegyptiae non suppeditant.

CAIVS *Caligula.*

Hujus unius numi Alexandrini desunt, sed verisimile est, jam sub Tiberio, incertum, qua de causa, feriri desitos, nam hactenus videre non licuit numum, postremis XIII. ejus imperantis annis signatum.

TI. CLAVDIVS.

A Claudio moneta Alexandrina immensum augeri incipit. Deinceps ergo eos tantum numos recensebo, qui dignum aliquid nostris studiis objicient.

* * *

ΑΥΤΟΚΡΑ. cum variis annis, typis etiam variis: *Victoriae*, *manipuli spica-*

a) Adpendic. II. novae.

rum, *hippopotami*, *bovis cornupetae*, *genii Alexandriae*, *dexterarum junctarum*, *aquilae*, *Nili* etc. AR. AE. II.

Vocabulum ΑΤΤΟΚΡΑτωρ, *imperator*, in Claudii numis hujus classis ad fastidium recurrens, nequaquam in iis est nomen summi imperii, quo Claudium constanter abstinuisse in numis ejus Latinis docebimus, sed nomen captum ex victoriis. Quod si eam alia quaepiam epigraphe a parte aversa excludit, tum constanter in anticam migrat, et inter Claudii nomina ac titulos postremam sedem occupat. Idem factum quoque in numis privigni Neronis.

* * *

ΑΤΤΟΚΡΑ. L. Γ. *Caput puerile nudum inter capita duo puellaria Amaltheae cornu imposita.* AR. (Mus. Caes.)

Illustris hic numus sistit caput Britannici, tum sororum Antoniae et Octaviae, Claudii prolium, sed ex duabus uxoribus. Similem typum habes in numo coloniae Patrensis, et alio coloniae incertae, quos vide descriptos in numis Claudii commatis R. De praeclaro hoc numo plura disserui in mea Sylloge I. p. 67.

* * *

ΔΙΚΑΙΟΣΤΝΗ. L. Γ. *Mulier stans d. bilancem.* AE. II. (Morelli Impp.)

Habes hic aversam numorum Latinorum, qui inscribuntur AEQVITAS eodem typo. Similis aversa in sequentium quoque imperatorum numis occurrit.

* * *

ΕΙΡΗΝΗ. vel, ut in numo musei Caes. ΙΡΗΝΗ. *Mulier stans d. caduceum*, *s. galeam.* AR.

ΕΙΡΗΝΗ. Latinis *Pax*, quam et frequenter crepant numi Claudii commatis R. Eadem haec ΕΙΡΗΝΗ. mutatis paullo typis saepe et in sequentium imperatorum numis recurrit.

* * *

L. I. *Crocodilus*, in aliis: *Rana.* AE. IV. (Theup. Mus. Caes.)

Crocodili rationem in numis Aegypti tenemus, non item ranae, etsi animali hoc amphibio abundare debuit regio per annuum Nili egressum palustris. An vero illud religione consecratum fuerit, mihi ignotum. Id genus numos adcuratius describam in numis Marmaricae Aegypto adjacentis; nam sunt, qui eos Batracho ejus regionis oppido tribui volunt.

* * *

Claudii numum editum video a Begero a), in cujus aversa: ΕΤΤΟΚΙΑ. *Fecunditas*, *quae d. spicas tenet.* Advertit me epigraphes insolentia, sed facile vidi etiam, male lectum ΕΤΤΟΚΙΑ pro ΑΤΤΟΚΡΑ., numumque cetera similem esse illi, quem in museo Theupoli eodem typo cum L. I. descriptum habemus.

* * *

Annos in Claudii numis habemus a L. A. usque L. ΙΔ. cum plerisque mediis. Exivit postremus hic ΙΔ. die XXIX. Augusti V. C. 807., cumque Claudius diem obiverit die XIII. Octobris ejusdem anni, et longiore tempore opus fuerit, ut ejus mors in Aegypto innote-

a) Thes. Br. T. III. p. 95.

sceret, dubitari nequit, intra hoc duorum saltem mensium spatium signatos numos cum L. IE., sed hactenus numus hoc notatus, quod norim, non comparuit.

MESSALINA

Claudii, sed imperantis, uxor I.

ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑ. ΓΕΡΜΑΝΙ. ΑΥΤΟΚΡ. L. Α. Β. Γ. Δ. Ε. ϛ. *Caput Claudii laur.*
ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ. ΚΑΙΣαρος. ΣΕΒΑΣτȣ. *Messalina stans d. extenta duos infantes, s. spicas, et simul columnae innixa.* AR. (Beger Thes. Br. T. II. p. 619. Mus. Caes. Stosch, Theup.)

Anni numis his inscripti sunt anni Claudii, quorum postremus ϛ exivit XXIX. Augusti V. C. 799. Cum Messalina caesa sit V. C. 801., possunt adhuc exstare numi cum annis Z. et H. Quae alia ad annos inscriptos, titulum Messalinae et typum pertinent, vide tractata in hujus Augustae moneta commatis Romani.

AGRIPPINA *junior.*

Claudii uxor II.

Numi imperante CLAVDIO signati:

ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. *Hujus caput.*
ΕΙΡΗΝΗ. L. ΙΒ. *Protome Pacis promicantibus tum ex capite, tum pectore spicis.* AE. II. (Morelli Impp.)

ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. *Hujus caput spicis ornatum.*
ΕΥΘΗΝΙΑ. L. ΙΑ. ΙΒ. ΙΓ. *Caput muliebre spicis redimitum.* AE. II. (Mus. Caes.)

* * *

Numi imperante NERONE signati:

ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. L. Γ. *Hujus caput.*
ΝΕΡ. ΚΛΑΥ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡ. ΑΥΤΟ. *Caput Neronis laur.* AR. (Mus. Caes. Stosch.)

Alius cum L. E. AR. (Stosch.)

Sine epigraphe. Caput Agrippinae. L. Δ. *Duae spicae inter totidem papavera.* AE. III. (Morelli.)

Addidit Morellius similem alium cum L. H. sed qui annus haud dubie ex numo male est exceptus; nam cum Agrippinae historia, seu Claudii, seu Neronis imperium spectes, componi nequit.

Numum ex Neronianis primum ex museo Ariostiano, in quo olim fuit, edidit Khellius [a]), sed geminato sphalmate; nam in iconismo legitur: ΙΓ., in explicatione: L. I. At in numo ipso, qui nunc est in museo Caesareo, certissima scriptura legitur L. Γ., et sic legitur etiam in catalogo MS. musei Stosch, in quo etiam reperio alium hujus Augu-

a) Subplem. ad num. Impp. p. 21.

stae numum cum L. E., ut indicavi. Vtrique hi numi ignoti fuere Cl. Zoëgae.

De ETΘHNIA egimus in numis Augusti.

ANTONIA.

Drusi senioris uxor, Claudii mater.

ANTΩNIA. ΣEBAΣTH. *Ejus caput.*

TI. KΛATΔI. KAIΣ. ΣEBA. ΓEPMANI. ATT. L. A. B. *Caput Claudii laur.* AR. (Stosch. Theup. Mus. Caes.)

N E R O.

Varii generis numi hoc imperante Alexandriae cusi sunt, quos juvat in aliquot classes tribuere.

Numi variorum numinum.

AΠOΛΛΩN. AKTIOΣ. *Protome Apollinis laureata, pharetra pone humeros eminente, in area astrum, juxta Neronis caput:* L. IΓ. IΔ. (Stosch, Morelli.)

AΠOΛΛΩN. ΠTΘIOΣ. *Typus similis. Iuxta Neronis caput:* L. IΔ. (Ibid.)

ΔIOΣ. OΛTMΠIOT. *Caput Iovis laur. in area astrum. Iuxta Neronis caput:* L. IΓ. (Morelli, Arigoni.) Similis est in Theupoli, sed lecto perperam - - - HΠIOT.

ZETΣ. NEMEIOΣ. *Caput Iovis laur. Iuxta Neronis caput:* L. IΔ. (Mus. Caes. Morelli, Zoëga.)

HPA. APΓEIA. *Caput Iunonis velatum diadematum, prae quo in nonnullis astrum. Iuxta Neronis caput:* L. IΓ. IΔ. (Mus. Caes. Stosch.)

ΠOΣEIΔΩN. IΣΘMIOΣ. *Caput Neptuni diadematum cum tridente, prae quo astrum. Iuxta Neronis caput:* L. IΔ. (Mus. Caes.)

Omnes hi numi adludunt ad Neronis in Graeciam profectionem ludorum causa susceptam. Certamina Actia, Pythia, Olympia, Nemea, Argiva, Isthmia cui non cognita? Propudiosum illud iter suscepit V. C. 819. et toto fere anno sequente in Graecia abfuit. In utrumque hunc annum cadunt anni IΓ. et IΔ. numis his inscripti. Sed vide de iisdem his numis, quae in ipsa Neronis moneta R. disseram.

* * *

ΔHMHTHP. in alio: ΔHMHTEP. *Ceres velata stans d. spicas, s. hastam, in area:* L. Γ. Δ. E. AR. (Stosch, Harduin Hist. Aug.)

NEO. AΓAΘ. ΔAIM. L. Γ. Δ. E. *Serpens arrectus etc.* Vide hos numos descriptos supra in prolegomenis cap. I.

Numi in Romanos officiosi.

PΩMH. L. Γ. E. *Roma sedens d. Victoriolam, s. parazonium, altero pede proram, altero saxum, sive monticulum premit.* AR. (Zoëga, Stosch.)

Typo navis et saxi, quae pedibus Roma premit, indicatur συμβολικως ejus in terram et mare imperium. Qua imagine praeclare confirmantur ea, quae olim latius exposui, Augustos terrae marisque dominos passim vocatos, et tanquam tales in monumentis veteribus propositos, ac praeterea typo pedis rei cuipiam impositi indicari a ve-

teribus solitum jus, quod quis in eam rem habet a).

ΔΗΜΟΣ. ΡΩΜΑΙΩΝ. L. Δ. Ε. *Vir togatus stans d. hastam, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes. Theup. Arig.)

Hujus numi cum meminit Vaillantius, existimat, Alexandrinos fuisse dictos Romanos inde a M. Antonio, atque hos inscripto: *populus Romanorum* notari b). Verum nullatenus credibile, Alexandrinos uti voluisse appellatione sibi per nefas atque invitis Romanis indita a IIIviro legum patriarum contemptore. Alexandrini igitur proposito in moneta sua *populi R.* genio aliud nihil intendere visi, quam sese ita observare populum R., ut aliae urbes proposita senatus R. icone hunc sibi observandum duxere.

* * *

ΘΕΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Augusti radiatum. Iuxta caput Neronis:* L. ΙΓ. AR. (Mus. Caes.)

ΠΡΟΝ. ΝΕΟΥ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. L. Γ. *vel* E. *Imperator sedens capite radiato, s. hastam.* AR. (Zoëga ex mus. reg. Gall. et d'Ennery. Theupoli.)

Quem Neronem in numis mox supra citatis νεον Αγαθοδαιμονα vidimus, in posteriore hoc habemus νεον Σεβαςον, qui velut alter Augustus jam pridem in deos relatus ΠΡΟΝοια sua id est: *providentia*, quam veteres nonnisi diis vere convenire dixerunt, terrarum orbem complectitur. Notus Graeculorum mos, illustribus personis novi Bacchi, Apollinis, Osiridis, Isidis etc. nomina imponentium, veteribus illis sive jam situ et inertia victis, sive in has quadam metamorphosi transfusis. Hujus amentiae exempla copiosa dedimus, dabimusque in moneta Mithridatis Ponti regis, Antonii IIIviri, Cleopatrae, Antinoi, Commodi, Caracallae etc. tum et hujus ipsius Neronis, sed in moneta commatis R. citata. In catalogo MS. musei Stosch numi hujus epigraphe sic refertur: ΠΡΟΝ. ΘΕΟΥ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ.

* * *

ΤΙΒΕΡΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. *Caput Tiberii laur. Iuxta caput Neronis:* L. ΙΓ. AR. (Mus. Caes.)

Numi varii argumenti.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. De numis cum hac epigraphe vide supra in prolegomenis cap. I. sub finem.

ΑΥΤΟΚΡΑ. vum variis annis et typis, sed his obviis, ut in numis Claudii.

ΟΜΟΝΟΙΑ. L. Γ. *Mulier sedens d. pateram.* (Zoëga).

Haud dubie in hoc numo praedicatur Neronis cum matre concordia.

ΣΕΒΑΣΤΟΦΟΡΟΣ. L. ΙΓ. *Navis.* (Morelli, Theupoli, Arigoni, Pembrock.)

Typus ad Neronis in Graeciam trajectum pertinet, quem V. C. 819., Alexandrinorum ΙΓ. eo profectum supra diximus. Hunc numum latius explicabo in numis Neronis Latinis.

* * *

Anni in his Neronis numis ab A. usque ΙΔ. cum omnibus mediis. Annus postremus ΙΔ ducitur a die XXIX. Augusti V. C. 820. Proximo Iunio Ne-

a) Choix de pierr. grav. ad Gemm. I. b) Num. Graec. p. 14. et 204.

ro sui ipsius carnifex annum IE. non attigit.

OCTAVIA.

Claudii et Messalinae F. Neronis uxor I.

ΟΚΤΑΟΥΙΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. L. A. Γ. Δ. E. *Ejus caput.* ☧ ΝΕΡ. ΚΛΑΥ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡ. ΑΥΤ. *Caput Neronis laur.* AE. II. (Harduin hist. Aug. Stosch. Mus. Caes.)

Annus postremus E. coepit die XXIX. Augusti V. C. 811. Quadriennio post Neronis jussu ipsa caesa.

POPPAEA.

Neronis uxor II.

ΠΟΠΠΑΙΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. L. Θ. I. IA. IB. *Ejus caput.* ☧ ΝΕΡΩ. ΚΛΑΥ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡ. ΑΥ. *Caput radiatum, in aliis laureatum.* AR. (Harduin Hist. Aug. Mus. Caes. Stosch. Theup. Zoëga.)

Annus Θ. ducitur a die XXIX. Augusti V. C. 815., quo ipso anno Nero repudiata Octavia Poppaeam duxit addito Augustae nomine. Sed in ejus numis reperio etiam L. Δ. (Theupoli.) et L. E. (Harduin Hist. Aug.) certo adversus historiam certam peccato, quando intra hos annos Nero adhuc Octaviae convixit, ejusque Alexandriae numi cum utroque hoc anno cusi sunt, ut vidimus. Verum ut citati hi numi defectu peccant, sic alius cum L. IΔ. excessu, quem annum nonnulli obtrudunt, cum certum sit, Poppaeam prius obivisse, quam dictus annus iniret, qui ducitur ab Augusto V. C. 820. Verius igitur in hoc legendum IA.

GALBA.

Singularis in nonnullis capitis epigraphe: ΛΟΥΚ. ΛΙΒ. ΣΟΥΛΠ. ΓΑΛΒΑ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. propter praefixa nomina *Lucii Livii*, de quibus vide, quae monebo in numis Romanis Galbae articulo: *de nominibus Galbae.*

* * *

ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ. *Mulier stans d. extenta, s. hastam, et simul columnae innixa.* AR. (Mus. Caes.)

Libertas a Galba per Neronis exitium restituta exemplo numorum Latinorum in Alexandrinis quoque jactatur.

* * *

ΚΡΑΤΗΣΙΣ. *Mulier stans d. Victoriolam, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Nova epigraphe, eaque in unis Alexandrinis, quo vocabulo intelligendam Romanorum *Virtutem* facile mihi convenit cum Spanhemio [a]). Sunt, qui typum hunc adludere existiment ad id, quod refert Suetonius [b]), felicis ominis instar Galbae fuisse, quod in munitione oppidi cujuspiam Hispaniensis repertus est anulus opere antiquo, sculptura gemmae Victoriam cum tropaeo exprimente. Vt ingeniosum istud, sic propterea minus solidum, quod eadem aversa occurrit quoque in numis sequentium imperatorum, quibus simile omen oblatum non est.

* * *

Numi Galbae reliqui, sed jam co-

a) T. I. p. 146. b) in Galba c. 10.

gniti: ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. ΕΙΡΗΝΗ. ΡΩΜΗ etc.

* * *

Non reperiuntur anni alii, praeterquam A et B, neque reperiri numerus auctior potest, nam coepit annus B die XXIX. Augusti V. C. 821., quo anno Alexandrino labente caesus est Galba Ianuario proximo.

OTHO.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. ΕΙΡΗΝΗ. ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ. ΚΡΑΤΗΣΙΣ. ΡΩΜΗ. cum suis typis jam cognitis. AR. AE. II. In aliis: *aquila*, *caput Serapidis*, *Canopi.* AE. II. III.

Vultus lineamenta, et cultus capitis in his numis multum differunt ab iis, quae in ejus moneta Romana observamus, cujus rationem in hac dabimus.

* * *

Annum in his unicum habemus, nempe L. A. Scilicet imperium arripuit medio Ianuario V. C. 822. illudque medio Aprilis cum vita amisit.

VITELLIVS.

Capitis epigraphe solita: ΑΥΛΟΥ. ΟΥΙΤ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. ΑΥΤ. Verum in numo Pellerinii (Mel. I. tab. XIII.) pro ΑΥΛΟΥ legitur ΩΛΟΥ, praeeuntibus nimirum Romanis AV ut O efferentibus, cujus exempla vide plura apud Giovenazzium a). Quod proxime huc pertinet, in marmore bilingui Naniano A. COSSINIVS Graece redditur: ΩΛΟΣ. ΚΟΣΣΙΝΙΟΣ b). Titulus ΚΑΙΣαρος perperam ab Alexandrinis Vitellio tribuitur, ut docebimus in ejus numis commatis R.

Typi in ejus numis obvii: *Victoria*, *Isis*, *Sarapis*, *Canopus.* AR. AE. II. III.

* * *

L. A. unicus in illis annus. Iure istud, nam die XXIX. Augusti V. C. 822., quo annus B inire debuerat, Vitellius in Aegypto agnitus imperator amplius non fuit. Ejus numi Alexandrini rari, et raros esse oportet. Nonnisi per mortem Othonis, quae contigit in Italia die XVI. Aprilis ejusdem anni, agnitus est imperator. Serius istud propter distantiam scitum in Aegypto, et Kal. Iuliis jam defecit Aegyptus studiis in Vespasianum conversis.

VESPASIANVS.

ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. L. B. *Caput laur.* ✕ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. *Mulier elephanti exuviis tecta et succincto habitu stans d. coronam, s. hastam.* AR. (Stosch.)

Iure in hoc numo genius Alexandriae coronam porrigit, velut eam imperatori oblaturus, quem ipsa omnium urbium prima imperatorem agnovit, ut docebimus in ejus numis Romanis.

* * *

ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. *Caput laur.* ✕ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. L. H. *vel:* L. ΕΝΑΤ. *Caput Alexandriae proboscide ornatum.* AE. II. (Mus. Caes.)

---

a) Dissert. della città di Aveja. b) Biagi Monum. Graec. Lat. p. 121.

Vocabulum ΣΕΒΑΣΤΟΥ titulos Vespasiani finit in antica coeptos. In simili auctor catalogi Theupoli legit ΣΕΝΑΤ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ., quod Latine reddit: *Senatus Augusti*, parum circumspecte.

* * *

ΣΑΡΑΠΙΣ. — ΖΕΥΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ. — ΕΥΓΑΜΙΑ. De numis Vespasiani sic inscriptis egi supra in prolegomenis cap. I. sub *Sarapis*.

* * *

ΛΥΚΑΒΑΝΤΟΣ. ΔΕΚΑΤΟΥ. *Aequitas stans*. AE. III. (Belley B. L. T. XIX. p. 475.)

L. IA. *Avis*, *cujus caput muliebre loto insignitur*. AE. III. (Belley l. c.)

Vt obvii sunt Vespasiani numi cum annis ab A usque Θ, sic rarissimi, qui annos binos proxime sequentes I et IA sistunt. Numus prior singularis est propter scriptum plene ΛΥΚΑΒΑΝΤΟΣ.

* * *

Annos in Vespasiani numis habemus ab A usque IA cum omnibus mediis. Secundum Alexandrinorum calculum Vespasiano adhuc annus IA. competiit. Annus nimirum A coepit ipsis Kal. Iul. V. C. 822., quo die Ti. Alexander Aegypti praefectus Alexandriae legiones in Vespasiani verba adegit, tam certo hoc ejus imperii principio, ut Vespasiano ipso volente primus is principatus dies deinceps haberetur [a]). Proximo deinde XXIX. Augusti inivit annus B. Secundum hanc legem progrediendo annus IA coepit eodem die Augusti V. C. 831., quo labente mortuus est mense Iunio V. C. 832.

FL. DOMITILLA.

Fuit hoc nomen Vespasiani et uxori et filiae. Domitillae nomine Alexandrinos duos editos reperio:

ΦΛΑΟΥΙΑ. ΔΟΜΙΤΙΛΛΑ. *Hujus caput*. ☧ L. ς. *Serpens erectus super equi currentis dorso*. AE. III. (Patin, Morelli Impp. Spanheim T. I. p. 290.)

ΔΟΜΙΤΙΛΛΑ. CЄΒΑCΤΗ. *Hujus caput*. ☧ L. ΔΩΔЄΚΑΤΟΥ. *Aequitas sedens*. AE. III. (Gessner ex Museo Pfau tab. LIX. n. 21.)

Vtrum numus prior sit Domitillae Vespasiani uxoris, an filiae, decidere difficile, ut advertam ad ejus numos commatis Romani. Alter certo est uxoris, nam haec tantum Augusteo titulo insignis fuit.

Typus serpentis super equo novus, at saepe deinceps repetitus. Ad solem referri debere, patet ex iis, quae in prolegomenis capite I. sub *Sarapis* diximus.

TITVS.

Numorum Titi hujus classis statum propter praeconiorum incertam fidem valde experimur luxatum. Conabor, ut potero, restituere sanitati, et legibus chronologicis subjicere pro variis dignitatibus, quas per intervalla collegit Titus.

---

a) Tacit. hist. II. c. 79. Sueton. c. 6.

Titi Caesaris.

ΤΙ. ΦΛΑΒΙ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. ΚΑΙΣ. *Caput laureatum.*
ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. - - ΕΣΠΑ - - L. B. *Caput Vespasiani.* AR. (Stosch.)

Epigraphe vera, quae numo huic primatum in Titi moneta Alexandrina constituit. Etenim anno II. Alexandrino Vespasiani Titus nonnisi Caesar adhuc fuit, nondum conlega imperator. Iure ergo omissum nomen Αυτοκρατορος deinceps perpetuo adjectum. Praeclare conspirat numus ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. B., in cujus una facie est caput Vespasiani, in altera Titi, juxta epigraphe simplex: Τ. ΦΛΑΥΙ. ΟΥΕΣΠ. ΚΑΙΣ., quem numum vulgavit Pellerinius [a]), qui et simillimum alium addidit, nisi quod in hoc legitur ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Δ., qui annus IV. respondet anno V. C. Iuliano 824, quo labente Titus imperatoris titulum a patre demum abstulit.

Titi Caesaris imperatoris.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. ΤΙΤΟΥ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. *Caput laureatum.*
ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. L. B. *Caput Vespasiani laureatum.* AR. (Zoëga in num. Vespas. n. 13.)

Ex numis, qui Titum αὐτοκρατορα appellant, hic haud dubie primum sibi locum postulat. At quoniam Titus anno II. Alexandrino Vespasiani nondum habuit titulum imperatoris tanquam imperii conlegae, intelligendus certe est titulus imperatoris ex victoria, quem ipsi intra hoc tempus ex captis Hierosolymis delatum tradit historia, quae omnia copiose persequemur in moneta Titi.

* * *

Ad sequentes numos praemonendum, in aliis annum imperii in antica juxta caput videri exaratum, in aliis in parte aversa.

ΑΥΤ. ΤΙΤ. ΦΛΑΟΥΙ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝ. ΚΑΙΣ. L. A. *Caput laureatum.* ✠ ΕΙΡΗΝΗ. *Pax stans d. spicas, s. caduceum.* In alio: *Victoria stans.* In alio: ΡΩΜΗ. *Roma stans d. hastam, s. clypeum.* In alio: ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. *Mulier stans d. coronam, s. hastam.* In alio: ΕΥΘΗΝΙΑ. *Caput Abundantiae.* AR. (Stosch, Morelli, Theupoli.)

Iusta quaestio, quis sit hic annus I. notis L. A. indicatus. Primus patris Vespasiani annus, seu V. C. 822, intelligi nequit, quia illo Titus Αυτοκρατορος titulum nondum habuit, eo nonnisi V. C. 824 donatus. Neque intelligi potest annus primus Titi Augusti, seu post patris excessum imperantis, quia in his omnibus, quos modo descripsi, deest vocabulum ΣΕΒΑΣΤΟΥ, quod in certis Titi Augusti numis abesse non solet. Ergo notae L. A. verisimiliter indicant annum, quo a patre ad imperii conlegium adscitus est.

* * *

ΑΥΤ. ΤΙΤ. ΦΛΑΥΙ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. L. Δ. *Caput laureatum.* ✠ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. *Genius urbis stans.* In alio, sed sine epigraphe: *Victoria.* (Theupoli.)

a) Mel. I. tab. VII.

Hic quoque annus IV. verisimiliter ducitur ab adscito imperatoris titulo. Cl. Zoëga ex numis, quos edidere alii, collegit adhuc annos E, ϛ, H, sed addit, nescire se, quae fides tribuenda numis Titi annum quarto majorem proferentibus, nimirum quia tempus, quo solus imperium tenuit, in IV. tantum annos Aegyptios incidit. Atqui, subjicit, *numos Alexandrinos non trib. potestatem a patre cum eo communicatam epocham facere, sed Augusti dignitatem post patris obitum in eum devolutam, inde evincitur, quod Augustum appellant addito anno, quo, si trib. potestatem respiceret, tantum Caesar fuisset.* In ejus catalogo unicum reperio numum, qui eam possit difficultatem objicere, nimirum qui est in numis Titi n. 26: ΑΥΤΟΚ. ΤΙΤΟΣ. ΚΑΙ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. ΣΕΒΑ., in aversa: ΣΕΒΑΣΤΟΥ. L. ENAT. *Caput Alexandriae.* Numum citat ex Morellio, sed quem ego in omnibus hujus operibus non reperi. Ex quo sequitur, virum praeclarum memoriae lapsu alienum fontem indicasse. Sed quisquis is fuit, certe suas ipse aquas turbavit. Est enim idem hic numus plane integer in museo Caesareo, sed in cujus antica manifesta est epigraphe non Titi, sed Vespasiani. Ceterum jure hoc loco queritur Zoëga de mala catalogorum fide, quam jure possumus suspicari, non tamen corrigere. Vnde factum necessario, ut Zoëgana haec numorum Titi sylloge perpetua sit chronologiae confusio, et dissidiorum causa. Enimvero minus irascar homini numum male explicanti, quam praeconi verum numi statum male describenti. Potest illius errata sanare scientia et eruditio, hujus non potest.

Exstant et alii numi, in quibus Titus imp. jungitur cum Vespasiano patre addito L. H. vel ENAT. vel L. I., quos vide apud Zoëga in numis Vespasiani, sed anni his inscripti sunt patris.

Videmus in his numis vocabulum Αυτοκρατορος instar praenominis constanter praeponi contra certam titulorum legem in moneta Romana observatam, in qua, quamdiu Titus nonnisi Caesar fuit, nunquam legitur IMP. TITVS, sed semper TITVS. IMP., quo in ordine non temere a Romanis constituto peccant etiam in Tito numi non pauci inscripti ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Verum et supra vidimus, Vitellium dici *Caesarem*, plane contra legem monetae Romanae.

Titi Augusti.

ΑΥΤΟΚ. ΤΙΤΟΥ. ΚΑΙΣ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. ΣΕΒ. *Caput laur.* ✕ ΣΑΡΑΠΙΣ. L.B. *Caput Sarapidis.* AR. (Stosch.)

Eadem adversa. ✕ ΟΜΟΝΟΙΑ. L. Γ. *Mulier sedens d. protenta spicas.* AR. (Mus. Caes.)

ΑΥΤΟΚ. ΤΙΤΟΣ. ΚΑΙΣ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. ΣΕΒ. *Caput laur.* ✕ ΝΙΛΟΣ. L. Γ. *Protome Nili barbata cum flore loti supra humerum.* AE. II. (Mus. Caes.)

Titus mortuo patre imperium adivit mense Iunio V. C. 832. Coepit ergo annus B exeunte Augusto ejusdem anni, et annus Δ anno V. C. 834., qui fuit Titi postremus, nam proximis idib. Sept. funus fuit. Cum postremo hoc anno nu-

mum Titi Augusti non reperi, quos sane raros esse oportet, quod parum temporis inter ejus anni initium, et principis mortem intercessit.

DOMITIANVS.

Ejus numos Alexandrinos, quamdiu Caesar tantum fuit, et signatos adeo sub Vespasiano et Tito, certos nondum comperi. In Zoëgae compilatione reperio numos quinque, in quorum antica: ΚΑΙΣΑΡ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ. *Caput laur. cum* L. Δ. In aliis: ΚΑΙCΑΡ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. *Caput laur. cum* L. Z. I. IA. qui numi Domitiano adhuc Caesare videri possent signati, cum quod Augusti mentione abstinent, tum quod anni hi omnes cum annis patris Vespasiani possunt componi. Neque obesset caput in his laureatum, nam Domitianus jam anno Vespasiani imperantis IV. laureatus in ipsa Romanorum moneta sistitur. Quae quidem argumenta commode probarent, esse hos numos Domitiani Caesaris. At enim repugnare videtur sigma in horum compluribus lunatum, quod Vespasiano et Tito imperantibus nondum Alexandriae valuisse ex ipsis eorum numis intelligo, at denique inductum sub Domitiano. Praeterea cum videam, numos hos tam parce inscriptos esse omnes formae III. vel IV., apparet, monetarios nonnunquam arti spatii causa titulorum partem resecuisse, atque adeo hos inter etiam titulum ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Non igitur videntur in Aegypto numi Domitiani adhuc Caesaris signati, nisi in consortio cum patre Vespasiano, quorum unum vulgavit Harduinus [a]): *Epigraphe, et caput patris.* ✕ ΔΟΜΕΤΙΑΝΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒ. ΥΙΟΣ. ΕΤ. Θ. *Ipse togatus stans.*

In Domitiani Augusti numis typi alii ex moneta R. petuntur. Sic:

ΑΘΗΝΑ. ΣΕΒΑΣΤ. L. I. *Pallas stans.* (Theup.)

Cognito nimirum Domitiani in Palladem suam adfectu, quorsum etiam adluditur typo basis, cui insistit noctua inter duos serpentes. (Mus. Caes.)

ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. L. IA. *Aequitas Augusti.* (Mus. Parm.)

ΕΛΠΙΣ. ΣΕΒΑΣΤΗ. L. I. IA. *Spes Augusta.* (Mus. Caes. et Parm.)

ΝΕΙΚΗ. ΣΕΒΑΣΤΗ. *Victoria Augusta* cum variis annis.

ΤΥΧΗ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. L. IA. *Fortuna Augusta.* (Patin.)

* * *

Typi alii sunt mere Aegyptii, sic:

ΗΛΙΟΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ. L. IΓ. de quo vide prolegomena cap. I. sub *Sarapis.*

Capita Isidis, *Sarapidis*, *Agathodaemon etiam portatus equo*, *Apis*, *Ammon*, *pharus etc.*

Hippogryphus pedem rotae imponens, typus et in sequentium imperatorum numis obvius. Is in numis urbium Graecarum Nemesi vel Fortunae sociatur, ut diximus in numis Smyrnae; sed in Alexandrinis forte aliud ex mysteriis Aegyptiis petitum indicat, nam in his etiam Sphinx saepe comparet rotae pedem imponens.

* * *

Nomen ΓΕΡΜ*ανικȣ* Domitiani titulis addi incipit in numis ΕΤΟΥΣ. ΤΡΙ-

a) Hist. Aug. p. 734.

TOT. notatis, praeclara cum numis Romanis concordia. Adsero istud ex numis musei Caesarei probe inspectis, non ex praeconio catalogorum, quorum auctores ejuscemodi indicia velut otiosa fere negligunt, neque in iis examinandis adcurati videri cupiunt, cum tamen magni sint ad historiam criticam emolumenti. Adcuratissimus quidem Zoëga numum unum protulit, qui τo ΓΕΡΜ. cum L. A. sociat, sed malim credere, in eo legendum L. Δ. vel IA. Vide, quae de hoc titulo in Domitiani numis commatis R. disputabo.

* * *

Ad annos inscriptos progredimur. L. A. a solis Arigonio et Patino recitari video. Alium indicatum reperio in numis musei S. Floriani. At frequentiores numi annorum sequentium, quorum postremus est Iϛ. XVI., qui unicus est in museo Arigoni. Quoniam annus B. coepit XXIX. Augusti V. C. 835., annus IE exivit eodem die V. C. 849. Cum Domitianus caesus sit die XVIII. sequentis Septembris, et delibaverit adeo annum Alexandrinum Iϛ, signati etiam haud dubie sunt numi cum hoc anno, sed quos esse perraros necesse est. Hoc imperante in his numis pro anni nota L. saepe scribi solet ΕΤΟΤΣ, utroque hoc deinceps promiscue usurpato.

DOMITIA.

ΔΟΜΙΤΙΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. *Ejus caput.* ✠ ΑΤΤ. ΚΑΙΣΑΡ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. L. E. *Caput laur.* AE. III. (Stosch, Zoëga.)

L. IA. *Domitia sedens d. spicas, s. hastam.* (Mus. Christinae inter AE. II.)

NERVA.

L. A. ΚΡΑΤΗΣΙΣ. ut in numis Galbae. (Harduin hist. Aug.) vel: *Serpens Agathodaemon erectus inter spicam et caduceum.* (Mus. Caes.) AE. II.

L. B. ΚΡΑΤΗΣΙΣ. AR. (Mus. S. Floriani.) Alium cum hoc anno citatum non reperio.

* * *

Nerva XVIII. Septembris V. C. 849. ad imperium vocatus, et exeunte Ianuario V. C. 851. mortuus auctiorem annum non admittit. Numus cum L. Γ., qui cum Nervae imperio componi nequit, Goltzianus est.

TRAIANVS.

In nonnullas classes Trajani quoque numos tribuere placet.

Numi mythologiae Aegyptiae.

Parum novi haec classis suppeditat, vetera: *Isidem cum Harpocrate*, *Canopos etc.* De numis cum imagine Harpocratis et Nili vide prolegomena cap. I.

Numi mythologiae Graecae.

L. IΓ. *Pluto in quadrigis raptam agens Proserpinam, inferne calathus effusus.* AE. I. (Arigoni.)

L. IB. *Triptolemus in bigis serpentum.* AE. I. (Arigoni.)

L. IΓ. *Quadrigae equorum lente incedentes auriganto muliere, quibus vehitur calathus frugibus refertus, quem insistens pone mulier manu sustentat.* AE. I. (Haym. T. II. p. m. 265.)

In aliis: *Idem calathus in bigis boum vel serpentum.* AE. I. (Theupoli.)

Omnes hi numi argumentum continent ad Cererem ejusque sacra pertinens. In numo I. Proserpina Cereris F. a Plutone rapitur, typus obvius in numis Graecis, praecipue Asiae minoris. Mater amissam filiam omnibus terris investigat, ipsa in Attica benigne excepta Triptolemum frugum sationem docet, suosque illi serpentes cedit, quod exhibet numus II. Triptolemus Thesmophoria Athenis constituit in memoriam traditae sibi disciplinae agrestis, cujus festi ritum, nempe calathi pompam, numus III. proponit. Calathum solum, refertum frugibus, positumque inter duos serpentes daduchos jam vidimus supra in numis Liviae, quo loco monui, eo typo indicari Thesmophoria ab altero Ptolemaeo Atheniensium exemplo Alexandriae constituta, atque is non in Liviae modo numis citatis, sed et insequentium imperatorum perfrequens typus. At is in praesente numo solenni pompa vectus proponitur ad eum modum, quo festum illud Alexandriae celebratum describit autopta Callimachus [a]). Habes equorum quadrigas, indicante eodem poeta [b]):

Χ' ὡς αἱ τον καλαθον λευκοτριχες ἱπποι ἀγοντι
Τεσσαρες.

*Vtque calathum candidi vehunt equi
Quatuor.*

Mulier una currum regit, altera pone calatho providet. Scilicet Thesmophoria a mulieribus peragi solita non liquet modo ex Aristophanis fabula, quae Θεσμοφοριαζουσαι inscribitur, sed et vel ex primo Callimachi versu:

Τω καλαθω κατιοντος ἐπιφθεγξασθε γυναικες,
Calatho descendente adclamate mulieres.

Sic et Catanae Cereris sacra ab unis mulieribus confecta tradit Cicero [c]). In Eleusiniis quoque Cereris sacris mulieres curru vectas indicat Aristophanes [d]). Ad eadem Thesmophoria pertinent etiam numi postremi, etsi pro equis currum subeant boves, vel serpentes, quae varietas placuit monetariis, quod utrumque animal Cereri sacrum noverant, etsi eorum usus in hoc festo non valuerit. Sic in iisdem his numis Alexandrinis propositos videas imperatores vectos jam equis, quod moris soliti, jam elephantis, quod rarius, jam Centauris, quod nunquam. Philadelphus Thesmophoria non constituisse in Aegypto, sed revocasse videri poterat, nam inde a Danai filiabus in Graeciam traducta tradit Herodotus [e]).

* * *

L. IΓ. *Prometheus rupi adligatus, adstat aquila ultrix.* AE. I. (Arigoni.)

Elegans typus, neque alias ex regno numismatico cognitus.

---

a) Hymn. in Cerer. b) l. c. v. 121. c) in Verr. L. IV. c. 45. d) in Pluto v. 1015.
e) L. II. c. 171.

Numi cum typis Romanis.

ΕΙΡΗΝΗ. ΚΑΙ. ΟΜΟΝΟΙΑ. L. Iϛ. *Pax et Concordia cum suis attributis stantes dexteras jungunt.* AE. I. (Mus. Caes.)

Numos alios similes jam cogniti argumenti commemorare non attinet.

* * *

DACICI titulus praedicari incipit in numis cum L. H., neque tamen repugnaret annus Z. Quod vero hactenus posterior hic annus visus non est cum Dacici titulo junctus, in causa erit paucitas numorum, qui annum Z inscriptum offerunt. Cl. Zoëga tres tantum editos reperit, quorum unus ea parte, quae titulum hunc capere debuerat, vitium fecit, alter anepigraphus, de tertii epigraphe non constat. Titulus PARTHICI cum L. IΘ. jungi incipit. Vide de his titulis numos Trajani commatis Romani.

* * *

Anni Trajani habentur ab A usque K cum mediis omnibus, numi tamen cum annis minoribus sunt rariores. Coepit Trajani annus A mense Ianuario V.C. 851., quo mortuus est Nerva. Quo minus annum KA adsequeretur, qui coepisset fine Augusti V. C. 870., morte prohibitus est, ejusdem mensis initio in Cilicia e regione Alexandriae vita functus. Reperio annum KA in thesauro Mauroceno, sed cujus auctoritate non magnopere moveor, neque etiam Zoëga duobus aliis, quos cum eodem anno editos vidit, fidem habet, putatque Hadriano restituendos.

HADRIANVS.

Illustre agmen numorum hujus imperantis in plures pro more classes tribuimus.

Numi mythologiae Aegyptiae.

L. IH. *Sphinx sine alis, cujus caput loto ornatum est, et tectum velo ad medios pedes descendente; ex pectoris medio exstat caput crocodili, ipsa serpenti insistit caput erigenti, super dorso gryphus pedem rotae imponens.* AE. I. (Mus. Caes.)

Numum hunc edidi in mea Sylloge I., iterum cl. Zoëga, qui eum paullo aliter describit, et amplo commentario de Sphingis varia forma, et recondita significatione illustrat. (Mus. Borg. p. 140.)

* * *

Ammon, Sarapis, Harpocrates, Apis etc. aut obvii sunt in his numis, aut jam in prolegomenis ad hanc classem cap. I. explicati.

Numi cum typis Romanis.

ЄΛΠΙϹ. ϹЄΒΑϹΤΗ. L. Iϛ. *Spes gradiens.* AE. I. (Mus. Caes.)

ΠΡΟΝΟΙΑ. L. KB. *Providentia stolata stans d. Ibin, s. hastam transversam.* AR. (Mus. Caes.)

L. K. *Tiberis decumbens sinistro brachio innititur lupae geminos lactanti, infra aquila expansis alis.* AE. I. (Stosch.)

Argumentum ex historia R. decantatum, sed mallem pro aquila dici picum, notum in eadem fabula actorem.

Numi cum typis ad Hadrianum pertinentibus.

L. Γ. *Templum distylum, in quo Hadrianus stans d. aediculam pro pedibus positam contingit, s. hastam.* AE. I. (Mus. Caes.)

L. Z. vel IZ. *Templum distylum, in quo Sarapis stans s. hastam, et dextera elata protegit Hadrianum adstantem, qui dextera aediculam pro pedibus positam contingit, cui inscriptum:* ΑΔΡΙΑΝΟΝ., *s. hastam tenet.* AE. I. (Mus. Caes.)

Docent hi numi, Hadrianum adhuc vivum ab Alexandrinis pro deo cultum, templumque ejus honori erectum. Hujus templi meminit quoque Epiphanius [a]), cujus testimonio numi hujus typus praeclare illustratur. Perhibet is, fuisse Alexandriae templum Hadriani honori consecratum, versum postea in gymnasium Licinianum, tandem a Constantino M. aedem sacram ibi positam, appellatam de nomine Gregorii Meletiani.

* * *

ΠΑΤΗΡ. ΠΑΤΡΙΔΟС. L. IB. IΓ. *Duae dexterae junctae.* AR. (Mus. Caes.)

Illustres hi numi plurimum valent ad definiendum tempus, quo Hadrianus *Patris Patriae* titulum suscepit, de quo consule, quae in ejus principis numis Romanis disputabo.

* * *

L. IE. *Genius muliebris Alexandriae capite elephanti exuviis tecto et veste succincta stans, s. demissa spicas tenens adprehensam dextera adstantis imperatoris togati dexteram osculatur, qui s. hastam tenet.* AE. I. (Mus. Caes.)

L. IЄ. *Idem genius s. vexillum tenens, dexteram, qua simul spicas tenet, cum adstante eodem cultu imperatore jungit.* AR. (Mus. Caes.)

L. IЄ. *Idem genius oleae ramum protendens occurrit imperatori quadrigis advecto.* AE. I. (Arigoni.)

Ad hos tres numos provoco, ut comprobem, Hadrianum anno Alexandrinorum IЄ seu XV. Alexandriam venisse, de quo vide numos Hadriani Romanos. Elegans in numo I. imago urbis imperatoris manum osculantis, jam apud veteres observantiae et reverentiae argumentum. Sic Priamus, cum Achillis domum intrasset, Hectoris cadaver exoraturus, continuo docente Homero [b]):

Χερσιν Αχιλληος λαβε γουνατα, και κυσε χειρας.
Manibus Achillis apprehendit genua, et osculatus est manus.

Et sic Alexandrum moriturum militibus dexteram osculandam porrexisse tradit Iustinus [c]).

* * *

Hadriani annus A longaevus non fuit; coepit enim die XI. Augusti V. C. 870. quo apud Antiochiam imperium suscepit, et exivit ejusdem mensis die XXIX., quae causa est, cur rarissimi sint numi anno A insignes. Annus postremus reperitur KB, qui coepit exeunte Augusto V. C. 890., quo labente diem obiit X. Iulii V. C. 891.

a) contra Ebion. b) Il. Ω. v. 478. c) L. XII. c. 15.

SABINA.

ϹΑΒΕΙΝΑ. ϹΕΒΑϹΤΗ. *Ejus caput.* ϗ L. ΙΓ. *Sabina sub Cereris specie sedens d. spicas, s. hastam.* AR. (Stosch.)

In aliis: *Caput Sabinae.* ϗ *Caput Hadriani.* AR. et AE. I.

* * *

Anni sunt: L. ΙΓ. (Stosch.) L. ΙΕ. (Stosch. Theup.) L. Ιϛ. (Stosch.) L. ΙΖ. (Stosch.) L. ΚΑ. (Theup.) Annum ergo primum Sabinae Augustae habemus ΙΓ. et forte emerget alius cum L. ΙΒ., sed hoc nullus anterior, nam exeunte isto Sabina Augustae titulum adepta est. Satis igitur causae, cur praetensum in solo museo Theupoli L. ϛ. in L. Ιϛ. ausim corrigere, tanto majore istud fiducia, quod similis Stoschianus cum L. Ιϛ. eundem etiam habet Victoriae gradientis typum, quem Theupolianus. Viderit ergo cl. Zoëga, an non in numo, quem praeterea solum cum L. ϛ. ex museo M. Ducis citat, legendum quoque sit L. Ιϛ. Sed haec copiose disputabuntur in Sabinae numis Romanis.

AELIVS CAESAR.

Λ. ΑΙΛΙΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. *Caput nudum.* ϗ ΔΗΜ. ΕΞΟ. ΥΠΑΤΟϹ. *Mulier stans s. cornucopiae ad aram sacrificat.* AR. (Stosch.)

Si rite lecta est aversae epigraphe, maturius in Aegypto Aelius honores monetarios obtinuit, quam Romae. Nam ejus cum consulatu I. numi Romani non exstant.

* * *

Eadem adversa. ϗ ΔΗΜ. ΕΞΟΥϹ. ΥΠΑΤ. Β. *infra* ΟΜΟΝΟΙΑ. *Concordia sedens d. pateram, s. cornucopiae nixa.* (Mus. Caes.) In alio: *Mulier stans d. pateram, s. spicas.* AE. II. (Mus. Caes. Theup.)

* * *

Alius in museo Theupoli citatur inscriptus: ΔΗΜ. ΕΞΟΥϹ. ΥΠΑΤ. Γ. quae epigraphe si vera est, haec ad Hadrianum pertinebit, nam Aelius consul III. non processit.

* * *

Recitati hactenus Aelii numi praeter aliorum Alexandrinorum morem annum inscriptum non habent, in horum tamen classem esse tribuendos, fabrica invicte arguit. Omissorum annorum causa verisimilis est, quod hi mentione consulatus satis videbantur definiti.

* * *

Eadem adversa. ϗ ΕΙΡΗΝΗ. L. Γ. *Mulier stans d. pateram super ara, s. caduceum.* AE. I. (Zoëga.)

Singularis est hic numus, non modo quod unicus hactenus est compertus ex universa Aelii moneta Alexandrina, qui annum addat, sed etiam, quod doceat, Alexandrinos Aelii numis non annos Hadriani, sed ejus Caesaris inscripsisse, cum tamen inde a principio Aegyptiae hujus monetae numis Caesarum et Augustarum, si Tiberianos demas, imperantium Augustorum anni inscribi sint soliti, et qui mos deinceps quoque valuit usque ad Diocletianum, quo imperante factum iterum, ut collega Maximianus, et Caesares adsciti annos suos, non Diocletiani, numera-

rent. Novicio hoc instituto confirmari putat cl. Zoëga, quod de Aelio refert Spartianus, eum peculiari quadam ratione ab Hadriano fuisse adoptatum, non ut Trajanum a Nerva, sed fere ut a Diocletiano Constantium et Galerium, atque haud dubie Hadrianum Aelio Pannoniam sic regendam dedisse, ut alias imperii provincias Diocletianum adscitis Caesaribus. Quo factum, ut utrique, velut αὐτοκράτορες, a die collati Caesarei tituli, potestatis suae annos ducerent. Sed enim jam vidimus in Tiberio, hujus quoque numis Alexandrinis, cum Caesar tantum adhuc esset, non annos Augusti, sed annos, ex quo Caesaris nomen Tiberius ipse obtinuit, fuisse insertos. Quae ad Aelii historiam pertinentia inscriptus hic annus doceat, vide in hujus Caesaris moneta commatis Romani.

ANTINOVS.

Hujus numos Alexandrinos recensebo, et explicabo in numis Augustorum commatis Romani.

ANTONINVS PIVS.

Nullo alio imperante numi magis copiosi, et magis variantibus typis signati. Eos rursum aliquot classibus comprehendo.

Numi mythologiae Aegyptiae.

Paucos hujus generis reperio, qui aliquid nondum scitum, dignumque offerant. En tibi paucos hos:

L. KA. *Mulier sedens in dorso lupi currentis d. cornucopiae, s. baculum.* AE. I. (Theupoli, Stosch.)

Est haec indubitata Isis, quem praegrandi cane vectam, saepe offerunt aenei minuti Alexandriae imperante Iuliano signati et Latine inscripti. Idem argumentum est etiam in numis aeneis Hadriani et Faustinae sen. commatis item peregrini, quos omnes recensebo in numis Iuliani Latinis. Catalogi fere dicunt lupum, quod ego canem, exiguo discrimine, nam lupus aliud non est, quam canis ferus et silvestris. At oportebat parare canem mole conspicuum, qui Isidem dorso gestaret.

* * *

L. Γ. *Caput Sarapidis humano pedi velut basi impositum.* AE. I. (Zoëga.)

Idem typus in Aurelii quoque et Commodi numis recurrit. In eo explicando nondum satisfecerunt eruditi, neque cl. Zoëga de eo non pauca disserens desideratam lucem attulit [a]).

Numi mythologiae Graecae.

HERCVLES. Plerosque ejus labores in aeneis I. formae propositos reperias.

L. Δ. *Hercules nudus decurrens d. tenet cornibus juga boum, s. clavam et spolia leonis.* AE. I. (Theup.)

En abactos Geryonis boves.

a) pag. 224.

L. ΤΕΤΑΡΤΟΥ. *Hercules aprum humero gestat; Eurystheus ad ejus pedes sub terram se abscondere conatur.* AE. I. (Zoëga.)

Fabulam hanc ex numis similibus jam explicavimus in numis Perinthi Thraciae.

L. ΤΕΤΑΡΤΟΥ. *Hercules aves Stymphalidas sagittis enecans.* AE. I. (Mus. S. Floriani.)

L. Ε. *Hercules Antaeum alte sublatum elidit.* AE. I. (Theup.)

L. Ε. *Hercules sedens in basi pelle obducta, s. tenens lyram, d. amice prehendens dexteram Centauri sinistro brachio clavae innixi, pone servus operculum vasis sublevat.* AE. I. (Zoëga.)

Novum hunc typum vir hic eruditus praeclare ex Apollodoro explicat narrante [a]), Herculem a Pholo Centauro convivio exceptum petiisse vinum, atque hunc quidem hospiti satisfecisse aperto dolio, quod communem Centaurorum potum continuerat. Lyrae causam ex vetere more inter convivia canendi eleganter repetit.

L. Ε. *Hercules nudus s. clavam super humero, d. fune Cerberum ex antro educit.* AE. I. (Erizzo.)

L. Ε. et L. ΕΝΑΤΟΥ. *Hercules nudus utramque manum porrigit versus fontem ex rupe profluentem, inferne vas, cui illigata harpa bidens.* AE. I. (Mus. Caes. et M. Ducis.)

Numum hunc olim edidi, ejusque argumentum propter furcam bidentem et vas revocavi ad laborem ab Hercule Augiae stabulis impensum, quo turpi labore peracto ad fontem properat, ut contractam illuviem deponeret [b]).

L. ΔΕΚΑΤΟΥ. *Hercules clava Echidnam impetit in binos serpentes desinentem.* AE. I. (Zoëga.)

Vide similem typum in numis Perinthi Thraciae.

L. ΔΕ. *Hercules taurum Cretensem domans.* AE. I. (Arigoni.)

L. ΔΕΚΑΤΟΥ. *Hercules Hesperidum poma ex arbore decerpit, cui obvolutus serpens.* AE. I. (Erizzo.)

L. ΔΕΚΑΤΟΥ. *Hercules prehensum cornibus cervum Maenalium retinet.* AE. I. (Mus. reg. Christinae.)

L. ΔΕΚΑΤΟΥ. *Hercules Diomedem crinibus prehensum et humi prostratum clava ferit, utrinque equus.* AE. I. (Pellerin Mel. I. p. 228.)

Intuli Herculem mythologiae Graecae, quia hi ejus labores in his numis secundum Graecorum figmenta proponuntur. Ceterum constat, Herculem ab Aegyptiis inter deos indigenas habitum [c]).

* * *

L. ΕΝΑΤΟΥ. *Apollo nudus d. cervulum, s. arcum, stans inter duas Nemeses, pro pedibus tripus, qui in alio simili abest.* AE. I. (Zoëga.)

Arguit ex hoc typo Cl. Zoëga, geminas Nemeses non a Smyrnaeis modo, sed et Alexandrinis observatas; copiose deinde explicat harum cum Apolline, id est, sole sive Mithra nexum, hunc, ceu mundi rectorem, comitantium. Ait, Apollinem versus Nemesin unam protendere cervulum ju-

a) Bibl. L. II. c. 4. §. 4. b) Num. vet. p. 301. c) Diod. Sic. L. I. c. 24.

ventutis et renovationis symbolum, versus alteram arcum, mortis vastitatisque instrumenta, adstitutum vero tripodem innuere leges Adrasteae etc. At enim praesentis numi explicatum suppeditant causae obviae ac parabiles, modo has prae mysteriis ames. Habes in hoc Apollinem Milesium inter duas Smyrnaeorum Nemeses stantem. Horum imaginem numinum, qualia in praesente numo proponuntur, dabunt tibi sexcenti Smyrnae, Mileti, et passim cogniti concordiae numi. Verum quid Alexandrinis cum his Smyrnae numinibus? Ajo, idem, quod Ephesiis cum Iove Laodiceae, quod Phrygibus cum Diana Ephesia etc. Dii in moneta domestica peregrini aut communionem sacrorum, aut initam cum una pluribusve urbibus concordiam indicant. Foedus Alexandrinis cum Asiae urbibus intercessisse, docent sane Ephesiorum et Samiorum numi, quorum illi Caracallae aetate signati inscribuntur ΚΟΙΝΟΝ. ЄΦЄϹΙΩΝ. ΚΑΙ. ΑΛΕΞΑΝΔΡЄΩΝ. sueto ludorum typo: hi Gordiano imperante signati: CAMIΩN. KAI. ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΩΝ. OMONOIA. typo Isidis cum velo stantis. Quorum exemplo numorum si fingas, huic, de quo agimus, inscriptum: ΑΛΕΞΑΝΔΡЄΩΝ. ΜΙΛΗϹΙΩΝ. ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ. OMONOIA., habes concordiam inter urbes tres hac aetate in urbium numis obviam.

*
* *

L. H. *Mercurius stans in templo distylo d. caduceum, s. ramum oblongum, pro pedibus utrinque canis.* AE. I. (Mus. Caes.)

Mercurii sueta attributa gallus, testudo, aries, hircus, aut canis rarius, tamen et hujus sociati causam tenemus. Teste Plutarcho a) canis Mercurio sacer, quia hic deus astutissimus, idemque vigilantissimus est. Caninam etiam faciem assumpsit Mercurius, ut refert Lucianus b), dissimulata tamen ejus causa, ne sacra revelaret. Secundum Aegyptiam hujus aevi theologiam latrator Anubis idem fuit cum Mercurio, qua de causa Anubis in monumentis sequioribus caduceum plerumque gestat. Causam dat Servius cum Plutarcho fere idem sentiens c), *quia*, inquit, *capite canino pingitur, hunc volunt esse Mercurium, ideo, quia nihil est cane sagacius.* At cur Alexandrini sinistram Mercurii manum ramo oblongo instruxerint non in hoc modo numo, sed et in frequentibus sequentium imperatorum, non aeque mihi compertum.

*
* *

L. KΔ. *Perseus chlamydatus cum galea recurva d. tenens falcem humero applicatam, sinistram porrigit Andromedae de rupe descendenti.* AE. I. (Zoëga.)

L. Z. *Orpheus sedens cithara canit, circumstat animantium multitudo.* AE. I. (Zoëga.)

Refert Pausanias d), stetisse in Helicone Orphei signum in ferarum medio canentis, adstitutam praeterea fuisse imaginem Τελετης, *Initiationis*, cujus nempe auctor creditus Orpheus. Est vero etiam Orpheo cum Aegypto ne-

a) De Is. et Osir. b) dial. mar. 7. c) ad Aen. VIII. 698. d) L. IX. c. 30.

xus; nam adivisse eam regionem, et ejus mysteriis initiatum refert Diodorus [a]). Adde, Alexandrinos cantus et citharae studia immoderatius sectatos, quem furorem severa oratione castigavit Dio Chrysostomus [b]) lepida etiam Phrygis cujuspiam enarrata fabula, Orpheum canentem praeter feras alias impensius secutas aves ovesque. Eum vita functum cum pertinacius plangerent, impetrasse a Iove Orphei matrem Calliopen, ut in homines mutarentur, sic tamen, ut veterem animum et studia retinerent. Ex his Macedonum quoddam genus ortum, qui subinde cum Alexandro mare transgressi Alexandriae denique consedere. Quocirca prae aliis Alexandrinos cantu delectari, et cum citharam audiunt, propter Orphei memoriam mentis fere impotes fieri, esse autem moribus leves et stolidos, quippe ex tali prognatos semine.

* * *

L. Z. *Iudicium Paridis eleganti imagine propositum.* AE. I. (Morelli Spec. tab. XI.)

L. - *Apollo citharoedus rupi insidens, Marsyas ex arbore pendulus, Scytha genu flexo cultrum in cote acuens.* AE. I. (Pellerin Rec. III. p. 288.)

Vtrumque argumentum, quod saepenumero veterum artem exercuit, explicare supervacaneum.

Numi cum typis Romanis.

ΑΙΩΝ. L B. vel ϛ. *Phoenix globo insistens.* AE. II. (Mus. S. Floriani.)

Quod ΑΙΩΝ in his numis, hoc in Romanis AETERNITAS addito etiam in his saepe phoenice aeternitatis symbolo. Varro [c]): *Aevum ab aetate omnium annorum; hinc aeviternum, quod factum est aeternum. Id ait Chrysippus esse αἰῶνα.*

* * *

ΕΤΘΗΝΙΑ. aliaque similia jam ex praecedentibus cognita.

Numi in Augustos et Romam officiosi.

L. IE. *Capita jugata Antonini cum corona radiata, et Faustinae, prae qua luna bicornis.* AE. I. (Mus. Caes.)

Antoninus et Faustina, etsi haec quidem dudum defuncta, solis et lunae imagine proponuntur, qua indicari Aeternitatem, quam vetus adulatio principibus propriam statuit, abunde in numis commatis R. comprobabo.

* * *

ΤΙΒΕΡΙC. ΟΜΟΝΟΙΑ. L. Z. *Tiberinus barbatus stans s. arundinem, dexteram jungit cum adstante Nilo s. cornucopiae tenente, in cujus dextero brachio exultat puellus, altero pro pedibus stante.* AE. I. (Mus. Caes.)

Numi hujus imaginem jam alias pictam stiti [d]). Offert concordiam Romanos inter et Aegyptios, quorum vice flumina Tiberis et Nilus funguntur, quod et poetis familiare canente Propertio de Cleopatra [e]):

Ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubin,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas.

---

a) L. I. c. 23. b) Orat. XXXII. c) de L. L. lib. V. d) Sylloge I. e) L. III. El. 11.

Numi astrologici.

1) L. H. *Caput Sarapidis modio insigne, quod in circulo interiore ambiunt capita VII. planetarum, in exteriore XII. signa zodiaci.* AE. I.

2) L. H. *Caput* Lunae, *prae quo astrum, infra* Cancer. AE. I.

3) L. H. *Caput* Solis *radiatum, prae quo astrum, infra* Leo *currens.* AE. I.

4) L. H. *Caput* Mercurii *imminente globo, prae quo astrum, infra* Virgo *stans d. hastam, s. spicas.* AE. I.

5) L. H. *Caput* Veneris, *prae quo astrum, infra virgo volans d.* Libram *tenens.* AE. I.

6) L. H. *Caput* Martis, *prae quo astrum, infra* Scorpius. AE. I.

7) L. H. *Caput* Iovis *laureatum, prae quo astrum, pone sceptrum, infra* Sagittarius *specie Centauri arcum tendens.* AE. I.

8) L. H. *Caput* Saturni *velatum imminente globo, prae quo astrum, pone harpa, infra* Capricornus. AE. I.

9) L. H. *Caput* Saturni *simile, infra* Aquarius *volans utraque manu amphoram tenet.* AE. I.

10) L. H. *Caput* Iovis *laureatum cum sceptro, prae quo astrum, infra duo* Pisces. AE. I.

11) L. H. *Caput* Veneris *prae quo astrum, infra* Taurus *cornupeta.* AE. I.

Omnes hos numos ejusdem argumenti, et eodem anno editos ex museo regis Galliarum aeri incisos stitit, et insigni dissertatione illustravit vir meis laudibus major Barthelemyus [a]. Sed jam multo ante eruditus Panelius in catalogo musei le Bret ad Alexandrinos hujus anni numos advertit, in iis varia zodiaci signa, quae enumerat, contineri, sed obiter tantum istud, neque ultra progressus est [b]. Horum nunc naturam ut explicaret Barthelemyus, usus est opera Iulii Firmici Materni, qui imperante Constantino astrologiae praecepta secundum Aegyptiorum et Chaldaeorum placita tradidit. Eorum, quae huc pertinent, summa est: quodlibet zodiaci signum ab uno quopiam planetarum pendere, planetas singulos in signo aliquo suum nactos domicilium, et inde exercere imperium. Ex hac lege Solem habitare in Leone, (num. 3.) Lunam in Cancro, (num. 2.) Saturnum in Capricorno, (num. 8.) et Aquario, (num. 9.) Iovem in Sagittario, (num. 7.) et Piscibus, num. 10.) Martem in Ariete, (deest.) et Scorpio, (num. 6.) Venerem in Libra, (num. 5.) et Tauro, (num. 11.) Mercurium in Geminis, (deest.) et Virgine, (num. 4.) Haec Firmicus, cujus traditam legem, ut ipse vides, religiose sequuntur nu-

a) B. L. T. XLI. p. 501. b) Mem. Trevoux Octob. 1737.

mi. Idem docent auctores duo illustres alii, Macrobius [a]), et Porphyrius [b]). Adde auctorem incertum, olim Censorinum creditum [c]), Proclum Diadochi [d]), Sextum Empiricum [e]), et Servium [f]). Desunt Mars in Ariete, et Mercurius in Geminis, sed et hi forte in quopiam museo latent, et emergent aliquando in lucem. Arietem certe in suo vidit Panelius, sed planetam addere neglexit [g]). Quae fuerit Alexandrinis causa, astrologicos hos numos, et quidem anno Antonini VIII. feriundi, causam idoneam non reperit Barthelemyus. Aliquid tamen videor posse colligere ex scholiasta Apollonii Rhodii, qui verbis Apollonii docentis, Aegyptios prius exstitisse, quam omnia sidera, quae coelo volvuntur, essent cognita, haec subdit [h]): καθο την τε φυσιν κατανοησαι αυτων δοκουσι και τα ονοματα θειναι, και τα μεν δωδεκα ζωδια θεους βουλαιους προσηγορευσαν, τους δε πλανητας ῥαβδοφορους. *Quapropter videntur Aegyptii primi eorum naturam perspexisse, et iis nomina dedisse. Et duodecim quidem zodiaci signa appellaverunt deos consiliarios, planetas vero lictores.* Hac ergo fiducia verisimile est Alexandrinos vetera artis suae praecepta in his numis ostentasse, et istud illis sic visum anno Antonini VIII., forte quia annis VII. imperii exactis planetarum numerum aequavit. Quae ibidem alia Barthelemyus de monumentis veterum astrologicam superstitionem redolentibus erudite disserit, quod instituti mei artos limites excedunt, dissimulo.

Arigonius id genus numum, qualem loco VII. proposuimus, nempe cum Iove et Sagittario, vulgavit, sed cum anno ΚΔ. Istud indicium si non fallit, non solo Antonini anno VIII., sed aliis quoque similis rationis numi Alexandriae sunt signati.

* * *

L. I. *Leo astrum respiciens.* AE. III. (Arigoni.)

Idem typus obvius est in numis Mileti. In Milesiis verisimilem ejus typi causam non habemus. At cum sol leonem ingreditur, magna istud universae Aegypto bene sperandi causa, quod tum altius adsurgens Nilus fecunditatem procurat.

* * *

Annos in Antonini numis habemus usque ΚΔ. cum omnibus mediis, sed annum Α in unico Patiniano reperit Zoëga, atque etiam in hoc legendum L. H., jure conjicit, quia numus est astrologicus typo Lunae et cancri. Neque mirum, non exstare numos cum anno primo, nam is nonnisi X. Iulii V. C. 891. coepit, exiturus sequentis Augusti die XXIX. Annus postremus ΚΔ. inivit exeunte Augusto V. C. 913., quo labente mortuus est Pius imperator VII. Martii V. C. 914.

Isthaec commode hactenus. At enim nodum nuper objecit Cl. Zoëga, quem Gordium vere dicere possis, binos promulgando numos ex museo regis Galliarum cum L. ΚЄ. et typis jam cognitis. Annus hic XXV. quo pacto cum

a) in Somn. Scip. L. I. c. 21. et Saturn. L. I. c. 12. b) de antro Nymph. c) cap. III. d) in Paraphr. ad Ptol. Tetrabibl. L. I. c. 20. e) adversus astrologos §. 34. f) ad Georg. I. v. 33. g) l. c. h) ad L. IV. v. 262.

chronologia Pii componi possit, non video. Non moror auctorum veterum testimonia, quae in edendis Antonini annis nimium discrepant, et cum in hoc, tum aliis raro cum certis monumentis conspirant. Ad numos nostri argumenti quod attinet, certum est, Antonini annum B coepisse XXIX. Augusti V. C. 891., ergo annus KΔ coepit eodem die V. C. 913. exiturus eodem mense V. C. 914., in cujus deinde locum successisset annus KЄ, si tum adhuc in vivis fuisset Antoninus. At enim certa exstant monumenta eum in vivis esse desivisse labente Martio V. C. 914.

Legitur apud Gruterum a):

M. AELIO. AVRELIO. VERO. CAESARE. III.
L. AELIO. AVRELIO. COMMODO II. COS.
COOPT.
L. PETRONIVS. SEVERVS. - - - - -
P. R. C. ANN. DCCCCXIII.

Ambo hi consules in hoc marmore secundum vetera sua nomina exarantur, quae adhuc obtinebant Kalendis Ian. V. C. 914., quo die consules processere, mox ea adscitis novis permutaturi, ille M. Aurelii Antonini Aug., hic L. Aurelii Veri Aug., nimirum posteaquam mortuo Pio imperium uterque una adivit. Quo circiter tempore istud factum docebit marmor aliud Gruteri b):

P. CORNELIVS. FAVSTVS.
SILVANVM.
CVM. BASE. DEDICAVIT.
IDIBVS. APRILIB.
IMP. CAES. M. AVRELIO.
ANTONINO. III. IMP. VERO.
AVGVSTO. COS. II.

Ergo Idib. April. V. C. 914. Antoninus diem jam obiverat, quia Aurelius et Verus jam Augusti appellantur, quo honore vivo Pio gavisi non sunt. Accedit monumentum aliud multo illustrius, quia auctoritatis publicae, nimirum positum ab universo ordine ac populo Puteolano. Intelligo basin perelegantem marmoream, quae praeter alia scitu digna, quae videri possunt apud Vignolium, qui insigne hoc monumentum vulgavit c), hoc continet:

X. KAL. APRIL.
IMP. CAESARE. M. AVRELIO.
ANTONINO. AVG. III.
ET IMP. CAESARE. L. AVRELIO. VERO. AVG. II. COS.

Ergo saltem X. Kal. April. id est: die XXIV. Martii Pius superstes amplius non fuit. Quorsum igitur annus XXV., cujus initium duci non potest, nisi a XXIX. Augusti V. C. 914., Antonino jam inde a sex fere mensibus vita functo? Tentavit nodum solvere Cl. Zoëga. Ait primum: Antoninum mortuum videri non mense Februario secundum communiorem sententiam, sed circiter mense Septembri, nempe aliquamdiu post diem XXIX. Augusti, quo Pii annus XXV. coepit. Verum quo pacto citata is monumenta contrarium docen-

a) pag. 300. b) pag. 63. 3. c) de columna Anton. p. 323.

tia explicabit? At cum sic nimium videatur ademptum annis successoris M. Aurelii, subjicit continuo: Aurelium anno, quam vulgo creditur, tardius mortuum fuisse, nimirum XVII. Martii V. C. 934. At enim in omni re chronologica cautio est, ne, cum temporis partem largimur uni, istud inique detrahamus alteri. Facile in hac sententia expedimus Antonini annum XXV., verum statuendo, Aurelium integro anno serius decessisse, omnis Aurelii et Commodi chronologia pervertetur, cum certa monumenta doceant, Aurelium V. C. 933. obivisse, quae in hujus, filiique Commodi moneta commatis R. proferentur. Revera etiam Cl. Zoëga Commodi mortem uno anno differt, quod quidem etiam cum certis scriptorum et monumentorum testimoniis pugnat. Praestabit igitur, binos hos numos in refractariis putare, quos cognita artis nostrae praecepta domare non possunt, cujus generis sunt, ut vicini temporis exemplis utar, tetradrachma Antiochena memorantia Trajani trib. potestatem XXI., (KA.) tum numi commatis R. memorantes Commodi trib. potestatem XVIII., ut suis locis adcurate indicabitur.

FAVSTINA SENIOR.

Hujus Augustae numi non ita pridem innotuerunt. Pellerinianus hactenus unicus creditus [a]). Cl. Zoëga binos ex regis Galliarum museo addidit.

ΦΑΤϹΤΕΙΝΑ. ϹΕΒΑϹΤΗ. L. Є. *Faustina stans ad aram sacrificat.* ✠ *Caput et epigraphe Ant. Pii.* AR.

ΦΑΤϹΤΕΙΝΑ. ΘΕΑ. L. Є. *Mulier stans d. pateram super ara, s. hastam.* In alio: *Caput Faustinae velatum.* ✠ *Caput et epigraphe Ant. Pii.* AR.

His addi potest numus musei Caesarei, quem descripsi in moneta Antonini sub numis in Augustos officiosis.

Omnes ergo hi numi annum V. mariti offerunt. Numus I. Faustinam anno V. Alexandrino adhuc fuisse in vivis praedicat, at Capitolinus tertio anno imperantis mariti mortuam perhibuit. Vide ejus monetam commatis R. Tametsi si spectes Alexandrinorum annos computandi modum, tum et Alexandriae ab urbe distantiam, annus hic V. cum tertio Pii anno, sed exeunte, possit componi.

M. AVRELIVS.

M. Aurelii numi alii sunt ejus *Caesaris*, alii ejus *Augusti*.

Aurelius Caesar.

Anni in numis Aurelii Caesaris ad imperium Antonini Pii pertinent.

Μ. ΑΤΡΗΛΙΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. *Caput imberbe nudum.* Annos reperio: L. Z. ЄΝΔЄΚΑΤΟΤ. ΔΩΔЄΚΑΤΟΤ. ΙΔ. ΙЄ. ΙΗ. ΙΘ. Κ. ΚΑ. ΚΒ. ΚΓ. (Mus. Caes. Theup.) In omnibus his numis typi obvii sunt et triti, dempto uno cum epigraphe ΑΡΠΟΚΡΑΤΗϹ., de quo vide prolegomena cap. I. sub *Harpocrate*.

a) Mel. I. tab. XIII.

In numis illaesis, quales sex varii sunt in museo Caesareo, epigraphe capitis talis est, qualem proposui. Quo dubitare licet, sitne epigraphe: M. ΑΥΡΗΛΙΟϹ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ., quam in quatuor Aurelii Caesaris numis vidit auctor musei Theupoli, rite promulgata. Aurelium, quamdiu Caesar tantum erat, nondum dictum Antoninum, in numis Latinis disseremus. Forte in Theupolianis scriptum est: ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ. ΥΙΟϹ.

Aurelius Augustus.

In hujus moneta Alexandrina typi novi vix reperiuntur.

L. Δ. *Orpheus lyra canens in medio ferarum alitumque omnis generis.* AE. I. (Morelli Spec. tab. XI.)

Vide, quae de simili typo diximus in Antonino.

* * *

L. Є. *Nilus jacens inter agmen colludentium puellorum XVI.* AE. I.

Vide de hoc numo prolegomena cap. I. sub *Nilus.*

* * *

CHMACIA. L. ϛ. *Figura juvenilis veste succincta et cothurnis instructa celeri equo vehitur volitantibus capillis et palliolo, d. elata efferens palmae ramum, s. frenum.* AE. I. (Zoëga.)

Eandem aversam, sed in numo L. Veri, vidit Pellerinius, sed quem is sic describit a): CHMAΛIA. L. ϛ. *Vir capite radiato et imberbis citato equo irruens d. fulmen intentat*, quo vocabulo invitante figuram equo vectam putavit esse Σημαλεον Δια, *Prodigialem I. vem* memoratum Pausaniae. Ante annos non multos intuli museo Caesareo numum similem, sic vitiatum, ut nonnisi ope numi Pelleriniani typum licuerit adsequi, sic integrum, ut distincte, viderem epigraphen -HMACIA, plene adeo CHMACIA pro Pellerinii CHMAΛIA. Eam vocem ex Suida explicandam putavi, cui Σημασια est φανερωσις δια σαλπιγγος, signum, *quod tuba datur*, figuram vero equo vectam, sequendo nimirum Pellerinii ectypon, esse solem classicum efferentem, adludendo ad bellum, quod anno VI. Aurelii in oriente, cujus symbolum sol habitus, gerebatur. Vide de hoc plura in mea Sylloge I., quo in opere numum hunc vulgavi b). Nuper cl. Zoëga id genus binos edidit, quos vidit ipse, unum Aurelii, alterum L. Veri, utrumque musei Borgiani, utrumque meo, et Pelleriniano magis integrum. Ab his numis mea quidem sententia stabilitur, qua legendum CHMACIA censueram, verum difficile est, vocabulum istud cum typi descriptione, qualem jam sinceram ex Borgiano habemus, componere. Mavult Zoëga in hoc numo videre Διος ΣΗΜΑΣΙΑΣ, *Iovis omina*, ex Diodori Sic. narratione c), et typo fingi boni ominis genium, velut aliquam Iridem ωκειαν Διος και νικηφορον αγγελον, *celerem Iovis nunciam et victoriae praeconem.* Verum et haec explicatio non plene satisfacit, cum quod

a) Rec. III. p. 142. b) pag. 72. c) L. II. c. 19.

verba Diodori non satis sese hujus numi causis adcommodant, ut legenti patebit, tum quod in verbi *σημασιας* lectione variant codices.

* * *

De annis inscriptis adcuratius agendum. Annus A. M. Aurelii coepit currere a VII. Martii V. C. 914. exiturus XXIX. Augusti ejusdem anni, quo coepit annus B. Ejus annus postremus fuit K, qui coepit exeunte Augusto V. C. 932., quo labente mortuus est XVII. Martii V. C. 933. Si in ejus numis reperias L. KA. KB. KΓ. KΔ., ne dubita, eos ad Aurelium adhuc *Caesarem*, non Aurelium *Augustum* pertinere, nam ut supra dixeram, Aurelius *Caesar* in numis suis signavit annos Pii, cujus postremus fuit annus KΔ. Liberalior Arigonius Aurelio nostro tribuit numos cum annis KZ. KΘ. Λ. ΛB. Facile dedero, annos hos rite lectos, at non rite lectam epigraphen anticae, quam si quis volet in examen revocare, mox deprehendet, esse Commodi, non Aurelii, facili peccato, nam cum intra primos Commodi imperantis annos valuerit epigraphe: M. ATPH. KOMM. ANTωNINOC. CЄ., si forte, quod saepe factum, *το* KOMM. vitium fecit, cum reliqua nomina aeque ad Aurelium pertineant, facile incautior aliquis Aurelio tribuet numum, qui est Commodi.

Adverte etiam, numos Aurelii Augusti cum annis prioribus esse parabiles, cum annis posterioribus esse rarissimos, aliquorum, ut: L. IA. IΔ. IH. K. nullos haberi. Postremum, eumque unicum Zoëga vidit cum L. IZ., unum cum L. IΘ. ex Harduino citavit. Causa ejus sive parsimoniae, sive defectus non satis expedita. Continuo numi Commodi cum anno ejus primo, seu K, obvii.

FAVSTINA IVNIOR.

Typis, qui in ejus moneta occurrunt, explicandis, quoniam nihil novi offerunt, non immorabor.

Epigraphe obvia: ΦATCTINA. CЄBACTH., rarius: ΦATCTINA. CЄB. CЄB. ЄTCЄB. ΘTΓ. *Faustina Augusta Augusti Pii filia*, quae inscriptionis lex capta est ex numis Romanis.

* * *

Annos habemus inde a L. B. usque L. KB. cum omnibus fere mediis. Si cui mirum videbitur, qua ratione in ejus numis haberi possit annus KB., quando mariti Aurelii postremus fuit annus K, ac multo magis, quod constet, eam quinquennio ante maritum mortuam, is velim intelligat, non modo imperante marito, sed et patre Pio Faustinae nomine in Aegypto numos signatos. Ergo cum Faustina diem obiverit V. C. 928., cui respondent secundum Alexandrinos anni Aurelii IЄ. et Iϛ., indubitatum, numos Faustinae omnes cum posteriore quopiam anno per Pii imperium cusos. Ignoravit istud Harduinus, quando recitato ejusdem Faustinae numo cum L. IΘ. haec continuo subjicit: *hi numi fabulas Capitolini refellunt de morte Faustinae, ubi, quot verba, tot*

mendacia sunt a). At si vir eruditus vidisset numum integerrimum musei Caesarei, quem describere operae pretium puto, ipsi etiam Zoëgae ignotum:

M. ATPHΛ. KAICAP. *Caput Aurelii Caesaris nudum.* ✗ ΦATCTINA. CЄBACTH. L. KB. *Caput Faustinae jun.* AR. si, inquam, hunc vidisset numum, quem propter omissum in marito CЄBACTOT titulum, et caput nudum, certum est imperante Pio cusum, vidisset etiam, Alexandriae numos cum Faustinae imagine etiam sub Pio signatos, et saltem ex his numis Capitolinum mendacii nequaquam posse argui, tanquam inique Faustinae mortem anticipasset.

Cui imperio tribuendi sint numi cum annis minoribus, ut incertum sane, sic in illud anxie inquirere nullius emolumenti. In Antonini Pii aevum haud dubie pertinent, in quibus Faustina sese profitetur *Augusti Pii filiam.* Est in museo Caesareo numus Pii, in cujus aversa L. TPICKAI. typo Nili decumbentis addito cubitorum numero Iϛ, et simillimus alter, sed Faustinae jun. Quoniam singularis haec epigraphe, de qua egi in prolegomenis, in Aurelii moneta non habetur, dubium non est, hunc Faustinae numum in Pii imperium removendum.

L. VERVS.

Habent nonnulli hujus Augusti numi argumenta nondum ex prioribus cognita, et commemoratu digna.

* * *

APMENIA. L. E. *Mulier moesta humi sedens juxta tropaeum manibus retro ligatis.* AR. (Stosch.)

Typus captus ex numis Veri Romanis, quibus subacta duce Vero Armenia significatur, ut notum.

* * *

L. Є. *Mulier stans d. extenta galeam, s. clypeum, cui inscriptum.* AP. ΠA. MH. Ex AR. (Zoëga.)

Nimirum: APμενιακος, ΠAρθικος, MHδικος, de quibus titulis vide, quae dicentur in moneta M. Aurelii commatis R.

* * *

CHMACIA. etc. Vide supra in M. Aurelio.

* * *

HΩ. L. Δ. *Mulier sinuato per caput peplo d. facem tenet, s. equum currentem freno retrahit.* AE. I. (Mus. Caes.)

Praeclarus hic numus Auroram exhibet ipso etiam vocabulo HΩ. designatam; nam ἠως Graecis Aurora est. Haec in Veri numis adludit ad hujus Augusti bellum anno ejus IV. in oriente gestum, cujus tractus symbolum Aurora quoque fuit habita. Plura de hoc numo, tum et de Aurora, ejusque figura egi in mea Sylloge I., quo in opere rarum istud cimelium edidi b).

* * *

Certos annos L. Veri habemus L. A. usque L. ЄNATOT. An etiam exstent numi L. I. vel ΔЄKATOT., justum dubium. Vnum cum L. ΔЄKATOT. citavit Philippus a Turre ex museo Theupoliano c). Verum testatur Mazzolenus, numum a se visum, at in eo legi L. ЄNATOT. et sic etiam a Petro Fun-

a) Hist. Aug. p. 787. b) pag. 72. c) de annis Elag. p. 37.

di catalogi Theupoliani auctore descriptum a). Sed in eodem adhuc catalogo citatur alter cum L. I., de qua lectione dubitandi tanto justior causa, quod numum sic inscriptum alia musea locupletissima non habent. Est gravis ratio, cur Veri annus X. negligendus non sit. Nam si eum revera praeferunt numi Alexandrini, dubitari amplius non poterit, Verum nequaquam principio anni V. C. 922., sed exeunte hoc anno mortuum, de quo vide, quae notabo ad Veri trib. potestatem. Iobertus in Alexandrino Veri legit L. IΘ. b) sed quem potius credam esse collegae M. Aurelii.

LVCILLA.

M. Aurelii filia, L. Veri uxor. Appellatur in his numis: ΛΟΥΚΙΛΛΑ. CЄΒ. ΑΝΤ. CЄ. ΘΥ. vel: ΘΥΓ. *Lucilla Augusta Antonini Augusti filia.* Typi jam cogniti.

* * *

Anni hactenus promulgati sunt: L. Z. (Mus. Caes.) L. H. I. ΔΩΔЄΚΑΤΟΥ. (Theup.) Mortuus maritus Verus labente anno Alexandrino I. seu decimo, at constat, etiam hoc mortuo Lucillae omnes Augustae honores continuatos.

COMMODVS.

Ejus numi Alexandrini frequentes: omnes argento impuro, vel aenei II. formae; nam deinceps aenei I. formae, inde a Domitiano obvii, perrari sunt. En hujus imperii numos illustriores:

ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘЄΩΝ. L. K. *Imperator togatus stans d. pateram supra aram; coram eo miles hastatus, pone imperatorem duo milites alii.* (Theup.)

Providentia deorum obvia in Romanis Commodi numis epigraphe.

* * *

ΡΩΜΑΙΟΝ. ΗΡΑΚΛЄΑ. L. ΛΓ. *Hercules stans d. poma Hesperidum, s. clavam coronatur ab adstante Victoria.* (Pellerin Mel. I. p. 230.)

Numus hic signatus extremo Commodi anno, quo is se *Herculem Romanum* in moneta R. palam professus est, unde et ab Alexandrinis hujus numi aversa petita. De Commodo Hercule vide numos Romanos.

* * *

ΩΚЄΑΝΟC. L. ς. *Fluvius decumbens d. arundinem, s. cornucopiae, et simul urnae innixus.* AE. II. (Pellerin Rec. III. p. 119.)

Hunc numum explicatum vide in prolegomenis cap. I. sub *Nilo.*

* * *

ΜΟΝΗΤΑ. L. - - *Moneta stolata stans d. bilancem, s. sceptrum, ante pedes acervus aeris.* AE. I. (Zoëga.)

Numus propter epigraphes insolentiam memorandus, ceterum explicatione non eget.

* * *

Ad annos Commodi numis inscriptos progredimur, in cujus examine argumenti est operae pretium esse copiosiorem.

Anni illis contenti duplicis sunt generis, I. alii sunt auctiores, II. minuti alii.

---

a) De trib. pot. p. 121. b) Science des méd. T. II. p. 296.

I. Anni auctiores sunt inde a L. K. usque L. ΛΓ. cum omnibus mediis non magnopere raris, quorum omnes sunt in museo Caesareo, demptis L. ΛΓ. qui rarissimi, et quorum bini tantum mihi cogniti, alter ex museo Arigoni, alter ex museo Gravier indice Belleyo. Alium Pellerinianum eodem modo inscriptum testatur Zoëga. Cum ex historicis liquido constet, Commodi imperium nequaquam in annum K, nedum ΛΓ porrectum, cujus postremam trib. potestatem tam numi, quam marmora memorant XVIII., mirum jure visum antiquariis, in solis Aegypti numis Commodi imperium in hunc annorum numerum dilatari. Prodigium istud ut interpretarentur eruditi, procurarentque, omnes disciplinae suae artes in consilium adhibuere. Horum unus Toinardus sanxit, his annis non indicari annos imperii Commodi, sed vitae sibi succedentes. Harduini sententia fuit, constitutam in Aegypto aeram Aureliorum, cujus initium duceretur ab anno, quo M. Aurelius imperium adivit, continuatam postea in filio Commodo, cujus adeo aerae annus A esset primus M. Aurelii, et annus K primus Commodi. Baro Bimardus ad novam etiam aeram animum applicuit ductam ab eo anno, quo primum orbis duos simul Augustos vidit, Aurelium et Verum. Praetereo sententias alias, quae parum a prioribus discrepant.

Haec virorum praestantium judicia erudite, ut semper, impugnavit Belleyus in praeclara sua dissertatione, qua propter hanc eandem causam Alexandrinos Commodi numos in examen vocavit a). Argumentis veris solidisque, quibus adversas partes prostravit, ne longior sim, commemorandis abstineo. Suam continuo sententiam expedit, cujus summa est: consuevisse Aegyptios, cum imperator aliquis filium in imperii et Augustei nominis communionem vocavit, mortuo subinde patre nequaquam novam in filio annorum seriem inchoare, sed coeptos in patre annos, tanquam unum esset imperium, continuare. Ejus primum exemplum datum fuisse in Commodo, repetitumque subinde in Caracalla, Gallieno, Carino, Numeriano. Neque morem hunc Alexandriae solis monetariis placitum, nam et Theonem Alexandrinum in canone astronomico Aurelii et Commodi imperium junxisse, cum utrique tribueret annos XXXII. Μαρκȣ και Κομοδȣ λβ, tum et S. Clementem, hunc quoque Alexandrinum, scripsisse: Αντωνινος και Κομμοδος ετη λβ. Haec Belleyus et his plura. Et sane continuatos sub Commodo patris Aurelii annos nullo potest pacto in dubium vocari, et si quis dubitare volet, is diagramma chronologicum, quod infra subjiciam, consulat, quo patebit, annos in his numis sic esse digestos, ut tantum in hac sententia cum temporibus et factis Commodi possint convenire. Idem etiam dicendum de annis Caracallae, at non aeque necesse ad eandem legem recurrere ad explicandos annos Gallieni, tum Numeriani et Carini, ut in singulis patebit.

II. Praeter grandiores hos numeros

a) B. L. T. XXI. Mem. p. 465.

minutiores quoque alios in Commodi Aug. moneta reperias. Id genus habes cum L. A. B. Δ. Є. ϛ. Z. H. Θ. IA. IΓ. apud Arigonium, aliosque paucos. Novi, in Arigonii picturis saepe fidem et adcurationem desiderari, et forte in horum nonnullis peccatum scripto facile A pro Λ, vel Z pro KZ et similiter, at omnium fidem in tanto numero in dubium vocare iniquum foret. Ad haec in citato supra numo Pellerinii, auctoris sane gravis ac fidelis legitur: ΩKЄANOC. L. ϛ. Sed et Belleyus in laudata sua dissertatione citat numos similes cum L. A. Γ. Δ. H. ЄNATOΥ. Vt ergo certum est, exstare numos macris his annis notatos, ita mirum profecto, eorum nullum exstare in museis Caesareo, Theupoliano, Stoschiano, ac praeterea nullum horum visum oculatissimo Zoëgae, nam quos hujus generis descripsit, omnes ex aliorum fide recitavit.

His alterius naturae numeris indicari annos imperii Commodi solius, et a primo ejus anno post patris obitum ductos, indubitatum. Enimvero luce clarius istud demonstrat numus Arigonii quantivis pretii, qui unus utriusque naturae annos continet, superne L. KB. inferne L. Γ. typo Romae sedentis a). Vt ergo uterque hic numerus possit stare simul, necesse est, annum A duci a die XVII. Martii V. C. 933., quo obiit Aurelius. Duravit is una cum anno K conjuncti imperii usque ad diem XXIX. Augusti ejusdem anni, quo coepit sociari L. B. cum L. KA. et circumacto Alexandrino hoc anno L. Γ. cum L. KB., quos ipsos praestantissimus hic numus sistit. Et vero non unicum istud exemplum est annorum, qui a duplice principio pendent, uni eidemque numo illatorum, nam idem alibi quoque fuisse in usu, vidimus in numis Ascalonis, Gazae, ac praecipue Antiochenis Syriae. Quae fuerit causa, cur in aliis Commodi numis notarentur anni imperii conjuncti, in aliis divulsi, ut difficile est adsequi, sic reperio, nequaquam istud nunc primum in Aegypto fuisse constitutum, nam ejusdem naturae exemplum offerunt numi Ptolemaei Philadelphi, in quorum aliis continuantur anni patris Soteris, in aliis etsi eadem aetate cusis solius Philadelphi anni exprimuntur.

Operae pretium visum, exhibere hoc loco diagramma chronologicum ex Commodi numis ductum, in nonnullis auctius illo, quod eodem consilio instruxit insignis Belleyus, ex quo apparebit, non modo inscriptos Commodi annos utriusque calculi tam singulos, quam inter se collatos rite procedere, sed etiam, quae in iis ad historiam spectantia notantur, cum temporibus praeclare et immote connecti.

a) Tab. XV.

V. C	P. X.	Numi Alexandrini a Kal. Ian.	Numi Alexandrini a Thot.	
933.	180.	L. K. L. A.	L. KA. L. B.	M. Aurelius moritur XVII. Martii. Commodus solus imperat.
934.	181.	L. KA. L. B.	L. KB. L. Γ.	Hoc anno Commodus COS. III. unde processus consularis in numo KA. (Mus. Caes.)
935.	182.	L. KB. L. Γ.	L. KΓ. L. Δ.	
936.	183.	L. KΓ. L. Δ.	L. KΔ. L. Є.	ΥΠΑΤΟC. ΤΟ. Δ. L. KΓ. *Iuppiter sedens.* (Mus. Caes.) Hoc anno Commodus processit COS. IV. M. A. KO. ANTΩ. CЄB. ЄΥCЄB. in numis cum L. KΔ. recte secundum numos Romanos, ex quibus titulum *Pii* labente hoc anno adoptatum discimus.
937.	184.	L. KΔ. L. Є.	L. KЄ. L. ϛ.	Exeunte hoc anno ex victoriis Britannicis dicitur BRITannicus, et IMP. Hinc Victoria in quadrigis in numis cum L. KЄ. et Kϛ. (Mus. Caes.)
938.	185.	L. KЄ. L. ϛ.	L. Kϛ. L. Z.	
939.	186.	L. Kϛ. L. Z.	L. KZ. L. H.	ΠЄΡΙΟΔος ΔЄΚΑЄΤηρις L. KZ. intra lauream. (Mus. Caes.) id est: *periodus decennalis*, nimirum a tempore, quo dictus Augustus. Eodem hoc anno numi Romani *vota soluta decennalia* praedicant. Vide etiam numos Alexandri Sev.
940.	187.	L. KZ. L. H.	L. KH. L. Θ.	
941.	188.	L. KH. L. Θ.	L. KΘ. L. I.	
942.	189.	L. KΘ. L. I.	L. Λ. L. IA.	
943.	190.	L. Λ. L. IA.	L. ΛA. L. IB.	
944.	191.	L. ΛA. L. IB.	L. ΛB. L. IΓ.	Λ. ΑΙΛ. ΑΥΡ. ΚΟΜ. CЄ. ЄΥCЄ. ЄΥΤΥχης. in numis cum L. ΛB. Exeunte eodem hoc in Romanis scribi incipit: L. AEL. AVR. COMM. AVG. PIVS. FELIX.
945.	192.	L. ΛB. L. IΓ.	L. ΛΓ. L IΔ.	Hoc anno Commodus caeditur pridie Kal. Ian.

CRISPINA.

Commodi uxor. Ejus numi hujus classis rarissimi.

ΚΡΙϹΠΙΝΑ. ϹЄΒ. ΑΥΤ. ΚΟΜΜΟΔΟΥ. ϹЄΒ. *Ejus caput.* ✠ L. ΙΘ. *Typus Aequitatis.* AE. III. (Mus. S. Floriani.) L. K. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AE. I. (Pellerin Mel. I. p. 231.) L. KA. *Typus Spei vel Fortunae.* AE. II. (Theup.) L. KB. *Providentia stans.* AE. I. (Zoëga.)

PERTINAX.

Ejus numi rarissimi.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. Π. ЄΛΟΥΙΟϹ. ΠЄΡΤΙΝΑΞ. ϹЄ. *Caput laur.* ✠ ΟΜΟΝΟΙΑ. L. A. *Mulier stans d. elata, s. duplex cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.) In alio: L. A. *Aequitas stans.* AE. (Vaill. num. Graec.) ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘЄΩΝ. L. A. *Mulier stans utramque manum versus globum in area pendulum attolit.* AR. Quem numum nuper Godefridus Lipsius Dresdae ex museo Ser. Electoris profusis commentariis illustratum edidit, cum tamen aliud non offerat, quam quod pridem ex ejus numis Romanis, inscriptis: PROVID. DEOR. constabat.

TITIANA.

Pertinacis uxor. Ejus quoque numi perrari.

ΤΙΤΙΑΝΗ. ϹЄΒΑϹΤΗ. *Ejus caput.* ✠ L. A. *Victoria gradiens praegrandem lauream praefert.* AE. II. (Morelli Spec. Tab. XVII.) In alio: *Navis cum velo.* AE. II. (Vaill. num. Graec.) In alio: *Ceres stans d. spicas, s. facem.* (Stosch.)

DID. IVLIANVS. *et* PESCENNIVS.

Did. Iuliani numos hujus classis non habemus, neque istud mirum, nam mox intellecto, imperium ab eo arreptum, legiones Syriae Pescennium suum nundinatori orbis opposuere. Syriae exemplum secuta Aegyptus, et tamen neque Pescennii nomine numus Alexandrinus cognitus, et omnes id genus, qui circumferuntur, a peritis reprobatos constat. Certe teste Belleyo locupletissima Lutetiae musea probae notae nullum continent [a]. Tamen quod fortuna hactenus negavit omnibus, sibi oblatum credidit eruditus abbas Sestinus, qui utriusque numos edidit [b], quos hic sisto:

ΑΥΤ. Κ. ΔΙΔ. ΙΟΥΛΙΑΝ. ЄΥϹ. *Caput laur.* ✠ L. A. *Mulier tutulata sedens d. temonem, s. cornucopiae.* Pot. 2.

A. ΚΑΙ. ΠЄ. ΟΥ. ΝΙΓΡΟϹ. ЄΥϹ. *Caput laur.* ✠ L. B. *Sarapis sedens.* Pot. 2.

ΑΥΤ. Κ. ΠЄϹΚ. ΝЄΙΓΡΟϹ. C. *Caput laur.* ✠ ΣΑΡΑ -- *Idem typus.* Pot. 2.

Quid in priore Pescennii numo significent literae ΟΥ, non assequor. Ceterum ut nequaquam in ἀδυνατοις putandum, potuisse a viro erudito conspici numos tres duorum Augustorum, quorum in hac classe ne unus quidem ab omnibus conspectus est, atque istud in Pescennio tanto minus, quia is teste

a) B. L. T. XXI. Mem. p. 479. b) Lettere T. IV. p. 131.

Victore Schotti Aegyptum tenuit, quin teste Spartiano in metu fuit Severus, ne is per Aegyptum et Lybiam Africam invaderet, tamen cum in hoc ejus viri opere observaverim alios fidei plus quam suspectae, vereor, ne in hac utriusque hujus Augusti numos imitandi licentia hi quoque ipsi fatalem falsarii manum sint experti, quae partem numorum anticam corruperit. Vide, quae infra ad numos Achillei monebo. Adde, hos seu Iuliani, seu Pescennii numos suspectos videri etiam propterea, quod uterque in iis fertur ЄΤCεβης, *Pius*, quo utrumque nomine usum nullus praeterea alius numus docet.

SEVERVS.

Mirum sane, tanti imperii, quod in annum XIX. duravit, tam paucos exstare numos commatis Alexandrini, etsi idem ad sequentia quoque imperia valeat usque ad Elagabalum.

Annos reperio: B. Γ. Δ. Є. ς. (Arigoni, Theup. Mus. S. Floriani.) In eorum typis nihil novi.

DOMNA.

Cum rarissimi sint numi mariti, uxorii parabiles esse non possunt.

ΙΟΥΛΙΑ. ΔΟΜΝΑ. CЄΒ. *Ejus caput.* ✗ L. B. Є. H. IB. IΓ. *Typis obviis.* AE. II. (Arigoni, Stosch, Zoëga.)

Vt Romae, sic et Alexandriae per duplex imperium, mariti, et filii, poterant Domnae numi feriri. Citati numi Severi imperio tribuendi videntur.

Insignem alium editum reperio a Pellerinio: (Mel. I. tab. XV.)

ΙΟΥΛΙΑ. ΔΟΜΝΑ. CЄΒΑC - - - ✗ L. H. *Mulier sedens ante aram s. tenet caput Sarapidis, pone super columella Canopus cum capite Isidis.* AE. I.

Alter magis illustris ex museo Com. Vitzai.

ΙΟΥΛΙΑ. ΔΟΜΝΑ. CЄΒ. ΜΗΤ. CЄΒ - - - ✗ L. KB. *Cybele sedens inter duos leones d. extenta - - -, s. tympano innixa.* AE. I.

Annus KB probat, numum signatum imperante Caracalla, quem vide.

CARACALLA.

Admodum raros esse hujus quoque Augusti numos Alexandrinos, testari ipse possum, qui ejus generis Vindobonae nullum novi, quem illi tuto tribuas. Rarissimos etiam iterato appellat Belleyus, cujus ego unius testimonium plerisque aliis longe antefero, cuique omnia urbis suae cimeliarchia patuere [a]). Tamen eorum numerum bene auctum video proponi in museis Theupoli, Arigonii, Stoschii, utrum jure, an injuria, lubet paucis disputare.

Anni minuti Caracallae numis inscripti possunt duplex exordium admittere, aut Severi, si hoc imperante cusi sunt, aut ejus ipsius inde a patris obitu. Secundum Alexandrinorum calculum coepit Severi L. A. seu annus primus ineunte Iunio V. C. 946., quo tempore agnitus est imperator. Novi, Aegyptum toto hoc anno primo, et majore

a) B. L. T. XXI. Mem. p. 480. 401.

parte anni II. seu L. B. in Pescennii fuisse potestate, quo adeo verisimile videri posset, Alexandrinos tempus, quo Pescennium dominum agnoverunt, in Severi annis non numerasse. Verum istud non facile permisero. Quis enim credat, fuso fugatoque Pescennio ausuros fuisse Alexandrinos, eripere illud tempus Severo, tanquam agnoscerent adhuc Pescennium suum nuper principem, eumque jure fuisse imperatorem, quem Severus, quem S. P. Q. R. continuo imperii hostem judicavere? Facile credam, intra istud tempus numos, cum Severi capite signatos non fuisse, ut neque ejus numos habemus L. A. notatos, et haud dubie interea cusos cum imagine Pescennii, sed qui ad nos non pervenere; attamen certissimum videtur, Alexandrinos dejecto aemulo deinceps Severi urbisque judicium secutos. Ergo necesse est, ex horum computu Severi annum A coepisse, ut dixi, ineunte Iunio V. C. 946. P. X. 193., et in proximo Thot ejusdem anni fixum annum B.

His constitutis quaeritur, a cujus imperii exordio ducendi sint in Caracallae numis anni minuti A. B. Γ. Δ. Є., an Severi, an ipsius Caracallae? Ipsa historia docet, minutos hos numeros a Severi exordio arcendos. Quotquot cum his numeris numos promulgatos video, omnes Augusti titulum Caracallae tribuunt. Secundum Alexandrinos annus V. Severi, seu L. Є., exivit in Thot V. C. 950., at Caracalla nonnisi anno sequente, seu labente L. ς. Augusti titulum abstulit. Multo adhuc minus Severi exordium ferunt numi ii, qui cum gracili numero Caracallam ЄΥϹεβη, *Pium*, appellant. Hoc nomine donatus fuit V. C. 954., cum quo anno Alexandrini copularunt annum Severi X. seu L. I. An ergo, quod unum restat, anni hi ducendi sunt ab imperio Caracallae? tum enim neque obturbabunt anni minuti, neque nomen Pii. Hoc equidem arbitrium in me non recipio, verum arbitretur quivis, cui numi similes praesto sunt. Sin in illis caput videris magis virile et barbatum, certus esto, ducendos annos ab imperio non Severi, sed ejus ipsius, nam primis Severi annis Caracallam puerum novimus. Sin caput est juvenilius ac prorsus imberbe, a neutro poterunt exordio duci, non a Severi, nam, ut dixi, Caracalla tum Augustus nondum fuit, non a Caracallae ipsius, quia hic jam tum spissam barbam aluit, et, quod sequitur, numi similes omnes, qui et caput imberbe, et annos minutos exhibent, adimendi sunt Caracallae, et restituendi Elagabalo, qui, praecipue in numis peregrinis, communem saepe cum Caracalla capitis habuit epigraphen, tum faciem juvenilem, et annos minutos a L. A. usque L. Є. Hoc discrimen cum olim non rite expenderem, in catalogo musei Caesarei Caracallae tribui numos tres, in quibus sese offerunt caput juvenile, et anni Γ et Δ, tum et oris lineamenta Caracallam, ut putabam, referentia, sed quod judicium in hujus et Elagabali numis, praecipue qui commatis peregrini sunt, saepissime fallax est. Quod mihi accidit non indiligenti, sed catalogorum praeconiis tum nimium fiso, an non accidere idem

potuit aliis ejusdem operae sociis, et plerumque non magis adcuratis et attentis? quae causa est, cur tot nobis Caracallas obtrudant catalogi, quos lex critica plerosque Elagabalo vindicat.

Qui ex macris his numeris annum Є excedunt, Elagabali esse non possunt, cujus is fuit annus postremus. Nequaquam otiosum, numos annis hunc consequentibus notatos, et Caracallae adscriptos secundis curis examinare.

L. ς. *Protome Nili.* (Arigoni tab. XVII)

L. Z. *Aquila alis expansis, in cujus unguibus corona.* (Theup.)

L. IΔ. *Tropaeum, ad cujus imum duo captivi sedentes, ad latus palmae ramus.* (Theupoli.)

Hi ergo numi diserte Caracallae tribuuntur, me tamen non continuo subscribente. Numus alter cum L. Z., et eodem omnino typo, est etiam in museo Caesareo, verum pars antica nullatenus caput Caracallae, sed Gordiani sistit. Ergo verisimile, peccatum in lectione per aevum adrosa. Numum tertium cum L. IΔ. non esse Caracallae, sed Alexandri, quovis pignore certem. In hujus enim numis idem annus eidem omnino typo adstituitur [a]), stabiliente cumprimis judicium meum ramo palmae, qui sub Alexandro demum, non antea, sigilli solitarii modo aversam insidet, ut dicetur. Eversa utriusque hujus numi fide licebit, opinor, suspicari, priorem quoque numum cum L. ς. alterius cujuspiam esse imperatoris, et ut paucis totam causam complectar, nullum hactenus novi certum hujus classis Caracallae numum, nisi cum numeris auctis, quos continuo describam. Sane neque numi similes cl. Zoëgae conspecti sunt.

Certi ergo Caracallae numi sunt, et omnes I. formae:

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. CЄΥ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. ЄΥC. CЄΒ. ΒΡΙΤ. *Caput barbatum laur.* ✠ L. ΚΑ. *Sarapis stans coronat imperatorem adstantem paludatum cum hasta.* AE. I. (Pellerin Mel. I. tab. XV.) In alio: *Fortuna in lectisternio.* AE. I. (Theup.) In alio: *Imperator in quadrigis, e regione caput Sarapidis.* AE. I. (Zoëga.)

L. ΚΒ. *Spes gradiens.* AE. I. (Zoëga.)

Anni hi in illustribus his numis certe ducuntur ab annis imperantis Severi continuatis. Dixi supra, Severi annum A coepisse ineunte Iunio V. C. 946., ergo annus ΚΑ coepit initio mensis Thot V. C. 965., qui fuit annus alter imperantis Caracallae post patris obitum. De annis patris a filio continuatis vide quae diximus in Commodo.

GETA.

Ejus numum hujus classis unum memorari video in museo Theupoli, et binos in catalogo MS. musei Stosch, qui tres conspirant omnes, seu partem anticam spectes, in qua: Π. CЄΠΤΙΜΙΟC. ΓЄΤΑC. ΚΑΙCΑΡ. *Caput nudum*, seu typum aversae, qui est tritus in Alexandrinis praecipue III. formae, nempe *serpens erectus inter caduceum, et sistrum*, seu modulum, qui est III. for-

a) Arigoni tab. XXI. n. 361.

mae. Annum, ut apparet exesum, Theupolianus non habet, sed Stoschianus uterque L. B., sed haud dubie mendosum; neque enim aut principio patris Severi, aut fratris Caracallae potest illigari; non Severi, nam hujus annus A coepit V. C. 946., at Geta anno primum 951. seu labente apud Alexandrinos anno Severi VI. dictus est Caesar. Non Caracallae; nam Getam pater biennio ante mortem Augustum dixit, at numi citati eum et Caesarem appellant, et per caput nudum faciunt. Forte in his numis scriptum L. IB., aut erravit monetarius, aut si haec displicent, reforma historiam Romanam. Sane cl. Zoëga certum Alexandrinum hujus Caesaris nusquam ipse vidit, neque istud mirum, cum neque certum Caracallae vivo patre signatum habeamus.

MACRINVS, DIADVMENIANVS.

Macrini numos citatos reperio in museis Arigonii, Parmensi, et Harduini historia Aug. Binos adjecit Zoëga ex museis sibi cognitis. Diadumeniani ex unico Mauroceno vulgatum video. Anni tribuuntur A et B. Plures fatum utrique invidit. Typi sunt obvii.

ELAGABALVS.

Ejus pro curto imperio numi copiosi, praecipue si eos huc revoces, quos in catalogis perperam Caracallae tributos videas, ut in hoc notavi. In typis non morabor, quod hi nihil eximium, aut hactenus ignotum offerunt.

Annos habemus a L. A. usque L. Є. facili ex Alexandrinorum lege calculo, nam imperium adeptus est VIII. Iunii V. C. 971., illo excidit XI. Martii 975.

IVLIA CORNELIA PAVLA.

Prima Elagabali uxor. Ejus numi proditi cum annis Γ. et Δ. (Vaill. Harduin hist. Aug.) Horum rationem damus in ejus Augustae moneta Romana. Typi veteris argumenti.

IVLIA AQVILIA SEVERA.

Altera Elagabali uxor. Epigraphe: ΙΟΥΛΙΑ. ΑΚΥΛΙΑ. СЄΥΗΡΑ. СЄΒ. L. Δ. vel Є. Ad explicandos hos annos adhibe, quae olim in hujus Augustae moneta Romana docebimus.

ANNIA FAVSTINA.

Tertia Elagabali uxor. In hujus numis tantum hactenus comparuit L. Є. Annum Δ Zoëga ex museo Ainsley addidit.

IVLIA SOAEMIAS.

Mater Elagabali. In omnes Elagabali annos jus habet, hucusque tamen editi tantum Γ. Δ. Є. (Arigoni, Theup.) Ejus aeneum I. formae, quae rara est hac aetate, edidit Pellerinius cum L. Δ. (Mel. I. tab. XXIV.)

IVLIA MAESA.

Elagabali avia. Huic quoque, ut Soaemiadi, omnes Elagabali anni competunt. Reperti hactenus B. Γ. Δ. Є.

(Arigoni, Theup.) Inscriptio capitis: ΙΟΤΛΙΑ. ΜΑΙϹΑ. ϹЄΒΑϹΤΗ. addito in aliis: ΜΗΤηϱ ϹΤΡΑτοπεδϐ, *Mater castrorum*, nunc primum Augustae in Alexandrinis tributum, sed deinceps etiam Mamaeae et Otaciliae. Ejus causam tituli vide in numis Romanis Domnae.

ALEXANDER.

Huic principi insignem numorum copiam dicavit Aegyptus. Horum alii sunt Alexandri *Caesaris*, alii *Augusti*.

Alexander Caesar.

ΜΑΡ. ΑΤΡ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. *Caput nudum.* Ꮖ L. Є. *variis typis.* AR.

Hic annus Є postremus est Elagabali, quo labente hic Alexandrum consobrinum adoptavit, Caesaremque dixit.

Alexander Augustus.

Α. ΚΑΙ. ΜΑΡ. ΑΤΡ. ϹЄΤΗΡ. ΑΛЄΖΑΝΔΡΟϹ. *Caput laureatum.*

Valuit haec epigraphe usque in annum Δ, quo labente successit:

Α. ΚΑΙ. Μ. ΑΤΡ. ϹЄΟΤΗΡ. ΑΛЄΖΑΝΔΡΟϹ. ЄΤϹЄΒ. vel: ЄΤϹ. ϹЄΒ. vel similiter.

Inseri nempe tum *Pii* nomen coepit, quod in moneta R. raro factum ante trib. potestatem X., ut in hac dicetur.

Typi offerunt numina Aegypti, vel Romae, vel symbolica. Illustriores sunt:

L. I. *Protome juvenilis, cujus caput redimitum est filo, et ornatum modio; hinc caduceus, ex quo palmae ramus adsurgit, inde palmae ramus.* AE. max. mod. (Mus. Caes.)

In numis imperatorum praecedentium saepe videmus Mercurium stantem, s. oblongum palmae ramum tenentem, non raro cane pro pedibus adcubante. Et suadent attributa, ejus ipsius imaginem hac quoque protome propositam.

* * *

ΠЄΡΙΟΔΟϹ. ΔЄΚΑΤΗ. *intra lauream.* AR. (Mus. Stosch.) *Alius similis, sed cum capite Mamaeae.* AR. (Pellerin Mel. I. tab. XIII.)

Binas habemus vocabuli ΠΕΡΙΟΔΟΣ in numis Alexandrinis significationes; una seriem annorum plurium complectitur, sic: ΠЄΡΙΟΔΟϹ. ΔЄΚΑЄΤηϱις, *periodus decennalis*, in numo Commodi, quorsum etiam referri potest ΔЄΚΑЄΤΗΡΙϹ. ΚΤΡΙΟΤ. in numo Gallieni. Indicatur deinde etiam anni unius conversio, ut in praesentibus ΠЄΡΙΟΔΟϹ. ΔЄΚΑΤΗ, quod sane idem valet, ac solitum L. ΔЄΚΑΤΟΤ., quam ejus vocabuli significationem jam vidit Harduinus, etsi in epigraphe male lecta [a]). Eusebius agens de votis tricennalibus Constantini M. tricennale istud tempus vocat τϱιακονταετηϱικϐς ςεφανϐς, et τϱεις ἐν δεκασι πεϱιοδϐς [b]).

Alexandro imperante aliquid in typis aversae innovatum, palmae ramo in illius aream illato, cujus ego sequentem legem observo. Non comparet is in numis a L. Α, usque Θ. At qui L. I.

a) Num. Herodiad. ad ann. Chr. 18. b) Orat. de laudib. Const. M. cap. VI.

inscribunt, et reliqui deinceps Alexandri omnes palmae ramum nunquam omittunt, et neque tum, cum jam adest alter palmae ramus gestatus sive a Victoria, sive Mercurio. Eadem lex obtinuit in synchronis Mamaeae numis. Quid eo significare voluerint monetarii, conabor explicare in numis Gallieni, qui idem phaenomenon atque eadem fere lege objiciunt.

* * *

Anni reperiuntur a L. A. usque L. IΔ. cum mediis omnibus, dempto Θ, quem nondum reperi. Quam bene hi anni sese imperio Alexandri adcommodent, sic ut annus IЄ locum amplius habere non posset, disputabimus in numis ejus Romanis.

ORBIANA.

Alexandri uxor. Ejus numi rarissimi, inscripti: ΓΝ. CЄΙ. ЄΡЄ. CΑΛΛ. ΒΑΡΒ. ΟΡΒΙΑΝΗ. CЄΒ. de quo nominum cumulo agetur in numis ejus Romanis.

Annos adverti B. (Mus. S. Florian.) Є et ς apud Pellerinium. (Mel. I. tab. XV.) Haymium. (Th. Br. T. II. p. 352.) et Arigonium.

MAMAEA.

Alexandri mater. Epigraphe in his numis: ΙΟΥλια ΜΑΜΑΙΑ. CЄΒαςη ΜΗΤηρ CЄΒαςȣ Και CΤΡΑτοπεδȣ, aut similiter. *Matrem castrorum* jam vidimus Maesam, et videbimus Otaciliam. Eodem modo Etruscilla in marmore Muratorii dicitur: MATER. AVGG. NN. ET. CASTRORVM a).

Typus illustrior; L. I. *Nilus in hippopotamo equitans d. spicas, s. cornucopiae, pone ramus palmae.* AE. I. (Pellerin Mel. I. tab. XV.)

De hoc typo egi in prolegomenis cap. I. ad numos *Nili.*

Habet Mamaea annos cum filio communes.

MAXIMINVS.

Ejus numi perfrequentes, sed nullo illustri typo.

Anni existunt a L. A. usque L. Δ. Annum A. coepisse ante Thot V. C. 988., demonstrabo in numis Alexandri Severi commatis R.

MAXIMVS CAESAR.

Maximini F. Epigraphe: Γ. ΙΟΥΛ. ΟΥΗΡ. ΜΑΞΙΜΟC. ΚΑΙ. *Caput nudum.* Typorum argumenta trita.

Anni inscripti paternorum legem sequuntur.

GORDIANVS. I. PATER, *et* II. FILIVS, AFRICANI.

In horum numis raris epigraphe:

Α. Κ. Μ. ΑΝ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. ΑΦΡ. ЄΥ. CЄ. vel:

Α. Κ. Μ. ΑΝ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. CЄΜ. ΑΦΡ. ЄΥ. CЄΒ.

Nomina ac titulos, praecipue insolentiorem CЄΜνȣ, *Venerabilis*, explicabimus in eorum numis Latinis. Qui

a) pag. 1036. 4.

hunc addunt, verisimile est, esse patris, qui eum omittunt, filii. Vtriusque generis numi sunt in museo Caesareo typis *Nili jacentis*, *solis*, *aquilae*.

Annus in his solus A.

BALBINVS, PVPIENVS.

Imperio tribus mensibus praefuere:

BALBINI numi inscribuntur:

A. K. ΔЄK. KAIΛ. BAΛBINOC. CЄB. (Patin Impp.)

A. K. ΔЄK. K. AN. BAΛBINOC. CЄB. (Mus. Caes.)

PVPIENI:

A. K. M. KΛωΔ. ΠOTΠIHNOC. ATΓ. (Mus. Caes.)

A. K. M. KΛω. ΠOTΠIHNOC. ЄT. C. (Mus. Caes.)

A. K. M. KΛω. ΠOTΠ. MAΞIMOC. CЄB. (Pellerin Mel. I. tab. XIII.)

De nominibus agetur in numis Romanis.

L. A. solum in iis occurrit.

GORDIANVS III.

Numos habemus Gordiani *Caesaris* et *Augusti*.

Gordianus Caesar.

M. ANT. ΓOPΔIANOC. KAICAP. *Caput nudum*. L. A. *Pallas stans*, *vel Aquila*. (Arigoni, Patin Impp. p. 289.)

Annus A ad imperium Balbini et Pupieni pertinet.

Gordianus Augustus.

Typi vetera argumenta sequuntur.

Annus primus occurrit A. teste Harduino, (Hist. Aug.) et museo Mauroceno. Post medios alios agmen claudit L. Z. testibus opulentis museis Caesareo, Arigonii, Stoschii, neque plures admittit historia chronologica Gordiani. Perperam igitur auctor musei Theupoli addit L. H. et Θ. et quod magis mirum, in numis uxoris Tranquillinae etiam L. IΔ., quod abnorme peccatum perstringetur in numis Romanis Gordiani.

TRANQVILLINA.

Gordiani uxor. Ejus numi rari, ceterum in omnibus cum moneta mariti conspirant.

PHILIPPVS PATER.

Ejus numi, et in his typi obvii. Epigraphe: A. K. M. IOT. ΦIΛIΠΠOC. ЄT. CЄB. aut similiter.

Anni a L. A. usque Z., qui postremus rarior; unum cum hoc anno exhibet Arigonius, Panelius a), Stosch, unum item conjugis Otaciliae Patinus ex thesauro Mauroceni, et binos Stoschius. Qua ratione hic annus VII. possit imperio Philippi convenire, disputabitur in numis Romanis.

a) de numo Treboniani.

OTACILIA SEVERA.

Philippi uxor. Epigraphe in ejus numis triplex:

M. ωTAK. CЄOTHPA. CЄB. in numis cum L. A. (Panel de num. Trebon.)

M. ωT. CЄOTHPA. CЄ. M. CTPA. *M. Otacilia Severa Aug. mater castrorum.* Obtinuit haec epigraphe in numis cum annis B. Γ. Δ.

M. ωT. CЄOTHPA. CЄ. M. CЄB. *M. Otacilia Severa Aug. Mater Augusti.* Obtinuit haec forte jam in numis cum L. Δ. certe deinde in numis cum L. Є. ς. Z. Nimirum anni Alexandrini Δ et Є occuparunt singuli partem anni V. C. 1000., quo Philippus filius dictus est Augustus, ex quo ergo Otacilia omisso *Matris castrorum* titulo se deinceps vocavit *Matrem Augusti* more Mamaeae, nisi quod haec utrumque titulum in uno eodemque numo conjunxit. Pellerinius numum similem cum L. ς. edidit a), sed cum hac epigraphe: M. ωT. CЄOTHPA. CЄM. CЄB. Quare ex vetere Spanhemii sententia verisimile putat, Otaciliam perinde habuisse nomen CЄMνης, *Venerabilis*, atque Gordianum Africanum. At enim vocabula haec non sic punctis sunt distinguenda, ut legendum sit CЄM. CЄB., sed, ut dixi, CЄ. M. CЄB. analoge ad priorem epigraphes modum: CЄ. M. CTPA. In hujus aetatis numis Alexandrinis nulla puncta vocabulorum limites definiunt, quae tamen Pellerinius in iconismis suis inter verborum interstitia solerter collocat, malo istud consilio, non modo quod veritati fit injuria, sed etiam quod in fraudem inducit, ut sane hoc loco factum. *Mater castrorum* dicitur Otacilia etiam in marmore apud Sponium b), et Donatum c).

PHILIPPVS FILIVS.

Et typorum, et annorum modum cum patre communem habuit, sed numi eum partim *Caesarem*, partem *Augustum* sistunt.

Philippus Caesar.

M. IOY. ΦIΛIΠΠOC. K. CЄB. vel: KC. *Caput nudum.* Talis proponitur per annos A. B. Γ. Δ. (Mus. Caes. Theup.)

Philippus Augustus.

A. K. M. IOY. ΦIΛIΠΠOC. ЄYC. *Caput laureatum.* Anni in his: Δ. Є. ς. (Mus. Caes. Stosch.)

Philippum nostrum cum anno Δ et Caesarem habemus, et Augustum. Inivit annus Δ in Thot V. C. 999., quo anno Alexandrino labente, V. C. 1000., eum pater sibi collegam adscivit, ut probabimus in numis Romanis. Verum quid titulus CЄBαςȣ in ejus adhuc Caesaris numis? Istud sane jure objicitur. At, ajo, cur in numis Alexandrinis Salonini, qui Caesar tantum fuit, similiter scriptum legitur: Π. ΛIK. KOP. OYAΛЄPIANOC. KAIC. CЄB.? tamet-

a) Mel. I. tab. XIII. n. 13. b) Misc. p. 98. c) ad Thes. Murat. p. 146. 4.

si hoc exemplo difficultatem non levo, sed augeo. Fateor, verum quis tantum sibi sumat, ut audeat omnium institutorum causam probabilem adferre ea aetate, qua, quidquid majores sanxere, atque ipsa etiam honorum significatio misere fuit perturbata et confusa, quorum si petas exempla, lege, quae in hujus Philippi, tum et Salonini moneta R. prolixe disseram. Ceterum etsi Philippus Caesar in his numis dicatur Augustus, tamen ei alia summi fastigii ornamenta detrahuntur, intelligo, laurea, et praenomen imperatoris.

DECIVS, ETRVSCILLA, HERENNIVS, HOSTILIANVS.

Conjungo numos mariti, uxoris, filiorum, quod coaevi sunt omnes.

Decii: A. K. Γ. M. K. ΤΡΑΙΑΝΟϹ. ΔЄΚΙΟϹ. Є. vel ЄΥ. id est: εὐσεβής. C. vel CЄB. Ejus numi frequentes.

Etruscillae: ЄΡ. ΚΟΥΠ. ΑΙΤΡΟΥϹΚΙΛΛΑ. CЄB. (Pellerin Rec. III. p. XIX. Arigoni, Stosch.) Ejus numi rarissimi.

Herennii: K. ЄΡЄ. ЄΤΡ. ΜЄϹ. ΔЄΚΙΟϹ. ΚΑΙϹ. *Caput nudum.* (Arigoni, Bandurius, Stosch.) Numi perrari.

Hostiliani: ΟΥΑΛ. - - - ΜЄϹ. ΚΟΥΙΝΤΟϹ. K. *Caput nudum.* Apud solum Arigonium.

Anni tantum leguntur A et B. Sed in uno Decii apud Bandurium L. Γ. Sed et constat, Decium annum III. inchoasse. In catalogo musei Stosch citatur numus Herennii cum L. Δ. et capite nudo. At enim Decii imperium in annum IV. non duravit, et Herennius jam anno Γ. Augustus fuit, ac propterea in numis quoque Romanis laurea conspicuus. Legendum ergo haud dubie L. A.

Nominum farrago explicatur in singulorum numis Romanis.

TREB. GALLVS, VOLVSIANVS.

Comprehendo patris, filiique numos.

Galli: A. K. Γ. ΟΥΙΒ. ΤΡЄΒ. ΓΑΛΛΟϹ. ЄΥ. CЄB. Numi obvii.

Volusiani: A. K. Γ. ΑΦ. ΓΑΛ. B. ΒΟΛΟΥϹΙΑΝΟϹ. ЄΥϹ. Numi rari. (Bandur. Arigoni, Mus. Caes.) Nominum causas vide expositas in moneta ejus Romana.

Annos habemus in Gallo A, qui rarissimus. (Bandur.) B nondum reperi. Γ in his obvius, qui et solus legitur in cognitis hactenus Volusiani numis. Qua ratione annus Γ possit cum utriusque imperio connecti, docebitur in numis Romanis.

Legem mihi impositam video, ut hoc loco commemorem Volusiani numum mirae naturae.

IMP. C. C. VIB. VOLVSIANO. AVG. *Caput laur.* ⳩ L. IA. *Sphinx.* AE. I.

Eum edidit Bandurius, cui dicitur praestantissimus et optime conservatus, ignorat tamen, quorsum spectent literae arithmeticae L. IA. a). Eum ex Bandurio restituit Baldinus in Vaillantio suo Romae edito b), sed addita nulla more suo nota. Ab eodem fonte haustum sic explicavit Panelius, ut inde planissime liquere doceret, Volusianum

a) Num. impp. T. I. p. 85. b) Tom. I. p. 176.

in XI. usque annum imperium prorogasse a). Mirarer in viro erudito abnormis doctrinae insolentiam, nisi ex toto eo commentario constaret, magis illi fuisse constitutum Harduini somnia adsectari, quam sapere. Ceterum cum numus aliquid habeat commatis Latini, aliquid indolis Aegyptiae, et neque istud plane ex more ejus aetatis, placet Bandurii exemplo judicium cohibere, atque istud tanto lubentius, quod ante omnia necesse foret, de numismatis tam singularis fide plene esse securum.

AEMILIANVS.

A. K. AIMIΛIANOC. ЄTCЄB. CЄB. *Caput laur.* X L. A. *Caput Iovis.* (Arigoni.)

Alios cum L. B. a Bandurio et Philippo de Venutis vulgatos in suspectis puto, ut dicetur in ejus numis Latinis.

CORNELIA SVPERA.

Aemiliani me judice conjux. Ejus numum Alexandrinum cum L. A. obiter citat Maffejus b).

VALERIANVS SENIOR.

A. K. Π. AI. OTAΛЄPIANOC. CЄB. vel:

A. K. Π. AI. OTAΛЄPIANOC. ЄT. ЄTC. id est: ЄTτυχης, ЄTCεβης, *Felix*, *Pius*, quibus titulis filius quoque Gallienus vivo patre plerumque usus est.

Anni hactenus in catalogis proditi inde ab A usque Z. In solo Bandurio video memorari L. H. nisi forte legendum L. A. Neque tamen annus H repugnat, nam eodem hoc anno Valeriani nomine signati quoque numi apud Aegas et Augustam Ciliciae urbes, et verisimile est, ineunte apud Aegyptios anno H Valerianum nondum a Persis fuisse captum, quae omnia planius docebuntur in ejus moneta Romana.

GALLIENVS.

A. K. Π. AI. OT. ΓAΛΛIHNOC. ЄT. ЄTC. *Imperator Caesar P. Licinius Valerianus Gallienus Felix Pius.* Est haec epigraphe secundum modulum paternae, eaque illi ab Alexandrinis vivo patre tributa est. In numis sequentibus inde a L. H. seu a morte patris, invaluit sequens, et constanter deinceps retenta:

ATT. K. Π. AIK. ΓAΛΛIHNOC. CЄB.

Deest in hac *Valeriani* nomen, quod forte in solis his Alexandrinis Gallieno tribuitur. Si plene constaret de fide marmoris, quod recitat Muratorius c), possent eaedem literae indicare quoque *Verum*, nam in eo Gallienus dicitur VERVS.

Ex typis memorandus unicus:

ΔЄKAЄTHPIC. KTPIOT. *intra lauream;* in nonnullis scriptum infra: L. I. (Mus. Caes.)

Conspirat haec inscriptio cum altera Commodi: ΠЄPIOΔος ΔЄKAЄTηρις,

a) De num. Trebon p. 99. b) Veron. ill. Part. III. p. 268. c) pag. 253. 6.

et Alexandri : ΠΕΡΙΟΔΟΣ. ΔΕΚΑΤΗ. et refertur ad vota decennalia Gallieni.

* * *

Huc distuli examen de palmae ramo in area partis aversae plurium numorum posito. Dixi supra in moneta Alexandri, hunc palmae ramum ante Alexandri imperium non observari, sub hoc demum aversam invadere, sed primum in numis cum L. I., et deinceps constanter iis insertum, atque etiam tum, cum in aversa jam exstat figura palmae ramum tenens, velut Victoria. Abest deinde ex numis omnibus usque ad Gallienum, atque etiam in hujus numis non comparet ante L. I., sed minore in his religione, quam in numis Alexandri; nam per annos I. et IA. stationem, ut lubet, deserit, quam deinceps inde a L. IB. usque ad Gallieni exitum constanter retinet, nisi forte aut Victoria aut aquila adjunctum jam palmae ramum habent. Idem et eadem lege offerunt numi uxoris Saloninae. Inde a Gallieno ramus hic ex moneta Alexandrina exulat, rediturus iterum sub Diocletiano, sed in hoc quoque inde a L. I., fastidito quovis anno anteriore. Cum ergo perpetua lege videamus, dictum ramum anno primum X. pullulare, necesse est, eum non ἀδιαφόρως, sed ex certa aliqua causa sic numis insertum. Nullatenus dubitem, renovatam hoc sigillo quotannis memoriam votorum decennalium feliciter solutorum, quae communi per totum imperium religione celebrari mos fuit. Nam si aliud significat, cur in tot aliorum imperatorum numis, Maximini, Gordiani, Philipporum, Decii etc. non comparet? cujus sane alia causa non est, quam quod his omnibus non contigit, ut votorum decennalium licuisset solennia solvere. At, inquies, quid palmae ramo cum votis decennalibus? Expediam. Constat ex copiosis numis Romanis, in his votorum solennibus aliquas Victoriae fuisse partes, sive ex instituto ritu sacro, sive sensu quopiam allegorico. Exstant numi Commodi anni V. C. 938., in quibus Victoria clypeo super palmae trunco posito inscribit VO. DE. id est: VO*ta* DE*cennalia*. In numis Caracallae V. C. 970. Victoria armis insidens clypeum tenet, cui inscriptum VOT. XX. Praetereo ejus generis innumera exempla alia, ac praecipue inferioris aevi aureos, in quibus fere unicus typus Victoria clypeum tenens cum votorum mentione. Horum ergo votorum ut perennis exstaret memoria, Alexandrini palmae ramum, uni fere Victoriae proprium attributum, inde a tempore peractorum decennalium monetae suae sedulo intulerunt. Antequam hinc abeo, monendus lector, secundum varios catalogos hunc ramum jam cum annis B. Δ. H. etc. copulari. Sed horum velim praeconiis diffidas, et potuit viris eruditis idem accidere, quod mihi, qui in catalogo musei Caesarei Gallieni numum promulgaveram cum L. Γ. adstituto palmae ramo, sed qui secundo a me inspectus non gravate L. IΓ. professus est. Addo numum Domitianni tyranni, in quo hic ramus cum L. B. jungitur. Verum in hoc numo plura alia sunt, quae ritum monetae Alexandrinae infringunt, ut mox patebit.

* * *

Anni in Gallieni numis praedicantur

inde a L. A. usque L. IЄ. Vnicum Zoëga cum L. Iϛ. ex museo regis Galliarum recitavit.

SALONINA.

Gallieni uxor. Ejus numi frequentes, et omnes ex lege mariti.

SALONINVS.

Gallieni filius. Ejus numi rari. Epigraphe :- Π. ΛΙΚ. ΚΟΡ. ΟΥΑΛЄΡΙΑΝΟC. ΚΑΙC. CЄΒ. aut similiter, de quo addito *Augusti* titulo multa disputabo in numis ejus Romanis. Anni in his hactenus comperti Β. Γ. Δ. Є. ϛ. Ζ.

VALERIANVS IVNIOR.

Gallieni frater. Numos omnes, hucusque Valeriano huic tributos, esse Salonini, in ejus numis Romanis docebo.

MACRIANVS IVNIOR.

Filius Macriani senioris, qui capto a Persis Valeriano ab exercitu imperator Gallieno oppositus est. Patris numos certos non habemus, sed filiorum non paucos, atque inter hos justo numero Alexandriae cusos.

Α. Κ. Τ. Φ. ΙΟΥΝ. ΜΑΚΡΙΑΝΟC. Є. CЄΒ. in alio apud Bandurium: Α. Κ. ΜΑ. ΦΟΥ. ΜΑΚΡΙΑΝΟC. CЄΒ. In his notatur L. A. et B., quae omnia explicata vide in numis Romanis Macrianorum.

QVIETVS.

Macriani senioris filius alter, cujus numi Alexandrini perrari.

Α. Κ. Γ. ΦΟΥΛ. ΚΟΥΗΤΟC. Є. CЄΒ. cum L. A. Reliqua huc pertinentia vide in numis Romanis.

DOMITIANVS *tyrannus*.

Binos Domitianos Aegypti tyrannos statuunt numi, unum, qui imperante Diocletiano aut successoribus defecit, cujus habemus numos Alexandrinos, sed Latine inscriptos, alterum priorem, cujus habemus Alexandrinos Graece loquentes, qui forte idem est cum celebri Macrianorum victore teste Trebellio. Sed de hoc vide plura in numis Impp. Romani commatis post monetam Gal. Maximiani. Hoc loco hujus tantum argumenti numos describam.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. CЄΒ. *Caput radiatum.* ✠ L. B. *Sarapis gradiens d. elata, s. hastam transversam, pone palmae ramus.* AE. III. (Theup. Pellerin Mel. I. p. 235.) In alio: *Victoria.* (Beauvais, Bimard ad Iobert. T. II. p. 57.)

Hi numi secundum plures partes a modo monetae Alexandrinae differunt, I. quod caput fingitur radiatum, quem cultum inde a Nerone nulli aut Augusto, aut Caesari in his numis tribui video. II. Quod Sarapis fingitur gradiens, qui in aliis quietus stat. III. Quod cum anno B. palmae ramum conjungit, quod esse contra morem vidimus supra in numis Gallieni.

PISO, VALENS.

Vterque per temporarium Macrianorum imperium purpuram in Graecia arripuit. Eorum numos hujus argumenti cum L. A. edidit unus Occo, ex quo eos descripsit Bandurius. Exspecto praeconem magis idoneum.

ALEXANDER AEMILIANVS.

Sub Gallieno tyrannus in Aegypto. Quae sit mea de hujus numis Alexandrinis sententia, vide in numis Romanis.

CELSVS, SATVRNINVS.

Vtriusque numi L. A. vel Δ. inscripti merx Goltziana vel Occoniana, quo etiam loco habeo numos *HERODIANI* et *MAEONII* ex eadem penu deprom-ptos.

CLAVDIVS *Gothicus*

Ejus numi Alexandrini per copiam viles. Insignem ejus aenaeum I. formae vulgavit Pellerinius [a]), et qui forte hujus classis postremus est cum hoc modulo. Typi in his, ut per omne istud aevum, triti cum annis A. B. Γ. Dubia de anno Δ a nonnullis prodito vide in numis Claudii commatis Romani.

QVINTILLVS.

Claudii frater, et in imperio, sed brevis aevi, successor, cujus numum cum L. A. recitabimus in numis Romanis.

AVRELIANVS.

Ejus numi obvii inscripti:

ΑΥΤ. Κ. Λ. ΔΟΜ. ΑΥΡΗΛΙΑΝΟϹ. ϹЄΒ. vel similiter.

Anni sunt inde a L. A. usque L. ς., de quorum calculo vide, quae dicentur in numis Romanis.

* * *

Numos hujus classis Aureliani, in quorum aversa est caput *Vaballathi*, tum et *Athenodori*, et *Zenobiae*, quaere in moneta principum Palmyrenorum, quam Aureliani monetae commatis R. subjiciam.

SEVERINA.

Aureliani uxor.

ΟΥΛΠ. ϹЄΥΗΡΙΝΑ. ϹЄΒ.

Anni certi: ЄΤΟΥϹ. ς. et Ζ. Si fides Arigonio, habuit in suis etiam L. A. et L. B. Reliqua huc pertinentia vide in numis Aureliani Romanis.

M. FIRMVS.

Tyrannus Aegypti imperante Aureliano, et ab hoc sublatus. Ejus numum a Goltzio editum non moror. At video, ejus alium memorari in museo Pembrock: ΑΥΤ. Μ. ΦΙΡΜΙΟϹ. ЄΥΓϹ - - *Caput laur.* ☓ L. A. *Mulier sedens d. spicas, s. cornucopiae.* Part. III. tab. 29.) de cujus numi fide judicent, qui viderunt. Hujus tyranni nomine signa-

a) Mel. I. tab. XV.

tos fuisse numos, testatur Vopiscus in ejus vita.

TACITVS.

A. K. ΚΛ. TAKITOC. CЄB. *Caput laur.* X ЄΤΟΥC. A. *typis variis.*

FLORIANVS.

Ejus numi hujus classis nondum comperti.

PROBVS.

A. K. M. AΥP. ΠΡΟΒΟC. CЄB. cum annis inde a L. A. usque L. H. Vterque hic annus extremus rarior, ac quidem postremus H antiquariorum ingenia multum torsit, sed cui facile cum Probi imperio convenire videbis ex iis, quae in ejus numis Romanis disseram.

CARVS, NVMERIANVS, CARINVS.

Hujus triadis numos Alexandrinos recitabimus, et explicabimus in numis Romanis. Singulare est in numis Cari AΦΙЄΡΩCIC. *(Consecratio) Ara.* In numis Numeriani et Carini: ΛЄΓ. B. TPAI. *(Legio II. Trajana.) Aquila legionaria.* (Banduri. Mus. Caes.) de qua legione Dio a): Τϱαιανος το δευτεϱον το Αιγυπτιον, και το τϱιακοϛον το Γεϱμανικον, ἁ και ἀφ' ἑαυτȣ ἐπωνομασεν. *Trajanus* legionem *II. Aegyptiam*, *et XXX. Germanicam* instituit, *quibus a se nomen dedit.*

DIOCLETIANVS.

Ejus numi obvii.

ΔΙΟΚΛΗΤΙΑΝΟC. CЄB. vel:

A. K. Γ. OΥAΛ. ΔΙΟΚΛΗΤΙΑΝΟC. CЄB.

Ex omni ejus numorum apparatu unicum reperio memoratu dignum:

L. H. vel ЄΝΑΤΟΥ. *Spes gradiens, in imo* Δ. (Mus. Caes.)

Quid solitaria litera in imo posita significet, incertum; an signum est officinae monetariae? an indicat consulatum IV., quem consulatus numerum revera per annos Alexandrinos VIII. et IX. tenuit, eodem modo, quo legitur in numis Commodi: L. KΓ. ΥΠΑΤΟC. ΤΟ. Δ.?

In numis L. I. notatis palmae ramus aream invadere incipit ex causa, quam in Gallieni numis indicavi.

* * *

Diocletiani numi incipiunt a L. A. et postremus Bandurio cognitus fuit L. IB. Testatur Pellerinius, in suo thesauro serie perpetua exstare ejus numos a L. A. usque L. IЄ. b) et forte hoc anno, nisi alter posterior aliquando reperiatur, feriri numi Alexandrini desiverunt, de quo agam plura paullo infra post numos Achillei.

VAL. MAXIMIANVS.

Hujus quoque principis obvii.

MAΞΙΜΙΑΝΟC. CЄB. vel:

A. K. M. A. OΥA. MAΞΙΜΙΑΝΟC. CЄB. typis tritis.

---

a) L. LV. §. 24. b) Mel. I. p. 237.

* * *

Ejus anni proditi a L. A. usque L. I. Sed L. IA. citatur ex museo S. Floriani, quem deinde reperit quoque cl. Zoëga, et testatur Bimardus, tres cum hoc anno fuisse in museo Rothelin [a]). Auctiores numeros non reperio nisi apud auctores parum idoneos. Annos hos derivari ab exordio imperii Maximiani, non Diocletiani, docet annus A; nam Maximianus Augusti titulum nonnisi currente Diocletiani anno B accepit. Reliqua vide paullo infra.

CONSTANTIVS *Chlorus*.

Hujus numi perrari.

ΦΛΑ. ΚΩΝCΤΑΝΤΙΟC. Κ. in nonnullis corrupte ΚΩCΤΑΝΤΙΟC.

Annos habemus L. A. B. Γ. Δ. (Stosch, Zoëga.) Hi quoque anni a tempore, quo Chlorus dictus est Caesar, ducuntur, non ab exordio Diocletiani, cujus jam exemplum in moneta Aelii Caesaris vidimus. Chlorus adscitus est Caesar Kal. Mart. V. C. 1045., quo tempore currebat Diocletiani annus H.

GAL. MAXIMIANVS.

Numi minus obvii.

ΓΑΛ. ΜΑΞΙΜΙΑΝΟC. Κ.

Anni: L. A. B. Γ. Δ. (Mus. Caes. Zoëga.) De horum calculo idem cense, quod de annis Chlori.

* * *

ACHILLEVS.

Imperante Diocletiano Aegypti tyrannus, et ab hoc denique victus caesusque. Vide de hoc veterum testimonia apud Tillemontium. (Ad annum Christi 292 et 296.) In solis numis, quos continuo citabimus, habet nomina *L. Epidii.*

ΑΥΤ. Κ. Λ. ЄΠ. vel ЄΠΙΔ. ΑΧΙΛΛЄΟC. CЄΒ. in aliis: ΑΥΤ. Κ. Λ. ΑΧΙΛΛЄΟC. ЄΥC. ЄΥΤ. CЄΒ. adduntur anni L. Γ. Δ. Є. ϛ.

Numos hos in Thesauro suo protulit Goltzius, atque ex hoc in catalogos suos recepere Occo, et Mediobarbus. Eorum fides suspecta jam fuit Bandurio, quin eos serius in commentis Goltzianis putavit [b]), ac merito. Quis enim sibi facile persuadeat, ejus tyranni numos omnino quatuor varios in artis nostrae incunabulis cognitos fuisse Goltzio, deinceps ne unum quidem omnibus? Quocirca cum Goltziana omnia pro instituto meo negligam, eorum rationem non habuissem, nisi nuper cl. Sestinius eorum binos cum simili inscriptione, et annis Δ, Є. promulgasset, addito, repertos fuisse in Aegypto, et esse fidei nullatenus suspectae [c]). At enim mirum quoque, ejus binos repertos fuisse Sestinio, cum hactenus musea hoc numorum genere instructissima, Theupolianum, Arigonianum, Caesareum, Borgianum ejus nullum possint jactare, neque vel unum reperire potuerit solertissimus Zoëga, qui clarissimas

---

a) ad Iobert. T. II. p. 56. b) in praefat. ad Tomum. I. c) Lettere T. IV. p. 132.

gazas, ac Lutetiae quidem regiam, Pellerinianam, et Denneryanam Alexandrinae monetae causa pertinaci labore est scrutatus. Nolim viro erudito tantum fortunae morosius negare; tamen permissum mihi puto nonnihil praeconio huic diffidere, atque istud tanto confidentius, quia eodem in opere, quo hi Achillei numi proponuntur, plura memorantur ejusdem indolis miracula, v. g. M. Antonius in numo Longostaletarum, M. Agrippa et uxor Iulia in numo Ephesi, Messalina Neronis in numis Ephesi et Thyatirae, Vitellius in numis Macedonum, Iliensium, et Sardium, Did. Iulianus in numis Aphrodisiensium, Alexandrino, et coloniae Apameae Bithyniae, Pescennius in binis Alexandrinis, Gordianus Africanus junior in numo Edessae Mesopotamiae, Macrianus pater in Alexandrino, et nunc Achilleus in numis binis, quos praeter Goltzium nemo alius vidit. Omnium horum imperatorum, quos hic descripsi, aut nullus hactenus repertus est commatis peregrini, aut vix singuli, et en tibi tantum agmen vel uni conspectum. Qui longiorem conquirendis numis impendit operam, facile usu edoctus fuit, falsariorum artem maxime in fingendis imperatorum capitibus fuisse occupatam, et quidem sic, ut caput imperatoris, quod est in numo vere antiquo, in caput alterius imperatoris, sed in numis rari, subtili artificio immutarent. Ad Achillei numos ut revertar, eis tamdiu in genuinorum catalogo negandum locum existimo, donec de eorum fide certioribus argumentis constiterit.

* * *

Omnium confessione haec numorum Alexandrinorum classis sub Diocletiani imperio desiit, nam in idem referuntur etiam numi Val. Maximiani, et utriusque Caesaris Chlori et Gal. Maximiani, atque in idem referemus etiam numos Achillei cum annis Γ. Δ. Є. ϛ. hactenus soli Goltzio cognitos, si aliquando magis stabilitam eorum fidem intellexerimus, nam is Diocletiano imperante summum sibi in Aegypto honorem adrogavit, et victus amisit. Quemadmodum in hoc, ut dixi, conveniunt omnes, ac praeterea, abolito hoc numorum genere mox Alexandriae monetam Augustorum Caesarumque Latine inscriptam signatam esse, sic, quo istud anno factum, varie disputatur. Istud in annum Diocletiani saltem XVI. differt Gallandus, quia exstant ejus numi Alexandrini usque ad L. I., quibus deinde addendi memorati VI. anni Achillei a). At enim istud Gallandi argumentum hac nostra aetate non audimus, qua numos habemus cum annis Diocletiani posterioribus usque ad L. IЄ., et qua exigua jam fides habetur Goltzio singulares nobis numos promulganti. Atque ex eadem lege Gallandi, si his annis XV. Diocletiani addendi essent anni VI. Achillei, sequeretur, tyrannum hunc a Diocletiano victum postremo imperii anno, quo jam quietem respexit, ut docet historia. Bandurius victum caesumque Achilleum V. C. 1049. statuit,

a) B. L. T. I. Hist. p. 253.

atque tum multatam libertate Aegyptum numos nisi Latinos deinceps non cudisse conjicit [a]). Verum Bandurio postremus Diocletiani annus ex numis cognitus fuit IΓ. Horum ego exempla veritus non audeo definire aut annum, qui Graecis his numis in Aegypto postremus fuit, aut annum dejecti Achillei, ne emersurus forte olim Diocletiani numus cum L. Iϛ. meo quoque calculo fatalis sit. Coepit Diocletiani annus IЄ, seu postremus Alexandrinus hactenus nobis cognitus in neomenia Thot V. C. 1051. P. X. 298. Signati deinceps Alexandriae numi copiosi, sed, ut dixi, Latini, et ad modum Romanum exacti, quorum criterium constituunt subjectae literae ALE. Etiam deinceps typi, quos imperavit Roma, raris patriae superstitionis exemplis, quae tamen Iuliano imperante caput iterum altius extulit, ut in ejus moneta docebimus.

* * *

Ne quid desideretur, quod ad Alexandriam numismaticam pertinet, notandum, exstare numos, in quibus Alexandrinorum cum aliis urbibus concordia notatur.

Cum *Ephesiis* in numo Ant. Pii, in quo Sarapis et Isis stantes Alexandriam indicant.

Cum *Samiis* in numo Gordiani, typo Isidis stantis.

Sed numi hi non Alexandriae, sed Ephesi et in Samo percussi sunt. Alexandrinus tamen est, qui non quidem inscriptione, sed typis Apollinis Milesii, et geminae Nemesis concordiam cum Milesiis et Smyrnaeis profitetur, quem vide supra in numis Antonini Pii.

a) Num. Impp. T. II. p. 109.

NVMORVM AEGYPTIORVM

CLASSIS III.

DE NVMIS NOMORVM.

Praeter Alexandrinos, quos modo peregimus, numos, qui communis totius Aegypti moneta haberi possunt, exstant alii, qui nomorum, aut, etsi rarius, urbium Aegypti nomina praeferunt. Est autem *nomus* idem, quod praefectura. Plinius a): *Dividitur Aegyptus in praefecturas oppidorum, quas NOMOS vocant.* Atque haec appellatio obvia est in Strabone, aliisque veteribus. Vocantur autem nomorum numi, quia, cum vocabulum in his totum perscriptum est, fere constanter adjectivi formam habet, ut: ΠΡΟCωΠΙΤΗC. CΑΕΙΤΗC. etc. quo subaudiri vocabulum νομος, propalam docent numi duo primae formae, quos Belleyus ex museo Pellerinii citat b): qui inscribuntur ΝΟΜΟC. ΜΕΜΦΙΤΗC, et ΝΟΜΟC. ΜΕΝΔΗCΙΟC, quibus adde ΝΟΜΟC. CΑΕΙΤΗC. in numo, quem infra citabo. Vaillantius, eumque secuti alii in nonnullis similibus legerunt ΚΟΠΤΙΤΩΝ. ΛΕΟΝΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΜΕΝΕΛΑΙΤΩΝ, verum omnes hi numi adcuratius inspecti aut decurtatum offerunt vocabulum, ut: ΜΕΝΕΛΑΕΙΤ., aut plenum, ut: ΚΟΠΤΙΤΗC. ΜΕΝΕΛΑΙΤΗC. etc. quem errorem jam perstrinxit Barthelemyus c). Inscriptum urbis nomen habes in ΝΑΥΚΡΑΤΙC, et ΟΑCΙC. Substantivorum rationem in numis sequuntur nomi ΑΡΑΒΙΑ, et ΛΙΒΥΗ.

Hujus classis numi non habentur, nisi cum capite Trajani, Hadriani, Antonini, et M. Aurelii, sed qui in his Caesar tantum dicitur, et capite nudo fingitur, unde patet, ejus numos imperante Antonino percussos. Adduntur anni imperii, et sunt tantum primae, tertiae, et quartae formae, de quibus ut tutius judicari possit, en descriptam hic eorum rationem.

Trajani: Cum hujus capite plurium nomorum moneta cognita. Omnes sunt aenei I. formae, omnes, demptis perpaucis, offerunt annum ΙΓ.

Hadriani: Hujus maximus numerus. Si paucissimos eximas, reliqui omnes habent annum ΙΑ. Spectata forma om-

a) L. V. §. 9. b) B. L. T. XXVIII. p. 529. c) B. L. T. XXVI. p. 550.

nes sunt III. formae demptis paucissimis. Sunt tamen ex his aliqui voluminis magis contracti, quos moduli IV. vel V. dicere possis, quo a prioribus formae III. distinguuntur, ac praeterea quod ea parte, qua caput est, inscriptione carent, credo propter voluminis exiguitatem. Horum quinque possedit Pellerinius, quos locis suis indicabo.

Antonini. Hujus plurium nomorum numi reperti omnes I. formae, nisi quod Vaillantius numum Tentyritis II. formae facit. In his plerumque anni H. vel IH. raris aliis.

M. Aurelii, ut dixi, adhuc Caesaris, quatuor nomorum numos habemus, omnes I. formae. Anni in his expressi referuntur adeo ad imperium Antonini. Cum hoc nomorum numi saltem genuini desinunt, posteriores alii malae fidei convicti, cujus exemplum insigne in numo Titianae adfert Barthelemyus [a]).

Cum tantum viderent eruditi ejusmodi numorum copiam Hadriano dedicatorum, et in quibus omnibus annus tantum IA notatur, dignum ipsis visum, in veram ejus causam inquirere. Vaillantius censuit, numos hos in variis nomis percussos, cum Hadrianus peragrata Arabia teste Spartiano Pelusium venit, quod ait contigisse anno ejus XI. seu IA [b]). Verum cum haec Hadriani profectio a chronologis saltem in annum ejus imperii XIII. differatur, secundum Alexandrinos XV., opinatur Belleyus, Hadrianum anno XI. iter in Aegyptum suscepisse diversum ab illo, quod biennio post susceperat [c]). Addit causam aliam, Hadrianum forte hoc anno vetera Aegypti urbium privilegia confirmasse, et addidisse nova. Harum nulla Pellerinio idonea videtur. Nam praeterquam quod singulae idoneo fundamento destituuntur, observare etiam jubet, non modo uno eodemque singulos anno cusos, verum etiam, quamvis nomorum nomina prodant inter se maxime dissitorum, tamen tam religiose et materia, et volumine, et literarum positione et pondere conspirare, ut, quamvis varient typis et nomorum inscriptione, tamen indubitatum videri debeat, omnes in una eademque officina, et uno consilio, quo nomi omnes comprehenderentur, percussos. Quare conjicit, Hadrianum fors revera anno imperii sui XI. intendisse in Aegyptum iter facere, atque eum in finem, ut populum suapte ad res novas paratum sibi demereretur, istud monetae genus omnia nomorum nomina complexum uno loco parari ac distribui jussisse, quod in tenues eorum sumptus sufficeret [d]).

Nemo non videt, in enucleando hoc dubio hactenus nihil praeter conjecturas adlatum, easque admodum imbecilles. Pellerinio si quis adsentire volet, is rationem etiam adferat, cur in Trajani numis fere perpetuo recurrat annus IΓ. perinde ac in Hadriani moneta annus IA. An etiam ille simili consilio hos curavit numos feriundos? Lubenter quidem ejus sententiae subscribo, numos hos omnes eodem loco

a) l. c. b) Aeg. num. p. 213. c) B. L. T. XXVIII. p. 528. d) Additions p. 85. seq.

signatos, perinde atque indubitatum mihi videtur, numos omnes argenteos coloniarum Corinthi ex una, non diversarum urbium officina exstitisse; at quis utriusque consilii auctor, quis finis fuerit, nihil hactenus ab eruditis probabile adlatum est. Erud. Zoëga conjicit, eos cusos ad celebrandum exactum imperii Hadrianei decennium a). Non adversarer praeclarae huic conjecturae, nisi huic item adversarentur laudati continuo Trajani numi. Istud interea certum, insignem aliquam, et quae universam Aegyptum concerneret, fuisse causam monetae tam sibi omnibus partibus similis Hadriano dedicatae.

Primus Vaillantius numos hos digessit in opere, quod *Aegyptum numismaticam* inscripsit, et calci suae Lagidarum historiae adjecit. Eum catalogum auxerunt Arigonius, museum Theupoli, Pellerinius, ac praecipue Belleyus peculiari dissertatione b), auxi et ipse ego repertis nomis aliquot hactenus ignotis, multo vero nuper liberalius cl. Zoëga in numis suis Aegyptiis, ut adeo post praevios hos conatus aliud necesse non habeam, quam eos in unum coactos ob oculos sistere. Qui in rem suam plura volet, adeat auctores citatos.

ALEXANDRIA.

Hadriani. Ꮖ ΑΛЄΞ. L. IA. *Vir barbatus habitu militari stans d. hastam, s. quadrupedem, in area astrum.* AE. III.

His verbis numum hunc ἀνεκδοτον, et recens illustri museo em. Card. Borgiae illatum nuperrime mecum communicavit non minus eruditione, quam humanitate insignis Zoëga. Alexandriae numum ad eam formam compositum, cujus esse solet moneta nomorum Aegypti, cujus nunc catalogum exhibeo, nunquam mihi in mentem venisset aliquando repertum iri. Neque enim aut Strabo, aut Plinius, qui nomorum Aegypti catalogum dedere, Alexandriam cum adsito huic agro in nomorum numerum retulere, neque etiam ab alio istud factum comperit adcuratissimus Cellarius, praeterquam a Ptolemaeo, a quo memoratur Αλεξανδρεων χωρας νομος, *regionis Alexandrinorum nomus.* In causa fuerit, quod haec urbs velut omnium Aegypti nomorum et caput, et moderatrix est habita. Ceterum hic numus, quod modum habet cum tot aliis monetae hujus classis Hadrianeae communem, nihil observatu dignum offert.

AE. unicus.

ANTAEOPOLITES.

In Thebaide ad litus Nili orientale, urbs sic vocata ab Antaeo, quem teste Diodoro Siculo Hercules Osiridis aetate interemit.

Hadriani. Ꮖ ΑΝΤΑΙΟ. L. IA. *Sarapis stans d. hastam, s. crocodilum.* AE. III. (Belley ex Mus. Pellerin. B. L. T. XXVIII. p. 530.)

Ad similem suum numum refert Zoëga ex Plutarcho c), Typhonem ab Oro fugatum prope Antaeopolin in crocodilum se convertisse.

AE. RRRR.

---

a) Num. Aeg. p. 113. b) l. c. c) de Is. et Osir.

APHRODITOPOLITES.

Ad litus orientale Nili supra Delta. Strabo eam in Arabia Aegypti locat, additque, per religionem vaccam albam ibi nutritam fuisse.

Trajani. X ΑΦΡΟΔΕΙΤΟΠΟΛΙΤΗϹ. L. ΙΓ. *Templum distylum, intra quod mulier stans inter duas Sphinges basi impositas d. idolum tenet.* AE. I. (Theupoli. p. 1309. Belley l. c. p. 533.)

Verisimile est, esse templum Veneris Nephtyos, quam Aphroditopoli cultam narrat Plutarchus [a]).

AE. RRRR.

APOLLONOPOLITES.

Binae a geographis in Aegypto memorantur *Apollinis urbes*, una *Major*, sita ad litus occidentale Nili supra Latopolin, cujus incolas Aelianus partem Tentyritarum facit, eosque aeque ac hos crocodilis extreme infensos [b]). *Minor* altera ad litus orientale in Thebaide. Ad utram pertineant numi hoc nomine inscripti, non satis in omnibus expeditum.

Hadriani. X ΑΠΟΛ. L. ΙΑ. *Apollo succincto habitu gradiens d. telum ex pharetra promit, s. arcum.* AE. III. (Vaill. Aeg. num.)

Ad quam ex binis urbibus hoc nomine praeditis referendus sit hic numus, non liquet. Apollinis typus utrique convenit.

* * *

Ejusdem. X ΑΠΟΛ. L. ΙΑ. *Mulier stans d. pateram super ara, s. cornucopiae.* AE. III. (Vaill. num. Graec.).

Ejusdem. X ΑΠΟΛΛΩΝ. L. ΙΑ. *Osiris stans d. capiti admota, s. aquilam.* AE. III. (Zoëga p. 393.)

Neque hi numi inter binas urbes discernunt.

* * *

Antonini. X ΑΠΟΛΛΩΝΟΠΟΛΙΤΗϹ. *Vir seminudus stans d. hastam, s. accipitrem.* AE. I. (Pellerin Mel. I. p. 229.)

Hunc numum non dubito ad Apollonopolitas majores pertinere. Narrat Aelianus [c]), Tentyritas summo odio prosequi crocodilos, et accipitri summos impendere honores, cujus naturam igni adsimilant. At idem paullo supra Apollonopolitas partem Tentyritarum dixit et crocodilis inimicos [d]). Ergo Apollonopolitae accipitris honores cum Tentyritis communes habuere. Revera Tentyritarum numi accipitrem etiam sistunt.

AE. RRR.

ARABIA.

Duplex in Aegypto Arabia distinguenda est, una is tractus, qui ex Delta sursum ascendenti Nilo et mari rubro intercipitur, in quo lapis porphyrites gignitur. De hac Arabia prolixe egi in meis numis vet. p. 295. Altera nomus fuit positus extra Delta ad litus orientale Nili, cujus caput fuit Phacusa teste Ptolemaeo. Ad posteriorem hanc Arabiam pertinent numi sequentes:

Trajani. X ΑΡΑΒΙΑ. L. ΙΓ. *Mulier*

---

a) l. c. b) Nat. anim. L. X. c. 21. c) Nat. anim. L. X. c. 24. d) cap. 21.

turrita binos infantes lactans. (Harduin Num. ill. sub *Arabia.*)

Hadriani. X APABIA. L. IA. *Mulier stans d. spicas, s. facem.* AE. III. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 531.) In alio: *Caput muliebre turritum.* AE. III. (ibid.) In alio: *Mulier turrita binos infantes lactans.* (Harduin l. c.)

Priori ex citatis similem cum capite Hadriani in numis suis Graecis vulgavit Vaillantius, sed eum Arabiae provinciae juxta Palaestinam sitae largitus est, quem adeo jure perstrinxit Belleyus, quia hi numi fabrica, forma, et epigraphes modo cum reliquis nomorum numis conspirant. Esse tamen Arabiae Asiae aliquos numos tribuendos, in ejus moneta dictum.

AE. RRR.

ARSINOITES.

Arsinoes nomine binae fuere in Aegypto urbes sic dictae a reginis Aegypti, una sita in intimo recessu sinus Arabici, quam Strabo appellatam item *Cleopatriden* adserit, nimirum mutato Cleopatrae cujuspiam ambitione nomine [a]). Altera sita in ripa Nili occidentali supra Memphin prope lacum Moeriden in nomo cognomine, urbs insignis cum a praestantia soli, tum a prodigiis labyrinthi, pyramidum, et lacus Moeridis, de quibus vide Strabonem, Plinium, Melam. Vtri tribuendi sint numi Arsinoes nomine insignes, continuo indagabimus.

Trajani. X APCINOITHC L. IΓ. IΔ. *Iuppiter stans d. caput velatum, s. hastam.* AE. I. (Vaill. num. Graec. Zoëga.)

Hadriani. X APCINOI. L. IA. *Caput muliebre velatum imminente loto.* AE. III. (Mus. Caes.)

Ejusdem, sine epigraphe. X APC. L. IA. *Crocodilus.* AE. IV. (Mus. Caes.)

Peccat Vaillantius, qui utramque Arsinoen mox memoratam nomum facit. Enimvero Plinius binos nomos Arsinoites recitat, sed utrumque in litore Nili Libyco proxime Memphin locat [b]), nimirum ut idem continuo duplicem Oasiten adserit. Alteram vero Arsinoen, quae et Cleopatris, fuisse nomum, ex veteribus vix probaverit. Priores ergo duos pertinere ad Arsinoen, quae et nomus fuit, ipsa scripturae ratio APCINOI. et APCINOITHC. satis eloquitur.

Sed non minus certum est, tertium quoque numum, etsi solo APC. notatum, ad eandem Arsinoen Moeridi lacui adsitam pertinere praecipiente istud typo crocodili. Audi Strabonem [c]): *Arsinoe olim* Crocodilorum urbs *dicebatur; in hoc enim nomo mirum in modum colitur crocodilus, et est sacer apud eos in lacu quodam seorsim nutritus et sacerdotibus mansuetus*, et paullo infra: *Arsinoitae crocodilos colunt, et propterea fossam habent crocodilis plenam et Moeridem lacum, nam eos venerantur, et ab iis abstinent.* Herodotus eam vocat *Crocodilorum urbem*, et lacui Moeridi adstitutam [d]), nondum nimirum ejus aetate inducta Arsinoes appellatione. Huic adde Aelianum [e]).

---

a) L. XVII. p. m. 1156. b) L. V. §. 9. c) L. XVII. p. m. 1165. d) L. II. c. 148.
e) Nat. anim. L. VI. c. 7. et L. X. c. 24.

Caput numi II. non dubitem esse Arsinoes ejus, quae fuit Ptolemaei II. soror et conjux, a qua huic nomo factum nomen testatur Pausanias a).

AE. RR.

ATHRIBITES.

In Delta, et ejus fere medio ad fluvium cognominem.

Trajani. X ΑΘΡΙΒΙΤΗϹ. L. ΙΓ. *Figura stolata stans d. avem, s. hastam.* AE. I. (Zoëga.)

Hadriani. X ΑΘΡΙΒ. L. ΙΑ. *Mulier stans d. avem.* AE. III. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 528. Theupoli.)

Videri possit, quod mulier dextera tenet, esse murem araneum, quem in hoc nomo adoratum scribit Strabo, nam in minutis his numis exigua signa minus plerumque distingui possunt. Tamen certam avim tuetur Zoëga. (pag. 116.)

AE. RRR.

BVBASTITES.

Ad brachium Nili maxime orientale dictum Bubasticum. Dianae cultus hic viguit teste Herodoto b), quae Ovidio dicitur: *Sanctaque Bubastis* c), nisi haec Isis potius est, quae apud Diodorum Sic. de se praedicat: *mihi Bubasta urbs condita est.*

Hadriani. X ΒΟΥΒΑϹ. L. ΙΑ. *Mulier stans d. avim.* AE. III. (Belley l. c. p. 534.)

AE. RRRR.

BVSIRITES.

In Delta ad fluvium cognominem.

Hadriani. X ΒΟΥϹΙ. L. ΙΑ. *Osiris stans cum loto supra caput d. cervum, s. hastam.* AE. III. (Vaill. Aeg. num.) In alio: *Isis stans d. florem.* AE. III. (Arigoni.)

Antonini. X ΒΟΥϹΙΡΙΤ. L. Η. *Sarapis stans d. bovem gerit.* AE. I. (Patin mus. Mauroceni.)

Teste Herodoto d) in hac urbe maximum fuit Isidis templum, et secundum Stephanum e) dicebatur illic Isis Busirin sepelivisse, injiciens eum in ligneam bovem.

AE. RRRR.

CABASITES.

In Delta ad fluvium Thermuticum.

Hadriani. X ΚΑΒΑϹΙ. L. ΙΑ. *Osiris stans d. cervum, s. hastam.* AE. III. (Vaill. Aeg. num.)

Vide non absimiles alios apud cl. Zoëga.

AE. RR.

CANOPVS.

Prope ostium Nili maxime occidentale, dictum ab urbe Canopicum. Nomen traxit a Canopo Menelai huc post bellum Trajanum delati gubernatore hic sepulto, ac pro deo habito, ut referunt Strabo, Tacitus, Solinus, Suidas, aliique, sed quod tanquam fabulosum ridet Aristides rhetor f).

---

a) L. I. c. 7. b) L. II. c) Met. L. IX. v. 690. d) L. II. c. 59. e) in Βȣσιρις. f) Orat. T. II. p. 359.

Hadriani. Ӿ ΚΑΝΩ. L. IA. *Canopus, seu caput velatum et loto ornatum amphorae impositum.* AE. III. (Vaill. Aeg. num.)

De origine Canopi, seu signorum amphorae impositorum lege ridiculam fabulam apud Suidam a), qui eam ex Ruffini hist. eccl. L. XI. c. 26. exscripsit, quam Canopi de Igne, Persarum deo, victoriam vide graphice expressam in gemma Basilidiana Ioannis Macarii b). Item de his Vitruvius c): *Qui sacerdotia gerunt moribus Aegyptiorum, ostendunt, omnes res e liquoris potestate consistere. Itaque cum hydriam tegunt, quae ad templum aedemque casta religione defertur, tunc in terra procumbentes manibus ad coelum sublatis, inventionibus gratias agunt divinae benignitatis.*

AE. RRRR.

COPTITES.

In Thebaide ad litus Nili orientale. Nomen Plutarchus derivat a κοπτω, quae vox apud Aegyptios *privationem* notat: nam Isis audita hic loci Osiridis morte cincinnum sibi luctus causa abscidit d).

Trajani. Ӿ ΚΟΠΤΙΤΗC. L. IΓ. *Osiris stans loto superne ornatus d. hastam, s. cervum.* AE. I. (Vaill. Aeg. num. Zoëga.)

Capris silvestribus magnos a Coptitis honores impendi refert Aelianus e).

Hadriani. Ӿ ΚΟΠΤ. L. IA. *Sarapis stans d. extenta, s. hastam.* AE. III. (Vaill. num. Graec.) In alio: *Sarapis stans d. extenta animal quadrupes.* AE. IV. (Theupoli.) In alio: *Saturnus velatus cum globo super caput stans d. hinnulum, s. harpam.* AE. III. (Zoëga.)

AE. RR.

CYNOPOLITES.

In insula Nili in heptanomide. In hoc Anubin, seu caninum deum praecipue coli tradit Strabo, quae, reor, verior causa est, cur nomus hic a cane nomen traxerit, quam quae ab Aeliano adstruitur f).

Hadriani. Ӿ ΚΥΝΟ. L. IA. *Anubis stans d. sistrum, s. caduceum.* (Vaill. Aeg. num.)

Alius, sed AE. IV. (Pellerin Additions p. 92.)

AE. RRRR.

DIOSPOLIS MAGNA.

Plures produntur per Aegyptum Diospolis nomine urbes, quarum celebriores *Diospolis Magna* et *Parva.* Illa eadem cum Thebis fuit, sita versus Aethiopiam ad ripam Nili orientalem. Plinius: *Celebratur Diospolis magna, eadem Thebe, portarum C. nobilis fama.* Alia testimonia vide apud Cellarium. Parva est in adversa ripa, sed nonnihil magis infra, de qua Ptolemaeus: *Diospolites nomus superioris Aegypti, et metropolis Diospolis parva.* Consentit et Strabo.

Vtrique Diospoli sui videntur numi

a) In Κανωπός. b) Abraxas tab. XX. c) in praef. ad L. VIII. d) de Is. et Osir. e) nat. anim. L. X. c. 23. f) l. c. c. 45.

tribuendi. *Magna* propter additum μεγαλης titulum certos suos habet. *Parvae* conjicio tribuendos eos, qui hoc titulo abstinent, quos infra describam.

Hadriani. ⳩ ΔΙΟΠΟΛΙ. ΜЄ. L. IA. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AE. III. (Vaill. Aeg. num. Theup.) In alio: *Sarapis stans d. cervum.* (Vaill. num. Graec. Theup.) In aliis *pro* ΜЄ. *est* M. *tantum. Omnes* AE. III. (Mus. reg. Christinae, Theupoli.)

AE. RR.

DIOSPOLIS PARVA.

Situm mox descripsi.

Hadriani. ⳩ ΔΙΟΠ. L. IA. *Osiris stans d. hastam, s. bovem.* AE. III. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 535.)

Antonini. ⳩ ΔΙΟΠΟΛЄΙΤΗС. L. H. *Mulier eques capite turrito d. serpentem.* AE. I. (Belley l. c.)

Binos hos numos huic Diospoli tribui debere censeo, quia in iis το ΜЄγας omittitur, quo vocabulo magna a cognomine parva discernitur, ut diximus.

AE. RRRR.

GYNAECOPOLITES.

Prope Alexandriam ad litus occidentale ostii Canopici. Ejus meminere Strabo, Plinius, Stephanus, dissimulavit Ptolemaeus, sed qui nomum Andropolitem prodidit, quem reticuerunt illi. Quare conjecit Cellarius, videri nomum eundem, sed qui vetus nomen Gynaecopolitis in auspicatius Andropolitis mutaverit. At falli virum eruditum, eumque nomum adhuc Ptolemaei aetate dictum fuisse Gynaecopoliten, numus sequens huic geographo synchronus testatur.

Hadriani. ⳩ ΓΥΝΑΙΚ. L. IA. *Mulier stans d. canem, s. vestem colligit.* AE. III. (Zoëga p. 393.)

AE. RRRR.

HELIOPOLITES.

Paullo supra Delta in Arabia. Ejus urbs Heliopolis clara a remotissima inde aetate, nam jam in Pentateucho memoratur nomine *On*, et de qua praeter plures alios Philo Iudaeus [a]): Ων, ἡ ἐστιν Ηλιȣπολις, a templo Solis et Mnevi bove ibi nutrito, a literarum studiis, a templo ibi ab Onia ritu Hierosolymitani aedificato, et phoenice ave, quae omnia fusius explicui, cum sequentem numum singularem ex museo Mediceo ederem [b]).

Hadriani. ⳩ ΗΛΙΟΠ. L. IA. *Sarapis stans d. cervulum, ut videtur.* AE. III.

AE. RRRR.

HEPTANOMIS.

Inter ectypa Arigoniana exstat numus.

Hadriani. ⳩ ЄΠΤΑΚΩΜ. L. IA. *Accipiter stans.* AE. III.

Cl. Zoëga feliciter et acute vidit, pro hoc nullius sensus vocabulo legendum ЄΠΤΑΝΟΜ. et esse numum Heptanomidis provinciae supra Delta incipientis, et primum nomos septem, unde

a) De posterit. Caini. b) Num. vett. p. 295.

et nomen tulit, deinde et plures complexae. Vide Cellarium.

AE. RRRR.

HERACLEOPOLITES.

Duplex fuit Heracleopolis, una *parva* ad alveum Bubasticum, altera *magna* in nomo cognomine sito in insula Nili spatiosa supra Memphin. Ad hanc posteriorem numi sequentes videntur revocandi.

Hadriani. ⳩ ΗΡΑ. L. ΙΑ. *Caput Sarapidis cum loto, prae quo ibis.* AE. III. (Vaill. num. Graec.)

Ejusdem. ⳩ ΗΡΑΚ. L. ΙΑ. *Caput Herculis diadematum.* AE. III. (Mus. Stosch, Neumann.)

Ejusdem. ⳩ ΗΡΑΚΛΕѠΠΟΛΙΤΩΝ. L. ΙΔ. *Mulier capite tutulato insidens saxo, d. ori admota, s. facem.* AE. I.

Ita numum depictum video apud Arigonium. Non dubito, proponi Harpocratem, secundum ea, quae dixi in prolegomenis ad numos Alexandrinos cap. I. In urbis vocabulo literae postremae ΩΝ aut perperam sunt adjectae, aut in solitum HC mutandae.

AE. RR.

HERMONTHITES.

Supra Thebas in litore Nili occidentali.

Hadriani. ⳩ ЄΡΜѠΝΘ. L. ΙΑ. *Vir stans d. hastam, s. leonem.* AE. III. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 536.)

In Theupoliano idem dicitur sinistra tenere aquilam, et talis est etiam in numo Oudineti, qui primus hujus nomi numum ex gaza regia vulgavit a). Revera Strabo et Stephanus Iovis Hermonthitis meminere, quo loco de hoc nomo loquuntur.

AE. RRR.

HERMOPOLITES.

Hermopoles tres in Aegypto statuuntur, una obscurior in insula alvei Thermutici, altera cognomine *parva* ad alveum Nili maxime orientalem, tertia nomine magna in heptanomide ad ripam Nili occidentalem, et nomo cognomine. Postremae huic verisimilius tribuentur numi sequentes:

Hadriani. ⳩ ЄΡΜΟΠΟΛΙΤΗϹ. *vitiato anno. Vir barbatus palliatus cum flore in capite stans d. sustinet genium nudum, s. caduceum, ante eum basis quadrata, cui insistit ibis.* AE. I. (Zoëga p. 155.)

Ejusdem. ⳩ ЄΡΜΟ. L. ΙΑ. *Caput Osiridis loto onustum, ante quod aquila, vel ibis.* AE. III. (Vaill. Arigoni, Mus. Christinae.) In alio: *Cynocephalus erectus sedens cum cauda arrecta.* AE. IV. (Zoëga.)

Cynocephalum ab Hermopolitis cultum, ex Strabone docet cl. Zoëga.

AE. RRR.

HEROOPOLITES.

Ad intimum recessum sinus Arabici, qua coepit fossa a Trajano Babylonem usque ducta.

---

a) Des Molets continuation des mém. de littérat. T. IV.

Hadriani. ✗ ΗΡΟ. L. ΙΑ. *Protome muliebris capite velato, et loto ornato, dextera ori admota.* AE. III. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 537.)

AE. RRRR.

HYPSELIOTES.

In Thebaide ad litus Nili occidentale.

Hadriani. ✗ ΤΨΗΛΙ. L. ΙΑ. *Ovis.* (Vaill.) *Vir stans cum flore in capite d. extensa Apin, s. hastam.* AE. III. (Zoëga.)

AE. RRRR.

LATOPOLITES.

In Thebaide ad litus Nili occidentale, diversa a Letopoli, de qua mox, et quae a *Latona* nomen habuit. Nostra haec a pisce *lato.* Strabo [a]): Λατοπολις, τιμωσα Αθηναν και τον λατον, *Latopolis, quae Palladem et latum colit.* De lato Nili incola vide Athenaeum [b]), et plura de Latopoli apud Cellarium. Fuisse nomum, nemo veterum prodidit.

Hadriani. ✗ ΛΑΤΟΠΟΛ. L. ΙΑ. *Latus piscis.* AE. IV. (Zoëga.)

AE. RRRR.

LEONTOPOLITES.

In Delta. Nomum hunc a religioso leonum cultu traxisse nomen, narrat Aelianus, qui et ejus superstitionis ritus satis ample enarrat [c]). Vide et Strabonem.

Hadriani. ✗ ΛΕΟΝ. L. ΙΑ. *Figura succincta stans d. hastam, s. leonem.* AE. III. (Mus. Caes.) Alius, sed AE. IV. (Pellerin Addit. p. 92.)

Antonini. ✗ ΛΕΟΝΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. L. ΙΗ. *Vir seminudus stans d. hastam, s. leonem.* AE. I. (Vaillant.)

Nomi nomen haud dubie non in ΤΩΝ. sed ΤΗϹ. exit. Idem numus est etiam in Caesareo, sed postremae literae, ut et anni nota, non satis sunt integrae.

AE. RR.

LETOPOLITES.

Infra Memphin, sed extra Delta versus alveum Nili occidentalem, Ptolemaeo Λητοπολιτες νομος, et Λητες πολις, *Latonae civitas.*

Hadriani. ✗ ΛΗΤΟΠ. L. ΙΑ. *Crocodilus.* AE. IV. (Belley l. c. p. 538.) In alio: *Sarapis palliatus stans capite radiato d. demissa, s. ichneumona tenens.* AE. III. (Zoëga.)

AE. RRRR.

LIBYA.

Pars, quae Aegyptum propriam ad occidentem contigit, Libya dicebatur. Sed fuit etiam secundum Ptolemaeum nomus hoc nomine, isque maritimus, qui inde a nomo Mareotide litus occupavit, cujus urbs princeps fuit Paraetonium.

Hadriani. ✗ ΛΙΒΥΗ. L. ΙΑ. *Vir stans d. pateram, s. arietem.* AE. III. (Belley l. c.) In alio: *Sarapis palliatus stans d. pateram, s. hinnuleum.* AE. III. (Zoëga.)

a) p. m. 1171. b) L. VII. c) Nat. anim. L. XII. c. 7.

Aries ad Iovem Ammonem, ut videtur, pertinet, qui toti illi tractui venerabilis fuit.

AE. RRRR.

LYCOPOLITES.

In Thebaide ad ripam occidentalem. Nomum sic dictum refert Diodorus, quod cum Aethiopes in Aegyptum impressionem facerent, hi a lupis fugati sint. Teste Strabone ejus incolae lupos venerati sunt.

Hadriani. ☧ ΛΥΚΟ. L. IA. *Sarapis stans d. cervum, s. hastam.* AE. III. (Vaill. Aeg. num.)

AE. RRRR.

MAREOTES.

Prope Alexandriam ad lacum cognominem.

Antonini. ☧ ΜΑΡΕΩΤΗϹ. L. H. *Vir palliatus cum globo in capite stans d. arietem, s. hastam.* AE. I.

Ita Zoëga αὐτοπτης numum hunc describit contra Vaillantium aliter eum promulgantem in Aegypto numismatica.

* * *

Numum Titianae, qui in eodem nomo signatus fertur, esse spurium, in hujus Augustae numis commatis R. docebitur.

AE. RRRR.

MEMPHITES.

In Heptanomide paullo supra Delta. Vrbs ipsa in ripa Nili occidentali, veterum Aegypti regum sedes, in cujus vicinia sunt Pyramides, sepulcra regum.

Trajani. ☧ ΜΕΜΦ. - - - L. IB. *Osiris stans d. sistrum, s. hastam, pro pedibus Apis.* AE. I. (Zoëga p. 392.)

Hadriani. ☧ ΜΕΜΦΙ. L. IA. *Capra*, vel: *Caput Isidis*, vel: *Mulier stans utraque manu icunculam.* AE. III. (Vaill. num. Graec.) Alius, sed AE. IV. (Pellerin Additions p. 92.)

Antonini. ☧ ΜΕΜΦΙΤΗϹ. L. H. *Pallas stans d. hastam, s. clypeum.* AE. I. (Vaill. num. Graec.) In alio: L. H. vel L. IH. *Osiris stans d. hastam, s. sistrum, retro Apis.* AE. I. (Havercamp. Mus. reg. Christinae. Vaill. Aeg. num.) In alio: *Isis capite gerens exuvias vulturinas, quibus superimpositus modiolus, stat d. tenens hastam, s. serpentem, pone adstat Apis disco insignis inter cornua, et circa collum serto.* AE. I. (Zoëga.)

Fuit in hac urbe templum Apidi sacrum, et ipse bos Apis in septo quodam alebatur teste Strabone [a]). Ejus consecrationi apud Memphin peractae interfuit Titus Caesar [b]).

AE. RR.

MENDESIVS.

Nomus maritimus in medio τȣ Delta.

Hadriani. ☧ ΜΕΝΔ. L. IA. *Hircus.* AE. III. (Vaill. Aeg. num.) In alio: *Sarapis stans d. hircum.* AE. III. (Zoëga.) In alio: *Caput Sarapidis*, AE. III.

---

a) L. XVII. b) Suet. in Tito. c. 6.

(Zoëga.) In alio: *Fortuna stans.* AE. III. (Mus. Christinae.)

Hircus Mendesiis sacer, qui ab illis sumptu publico alebatur, indicto, cum ei mori contigit, luctu publico, quemadmodum Api apud Memphin mortuo. Vocatur autem et Pan et hircus Aegyptiis *Mendes.* Haec omnia prodidit Herodotus [a]).

Antonini. Ӿ ΜΕΝΔΗϹΙΟϹ. *Iuppiter stans d. capram tenet.*

Alia indicia negligit editor Harduinus. Addit, eo vocabulo indicari Iovem *Mendesium.* Perperam, nam nomum secundum alia omnia exempla notat, qui item Μενδήσιος dicitur Herodoto [b]), et in Pelleriniano, quem supra in prolegomenis citavi, est plene: ΝΟΜΟϹ. ΜΕΝΔΗϹΙΟϹ. Confer et sequentem.

Aurelii. Ӿ ΜΕΝΔΗϹΙΟϹ. L. H. *Iuppiter stans d. hastam, s. hircum.*

Numum hunc ex museo regis Galliarum edidit Oudinetus [c]).

AE. RR.

MENELAITES.

Nomus maritimus inter Alexandriam et Delta, nomen traxit a Menelao Troja expugnata huc vi tempestatis appulso.

Trajani. Ӿ ΜΕΝΕΛΑΙΤΗϹ. L. IE. *Harpocrates desinens in crocodilum.* AE. I. (Zoëga.)

De hoc typo egi in prolegomenis ad numos Alexandrinos cap. I.

Hadriani. Ӿ ΜΕΝΕ. L. IA. *Sarapis cervum gestans.* AE. III. (Vaill. num. Graec.) In alio: ΜΕΝΕΛΑ. L. IA. *Sarapis stans d. cornucopiae, s. palmam.* AE. III. (Ibid.) In alio: *Caput Isidis.* AE. III. (Ibid.) In alio: ΜΕΝΕΛΑΙ. L. IA. *Vir palliatus stans d. cornucopiae, s. palmae ramum.* AE. III. (Zoëga.)

Antonini. Ӿ ΜΕΝΕΛΑΙΤ. L. H. vel: ΜΕΝΕΛΑΙΤΗϹ. L. H. *Harpocrates dextera ori admota, s. cornucopiae, inferne in crocodilum desinit, ante eum ara ignita.* AE. I. (Mus. M. Ducis, Zoëga.)

M. Aurelii Caes. Ӿ ΜΕΝΕΛΑΙΤΗϹ. L. H. *Typus similis.* AE. I.

In hoc numo regis Galliarum Vaillantius perperam legit ΜΕΝΕΛΑΙΤΩΝ. teste Zoëga, qui eum ipse vidit.

Ejusdem. Ӿ ΜΕΝΕΛΑΕΙΤΗϹ. L. H. *Duo canopi intra templum distylum.* AE. I. (Zoëga.)

AE. RR.

METELITES.

Nomus maritimus in Delta ad ostium Canopicum.

Hadriani. Ӿ ΜΕΤΗΛΙ. L. IA. *Accipiter cum loto supra caput.* AE. III. (Vaill. Aeg. num.)

AE. RRRR.

NAVCRATIS.

Vrbs mediterranea in Delta alveo Agathodaemoni adposita. Plinius nomum *Naucratiten* vocat, at Strabo et Ptolemaeus urbem *Naucratin*, et eam in nomo Saite locant, cum quibus con-

---

a) L. II. c. 46. b) L. II c. 42. c) des Molets Continuation des Mém. de littérature. T. IV.

spirant numi, qui ejus nomen non nomi, sed urbis vocabulo exprimunt. Condita fuit a Milesiis teste Strabone, et fuit Athenaei patria.

Trajani. Ӿ NATKPATIC. L. IB. *Mulier stans d. hastam.* Haud dubie AE. I.

Ejusdem. Ӿ NATKPATIC. L. IΓ. *Anubis stans cum loto supra caput d. aviculam, s. quid instar sceptri.* AE. I. (Haym.)

Hadriani. Ӿ NATK. L. IA. *Vir palliatus stans d. velut parvam pyramidem, s. vesti involuta.* AE. III. (Zoëga.)

M. Aurelii Caes. Ӿ NATKPATIC. L. H. *Mulier stans capite tutulato d. serpentem, s. hastam.* AE. I. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 540.)

Similem mulierem, sed equitem, vidimus supra in numo Diospolis parvae, in qua Belleyus serpentem dixit esse Osiridis seu Solis symbolum; idem ad hunc Naucratidos numum advertit, mulierem cum serpente videri sibi Palladem, quae in nomo Saite primas partes habuit. Adeo, cum nobis ipsi contradicimus, apparet, nos in religionis Aegyptiae negotio caecutire.

AE. RRR.

NICOPOLITES.

Nicopolis ab Alexandria XX. tantum, aut XXX. stadiis distans, aedificata est ab Augusto eo loco, quo Antonii milites superavit, constitutis ibi ludis ejus generis, quales apud Nicopolin Epiri celebrari jussit. Testimonia vide apud Cellarium.

Antonini. Ӿ NIKOΠOΛITHC. L. H. *Hercules stans d. gryphum, s. clavam et exuvias.* AE. I. (Zoëga.)

Numum hunc Cl. Zoëga ex museo regis Galliarum nunc demum edidit hactenus ignotum. Nomus in numo dicitur, etsi auctores omnes urbem tantum appellent.

AE. RRRR.

NILOPOLIS.

In nomo Heracleote sita. Huic urbi puto tribuendum numum.

Hadriani. Ӿ NЄIΛOT. L. IA. *Caput Isidis.* AE. III. (Mus. reg. Christinae tab. 56.)

Forte rectius scribendum: NЄIΛOΠ., ut supra vidimus HΛIOΠ. Ceterum suspecta hujus numi lectio. Ejus non meminit Zoëga, etsi illius musei opes solerter inspexit. Videtur verius in hoc numo legendum ΠHΛOT. ac tum erit Pelusii, de quo infra.

OASITES.

Trajani. ATT. TPAIAN. CЄB. ΓЄPM. ΔAKIK. Ӿ OACIC. MЄΓ. L. IB. *Mulier stolata stans d. pateram, s. hastam.* AE. I.

Nunc primum Oasitis nomi numus in lucem prodit haud ita pridem in museo Card. Borgiae, quod Velitris est, depositus, ejus ad me descriptionem mittente cl. Zoëga. Nomi Oasitae duo, quin et Oases tres a scriptoribus produntur, quarum una dicta μεγαλη, *magna*, ad quam causa inscripti MЄΓ. pertinet numus praesens, alia μικρα, *parva.* Sitae fuere versus Marmaricam. Ceterum non recoquo, quae de tribus hoc nomine Aegypti urbibus copiose, erudite, ac plane disseruit Cellarius.

AE. unicus.

ONVPHITES.

Fere in umbilico τȣ Delta.

Hadriani. ☧ ONOΥΦI. L. IA. *Mulier stans d. extenta.* AE. III. (Belley l. c. Theup.) In alio: *Aries.* AE. III. (Belley l. c.)

AE. RR.

OXYRYNCHITES.

Ad ripam Nili occidentalem supra Memphin. Nomen traxit a pisce, qui ab acuto rostro ὀξυρυγχος dictus, et cum a ceteris Aegyptiis, tum praecipue ab hujus nomi incolis cultus est, cujus complura testimonia collecta vide apud Cellarium.

Hadriani. ☧ OΞΥP. L. IA. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam.* AE. III. Numus a variis editus, at in simili musei Caes. pro hasta tenet *bipennem.* In alio: *Bipennis tantum.* (Zoëga.) In alio: *Sarapis d. cervum.* AE. III. (Vaill. num. Graec.)

Antonini. ☧ OΞΥPΥΓΧI. L. IH. *Pallas stans d. bipennem, s. Victoriolam.* AE. I. (Vaill. num. Graec. Arigoni.)

AE. R.

PANOPOLITES.

In Thebaide ortiva. Nomen habet ἀπο τȣ Πανος ab Aegyptiis magni habiti, quod sese Osiridi belli socium junxit, ut refert Diodorus.

Hadriani. ☧ ΠANO. L. IA. *Pan stans pedibus caprinis d. lotum, s. pedum.* AE. III. (Vaill.) In alio: *Iuppiter stans d. aviculam, s. - - -* AE. III. (Mus. Caes. Com. Vitzai.)

* * *

Autonomum etiam huc revocat Pellerinius (Rec. III. p. 3.):

ΘЄOΥ. ΠANOC. *Caput Isidis loto ornatum.* ☧ L. Є. *Cista mystica, cui impositum quid sistro simile.* AE. II.

Mirum, in praesente numo typum ad Isidem, additam epigraphen ad Pana pertinere. Secundum Pellerinium fabrica est plane Aegyptia, atque non dubitat, eum ad hanc Panopolin pertinere. Esse mercem Aegyptiam, cum istud eloquatur fabrica, nolim negare; verum mihi non continuo persuasero, numum propter additam Panos mentionem Panopolin referendum, nam omnibus eum Aegyptiis praecipua in veneratione fuisse praedicat Diodorus [a]). Ceterum difficile videatur, ejus numi locum natalem, sensum, atque usum reperire. Numus similis editus etiam est ab Arigonio, Harduino [b]). Alios similes vide apud Cl. Zoëgam [c]).

AE. RRRR.

PELVSIVM.

Ad ostium alvei in orientem extremi, urbs insignis nominis, tamen ab ea tractum, in quo sita fuit, dictum fuisse nomum, apud veterum neminem reperit Cellarius.

Hadriani. ☧ ΠHΛOΥ. *Caput Isidis.* AE. III. (apud varios.) In alio: *Caput Sarapidis, vel: Sarapis stans d. cervum.*

a) L. I. c. 18. b) Hist. Aug. p. 758. c) p. 400.

AE. III. In alio suo *buibum* videre sibi visus est Cl. Zoëga. AE. IV.

AE. R.

PHARBAETHITES.

In Delta alveis Busiritico et Bubastico interceptus, cujus urbs fuit Pharbaethus.

Hadriani. Ӿ ΦΑΡΒΑΙ. L. IA. *Figura stans d. hastam, s. leonem.* AE. III. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 543.)

Pro leone avim vidit Zoëga.

AE. RRRR.

PHTHENEOTES.

In Delta infra Saiten nomum.

Hadriani. Ӿ ΦΘΕΝΕΟΤ. L. IA. *Vir nudus stans utraque manu extenta incertum quid tenet.* AE. III.

Singularem hunc numum edidi ex museo Vitzai in meis num. vett. p. 300.

AE. RRRR.

PINAMYS.

Nomi aut urbis hoc nomine nullus veterum meminit dempto Stephano, Πιναμος πολις Αιγυπτȣ.

Hadriani. Ӿ ΠΙΝΑ. L. IA. *Caput Herculis.* In alio: *Osiris stans d. cervum sustinet.* AE. III. (Vaill. Aeg. num. et in num. Graec.)

AE. RRR.

PROSOPITES.

In Delta supra Saiten nomum intra alveos Agathodaemonem et Thermuticum.

Hadriani. Ӿ ΠΡΟϹΩ. L. IA. *Harpocrates stolatus stans dexteram ori admovet, s. clavam.* AE. III.

Sic rectius cl. Zoëga hunc regis Galliarum numum descripsit, fallente Vaillantii in Aegypto numismatica praeconio. Vide prolegomena ad num. Alex. c. l. Idem numus est etiam in museo Caes.

In aliis: *Sarapis d. cervum*, vel: *Ibis.* AE. III. (Vaill. num. Graec.)

Antonini. Ӿ ΠΡΟϹΩΠΙΤΗϹ. L. H. *Mulier velata stans, cujus caput loti flore ornatum est, d. ori admota, s. clavam.* AE. I. (Pellerin Mel. I. p. 230.) In alio: *Mulier sedens dexteram ori admovet.* AE. I. (Vaill. num. Graec.)

M. Aurelii Caes. Ӿ ΠΡΟϹΩΠΙΤΗϹ. L. A. *Harpocrates stans*, ut in praecedentibus. AE. I.

Numum hunc dedit Vaillantius in numis Graecis, verum cum epigraphen, tum typum ex numis praecedentibus correxi.

AE. RR.

SAITES.

In Delta infra Prosopiten. Ipsa Sais inferioris olim Aegypti urbs princeps.

Hadriani. Ӿ ϹΑΙΤΗϹ. ΝΟΜΟϹ. L. Z. *Pallas stans d. animal crocodilo simile, s. hastam cum clypeo.* AE. I. (Zoëga.)

Ejusdem. Ӿ ϹΑΙΤ. L. IA. *Pallas stans d. noctuam, s. hastam.* AE. III. (Vaill. Mus. Caes.)

Cl. Zoëga in numo alio simili pro hasta bipennem videt. Vide supra et Oxy-

rynchitem. Minerva Aegyptiis *Sais* dicebatur teste Pausania [a]). At secundum Platonem [b]) auctor urbis fuit dea, quae Aegyptiis *Neith*, Graecis Αθηνα vocatur, ipsi vero Saitae se genere cum Atheniensibus conjunctos praedicabant. De ea Cicero [c]): *Secunda* Minerva *orta Nilo, quam Aegyptii Saitae colunt.* Ejus apud Saitas cultum prodidit quoque Strabo, tum et Herodotus [d]), at ritum navigationis per Nilum cum lucernis late describit Themistius [e]).

Ejusdem. ☧ CAIT. L. IZ. *Pallas stans d. noctuam, s. hastam.* AE. III. (Zoëga p. 138.)

Annus XVII., et quem mox vidimus, VII. in Aegyptia Hadriani moneta omnino insolentes.

Antonini. ☧ CAЄITHC. L. H. *Pallas*, ut in praecedentibus. AE. I. (Pellerin Mel. I. p. 230.)

* * *

Vaillantius [f]) edidit Hadriani numum: CAIT. L. IA. typo *caducei alati*, eumque ex reginae Christinae museo citatum huic Aegypti nomo dicavit. Ait cl. Zoëga, in eodem illum museo hodie non reperiri. Equidem crediderim, nam vera ejus numi lectio est: CA. ЄT. NH., et est Samosatorum Commagenes, ut in his diximus.

AE. RR.

SEBENNYTES.

In Delta ad ostium ejusdem nominis.

Trajani. ☧ CЄBЄNNYTHC. L. IΓ. *Vir galeatus stans d. hastam, s. parazonium, pro pedibus cervulus.* AE. I. (Zoëga.)

Hadriani. ☧ CЄBЄN. L. IA. *Bacchus stans d. botrum, s. thyrsum vite obvolutum.* AE. III. (Vaill.)

Ejusdem. ☧ CЄBЄK. L. IA. *Botrus.* In alio similiter inscripto: *Bacchus stans d. urceum, s. hastam.* AE. III.

Haymius, qui utrumque numum edidit [g]), inde arguit, nomen urbi fuisse Σεβεκνυτος, verum cum veteres omnes eam vocent *Sebennyton*, et sic etiam inscribantur alii omnes, apparet, habuisse utrumque nomen et *Sebennytus*, et *Sebecnytus*. Vinum Sebennyticum laudatur Plinio, unde et captum typorum argumentum.

Antonini. ☧ CЄBЄNNYTHC. L. H. *Miles stans d. hastam, s. parazonium.* AE. I. (Pellerin Mel. I. p. 230.)

AE. RR.

SETHROITES.

In Delta ad alveum Bubasticum.

Trajani. ☧ CЄΘPΩITHC. L. IΓ. *Vir habitu succincto cum flore in capite stat d. hastam, s. parazonium.* AE. I. (Zoëga.)

Antonini. ☧ CЄΘPOЄITHC. L. H. *Vir capite accipitrino cum calantica et tutulo loricatus et paludatus stat d. tenens hastam, s. accipitrem pileatum.* AE. I. (Zoëga.)

Ejusdem. ☧ CЄΘPOЄITHC. L. IЄ. *Vir paludatus stans d. hastam, s. accipitrem.* AE. I.

In simili Haymii paludata haec figu-

a) in Boeotic. b) in Timaeo. p. 22. c) Nat. deor. L. III. d) L. II. §. 175. e) Orat. IV. sub. init. f) num. Graec. p. 36. g) T. II. p. m. 273.

ra caput accipitris loto exornatum praefert.

AE. RR.

TANITES.

In Delta mediterraneus intra Busiriticum et Taniticum alveos.

Hadriani. Ӿ TANI. L. IA. *Miles stans d. accipitrem, s. hastam.* AE. III. (Vaill.)

AE. RRRR.

TENTYRITES.

In Thebaide ab occasu Nili.

Hadriani. Ӿ TENTYP. L. IA. *Vir stans d. accipitrem, s. hastam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Tentyritae ut infesti fuerunt Crocodilis, ita accipitribus devoti [a]).

Antonini. Ӿ TENTYP. L. IA. *Mulier stans d. accipitrem, s. hastam.* AE. II. (Vaill.)

Cl. Zoëga sese hunc numum non reperisse in museo regio, ex quo eum citat Vaillantius, testatur, et esse verius eundem cum praecedente Hadriani conjicit.

AE. RR.

THINITES.

In Thebaide ad Nili ripam occidentalem.

Hadriani. Ӿ ΘINI. L. IA. *Osiris stans capite radiato s. icunculam.* AE. III. (Vaill.) *Alius sed* AE. IV. (Pellerin Addit. p. 92.)

In simili musei Theupoli dicta figura duplicem faciem habet, senilem aliam, aliam juvenilem.

AE. RRRR.

XOITES.

In Delta maritimus intra alveos Thermuticum et Busiriticum.

Hadriani. Ӿ ΞOIT. L. IA. *Harpocrates stolatus stans d. avim, s. clavam.* AE. III. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 541.) In alio: *Aries stans cum globo supra caput.* AE. IV. (Zoëga.)

AE. RRRR.

---

a) Iuven. Sat. XV. Aelian. Nat. anim. L. X. c. 24.

MARMARICA.

AMMONIA.

Imperatorium Faustinae senioris, in cujus aversa: ΑΜΜΩΝ. *Caput Iovis Ammonis*, tribuendum censet Pellerinius aut loco, in quo celebre Ammonis templum in Marmarica stetit, aut Paraetonio, quod teste Strabone dicebatur quoque Ammonia [a]). Sed leves sunt hae conjecturae. Multae Graeciae late sumptae urbes Ammonis caput numis suis intulere; sin istud, poterant etiam addere ejus nomen, quod ipsum fecerunt etiam Mytilenaei Lesbi adscripto: ΘΕΟϹ. ΑΜΜΩΝ. Equidem non facile in Marmarica opum nostri argumenti sterili numo patriam quaererem.

APIS, BATRACHVS.

Imperatorium edidit Pellerinius (Suppl. III. p. 125.):

Sine epigraphe. Caput Hadriani laur. ⅩL. ΙΘ. *Rana.* AE. III.

Est hic numulus ejusdem fabricae, cujus sunt numi nomorum Aegypti eidem Hadriano dedicati. Conjicit Pellerinius, numum hunc tribuendum *Batracho* Marmaricae portui, et esse ex eorum numero, qui patriam suam typo eloquuntur, nam βατραχος Latinis est *rana.* Pelleriniano huic addo alium fabrica et volumine simillimum, sed tempore priorem, quem nuper museo Caesareo intuli:

- ΙΒ. ΚΛ. - - - *Caput Claudii laur.* Ⅹ L. I. *Rana.* AE. III. (Mus. Caes. Baudelot Vtil. de Voy. T. II. tab. 1.)

His addere juvat alium numum Pellerinii. (Rec. III. p. 3.)

L. B. *Bos stans.* Ⅹ *Ibis stans.* AE. III.

Pellerinii judicium de Batrachi numis si sequendum putes, licebit numum praesentem referre ad urbem *Apin* ejusdem Marmaricae Paraetonio vicinam, quam Plinius nobilem religione Aegypti locum vocat. Vide de numis similibus cl. Zoëgam [b]).

PETRA.

Non temere adsensero Pellerinio, existimanti, *autonomum*, in quo ΠΕ-ΡΑ. *Delphinus.* Ⅹ *Tridens.* AE. III. (Rec. III. p. 177.) ad hunc Marmaricae portum posse pertinere. Videtur merx Cretica.

---

a) Mel. I. p. 25. b) Num. Aegypt. p. 400.

CYRENAICA.

Propter urbes quinque praecipuas etiam *Pentapolis* dicta, regio si qua alia felix a veteribus habita, atque, ut numi ipsi demonstrant, opibus abundans. Beatae hujus regionis historiam late scripsit Belleyus a). Eo colonos duxit jubente oraculo Battus Therae insulae rex domo Lacon, sic dictus propter linguae usum impeditum, quo tamen malo appulsus in Africam liberatus fuit. Ibi occupato monte Cyra urbem ab hoc Cyrenen dictam in loco amoeno et fontibus irriguo aedificavit. Haec in Graecorum annalibus vera perhibentur. Sed fabula docet, virginem Cyrenen Hypsei Lapitharum regis filiam raptam ab Apolline et huc translatam ex Pelio Thessaliae monte, a qua urbi nomen factum, atque ex hoc conjugio natum fuisse Aristaeum. Cyrenes initia ac postea vices late persequitur Herodotus b), ac compendio et dilucide Iustinus c).

Variam hujus urbis monetam distribuimus in numos I. Cyrenaicae liberae, II. Cyrenaicae regiae, III. Romanae.

I. Numi Cyrenaicae liberae.

Describam hic nullo discrimine numos *Cyrenes* nomine notatos, seu ii ad totam provinciam, seu urbem Cyrenen pertineant. Sunt ii insigni artificio, et abundant in auro, argento, et aere, ut adeo vel haec ipsa nobis superstes Cyrenes opulentia satis comprobet veritatem adagii veteribus familiaris: *ὅτι ἐνταυθα ὁ ουρανος τετρηται*, *eo loci coelum hiare*, ex quo nempe hiatu subsidia ad vitam beatam omnia delaberentur, cujus adagii meminit Herodotus d), et explicatius Eustathius e). Egregiam numorum fabricam non mirabitur, cui ex Aeliano constat, Cyrenaeos magnos sumptus fecisse in homines gemmas scalpendi peritos f). Auro abundasse Cyrenaeos docuit Palaephatus g), et de eorum numis aureis Pollux: (L. IX. §. 62.) *ἦν μεντοι, ὡς* Αριστοτελης *φησιν, ἐν* Κυρηνῃ *και τετραστατηρον, και στατηρ, και ἡμιστατηρον, χρυσα νομισματα. Et erat auctore Aristotele in Cyrene quadristater, et stater et semistater moneta aurea.* Sed juvat conversam urbis florentissimae fortunam ex Synesio, qui Cyrenaeus ipse fuit, discere, cujus verba sunt interprete Petavio h): *Cyrene Graeca civitas, antiquum et venerabile nomen, infinitis olim sapientum carminibus celebrata, nunc pauper et humilis, ingentiaque ac*

a) B. L. T. XXXVII. p. 363. b) L. IV. c) L. XIII. c. 7. d) L. IV. c. 158. e) ad Dionys. v. 213. f) V. H. L. XII. c. 30. g) de incred. c. 32. h) de regno p. 2.

deserta rudera, cui regia munificentia opus est, si quid gerere velit vetere illa sua origine non indignum.

Autonomi:

Epigraphe: ΚΥ. ΚΥΡΑ. ΚΥΡΑΝΑΙΩΝ. Est hoc pro ΚΥΡΗΝΑΙΩΝ. secundum dialectum Doricam, quam traxere a Thera insula, cujus incolae fuere Lacones, ut supra docui, et consentit Strabo [a]): ἐςι (Κυρηνη) Θηραιων κτισμα Λακωνικης νησε, et Iosephus [b]): Κυρηναιοι το Λακωνων γενος.

Typi: exhibentur his, quae apud Cyrenaeos plurimum valuere, et quorum partem jam expressit Antiphanes apud Athenaeum [c]), etsi horum nonnulla per jocum commemorantur.

- - - - ἐκεισε δ' ἐκπλεω,
Οθεν διεσπασθημεν, ἐρρωσθαι λεγων
Απασιν ἱπποις, σιλφιω, συνωρισι,
Καυλω, κελησι, μαςοις, πυρετοις, ὀποις.

At illuc hinc mari proficiscor,
Vnde divulsi sumus, cum valedicerem
Omnibus equis, silphio, bigis,
Cauli, desultoribus, mammis, febribus, succis.

Typi celebriores ac magis usitati sunt:

Iuppiter Ammon.

Hujus caput barbatum cum cornu arietino obvius typus, et ex ipsis veterum testimoniis, quae infra in *silphii* typo citabo, monetae Cyrenaicae proprium. Ejus ratio est famigeratum templum Ammonis in eo tractu positum, sic ut Dionysius Periegetes, quod jam advertit Spanhemius, utrumque locum conjungat [d]):

Και τεμενος Λιβυκοιο θεε, Ψαμαθω ὑπο πολλη,
Κυρηνη τ' ἐυιππος, Αμυκλαιων γενος ἀνδρων.

Et fanum Libyci dei, arena sub multa,
Et Cyrene bonos equos habens, Amyclaeorum genus hominum

At quaeri potest, sitne caput eodem cornu armatum, at imberbe, quod etiam in his numis saepe conspicitur, ejusdem Ammonis. Ex aliquorum eruditorum sententia istud non repugnaret, nam Pellerinius caput simile in numis Teni insulae revera Ammonis profitetur. Occurrit tamen, verius esse Bacchi, cui jure in Cyrenes moneta locus permittendus. Nam ex Libyum doctrina, ut passim per librum III. refert Diodorus Siculus, fuit Bacchus Ammonis filius, ac singillatim docet ejusdem libri capite 72., eapropter filium Bacchum simili facie, nempe cornuta ostentari. Quare Cyrenaei Ammonis cultui impense dediti hujus quoque filio locum in moneta concesserint, atque ut a patre distinguerent, videntur finxisse imberbem. Ejusdem ergo Bacchi caput etiam in Teni numis video. Cur viri eruditi, qui gemmas veteres Ducis Aurelianensis descripsere, in hoc capite imberbi Battum conditorem videant [e]), ignoro. Ejus ipsi causam non adferunt. In nonnullis Ammonis caput diademate praeterea redimitur, ut in aeneis Ptole-

a) L. XVII. p. 29. b) de bell. Iud. L. II. c) L. III. p. 100. d) v. 212. e) Tom. I.

maeorum Aegypti regum. In aliquibus aureis idem, ut videtur, Iuppiter stat ad aram, d. pateram tenens. Liebeus, cum in simili juxta scriptum legeret ΠΟΛΙΩΝΔΕΤΣ, inde *urbium Iovem* finxit a), at in simili magis integro Pellerinii et musei Caesarei est certus magistratus ΠΟΛΙΑΝΘΕΤΣ.

* * *

Silphium, σιλφιον, Latinis *laserpitium*, qua planta Cyrene cumprimis nobilitata fuit, sic ut nuspiam alibi laetius excresceret, et copiosius, et Theophrastus de ejus tractus plantis loquens addat: ἰδιωτατον δε παντων το σιλφιον, *omnium vero maxime proprium est silphium* b), et Catullus Cyrenen dicat *laserpitiferam* c). De ejus praestantia, et quomodo tandem apud Cyrenen testibus Strabone et Plinio defecerit, lege doctissimum Spanhemium, qui de eo fuse agit d), et Belleyum e). Hoc silphium in plerisque Cyrenes numis atque in solis fingitur, sic ut eo conspecto aliam opus non sit numo patriam circumspicere; nonnunquam alio in aversa typo principe tamen in area minutiore forma comparet. In numo musei Medicei, quem olim edidi f), visuntur silphia tria in triquetrae formam disposita. Hujus quoque in moneta Cyrenaica typi jam meminere veteres. Narrat scholiasta Aristophanis g), Libyes conditori Cyrenes Batto honoris causa obtulisse pulcherrimam plantarum silphium, Battumque monetae insculpsisse, cui urbis genius manu una regnum, altera silphium offert. Ejus vadem citat Aristotelem in Cyrenaeorum rep. Cum hoc quidem typo numus hactenus conspectus non est. Hesychius h) ait: *Batti silphium. Paroemia de iis, qui insolitos honores consequuntur; ducitur autem metaphora a Cyrenaeis, qui Battiadis silphium tanquam insigne obtulerunt, quod in praecipuo apud eos honore est, sic ut in eorum numo hinc Ammon, inde silphium sculptum sit.* Similia narrat Suidas. (sub ead. voce.) Continetur autem proverbium illud in Aristophanis Pluto i):

ὐδ' ἀν ει δοιης γε μοι
Τον Πλυτον ἀυτον, και Βαττυ σιλφιον.
neque si dares mihi
Plutum ipsum, et Batti silphium.

* * *

Palma in Cyrenes numis non infrequens, et merito, nam hanc arborem in sola Iudaea et Cyrenaica frugiferam praedicat Plinius.

* * *

Victoria in citis quadrigis, in numis aureis. (Liebe Goth. num. Pellerin.)

Videntur hoc typo indicari victoriae in Graeciae ludis a Cyrenaeis relatae. Lege et sequentia.

* * *

Eques citato cursu, *equus liber currens vel gradiens*, *rota.* (Pellerin.)

Tulit Cyrenaica generosos equos, quare eam etiam a Dionysio supra vidimus dici ἐυιππον, uti et a Callimacho apud Strabonem, qui posterior eam

---

a) Goth. num. p. 14. b) hist. plant. c) Carm. VII. d) T. I. p. 293. e) B. L. T. XXXVI. hist. p. 22. f) Num. vet. p. 303. g) ad Plut. v. 926. h) in Βαττυ σιλφιον. i) v. 925.

quoque vocat ἱπποτροφον ἀριϛην, *optimam equorum altricem* [a]). Rotae typus frequentem vehiculorum usum confirmat, nam Pindarus Cyrenen appellavit ἐυαρματον πολιν, *curribus praestantem urbem* [b]), et quadrigarum studio Cyrenaeos ex longo inclytos tradit Xenophon [c]), et quidem sic κατ' ἐξοχην, ut, cum maximus Tyrius varia exercitia commemoraret, quibus variae nationes excelluere, ut Cretenses venatu, Thessali equitatu, Aetoli praedis agendis etc. addat etiam, τα Κυρηναϊκα διφρειαι, *Cyrenaeos aurigandi arte excelluisse* [d]). Ergo ii Alexandro M. ad Ammonem profecto obtulere CCC. equos ad bellum idoneos, et V. eximias quadrigas teste Diodoro [e]). Ipsam vero vehiculorum apud Cyrenaeos licentiam hospitibus fuisse gravem et damnosam, lepide conqueritur Alexis apud Athenaeum [f]):

Ανθρωπος ἐιναι μοι Κυρηναιος δοκεις,
Κἀκει γαρ ἀν τις ἐπι το δειπνον ἑνα καλῃ,
Παρεισιν ὀκτωκαιδεκ' ἀλλοι, και δεκα
Αρματα, συνωριδες τε πεντεκαιδεκα.

Homo esse mihi Cyrenaeus videris,
Nam ibi si quis vel unum ad coenam vocaverit,
Adsunt decem et octo alii, et decem
Currus, et bigae quindecim.

* * *

ΚΥΡΑΝΑ. *Caput muliebre.* AE. II. (Pellerin.)

Est haec Cyrene Nympha ab Apolline adamata, quae secundum Cyrenaeorum mythologiam urbi nomen dedit, ut dictum supra.

* * *

Caput Apollinis. ℞ ΚΥΡΑ. *Lyra.* AE. III.

Numi obvii. Cyrenen Apollinis beneficio omnibus bonis auctam, atque hac de causa illi impense obstrictam memorat Callimachus ejus urbis nobilis civis [g]):

Ουδε πολει τοσ' ἐνειμεν ὀφελσιμα, τοσσα Κυρηνῃ
Μνωομενος προτερης ἁρπακτυος, ὀυδε μεν ἀυτοι
Βαττιαδαι Φοιβοιο πλεον θεον ἀλλον ἐτισαν.

Neque alteri urbi tot concessit bona, quot Cyrenis
Memor veteris raptus (Cyrenes) *neque ipsi*
Battiadae Phoebo impensius deum alium colunt.

* * *

Ex minoribus typis in Cyrenes moneta conspicuis memorabile animalculum gliri nostro domestico simile, quod in numo Haymiano ad silphii pedem excubat, quodque Haymius, qui ejus iconismum ad naturae magnitudinem sistit, et copiose describit, Hieronymi ἀρκτομυν putat [h]). Testatur Iacobus Bruce in suo Abyssiniae itinerario nuper vulgato, animal istud, quod *Ierboa* Arabibus dicitur, nusquam majore copia, quam in Cyrenaica reperiri.

a) L. XVII. b) Pyth. Od. IV. v. 13. c) de instit. Cyri L. VI. d) Dissert. XXIII. e) L. XVII. §. 49. f) L. XII. sub init. g) in Apollin. v. 94. h) Tom. II. p. 149.

* * *

Commune.

Caput Ammonis. Ӿ ΚΟΙΝΟΝ. *Silphium.* AE. II. (Pembrock, Pellerin.)

Khellius in simili, sed in quo ultima litera deficit, infeliciter *Coenopolin* Cyrenaicae extudit [a]). Ptolemaeus, qui unus hanc urbem prodit, eam vocat Καινόπολιν.

* * *

Magistratus nullo dignitatis indicio.

ΠΟΛΙΑΝΘΕΥΣ. in binis Pellerinianis, et musei Caesarei. Lapsum Liebei in legendo et explicando hoc nomine supra attigi. ΚΥΔΙΟΣ. (Pellerin.) ΘΕΥΦΕΙ. retrograde. (Pellerin Mel. I. p. 144. et Pembrock T. I. tab. V.) ΘΕΥΦΕΙΔΕΥΣ. (Pembrock ibid.) ΙΑΣΟΝΟΣ. (in binis Hunterianis.) ΚΑΙΡΙ. in Mediceo, quem edidi. (Num. vet. p. 303.)

* * *

Non hic omittendus numus editus ab Harduino [b]):

ΔΑΜΩΝΑΚΤΟΣ. *Vir capite diademato, radiato, cornuto stans d. victoriolam, s. hastam, pro pedibus aries.* Ӿ ΚΥΡΑΝΑΙΟΝ. *Quadrigae.* AV.

Bimardus hujus numi facta mentione censuit primum [c]), eum ex omnibus numis Graecis nobis cognitis esse longe vetustissimum, quoniam Demonactem prodit, qui ex Arcadia evocatus est, ut pro Batto IV. puero res Cyrenes procuraret, quod contigerit exeunte altero V. C. saeculo, regnante Cyro, secundum ea, quae de eo prodit Herodotus [d]). Idem Bimardus aliquanto serius mutavit mentem [e]), nam cum numum ipsum ad trutinam revocaret, videretque in eo elementum Ω, quod Demonactis aetate repertum nondum fuit, inde collegit, numum esse aetatis multo inferioris, et vocabulum inscriptum aliud non notare, quam magistratum Cyrenaicum. Quod sane verissimum, neque adeo necessarium existimare cum Winkelmanno [f]), vel Wesselingio [g]), veteris ejus Demonactis in hoc numo renovatam fuisse memoriam.

* * *

Recitatis certis Cyrenaicae numis commemorandi etiam, qui eruditorum conjectura huc referendi videntur. Eccos!

1. ΕΥΑ. *Caput Palladis.*
Caput muliebre turritum. AV. II. III. (Mus. Caes. et alibi.)

2. ΕΥΑ. *Caput muliebre turritum.*
Leo gradiens, cui insistit aquila, superne astrum. AV. III. Editus a me ex Mediceo. (Num. vet. p. 303.)

3. ΕΥΑ. *Caput Palladis.*
ΒΑ. *Caput muliebre turritum.* AR. (Mus. Caes. Pellerin Rec. I. p. 136.)

4. ΕΥΑ. *Caput Palladis.*
ΒΑΒΙΚ. *Caput muliebre turritum.* AR. (Goltz. in Graec. tab. XI.)

---

a) Adpendic. II. p. 93. b) Mem. Trevoux Août. 1727. c) ad Iobert. T. I. p. 28. d) L. IV. c. 161. e) ibid. p. 455. f) Hist. art. Vol. II. p. 176. edit. Feae. g) ad cit. loc. Herodoti.

5. ΕΥΑΙΩΝ. *Caput Palladis.*
ΒΑΒΙΚ. *Caput muliebre turritum.* AV. (Goltz. ibid.)

6. *Caput Palladis galeatum.*
K. *Caput muliebre turritum.* AV. (Mus. Caes.)

7. BA. *Caput juvenile diadematum, et hemicyclis ornatum.*
K. *Caput muliebre turritum.* AV. (Mus. Caes. Thes. Brand. T. I. p. 264.)

8. BA. *Caput idem.*
NI. *Caput muliebre turritum.* AR. (Mus. Caes.)

9. BA. *Caput Dianae cum pharetra.*
ΠΝ. *Caput muliebre laureatum.* AR. (Mus. Caes.)

10. BA. *Caput muliebre nudum.*
ΠΝ. *Caput muliebre laureatum.* AR. (Mus. Caes.)

11. BA. *Caput muliebre turritum.*
NK. (in monogr.) *Caput Apollinis cum arcu.* AR. (a me editus ex Mediceo num. vet. p. 306.)

12. A. *Caput Palladis.*
K. *Caput muliebre turritum.* AV. (Pembrock tab. V.)

13. ΕΥΑ. *Caput Palladis.*
ΒΙΑ. *Caput muliebre turritum.* AR. (Mus. Neumann.)

De numis hic descriptis, eorum excellente in paucis fabrica, et quorsum videantur pertinere, alibi fusius egeram [a]). Qui ΕΥΑ. inscribuntur, eos Goltzius, Begerus, Harduinus, aliique hos secuti Evae Arcadiae tribuere non dubitaverunt. Recentiores re adcuratius expensa jure coeperunt veterem hanc sententiam fastidire. Nam credibile nullo pacto est, Evam Arcadiae oppidum vix cognitum tot ac tam eximios in auro signasse numos, cum tamen nobilissimarum Graeciae urbium et quarum notae fuere opes, raros habeamus ex hoc metallo, plerarumque sane nullos. Abstineo argumentis aliis, cum hoc unum omnino sufficiat ad aspernanda veterum judicia. Pellerinius, aliique verisimilius censuere, eos Cyrenen avocandos, partim quod ejus copiosi sunt numi aurei, partim quod citati numi spectata fabrica non abludunt a certis Cyrenaicis, quorum utrorumque labor artifices prodit peritissimos. Atque hae solae sunt rationes, quibus novae sententiae patroni nituntur, nam spectatis typis nihil habent cum notis Cyrenaicis commune, non silphium, Ammonem, lyram, rotam etc.: Caput Palladis in nullo certo Cyrenaico conspicitur. Numus II. forte propius res Cyrenaeorum contingit, nam si caput anticae est Cyrenes Nymphae conditricis habitae, leo partis aversae facile ad eam ipsam poterit referri, nam bis eam cum leone congressam tradidere Pindarus et Callimachus, ut pluribus ibidem docui [b]).

Quod ad numos inscriptos BA. atti-

a) Num. vet. p. 303. b) pag. 305.

net, existimavit Begerus, το BA. numi sui, quem loco VII. descripsi, et adstitutum caput juvenile indicare *Battum* IV. Cyrenes regem, et το K partis aversae esse literam ἀρχαιοσαν vocabuli Κυρανaιων. At vero idem BA., ut in descriptis modo numis vidimus, ponitur etiam frequenter juxta caput muliebre, et in simili num. XIII. est BIA., in aliis pro K variae sunt literae aliae et monogrammata. Numi fabrica nimium elegans persuasit Frölichio, ut omisso Batto, cujus aevum tantae capax elegantiae non videtur, hos numos Alexandri M. aetati admoveret, et divisis literis legeret: Βασιλεως Αλεξανδρου [a]) quae tamen sententia nullam habet veri speciem. Begero suppetias tulit Bimardus perhibens, museo regio recens illatos fuisse numos inscriptos APK., etBA. vel BAT. ac praeterea K. vel KTP., quas varias inscriptiones legendas docet: APKεσιλαυ vel BATτυ KTPαναιων, tribuendos adeo Batto IV. et Arcesilao Battiadarum regibus postremis, et quoniam hi reges synchroni fuere Cyro et Cambysi, inde sequi ait, hos numos omnibus hactenus cognitis esse vetustiores [b]). Verum Bimardum plene refellit Barthelemyus, qui iisdem numis in examen vocatis eum deceptum esse docet legendo KTP. APK. pro certo KTPANA, legendo item BAT. pro constante in numis BA., ut adeo omne illud subsidii, quod Begeri causae ex Bimardi praeconio adfulsit, suapte evanescat [c]). Ceterum hos quoque numos nunc passim ex iisdem causis, quas antea dictavi, Cyrenaicos esse suspicantur eruditi, quamvis spectatis typis nihil habeant Cyrenaici, tam parum ac ii, qui ETA. inscribuntur, ut adeo istud numorum genus plus adhuc lucis desideret.

Quaeritur denique, quis sit sensus vocabulorum ETA. et BA. in his numis toties occurrentium? Istud dubium haud difficulter posse expediri censeo, statuendo, esse decurtata magistratuum nomina. Si numi Goltziani loco IV. et V. descripti non fallunt, erit ETA. contractum ETAIΩN, quae vox perinde nomen Graecum viri esse potest, ac Αλκμαιων, Ακταιων etc. atque id tanto pronius, quoniam magistratuum vocabula in numis Cyrenaicis passim in casu recto efferri videmus, et exstat Ευαιων nomen viri proprium apud Aristophanem, et Demosthenem. Eadem ratione τό BA. erit forte pro descripto plenius apud Goltzium BABIK. Si numi hi revera Cyrenen pertinent, haec compendia facile ex ejus ipsius numis certis illustrantur; nam in his legere est ΘE. et ΘETΦEI. et ΘETΦEIΔETΣ, quae trina exempla sola tabula V. numorum aureorum in catalogo Pembrockii suppeditat. His adde ΔAM. KTΔ. ΠO., quae plenius in aliis scribuntur ΔAMΩNAKTOΣ, KTΔIOΣ, ΠOΛTANΘETΣ, ut erudite advertit Pellerinius [d]).

---

a) Notit. elem. p. 158. b) ad Iobert. T. I. p. 456. c) B. L. T. XXVI. p. 533. d) Rois p. 52.

II. Numi Cyrenaicae regiae.

De numis Demonacti, Batto, et Arcesilao, qui Cyri aetate Cyrenaicam rexere, perperam tributis paullo supra egimus. Qui sequuntur, cum Ptolemaeis congruunt.

MAGAS.

Regis hujus historiam ac numos solita eruditione ac perspicacia conscripsit literatae Galliae insigne quondam decus Belleyus, cum nobilem amethystum ex museo Ducis Aurelianensis promulgaret, cui insculptum caput Magae imberbe diadematum, et cornu Ammonis munitum subjecta epigraphe ΜΑΓΑΣ, et silphio faciei adstituto [a]). Ejus historiam sic paucis habeto:

Fuit filius Philippi cujuspiam Macedonis ignobili loco nati, et Berenices, alteris nuptiis Ptolemaeo Soteri junctae. Hic Soter subjiciendae sibi Cyrenaicae intentus, cui primum Thimbro Harpali pecuniis adjutus, deinde Ophellas libertatem ademerant, Magam privignum illi primum expeditioni, deinde cum res e voto cessisset, regioni captae praefecit. Cum diu in officio permansisset, regni ipse cupidus a fratre uterino Philadelpho Ptolemaeo deficit, ac praeparato utrinque magnis animis bello tandem in pacis conditiones itur. Mortuus est, cum Cyrenaicam ipsos annos L. rexisset, V. C. 498. A. X. 256.

Ex uxore Apame Antiochi I. Soteris filia genuit *Berenicen* Ptolemaeo III. Evergetae nuptam.

Numi:

Non hic repeto numos aeneos cum capite Berenices, quae fuit Ptolemaei I. Soteris uxor, et Magae nostri mater, aut cum capite Ptolemaei II. Philadelphi, quos vide in utriusque moneta, quosque in Cyrenaica et a Maga signatos, ex adstituto monogrammate ΜΑΓ. intelligi dixi.

Caput regis diadematum. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΑΓΑ. *Caput muliebre diadematum dependentibus cincinnis.* AE. II. (Pellerin.)

Cujus sit caput regium partis anticae, examinandum. Satis apparet, creditum Pellerinio, esse caput Magae. Verum collata gemma supra citata, quae certum hujus regis caput sistit, per diversissima oris lineamenta viri eruditi sententiae diffidere cogit. Idem Pellerinius caput aversae esse uxoris Apames existimat. Sed neque istud adridet. Enimvero capita, quae sunt in numo praesente, adeo sunt similia capitibus, quae offerunt numi aenei inscripti ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ., quos in moneta Ptolemaei I., quod huic a plerisque tribui solent, recitavi, ut, qui ea contendere volet, inficiari non possit, esse in utrisque eadem. At in his caput anticae esse nequit regis Magae, cujus, ut dixi, diversam effigiem offert amethystus; neque esse potest Ptolemaei I., nam tum caput aversae esset ejus uxoris Berenices, sed hujus numus certus multo diversum et vultum et capitis cultum offert. Reliquum est, ut in utriusque his numis caput anticae tribua-

a) B. L. T. XXXVI. hist. p. 18.

mus Ptolemaeo Philadelpho, caput aversae ejus uxori Arsinoe, dicamusque eos omnes in Cyrenaica a Maga signatos, inserta vero Philadelphi et uxoris capita, quod pro Philadelpho Cyrenaicam administraverat, atque etsi subinde defecit, regisque nomen palam usurpavit, ut vel praesens numus docet, fieri tamen poterat, ut se una regem, una ab Aegypti regibus pendere profiteretur, eodem modo, quo Evagoras olim Cyprius pariturum se Artaxerxi Mnemoni dixit, sed ut regem regi. Et vero numos, de quibus ago, non fuisse signatos in Aegypto, etsi epigraphen ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. praeferant, inde facile patet, quod nonnisi postrema Ptolemaeorum aetate numis aeneis in Aegypto cusis regum reginarumque capita sunt illata, his aureae et argenteae monetae reservatis. Ergo signati sunt in Cyrenaica, praeeunte hoc Magae numo, illis, si epigraphen demas, simillimo.

Vera Magae effigies ex amethysto, cujus supra memini, capta arietis cornu tempori adstitutum offert, adsumpto nimirum Iovis Ammonis cultu, cujus templum in contermina Marmarica stetit. Simili cultu etiam Ptolemaeum Apionem mox videbimus.

* * *

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟ - - - *Silphium.* AE. II. (Pellerin.)

Hunc numum Pellerinius cum priore Magae conjunxit, sed tamen inter incertos reposuit. Cum in hoc caput regis eadem habeat lineamenta, quae sunt in dicto Magae numo, eum etiam inter numos refero a Maga Philadelphi nomine in Cyrenaica signatos.

* * *

ΒΑ. *Equus currens.* ℞ ΜΑ. *Aries Libycus.* AE. III. (Pellerin Rois p. 202.)

Eidem Magae hunc numum tribuendum puto non modo propter vocabulorum initia, sed et propter arietem Libycum Cyrenaicae proprium, ut mox in Apione videbimus.

AE. RR.

PTOLEMAEVS *vulgo*

APION.

Mortuo Maga Cyrenaica per filiam Berenicen Ptolemaeo III. Evergetae nuptam ad Aegypti reges rediit. Fratribus Ptolemaeo VI. Philometore et Ptolemaeo VII. Physcone dissidentibus pax ea lege coaluit, ut Physconi Libya cum Cyrene cederet. Huic ex Irene concubina natus filius, cui propter macilentiam cognomen Ἀπιων, *non pinguis*, fuit, Cyrenaicam a patre abstulit, moriensque cum prolibus careret, praeterita cognata Ptolemaeorum gente populum R. regni haeredem scripsit V. C. 658. A. X. 96 [a]).

Numi:

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Caput regis imberbe Ammonis cornu mu-*

---

a) Iul. Obsequens.

nitum. ☧ KOIN. KΥP. *Silphium.* AE. (Spanheim T. I. p. 296.)

Aries Libycus. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila fulmini insistens.* AE. (Haym. T. II. p. 27.)

Hactenus nullos Ptolemaeo Apioni numos tributos video, sed non vereor adfirmare, illi in utrumque, quem coram proposui, jus esse. Eorum prior per typum silphii Cyrenaicus certo est, ac tum dubitari nequit, caput anticae arietis cornu onustum esse Apionis, nam et Magam eodem cultum modo supra in amethysto Ducis Aurelianensis vidimus. Etiam numus alter per arietem umbrosa cauda conspicuum Cyrenaicam olet secundum ea, quae infra ad Heracleam Cyrenaicae, et in numis Cyrenaicae Romanae monebimus. Neque vero typus similis in numis, quos certo constet in Aegypto signatos, occurrit. Et vero credibile est, Apionem, qui annos XIX. Cyrenaicae regia potestate praefuit, suam habuisse monetam. Novi, in numo ex descriptis primo non agnituros caput Apionis illos, qui ejus regis censent esse capita juvenilia capillis in cincinnos volutis et pendentibus, quae sunt in gemmis et marmoribus, secuti nempe oraculum Fulvii Vrsini, cujus deinde sequaces enumerat auctor anonymus Tomo I. Antiquitatum aenearum Herculan. p. 201. At enim taedet refutandis his virorum eruditorum de hoc Apionis capite judiciis inhaerere, ut universe in definiendis capitibus illiteratis, quae veterum monumenta offerunt, multa videmus prodita arbitrarie, multa ridicule.

AE. RRRR.

III. Numi Cyrenaicae Romanae.

Romani Ptolemaei Apionis testamento inde ab anno V. C. 658. Cyrenaicae haeredes non tamen continuo haereditatem adivere permissa interim populo libertate, qua cum is pacate uti nesciret, Cyrenaicam in provinciam redegerunt, et Cretae conjunctam, quae eadem tempestate Romanorum jugum subivit, propraetori administrandam dedere V. C. 688., quae omnia uberius exposita vide apud Belleyum [a]). Habemus numos Cyrenaicos magistratus R. nomine inscriptos cum Latinos, tum Graecos, quorum complures edidit Pellerinius [b]), quos tibi hic sisto.

S. CATO. *intra lauream.* ☧ *Sine epigraphe. Aries Libycus.* AE. III. (Pellerin. l. c)

S. CATO. PR. *Sella curulis.* ☧ *Epigraphe et caput Augusti.* AE. II. (Mus. Caes.)

S. CATO. PROCOS. *intra lauream.* ☧ *Epigraphe et capita opposita Augusti et Agrippae.* AE. I. (Pellerin Rec. I. p. XXIII. Mus. Caes.)

ΠΟΥΠΙΟC. *Aries Libycus.* ☧ ΡΟΥΦΟC. ΤΑΜΙΑC. *Sella et hasta quaestoria.* AE. III. (Pellerin l. c.)

ΑΤΛΟC. ΠΟΥΠΙΟC. L. *Caput Ammonis.* ☧ ΤΑΜΙΑC. ΑΝΤΙCΤΡΑ. L. A.

---

a) B. L. T. XXXVII. p. 374. b) Rec. I. p. 10.

Sella curulis intra fasces. AE. II. (Pellerin l. c.)

ΠΟΥΠΙΟC. ΑΝΤΙCΤΡΑ. L. A. *Sella curulis intra fasces.* ✠ KAI. TAMIAC. L. *Caput Ammonis.* AE. II. (Mus. Caes.)

Huc etiam pertinent propter typi similitudinem numi Lollii, quos vide apud Morellium in gente Lollia, et de quibus agam distincte in ejusdem gentis numis, nam implexa omnino quaestio est, in qua provincia omnes ii, qui ibi proponuntur, signati sint.

Vaillantius et Havercampus in lectione epigraphes numorum Pupii, quoniam ea in omnibus manca fuit, insigniter lapsi sunt, et quoniam in horum uno legere sibi visi sunt ΝΙΚΑΙΕΩΝ, eum aliosque omnes in Bithyniam ablegarunt, in quem scopulum impegit etiam Spanhemius a Vaillantio deceptus [a]). Ex citatis igitur hic Pellerinii numis vera petenda lectio. Pupii numos copiosius explicabo in gente Pupia. Hic tantum adverto, in numis Catonis epigraphen esse Latinam, in numis Pupii Graecam. Videntur posteriores aetate praecedere, retinuerintque Romani, cum primum ea regione potiti sunt, linguam ibi receptam. Sub Augusto Cato Latinam induxit.

Magistratus habemus in his numis:

Catonem *Praetorem*, tum *Proconsulem.*

Pupium *Quaestorem propraetore*, de quibus muneribus vide, quae dicentur in Observatis generalibus quarti hujus voluminis cap. I. sect. II. §. 3 et 4.

Ceterum ob scriptorum defectum vix aliquid de Cyrenaicae sub Romanis regimine statui potest, quod jam questus est Pellerinius, et uberius Belleyus in erudita sua Cyrenaicae historia [b]).

AE. RRR. cum integri sunt et sani.

* * *

Imperatorium Titi edidit Patinus, (Num. Impp.)

ΦΛΑΥ. ΚΥΡΗΝΗ. *Caput muliebre cum proboscide.*

Eundem numum restituit Morellius [c]). De Vespasiano Suetonius [d]): *Quaestor Cretam et Cyrenas provinciam sorte cepit.* Credibile igitur, a Vespasiano in provinciam sibi pridem cognitam derivata beneficia, unde Cyrene *Flaviae* epitheton receperit.

AE. RRRR.

ARSINOE.

Maritima, olim *Teuchira.*

Autonomum huc refert Pellerinius:

Caput muliebre velatum. ✠ ΑΡΣΙ. ΚΥ. *Cervus stans flexo uno genu et respiciens.* AE. II.

Praetensam epigraphen parum esse integram ac fidelem, consultus Blondius adfirmavit Neumanno, quem vide [e]). Vt adeo dubium sit, utrum exstent hujus urbis numi.

AVTOMALA.

Maritima et extrema versus Africam propriam in castelli modum.

a) T. II. p 163. b) B. L. T. XXXVII. p. 377. c) Num. Titi tab. XIII. n. 18.
d) Cap. 2. e) Num. pop. P. II. p. 153.

Autonomum Pellerinius huc referri posse censuit (Rec. III. p. 173.):

Caput imberbe cum cornu arietis. ✕ ΑΥΤ. *(in monogrammate) Herma.* AE. II.

Rationes sunt primum monogramma, quod tres hujus urbis priores literas includit, deinde caput anticae, quod esse Iovis Ammonis statuit. Alterum hoc argumentum sane infirmum; nam dubitari jure possit, placueritne unquam veteribus Ammonem imberbem fingere; sane in numis, in quibus ipsum vocabulum ΑΜΜΩΝ additur, ut videre est in numis Mytilenes, et in illo, quem supra in Ammonia Marmaricae citavi, barbatus semper est, ut taceam obvios tot Aegypti regum numos aliosque innumeros. Supra in Cyrenes numis dixi, verisimilius esse, eo capite proponi Bacchum in parte Ammonis quoque filium creditum. Neque hoc caput in Cyrenaicae solum numis, sed etiam in moneta insularum Archipelagi saepe recurrit. Et cum praeterea monogrammata plerumque varie possint resolvi, satis apparet, hujus numi omnem causam plane esse dubiam, et incertam.

Alium aeneum III. formae ex museo Hunteriano huc refert Combius inscriptum ΑΥΤΩ. Verum hoc oppidum scriptum fuit per O, non per Ω, etsi quorsum hic numus pertineat, ignorem.

* * *

Imperatorios quoque, eosque Alexandri Severi binos video citari:

ΑΥΤΟΜΑΛΗC. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. ΛΥΒΙΚΗC. *Diana venatrix cervum insequitur.* AE. m. m. (Vaillant.)

Hoc numisma admodum suspectum, ac jure videtur Pellerinio a), cum quod metropolis dicatur Automala, de quo honore nihil nobis constat ex veteribus, qui eam tantum φρουριον, *castellum*, dixere, tum quod minus proprie urbs Libyae dicatur, et quod pro orthographiae lege saltem ordinaria scribendum fuerat ΛΙΒΥΚΗC. Alter:

ΕΠΙΣ. ΑΥΤΟΜΑΛΕC. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΟC. ΛΙΒΥΚΗ. quem Gorius ex Mediceo promulgavit, hunc quoque maximi moduli b). Numum vidi ipse, et adulterinum facile agnovi, quod judicium ab aliis etiam causis confirmatur, quas alibi commemoravi c).

BARCE.

Mediterranea secundum Ptolemaeum, quamvis a Strabone aliisque dicatur eadem cum illa, quae serius *Ptolemais* est appellata, et maritima fuit, de quo vide Cellarium et Spanhemium d).

Autonomos hujus urbis edidere Spanhemius e), Pellerinius, et Combius ex Hunteriano:

ΒΑΡ. ΒΑΡΚ. ΒΑΡΚΑΙ. *Caput Ammonis barbatum cornutum.* In alio: *Caput cornutum imberbe.* ✕ *Silphium.* AR. I. II. III.

De similibus capitibus egi in Cyrene et Automala.

AE. RR.

a) Rec. III. p. 173. b) Mus. Florent. c) Numi vet. p. 306. d) T. I. p. 295. e) l. c.

HERACLEA.

Autonomum edidit Pellerinius:

Caput Ammonis. ꭗ ΗΡΑΚΛΕΙΑ. *Aries cauda solito longiore et crassiore.* AE. II.

Heraclea nulla a veteribus in Cyrenaica proditur; tamen cum typus utrinque sit Cyrenaicus, existimat Pellerinius, numum hunc pertinere posse ad eam Heracleam, quam in Libya collocat Stephanus, additque, verveces cum simili cauda nostra quoque aetate in hoc tractu reperiri. Praeclare haec quidem concordant. At quod idem alio loco ad eandem Heracleam revocet autonomum alium per causam Palladis in eo expressae, quam Tritoniam, atque adeo huic tractui propriam putat [a]), istud, ut verum esse potest, ita solido fundamento destituitur.

AE. RRRR.

PHYCUS.

Promontorium cum oppido cognomine, et teste Synesio Cyrenaeorum navale [b]).

Autonomus apud Pellerinium:

Caput muliebre adversum corona fastigiata tectum. ꭗ ΦΥ. *Bos cornupeta juxta palmam.* AE. III.

Rationem auctori, cur numum huc revocet, sufficit fabrica, et typus palmae. Narrat Sestinius, in simili alio, quem vidit, legi ΜΑΓΝ - - ΑΦΥΡ - - videri ergo potius tribuendum Magnesiae Ioniae.

AE. RRRR.

PTOLEMAIS.

A nonnullis eadem habita cum Barce, ut in hac diximus.

Huc pertinere Pellerinius censet sequentem *autonomum:*

Caput muliebre velatum. ꭗ ΑΡΙΣΤΑΓΟΡ. ΠΤΟ - - - - *Mulier sedens d. spicas et papaver, s. hastam.* AE. II.

Ex manca epigraphe vix credo certi aliquid pro hac Cyrenaicae Ptolemaide posse statui.

* * *

Binos alios cum epigraphe ΠΤΟΛΕΜΑΙ. et typo aquilae stantis huc, etsi timide, refert Pellerinius. Malim numos similes largiri Ptolemaeo Epiri regi, causas attuli in mea Sylloge I. p. 84.

---

a) Rec. III. p. 175. b) Epist. 100.

SYRTICA.

LEPTIS MAGNA.

Gemina fuit in hoc tractu Leptis nomine urbs, una in Syrtica prope Cinyphum fl. cognomine *Magna*, altera magis in occidentem in Byzacene, dicta *Parva* vel *Minor*. Leptis nomine exstant imperatorii Graeci, et coloniae autonomi. Ad utram referendi sint, ad singulos inquiretur.

Imperatorii.

ΛΕΠΤΙΣ. *Caput Mercurii*, *pone caduceus*, in numo Augusti. (Vaillant.)

ΛΕΠΤΙΣ. B. *Caput Mercurii*, in numo Tiberii. (Vaillant., Morelli Impp.)

ΛΕΠΤΙΣ. *Caput turritum*, in numo Agrippinae Germanici. (Seguin Sel. num. p. 317.)

Hi numi, aenei omnes, utrum ad Leptin majorem, an minorem referendi sint, dubitatum. Constat quidem, Leptin Majorem fuisse coloniam, at poterant hi numi signari, antequam deduceretur colonia. Pro Syrtica aliquod argumentum, quod Cyrenaicae vicinior fuit, in qua numi Graeca lingua inscripti fuere. Sed Leptis Byzacena vicina Carthagini, atque huic constanter paruit. Nullus igitur hic linguae Graecae usus.

AE. RRR.

Coloniae numi cum Leptis nomine exstant, iique *autonomi* tantum.

COL. VIC. IVL. LEP. *Caput juvenile galeatum*. ℞ P. SALPA. M. FVLVI. PR. IIVIR. *Bos cornupeta*. (Morelli in Fam. Fulv. Pellerin.)

Eadem epigraphe. Protome juvenilis capite diademato. ℞ L. NEP. L. SVR. PR. IIVIR. *Bos*. (Morelli in Fam. Cornel. Pellerin.)

C. V. I. L. PR. IIVIR. *Caput muliebre*, *pone ramus*. ℞ C. BALBO. L. PORCIO. *Bos*. (Morelli in Fam. Porc. Pellerin, Mus. Caes.)

COL. VIC. IVL. LEP. *Protome Victoriae*. ℞ M. FVL. COTA. PR. QVIN. *Colonus arans*. (Morelli in Fam. Fulv.)

C. V. I. L. *Caput Solis adversum radiatum*. ℞ L. CAL. SEX. NIC. AED. *Leo stans*. (Florez Med. de Espanna Tab. 58.)

C. V. I. L. *Caput nudum barbatum*. ℞ L. SEMP. MAX. M. CAEC. AED. *Bos*. (Ibidem.)

Tiberii numum citat Harduinus, sed videtur hic idem esse cum eo, quem hic numero quartum descripsi.

Ad utram Leptin hi numi spectent, rursum disceptatum. Pellerinius satis habuit, variantes eruditorum sententias commemorare. Addit, Harduinum eos parvae Lepti adjudicare, qui tamen in suis numis illustratis diserte majorem Leptin horum patriam agnoscit. Havercampus in minorem aperte propendet a), verum argumento idoneo abstinet. Minorem Byzacenam saltem Plinii aetate nondum fuisse coloniam, eo argui potest, quod is eam *liberam* dicat, quo epitheto ornare colonias non consuevit; at numi hic citati haud dubie primorum Augustorum aetate signati sunt. Qua tempestate Major deducta fuerit, definite non constat, colonia tamen diserte vocatur in itinerario Antonini, et tabula Peutingeriana.

Titulus *Victricis Iuliae* exemplo ab aliis petito suadet, coloniae auctorem fuisse I. Caesarem, vel Augustum. Verum haec ipsa causa litem movet Lepti majori, quam vidimus adhuc Tiberii aetate feriisse numos Graecos absque mentione coloniae, et favet adeo minori. Nihil in hac causa expeditum.

Magistratus IIviri. His constanter adduntur literae PR., quarum explicatio antiquariorum sententias distraxit, quas enumerat Pellerinius b), et Florezius c). Eas verisimiliter legendas PR*aefectus*, latius ostendemus in tractatu de coloniis. Alii magistratus *Praefectus Quinquennalis*, et *Aediles*.

* * *

De numis epigraphe peregrina notatis, quos huc refert Pellerinius d), actum in tractatu de numis Phoenicio charactere inscriptis post numos Phoenices.

AE. R.

O C E A.

Maritima a Lepti Magna in occasum, dicta hodie vetus Tripolis. In MSS. plerumque dicitur *Oea*, aut corrupte aliter. Verum orthographiam restituit numus sequens.

Coloniae Ant. Pii. COL. AVG. OCE. *Imperator eques.* (Pellerin Suppl. II. p. 47.)

Quo tempore deducta sit colonia, non constat. Pellerinius censet, factum istud, quando Hadrianus eum tractum per Iudaeorum saevitiam atrociter vexatum novis supplementis frequentavit. Verum titulus AVG. conditorem Augustum non quidem exigit, sed mavult.

* * *

Notandi etiam variorum lapsus.

Harduinus Graecum Ant. Pii inscriptum ΩΙΩΝ. huc, tanquam ad urbem, dictam *Oeam* vocavit. Verum hic nu-

---

a) In Morellii Fam. Fulv. b) Rec. III. p. 16. c) Med. de Esp. p. 55. d) Mel. I. p. 141.

mus certe est Cos insulae, legendumque ΚΩΙΩΝ. Idem enim numus Ant. Pii cum typo Iunonis pavonibus vectae ab ipso Harduino inter numos ejus insulae recensetur.

Vaillantius et Harduinus ad hanc urbem retulere numos Ant. Pii, in quibus legerunt: C. A. O. A. F. quod explicuere aut *Aelia Oensis*, aut: *Antoniniana Oensis*, at perperam sic lectam epigraphen pro CO. AE. CA., eosque numos esse Coloniae Aeliae Capitolinae, erudite docuit Pellerinius [a]).

AE. RRRR.

a) Mel. I. p. 277. et Suppl. II. p. 47.

B Y Z A C E N E.

ACHVLLA.

Maritima, varie apud auctores scripta *Achylla*, *Acholla*, *Acilla*, *Cholla* etc. Vera lectio ex numis *Achulla*.

Augustum, ejusque familiam praeferunt sequentes:

AGRIPPA. P. QVINC+LI. VARI. *Caput Agrippae nudum.* ✠ AVG. PONT. MAX. *Caput Augusti nudum inter capita nuda Caii et Lucii.* AE. I. (Liebe pag. 410.)

ACCHVLLA. P. QVINC+LI. VARI. *Caput simile.* ✠ AVG. PONT. MAX. *Eadem capita, sed praeterea infra capita Caii et Lucii:* C. L. AE. I. (Pellerin Rec. I. p. III. Panel ex museo le Bret.)

ACHVL. L. VOLVSIVS. SATVR. *Caput nudum.* ✠ *Eadem aversa.* AE. I. (Panel ibid.)

Vulgarunt numos similes Morellius [a]), Vaillantius [b]), aliique, sed cum horum exemplaria vitiata videantur, eorum ratio habenda non est, at Liebeus et Pellerinius numos suos integerrimos spondent.

Vterque numus prior absque dubio ad unam eandemque urbem pertinet, atque inter se collatus uterque alter alterum egregie juvat. In Liebeano deest urbis nomen, atque adeo vir eruditus, quorsum referendus esset, fluctuabat, quem modo Pellerinianus Achullae invicte vindicat. At in Pelleriniano abest vocabulum AGRIPPA, et cum adstitutum caput non satis Agrippam referat, dubitavit Pellerinius, an revera ejus caput existimari possit [c]). Sed curam eximit Liebeanus, novumque argumentum sufficit, lineamentorum fidem in numis extra urbem signatis esse perexiguam.

Fueritne haec urbs colonia, incertum. Hirtius et Strabo eam *liberam* dixere, Plinius: *Acolitanum oppidum.* Sed neque numus eam coloniam nuncupat. In typis Morellianis legitur IIV - - - quod videretur indicare IIV*irum*, sed pro eo vocabulo in nitidioribus binis legitur vel nomen urbis, vel Agrippae.

Magistratus P. Quinctilius Varus. Havercampus hunc credidit fuisse IIvirum, deceptus nempe pictura Morelliana, de qua mox egi [d]). Dubium non est, Varum hunc, quo tempore cusi sunt

---

a) Impp. in Agrippa, et Fam. Quinctil. b) in Colon. sub Agrippa. c) Rec. I. p. VI. Mel. I. p. 253. d) ad Morellii Fam. Quinctil.

hi numi fuisse proconsulem Africae, quae provincia, ut videbimus, prae aliis amabat proconsulum nomina monetae inscribere. Eorum aetas satis prope potest definiri. Nam cum Augustus pontificatum max. iniverit anno demum V. C. 741. et anno proxime sequente obiverit Agrippa, certum est, eos intra hoc biennium signatos. Idem Varus anno V. C. 750. praepositus est Syriae, cujus urbs princeps Antiochia ejus nomine, ut vidimus, signavit numos, inscriptos: ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. Translatus in Germaniam ab Arminio internecione caeditur V. C. 762.

L. Volusius Saturninus numi postremi. Ejus quoque nomen habetur in numis Antiochiae inscriptis: ΕΠΙ. ΣΑΤΟΡΝΙΝΟΥ. ΟΥΟΛΟ., quas vide. *AE. RRR.*

HADRVMETVM.

Byzacenes urbs princeps.

Autonomum olim edidi ex Mediceo: (Num. vet. p. 307.)

Caput muliebre velatum, pone sceptrum. X HADR. *Caput Neptuni, ante quod tridens.* AE. III.

Typus pro urbe maritima. Eundem numum jam recitavit Holstenus, sed perperam Hadriae Galliae Cisalpinae tribuit. (Not. ad Steph. p. 9.)

AE. RRRR.

Imperatorii caput Augusti offerunt, omnes a Pellerinio editi. (Rec. III. p. 17.)

HADR. AVGVSTVS. *Caput Augusti nudum.* X CAESAR. *Caput nudum I. Caesaris, ante quod lituus, pone astrum.* AE. m. m.

APR. FA - - - - PROCOS. VII. V. EPVL. *Caput, ut videtur, Augusti nudum.* X HADRVM. *Protome capite velato barbato, quod pileo peregrinae formae integitur, s. spicas.* AE. II.

APR. FA. MAX. COS. PROCOS. VII. VIR. EPVLO. *Caput, ut videtur, Augusti nudum.* X C. LIVIN. GALLVS. PRO. PR. *Elephas anteriore pede serpentem calcans.* AE. II.

Posteriores duo numi varia memoratu digna offerunt, I. Fabii Maximi omnes titulos, quos inter rarior VIIviri epulonum, qui etiam memoratur in numis gentis Coeliae. Consules Fabii Maximi, quorum uni praenomen Paulli alteri Quinti, memorantur ad annos V. C. 743. 744. At aenigmati simile videtur praepositum APR. quod resolvere neglexit Pellerinius, tum etiam, quod in uno eodemque numo hinc proconsul, inde propraetor proditur. An Fabium Hadrumetini honoris causa, quod forte patronus urbis suae esset, inscripserunt monetae additis muniis, quae per vices gessit? quo modo Gaditani municipem suum Cornelium Balbum, Caesarienses Bithyniae Veidium Pollionem apud se natum in numos suos intulerunt. II. *Gallus*, cognomen gentis

Livineiae nondum ex numis cognitum. III. Typus elephanti serpentem calcantis, qui idem est in denariis I. Caesaris obviis. Videntur Hadrumetini in ejus dictatoris gratiam hoc typo usi; alioqui fuisse eos illi devotos, arguit numus primo loco citatus.

Allati numi inter coloniae numos referri non possunt, cujus mentionem non faciunt. Quin eam primum a Trajano deductam coloniam, arguit inscriptio Gruteriana, in qua ei *Trajanae* epitheton additur a). Plinius eam adhuc inter oppida libera recenset, at Ptolemaeus coloniam vocat.

AE. RRR.

a) pag. 362.

ZEVGITANA.

CARTHAGO.

Olim potentiae Romanae aemula, subinde V. C. 608. ab Romanis eodem quo Corinthus anno eversa in ruderibus aliquamdiu jacuit, donec V. C. 632. lege Rubria deducta colonia, et prima quidem extra Italiam, lecto ejus deducendae IIIviro C. Graccho, et appellata *Iunonia* ex vetere urbis numine. Haec Livius [a]), Plutarchus, Appianus, aliique. Neglecta paullo post iterum abolitis C. Gracchi actis [b]), tum et vetantibus prodigiis [c]) novos illuc colonos deduxit I. Caesar eodem, quo et Corinthum resuscitavit, anno, ut narrant Dio [d]), Strabo [e]), Pausanias [f]). Factum istud Dio inter acta anni V. C. 710., qui fuit I. Caesaris postremus, refert. Cum Dione conspirat Appianus, qui narrat, Carthaginem centesimo et altero anno, ex quo diruta est, deductam coloniam [g]). Repetitum beneficium ab Octaviano V. C. 725. refert Dio [h]), nam Lepidus, cum partem ejus habitatoribus orbasset, jus coloniae sustulisse videbatur, fuitque sedes proconsulis Africae veteris. Neque deinceps defecit splendor, nam ab Herodiano una Roma inferior, et certasse cum Alexandria de principatu dicebatur [i]). Quam urbis gloriam sic eleganter praedicat Ausonius [k]):

Constantinopoli adsurgit Carthago priori,
Non toto cessura gradu, quia tertia dici
Fastidit.

Autonomos Carthaginis, quamdiu sui juris fuit, quique Carthagine ipsa signati essent, nullos certos habemus. Complures edidit Pellerinius, aliique, quos, quia Punice inscripti sunt, esse in hac urbe cusos magis conjecerunt, quam ausi sunt adfirmare, neque certi aliquid licebit statuere, donec de literarum Punicarum valore primum, deinde ipsa Poenorum lingua plus constabit. Exstant magno numero numi aurei, argentei, aenei, quos, quia Punicam habent epigraphen, in Carthaginiensium quidem moneta jure putamus, tamen quia operis elegantiam praeferunt plane Siculam, tum et typos Siculos non raro imitantur, invaluit communis opinio, signatos fuisse in ea Siciliae parte, quae diu in Poenorum potestate fuit. Eos hoc loco non recensebimus,

---

c) in Brev. L. LX. b) Plut. in C. Gracch. c. 13. c) Appian. Punic. e. 136. d) L. XLIII. §. 50. e) L. XVII. f) L. II. sub. init. g) Bell. Pun. sub. fin. h) L. LXII. §. ult. i) L. VII. k) Carm. 286.

qui jam bis istud fuit peractum, primum in numis Panormi Siciliae, quo loco monetae hujus Punico-Siculae metallum, typos, aliosque modos enarravimus, deinde in dissertatione Phoenices numis adjecta, in qua epigraphen Punicam in examen vocavimus. Ex omnibus causis apparet, Carthaginienses liberos moneta signata non fuisse usos, sed aurum, argentum, aes mercis loco fuisse. Etenim si, ut alibi, ejus valuisset usus, sequeretur sane, magno eam numero, ut in tanto imperio, tantisque opibus, hodieque superesse, ejus certum aliquem, ratumque fuisse modum, formam, pondus, quibus facile se discerneret, perinde ac moneta Romanorum, Atheniensium, aliorumque, et in primis adeo scientiae nostrae incunabulis rem Carthaginiensium monetariam fuisse cognitam, de qua tamen in hunc usque diem disceptatur. Gravis argumenti instar est, quod scriptores veteres in praeda Carthaginis bis a Scipionibus captae argenti illati solum pondus memoraverunt, cum tamen Livius aliique in praedae Hispaniensis, Macedonicae, Asiaticae parte non argenti modo infecti pondus, sed facti etiam et signati soliti sint meminisse. Non dissimulo, in praeda, quam C. Duillius victis prima pugna maritima Poenis extorserat, teste insigni columna rostrata numerari *aur*OM. CAPTOM. NVMEI etc. *argen*TOM. CAPTOM. PRAEDA. NVMEI. etc. CAPTOM. AES. etc. Numerum vide apud Ciacconium ejus monumenti interpretem. At enim probari nequit, captos hos numos proprie fuisse Punicos. Neque enim is tota ea expeditione Africam unquam adivit, sed ante, ac post commissam in Liparae conspectu pugnam Siciliam obivit, urbes alias a Poenorum obsidione liberavit, alias cepit. Quae quidem jam vel una causa satis persuadet, memoratam praedam constitisse partim numis omnis metalli urbium Siculorum, partim Punico-Siculis, quos Panormitanos, ut dixi, vocamus. Lego in dialogo Platonis, cui nomen Eryxias, tali Carthaginienses moneta uti. Parvo corii frusto illigatum est aliquid stateris summum magnitudine, quid vero sit illud, quod illigatum est, nemo novit, nisi qui istud faciunt. Illo deinde obsignato pro numismate utuntur. Haec narratio etsi fabulae videatur propior, cum alioqui is dialogus inter Platonis nothos referatur; tamen ne fingi quidem istud potuisset, si qua cognita fuisset ejus populi signata pecunia. Ceterum Aristides quoque auctor est, Carthagine numos scorteos valuisse [a]). Habuit ergo Carthago istud quoque cum Corintho commune, quod, sicut urbs utraque eodem anno fuit eversa, eodem deinde anno deducta colonia surrexit, sic utriusque quamdiu sui arbitrii fuit, certos numos non habemus.

Coloniae Carthaginis pauci exstant, suntque:

ARISTO. MVTVMBAL. RICOCE. SVF. *Capita duo jugata nuda imberbia.* ℞ VENERIS. KAR. *Templum 4. columnarum.* AE. I. (Mus. Caes. Pellerin.)

Alius similis, sed epigraphe aver-

a) Orat. II. Platon. p. m. 145.

sae: COL. KAR. VEN. (Bayer lengua de los Fenic. p. 367.)

Quorum sint duo capita partis adversae, ambiguum. Sunt, qui Caii et Lucii Agrippae filiorum putent. Templum Veneris in gentis Iuliae gratiam aedificatum Carthagine, et in moneta propositum videtur. Pellerinius in suo magistratum legit ARISIO, quod impugnat Bayerius [a]), et jure, nam ipse nuper similem nactus sum cum luculento ARISTO. Sane et ARISTO Zeugitanus inter legatos subscriptus legitur in tabula aenea apud Gruterum [b]).

Magistratus SVF. explendus SVF*fetes*, qui Carthagine libera principem locum obtinebant. Livius agens de Carthaginiensibus [c]): *Senatum itaque Suffetes, quod velut consulare imperium apud eos erat, vocaverunt.* Paulus diaconus apud Festum [d]): *Sufes consul lingua Poenorum.* Vocabulum duxit Scaliger ab Hebraico צפה *speculatus est, exploravit*, ac tum illi Suffetes idem erant, quod apud Spartanos ἔφοροι [e]). Forte melius alii a שפט, *judicavit*, unde שפטים *judices.* Hi igitur Suffetes haud dubie indicantur vocabulo hujus numi truncato SVF. Fors coloniae Carthaginis IIviris Suffetum nomen inditum in memoriam aetatis praeteritae, Romanis haec αὐτονομιας ludicra non gravate indulgentibus. Enimvero in binis tabulis aeneis imperante Augusto confectis, in quibus civitates Apisia et Siagitana, utraque Zeugitanae, hospitium fecisse cum Silio Aviola leguntur, subscriptos videas Suffetes, in una quidem: EGERVNT. HASDRVBAL. IVMMO. HASDRVBAL. HANNONIS. CHINISDO. SVFETES. in alia: AGENTE. CELERE. MILCHONIS. GVLALSAE. FILIO. SVFETE [f]).

Vocabulum MVTVMBAL in Plauti quoque Poenulo occurrit praedicante Hannone, se esse *Carthaginiensem Muthumballis filium* [g]).

AE. RR.

Carthaginis honorifica fit mentio in numis Severi et Caracallae, deinde Diocletiani et sequentium Caesarum, sed quos, quia commatis Romani sunt, hoc loco pro instituto praetereo.

* * *

Africa a Vandalis occupata proprios ex eadem gente habuit reges, quos inter fuit Hildericus, cujus nomine signatus Carthagine numus proditur.

D. N. HILDERIX. REX. *Caput regis imberbe diadematum.* ✠ FELIX. KART. *Mulier stans extenta utraque manu spicas gestat.* AR. III. (Seguin Sel. num. p. 51. Mus. Lefroyanum.)

Praestantissimus hic est numus, idemque rarissimus. Vsitatum fuit aevo inferiore, urbes *Felicis* cognomento ornare. In numis aevi Diocletianei obvium est legere *Felix Karthago*, in aliis huic nostro fere coaevis legitur: FELIX. RAVENNA, FELIX. TICINVS. Typus aversae restitutus est ex citatis Diocletiani et sequentium numis.

* * *

KARTHAGO. *Figura militaris stans*

a) l. c. b) pag. 470. 1. c) L. XXX. c. 7. d) in Sufes. e) L. III. Canon. Isagog.
f) Gruter p. 470. 1. 2. g) Act. V. 2. 34.

s. hastam. X XII. *in aliis* XXI. *in aliis* XLII. *Caput equi frenatum.* AE. II. (Hunter, Mus. Caes. Patin Impp. p. 12. Florez T. I. p. 317.)

Gilimere Hilderici successore a Belisario Iustiniani duce devicto, et deleto Vandalorum imperio, Africa ad veteres dominos Romanos redivit, ac tum demum id genus numi videntur fuisse signati, et ex memoria veteris instituti *caput acris equi* in moneta propositum, de quo vide plura in moneta Panormi. Fabrica horum numorum fere barbara, et omnis conformatio facile suadent, eos huic aevo deberi, nam his spectata fabrica similes sunt numi inscripti INVICTA. ROMA, additis etiam notis arithmethicis XX. aliisque, quos opinamur percussos Gothis in Italia eversis, ut dicemus ad hos numos Gothorum regum monetae subjectos. Ceterum de sensu numerorum, quos numi hi praeferunt, nihil audeo adfirmare.

AE. R.

Numi a variis Carthagini coloniae tributi.

Iuvat in eundem locum conferre numos varii generis ac modi, non quod signatos Carthagine ausim adserere, sed quod fuere non pauci, qui Carthaginem iis patriam adsignaverunt, ut adeo, cum aliquem tamen locum obtinere debeant, hac eos includi statione maxime opportunum existimem. Perlectis iis, quae ad singulos adnotabo, arbitretur denique lector, utrum in incertis sint putandi, an certo cuidam populo absque erroris metu permittendi.

1) IMP. CAESAR. DIVI. F. C. C. I. P. *Caput Augusti nudum.* X M. AGRIP - - - *Caput Agrippae nudum.* AE. I. (Pellerin Rec. I. p. XXII. Mus. Theupoli p. 657. Morelli Impp. in num. Agripp. sed ubi perperam legitur C. C. I. B. numusque tribuitur Babbae.) Sed jam satis constat, omnes hos numos esse coloniae Parianae Mysiae, legendumque: C. G. I. P., ut in hac diximus.

2) PERMIS. P. CORNELI. DOLABELLAE. PROCOS. C. P. CAS. D. D. *in area* C. P. *Mercurius rupi insidens d. caduceum. In numis Tiberii.* AE. I. (Beger Th. Br. T. II. p. 97. Morelli Impp. et in Famil. Cornel.)

3) PERMIS. P. DOLABELLAE. PROCOS. C. L. GAVIO. CAS. *in area* C. I. P. *Typus idem. In numo Tiberii.* AE. m. m. (Mus. Pisan. Tab. V.) In hoc numo perperam lectum fuisse C. L. pro C. P., docent alii numi similes, et jam advertit Pellerinius Rec. I. p. VIII.)

4) PERMISSV. P. DOLABELLAE. PROCOS. C. P. - - - *Mulier velata sedens d. pateram, s. hastam. In numo Tiberii.* AE. I. (Vaill. in colon. et in fam. Corn. Morelli in fam. Cornel., qui eum serius restituit in Impp. Tab. X. sed in area reliquis vitiatis comparet praeterea litera I.)

5) PERMISSV. L. APRONI. PRO-

COS. III. C. SEX. POM. CELSO. *in area* C P / I A *Mercurius rupi insidens d. caduceum. In numo Tiberii.* (Pellerin Lettres p. 152.)

6) PERMISSV. L. APRONII. PRO-COS. III. *Caput Mercurii, retro caduceus. In numo Drusi jun.* (Vaill. in Colon. et in fam. Apron. Morelli in Impp. et in fam. Apron.)

7) PERM. DOLABELLAE. PRO-COS. C. P. G. CAS. *Caput Mercurii. In numo Drusi jun.* (Pellerin Mel. I. p. 260.)

Cum his conjungo sequentes:

8) IMP. C. D. F. P. M. P. P. *Caput Augusti nudum.*
C. I. C. P. I. S. P. D. V. S. II. VIR. *in medio:* P. P. D. D. AE. II. (Pellerin Mel. I. p. 259. Morelli in August. Tab. XXXIII. n. 21.)

9) IMP. C. D. F. A. P. M. P. P. *Caput Augusti nudum.*
C. I. C. P. I. S. P. D. V. S. P. IIVIR. *in medio:* P. P. D. D. AE. II. (Arigoni Tom. IV. in Colon. tab. 2.)

10) IMP. C. D. F. A. P. M. P. P. *Caput Augusti nudum.*
CRISPPVS. I. IIVIR. *in medio:* P. P. D. D. AE. II. (Arigoni Tom. II. tab. 1.)

11) TI. CAE. IMP. V. *Caput Tiberii nudum.*
CICRISPDVSPIIVIR. *in medio:* P. P. D. D. AE. (Mus. Caes.)

12) TI. CAE. IMP. V. *Caput Tiberii nudum.*
C. I. C. P. I. S. P. D. V. S. II. VIR. *in medio:* P. P. D. D. AE. II. (Pellerin Mel. I. p. 259.)

TI. CAE. IMP. *Caput Tiberii nudum.*
CICRISPPVS. IIVIR. *in medio:* P. P. D. D. AE. II. (Arigoni Tom. I. in aliis Coloniis tab. 2.)

14) TI. CAESAR. IMP. P. P. *Caput Tiberii nudum.*
L. A. FAVSTVS. D. C. BASSVS. II. VIR. *Mulier velata sedens d. pateram, s. hastam, in area:* P. P. D. D. AE. II. (Morelli in fam. Corn. tab. 4. et in numis Tiberii tab. XIII.)

Conjungo item sequentes:

15) *Caput Augusti nudum, prae quo lituus.*
M. EGN. Q. OCT. IIVIR. S. P. S. C. *intra coronam.* AE. II. (Morell. Impp. tab. XXXIII. Vaillant. in Egnatia.)

16) P. S. S. C. *Caput Augusti laur.*
L. CAEL CLEM. FL. TI. - - *Apex.* AE. III. (Neumann, Morelli Impp. tab. XLV.)

17) *Caput Augusti nudum, prae quo lituus.*
C. LOLLI. ITE. M. DOM. IIVIR. P.

S. S. C. *Figura militaris galeata basi insistens d. hastam.* AE. III. (Vaill. in Colon. p. 48. Idem in fam. Lollia. Morelli in fam. Lollia, sed cum capite Tiberii.)

18) *Caput Tiberii nudum.*
C. LOLLI. M. DOM. IIVIR. P. S. S. C. *Mulier velata sedens d. pateram, s. hastam.* AE. III. (Vaill. in Colon. et in fam. Loll. Morelli in impp. et in fam. Lollia.)

19) P. S. S. C. *Caput Tiberii laur.*
A. VERGILIVS. - - - IIVIR. *Mars galeatus nudus stans d. hastam, s. parazonium.* AE. III. (Mus. Caes.)

20) P. S. S. C. *Caput Tiberii laur.*
L. CAEL. - - - *Typus dubius.* AE. III. (Mus. Caes.)

21) MINEIA. M. F. *Caput muliebre.*
P. S. S. C. *Templum.* AE. III. (Mus. Caes. Morelli in fam. Mineia.)

22) P. S. S. C. *(literis retrogradis) Caput juvenile dubium.*
- - NVN. L. SVL - - *Templum.* AE. III: (Mus. Caes.)

De primis septem citatis numis haec habeo virorum eruditorum judicia:

Begerus censet, numum suum signatum Carthagine. Posse quidem literam C. notare etiam Clupeam, atque id tanto magis, quoniam ea urbs teste Plinio promontorio Mercurii insedit, quem numi similes impressum habent, sed absterretur eo, quod eam Plinius *liberam* dicit. Literas C. P. CAS. D. D. C. P. explet: *Caius Publius CASsii Decreto Decurionum Curaverunt Poni.* Verum haec lectio refellitur numis 3. et 7. Cum Begero sentit Schlegelius [a]).

Havercampo Carthago item placet, (in fam. Cornel. p. 140.) verum argumenta petit ex numis, quos nunc constat esse Apameae Bithyniae, aliisque inscriptis P. S. S. C., de quibus jure dubitatur, an Carthaginiensium moneta sint. Explet deinde epigraphen: *Curarunt Poni Carthaginis Antiquae Suffetes Decreto Decurionum Coloniae Patrono*, numi autem Pisani: *Caio L - - - GAVIO. Carthaginis Antiquae Suffete Coloniae Iuliae Patrono.*

Perizonius in epistola ad Morellium, ut testatur ibidem Havercampus, literas CPCASDD explicat: *Curaverunt Poni Coloniae Augustae Saldes* vel *Sabatrae Decuriones.*

Mazzolenus quoque numum suum Pisanum Carthagini tribuit, et separatis violente epigraphes literis legit *Colonia Carthago Pia Iulia*, facitque auctorem numi sui L. Gavium Cassium. Variat iterum in iis legendis, aut potius fluctuat in singulari dissertatione, quae exstat in musei sui Pisani P. II. p. 265.

Harduinus numum Patris Achaiae tribuit, et literas explicat more suo: *Coloniae Patrensis Cives Augustum Salutant Decreto Decurionum* [b]).

Vaillantius aliud non docuit, quam

a) Morelli Impp. T. I. p. 588. b) Opp. sel. p. 132.

numos Dolabellae nomine inscriptos signatos fuisse in Africa.

Numum cum mentione L. Apronii ejus commentatores Vaillantius et Havercampus in Africa cusum adserunt, et verisimiliter Lepti, quoniam hujus quoque numi Mercurium sistunt.

Postremus Pellerinius, quo loco numum sede I. propositum describit, non abhorret ab eorum sententia, qui eos numos Carthagine percussos opinantur. At cum serius numum loco 5. citatum ederet, eos *Paradae* ejus tractus oppido mediterraneo tribuit, legendo literas sic dispositas C P / I A *Colonia* I*ulia* PA*rada* et alios ejus generis, in quibus C. C. I. P., explicando: C*olonia* C*ampestris* vel C*oncordia* I*ulia* P*arada*. Sed jam monui supra ad numum I., numos inscriptos C. C. I. P. esse Parii Mysiae.

Quae ergo horum numorum vera patria? et quis horum virorum, quorum hic varias sententias descripsi, vero propiora edixit? Istud enim vero perquam difficile. In Africae hoc tractu signatos P. Dolabellae, et L. Apronii proconsulum nomina haud dubie evincunt. L. Apronius Africae proconsul memoratur a Tacito ad annum V. C. 773., cujus nomen exstat etiam in numo Hipponis liberae. Hunc in tertium annum proconsulatu functum docent numi 5. et 6. Et videtur hic annus 773. ejus postremus fuisse, nam anno sequente Blaesum a Tiberio in Africam missum idem refert [a]), eique prorogatam provinciam in annum sequentem 775. [b]), qui gesto feliciter adversus Tacfarinatem bello imperator dictus est, ultimo exemplo collati in privatum ejus tituli. P. Dolabellam ad annum V. C. 777. Africae proconsulem idem prodit, qui Tacfarinatem tandem in acie occidit [c]), at necesse est, eum jam anno praecedente 776. fuisse proconsulem, docente istud numo 7. cum capite Drusi junioris, qui eodem anno obiit.

De provincia certo cum constet, de urbe magna lis. Qui Carthaginem malunt, argumentum idoneum nullum adferunt. Nituntur unice litera C, sed a qua variae urbes incipiunt. Quin censeo, Carthaginienses ad notandam urbem suam litera K fuisse usuros, nam in omnibus certis ejus urbis numis reperimus K, non C, quod elementum in scribenda Carthagine valuit in numis sub ipsum Diocletiani aevum signatis cum epigraphe: SALVIS. AVGG. FELIX. KART. Eodem exemplo Carthago Nova Hispaniae fere constanter K usurpat. Paucis ut absolvam, viris eruditis Carthago placuit, quia urbem aliam, cui literae C. I. P. possent competere, in eo tractu, in quo signatos hos numos constat, non reperere. Et mallem sane prae Carthagine Clupeam, cui magnopere favet typus Mercurii monti insidentis, cum testetur Plinius, eam in Mercurii promontorio stetisse, in quam sententiam timide propendisse Begerum supra diximus. Nequidquam absterreri se passus est testimonio Plinii, qui Clupeam *liberam* dixit, nam in hac sententia *το* C non C*oloniam*, sed *Clupeam* notaret, et videmus in hoc tractu signatos fuisse numos cum inscriptione

a) Annal. L. III. c. 35. seq. b) ibid. c. 58. c) L. III. c. 23. seq.

Latina etiam ab urbibus, quae coloniae non fuere.

Iam vero ad Pellerinii quoque Paradam aggrediamur. Quo hanc malit, argumentum ei fortissimum praebet epigraphe numi 5. C P / I A Nam quo minus litera C posit notare Carthaginem, aut urbem aliam ab hoc elemento incipientem, illud obesse putat, quod rara sunt exempla, cum urbi tituli honorifici adduntur, urbis vocabulum praecedere, sequi titulos, cum contrarium fere constanter in usu fuerit. Secundum hanc legem ait primam literam C. notare *Coloniam*, I. *Iuliam*, superesse adeo, ut τo PA. urbem ipsam indicet, quo nomine cum in eo tractu praeter Paradam Hirtii alia non fuerit, necesse videri, huic uni hos numos adjudicandos. Facile in Pellerinii sententiam descenderem, si id oppidum vel mediocre aliquod nomen habuisset. A nemine praeterquam ab Hirtio memoratur, idque tantum per casum belli, quo saepe loca obscurissima solent innotescere. Narrat enim, Scipionis equites ex praelio profugos pervenisse ad oppidum Paradam [a]). Verum an credibile, numos tam illustres, et maximi etiam moduli, eximiae etiam fabricae, et superbo proconsulis nomine insignes in obscuro oppido signatos, cum in ea ora essent urbes illustres Carthago, Vtica, Hippon etc. in quibus moneta proconsularis cuderetur. Accedit, si colonia fuit, ut censet Pellerinius, et quidem alicujus nominis, quod praeclari hi numi arguerent, cur a geographis praeteritur?

Ex his satis apparet, numos hos spissis adhuc tenebris involvi. Id unum indubitatum mihi videtur, quomodocunque urbis ipsius epigraphe legenda est, eos in conspectiore aliqua ejus regionis urbe signatos, quod tamen ex indiciis hactenus notis decidi vix poterit. Postremum adverto, quod forte prodesse horum numorum explicatui possit, Mercurium eodem modo sedentem exstare in certis numis Panormi.

Quod ad inscriptorum magistratuum lectionem attinet, animadvertendum, fere in omnibus citatis post vocabulum PROCOS. occurrere literam C, quae quam varie a viris eruditis expleta fuerit, supra vidimus. Indubitatum, eam ad sequens magistratus nomen pertinere, ac tum verisimile est, eam significare *Curante*, sic ut singularum inscriptionum sensus sit:

In numis 2 et 4 *Curante Publio* CAS. (quod est pro *Casca* aut alio cognomine ignoto) *Decreto Decurionum.*

In numis 3 et 7. *Curante Publio* GAVIO. CAS*ca.*

In numo 5. *Curante* SEX*to* POM*pejo*, vel POM*ponio* CELSO.

Huic conjecturae lucem praestant numi obvii vicinae Vticae, in quibus post nomen proconsulis passim legitur v. g. A. M. GEMELLVS. F. C., de quarum literarum probabili significatione vide, quae ibi dicentur.

* * *

Numi sequentes ab 8. usque 14. propter aversae literas verum sunt aenigma, quod antequam quis solvere tentet, certum esse oporteret, sintne ipsae

a) Bell. Afric. c. 87.

literae in numis punctis discretae, an non. Sin illud, singulae per se erunt principium vocabuli; sin hoc poterunt literae plures conjungi ad constituendum vocabulum. Punctis eas discrevere Morellius, Pellerinius, et semel Arigonius, ut adcurate expressi, atque hac fiducia Havercampus Harduino plenus eas sic explet: IIVIR*i* C*oloniae* I*uliae* C*arthaginis* P*osuerunt* I*n* S*ignum* P*iae* D*evotionis* V*oto* S*oluto* P*ublice*, P*ecunia* P*ublica* D*ecreto* D*ecurionum* [a]). At in numo integro musei Caesarei, tum et in binis Arigonianis puncta absunt, quo suspicio mihi suborta est non levis, nimia, et semper periculosa antiquariorum diligentia in alios quoque hujus generis numos haec puncta irrepsisse, quod viderint horum numorum possessores. Verum quando etiam ab his vinculis liberi sumus, sunt tamen alia, quae explicationem impediunt. Nam etsi plures etiam literas jungas, apta vocabula vix conficies. Tamen re omni sollicite expensa verisimillimum visum, literas omnes *το* IIVIR. praecedentes aliud non indicare, quam praenomen, nomen, et cognomen IIviri, ut semper alias, sic ut exemplo numi XI. prima et secunda litera C. I. sint ἀρχαικῶσαι praenominis et nominis, reliquae cognomen constituant, quo admisso erit C. I*ulius* CRISPVS, ut revera Iulium Crispum reperit Glandorpius. CRISPPVS, vel CRISPDVS forte barbarae in colonia dialecto debebitur, et quae hoc vocabulum sequitur, litera P, quae tamen ex Pelleriniano abest, forte Crispi agnomen indicat. Nolo tamen hanc sententiam pertinacius tueri, quia forte vere singulis literis puncta interponuntur, quod me ignorare dixi, ac praeterea si, ut a nonnullis promulgatum videmus, litera quarta est certum P, crescit difficultas in eliciendo nomine *Crispi.* Ex numo musei Caesarei nihil audeo adfirmare, quia is eo loco vitium fecit.

Ad haec incerta accedit etiam horum numorum patria incerta. Probabile est, eos Vticam pertinere, in cujus moneta perfrequens est P. P. D. D., ut etiam mulier velata sedens, qualem postremus numus exhibet. Singulare est in his numis: IMP. C. D. F. A. P. M. P. P. id est; IMP*erator* C*aesar* D*ivi* F*ilius* A*ugustus* P*ontifex* M*aximus* P*ater* P*atriae.*

* * *

Procedant jam numi a numero 15. ad 22. descripti. In iis explicandis nescio, an magis mirere eruditorum opiniones dissidentes, an eorum inconstantiam et secum ipsis pugnam, ex quo apparet, nullo eos opportuno argumento nixos ad eos illustrandos accessisse, cum praestaret sane, relinquere aliquid diei pleniorem fors olim lucem ex monumentis magis loquacibus suppeditaturae, quam tot inanibus conjecturis inspergere paginas, in quibus obtrudendis multo molestissimus saepe est Havercampus. Paucis ut horum sententias commemorem, Vaillantius literas numi 15. S. P. S. C. legit: S*umptibus* P*ublicis* S*enatus* C*onsulto*, censetque numum percussum Romae ab Egnatio et Octavio IIviris aedium locandarum

a) In Morellii Impp. T. I. p. 375.

etc. [a]). Alio loco literas P. S. S. C. explicat: P*osuere* S*uffetes* C*arthaginis* [b]), putatque adeo, eos numos cusos Carthagine. Harduinus, qui numum XVII. Vticae tribuit, legit P*oni* S*uo* S*umptu* C*uraverunt*. At Perizonius [c]): P*ecunia* S*ignata* S*enatus* C*onsulto*, cum quo sentit etiam Havercampus [d]). Verum idem alio loco sententiam Vaillantii de Suffectibus et numis Carthagine cusis approbat [e]). Alio loco legit: P*ublico* S*umptu* S*enatus* C*onsulto* [f]). Idem similes numos jam signatos putat Corinthi [g]), jam Vticae [h]), jam Romae ex S. C. [i]). Bimardus legit: P*ublico* S*umptu* S*tatuam* C*onlocaverunt* [k]). Postremum de his disserenti Neumanno certum videtur Hispaniam eorum esse patriam, etsi de urbe non constet. Argumenta capit a typo apicis in ejus regionis numis obvii, et adfinibus magistratuum nominibus [l]). Sed occurrit illud, si moneta Hispaniensis sunt, necesse esse, multos etiam effodi in Hispania, ac tum vehementer mirarer, eos attentissimi Florezii aciem fugisse, qui cum numos omnes patriae suae contento studio persequeretur, horum numulorum ne verbo quidem meminit. Hactenus igitur inter numos coloniarum incertos reponendi. Monendus hic lector, me aliquando opinatum, numos 19. 20. pertinere Paestum Lucaniae, sic ut ex epigraphe P S / S C superiores duas literas putarem indicare contractum Paesti nomen, inferiores S*enatus* C*onsulto* [m]). At nunc contentis numis aliis hic descriptis, et quoniam nunc certum mihi est, in iis proponi caput Tiberii, cum tamen Italiae continentis urbes Augustorum aetate monetam non amplius signaverint, omnes ii adimendi Paesto certe sunt. Numum XXI. Morellius tribuit familiae Mineiae, at perperam, ut monebo in numis familiarum.

* * *

Observandum adhuc, Vaillantium per suum coloniarum opus numos non paucos a I. Caesare usque ad Trebonianum Carthagini coloniae tribuisse, quos nunc certum est, aliorsum pertinere. Ita numus Iulii Caesaris est certus Sinopes Paphlagoniae, in quo figendo erravit etiam Morellius, ejusque commentator Schlegelius [n]), reliqui inde ab Agrippina sen. sunt omnes coloniae Apameae Bithyniae, adeo ut Carthaginis Coloniae numos saltem certos ostentare non possimus, praeter eos, quos supra in Carthaginis numis certis recitavi.

HIPPO LIBERA.

Vrbs maritima prope Vticam, cujus numos ac historiam eleganter descripsit eruditus Blondius [o]). Propter aquarum irrigua teste Plinio dicta fuit *Diar-*

---

a) In fam. Egnat. b) In Colon. incert Augusti, et in fam. Lollia. c) Num. Consul. p. 276. d) ad Morell. in Lollia. e) Fam. Cornel. p. 142. f) in Fam. Mineia. g) in Egnatia. h) in Lollia. i) in Fam. Mineia. k) ad Iobert. T. II. p. 140. l) Num. pop. et urb. p. 255. m) Catal. mus. Caes. T. I. p. 25. n) Impp. T. I. p. 78. o) B. L. T. XXXIX. p. 549.

rhytus, quo discernebatur ab altero Hippone Numidiae, qui, quoniam regibus olim parebat, dictus erat *Regius*. Fuisse eam coloniam, diserte dixit Plinius junior [a]), sed etiam solus, nam scriptores reliqui, ut et numi, coloniae mentione abstinent. Errasse ergo Plinium existimat Blondius, non modo propter reliquorum auctorum silentium, sed multo magis, quod ea urbs in numis dicitur LIBERA, quod vocabulum, inquit, opponitur coloniae. At enim vereor, ut utraque causa satis sit valida. Ennam Siciliae fuisse municipium, numi invicte docent, tamen Plinius senior non modo collatum hunc honorem dissimulat, sed plane Ennam inter urbes Siciliae stipendiarias refert [b]). Neque etiam satis causae reperio, cur titulus *Liberae* adversetur coloniae. Fuit in Hipponis vicinia municipium Thibursica, apud quam bina reperta sunt marmora inscripta [c]):

RESP. MVNICIPI. SEVERIANI. ANTONINIANI.
LIBERI. THIBVRSICENSIVM.

Si municipium dici potuit liberum, nescio, cur non et colonia. Nonnullas vero colonias prae aliis plura habuisse privilegia, quorum fiducia *liberas* sese profiteri poterant, ejusque tituli admodum incertam fuisse significationem docebimus in tractatu de urbibus autonomis et liberis. Auctores alii, tum et numi Hipponem coloniam non adserunt, sed neque negant. Enimvero neque Agrigenti, neque Panormi numi, eodem, quo Hipponenses, aevo signati, coloniae nomen addidere. Ceterum haec adversus Cl. Blondium adlata argumenta ejus tamen non sunt momenti, ut plane evincant, unius Plinii testimonio standum, Hipponem coloniam adserentis, nisi forte Hippo sub Tiberio, quo imperante ejus numi sunt signati, libera quidem fuit, serius autem deducta colonia, et verum adeo dixit Plinius.

Autonomi:

LIBERA. *Caput muliebre velatum.* ℞ HIPPONE. *Mulier adversa stans capite tutulato d. sursum elata, s. caduceum cum spicis.* AE. fere II.

Tres hujus generis hactenus cogniti, unus est in museo Caesareo, alter apud Seguinum, (sel. num. p. 13.) tertius in Pembrockiano (Part. II. tab. 10.) at typos descripsi ex nitidissimo musei Caesarei, nam Seguinus in suo perperam rosam vidit, pro qua in nostro manifestus est caduceus cum spicis. Pembrockianus etsi idem est, tamen vel ex iconismo satis apparet, aevo fuisse adrosum. Capite anticae videri possit proposita Iulia Tiberii mater. Typo posticae credo exhiberi Venerem Vraniam summa religione in hoc tractu cultam. Molesta est Seguini explicatio in antica deam Liberam, in aversa deam Hipponam videntis.

Mirum, Hipponem in numis esse generis feminini, cum tamen auctores veteres et hunc Zeugitanae Hipponem, sive Diarhytum, tum et alterum

a) L. IX. ep. 33. b) L. III. p. 163. c) Shaw Voyage T. I. p. 220. 221.

Numidiae, sive Regium, marem faciant.

AE. RRR.

Imperatorii bini sub Tiberio signati hactenus cogniti, quos Blondius ex insigni museo olim Enneryano unicos edidit, sed tertium jam ex Pembrockio novimus.

Epigraphe et caput nudum Tiberii. X HIPPONE. LIBERA. *Iulia velata sedens d. pateram, s. facem, per medium numi majore charactere scriptum* IVL. AVG. AE. II. (le Blond.)

Proponitur in hoc numo Iulia Tiberii mater specie Cereris, et videtur esse Ceres Africana, de qua Tertullianus [a]): *Viduas Africanae Cereri assistere scimus.*

* * *

Eadem adversa. X DRVSVS. CAESAR. HIPPONE. LIBERA. *Caput nudum Drusi jun.* AE. II. (le Blond.)

Eadem adversa. X L. APRONIVS. HIPPONE. LIBERA. *Caput Drusi jun. nudum.* AE. II. (Pembrock P. III. tab. 48.)

De L. Apronio procos. Africae vide, quae notavimus supra in numis incertis Carthagini tribui solitis p. 142.

AE. RRR.

PARADA.

De numis huic urbi tributis egi mox supra in numis Carthaginis coloniae.

VTICA.

Maritima prope Bagradae ostia, Carthagine eversa regionis princeps, et Catonis violenta morte celebrata.

Autonomi incomperti; quos nonnulli huc vocavere, sunt Tudertis Vmbriae.

Municipii nomine exstant copiosi, et sub uno Tiberio signati. Quis municipii auctor fuerit, disceptatur. Gellius Vticam in antiquis municipiis numerat [b]). Dio de Octaviano [c]): *τȣς Ουτικησιȣς πολιτας ἐποιησατο*, *Vticenses civitate donavit*, a quo beneficio profectum *Iuliae* cognomen videtur.

Typus in omnibus idem: *Mulier velata sedens d. pateram, s. hastam*, quae est ipsa Iulia Augusta; nam ad simile signum in numo musei Theupoli adscriptum legitur: AVGVSTA. MATER. PATRIAE. [d]) et confirmatur magis numo Hipponis, de quo proxime egimus.

Epigraphe in his numis, quos vide omnes apud Vaillantium:

1) M. MVN. IVL. VTICEN. DD. PP. i. e. *Municipes Municipii Iulii Vticensis.*

2) C. VIB. MARSO. PR. COS. NE. vel NER. CAE. Q. PR. A. M. GEMELLVS. F. C. DD. PP.

3) C. VIB. MARSO. PR. COS. DR. vel DRV. CAE. Q. PR. T. C. RVFVS. F. C. DD. PP.

4) C. VIB. MARSO. PR. COS. II. L. CAECILIVS. PIVS. IIV. M. M. I. V.

a) L. I. ad uxorem c. 6. b) L. XVI. c. 13. c) L. XLIX. §. 16. d) pag. 664.

5) C. VIBIO. MARSO. PR. COS. II. SEX. TADIVS. FAVSTVS. IIVIR. M. M. I. V.

6) C. VIBIO. MARSO. PR. COS. III. C. CASSIVS. FELIX. A. IIVIR. DD. PP.

7) C. VIBIO. MARSO. PR. COS. III. CAELIVS. TAX. AV. IIVIR. DD. PP.

8) C. VIBIO. MARSO. PR. COS. III. C. SALLVSTIVS. IVSTVS. IIV. M. M. I. V.

Alium cum simili epigraphe, sed mire implexa, et nescio, an feliciter tentata explicatione, vide apud Liebeum [a]).

9) M. M. IVL. VTI. DD. *in medio numi* P. P. X *Caput Iuliae velatum, pone sceptrum.* (Morelli in num. Liviae tab. III. n. 6.)

Magistratus.

Proconsul: C. Vibius Marsus in omnibus his memoratur, atque ex additis numeris I. II. III. docemur, eum triennio hoc magistratu functum. Ejus muneri sua nunc aetas adsignanda. Ex Tacito discimus, anno V. C. 770. Africae proconsulem fuisse Furium Camillum, qui Tacfarinatem primus impetiit, fuditque [b]). Eidem successor datus L. Apronius docente id ipsum Tacito [c]), qui victum item ab hoc proconsule Tacfarinatem V. C. 773. memorat. Quo definite anno proconsulatum adiverit, historicus non prodit, at istud docent numi 5. et 6., quos supra in numis Carthaginis descripsi, in quibus hic L. Apronius dicitur PROCOS. III. Nam cum ex his constet, L. Apronium in triennium praefuisse Africae, anno vero 770. proconsul fuerit Camillus, et anno 774. Blaesus, ut refert Tacitus [d]), necesse est, tres L. Apronii annos incidere in V. C. 771. 772. 773. Annis 774. 775. Africae praefuisse Blaesum, tum annis 776. 777. P. Dolabellam, supra in numis Carthaginis docuimus. Quis Dolabellae datus fuerit successor, dicere non habeo. Istud certum, Vibium anno V. C. 779. Romae in senatu adfuisse, cum causa Smyrnaeorum disceptaretur, ut refert Tacitus [e]). Igitur annus I. proconsulatus Vibii Marsi respondet anno V. C. 780. aut uni sequentium, ex quibus postremus esse potest annus 784., quoniam eo primum proconsule quaestores memorantur Nero et Drusus Caess. Germanici filii, et hi eodem hoc anno caesi fuere.

Quaestor propraetore. Sic dicuntur Nero et Drusus Caesares honoris causa, nimirum ut legendas censeo siglas Q. PR., de quo agam copiose in tractatu de Quaestoribus pro praetore in numis.

IIviri: in nonnullis. In numis 6. et 7. post IIvirorum nomina legitur A. et AV. dubia significatione. Vaillantius explet legendo *Augur*, vel *Augustalis.*

a) Goth. num. p. 298. b) Ann. II. 52. c) Ann. III. 21. d) Ann. III. 35.
e) Ann. IV. 56.

* * *

DD. PP. Vaillantius explicat: *Decuriones Posuere.* Havercampo etiam placet: *Decreto Decurionum publice posita* nimirum statua Iuliae in his numis proposita. Vterque vir eruditus a scopo longe aberravit. Nam ecquam significationem dabunt iisdem literis PP. DD., quae occurrunt pariter in numis 8. 9. 10. etc. quos supra in numis Carthagini vulgo tributis descripsi, in quibus non modo statua nulla est, sed ne typus quidem ullus, ac nuda tantum epigraphe? Eidem huic statuae Havercampus aliique applicant quoque literas F. C. in numis 2 et 3 Vticae nostrae, sic ut secundum eos epigraphe: GEMELLVS. F. C. DD. PP. significet: *Gemellus* statuam in hoc numo depictam *faciundam curavit*, *Decuriones posuere.* Hanc explicationem admittendam nullo pacto censeo, etsi per annosum virorum eruditorum consensum altas jam radices videatur egisse. At multa vera diu credita per severiorem crisin falsa sunt comperta. Enimvero I. sententia haec arbitraria prorsus est, nihilque opportunum, quod persuadeat, adfertur. II. Insolens prorsus est ratio, seu numos spectes, seu marmora, ut unus dicatur unam eandemque statuam *faciendam curasse*, alter *posuisse.* Et quid tandem vocabulo *Posuere* notabitur, quod Decurionibus ex hac sententia tribuitur? an sumptus, aut procuratio? sed utrumque horum jam praecepit Gemellus; an dedicatio? verum si istud esset, haud dubie ex usitata formula scriptum fuisset DD. pro PP. quod responderet Graeco in numis saepe occurrenti ΑΝΕΘΗΚΕΝ, *dedicavit.* III. Falsa insuper est haec opinio; nam si Gemellus statuam hanc faciendam curavit, is aut sumptus ad perficiendum hoc opus contulit, aut consilium et procurationem. At neutrum vindicare sibi Gemellus potest, nam idem etiam de Rufo in numo 3. praedicatur, nempe: RVFVS. F. C. DD. PP. IV. Falsa praeterea ex eo, quia paullo antea monui, literas PP. DD. scriptas etiam esse in numis, in quibus statua nulla sistitur, ut in numo 9. ex numis in Carthagine laudatis.

Quocirca nemo non videt, alium ab his literis sensum extorquendum, quam qui hactenus iis est tributus, atque ut rem paucis absolvam, ajo, eas non ad statuam Liviae, sed ad ipsos numos, eorumque fabricam ac modum pertinere. Istud de literis F. C. collati alii, numi facile docent. Ipso docente Havercampo in denariis inscriptis EPPIVS. LEG. F. C. postremae hae literae monent, Eppium Scipionis in Africa legatum eos in belli praesentem usum *faciendos curasse.* Eadem ille cum Vaillantio docet ad numos aeneos Oppii, et Sempronii Atratini, quorum titulis eaedem literae adduntur. Cum ergo in his literae F. C. ad monetae fabricam referantur, cur iis in his, de quibus agimus, numis alius sensus adfingitur? Quod hic literis F. C. indicatur, illud in numis 2. 3. 4. 5. 7. supra in Carthagine colonia descriptis solo C. notatur, quod haud dubie C*urante* legendum, sic ut sensus obvius sit, eam monetam signatam *Permissu Dolabellae Procos. Curante P. Gavio Casca*, quo modo saepe in marmoribus Graecis opus aliquod a senatu populoque imperatum le-

gitur curante illud (ἐπιμεληθεντος) hoc vel illo, cujus exempla passim prostant in Miscellaneis Sponii, aut quo modo L. Sulla tempore belli Mithridatici monetam in Peloponneso feriri jussit procurante opus istud Lucullo, ut narrat Plutarchus [a]).

Restant explicandae literae DD. PP. vel PP. DD. Eas jam vidimus supra in Carthagine inter numos huic urbi a nonnullis tributos inde a numero 8 usque ad 14, in quibus semper scribitur PP. DD., et fere semper in medio numi loco typi, sequiturque nomina IIvirorum. In Vticensibus nostris scribitur: A. M. GEMELLVS. vel: T. C. RVFVS. F. C. DD. PP. In tot coloniarum numis obviae sunt literae DD., vel EX. DD., quae nemine hactenus repugnante lecte sunt EX. D*ecreto* D*ecurionum*, nimirum praecipientium pecuniam signari. Multo id clarius elucet ex numis vicinae Babbae, in quibus: DD. PVBLIC. vel: EX. CONSENSV. DEC., id est: *Decreto Decurionum publico*, vel: *ex consensu decurionum*, quae epigraphe non utique ad typum, aut statuam, sed ad pecuniam referenda est, nisi dicere velimus, palmam arborem, quae in Babbae numis visitur, aut bovem cornupetam decreto decurionum fuisse positum. Praeeuntibus ergo his numis libenter has literas DD. PP. explicarem legendo: D*ecreto* D*ecurionum* P*ublico*, sed turbat geminatum P, quod multitudinis item numerum exigit. Quid si legendum statuamus: *Decuriones probavere?* sic ut sensus sit: A. M. GEMELLVS vel: T. C. RVFVS. hos numos F*landos*, vel F*eriundos*, vel F*aciundos* C*uravit*, D*ecuriones* P*robavere*. Constat ex veteribus, opera publica, quae, ut perficerentur, elocata fuere, subinde a magistratu fuisse examinata, inquisitumque, an ad praescriptum fuerint confecta. Livius [b]): *Eo anno C. Furius Pacilus, et M. Geganius Macerinus censores villam publicam in campo Martio probaverunt.* Idem alibi [c]): *Petentibus* censoribus, *ut ex instituto ad sarta tecta exigenda*, *et ad opera*, *quae locassent*, *probanda anni et bimensis tempus prorogaretur etc.* Ovidius loquens de condito in Circo Herculis templo ait [d]):

Si titulos quaeris, Sulla probavit opus.

Magis idonea eloquuntur lapides. Carolus Neapolis ad hunc ipsum Ovidii versum recitat marmor:

M. MANILIVS. M. F.
L. TVRPILIVS. L. F.
DVOMVIR.
DE. SENATVS. SENTENTIA
AEDEM. FACIENDAM. COERA
VERVNT. EIDEMQVE
PROBAVERE.

Inscriptio pontis Fabricii apud Gruterum [e]) sed quam correctius edidit Fabrettus [f]), haec habet:

---

a) in Lucullo. b) L. IV. c. 22. c) L. XLV. c. 15. d) Fast. VI. v. 212. e) p 260. 3. f) Inscript. p. 240.

L. FABRICIVS. C. F. CVR. VIAR.

FACIVNDVM. COERAVIT

EIDEMQVE. PPOBAVEIT.

Confer simile marmor aliud apud Gruterum [a]). Ad eundem modum fieri poterat, ut Gemello, vel Rufo feriundae hujus monetae mandaretur negotium, sic tamen, ut decurionum conlegium sibi jus reservaret, in justum ejus pondus, et si ad praescriptum signata esset, inquirendi, eamque ratam habendi, aut secundum hactenus dicta probandi.

a) Pag. 187. 4.

N V M I D I A.

Restant ad finiendam geographiam numismaticam extremae in occasum Africae regiones Numidia, et Mauretania. Vtraque regio usque ad Caesarum aetatem in numis ignota, si numos Iubae I. demas, magis deinde sub regibus, quos Caesares imposuere, coepit inclarescere. Horum regno a Caligula everso fuit una colonia Babba, quae deinceps numos ferire perrexit, quorum postremus exstat cum capite Galbae. Tamen deinceps in numis Hadriani, Antonini Pii, et Commodi, sed commatis Romani, fit mentio Mauretaniae, scripto constanter MAVRETANIA, quos olim in serie sua dabimus. Iam ergo, qui ab Hispania Lusitanica Oceano Atlantico adsita Apolline Moneta duce viam ingressi sumus, itinere, si cursum spectes, velut Circensi, ad eundem Oceanum revertimur, visi nobis ex continente in vicinas insulas Fortunatas transgressi, ibique longi laboris mercede beari, si modo iis, quae hactenus scripsi, eruditi lectoris videar suffragia promeritus.

HIPPO REGIVS.

Vrbs S. Augustini episcopatu clara, sed numorum sterilis; nam quos inscriptos C. G. I. H. P. A. huic largitus est Vaillantius, esse Parii Mysiae, in hujus coloniae numis docuimus.

V A G A.

Numos literis Africanis inscriptos huc refert cl. Dutens [a]). Sed de numis simili charactere notatis egimus in tractatu de numis Phoeniciis.

a) Expl. de quelq. méd. p. 67. et 132.

MAVRETANIA.

CAESAREA, *antea* IOL.

A Iuba juniore sic in Augusti gratiam appellata. Fuit urbs maritima in Mauretania Caesariensi. Historiam illustris hujus urbis ejusque monumenta multa eruditione exposuit Belleyus [a]).

Autonomos et *Imperatorios* Tiberii et Iuliae literis Africanis notatos Pellerinius, quod iis nomen *Iol* contineri censuerat, huc refert [b]), de quibus pauca attigi in tractatu de numis Phoeniciis.

BABBA.

Mediterranea in Mauretania Tingitana, quam Plinius ait esse *coloniam Augusti*, appellatam *Iuliam Campestrem* [c]), quos titulos numi quoque confirmant.

Coloniae nomine sunt cum capite Augusti, (Pellerin.) Agrippae, (Morelli Impp.) Claudii, Neronis, Galbae, quos vide apud Vaillantium et Morellium.

Epigraphe: C. C. I. B. vel: Col. I. BA. vel: COL. C. I. BA. additur semper vel DD. vel DD. PVBL. D*ecreto* D*ecurionum* PVBL*ico*, vel EX. CONS. D. vel DEC. vel plenius: EX. CONSENSV. DD.

Typi: in numis Augusti *Livia velata sedens d. pateram*, *s. hastam.* In aliis: *palma*, *bos undis innatans*, *caput Aesculapii*, *pons*, *bos cornupeta.* Sunt apud Vaillantium. *Figura rupi insidens d. ancoram*, *s. cornucopiae*, in numo Claudii. (Arigon.)

Tituli: Iulia, *Campestris*, uterque ex numis, et Plinio. Quia huic *colonia Augusti* dicitur, existimat Harduinus, deductam ab Augusto, dictamque Iuliam, quia et Augustus Iulius. Sed Vaillantius deductam a Iulio, cujus propterea nomine gloriatur, auctam ab Augusto conjicit. Mallem praeferre priorem Harduini.

AE. R.

CILI, ZILIS.

Fuit Zilis secundum Plinium in ora ipsius Oceani, et dicta Plinio *Colonia Augusti Iulia Constantia.* Florezius huc referendum conjectat numum inscriptum CILI. [d]) quem aliquando ratione typi Celtiberorum urbi incertae tribuerat. Res etiam nunc incerta.

a) B. L. T. XXXVIII. hist. p. 90. b) Rec. III. p. 150. Mel. I. p. 143. c) L. V. §. 1.
d) Med. de Esp. T. III. p. 50.

REGES NVMIDIAE ET MAVRETANIAE.

Ex regibus Numidiae, quorum perpetuam seriem habemus apud Reineccium, et Belleyum a), opes numismaticas sero tandem offert Iuba. Eas una cum regum genealogia descriptas reperies apud Sponium b), et Frölichium c).

IVBA I.

Hiempsalis filius. In bello civili Pompejanas partes secutus I. Caesaris duces Africam infestantes magnis detrimentis adficit. Ipse tandem junctis cum Scipione copiis ad Thapsum a Caesare victus inter magnificas epulas una cum M. Petreio mutuis vulneribus occumbit V. C. 708.

Numi:

REX. IVBA. *Caput regis barbatum peregrino cultu, juxta sceptrum.* ✕ *Epigraphe Numidica. Templum octo columnarum.* AV. (Pembrock Tab. XI. Mus. reg. Gall. teste Beauvais.) AR. III. obvii.

REX. IVBA. *Protome Victoriae.* ✕ *Eadem epigraphe. Equus liber currens.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Iovis Ammonis. ✕ *Eadem epigraphe. Elephas.* AR. mixti I. II. (Mus. Caes. Pellerin Rec. III. p. 144.)

Caput muliebre elephanti exuviis tectum. ✕ *Eadem epigraphe. Leo gradiens.* AE. II. (Pellerin l. c.)

In numo I. caput regis barbatum et cultu peregrino proponitur. Nonnihil huc conferunt verba Strabonis, qui Mauros comam in cincinnos cogere et barbam alere testatur d), et narrat Suetonius, I. Caesarem adhuc juvenem in altercatione ejusdem Iubae barbam invasisse e). Eundem *bene capillatum* dixit Cicero f). In nonnullis id genus numis capitis ornatus constare plumulis videtur. Literas epigraphes, cujus hactenus explicatum nemo reperit, Punicas plerique statuunt, sed forte verius sunt putandae Numidicae a Punicis distinctae, quod jam opinatus est Pellerinius g). Numus alter nomen quidem regis, non item caput sistit, tamen Iubae I. jure tribuimus, cum quod epigraphe ejusdem formae literas exhibet, quales nu-

---

a) B. L. T. XXXVIII. hist. p. 90. b) Misc. p. 147. c) regg. vett. num. p. 75. d) L. XVII. p. m. 1184. e) in I. Caes. c. 71. f) Leg. agrar. II. c. 22. g) l. c.

mus prior, tum quod hactenus in certis Iubae II. numis characterem Numidicum non observavimus. Aversa sistit equum citato cursu, nam tractus is jam vetere aevo a propagine generosorum equorum claruit. Perrari hujus numi picturam olim vulgavi [a]). Numi duo postremi regis neque effigiem, neque epigraphen praebent, tamen eidem Iubae vindicare illos non veretur Pellerinius, quod in his item ejusdem rationis est epigraphe, quae in praecedentibus. Apparet ergo, in has usque plagas Iovis Ammonis gloriam propagatam, et elephantum ut Aegypti et Libyae, sic et Numidiae fuisse symbolum.

In omnibus his numis ut eadem est epigraphe, eadem literarum forma et ordo, sic et in ipsa literarum Numidicarum se consequentium serie interceptas videas litteras XX߉. In citato aureo Pembrockiano praetenditur scriptum XXXX߉, sed vereor, ne ejus numi pictor postremos duos characteres, qui vere sunt Numidici, incautius in X mutaverit. Viri eruditi non pauci notis his indicari regni annos credidere, capto haud dubie judicio ex numis filii Iubae II., et nepotis Ptolemaei. Ergo Belleyus, quem in eadem fuisse sententia, et fidem numo Pembrockiano habuisse video [b]), non veretur Iubae tribuere annos regni XXXX, at cum certa fide constet, eum tot annos regno solum non praefuisse, a patre Hiempsale adscitum collegam opinatur. Verum a Cicerone, qui in consulatu suo hunc Iubam praesentem Romae vidit, non rex, sed regis filius dicitur [c]), et sic etiam a Suetonio [d]). Enimvero nullatenus dubito, notas XX. in hujus Iubae numis, quoniam non seorsim scriptae sunt, sed in medio inscriptionis Numidicae positae, esse quoque Numidicas, neque obest, habere illas formam characteris Latini, nam eandem literam habet etiam alphabetum Samaritanum, in quo *Tau* notat; quin et eandem literam in aliis numis Mauretanicis obtinere locum, patebit perlustranti tabulam CXX. Pellerinii in Rec. T. III., qua ejus generis numismata plura continentur.

AR. R. AE. RRR.

IVBA II.

Iubae I. filius, caeso post Thapsensem calamitatem patre paene infans victori Caesari traditus, atque ab hoc in Africano suo triumpho inter captivos ostentatus liberaliter tamen in urbe educatus fuit. Octavianus per M. Antonii necem rerum unus potitus circa annum V. C. 724. Iubae paternum Numidiae regnum restituit, et una Cleopatram Selenen M. Antonii et Cleopatrae filiam uxorem dedit. Idem aliquot post annos pro Numidia Mauretaniam illi Caesariensem et Tingitanam cessit additis serius Getulis. Mortuus est circa annum V. C. 772. P. X. 19. relicta praeclara sui memoria, quam moderatione, ac praecipue multiplici eruditio-

a) Catal. mus. Caes. T. I. tab. IV. n. 21. b) B. L. T. XXXVIII. hist. p. 101. et 113. c) leg. agrar. II. c. 22. d) in I. Caes. c. 71.

ne, quam editis multis libris, cumprimis historicis comprobavit, est promeritus, quae prolixe exposita vide apud Sevinum [a]).

Ex Cleopatra Selene filium habuit *Ptolemaeum*, qui successit.

Numi:

REX. IVBA. *Caput imberbe diadematum.* ℞ *Cornucopiae intermedio sceptro.* AR. III. (Mus. Caes.)

Eadem adversa. ℞ LVCV. AVGVSTI. *Ara inter duas lauros, infra astrum.* AR. III. (Pellerin.)

Eadem adversa. ℞ *Elephas.* AR. III. (Catal. d'Ennery p. 318.)

Eadem adversa. ℞ *Aquila fulmini insistens, et sceptrum.* AR. III. (Ibid.)

Numus alter per aversae argumentum nobilis. Offert nempe lucum Augusto a Iuba dedicatum, non uno hoc exemplo, nam et *lucus Augusti* memoratur in marmore Hispanico apud Arundam reperto, quod edidit Carterus Anglus in itinerario suo [b]). In alio apud Sponium [c]) T. Nigrius dicitur oriundus TRIBOCO. EX. GERMANIA. SVPERIORE. LVCO. AVGVSTI. Lucus Augusti in Vocontiis Galliae laudatus Plinio [d]). De sacris id genus lucis hic plura monere non attinet. Lucos hos fuisse religione sacros, dicam in numis Augusti consecrati.

* * *

REX. IVBA. REGIS. IVBAE. F. *Caput diadematum.*

℞. PTOLA. XVII. *Aquila.* AE. I. (Maffei Ant. Gall. p. 117.)

REX. IVBA. *Caput imberbe diadematum, pone clava.*

℞. XXXI. *Victoria navi insistens.* AR. III. (Frölich Reg. vet. p. 80. Catal. d'Ennery.)

Eadem adversa.

℞. XXXII. *Victoria gradiens super capite elephanti.* AR. III. (Liebe Goth. num. p. 145.)

Eadem adversa.

℞. XXXII. *Corona querna, intra quam scriptum* CAESAREA. AR. III. (Maffei Osservaz. lett. T. V. p. 285. Belley B. L. T. XXXVIII. hist. p. 110.)

REX. IVBA. *Ejus caput.*

℞. XXXIIII. *Astrum intra lunam.* AR. III. (Catal. d'Ennery l. c.)

Eadem adversa.

℞. XXXV. *Capricornus, globus, cornucopiae.* AE. III. (Ibid.)

REX. IVBA. *Caput regis leonis exuviis tectum.*

℞. XXXVI. *Cornucopiae cum transverso tridente.* AR. III. (Beger Th. Br. T. I. p. 303.)

REX. IVBA. *Caput regis diadematum.*

℞. XXXXII. *Capricornus cum remo, glo-*

---

a) B. L. T. IV. p. 457. b) Part. I. p. m. 147. c) Misc. p. 188. d) L. III. p. 48.

bo, *cornucopiae*. AR. III. (Spanheim T. I. p. 543.)

REX. IVBA. *Caput regis diadematum*.
ET. ΜΓ. *Clava intra lauream*. AR. III. (Mus. Caes.) In alio: ET. ΜΕ. (Harduin, Catal. d'Ennery l. c.)

Eadem adversa.
R. XXXXVIII. *Caput senile diadematum*. AR. III. (Harduin.)

Eadem adversa.
R. XLVIII. *Ara*, *seu basis fumans intra duas arbores*. AR. III. (Harduin.) Spanhemius in simili avim arae incubantem intra duas arbores videt a). Dubium non est, typum esse eundem, quem supra in numo LVCV. AVGVSTI. descripsimus.

Habes hic Iubae II. numos omnes collectos, qui regni annos inscriptos offerunt. Elementum R. esse initium vocabuli R*egni*, et subaudiri *Anno*, confit ex numis filii Ptolemaei, in quibus aperte ponitur R. A. In paucissimis, ut vidimus, regni annus Graece notatur, sed quemadmodum numos patris Iubae vidimus bilingues, sic ut horum epigraphe constaret literis partim latinis, partim Numidicis, ita et numos filii habemus bilingues, at sic, ut unus idemque numus epigraphen et Latinam et Graecam praeferat, quod magis patebit ex sequentibus. Ex numis duobus postremis perspicimus, Iubae II. regnum saltem in annum XLVIII. porrectum. Inquirendum jam, quantum hi valeant ad figendum ejus regni initium finemque. De Iubae excessu haec Strabo b): Ιȣβας μεν ἐν νεωςι ἐτελευτα τον βιον· διαδεδεκται δε την ἀρχην ὑιος Πτολεμαιος γεγονως ἐξ Αντωνιȣ θυγατρος και Κλεοπατρας. *Iuba quidem nuper diem obivit. Successit in regno filius Ptolemaeus ex Antonii et Cleopatrae filia natus*. Non multo ergo antea Iuba II. mortem oppetiit, quam Strabo opus suum vulgavit. Factum istud V. C. 773 P. X. 20., contendit Soucietus c). Si ergo Iuba paternum Numidiae regnum adiit V. C. 724. vel 725., ut discimus ex Dione d), annus regni XLVIII. incidet in annum V. C. 771. vel 772., et si is paullo post diem obiit, poterat is a Strabone dici *nuper* mortuus.

Typi aut Herculis aut Augusti cultum praedicant. Augustum a Iuba impensius observatum, quod ei praeclaram in urbe institutionem, regnum, et omnia debuerat, nequaquam mirum. Adfectus in Herculem causam suppeditat Plutarchus, cum narrat e), Herculem ex victi Antaei uxore Tinge genuisse Sophacem, unde genus suum traxere reges Mauretaniae, atque inter hos noster quoque Iuba. In hoc etiam tractu Herculem cum Antaeo commissum, coelum pro Atlante gestasse, sitosque fuisse Hesperidum hortos, unde mala aurea abstulit, docuit fabula. Quae causa fuit, cur et clavam capiti suo adstituerit Iuba, ut in numis aliquot ex citatis vidimus.

Inscriptum in uno CAESAREA recte

---

a) l. c. b) L. XLII. p. m. 1185. c) Dissert. T. III. p. 4. d) L. LI. §. 15.
e) in Sertorio.

Belleyus ad ludos *Caesarea* a Iuba in Augusti honorem celebratos refert.

* * *

IVBA. REX. IVBAE. F. II. V. Q. *Flos loti.* X CN. ATELLIVS. PONTI. II. V. Q. *Instrumenta pontificalia.* AE. II. (Florez Med. de Esp. T. II. p. 654.)

Namum hunc fuisse in colonia quapiam signatum, ejusque coloniae ipsum nostrum Iubam IIvirum, epigraphe diserte enunciat. Eum Gadibus IIviratus honore functum, testatur Avienus de iisdem agens Gadibus a):

At vis in illis tanta, vel tantum decus
Aetate priscà sub fide rerum fuit,
Rex ut superbus, omniumque praepotens,
Quos gens habebat forte tum Maurusia,
Octaviano principi acceptissimus,
Et literarum semper in studio Iubă,
Interfluoque separatus aequore,
Inlustriorem semet urbis istius
Duumviratu crederet.

Ceterum quae fuerit haec colonia, quae praesentem signavit numum, et Iubae IIviratu illustris fuit, etsi numus non memorat, verisimile tamen est, fuisse Carthaginem Novam. Apud hanc enim urbem repertum est marmor, quod edidit Sponius b), emendatius deinde Belleyus ex itinerario Shaw c),

REGI. IVBAE. REGIS. IVBAE. FILIO.
REGIS. IEMPSALIS. N. REGIS. GAVD - -
PRONEPOTI. MASINISAE. PRONEPOTIS.
NEPOTI. IIVIR. QVINQ. PATRONO. COLONI.

Cum ergo certo sciamus, Iubam hujus coloniae fuisse quinquennalem, probabile etiam, numum in eadem colonia signatum, praecipue cum constet, adfectasse eam, illustres habere IIviros, nam et Neronem, Drusum, Caium Caesares ab ea in IIvirorum collegium cooptatos ex numis docemur. Ejus quidem marmoris fidem in critica sua lapidaria acriter impugnavit Scipio Maffeius d), sed credo immerito, ut plura alia in eo opere. Etiam filium Ptolemaeum ex numis IIvirum probari, mox videbimus. Flos loti ad genus uxoris Cleopatrae ex Aegypto ductum, instrumenta pontificalia ad Cn. Atellii PONTI*ficatum* adludunt.

AR. R.

Numi Iubae II. et Cleopatrae.

REX. IVBA. *Caput regis imberbe diadematum.*
Sine epigraphe. Caput Cleopatrae. AR. III. (Pellerin.)

Eadem adversa.
ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ. *Hujus caput.* AR. III. (Mus. Caes. Morelli Specim. tab. 23.)

Eadem adversa.
ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ. *Astra*

---

a) de ora marit. v. 275. b) Misc. p. 145. c) B. L. T. XXXVIII. hist. p. 104. d) pag. 407.

solis et lunae. AR. III. (Harduin, Catal. d'Ennery p. 318.)

Eadem adversa.
ΒΑCΙΛΙ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ. *Lotus et sistrum.* AR. III. (Pembrock P. II. tab. 74. Catal. d'Ennery l. c.)

REX. IVBA. *Caput regis diadematum prominente retro clava.*
ΒΑCΙΛΙCCΗC. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑC. *Flos loti.* AE. II. (Mus. Caes.)

Vides, Iubam inscribi Latine, uxorem Cleopatram Graece. Nimirum Iuba, qui Graecus non fuit, uti malebat lingua Latina, quae tum in ejus aula plurimum valuit; at placuit Cleopatrae retinere linguam Graecam sibi domesticam. Ad unam Cleopatram pertinent lotus et sistrum originis Aegyptiacae argumenta, ut et astra solis et lunae, quibus indicantur Alexander et haec Cleopatra, quos uno partu editos Antonius IIIvir et Cleopatra solem et lunam appellavere, et constat ex Dione, Alexandrum hunc solem capta Aegypto Octaviani permissu sororem lunam in Numidiam secutum [a]), nisi forte hic typus adludit ad solis lunaeque cultum, quem in hoc Africae tractu valuisse narrat Herodotus [b]).

AR. R. AE. RRR.

Numus Cleopatrae solius.

Caput reginae peregrino cultu, cujus vertici lotus imminet, in area astra solis et lunae. ✠ *Tres spicae.* AR. III. (Pellerin Rois p. 55.)

Multa sunt, quae purgatum Pellerinii judicium confirmant, drachmam hanc numum, etsi anepigrapha sit, huic Cleopatrae tribuentis, lotus, solis et lunae astra, quae ejus reginae amica fuisse symbola ex praecedentibus numis vidimus. Deinde plerique regum Numidiae et Mauretaniae numi, ut praesens, argentei sunt, et drachmae pondere, repertum etiam suum eo loco, ubi hodiernum est Alger, testatur Pellerinius. At quod plurimum huc facit, in filii Ptolemaei numo eadem est aversa trium spicarum.

AR. RRRR.

PTOLEMAEVS.

Videtur a patre adhuc vivo in regnum adscitus, ut colligo ex numis. Eum Tiberius beneficiis auxit, quod Romanos in bello adversus Tacfarinatem juvit. A consobrino Caligula Romam evocatus, cum hujus odium seu propter opes, seu regii cultus magnificentiam incurrisset, positis insidiis e medio tollitur V. C. 793.

Numi:

Hujus regis numos sibi cognitos collegit ediditque Frölichius [c]). Ab eo tempore proditi alii. En eorum syllabum:

PTOLEMAEVS. REX. *Caput diadematum.*

a) L. LI. §. 15. b) L. IV. c. 188. c) reg. vet. num. p. 84.

R. A. I. *Palma arbor.* AR. III. (Pembrock P. II. p. 74.)

Eadem adversa.
R. A. ϛ. *Duae sellae curules, quibus corona imposita, ad dexteram hasta transversa.* AR. III. (Frölich. l. c.) Addita nota numeralis haud dubie senarius est:

Eadem adversa.
R. A. X. *Capricornus cum gubernaculo et cornucopiae.* In alio: *Leo currens.* In alio: *Palma arbor.* In alio: *Tres spicae.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin, Spanheim, Mus. M. Ducis.)

Eadem adversa.
Astra solis et lunae. AE. III. (Vaill. ad Seguin. p. 404.)

Literae R. A. addito numero R*egni* A*nnos* indicant, qui mos jam in moneta patris obtinuit. Typi explicatione non egent, si numum ex adlatis secundum demas, quem non ambigue explicat Tacitus [a]): *Cognitis dehinc Ptolemaei per id bellum* (Tacfarinatis) *studiis repetitus ex vetusto mos, missusque e senatoribus, qui scipionem eburnum, togam pictam, antiqua patrum munera daret, regemque et socium atque amicum appellaret.* Similia collati regibus exteris honoris argumenta adfatim videas in numis Regum Thraciae et Bospori. Accedit, quod annus VI. Ptolemaei revera in annum V. C. 777., quo finitum est bellum Tacfarinatis, incidat, si annum, quo solus regnare coepit, statuamus V. C. 772., quo mortuum patrem supra diximus. Decretos ergo sibi a Tiberio honores, sellam curulem, et hastam, seu scipionem eburnum continuo grati animi causa numis insculpsit.

* * *

AVGVSTVS. DIVI. F. *Caput Augusti nudum.* ℞ REX. PTOL. *intra coronam; in numi peripheria:* C. LAETILIVS. APALVS. II. V. Q. AE. II. (Florez T. II. tab. LVI. n. 8.) AE. III. (Mus. Caes.)

Patrem Iubam coloniae IIvirum supra vidimus, en similem honorem a filio Ptolemaeo quoque admissum. Sed enim difficultatem non levem creat illud, quod Ptolemaeus in numo dicatur REX., qui vivo adhuc Augusto signatus eo intelligitur, quod abest appellatio DIVI, et omnis ejus consecrati character. At constat, Ptolemaeum regnum adivisse, cum jam annus V. ab Augusti morte iret. Ejus expediendi nodi aliam non reperio rationem, quam si statuamus, Augusto adhuc vivo, et hoc permittente Ptolemaeum patris in regno conlegam agnitum. Quid quod veteres honoris causa nonnunquam reges dixere illos, qui fuere regum filii, cujus exemplum altius dedi in numis Herodis M. (Vol. III. p. 485.) Verisimile est, numum hunc Carthagine Nova cusum, perinde atque numum patris, ut in hujus moneta diximus.

* * *

Eodem loco Frölichius numum drach-

a) Ann. IV. c. 26.

mae pondere edidit, et huic Ptolemaeo tribuendum conjecit, in cujus una parte est caput diadematum addita epigraphe, ut vir eruditus legerat: ΠΤΟΛΕΜΑΙ. In aversa est: C. MAMIL. LIMETAN. typo Vlyssis gradientis, cui adblanditur canis. Rei insolenti cum non statim fidem haberem, numum hunc, qui una cum museo de France Vindobona Londinum in gazam Hunterianam concessit, iterato inspexi, et continuo adverti, esse ex eorum genere, quos barbari ad exemplar numorum Romanorum frequentes signavere, de quibus a me non multo post agetur.

NVMI POPVLORVM, VRBIVMQVE INCERTARVM.

Exstant hujus classis numi non pauci, qui ignobilem incertorum stationem occupant, et diu, ac forte semper occupabunt. Ejus vitii causae sunt complures, sive cum loci natalis mentionem plane reticent, quo malo numi operis pervetusti saepe laborant, aut cum urbis nomen litera tantum una binisve absolvitur, inscripto tantum v. g. Σ, vel ΣA, aut Φ, vel ΦA, scilicet multis urbibus ab his literis incipientibus; sive cum urbis nomen cum multis aliis commune est, neque certum aliud adest discrimen, cui urbi potius prae alia tribuendus sit numus, quo nomine negotium saepe facessunt numi, qui Apolloniae, ac multo magis, qui Heracleae nomen inscriptum offerunt; sive cum temporum injuriis vexati exesa penitus literarum parte, aut saltem attrita dubiam oculis epigraphen offerunt. Multis fortuna dedit, ut, cum diu incertorum agmen augerent, tandem, cujates essent, intelligeretur, nimirum cum in lucem prodirent similes alii, qui epigraphen aliquam addidere, aut saltem minus parcam, aut pro vitiata illaesam, magisve integram. Sic cum diu dubitaretur, quorsum essent vocandi numi quidam inscripti solo Σ, vel ΣA, docuit denique similis numus Hunterianus pleniore vocabulo ΣAMIΩN, ex Samiorum eos officina prodivisse. Similia ejus modi exempla alia passim per hoc opus occurrunt. Quid quod ad noscendos veros numorum natales saepe profuit erudiri, qua in regione ac vicinia majore numero soleant reperiri. Ita cum inde a Goltzio omnibus esset persuasum, argenteos satis obvios operis perantiqui, qui violentum virginis raptum sistunt, esse Lesbios, nunc satis constat, in Macedoniam esse revocandos, quia certos habemus auctores, in hac eos frequenter effodi.

Horum ope subsidiorum cum multis suam patriam reddidimus, ita saepe dubitamus adhuc, aut plane ignoramus, quam esse de multis aliis ferendam sententiam putemus. Lubet pauca similium numorum exempla proferre.

* * *

Caput muliebre cum corona fastigiata, et floribus distincta. ✠ ΙΑΣΩ. *Serpens ab ara adsurgens.*

Hunc numum ex auro vidi in museo M. Ducis, aeneum produxere auctores non pauci, quos vide apud Rasche in Lexico [a]). Hos alii esse Iassi Cariae edixere, alii ejusdem nominis urbi Achaiae, alii vocabulo ΙΑΣΩ intelligendam filiam Aesculapii ejusdem nominis etc. Hactenus incerta omnia.

* * *

ΜΕΡ. *(literis perantiquae formae) Bacchus barbatus et nudus stans d. extenta aliquid lunae crescenti simile, intra brachium sinistrum surculum vitis ad pedes usque dependentem stringit.* ✠ *Racemus pendente botro.* AR. I.

Numi hujus iconismum princeps Turris Muciae Raschio viro clarissimo misit, qui eum in Lexico suo aeri incisum dedit [b]). Existimat eruditus princeps, eum deberi *Meroe* Lyciae urbi. Raschius respondit [c]), videri sibi, esse numum Coorum, quorum insula *Merope* antiquitus vocata fuit. Cl. Sestinus utriusque sententiam in examen vocans, qui numum ipse in museo Baronis Astuti vidit, numum esse Siculum non dubitat, praecipue cum repertum in Sicilia constet, et forte adeo dandum urbi Siculae, dictae *Mezaca*, vel *Mazaca* [d]). Omnibus his conjecturis nihil hactenus provectum. Esse numum Lyciae, vel Co insulae, nemo peritior sibi persuaderi patietur, qui tamen vix adhaerebit in Sicilia, vel saltem Graecia magna signatum profiteri, adeo omnia hujus tractus monetam, sed antiquissimam, spirant. Esse Mezacae, tum denique credam, cum quis fidem fecerit, postremam literam Ρ positam esse pro Ζ, (in numis Zancles, qui huc in testimonium vocantur, elementum Ρ non est positum pro Ζ, sed est certum Δ) aut exstitisse in Sicilia urbem aliquam dictam *Mezaca*. Erit igitur numus hic alicujus urbis, quae aut nomen suum mutavit, ut ex Zancle facta est Messana, aut cujus propter ignobilitatem, aut quod dudum deserta jacuit, auctores veteres non meminere. Quod Bacchum dixi lunae specie dextera praeferre, haud dubium est cornu, quo vetustissima aetas pro poculis uti consuevit.

* * *

Caput turritum. ✠ ΑΡΤΑ--ΚΑΙΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. *Spicae cum monogrammate utrinque.* (Maffei Ant. Gall. epist. 22.)

Caput muliebre turritum. ✠ ΑΡΤΑΚΑΙΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩϹ. *Spica, in area* ΙΒ, *et duo monogrammata.* AE. III. (Mus. Muselli T. I. tab. IV. urbb.)

Maffejus numum suum Artace Bithyniae, aut Artacoanae, quae fuit caput Arianae regionis, tribuit. Huic judicio non adversatur quidem Frölichius, addit tamen, a cl. Corsino tribui Phrygiae [e]). In museo Musellii dicitur esse *Artaclii*, sed cujus haec regionis urbs? Operae pretium non esset, in ea investiganda tam esse curiosum, nisi addi-

a) Sub ΙΑΣΩ. b) T. III. P. II. in praef. c) in praef. ad Tom. seq. d) Lettere T. III. p. 80. e) Notit. elem. p. 76.

tus *metropoleos* titulus cupiditatem intenderet.

* * *

ΛΑΝΔΙΝΑ. ΟC. *Caput muliebre.* ✗ *Mulier sedens.* AE. III. (Pellerin Rec. I. tab. X. n. 6.)

Caput Apollinis. ✗ ΛΑΝΔΙΝΑ. *Mulier stans d. coronam.* AE. III. (Ibid.) n. 7.)

De urbe quapiam dicta *Landina* nihil ex veteribus constat. Pellerinio ex Italia advenere.

* * *

Caput virile laur. ✗ ΠΟΙΗΤΟΥ ΚΑΧΟΡΤΩΝΟC. *Duo ligna parallelo situ posita.* AE. III. (Sestini Tom. I. tab. IV. n. 25.)

Auctor per universum suum opus numi hujus ne verbo quidem meminit, et tamen causa insolentis suae inscriptionis promereri istud videbatur.

* * *

Quadrupes alatus instar leonis vel gryphi, vel: *Caput leonis adversum*, vel: *Duae boum protomae conjunctae averso situ*, vel: *Leo bovem depascens*, vel: *Pegasus etc.* ✗ *Epigraphe varia*, ΚΟΠ. ΚΟΠΡΑΛΕ. ΡΑΨΑΡΕ. *in nonnullis mixtae literae peregrinae incerti valoris. Triquetrae quaedam species intra quadratum.* AR. II. III. (Hunter tab. 66. n. XXIII. — XXVII. Pembrock P. II. tab. 15. Mus. Caes.)

Numi hi longae antiquitatis omnia praebent specimina, sed dolendum, ad noscendam eorum patriam nihil posse certi adferri. Typus triquetrae, in Aspendi et Selges numis frequens, ut et horum numorum apparens fabrica opinari jubet, in Pisidia aut vicino tractu fuisse signatos.

* * *

Caput Iovis. ✗ ΑΡΤЄ ΜЄΝ *Gubernaculum, inferne sagitta.* AE. III. (Mus. princ. de Waldeck.)

Eundem numum cl. Odericus ex museo Benedicti vulgavit, sed quidquid ad epigraphen explicandam attulit, non effecit, ut numus ex incertorum statione possit eximi.

* * *

En tibi ex amplo agmine numos tantum aliquot, de quorum patria jure adhuc dubitatur. Erat principio animus construere catalogum numorum omnium hoc vitio laborantium. Verum abjeci consilium, non quo molestum laborem subterfugerem, sed quia praevideram, lectorem eruditum parum inde utilitatis hausturum, quoniam, cum explicandis numis dubiis impendimus operam, necesse est, vel numos ipsos usurpare oculis, vel certe fideles eorum imagines. Vtile tamen visum, commemorare virorum eruditorum opera, in quibus hujus naturae numi continentur, quod indicium secuti ii, qui nostris studiis vacant, saltem molesto eos investigandi labore se levatos experientur. Enimvero non parum ad solidam artis hujus cognitionem confert, istud numorum genus per intervalla oculis percurrere. Profecto nunquam egomet hunc mihi laborem sumpseram, quin insignio-

rem aliquem locatae operae fructum reportarem.

Primus fuit Pellerinius, vir ab artis nostrae studiosis nonnisi summo semper cum honore nominandus, cui e re visum, numis urbium certis, quos vulgavit, addere ad calcem numos ambigui explicatus. Hunc deinde ducem secuti sunt plerique, qui numorum anecdotorum seriem in lucem dedere, quorum tibi nunc omnium opera indicabimus. Monendum tamen, ab hoc censu excludi numos peregrinis, ignotisque literis inscriptos, quos certis suis, quorsum pertinent, stationibus inseruimus.

* * *

PELLERIN. Praeter incertos Hispaniae, Galliae, Italiae, quos singularum regionum numis adjecit, et de quibus loco proprio egimus, eorum justum numerum parte operis sui inscripta *Recueil* Tomo III. tabula CXV. et pluribus sequentibus obtulit. Vix paucos in operibus, quae deinceps edidit, reperias.

KHELL. Horum nonnullos obtulit in *Adpendiculae II.* tab. III. et IV.

EGO in variis meis operibus, quae post hos IIviros edideram, incertorum numerum non parum auxi. Licuisset utinam minuere. Ac primum quidem in meis *Numis veteribus* pag. 308 eorum nonnullos dedi. Majus deinde agmen in *Catalogo musei Caesarei* fine Tomi I. Denique in mea *Sylloge I.* pag. 76.

NEVMANN. In praeclaro suo opere *Populorum et regum numi* complures hujus generis edidit Parte II. pag. 170.

COMBE eruditus musei Hunteriani praeco, inde a tabula 66 longum eorum agmen in conspectum dedit.

En tibi auctores, qui numos id genus *ἀδεσπότους* in lucem dedere eo consilio, ut, quos ipsi ignorarent urbium natales, felicius erueret aliorum sive ingenium, sive facultas. Revera secuta antiquariorum industria et sagacitas a multis adhibita quaestione patriae suae confessionem extorsit, cujus exempla copiosa hactenus ipse videris.

Sunt hujus classis numi non pauci, quos eruditi varii certis esse populis urbibusque proprios sanxere, at non iis argumentis, quae nostrum hactenus adsensum potuerunt sibi impetrare. Exemplo sunto v. g. numi illustres argentei inscripti ΜΩΔΑΙΩΝ, quos esse Pergamenos Mysiae conjecit Pellerinius, alii: ΑΖΕΤΙΝΩΝ, aliquibus moneta Attica crediti, alii: ΤΡΙΑ., quos Combius esse Triadizzae Moesiae, Sestinus Traelii Macedoniae sanxerunt, sed quos, quorumque similes alios quamplurimos etiam post qualescunque eruditorum conatus non minus hodieque in incertis putamus. Sane in arte nostra nihil est, quod magis stomachum moveat, quam commentarii in hac causa bene longi, et saepe magno eruditionis apparatu conscripti, quibus perlectis aut aeque incertus es, ac fuisti dudum, aut intelligis, auctorem incautius inconsultiusque scribere aggressum longe a scopo aberrasse. Numos hoc modo adhuc incertos hoc loco non producimus, quia eos jam in judicium vocavimus in moneta earum urbium, quibus aut inique, aut nulla verisimili causa fuere adjudicati. Sic de numis ΜΩΔΑΙΩΝ egimus in moneta Pergami etc.

Inter numos incertos hucusque vulgatos magnus est eorum numerus, qui, praeterquam quod exigua appareat spes eruendi natalis eorum soli, etiam hoc denique cognito philologiae causis, cui uni nostris his studiis litamus, nihil, aut perparum prodessent. Quocirca nimia mihi saepe visa est diligentia eorum, qui tantopere desudant in reperiunda similium numorum patria, et augent conjecturas conjecturis, operosis iis quidem, sed sane, ut necesse est, inanibus, cum meminisse oporteret, cordatum quemque lectorem pertinacem in re levi contentionem aversari, neque illi certius illudi, quam cum conjecturis nullius meriti ludimus. Cum non adsunt certae adserendi causae, opinionem nostram aut paucis, et citra pertinaciam absolvamus, aut permittamus aliquid posteritati, quae aliquando certius ac minus operose judicium suum peraget, capto forte indicio ex loco, qui eos majore numero ex terrae sinu emittit, quod profecto validissimum est argumentum, cum in numorum patriam inquirimus.

NVMI REGVM,

PRINCIPVMQVE INCERTORVM.

Sunt in moneta vetere numi, qui nomina continent principum, quorum scriptores veteres non meminere, sic tamen, ut, qua in regione imperaverint, ex certis, aut verisimilibus indiciis satis intelligamus. Hac ratione comperimus Philistidem reginam Syracusarum, Pepaepiridem Bospori, Oradaltidem Bithyniae, Xerxem et Samum Armeniae reges tum et regulos Gallicos. At leguntur etiam in numis reges principesve, quos hactenus, cui regioni imperaverint, ignoramus, et necdum ex incertorum statione eximere licuit. Modicus est eorum numerus, possuntque facile coram proponi.

* * *

BALLAEVS.

Caput regis nudum imberbe curtis capillis. ☧ ΒΑΛΛΑΙΟΥ, *sic ut plerumque* ΒΑΛΛ *sit scriptum recte,* ΑΙΟΥ *retrograde. Rarius* ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΛΛΑΙΟΥ. *Vir habitu succincto gradiens d. facem praetendit, s. duo jacula.* In aliis: *Mulier stans d. facem, s. femori imposita.* Sunt AE. infra III. formam, crassiusculi, plerique operis fere barbari.

Numuli hi, ex quo nosci coepere, varia experti sunt eruditorum judicia. Eos Passerius in symbolis Gorianis Florentinis *Bali* Cyrenaicae tribuit a). Frölichius, cum horum similes iterato antea vulgasset, *Balam* Syriae, vel *Balatham* Mesopotamiae imprudens respexit b). Idem olim, cum regios esse numos non dubitaret, et in eorum uno legendum sibi videretur: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΑΝΟΥ, *Alanum* regem Alanorum, qui ad Istri ostia sedes habuere, his in numis exhiberi conjecit c). Serius nactus numum, in quo apparebat scriptura: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΛΑΝΟΥ, credidit, eo intelligendum *Balanum* Galliae Transalpinae regulum, qui teste Livio legatos Romam misit, per quos auxilia Romanis in bello Macedonico polliceretur, et sic retractavit, quae antea de rege Alanorum scripserat d). At ego multum dubitem, utrum in horum aliquo legatur ΒΑΛΑΝΟΥ. Sane Frölichius ipse numum, ex quo nomen istud excepit, parum esse integrum profitetur,

a) Tom. IV. p. 122. b) Not. elem. p. 78. c) Reg. vet. numismata p. 119. d) Ad num. reg. accessio p. 82. Not. elem. p. 157.

et haud dubie illud sibi legendum visum fuerit, quia hoc nomine regem apud Livium reperit. Enimvero numi omnes, quos aut ego, aut alii majore numero viderunt, inscriptum ΒΑΛΛΑΙΟΥ offerunt. Cl. Odericus aliquem per Asiam regem, dictum Balanum, investigandum putat a). Postremus Pellerinius ex fabricae causis conjecit, hos numos cusos in Illyrico, et esse Ballaei ejus tractus regis, cujus historia non meminit b). Pellerinii sententiae tanto subscribo libentius, quia nobis, utpote Illyrico vicinioribus, rari non habentur. Inter numos complures, qui ante annos non multos mihi Venetiis missi sunt, fuere hujus Ballaei numi VI., qui omnes in museum ill. Com. Vitzai migravere, et quod amplius est, testatur cl. Neumannus, sibi numos id genus omnino XIV. haud ita pridem fuisse oblatos, repertos omnes apud Scodram Illyrici, hodie *Scutari* c).

HELIOCLES.

Caput regis imberbe diadematum. ☓ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΗΛΙΟΚΛΕΟΥΣ. ΔΙΚΑΙΟΥ. *Iuppiter gradiens vultu fere adverso d. fulmen, s. hastam, in area monogramma.* AR. m. m.

Singularis hic numus vulgatus exstat in Catalogo musei d'Ennery d), ubi perhibetur fabricae esse Syriacae. Ceterum Helioclis regis nomen mihi plane ignotum.

SARIAS.

Caput mulieris velatum, et quasi spicis ornatum. ☓ ΒΑΣΙΛ. ΣΑΡΙΑ. *Duae spicae erectae.* AE. III.

Caput imberbe nudum senili vultu. ☓ ΒΑΣΙ. ΣΑΡΗ - - *Pharetra.* AE. III.

Vtrumque numum ex museo Savorgnan promulgavit Frölichius e), sed quis sit *Sarias*, si modo verum est istud nomen, non constat.

CANOG - -

Caput Apollinis laureatum. ☓ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΚΑΝΟΓ - - - *Mulier stans s. cornucopiae, infra* ΠΟΛΥ. AE. II.

Hunc incerti regis numum protulit Pellerinius f).

PATRAVS, LYCCEVS.

Caput imberbe laureatum. ☓ ΠΑΤΡΑΟΥ. *Eques galeatus virum galeatum humi jacentem hasta impetit, pone diota.* AR. I. (Beger Thes. Br. T. I. p. 283.)

Caput juvenile diadematum. ☓ ΠΑΤΡΑΟΥ. *Aquila stans, in area quid instar ancorae.* AR. III. (Mus. Caes. et a me olim vulgatus in meis numis vet. p. 223.)

Caput virile imberbe laureatum. ☓ ΛΥΚΚΕΙΟΥ. *Hercules humi sedens s. leonem premit, dextero pugno ictum intentat, infra pharetra.* AR. I. (Mus. M. Ducis, et a me editus ibidem.)

a) de numo Orcitirigis p. 19. b) Rois p. 201. c) Num. pop. P. II. p. 154. d) p. 40. e) Notit. elem. p. 202. f) Rois. p. 202.

Begerus nomine *Patrai* intelligendum Patreum, notum Patrarum Achaiae conditorem, contendit [a]). Abunde hanc sententiam olim refutavimus [b]), diximusque, hos *Patrai* et *Lyccei* numos, quoniam similis sunt cum Audoleontis numis fabricae, videri in Illyrico signatos, et utrumque adeo huic regioni, aut parti imperasse. Auget suspicionem, quod in Audoleontis quoque numorum area aliquid plerumque comparet, quod triquetrae, vel ancorae speciem refert, qualem offert numus ex descriptis alter.

a) l. c. b) Num. vet. p. 221.

NVMI BARBARORVM.

Postremum laborem monetae barbarorum impendemus, estque ejus operae pretium, et nostri plane instituti, quia vetus, quia metalli nobilitate illustris, et copiosa. Neque tamen hoc loco generatim numos barbarorum, v. g. Hispanorum, Gallorum, Parthorum etc. recensebimus, de quibus, quia de patria satis constabat, in horum moneta populorum egimus, sed eos tantum barbarorum numos in judicium vocabimus, quorum vera patria saepe etiam artis nostrae peritissimis fuit ignota. Antequam ad rem aggredior, lubet praemittere catalogum numorum similium, quos esse praesentis examinis materiam propositum est.

* * *

1) *Caput virile imberbe coronatum.* ✕ ADNA. MATI. *Eques citato cursu d. jaculum intorquet.* AR. et AE. I. (Mus. Caes.)

2) *Protome juvenilis in medio duorum, ut videtur, ramusculorum.* ✕ AII-VO. XIR. *in aliis:* FARIΛIΩ. *Caput muliebre retrorsum spectans, et impositum trunco gallinae gradientis.* AR. I. (Mus. Caes.)

3) *Caput virile laureatum, in alio: Caput imberbe cultu barbaro.* ✕ ATTA. *Eques citato cursu d. protenta jaculum, infra equitem nonnunquam tridens.* AR. I. (Pellerin Rec. I. tab. II. n. 24. Mus. Neumann.)

4) *Caput virile nudum.* ✕ BIATEC. *Eques citato cursu d. ramum.* AR. I. (Mus. Caes.)

5) *Capita duo jugata, quorum anterius est laureatum, posterius galeatum, addito in nonnullis* BIA. ✕ BIATEC. *Typus similis.* AR. I. AE. I. (Mus. Caes.)

6) *Caput muliebre colligatis filo crinibus.* ✕ BIATEC. *Aper venabulo trajectus.* AR. III. (Editus in Catal. Mus. Caes. Tab. VI. n. 17.)

7) BIATEC *scriptum per medium numi, superne velut manus divaricatis digitis.* ✕ *Luna crescens, ut videtur, divergentibus radiis.* AV. III. (Mus. Caes.)

8) BIAT. *scriptum in parte numi convexa.* ✕ *Bina velut ova conjuncta, oram ambiunt lineae in angulos ductae.* AV. III. (Mus. Caes.) Vide hujus numi iconismum in Catalogo mus. Caes. T. I. tab. VI. n. 16, et apud Neumannum Num. pop. P. I. p. 140.)

9) *Protome muliebris colligatis pone*

crinibus, prae illa ramusculus. ✠ BVSV. *Caput muliebre alatis humeris et respiciens impositum trunco equi cum cauda leonis sursum elata.* AR. I. (Mus. Caes.)

10) *Capita duo jugata, fere ut supra num.* 5. ✠ COBISOVOΛΛI. *(literis dubiis) Leo currens, infra quem.* RV. AR. I. (Mus. Caes.)

11) *Caput virile imberbe.* ✠ COIS/Λ. *Quadrupes, quae ursa videtur, arrecto corpore humi sedens, juxta stans vir succincto habitu d. hastam, omnia intra coronam.* AR. I. (Mus. Caes.)

12) *Caput virile diadematum.* ✠ CONGE. *Eques citato cursu, d. hastam intorquens.* AR. I. (Mus. Neumann.)

13) COVNOS. *Protome Palladis cum aegide.* ✠ *Eques nudus citato cursu intra coronam.* AR. I. (Neumann Num. pop. P. I. tab. IV.)

14) *Caput virile diadematum.* ✠ ECCAIO. EICCAIO. *Eques citato cursu d. hastam intorquet, in area monogramma* ΛR. AR. I. (Mus. Caes.)

15) *Protome juvenilis nudo capite prae quo hedera adsurgens, pone* ΛA. ✠ EVOIVRIX. *Equus currens, sed cujus pedes pro ungulis habent ungues avis rapacis, et cauda est leonis.* AR. I. (Mus. Caes.)

16) *Caput virile diadematum.* ✠ ELVIONA. R. *Eques citato cursu.* AR. I. (Mus. Neumann.)

FARIEΩ, vel FARIΛIΩ vide supra num. 2.

17) *Caput virile diadematum.* ✠ ΛENET. *Eques d. hastam.* AR. I. (Mus. Caes.)

18) *Protome juvenilis, prae qua ramus.* In aliis: *Caput juvenile.* ✠ NONNOS. *(etiam retrograde.) Eques citato cursu variantibus attributis.* AR. I. (Mus. Caes.)

19) *Protome virilis capite nudo intra coronam.* ✠ NONNOS. *(retrograde.) Panthera currens.* AR. II. (Mus. Caes.)

20) *Arbor ramis opaca, in cujus medio aries.* ✠ SVICCA. *Eques citato cursu, in area monogramma* AR. AR. I. (Mus. Caes.)

Addi his possent plures alii, quorum inscriptio literas continet integras quidem, sed quarum potentiam nequeo definire. Addi possent similis naturae alii, sed anepigraphi, sed quos praestat negligere, quia nihil praeterea amplius docent.

* * *

Hujus ergo operis numi, argenti et probitate, et mole (nam crasso sunt omnes orbiculo) conspicui, quam sibi velint patriam, inquirendum. Quam inique eorum aliquos viri eruditi in varias orbis plagas extorres fecerint, infra in singulis intuebimur. De eorum natali solo jam olim disputaveram dissertatione singulari, quae inserta est Diario apud nos Vindobonae edito: *Real-*

Y 2

zeitung 1. *April* 1777. Idem argumentum serius majore ἀκϱιβεια tractavit cl. Neumannus noster [a]). Vtriusque nostrum una est, et concors sententia, veterem Daciam, Moesiam superiorem, Pannoniam inferiorem, tum et mediterranea montanaque Moesiae inferioris, Thraciae, Macedoniae, Pannoniae, Illyrici similium esse numorum certam patriam. Causa hujus judicii una, eaque, quae fallere non potest, id genus numos incredibili copia his in terris hodieque effodi. Vnde sit, ut musea nostra propter viciniam hac merce abundent, et passim hi numi propter vilitatem furno soleant mandari. Proposita hac sententia, quam a multis annis quotidiana fere experientia habemus comprobatam, possum abstinere argumentis aliis, quae laudatis locis praesto habes. Superest, ut variorum lapsus in definiendo eorum natali solo, tum si qua de horum nonnullis observatu digna videbuntur, commemorem, ac denique de eorum charactere aliisque causis aliqua addam.

Num. 1. ADNA. Numum sic inscriptum Pellerinius binis locis proposuit, utrobique esse numos veteres Hispanienses judicavit [b]). Idem ejus fuit judicium de nonnullis sequentibus, ut patebit. Sequeretur ergo, majore eos copia in ipsa Hispania reperiri. Sin istud, cur eos praestans Florezius, veteris monetae patriae non praeco solum eruditus, sed et indagator indefessus in catalogum numorum Hispaniensium non recepit, et ne tum quidem, cum eos sibi a Pellerinio indicatos vidit? Ex quo apparet, insigni eos viro, quia non profert Hispania, nunquam numos Hispanienses fuisse creditos, ac propterea neglectos, tanquam monetam ad propositum non pertinentem. Omnes ergo conjecturas, quas de numis similibus propinavit Pellerinius, venti irritas abstulere.

Num. 2. FARIΛIΩ, ut legitur in meo. Pellerinius in suo non multum absimili legit FAPIAIΩ, eumque tribuit *Phariae*, hodie *Liesina*, Adriatici insulae juxta Illyricum [c]). Hujus fallaciam judicii jam agnovit nobil. Iacobus Gradenigo, qui ad me scripserat, sibi ejus insulae saepe hospiti numum similem nunquam fuisse oblatum. Vidi ejus generis plures alios in nostris museis. Cum in numis similibus aliis, et multo adhuc magis apud nos obviis, legatur AIIVO XIR, patet, nihil jam de Pharia cogitandum.

Num. 3. ATTA. Hunc quoque Pellerinius Hispaniensem putavit.

Num. 4, 5, 6, 7, 8, BIA. BIAT. BIATEC. De numis sic inscriptis mirum, quam fuerint varia eruditorum judicia. Potes ea intelligere ex fastidiosa Archaeophili et Dulodori apud Begerum contentione, variantibus studiis jam pro urbe Messeniae, in qua Bias amnis, jam pro Biatia Hispaniae, jam pro Bisaltis, vix tandem ab interveniente Philormo lite dirempta [d]). Pellerinius sibi constans in BIATEC regulum Hispaniensem vidit. Istud certum, nostris in museis nihil esse hoc numorum

a) Num. pop. P. I. p. 135. seq. b) Rec. I. p. 11. Suppl. I. p. 9. c) Rec. III. p. 118.
d) Thes. Brand. T. I. 522.

genere vilius tritiusque. Numi 7. 8, quia aurei, et necdum aliunde cogniti, observari merentur, et habet museum Caesareum utriusque plura exemplaria, sed in quibus deest epigraphe, tamen quia typos, pondus, fabricam habent plane geminam, nemo sanus adhaerebit, quo minus et hos anepigraphos eodem cusos auctore adfirmet. Erant, qui opinabantur, numulos similes posse accenseri iis aureis, qui frequenter, et magna nonnunquam copia in Bohemia effodiuntur, quia illis spectato pondere et fabrica proxime accedunt. Vide, quae de hoc dubio prolixius disseruit Neumannus [a]). Sin istud, certum perinde erit, etiam numos inscriptos BIATEC esse Bohemicos. Tamen certissimum est, hos, de quibus agimus, aureos nihil habere commune cum Bohemicis illis, partim quia tam nitida scriptura BIATEC fastidit saecula illa medii aevi barbara, quibus aureos illos Bohemicos cusos constat, partim quia numi id genus aurei mihi ex Hungaria et Transilvania adlati fuere, partim quia tum argui posset ac deberet etiam argenteos inscriptos BIATEC esse Bohemicos, cum verisimile non sit, regulum ejusdem nominis fuisse et in Bohemia, et in Oriente, et tamen argentei hi omnes ex Oriente nobis adferuntur, partim denique, quia in numis certis Bohemicis, etsi spectatis nonnullis causis videantur his nostris esse similes, tamen iidem typi comperti nondum sunt, ut patet ex iconismis numorum, qui anno labentis saeculi LXXI. prope Podmokl Bohemiae pagum pondere librarum LXXX. reperti sunt, quosque aeri incisos dedit Adauctus Voigt in dissertatione Pragae forma epistolari edita, cui titulus: *Schreiben an einen Freund etc.*

Num. 20. SVICCA. Numos quoque sic inscriptos in Hispaniensibus putavit Pellerinius.

* * *

Characterem horum numorum constituunt typi, modus picturae, et fabrica.

Antica offert caput aliquod, adstituto saepe, etiam utrinque, ramusculo, numi oram praeter globulos, quos *Grenetis* appellamus, claudentibus variae formae anfractibus. Aversam plerumque occupat eques, typus tam cultis, quam barbaris populis placitus. Sed et amabant animalia ex variis naturis composita, quod institutum barbarum diceremus, nisi eos excusarent Graecorum Chimaerae, Sphinges, Centauri etc. Vtrum valuerint in symbola, et allegorias, an ex mythologia privata fuerint petita, ignoramus, *carent quia vate sacro.* De captis ex alieno typis agemus articulo sequente.

Picturae modus barbariem omnino spirat. Apparet haec cumprimis ex capitibus anticae, et equis aversae. Quam haec saepe fuerint monstris, ac portentis similia, dicetur proxime.

a) Num. pop. p. 140.

Materia numorum est argentum, perrarum aes. Ex quo efficitur, numos hos deberi regionibus, quae argento fossili abundabant, quo sane abundasse eas, quibus istud numorum genus tribuimus, satis constat. Sunt etiam aurei, sed rari. Argentum est solidum crassumque, sed sunt etiam aurei argenteique metalli tenuioris, parte una convexi, alia concavi. Aurei parvi inscripti BIAT., quos dedimus in catalogo numero 8, hujus sunt formae, ac propterea in *scutellis iridis* habiti, de qua anili fabula lege laudatam supra epistolam Adaucti Voigt.

Vocabula his numis inscripta esse principum barbarorum ejus tractus, dubitari nequit; nam si essent urbium, non potuissent ea sic interire, ut eorum nullum omnino exstaret indicium sive in historicis, sive geographis. Horum nomina regulorum historiae fuerunt indicta, quia latibulis suis inclusi emergere aut noluere, aut ausi non sunt. Quis Decebalum hodie novisset, nisi bello cum Romanis fuisset collisus?

Superest, ut de horum aetate numorum judicemus quoque. Quia literis sunt Latinis inscripti, necesse est signatos eos fuisse tum, ex quo Romani coeperunt eorum ditioni propius imminere. Iam inde a capta Macedonia, et maritimo Illyrico Roma mediterraneis his populis coepit innotescere et timeri. Propiores deinde causae imperante Augusto, Romanis per bella Dalmatica, Illyricana, Pannonica magis introrsum progressis, capta denique etiam omni Thracia, deletisque vicinis barbaris. Factum ex hac utriusque populi vicinia, ut magna pecuniae Romanae vis etiam in regiones trans Istrum positas ope commercii inferretur, quod quidem factum fuisse satis mature, non modo verisimile est, sed etiam plane evidens propterea, quia ingens monetae quoque consularis numerus in Transilvania, quae veteris Daciae pars fuit, fere indies eruitur. Paullatim ergo barbari literarum usum didicere, quo modo et Galli veteres parte Galliae, quae in meridiem vergit, in provinciam redacta, Latinis literis suam coeperunt insignire monetam. Vide ad hoc argumentum pertinentia alia articulo sequente. Ab hac ergo epocha istud numorum genus tuto licebit ducere, neque antea, quia Romani tum adhuc ignoti, et constat experientia, barbaros tum sibi Graecorum potius monetam imitandam sumpsisse, ut dicetur proxime. Neque ultra Trajanum ejus velim fines prorogari, quia verisimile est, Dacia ab hoc Romano imperio subjecta barbaras ejus tractus nationes deinceps a feriunda pecunia abstinuisse.

Ex quibus liquet, numos similes, tum et eos, quos continuo in plagiis enumerabimus, male a Patino [a]), et Iob erto [b]) vocari *Gothicos*, cum eorum aetas, ut alias causas negligamus, longe Gothorum aetatem antevertat. Longe etiam a vero aberravit Frölichius, cum

a) Hist. de Méd. cap. XII. b) Science des Méd. T. I. p. 96.

conjecit, numos similes, qui sunt laboris mediocris, signatos quarto saltem aerae Christianae saeculo, qui pessimi, post sextum fere saeculum a variis barbaris, Moesiam, Macedoniam, Thraciam, Pannoniam inundantibus, Hunnis, Slavis, Bulgaris aliisve procusa videri [a]). Vel solae causae, quod hac aetate nuspiam tanto pondere, et crassitie numi signati non sunt, et quod, si qui horum populorum ea aetate monetam suam habuere, eam plane ad morem communis tum monetae Byzantiae signaverunt, hanc conjecturam plane evertunt.

---

a) Ad num. regg. vett. accessio nova pag. 46.

PLAGIA BARBARORVM NVMISMATICA.

Cum ante annos complures musei Caesarei numos veteres in ordinem redigerem, justo numero sese mihi obtulere numi operis haud dubie barbari, sic tamen, ut satis appareat, barbaros, quicunque ii fuere, typos monetae seu Graecae, seu Romanae sibi imitandos sumpsisse. Quoniam ad varias rei numismaticae causas non parum prodesse videbatur, barbarorum istud institutum manifesta quadam ratione explicatum proponere, coepi numos similes in unum locum conferre, hac tamen lege, ut singulis adstituerem archetypon sive Graecum sive Romanum, quod barbaris imitari placuit, et quod cum numo barbaro collatum imitationis servilis dubium omne continuo aufert. Placuit istud hominum incultorum institutum vocare *plagium*, cujus causam non tribuimus voluntati barbarorum in alienum honorem fraude involandi, sed stupori gentis, et ignorantiae, cui recte applicaveris illud Horatii: *O imitatores, servum pecus!* Res ab exemplis manifesta fiet. Dabimus ergo primum praecipuorum hujus classis numorum aliquem conspectum, deinde quae observanda venient, paucis praecipiemus. Numi omnes capti sunt ex museo Caesareo.

* * *

1) *Caput Bacchi.* ✠ *Hercules stans.* AR. I.

Thasiorum nota tetradrachma imitatus est monetarius barbarus. Nihil plane ex archetypo idem neglexit, sed expressit modo, quo potuit. Epigraphen ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. ΘΑΣΙΩΝ finxit globulis parallelo situ positis. Pictura ipsa ultimae est ruditatis argumentum. Vide quae de similibus numis in moneta Thasiorum notavimus.

2) *Caput Apollinis laur.* ✠ *Vir bigis vectus, infra fulmen.* AV. II.

Exemplum petitum ex numis aureis Philippi Amyntae. Epigraphen ΦΙΛΙΠΠΟΥ barbarus item sex globulis absolvit. Reliqua omnia ingenio barbaro digna. Exstant etiam similes aurei III. formae, quos frequenter reperiri in Gallia testatur Pellerinius, de quibus vide, quae notavi in Prolegomenis ad numos Galliae.

3) *Caput Iovis.* ✠ *Epigraphe literis luxatis. Eques.* AR. I.

Horum exemplum numorum sunt tetradrachma ejusdem Philippi II. Nihil hac rei numariae veteris illuvie ac sordibus magis tritum, arte plerumque, an scelerata dicam, an magis ridenda? Nemo Apelles barbariem felicius scitiusque pinxerit, quam in his barbaries semetipsam expressit, aut verius imitando superavit. Vt difficile est, eorum naturam adcurate describere, sic neque necessarium, quia parabiles sunt, et in omnium manibus versantur. Itali eos ab imagine generatim vocant *Caballos*. Vide, quae de his alia jam monui in numis Philippi II., et monebo adhuc infra.

4) *Caput Palladis*. X *Victoria stans*. AV. II. III.

Typi capti ex moneta aurea Alexandri M. Par in his ruditas, gemina barbaries.

5) *Caput Herculis*. X *Iuppiter aetophorus*. AR. I. III.

Nota moneta argentea ejusdem Alexandri M., ex qua hi typi sunt deprompti. Quo loco in hac est epigraphe ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, eodem in his barbaris leguntur literae distortae, et nullo sensu. Non satis Pellerinio hujus mercis natura perspecta fuit, qui numum similem, qui etiam est in museo Caesareo, esse Thessalonicae, vel Thespiarum conjecit [a]). Nobis, quibus efferata haec moneta fere domestica est, verum de ea judicium in proclivi est.

6) *Caput Dianae prominente pone arcu et pharetra*. X *Eques*. AR. I.

Imago partis anticae capta est ex obviis tetradrachmis inscriptis ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΗΣ. Hos frequentius barbaris imitari placuit, quia ex vicino petiti. Copiosos vidi variis modis barbaros, seu typis, seu literarum inconcinna forma, quorum unum aeri incisum dedit Neumannus [b]).

* * *

En numorum exempla, qui captos ex Graecorum moneta typos aperte profitentur. Nimirum barbari, cum monetae usum ad causas commercii opportunum viderent, atque ipsi abundarent metallo, coepere et ipsi intra fines suos eam ferire. Sive autem in se nihil reperere subsidii ad reperiundos typos, qui ad se unos pertinerent, sive magis conducere commerciis est visum, si monetam suam adcommodarent ad eam formam, qua usi sunt finitimi, placuit denique horum monetariam legem spectatis typis, et saepe pondere ac metallo imitari. Idem fecisse barbaros Gallos imitando numos Graecorum Massiliensium, diximus in prolegomenis ad numos Galliae. Numi, quos descripsi, quorum fuerint barbarorum, facile est intelligere. Archetypa, ut vidimus, sunt Thasiorum, qui insulam Thraciae, fere contiguam inhabitabant, et Macedonum. Ergo necesse est, numos hos signatos fuisse a barbaris, qui his vicini fuere, et propter viciniam archetypa,

a) Suppl. I. p. 11. b) Num. pop. P. II. p. 137.

quae imitarentur, prae manibus semper habuere, ergo a nationibus barbaris a Thracia maritima et Macedonia in septentriones positis, scilicet ab iis ipsis, a quibus numos articulo praecedente descriptos dixi fuisse cusos. Atque haec quidem causa est, cur in hac numorum classe non compareant, saltem quod ego norim, vocati ad imitationem numi Atheniensium, Boeotorum, Epirotarum, aliorumve populorum, quorum moneta passim est obvia. Nimirum quia hi longius ab suis finibus distabant, eorum etiam numi minus sibi fuere cogniti, neque in commercii usum recepti. At vero quantum olim hujus tractus barbari abundaverint numis Thasiorum, Philippi II., ejusque filii Alexandri, tum et numis ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΗΣ, argumento esto, quod horum ipsorum ingens copia ibi frequenter ex terrae sinu emergit, quos adeo fere solos sibi ob dictas causas imitandos sumpsere. Praecipuus fuit ad imitandos Philippi II. numos ardor et contentio; nam omnia musea abundant tetradrachmis barbaris, in quorum una parte est caput Iovis, in altera eques. Iam iisdem typis ab eodem archetypo captis usus est in moneta sua Audoleon Paeoniae rex Philippi II. aequalis, atque jam in hujus numis observare licet opus saltem semibarbarum, etsi Paeonia cultae Macedoniae fuit finitima. Ergo necesse est credere, numos cum iisdem typis, sed pictura plane abnormi, signatos fuisse a barbaris magis intus loca mediterranea obtinentibus, et a Graecorum cultura remotioribus. Denique ne dubitari possit, eum, quem dixi, tractum certam esse horum numorum patriam, sciendum est, ibi, neque alibi obscoenam hanc mercem supra quam credi potest, copiose ac frequenter indies reperiri. Barbarae hujus monetae origo ducenda videtur ab ejus ipsius Philippi II. aetate, qua propter incredibilem ejus numorum copiam, tum et viciniam barbaris pecuniae commoda magis coeperunt innotescere. Forte monetae Thasiae imitatio remotius sibi aevum postulat. Numos ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΗΣ. barbari nonnisi post captam a Romanis Macedoniam imitari poterant. Iidem serius cognita Romanorum moneta, et jam magis magisque invalescente ad hujus typos in suam transferendos deflexere, ut dictum articulo proximo, et dicetur continuo.

* * *

Procedimus ad barbarorum artem monetae Romanae imitatricem allatis aliquot ejus exemplis.

7) *Caput Palladis galeatum alatum, addita nonnunquam etiam pone nota* X., non raro obvium in numis Gallicis, exemplo sumpto a denariis Romanorum consularibus.

8) *Caput genii barbatum diadematum.* Ꭓ RAVIS. *Sceptrum laureatum, globus, gubernaculum.* AR. III. Typus ex denariis Corn. Lentuli.

9) *Caput Iunonis Sispitae.* Ꭓ RAVIS *Gubernaculum, globus, tridens, vel fulmen.* AR. III. Antica ex denariis gentis Papiae vel Rosciae, aversa ejusdem Corn. Lentuli.

Inscriptum his numis RAVIS videtur esse nomen barbari reguli perinde ac BIATEC, et similia alia.

10) IMP. SPONSIANI. *Caput radiatum.* ℞ C. AVG. *Columna, super qua statua d. hastam tenens, ex columnae basi exsurgunt duae spicae, adstat hinc figura togata utraque manu incertum quid tenens, et pede sinistro aliquid incertum premens, inde vir augurali habitu cum lituo.* AV. II. Typus aversae est ex denariis C. Minucii Augurini, qua de causa ad hanc classem numus hic certe pertinet. Ceterum quae mea sit de praetenso hoc *imperatore Sponsiano* sententia, aperiam in moneta imperatorum post numos Philipporum.

11) PLAVTIVS. *Persona adversa.* ℞ *Aurora gradiens d. hastam, s. binos Solis equos freno ducit.* AV. II. Vtriusque partis typus est ex denariis gentis Plautiae.

Exstant in museo Caesareo similes aurei tres, etsi hujus generis alius ex locupletissimis museis editus necdum sit. Reperti sunt anno 1713 in Transilvania cum pluribus aliis barbaris aureis, et in museum Caesareum illati. Vide de his plura in numis gentis Plautiae.

12) *Capita jugata virile laureatum, muliebre galeatum.* ℞ BIATEC. *Eques citato cursu.* AR. I. Antica est ex denariis gentium Fufiae et Muciae.

13) *Caput muliebre colligatis filo crinibus.* ℞ BIATEC. *Aper venabulo trajectus.* AR. III. Antica est ex gente Carisia, aversa ex Hosidia.

Addendi his numi familiarum, quos barbari spectatis typis, metallo, pondere plane geminos restituerunt, sed picturae legibus tam perversis, ut in risum solvi necesse sit spectatorem elegantibus culti populi formis adsuetum. Ejus generis exempla plura dedi in Catalogo musei Caesarei [a]. In his imitandis tam anxii et diligentes fuere monetarii barbari, ut ne quidem literas solitarias, aut minuta sigilla areae numi impressa negligenda putarent.

Neque a restituendis hoc modo Augustorum numis barbarae manus sese abstinuere. Notus denarius Augusti, in cujus aversa: C. L. CAESARES. etc. *Cajus et Lucius togati stantes etc.* ab iis, nescio cur, impensius fuit lectus, in quo artem suam exercerent. Sunt ejus in museo Caesareo exempla quinque variarum matricum, operis omnia insignite pravi, quorum aspectum vix perferant oculi. Sunt etiam aliorum imperatorum numi ejusdem artis in omni metallo et forma.

* * *

Iam supra indicavi, paullatim viciniam Romanorum occasionem dedisse barbaris, ex eorum moneta typos petendi. Vt opus monetarium, sic et typorum dilectus fuit dignus barbaro populi ingenio. Nemo enim sibi persuadebit, in hoc eos certam aliquam rationem et consilium secutos. Quo enim pacto bar-

a) P. I. p. 291.

bari adcommodare sibi poterant typos, quos Romani ex civitatis suae rebus gestis petivere? aut quid barbaris cum Romanorum mythologia, institutis, belli pacisque artibus, cum illi suam haberent religionem, suisque se ipsi legibus regerent? Atqui hanc ipsam optionem fuisse argumentum ingenii barbari, neque hujus tantum aevi, aut populi, docebunt numi, quos multis abhinc saeculis barbari alii alio sub sole positi signavere, quorum postremo meminisse juvat.

* * *

Postremum plagii numismatici exemplum suppeditant numi Arabum, quorum, etsi extra instituti mei fines se porrigunt, oportet tamen meminisse, quia eorum argumenta capta sunt ex numis intra ditionem meam positis. Huic causae nequaquam diu immorabor, contentus indicasse egregiam dissertationem, quam de his praestantissimus in studiis nostris Barthelemyus magno cum judicio, additis etiam numorum imaginibus conscripserat [a]). Pauca inde excerpam. Sunt hi Arabum numi omnes Mahometo posteriores, quin non ante saeculum post Christum natum XII. signati. Patria iis Mesopotamia, Syria, aliaeque regiones vicinae. Continent nomen principis, et aliquam ex Corano sententiam, tum et non raro annum Hegirae, atque haec omnia Arabum lingua, etsi difficile sit saepe literarum valorem definire, quia punctis vocalibus, aliisque signis destituuntur. Plagii vero indicium certissimum sunt capita, aut typi ex numis seu Graecis, seu Romanis petiti. In horum uno v. g. est caput luculentum veteris cujusdam Syriae regis, quod Seleuco VI. tribuit Frölichius, qui numum in suis Syriae annalibus ex museo Caesareo vulgaverat, at Barthelemyus ex simili suo esse Antiochi VII. conjicit. In aliis comparent capita Gordiani, Constantii, vel imperatorum Byzantiorum, quin et protome Christi capite nimbato, et evangeliorum librum manu gestantis, quae in numis Byzantiis obvia est. In aliis stat virgo deipara, quae adstanti imperatori diadema imponit, obvius item typus in Byzantiorum moneta, nisi quod religiosus monetarius Arabs cruculam, quae in his diademati, et globo, quem imperator manu praefert, imminere solet, omisit, nimium scilicet manifestam Christiani ritus notam. Atque ne de plagio vel minimum dubitari possit, adfert Barthelemyus numum, in cujus una parte; *Epigraphe Arabica sine typo*, in altera: VICTORIA. CONSTANTINI. AVG. *Victoria stans tabulam praefert, cui inscriptum:* VOTA. XXX. *infra* SIS., qui typus totus captus est ex aversa numi Constantini M. Ab his ergo exemplis jure arguit auctor eruditus, quoniam hi typi nullum habent cum Arabum rebus nexum, barbaros horum monetarios in alienos numos, qui primi sibi occurrerant, temere nulloque consilio involasse, quin, quorum sint ea capita, ipsi intelligerent, parumque solicitos, utrum arrepti ex alieno typi cum moribus et institutis suae gentis

a) B. L. Tom. XXVI. p. 557.

possint componi. Quorum dynastarum Arabum sint hi numi, et quo pacto hi sibi permissum putaverint, signare in monumentis publicis imagines Mahometi lege vetitas, vide apud laudatum auctorem. Quam longe a vero aberraverit Hadrianus Relandus in dissertatione de marmoribus Arabicis, et numo Arabico, quae inserta est Memoriis Trevoltiensibus in Februario 1706 pag. 227, ex praeclaris his Barthelemyi commentariis patet. Ceterum habuisse Arabas jam saeculo VII. post Christum monetam suam, eamque auream, et propria sua nota insignem, docuit diserte Zonaras a), de quo testimonio agetur alibi.

* * *

Denique barbari etiam plagii piaculo se obstrinxisse videtur numus Hadriani I. papae rarissimus, ac singularis, quem ex museo suo in lucem protulit Benedictus Floravantes b).

HADRIANVS. PP. *Protome Hadriani.* ✠ VICTORIA. DNN. *Crux super basi, hinc* R *illinc* M, *in imo* CONOB.

Nemini ignotum, numi hujus aversam in numis aureis imperatorum Orientis obviam esse, tritamque. Verum quis Victoriae cum pontificis R. imagine nexus? Rem insolentem sic explicat Muratorius, qui numum hunc restituit c): *Ius cudendae monetae jam accepisse videntur Romani pontifices a Graecis imperatoribus. Sed quis adhuc urbis dominus foret, indicatur per siglas illas DNN. significantes aut domini nostri, aut dominorum nostrorum.* Verum hanc explicationem ejus temporis peristases non admittunt. Hadrianus I. pontificatum suscepit anno Christi 772. At jam inde a Leone III. Isauro, qui anno Chr. 717 Orientis imperium adivit, pontifices Romani, et Italia cum imperatoribus collisi, quod sanctarum imaginum cultum ejurare jubebantur, detrectato denique obsequio, caesis, aut pulsis Graeci nominis omnibus in libertatem sese adseruere. Vrgentibus deinde Longobardis, et Romae ipsi imminentibus, cum imperatores Graeci ferre opem aut nollent, aut non possent, coacti sunt pontifices R. Francorum, et qui tum his praefuere, Caroli Martelli, Pipini, Caroli M. auxilia sibi adjungere. Horum ope fractis primum barbaris victor Pipinus pontificibus exarchatum Ravennatem cessit, quem iis non multo post Carolus M. Desiderio postremo Longobardorum rege in exilium ejecto confirmavit, quod factum anno Chr. 774, qui fuit tertius Hadriani I. Ergo is facta ad vires sacras opis profanae accessione altius coepit efferre caput, et jacere fundamenta ejus potentiae, quam deinde in omnis fori causis paene infinitam expertus est orbis, cujusque velut quidam cardo, praeludium, primumque tentamen fuit moneta publica, imagine sua, imperantium principum more, insignis, cujus pars est numus, in quo sumus, quod ne ipse quidem Floravantes inficiatur, haec in ejus explicatione ponens d): *praetermissum in eo imperatoris nomen ostendit,*

a) L. XIV. c. 22. b) Antiquiores Pont. Rom. denarii p. 1. c) Antiq. Ital. med. aevi T. II. diss. XXVII. p. 548. d) l. c. p. 10.

tunc penes Romanos pontifices summam urbis dominationem, cudendaeque monetae jus omne, ac potestatem exstitisse. At pars aversa violenter ex numis imperatorum Orientis in monetam pontificiam translata non inique numo praesenti in hac plagiorum classe stationem adsignat, urbe Roma, omnique Europa saeculo VIII., et quae secuta sunt, non multo minus barbara, atque olim fuere Dacia, Moesia, aliaeque, quas commemoravi.

OBSERVATA GENERALIA

AD PARTEM I. HVIVS OPERIS.

PRAEFATIO.

Enarratis, explicatisque urbium, populorum, regumque numis nondum mihi omnia ad communem utilitatem satis videbantur esse provisa, nisi et generales quasdam causas, ac peristases, quas complures hujus classis numi inter se communes habent, tractandas exponendasque susciperem. Et vero separato eas loco, confertasque fuisse proponendas, tum et explicandas, ipsa rei natura palam est visa postulare. Enimvero, ut paucis isthaec exemplis illustrem, cum non una fuerit urbs, sed plures aliae, quae v. c. Asiarchas, epocham Seleucidarum, formulam ΑΝΕΘΗΚΕ, ludos Pythios, certos quosdam honorum titulos etc. numis suis inscripsere, nullam habui certam rationem, cur varia haec inscripta, et quae ad haec observanda fuere, in numis potius Ephesi, quam Pergami, Byzantii, quam Sardium memorarem. Ad haec uno etiam quopiam, certoque loco explicanda sunt, quae ad evolvendam epocharum naturam, easque computandi modum, coloniarum, municipiorumque, tum et metropolium variam significationem, et quae sunt id genus alia, pertinent. Viderit hactenus lector, numos heroum, heroidum, conditorum, personarumque illustrium a me non in certam quampiam classem, quod a plerisque hactenus factum, fuisse tributos, sed enarratos in iis urbibus, ex quarum officinis monetariis prodivere. At proxime singulorum revocabuntur nomina addito natali solo, cujus eos seu veneratio, seu adfectus

monumentis publicis inseruit, tum et commemoratis honoribus, et cultu, quo urbes Graecae heroes suos, conditoresque ornare publice, et praedicare consueverunt.

Haec et similia, quod reliquum est hujus voluminis, omne complectetur, quo perlecto facile quis intelliget, commentarios hos non modo continere eruditionem ejus generis, quae cum re numismatica proxime connectitur, sed et varias amoliri difficultates, quae progressum in praestantissima hac arte vulgo solent impedire. Eodem olim consilio Vaillantius quoque operi suo, quo imperatorios Graecorum numos in unum contulit, adjecit prolixos commentarios, in quibus sparsam disjectamque per totum opus variae indolis materiem revocavit, et in certas classes distribuit, explicavitque. Verum multa is neglexit, quia ad institutum suum non pertinuere, multo in iis plura corrigenda, quae auctior, sinceriorque nostra hac aetate numorum veterum supellex aliter esse capienda palam imperat.

Quae sint variae partes, quibus universus hic tractatus componitur, indicatas reperies in conspectu, quem principio hujus voluminis IV. praefiximus.

OBSERVATA GENERALIA.

CAPVT I.

DE MAGISTRATIBVS
ET
TITVLIS HONORIFICIS.

Magistratuum perfrequens est in moneta urbium populorumque, tum et nonnunquam regum mentio, cujus adferre exempla supervacaneum. Nam cui ignota esse possunt numismata Dyrrhachii, Apolloniae, Athenarum, Chii, Cyrenes etc.? Saepe duos vel tres, eosque variae potestatis unus, idemque numus continet.

Hi magistratus vel enunciantur simpliciter nulla praefixa particula, et vel in recto, vel obliquo, ut in Dyrrhachenis hinc ΜΕΝΙΣΚΟΣ, illinc ΑΡΧΙΠΠΟΥ, vel adjunctam habent praepositionem aliquam, ex quibus usitatissimum est ΕΠΙ, *sub*, de quo latius agemus infra in tractatu de magistratu eponymo cap. II. Frequenter, ac praecipue in numis urbium Moesiae praefigitur ΥΠΟ. Insolentior est praepositio ΔΙΑ Phrygiae nonnullis urbibus familiaris, ut: ΔΙΑ. ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΥ. Vide hanc

phrasin explicatam in moneta Attudae Phrygiae. (Vol. III. p. 142.) Praefixum ΠΑΡΑ in unico Apameae Phrygiae numo observavi: ΠΑΡΑ. ΑΤΡ. ЄΡΜΟΤ.

Magistratuum nominibus adjicitur nonnunquam mentio patris, ut in numis Erythrarum Ioniae: ΓΝΩΤΟΣ. ΕΚΑΤΩΝΤΜΟΤ, vel ΠΟΛΤΚΡΙΤΟΣ. ΠΟΛΤΚΡΙΤΟΤ, rarius avi, ut in numo ejusdem urbis: ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΟΣ. ΗΡΑΚΛΕΟΤ. ΤΟΤ. ΕΠΙΚΟΤΡΟΤ.

De magistratibus, qui dignitatem suam in numis non addunt, in praesente commentario agere non instituo. Neque enim de his aliud praeter conjecturas aridas adferri potest. Quod si quid de his certum, dignumque potest perhiberi, istud in ipsis ejus urbis, cujus fuere magistratus, numis sumus persecuti. Hujus ergo loci tantum erunt magistratus illi, qui, cujus generis fuerint, in moneta sunt confessi, aut quorum etiam non confessorum dignitas, quod tamen rarius factum, facile potest intelligi.

Praesens tractatus suapte in sectiones binas dividitur, quarum prima continet magistratus domesticos urbium, populorumque, altera magistratus Romanos, quos civitates subjectae observantiae causa monetae suae inscripserunt. Vtraque magistratus sacros aeque, ac profanos continebit, omissis tamen NEOCORIS utriusque sexus, quos opportunius in tractatum de populis, et urbibus neocoris differemus. Addemus etiam, qui magistratus non fuerunt, sed tituli tantum honorifici, cujusmodi fuit *sophistarum*, quorum condito προαιρεσις tantum fuit, id est, vitae institutum, aut *parentum*, vel *patronorum*, quos titulos solus adfectus, et observantia parturivit.

Erit ergo partium praesens caput constituentium ordo sequens:

SECTIO I.

MAGISTRATVS DOMESTICI.

§. I. De Ordinibus civitatum.

§. II. De Archontibus, Praetoribus, Scribis.

§. III. De Ephoris.

§. IV. De Prytanibus.

§. V. De Quaestoribus.

§. VI. De Pontificibus.

§. VII. De Asiarchis.

§. VIII. De Stephanephoris.

§. IX. De Panegyriarchis, Agonothetis, Gymnasiarchis.

§. X. De Theologis.

§. XI. De Hieromnemone.

§. XII. De Amphictyonibus.

§. XIII. De Curatoribus, qui in numis: ΕΠΙΜΕΛΗΤΑΙ, ΕΠΙΣΤΑΤΑΙ.

§. XIV. De Sophistis.

SECTIO II.

MAGISTRATVS ROMANI.

§. I. De Ordinibus Romanorum.
§. II. De Consulibus.
§. III. De Proconsulibus, Propraetoribus, Legatis, Praesidibus.
§. IV. De Quaestoribus, Proquaestoribus, Quaestoribus pro consule, Quaestoribus pro praetore.
§. V. De Procuratoribus.
§. VI. De Pontifice, Septemviro Epulonum.
§. VII. De Parentibus, Patronis.

§. I.

DE ORDINIBVS CIVITATVM.

Vt Romanorum status politicus divisus fuit in ordinem senatorium, equestrem, et popularem, iisque impositi annui consules, sic et civitates Graecae constabant senatu, populo etc. quibus praefuit annuus archon, praetor, prytanis, aut quocunque alio nomine magistratus, atque ut obvium est illud Romanorum, *placuit senatui*, *populoque Romano*, sic et obvium illud Graecorum: εδοξε τη βϑλη και τω δημω Σμυρναιων, Περγαμηνων, Εφεσιων κ. τ. λ. Non raro ordines plures Graecorum psephismatis praefiguntur, velut in marmore, quod edidit Cuperus a): H. BOΥΛΗ. ΚΑΙ. Ο. ΔΗΜΟΣ. ΚΑΙ. Η. ΓΕΡΟΥΣΙΑ. ΚΑΙ. ΟΙ. ΝΕΟΙ. ΕΤΕΙΜΗΣΑΝ.. ΑΤΤΑΛΟΝ. κ. τ. λ. *Senatus*, *et populus*, *et seniores*, *et juniores honorant Attalum etc.* qui quidem varii ordines collecti uno vocabulo ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ in numis Tarsi et Anazarbi Ciliciae urbium expressi mihi videntur, quemadmodum eosdem ordines, aut certe totum archontum collegium vocabulo ΣΥΝΑΡΧΙΑ in numis Antiochiae Cariae indicatum alias diximus b).

Non est mihi propositum, variorum horum ordinum omnes causas, fines, jura exponere, praecipue cum haec in singulis urbibus variaverint, et nos in his explicandis plerumque destituant superstites scriptores veteres. Eos tantum hoc loco commemorabo, quorum numi meminere.

ΒΟΥΛΗ. vel ΙЄΡΑ. ΒΟΥΛΗ. *Sena-*

a) Lettr. de crit. p. 246. b) Vol. II. p. 574.

tus, *sacer senatus*, frequens in numis, praecipue provinciae Asiae. Etiam conjunctim ΒΟΥΛΗ. ΔΗΜΟϹ. in numo Nicopolis Moesiae, ΒΟΥΛΗ. ΔΗΜΟϹ. ΟΜΟΝΟΙΑ. in numo Nicomediae, vel: ΒΟΥΛη ΓΕΡΟΥσια, in numo Tiberiopolis Phrygiae. Fingitur hic civitatum senatus capite muliebri velato, in nonnullis velato et laureato, etiam capite viri juvenis nudo, aut laureato; in numo dictae Tiberiopolis typo mulieris stantis d. caduceum tenentis. Ceterum nomine ΒΟΥΛΗϹ notari senatum urbium Graecarum, ut nomine ϹΥΝΚΛΗΤΟΥ senatum Romanum, probabimus infra in Ordinibus Romanorum.

ΔΗΜΟϹ. -ΙΕΡΟϹ. ΔΗΜΟϹ. *Populus*, *sacer populus*, vel ΔΗΜΟϹ. ΑΤΤΟΥΔΕΩΝ. *Populus Attudensium*, et similiter. Saepe occurrit, ac frequentius in numis provinciae Asiae. Typus est caput juvenile nudum, vel laureatum, vel diadematum. In numo Laodiceae Phrygiae est caput barbatum laureatum. In numis Latinis Corinthi: PO-PVL*us* COL*oniae* COR*inthi*, vir togatus sedens dextera sublata. Varia populorum simulacra allegorica habemus apud Plinium et Pausaniam. Teste Plinio a) *pinxit Parrhasius demon* (populum) *Atheniensium*, *argumento quoque ingenioso. Volebat namque varium*, *iracundum*, *injustum*, *inconstantem*, *eundem exorabilem*, *clementem*, *misericordem*, *excelsum*, *gloriosum*, *humilem*, *ferocem*, *fugacemque*, *et omnia pariter ostendere.* Qua quidem in narratione nescio, utrum magis mirer, artificiumne pictoris, sin revera praestitit, quod adseritur, sin minus, quod magis verisimile, credulum Plinium. Refert Demosthenes b), decrevisse Byzantios, ut erigerentur in Bosporo statuae, sexdecim singulae cubitorum, argumento populi Atheniensis coronati a populo Byzantiorum et Perinthiorum, et teste Polybio Hiero, et Gelo binas statuas Rhodi posuerunt, nempe populum Rhodiorum a populo Syracusano coronatum c).

ΓΕΡΟΥϹΙΑ. Si vocabulum spectes, respondet Latinorum *senatui;* nam ut hoc a *senibus* dicitur, sic illud ἀπο των γεροντων. Et revera fuisse in nonnullis civitatibus Graecis ordinem seniorum, cui oppositus fuit ordo juniorum, discimus ex citato supra marmore Cuperi, in quo memorantur Η. ΓΕΡΟΥΣΙΑ. ΚΑΙ. ΟΙ. ΝΕΟΙ., *ordo senum et juniorum.* In alio ejusdem Cuperi d), quod stetit Magnesiae Ioniae: ΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΓΕΡΟΥΣΙΑ. ΚΑΙ. ΟΙ. ΝΕΟΙ. κ. τ. λ. Atque ut ΓΕΡΟΥΣΙΑ, *senatus*, sic et ΓΕΡΟΝΤΕΣ, *senes*, in marmoribus produntur. Legitur in Oxoniensi e): ΤΩ. ΣΕΜΝΟΤΑΤΩ. ΣΥΝΕΔΡΙΩ. - - - ΤΩΝ. ΕΝ. ΣΜΥΡΝΗ. ΓΕΡΟΝΤΩΝ. *summe venerando conlegio seniorum Smyrnae*, qua in oratione cumprimis observandum vocabulum σεμνοτατος, quod senibus proprie competit, tum et συνεδριον, quod conlegium et ordinem notat. Sic et teste Plutarcho f) additos regibus Spartanis optimates caussa senii Apollo Delphicus vocavit πρεσβυγενεας, Lycurgus γερουσιαν, quam quidem Pausanias vocat συνεδριον Λακεδαι-

a) L. XXXV. cap. 10. b) de corona p. 487. c) Hist. L. V. c. 88. d) Lettr. de crit. p. 281. e) num. 167. f) an seni ger. resp. p. 789.

μονιοις κυριωτατον της πολιτειας, *conlegium*, *penes quod apud Lacedaemonios summa civilis regiminis est auctoritas* a). Ejusdem rationis fuere secundum Livium missi a Carthaginiensibus ad petendam pacem *triginta seniorum principes*, de quibus continuo addit: *id erat sanctius apud illos consilium, maximaque ad ipsum senatum regendum vis* b). Vide de hoc argumento plura apud Hesychium, Festum, Varronem. (L. IV. de lingua Lat.) Fuisse vero *γερυσιαν* et *βυλην* ordines diversos, jam vidimus ex citato Tiberiopolis numo, in quo ΒΟΥΛη ΓΕΡΟΥ*σια*, tum etiam ex citato marmore Cuperi: Η. ΒΟΥΛΗ. ΚΑΙ. Ο. ΔΗΜΟΣ. ΚΑΙ. Η. ΓΕΡΟΥΣΙΑ. *κ. τ. λ.* Omnium vero certissime varios hos ordines distinguit Dio Chrysostomus: *ȣχ ὡς πρωην*, inquit, *χωρις ἡν ὁ δημος, και χωρις ἡ βυλη, και νυν ἐτι καθ' ἀυτυς ὀι γεροντες, δια το συμφερον ἑκαςων δηλονοτι σκοπυντων*, *non ut antea seorsim sua curabat populus, seorsim senatus, atque ut adhuc nunc sui juris sunt seniores, dum videlicet singuli sua unice commoda considerant* c). Et paullo infra d): *ἱνα γαρ την βυλην ἀρω, και τον δημον τε και τυς νευς και τυς γεροντας*, *ut enim senatum mittam et populum, et juvenes et senes.*

Video etiam locum ipsum, in quo congregabantur *ὀι γεροντες*, vocatum *Γερυσιαν*. Ejus testem produco Plinium juniorem e): *Nicomediae vastissimum incendium multas privatorum domos, et duo publica opera, Gerusian, et Isson,* (forte Iseon) *absumpsit.* Et Vitruvius f): *Croesi domus, quam Sardiani civibus ad requiescendum aetatis otio seniorum collegio Gerusiam dedicaverunt.* Quod et confirmat Plinius senior g).

Γερυσιαν bini tantum numi memorant, et quidem

Hierapolis Phrygiae: ΓΕΡΟΥCΙΑ. *Caput juvenile laureatum.*

Tiberiopolis Phrygiae: ΓΕΡΟΥ*σια*, *Vir togatus et velatus stans s. ramum dependentem*, ΒΟΥΛη, *Mulier stans d. elata caduceum.*

Qua ratione pingi solita sit gerusia, docet Dio Cassius narrans Trajani, antequam imperium susciperet, somnium h). *Εδοκει ἀνδρα πρεσβυτην ἐν ἱματιῳ και ἐσθητι περιπορφυρῳ, ἐτι δε και ςεφανῳ ἐςολισμενον, ὁια πυ και την γερυσιαν γραφυσι, κ. τ. λ.* *Visus sibi est videre virum senem tunica et veste purpurea indutum, coronatumque, quo modo gerusiam pingere solent, etc.* tametsi hoc loco Dio potius videatur designare senatorem Romanum, sed parum interest.

---

a) L. III. cap. 11. b) L. XXX. c. 16. c) Orat. XXXIV. p. 418. d) pag. 419.
e) L. X. epist. 42. f) L. IV. c. 8. g) L. XXXV. §. 49. h) L. LXVIII. §. 5.

§. II.

DE ARCHONTIBVS, PRAETORIBVS, SCRIBIS.

Conjungimus triplicem hunc magistratum, cum quod reliquis frequentius in numis reperitur, tum quod explicatio unius alterius etiam naturam illustrat. Singulorum principio damus catalogum, sed diversum ab eo, quem vulgavit Vaillantius in numis suis Graecis, in quo archontes, praetores, scribae ex numis cogniti ordine alphabetico recensentur. Magis utile visum, recensere ipsas urbes, quae vario hoc magistratu usae sunt.

Vrbes et populi, quorum magistratus

ARCHON.

Abydus Troadis: ЄΠΙ. ΑΡΧ. etc.
Acmonia Phrygiae.
Ancyra Phrygiae: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β.
Aphrodisias Cariae: ΤΙ. ΖΗΛΟΥ. ΠΡΩΤΟΥ. ΑΡΧ.
Apollonidea Lydiae: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β.
Attaea Phrygiae.
Bagae Lydiae: ΑΡΧ. Α. Β.
Blaundos Lydiae: ΑΡΧ. Α.
Byzantium Thraciae.
Cadi Phrygiae
Chius insula: ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΠΡЄΙΜΟΥ. ΔΙC. — ЄΠΙ. ΑΡ. ΧΡΥCΟΓΟΝΟΥ.
Cidyessus Phrygiae: ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΠΡΩτȣ ΠЄΙCΩΝΟC.
Cilbiani superiores Lydiae.
Colossae Phrygiae: ΤΙ. ΑΠЄΙΡЄΙΔΟC. ΑΡΧΩΝ.
Cos insula ex numis dubiis.
Cotiaeum Phrygiae.
Cyzicus Mysiae.
Daldis Lydiae: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Δ.
Dardanus Troadis.
Dorilaeum Phrygiae: ЄΠΙ. ΠΑΥΛΟΥ. Α. nisi το Α. aliud notet.
Germe Mysiae: ЄΠΙ. Γ. ΑΥΡ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΟΥ. Α. ΑΡΧ.
Gordus Iulia Lydiae: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β.
Hadriani Bithyniae: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β.
Hadrianotherae Bithyniae: ΑΡΧ. Α.
Halicarnassus Cariae: ΑΡΧ. Γ.
Hyrcania Lydiae: ЄΠΙ. Α. ЄΡΜΟΓЄΝΟΥC.
Hyrgalea Phrygiae: ΑΡΧΟ.
Iulia Phrygiae: ΑΡΧ. ΤΟ. Β.
Maeonia Lydiae: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β.
Midaeum Phrygiae: ЄΠΙ. ΑΥΡ. ΔΙΟΝΥCΙΟΥ. ΠΡ. ΑΡΧ.
Miletus Ioniae.
Myndus Cariae.
Nacolea Phrygiae.
Nicomedia Bithyniae: ЄΠΙ Α. ΑΡΤЄΜΙΔΩΡΟΥ. ΑΡΧ.
Pergamus Mysiae ex numo varie lecto.

Philadelphia Lydiae: ΑΡχοντος ΠΡωτȣ Β.
Priene Ioniae.
Saetteni Lydiae: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β.
Sardes Lydiae.
Silandus Lydiae.

Vrbes et populi, quorum magistratus

PRAETOR, ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ.

Acrasus Lydiae.
Adramytium Mysiae.
Aegae Aeolidis.
Anemurium Ciliciae.
Apollonia Ioniae.
Apollonia Lydiae: ΧΑΡΜΙΔΗϹ. ΝΕΙΚΟϹΤΡΑΤ. ϹΤΡΑΤΗΓΩΝ.
Apollonidea Lydiae.
Assus Mysiae.
Attaea Phrygiae.
Attalia Lydiae.
Aureliopolis Lydiae.
Bargylia Cariae.
Blaundos Lydiae.
Ceretape Phrygiae.
Cilbiani superiores Lydiae.
Cius Bithyniae.
Clazomenae Ioniae: ЄΠ. ϹΤ. ΖΩϹΙΜΟΥ. Τ. Є. id est: *quintum.*
Colophon Ioniae.
Cyme Aeolidis.
Cyzicus Mysiae.
Daldis Lydiae.
Dionysopolis Phrygiae: ϹΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟϹ. - - ΤΡΑΤΟΥ.
Dioshieron Lydiae.
Elaea Aeolidis.
Ephesus Ioniae.
Erythrae Ioniae.
Germe Mysiae.
Hadrianotherae Bithyniae.
Hermocapelia Lydiae.
Hierapolis Lydiae forte.
Hypaepa Lydiae: ЄΠΙ. ΚΗΡΙΝΘΟΥ. Δ. ϹΤΡΑΤ. Α.
Hyrcania Lydiae.
Lampsacus Mysiae.
Laodicea Phrygiae: ΑΓΡΙΠΠΙΝΟϹ. ϹΤΡΑΤΗΓΩΝ.
Lesbus insula.
Magnesia Lydiae.
Methymna Lesbi.
Metropolis Ioniae.
Metropolis Phrygiae.
Miletopolis Mysiae.
Mostene Lydiae.
Myrhina Aeolidis.
Mytilene Lesbi.
Nacrasa Lydiae.
Nicaea Bithyniae forte.
Nicomedia Bithyniae.
Pergamus Mysiae: ϹΤΡΑ. ΚЄΦΑΛΙΩΝΟϹ. ΤΟ. Β.
Perperene Mysiae.
Phocaea Ioniae.
Pionia Mysiae.
Pitane Mysiae: ЄΠΙ. ϹΤ. Μ. ΑΥΡ. ΠΟΒΛΙΟΥ. ΤΟ. Β.
Sardes Lydiae.
Silandus Lydiae: ЄΠΙ. ΔΗΜΟΦΙΛΟΥ. ϹΤΡΑΤ. Β.
Smyrna Ioniae.
Stectorium Phrygiae.
Stratonicea Cariae.
Tabala Lydiae.
Temnus Aeolodis.
Teos Ioniae.
Thessali: ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ. ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ.

Thyatira Lydiae.
Tralles Lydiae ex numo dubio.

Vrbes et populi, quorum magistratus

SCRIBA, ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ.

Adramytium Mysiae: ЄΠ. ΓΡΑΜΜΑΤ.
Antiochia Cariae: ΕΠΙ. ΓΡ.
Apamea Phrygiae: ЄΠΙ. ΓΡΑΜ. ΤΟ. Β.
Cilbiani inferiores Lydiae: ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ.
Ephesus Ioniae: ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ.
Laodicea Phrygiae.
Magnesia Ioniae.
Megara Atticae.
Mylasa Cariae: ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΟΝΤΟΣ.
Nysa Cariae: ΓΡΑΜ. ΤΟ. Β.
Pergamus Mysiae: ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΩΝ.
Tralles Lydiae.

* * *

ARCHON spectato etymo est, cui in alios est imperium, fuitque in non paucis urbibus archon appellatus is, cui a populo rerum summa permissa fuerat. Quin ex eadem potestatis causa Graeci nonnunquam archontem quoque dixere proconsulem Romanum, etsi hunc alias magis proprie ἀνθυπατον dicerent, cujus aliquot exempla adfert Spanhemius a), quo modo variatum fuisse cum vocabulo ἡγεμων, alias dicetur. Asander Bospori princeps *archontem* se in numis dixit, antequam regium nomen invaderet.

Fuisse Athenis novem archontes, quorum primus erat eponymus, id est, qui anno nomen dedit, alter rex, tertius polemarchus, denique sex thesmothetae, docuit Pollux b). Athenarum exemplo non modo harum coloniae archontem sibi praefecere, sed etiam copiosae urbes aliae, quibus Atheniensium instituta placuere, atque in his quoque plures una fuisse archontes, ex numis manifestum fit, inscripto saepe, ut vidimus ΑΡΧ. ΠΡΩτȣ, vel pro hoc: ΑΡΧ. Α. id est: *archonte primo*. Si primus, fuit ergo aliquis secundus, vel tertius, atque is primus semper eponymus; nunquam enim legimus, ἀρχοντα δευτερον, vel B numis illatum. Archontes binos in insula Thera memorat marmor Sponii c): ΑΡΧΟΝΤΩΝ. ΑϹΚΛΗΠΙΑΔΟΥ. Β. ΚΑΙ. ΚΟΙΗΤΟΥ. Β. *archontibus Asclepiade iterum, et Quieto iterum.* In numis conjuncti duo semel comperti, nimirum Cilbianorum superiorum Lydiae: ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΑΥΡΗ. ΔΙΟΝΥϹΙΟΥ. Κ. ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ. *Archontibus Aurelio Dionysio, et Metrodoro.* Perperam junctos binos in Byzantii numis vidit Cl. Vandale, nimirum ut ipse legit: ЄΠΙ. ΑΡΧ. Γ. ϹΑΛΛ. ΑΡΙϹΤΑΙΝЄΤΟΥ. ΚΑΙ. ΑΙΛΙΔΟϹ. et: ЄΠ. ΦΡΟΝΤΩΝΟϹ. ΚΑΙ. Α. ΦΗϹΤ. etc. d). Additum enim alterum nomen non esse archontis II., sed muliebre, in ejus urbis moneta diximus. Repetitum fuisse archontis munus, ex praefixo catalogo docemur, sic: ΑΡΧ. Α. Β. vel: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β. significat: *archonte primo iterum*, vel pro hoc: ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΔΙϹ. *ar-*

a) T. I. p. 692. b) L. VIII. c. 9. segm. 85. c) Misc. p. 341. n. 64. d) Diss. II. c. 4. p. m. 224.

chonte iterum, in numo Daldis: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Δ. *archonte primo quartum*, nisi forte et hic litera Δ posita pro ΔΙC. Sic et in lapide Ancyrano apud Montfauconium a) habemus *T. Flavium Gajanum equitem Romanum et* ΔΙC. ΤΗΝ. ΠΡΩΤΗΝ. ΑΡΧΗΝ. ΑΡΞΑΝΤΑ. *bis primi archontis munere functum*, et in alio Ancyrano apud Gruterum b): *Alexandrum summum pontificem*, ΚΑΙ. ΤΟ. Β. ΠΡΩΤΟΝ. ΑΡΧΟΝΤΑ. *et iterum primum archontem*.

Cum in numis ΑΡΧ. tantum exaratur, adhibenda cautio, ne ΑΡΧων pro ΑΡΧιερευς legatur, et vicissim, in quo aliquoties offendit Vaillantius, ut diximus in moneta Cyzici Mysiae et Daldios Lydiae, et frequenter Vandale dissertatione III. de pontificibus Graecorum.

* * *

ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ, Latinis PRAETOR, secundum auctores utriusque linguae. Cicero c): *Cum civitate mihi res est acerrima et conficientissima litterarum*, (Temno Aeolidis) *in qua numus commoveri nullus potest sine quinque praetoribus etc.* Rursum propraetor Romanus in numis Cyrenaicae dicitur ΑΝΤΙΣΤΡΑτηγος. Iam remotissimo aevo variae urbes Graecae habuere strategum, fuitque is magistratus non solum militaris, sed etiam civilis, nam ϛρατος olim non modo militares copias, sed etiam coetum civium significavit, quod erudite probat Spanhemius d). Causa discriminis nonnunquam dicti ΣΤΡΑΤΗΓΟΙ. ΕΠΙ. ΤΩΝ. ΟΠΛΩΝ. *armorum praefecti*, et ΣΤΡΑΤΗΓΟΙ. ΕΠΙ. ΤΟΥΣ. ΠΟΛΙΤΑΣ. *praetores civiles*, quod ex marmoribus eruit cl. Vandale e). Eodem modo Romanorum praetor in utramque partem est acceptus, nam teste Varrone f): *Praetor dictus, qui praeiret jure et exercitu*. Στρατηγον etiam Graeci dixere Romani exercitus imperatorem. Sic in praeclaro marmore Gytheatarum Laconiae, quod vulgavit Pacciaudus g), legitur: ΤΙΤΟΝ. ΤΙΤΟΥ. ΚΟΙΓΚΤΙΟΝ. ΣΤΡΑΤΑΓΟΝ. ΥΠΑΤΟΝ. ΡΩΜΑΙΩΝ. κ. τ. λ. *Titum Titi F. Quinctium imperatorem consulem Romanorum etc.* in quo nollem ab erudito viro το ΣΤΡΑΤΑΓΟΝ Latine redditum *praetorem* pro *imperatorem*; nam quem eundem T. Quinctium Polybius ϛρατηγον dixit, ἡ συγκλητος ἡ Ῥωμαιων και Τιτος Κοϊντιος ϛρατηγος h): Livius vertit *imperatorem*, nimirum: *Senatus Romanus et T. Quinctius imperator* i). Verum qui alii fuerint per urbes Graecas strategi varii muneris, hoc loco inquirere non vacat, et potes petere ex citatis hactenus auctoribus. Nam hic tantum agimus de stratego, magistratu urbium Graecarum Romanis servientium jam mere civili, et nullo amplius cum re militari nexu, quem elegere sui, ut jus diceret, pacem publicam procuraret, annumque nomine suo signaret.

Vt eodem tempore in una civitate archontes fuere plures, sic et praetores. Binos dat Mostene Lydiae: ЄΠΙ. CΤΡΑ. Μ. ΑΥΡ. ΖЄΥΞΙΔΟC. Κ. ΛΟΥ. ΤΥΛ-

a) Palaeogr. p. 158. n. II. b) pag. 448. 1. c) pro Flacco c. 19. d) T. I. p. 696. e) Diss. V. cap. 3. f) de L. L. Lib. IV. g) Monum. Pelop. Vol. II. p. 101. h) exc. leg. IX. i) L. XXXIII. 32.

ΛΙΟΥ. *Sub praetoribus M. Aurelio Zeuxide et Lucio Tullio.* Alterum exemplum forte praebent numi Mytilenes, sed quorum lectio dubia. In citato supra Hypaepae Lydiae numo: ЄΠΙ. ΚΗΡΙΝΘΟΥ. Δ. CΤΡΑΤ. Α. *Sub Cerintho quarta vice praetore primo.* Plures apud Smyrnam memorat marmor Oxoniense, quod est ordine secundum: ΕΔΟΞΕΝ. ΤΩΙ. ΔΗΜΩΙ. ΣΤΡΑΤΗΓΩΝ. ΓΝΩΜΗ. *Placuit populo de sententia praetorum.* In marmore Sponii Bonnatus dicitur ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ. ΠΡΩΤΟΣ. ΔΙΣ. *Praetor primus iterum* [a]). Temni Aeolidis praesedisse praetores quinque, paullo supra ex Ciceronis testimonio vidimus.

Sic et praeturam saepius iteratam, supra vidimus. In numo Clazomenarum legitur Zosimus praetor *quintum*, quo auctiorem numerum non habemus; quanquam et in Aspendi numo legatur ΘЄΜΙΔΟC. ΤΟ. Є. at in marmore Sponii habemus apud Megara Atticae Onesiclem ϛϱατηγον ΒΙ. id est: *duodecimum* [b]).

* * *

ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ, SCRIBA. Ejus conditio apud varias civitates varia fuit. Viluisse Romae, pluribus testimoniis evicit Spanhemius [c]), quorum luculentissimum est Cornelii Nepotis loquentis de Eumene, *itaque*, inquit, *eum habuit* (Philippus Amyntae) *ad manum SCRIBAE loco, quod multo apud Graecos honorificentius est, quam apud Romanos. Nam apud nos revera, sicut sunt, mercenarii scribae existimantur. At apud illos contrario nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, et industria cognita, quod necesse est omnium consiliorum eum esse participem.* Tenuem etiam scribarum Syracusis et Athenis fuisse fortunam, ibidem Spanhemius ex veteribus conficit, sic ut etiam ὑπηϱετȣ, *apparitoris* loco haberentur. Eam tamen alibi fuisse illustrem, plenamque dignitatis, atque etiam potestate conspicuam, cum citatus Nepotis locus, tum et monumenta alia affatim testantur. Sed enim dispar haec ratio nihil ad praesentem causam facit. Nimirum non est spectandum nomen, quod dare muneri cuipiam publico civitati placuit, sed quantum dignitatis et potestatis cum hoc nomine fuerit conjunctum. Sic et in populari regimine civitatum Germaniae inter prima magistratus subsellia locum obtinet is, qui *scriba urbis* (Stadtschreiber) appellatur, et longe differt a scribarum vulgo, qui mercenarium tantum manuum ministerium commodant. Iulius Pollux varia scribarum, qui Athenis fuere, munera commemorat; alius nimirum fuit, qui juxta prytaneam electus sorte fuit ad servandas tabulas et decreta, alius electus a senatu ad leges, alius electus a populo, praelegit senatui et populo [d]). Ex quo apparet, in ipsis etiam Athenis inter scribas fuisse honoris discrimen. De varia hac scribarum apud Graecos conditione lege praeclare disserentem Biagium [e]). Ad nostri argumenti numos ut revertar, certum est, in urbibus iis, quarum catalogum dedi, scribam ma-

a) Misc. p. 356. n. 99. b) Miscell. p. 329. n. 20. c) T. I. p. 703. d) L. VIII. segm. 98. e) de Decret. Athen. c. 13.

gnae fuisse auctoritatis et honoris, quod ejus nomen monetae publicae intulere. Sane tumultum Paulo ad populum dicente Ephesi exortum progressus in medium scriba auctoritate sua compescuit [a]). Quin et in marmore Ephesio apud Muratorium [b]) T. Flavius Munatius simul Γραμματευς, simul Ασιαρχης dicitur, quae posterior dignitas nonnisi viris provinciae primariis demandata fuit. Quin et in nonnullis civitatibus scribam fuisse magistratum principem, aut saltem e primoribus unum, comprobat marmor editum a Cupero [c]), quo dictante Magnetes Ioniae honorant T. ΙΟΥ. ΜΕΝΑΝΔΡΟΝ. ΑΥΡΗΛΙΑΝΟΝ. ΜΕΤΑ. ΠΟΛΛΑΣ. ΑΡΧΑΣ. ΚΑΙ. ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑΣ. ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣΑΝΤΑ. ΤΗΣ. ΠΟΛΕΩΣ. ΕΠΙΦΑΝΩΣ. *T. Iulium Menandrum Aurelianum, qui post multos magistratus, et munera publica scribae in urbe munere splendide functus est.* Ex quo sane apparet scribae apud hos Magnetes dignitas, quos alioqui constat, unum scribam monetae suae inscripsisse. Adversari quidem huic sententiae videtur Vaillantius, cum ait [d]): *si archon aut praetor e vita in magistratu exierat, nomen scribae in numis signabatur, quod in urbibus, ubi eorum nomen pro magistratu in numis apponebatur, apparet.* At enim contrarium potius docent numi. Nam cum in numis Antiochiae Cariae, Apameae Phrygiae, Magnesiae Ioniae, Mylasae Cariae, Nysae Cariae, Trallium Lydiae nunquam memorentur archontes vel praetores, semper scribae, sequitur, non tunc demum scribas monetae illatos, quando illi vita excessere, sed scribas fuisse ordinarium earum civitatum magistratum eponymum, nisi velis, archontes et praetores constante ac mirabili lege simul electos, simul vita functos.

Vrbes, quae magistratum scribam sistunt, sunt omnes provinciae Asiae, demptis Megaris Atticae. Fuerintne in omnibus his eodem tempore scribae duo, quod diserte adfirmat Vaillantius [e]), non temere edixero; neque enim in numis hucusque cognitis unquam legitur ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ. ΠΡΩΤΟΣ. vel Α, quod in archontibus et praetoribus factum videmus. In unico Magnesiae Ioniae numo bini occurrunt: ΕΠΙ. ΓΡ. ΦΛΑΚΚΟΥ. ΚΑΙ. ΠΑΤΛЄΙΝΟΥ.

* * *

Restant de triplice hoc magistratu nonnulla communitur observanda.

I. Fuere urbes, quae per intervalla jam Archontes, jam strategos numis suis inscripsere, nimirum: Attaea Phrygiae, Apollonidea Lydiae, Blaundos Lydiae, Cilbiani superiores Lydiae, Cyzicus Mysiae, Daldis Lydiae, Germe Mysiae, Hadrianotherae Bithyniae, Nicomedia Bithyniae, Sardes Lydiae, Silandus Lydiae.

II. Factum etiam, ut eadem persona in ejusdem imperantis numis jam scriba, iam praetor diceretur. Sic in numis Hadriani et Sabinae, Laodiceae Phrygiae cusis, jam legas: ΑΓΡΙΠΠΙΝΟC. ΓΡΑΜ. jam ΑΓΡΙΠΠΙΝΟC. CΤΡΑΤΗΓΩΝ. In numis Sardium, qui prae-

a) Act. Apost. c. XIX. v. 35. b) p. 184. c) Lettr. de crit. p. 281. d) num. Graec. p. 313. e) l. c.

tor, idem et archon; sic: CTPA. ЄIO. ΛΙΒΩΝΙΑΝΟΥ. in alio: AP. IO. ΛΙΒΩΝΙΑΝΟΥ.

III. Magis mirum, unam eandemque personam in eodem numo simul strategum, simul archontem prodi. Sic in numo Sardianorum, quem citat Belleyus [a]), ЄΠΙ. CTP. ΗΡΑΚΛЄΙΔΟΥ. APX. A. In alio: ЄΠΙ. CTP. ΜЄΝЄCTPATIANOY. APX. si modo rite lecta est horum numorum epigraphe, ut monui in moneta Sardium.

IV. Vrbes quae archontibus usae sunt, etsi, ut vidimus, non raro strategos admiserint, nunquam tamen scribas in moneta sua signavere. Contra ab urbibus, qui strategum magistratum habuerunt, videmus etiam admissos scribas, ut docent numi Adramytii Mysiae, Ephesi, Pergami, Laodiceae Phrygiae.

Varios hos, quod ad magistratus attinet, modos proposui, sed et totidem difficultates, artis nostrae magistris fere intactas. Quam enim causam inconstantiae dabimus, quam loco I. dedi, scilicet inscripti in ejusdem urbis numis jam archontis, jam praetoris? an toties mutatum regimen politicum? quod vix credibile. An perinde habitum, summum suum magistratum an archontem, an praetorem appellarent? Sententia non incommoda: etenim ex pluribus inferioris aetatis testimoniis jam collegit Harduinus, mutato nomine eandem utriusque fuisse potestatem [b]). Sic in glossis: Στρατηγος, *magistratus*, *duumvir*, *praetor*. Modestinus [c]): Εαν ὁ της πολεως αρχων, τουτεστιν στρατηγος κ. τ. λ. *Si urbis archon*, *id est*, *strategus etc.* De Constantino M. narrat Iulianus [d]), βασιλευς γαρ ὢν και κυριος παντων, στρατηγος εκεινων ηξιου καλεισθαι, *rex et dominus omnium cum esset*, *eorum strategus voluit vocari*, id est: Atheniensium; at constat, summum apud hos magistratum proprio vocabulo non fuisse strategum, sed archontem. Adde proconsules, propraetores a Graecis scriptoribus nullo saepe discrimine jam αρχοντας, jam στρατηγους, jam ἡγεμονας appellatos, cujus obvia sunt exempla, atque secundum hunc morem dixere Leo et Constantinus Augg. [e]) το του αρχοντος ονομα γενικον εστι, και σημαινει και στρατηγον, και ανθυπατον, και παντας τους των επαρχιων διοικητας, *archontis nomen generale est*, *et significat aeque praetorem*, *et proconsulem*, *et omnes provinciarum praesides*.

Hanc igitur magistratuum spectato nomine confusionem si consideremus, possemus sane conjicere, Graecos supremum suum magistratum jam archontem, jam praetorem appellasse. At superest alius nodum hunc exsolvendi modus. Constat, in pluribus civitatibus varios fuisse eodem tempore et variae potestatis magistratus. Fuere Athenis archontes, strategi, scribae. De archontibus, eponymo earum magistratu, vulgo constat. De constitutis ibi strategis, varioque eorum munere vide Spanhemium [f]). De Atheniensium scribis egimus supra. Eandem magistratuum varietatem apud alias quoque urbes obtinuisse et verisimile est, et par-

a) B. L. T. XVIII. p. 128. b) Num. ill. sub Αιζανιτων. c) L. XXVII. dig. tit. I. de excusat. leg. 15. d) Orat. I. e) Tit. VI. de praesidib. f) Tom. I. p. 697.

tim ex monumentis certum est. Quo factum, ut jam hujus, jam alterius generis magistratus numis inscriberetur, sive in urbe summus esset, sive eponymus, sive neutrum. Ex duobus, vel tribus viris, quos plerumque tetradrachmis Atticis inscriptos videmus, nullus haud dubie fuit, qui summo Athenis magistratu functus esset. Videmus in numis, praecipue Smyrnae, et Laodiceae Phrygiae, notari omnis generis magistratus tam sacros, quam profanos. Neque vero etiam praefixum ΕΠΙ semper magistratum eponymum notat, sed saepe tantum, hoc sive archonte, sive stratego, sive scriba, sive quaestore, sive pontifice, sive Asiarcha etc. signatos numos, prout nempe huic vel illi demandatum fuit feriundae monetae negotium, aut quis eam suo arbitrio feriundam curavit, eodem plane modo, quo inscriptos numis consularibus jam praetores, jam quaestores, jam aediles, jam IIviros monetales videmus, prout his illisve mandatum signandi argenti opus.

II. Quod idem Agrippinus jam scriba, jam praetor dicitur, factum forte propterea, quod is primum scribae munere functus, in praetoris subinde dignitatem successit. Existimat Pellerinius [a]), absente vel mortuo praetore hujus magistratus jura interim in scribam fuisse translata. At non advertit vir eruditus, et praetorem et scribam dici in numis Agrippinum, et haud dubie esse unum eundemque.

III. Quam hoc loco proposui difficultatem, quicunque volet, enodandam relinquo.

IV. Quod hoc loco observavimus, aliud non probat, quam morem civitatum, quae magistratum hoc illove nomine sibi praeesse voluere.

§. III.

DE EPHORIS.

Illustrem hunc Spartanorum magistratum unicus numus memorat.

ΛΑ. ΕΦΟΡΟ. ΤΙΜΑΡΑϹΤΟϹ. *Clava Herculis cum caduceo.* Est autonomus aeneus Lacedaemonis apud Pellerinium [b]).

In numo Poppaeae apud Ancyram Phrygiae signato cum epigraphe: ΤΙ. ΒΑΣΣΙΛΑΟΥ. ΕΦ. ΑΙΤΗΣΑΜΕΝΟΥ. etc. ephorum videre sibi visus est Vaillantius, sed quam lectionem in numis hujus urbis in dubium vocavi.

* * *

Fuere, quod inter omnes constat, ephori collegium V. virorum regiae potentiae oppositum, et annui, quorum

a) Mel. II. pag. 72. b) Suppl. IV. p. 43.

unus anno nomen dabat. De eorum muniis et varia potestate vide Nicolai Cragii remp. Laced. L. II. c. 4, et alios passim.

§. IV.

DE PRYTANIBVS.

Paucae urbes magistratum Prytanem numis suis inscripsere. Habes hic earum catalogum:

* * *

Apamea Phrygiae: ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ. ΠΡΥΤ. in cistophoris, quos vide.

Cyme Aeolidis: ΑΙΛ. ΕΡΜΙΑϹ. ΠΡΥΤ.

Pergamus Mysiae: ΑΠ. vel ΑΣ. vel ΕΥ. etc. addito ΠΡΥΤ. vel ΠΡΥΤΑ. in cistophoris, quos vide.

Smyrna Ioniae: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ. absque nomine, in aureo autonomo, de quo vide numos Smyrnae.

Synnada Phrygiae: ЄΠΙ. ΠΡΥ. ΚΛΟΓΙЄ. ΑΤΤΑΛΟΥ. vel parcius: ЄΠΙ. Π. ΑΤΤΑΛΟΥ.

Addi posset numus: ЄΠ. ΑΡΧ. ΠΡΥΤΑΝЄΙ. ЄΠΙΚΡΑΤΟΥ. Β. ЄΓΙΑΛЄΩΝ. nisi suspicio νοθειας subesset, ut monui ad Aegialum Achaiae Vol. II. p. 234.

* * *

De prytanibus adcurate et copiose scripsere Antonius van Dale [a]), Spanhemius in diatriba de Vesta et prytanibus, postea contractius in magno opere de praestantia numorum [b]). Horum partim usus opera magistratus hujus naturam paucis exponam.

Prytanes Athenis atque alibi concilii publici seu βȣλης, *senatus*, partem praecipuam constituebant, poterantque convocare senatum ac populum, et agere de rebus reip. bonum spectantibus. Vnde apud Thucydidem [c]) Nicias destinatus ab Atheniensibus in Siciliam dux his verbis prytanin ejus concionis praesidem appellat: *tu vero, o prytani, siquidem ad te pertinere existimas consulere civitati, et civis bonus esse vis, calculos adpone, et iterum Athenienses sententiam roga, reputans animo, si rem revocare ad suffragia, et rescindere plebiscitum reformidas, tibi in tanta testium frequentia rem istam nequaquam crimini datum iri, sed te civitatis, quae malum consilium ceperit, medicum fore etc.* En amplam sane prytanum in consilio publico potestatem atque auctoritatem. Sed de prytaniarum apud Athenienses statu lege copiose disserentes Corsinium in *Fastis Atticis*, et Biagium in suo de *decretis Atheniensium* opere. Prytanes in multis aliis Graeciae urbibus fuere, quas enumerat Span-

a) Dissert. V. c. 2. b) T. I. p. 700. c) L. VI. c. 14.

hemius [a]), at varia potestate. Rhodi fuisse prytanem summum magistratum, dixi in ejus moneta, et fuit tempus, quo et Corinthi prytanes annuum imperium tenuerunt [b]). Tarsi fuisse semestres, tradit Dio Chrysostomus [c]). Fuere et magistratus eponymus Pergami teste marmore Sponii [d]), narrante, A. Clodium ibi ΤΑΝ. ΕΠΩΝΥΜΟΝ. ΑΠΟ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΠΡΥΤΑΝΕΙΑΝ. ΕΚ. ΓΕΝΕΟΣ. ΔΙΑΔΕΞΑΜΕΝΟΝ, *collatam a regibus in gentem suam eponymam prytaniam inivisse;* quin et fuisse eponymum Ephesi, colligitur ex Iosepho, apud quem legitur decretum Ephesiorum, quod incipit: Επι πρυτανεως Αρτεμωνος, Ληναιωνος πρωτη [e]), et ex marmore Sponii [f]), quod incipit: ΕΠΙ. ΠΡΥΤΑΝΕΩΣ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ. ΤΙΤΙΑΝΟΥ. κ. τ. λ. fueritque haud dubie eponymus hic prytanis reliquis dignitate prior; nam et eorum plures una fuisse, docet marmor Smyrnaeum, quod refertur inter Oxoniensia num. XXV., et perhibet Paternianum ΠΡΥΤΑΝΙΝ. ΠΡΩΤΟΝ. In marmore Cyzici, quod praeclare explicat Belleyus [g]) legitur: ΕΠΡΥΤΑΝΕΥΣΑΝ. *Prytanes fuerunt*, et quidem, quod ex sequentibus apparet, menstrui secundum tribus, Atheniensium iterum exemplo. Eximie vero hoc prytanum collegium una cum eorum capite confirmatur marmore Milesio apud Chandlerum [h]): ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΟΣ. ΤΟΥ. ΑΡΧΙΠΡΥΤΑΝΙΔΟΣ. ΚΤΗΣΙΟΥ. ΤΟΥ. ΚΤΗΣΙΟΥ. ΚΑΙ. ΤΩΝ. ΣΥΝΑΡΧΟΝΤΩΝ. ΑΥΤΟΥ. *Curante archiprytanide Ctesia Ctesiae F. et collegis ejus.* Communicatam etiam cum feminis hanc dignitatem, sed, ut existimo, tantum causa sacrorum, non reipublicae, tenemus ex marmore Phocaeae Ioniae reperto, quod Flaviam quandam vocat ΠΡΥΤΑΝΙΝ additis aliis obiti sacri magistratus titulis [i]).

Sed ad sacras etiam reip. causas adhibiti prytanes. Sic Aristoteles eos, qui ab universa civitate designati fuere ad peragenda sacrificia publica, dictos ait jam archontes, jam reges, jam prytanes [k]). Ad haec praefecti fuere prytaneis. Erant vero prytanea curiae publicae, et tanquam urbis penetralia, asyli jure donatae, et in Vestae tutela habitae. Teste Dionysio Halic. [l]) ταγε τοι καλεμενα πρυτανεια παρ' αυτοις εςιν ιερα, και θεραπευεται προς των εχοντων το μεγιςον εν ταις πολεσι κρατος, *quae vero apud eos* (Graecos) *vocantur prytanea, sacra sunt, et eorum cura ad eos pertinet, qui in civitatibus maximam habent dignitatem.* Athenis in prytaneo servari Solonis leges tradit Pausanias [m]), et posita ibi signa Vestae et Pacis. In prytaneis quoque datus victus e publico legatis exteris, aut si quis alius causa meritorum dignus habitus est, qui e publico vesceretur, ut tradit Pollux [n]), et Li-

a) De praest. T. I. p. 701. b) Pausan. L. II. c. 4. c) Orat. 34. p. 424. d) Misc. p. 348. e) Ant. L. XIV. c. X. §. 12. f) ibid. p. 356. g) Caylus. Ant. T. II. p. 243. h) Inscr. ant. p. 17. i) Spon Misc. p. 349. k) Politic. L. VII. sub fin. l) L. II. p. 126. m) L. I. cap. 18. n) L. IX. c. V. segm. 40.

vius a): *Cyzici in prytaneum, id est penetrale urbis, ubi publice, quibus is honos datus est, vescuntur, etc.* Vide etiam de prytaneis Suidam et Hesychium. Vaillantius in suo de numis Graecis opere magistratus prytanis non meminit; nam το ΠΡΥΤ. in numo Cymes non legit, ut oportuerat, ΠΡΥΤανις, sed *Prytanidis F.*, et in numo dubio, quem supra ad calcem catalogi addidi, το ΠΡΥΤΑΝЄΙ. legit *Prytanide*, instar nominis proprii. Reliqui numi a me descripti aut illi non fuere cogniti, aut ad ejus propositum non pertinuere.

§. V.

DE QVAESTORIBVS, TAMIAIΣ.

Graecas urbes inter magistratus suos habuisse quaestorem, auctores non pauci, et marmora prodidere. Parcior ejus in numis mentio, quos hic sisto.

* * *

Pergamus Mysiae: ЄΠΙ. ΤΑΜιε ΑΙΛ. ΘЄΟΦΙΛΙΑΝΟΥ.

Rhodus insula: ΤΑΜΙΑ. ΤΕΙΜΟΣΤΡΑΤΟΥ. in autonomo.

Smyrna Ioniae: ΓΑ. ΚΛ. ΒΙΩΝΟϹ. ΤΑΜΙΟΥ. in autonomo.

Exclusi memoratos aliis in numis quaestores, sed qui non urbium Graecarum, sed Romanorum in provinciis fuere magistratus, quos vide in Sectione II.

* * *

Quaestores, Ταμιαι, fuere, qui pecuniam publicam quocunque nomine, ad usus sive sacros, sive profanos, administrabant. Eorum varia munia potes ex Suida petere. In marmore Smyrnaeo, quod est inter Oxoniensia num. XXV., Paternianus dicitur ΤΑΜΙΑΣ. ΤΗΣ. ΠΟΛΕΩΣ, *quaestor urbis.* In celebri decreto Smyrnaeorum jubetur ταμιας Callinus praebere viaticum legatis b). In marmore Sponii c) est: ΤΑΜΙΟΥ. ΤΟΥ. ΔΗΜΟΥ. ΤΟ. ΔЄΥΤЄΡΟΝ, *quaestore populi iterum.* Aristoteli memoratur ταμιας των ἱερων χρηματων, *quaestor a sacris pecuniis* d). Et

a) L. XLI. c. 20. b) Marm. Oxon. II. vers. 31. c) Voyage T. III. p. 93. d) Politic. L. VII. sub fin.

fuere in eadem civitate numero plures. Sic Temni Aeolidis fuisse tres perhibet Tullius [a]). Fuit eorum in nonnullis civitatibus auctoritas non vulgaris. Sane Athenis teste Polluce [b]) habebant potestatem remittendi multam, si injuste ab archontibus injuncta fuisset.

§. VI.

DE PONTIFICIBVS.

Summi pontifices, qui in numis:

ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ.

Summos pontifices numis suis inscripsere urbes sequentes:

Apamea Phrygiae: ΕΠΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΒΕΛ. ΑΡΧΙ.

Cidyessus Phrygiae: ΕΠΙ. ΦΛΑΟΥΙΟΥ. ΠΙΝΑΡΙΟΥ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ.

Cius Bithyniae: ΕΠΙ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. ΚΛΑΥ. ΒΙΑΝΤΟΣ.

Cotiaeum Phrygiae: ЄΠΙ. Γ. ΙΟΥΛΙΟΥ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. ΑΡΧΙЄΡЄΩϹ.

Ephesus Ioniae: ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. additis variis nominibus. — ΑΡΧ. ΚΟΥΣΙΝΙΟΣ. Δ.

Eumenia Phrygiae: ΙΟΥΛΙΟΣ. ΚΛΕΩΝ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΑΣΙΑΣ.

Ionum commune: ΦΡΟΝΤΩΝΟϹ. ΑϹΙΑΡΧΟΥ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙЄ. in numo ambiguae lectionis. V. *Ionia.*

Laodicea Phrygiae: Λ. ΑΙΑΝ. ΓΩΤΑΜ. ΑΡΧ. ΜЄΓ. ex numo dubio.

Philadelphia Lydiae: ΕΡΜΙΠΠΟΣ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ.

Sardes Lydiae: ΓΑΛ. ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΥ. ΑΡΧΙЄ. ΜЄΓ.

Silandus Lydiae: ЄΠΙ. ΑΡΧΙЄΡЄΩϹ. ΤΑΤΙΑΝΟΥ. Κ. ΑΡΧ.

Smyrna Ioniae: ΕΡΜΙΠΠΟΣ. ΑΡΧΙΕΡΕ.

Tarsus Ciliciae: ЄΠΙ. ΑΡΧ. Γ. ΟΜ. ex numo dubio.

Temenothyrae Lydiae: ΝЄΙΚΟΜΑΧΟϹ. ΑΡΧΙЄΡЄΥϹ. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β.

Addi his possunt Summi pontifices Olbae Ciliciae, quorum numos in hac descriptos vide, et summus pontifex Zenodorus tetrarcha, cujus numum post numos regum Iudaeae Vol. III. p. 490. dedimus.

a) Pro Flacco cap. XIX. b) L. VIII. segm. 97.

Pontifices, qui in numis:

ΙΕΡΕΙΣ.

Achaei: ΟϹΤΙΛΙΟϹ. ΜΑΡΚЄΛΛΟϹ. ΙЄΡЄΥϹ. ΤΟΥ. ΑΝΤΙΝΟΟΥ. Vide numos Antinoi in moneta imperatorum.

Colophon Ioniae: ЄΠΙ. ϹΤΡ. ΚΛ. ΚΑΛΙϹΤΟΥ. ΙЄΡЄΩϹ. ΙΩΝΩΝ.

Ephesus Ioniae: ΙΕΡΕΥΣ. ΑΥΡ. ΜΟΥΣΟΝΙΟΣ. ΑΣΥΛΟΥ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. ΕΦΕΣΙΩΝ.

Epiri forte: ΜΕΝΕΔΗΜΟΣ. ΙΕΡΕΥΣ.

Heraclea Cariae: ΓΛΥΚΩΝ. ΙΕΡΕΥϹ.

Magnesia Lydiae: ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ. ΙΕΡΕΥΣ.

Nysa Cariae: ЄΠΙ. ΓΡ. Μ. ΑΥΡ. ΜΟΥϹΩΝΙΟΥ. ΙЄΡЄΩϹ.

Pergamus Mysiae: ЄΠΙ. ΑΥΡ. ΚЄΛ. ΙЄΡЄΩϹ. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΤΩΝ. ϹЄΒ. ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. In aliis: Μ. ΦΟΥΡΙΟΣ. ΙΕΡΕΥΣ. ΚΑΙ. ΑΣΙΑΡΧΗΣ, sed de qua ambigua lectione vide, quae dixi in numis Pergami Vol. II. p. 471.

Perperene Mysiae: ЄΠΙ. ΑΓΩΝΟΘЄΤ. ΙЄΡЄΟϹ. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΤΩ. ϹЄΒ. ΓΛΥΚΩΝΟϹ. in numis varie lectis.

Sala Phrygiae: ЄΠΙ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΥ. ΙЄΡЄ.

Vrbis incertae: ΧΑΡΙΔΑΜΟΥ. ΙΕΡΕΟΣ. Vide meam Syllogen I. p. 77.

In parte aversa numi Carthaginis Novae, in cujus antica est: IVBA. REX., legitur: CN. ATELLIVS. PONTI*fex* II. V. Q. nempe Pontifex urbis suae. Numum hunc plenius descriptum vide in moneta Iubae II. Numidiae regis.

Adde his *pontifices*, et *pontifices magnos* charactere Samaritano, inscriptos numis principum Hasamonaeorum Iudaeae.

Sacerdotes feminae.

Acmonia Phrygiae: ϹЄΡΟΥΗΝΙΟΥ. ΚΑΠΙΤΩΝΟϹ. ΚΑΙ. ΙΟΥΛΙΑϹ. ϹЄΟΥΗΡΑϹ. Alii in similibus praefigunt ЄΠΙ.

Attuda Phrygiae: ΔΙΑ. ΦΛΑΒΙΑϹ. ΙЄΡΙΑϹ.

Byzantium Thraciae: ЄΠΙ. ΘЄΑϹ. ΦΑΥϹΤΙΝΗϹ. addito plerumque nomine viri, ut: ЄΠΙ. ΑΡ. ΔΙΟΝΥϹΟΥ. ΤΟ. Β. ΚΑΙ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΑϹ. Sacerdotes alias vide descriptas in hujus urbis moneta.

Sacerdotem Neocoram Pediam Secundam, quae legitur in numo Eucarpiae Phrygiae, dabimus in tractatu de populis et urbibus neocoris.

* * *

ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ, *summus pontifex*, ex ipsa nominis notione magistratum indicat, ad quem, tanquam supremum judicem, sacrorum et religionis negotia pertinuere, et cui, tanquam capiti, inferioris ordinis sacerdotes subjecti fuere. Ejus fines arctiores alibi, alibi laxiores. Marmor, quod vulgavit Whelerus a), M. Aur. Diadochum vocat ΑΡΧΙЄΡЄΑ. ΤΗϹ. ΑϹΙΑϹ. ΝΑΩΝ. ΤΟΝ. ЄΝ. ΠЄΡΓΑΜΩΙ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙЄΡЄΑ. ΚΑΤΑ. ΤΟΝ. ΑΥΤΟΝ. ΚΑΙΡΟΝ. ΤΗϹ. ΠΑΤΡΙΔΟϹ. *summum pontificem templorum Asiae, quae sunt Pergami et eodem tempore summum pontificem in patria sua.* Eodem modo dubium

a) Voyage T. I. L. III. p. 211.

non est, eorum plures, quos in catalogo stiti, fuisse ἀρχιερεῖς civitatis tantum suae. Huc pertinent ἀρχιερεῖς singulorum numinum, qualis in marmore Sponii [a]) praedicatur L. Septimius Tryphon *summus pontifex Bacchi*, *et summus pontifex M. Aur. Antonini* Caracallae. Latius patuit summus pontificatus Iulii Cleonis, qui in numo Eumeniae supra citato dicitur ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΑΣΙΑΣ, *summus pontifex Asiae* provinciae, quae formula forte idem significat, quod Asiarcha, de quo infra. Habuisse ἀρχιερέας potestatem in sacerdotes inferioris ordinis, eleganter Spanhemius probat ex binis epistolis Iuliani Aug., in quarum una is hortatur Arsacium Galatiae ἀρχιερέα, ut omnes per Galatiam sacerdotes vel ratione vel minis permoveat, ut probi sint ac diligentes in promovendo deorum cultu; sin morem non gesserint, ut eos sacerdotali officio privet. In altera his verbis Theodorum ἀρχιερέα Asiae urget: *Quid ergo illud est, quod dico me velle tibi committere? ut omnibus Asiae sacris praesis, regionis ac urbium sacerdotibus imperes, ac injungas unicuique id, quod ei conveniat* [b]). A similibus igitur exemplis facile adducor, ut credam cum Vandalio [c]), eandem fuisse inter gentiles ἀρχιερέων provinciarum rationem, quae subinde fuit episcoporum metropolitarum, atque hos eorum exemplo institutos. Plura qui de summis pontificibus nosse cupit, adeat Spanhemium et Vandalium locis mox citatis.

In nonnullis civitatibus summum pontificatum fuisse annuum, patet ex citato numo Ephesi, in quo ΚΟΥΣΙΝΙΟΣ dicitur ΑΡΧιερευς Δ, id est, *quartum*. Sane in iis urbibus, in quibus ἀρχιερεὺς fuit magistratus eponymus, nonnisi annuus esse potuit. His opponuntur summi pontifices *perpetui*, dicti Graecis διὰ βίου, *per omnem vitam*, quarum in vetustis epigrammatis mentio non infrequens. Marmor Sponii [d]) meminit M. Aurelii Fausti ΑΡΧΙΕΡΕΩϹ. ΕΚ. ΠΡΟΓΟΝΩΝ. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ϹΕΒΑϹΤΩΝ. Exempla alia vide in marmoribus, quae collegit Vandalius [e]). Ejusdem naturae fuit summus pontificatus Romanorum. ΜΕΓαλου, *magni* titulum aliquoties in numis ἀρχιερεῖ additum vidimus. Communicatum etiam summum hunc sacrorum honorem cum feminis, ex marmoribus tenemus. Sic lapis Smyrnaeus, qui inter Oxonienses loco IV. refertur, memorat ΑΥΡ. ΦΑΥϹΤΑΝ. ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΝ. Alia exempla vide apud Vandale [f]).

Potuisse ἀρχιερέα eodem tempore archontis quoque munere fungi, vidimus ex citatis numis Silandi et Temenothyrarum.

* * *

ΙΕΡΕΥΣ, *pontifex*, vel sacerdos minoris ordinis, ἀρχιερεῖ, si quis in civitate fuit, subjectus, ut Romae pontifices, augures etc. summo pontifici. De pontificum variis ministeriis plura commemorare necesse non existimo, quod de his jam egere alii, et suapte cuivis notum sit, pontificibus sacra civitatis,

---

a) Misc. p. 369. b) de praest. num. T. I. p. 419. c) Dissert. III. c. I. p. m. 235.
d) Misc. p. 335. e) l. c. p. 258. seq. f) Dissert. III. c. II. sub finem.

et numinum cultum fuisse commissum. Vidimus supra in catalogo sacerdotem Antinoi, Dianae Ephesiae, Augustorum, tum et sacerdotem Ionum, et in binis numis pontificem *perpetuum*, ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. Eodem etiam tempore magistratu profano functos, nimirum vel strategi, vel scribae, citata supra exempla testantur. Repetitum etiam fuisse pontificatum, docent marmora. Sic apud Sponium [a]) ΙΕΡΕΥϹ. ΚΑΤΑ. ΤΟ. ΕΞΗϹ. ΔΙϹ. *pontifex continuus iterum.* Apud eundem [b]) ΙΕΡΕΑ. ΔΙΟϹ. ΔΙϹ. *sacerdotem Iovis iterum.* Fuit ergo et pontifex magistratus eponymus, de quo agetur ex instituto in tractatu de magistratu eponymo.

* * *

ΙΕΡΕΙΑ, *sacerdos femina.* Feminas etiam antiquitus inter cultas aeque ac barbaras nationes sacrorum curam gessisse, res est in vulgus nota. Sane Plato inter tria magistratuum genera recenset ἱερεας τε και ἱερειας, *sacerdotes mares ac feminas* [c]). Sexus alterius sacerdotes ex numis dedi in catalogo supra adducto. Majore eas numero in moneta sua obtulit Byzantium, atque etsi his non addatur ἱερειας nomen, tamen dubium non est, eas ratione muneris sacri numis illatas, ut dixi in hujus urbis moneta. Alia sacerdotum feminarum, et copiosa quidem exempla praebent epigrammata et scriptores. En pauca duntaxat. Marmor Sponii [d]) vocat Flaviam ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΝ. ΑϹΙΑϹ. ΝΑΟΥ. ΤΟΥ. ΕΝ. ΕΦΕϹΩ. ΠΡΥΤΑΝΙΝ. ϹΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΝ. ΔΙϹ. ΚΑΙ. ΙΕΡΕΙΑΝ. ΤΗϹ. ΜΑϹϹΑΛΙΑϹ. Repertus nempe hic lapis Phocaeae Ioniae, unde Massilienses Galliae, tanquam a metropoli sua, sacrorum antistitem feminam petebant, ut dixi in ejus populi numis. Insignem aliam sistit lapis Chandleri [e]), nempe: ΙΟΥΛΙΑΝ. ΤΙΤΟΥ. ΘΥΓΑΤΡΑ. ΒΕΡΕΝΙΚΗΝ. - - - ΙΕΡΕΣΑΜΕΝΗΝ. ΤΗΣ. ΚΥΡΙΑΣ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. *Iuliam Titi F. Berenicen, sacerdotem dominae Dianae.* Trallibus Lydiae fuisse sacerdotem feminam, quae salutans Antoninum pium adhuc privatum non sine omine dixit: *ave imperator*, pro *ave proconsul*, refert Capitolinus in vita ejus imperatoris [f]).

a) Misc. p. 369. b) pag. 356. c) de leg. L. VI. n. 759. d) Misc. p. 349. n. 85. e) inscr. ant. p. 91. n. 5. f) sub init.

§. VII.

DE ASIARCHA.

Sacrum hunc magistratum jactant in moneta sua urbes populique sequentes, omnes provinciae Asiae proconsularis:

* * *

Cyzicus Mysiae: CTP. ATP. MЄI-ΔΙΟΥ. ACIAPXOY. Aliter legit Vaillantius, ut dixi in numis hujus urbis.

Hypaepa Lydiae: ЄΠΙ. AI. AΠIΩ-NOC. ACIAP. TO. B.

Ionum commune: KΛ. ΦPONTΩ-NOC. ACIAPXOY. KAI. APXIЄ-PЄΩC. Vide prolegomena ad numos Ioniae.

Laodicea Phrygiae: Λ. AIΛ. ΠΙΓ-PHC. ACIAPXHC. Γ. Vide, quae de hoc numo in moneta hujus urbis monui.

Otrus Phrygiae: AΛEΞANΔPOC. ACIAPXHC. ANЄΘHKЄN.

Pergamus Mysiae: M. ΦOYPIOΣ. IEPEYΣ. KAI. AΣIAPXHΣ. Verum in hoc numo verisimilius legendum IE-PEYΣ. ΓYMNAΣIAPXHΣAΣ., a me probatum fuit in hujus urbis moneta. — ЄΠΙ. CTPA. ΠOΛΛIΩNOC. AC. — ЄΠΙ. C. ATP. ΔAMA. ACIAPX.

Sardes Lydiae: ЄΠΙ. ΔOM. POY-ΦOY. ACIAPX. K. YIOY. T. ACI. APX. A. — In alio: ЄΠΙ. CTPA. KOP. OYЄTTHNIANOY. ACIAPX. Δ. Sed de lectione numi hujus et similium vide, quae in moneta hujus urbis monui. In alio: ЄΠΙ. COYΛ. ЄPMO-ΦIΛOY. ACIAPX.

Smyrna Ioniae: ЄΠΙ. TЄPTIOY. ACIAPXOY.

* * *

In Asiarcham, cujus non infrequens apud veteres mentio, ejusque munus commentati sunt philologorum non pauci, quos inter: Henricus Valesius [a]), Antonius Vandale [b]), Ioannes Masson [c]), Albertus Rubenius [d]), Ezechiel Spanhemius [e]), Siberius [f]), Le Boze [g]), Abbas Mazzolenus [h]), Seldenus [i]), Belleyus [k]).

Eruditi hi viri in judicanda hac causa sic sunt versati, ut tamen non pauca in medio relinquerent, quae lucem adhuc postulant, ut ex praesente meo commentario patebit.

---

a) ad Eusebii hist. L. IV. c. 15. b) Dissert. III. cap. III. c) Collect. hist. ad Aristidem ad ann. V. C. 818. §. 10. seq. d) de urbib. neocor. diatribe. e) de praest. num. T. II. p. 416. f) Dissert. ad Act. Apost. cap. XIX. v. 31. g) B. L. Tome XVII. p. 8. h) Animadvers. XI. de Asiarch. i) ad marm. Oxon. X. p. m. 184. k) B. L. Tome XVIII. Mem. p. 147.

ΑΣΙΑΡΧΗΣ ex vocabuli notione significat eum, *qui praeest Asiae*, nempe ei, quae olim ditio regum Pergamenorum, subinde Romanis subjecta, *proconsularis Asia* dici consuevit. Eodem exemplo aliarum quoque nationum habemus ex veterum monumentis praesides, ut: Lyciarchas, Bithyniarchas, Galatarchas, Syriarchas, Phoeniciarchas etc. Arabarchen, *Arabiae principem*, sed σατυρικως, habemus apud Iuvenalem [a]). Horum rectorum varia fuit varia aetate potentia. De Lyciis refert Strabo [b]), ab iis in civitatum conventu creatum Lyciarcham, deinde reliquos magistratus, ac tum actum de pacis et foederum negotio. Verum, ut continuo addit, valuit istud tantum, cum Lycia sui adhuc juris esset, nam sua aetate non amplius iis licuit agere conventus, nisi Romanorum permissu, et solum tum, cum istud e Romanorum re esset. At enim nunquam licuit Asiarchis causis se politicis miscere; nam ex quo Asia haec post victum Antiochum M. in unum corpus coaluit, paruit regibus Pergamenis, horum gente exstincta Romanis.

Asiarcha sacer tantum magistratus fuit, qui praeerat sacris, non quidem singularum civitatum, nam hae propria habuere sacra et ministros, sed quae constituta fuere totius provinciae nomine, et jam in hac, jam alia urbe peracta, quorsum convenit promiscua multitudo ad faciendos ludos in honorem deorum, qui apud se praecipui fuere, ac praecipue ad concipienda vota pro salute et aeternitate imperantium, qui quidem conventus non raro in numis memorantur inscripto ΚΟΙΝΟΝ. ΑΣΙΑΣ., de quo agetur capite de festis ac ludis, quorum adeo omnium moderator fuit Asiarcha. Fuit ergo Asiarchae munus verum sacerdotium, quod et disertis verbis comprobat Modestinus [c]): Εθνους ἱερωσυνη, οἱον Ἀσιαρχια, Βιθυναρχια, Καππαδοκαρχια. *Gentis sacerdotium, cujus modi sunt Asiarchia, Bithynarchia, Cappadocarchia.* Et sic etiam haec Asiarchia aliquoties in libris jurisconsultorum dicitur *Asiae sacerdotium*, vel *in Asia sacerdotium provinciae*, ut testatur Spanhemius [d]), vel, ut est in Basilicis [e]), οἱ ἱερεις ἐπαρχεων, τουτεςιν Ασιαρχαι και οἱ λοιποι. Eodem loco ait eruditus hic vir, Asiarchas dictos etiam fuisse ἀρχιερεις, probatque istud ope epistolae, qua Smyrnaei mortem S. Polycarpi apud se passi referunt, et in qua Philippus quidam jam Ασιαρχης, jam ἀρχιερευς dicitur. Sed argumentum istud non satis est validum; poterat enim idem Philippus, qui tum annuus fuit Asiarcha, eodem tempore esse ἀρχιερευς Smyrnae. Nam licuit Asiarchis alio praeterea munere fungi, ut infra dicetur. Sane discrimen inter utrumque titulum manifestat citatus supra Ionum numus, in quo Fronto dicitur Ασιαρχης και ἀρχιερευς, nempe sacerdos pu-

---

a) Sat. I. v. 130. b) L. XIV. p. m. 980. c) Leg. VI. §. 14. D. de excusat. d) l. c. p. 417. e) L. XXXVIII.

blicus gentis, et privatus Ionum. Diserte etiam inter utrumque munus distinguit marmor a Muratorio citatum [a]), quod Gajanum vocat ΑΡΧΙΕΡΕΑ. ΤΟΥ. ΚΟΙΝΟΥ. ΤΩΝ. ΓΑΛΑΤΩΝ. ΓΑΛΑΤΑΡΧΗΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΦΑΝΤΗΝ. κ. τ. λ.

Tamen verisimile est, cum quis generatim dicitur ἀρχιερευς της Ἀσιας, ut Iulius Cleon in numo Eumeniae Phrygiae, aut Scopelianus sophista apud Philostratum loco infra citando, tum intelligendum Asiarcham. At non perinde, cum quis dicitur ἀρχιερευς της Ἀσιας ναων των ἐν Περγαμῳ, ut M. Aurelius Diadochus in marmore Wheleri [b]), vel alibi: των ἐν Σμυρνῃ, vel: των ἐν Ἐφεσῳ, vel ut legitur apud Sponium [c]): των ἐν Λυδιᾳ Σαρδιανων; hi enim, ut conjicio, particulares tantum fuere pontifices, et praefecti templis, quae propter Κοινον Ἀσιας, quod per vices in his urbibus agi consuevit, exstructa fuere, conferentibus symbolam urbibus minoribus, ut colligo ex Dione Chrysostomo, qui sic Apamenses adloquitur [d]): και των μεν ἱερων της Ἀσιας μετεςιν ὑμιν, της δε δαπανης τοσουτον, ὁσον ἐκειναις ταις πολεσιν, ἐν ἁις ἐςι τα ἱερα. *et jus vobis est in Asiae templa, tantosque in ea sumptus facitis, quantos illae urbes, in quibus ea templa sunt.* Parum modestiam suam comprobavit Scipio Maffejus, dum Spanhemium, Vandalium, aliosque, qui in simili sententia fuere, ignaros gentilium theologiae ausus est vocare In his enim marmoribus, inquit, Asiae nomine non locus, ubi sacerdotio isti fungerentur, sed numen, cui ministrarent, significari, ita ut reddi debeat: *templorum deae Asiae pontificem.* Neque eo constitit criticus noster, verum etiam, cum legitur: ἀρχιερευς της πατριδος, intelligi vult *summum sacerdotem deae patriae.* Haec ille pluribus [e]). Vtinam vir bonus ex tot marmoribus et numis vel unicum dedisset exemplum, Asiam ab indigenis, quos constat in religionis suae negotio admodum fuisse loquaces, divinos honores abstulisse. Habemus praeter obvium in Asiae numis ΘΕΑ. ΡΩΜΗ. etiam ΘΕΑ. ΚΛΑΖΟΜΕΝΗ., tum et variarum urbium capita adscriptis nominibus, Asiae effigiem, nedum cum deae appellatione, nullam habemus. Iustius ergo nos Maffeji sententiam noviciam fastidiemus, quam ille nostram.

Ceterum jam licuit colligere, et patebit amplius, Asiarcham causa hujus muneris in magna fuisse auctoritate. Enimvero quemadmodum Romanis honorificum visum, si majores habuere consulares, sic et Graecis, si patres aut avos Asiarchas jactare poterant. Ejus testem primo habemus numum Sardianorum cum epigraphe: ΕΠΙ. ΔΟΜ. ΡΟΥΦΟΥ. ΑΣΙΑΡΧ. Κ. ΥΙΟΥ. Τ. ΑΣΙ. ΑΡΧ. Α. *sub Domitio Rufo Arsiarcha et filio Arsiarchae, Archonte primo;* deinde quod Philostratus, dum Scopeliani genus extollit, refert, et hunc fuisse Asiarcham, et prognatum a majoribus Asiarchis, quod testimonium mox integrum videbimus.

---

a) p. 630. 3. b) Voyage T. I. L. III. p. 211. c) Misc. p. 356. n. 99. d) Orat. 35. in Celaen. e) Ars crit. lapid. p. 138.

Fuisse Asiarcham annuum, numi docent et marmora. Vidimus supra Asiarchas B. Γ. Δ. id est: secunda, tertia, quarta vice. Ad marmora quod attinet, habemus apud Muratorium a) Iulianum TON. ΔIC. ACIAPXHN. Alius lapis apud eundem b) memorat Dionysium IEPOKHPTKA. KAI. B. AΣIAPXHN.

Fuerintne eodem tempore Asiarchae plures, copiose disputatum. Qui plures asseruere, sequentibus nituntur auctoritatibus. I. In Actis Apostolorum c. XIX. v. 31. plures memorantur uno tempore Asiarchae: Τινες δε και των Ἀσιαρχων, πεμψαντες προς αυτον, κ. τ. λ. *Quidam vero ex Asiarchis mittentes ad ipsum*, nempe D. Paulum, qui tum Ephesi concionabatur. II. Aristides rhetor, posteaquam narrasset, oblatum sibi fuisse commune totius Asiae sacerdotium, (την κοινην της Ἀσιας ἱερωσυνην) id est: Asiarchiam, mox infra addit: και γινομαι τριτος ἡ τεταρτος τη χειροτονια, *et tertio vel quarto loco sum electus* c), cum quo videtur consentire testimonium Dionis Chrysostomi, quod infra totum producam. Ergo, inquiunt, saltem quatuor simul fuere Asiarchae. III. Strabo jactans Trallensium Lydiae opes et copias, ejus esse argumentum adserit, quod ἀει τινες εισιν ἐξ αυτων οἱ πρωτευοντες κατα την ἐπαρχιαν, ὓς Ἀσιαρχας καλουσιν, *semper aliqui sunt ex ipsis, qui primates sunt provinciae, quos Asiarchas vocant* d). Si semper, inquiunt, sunt aliqui, ergo plures. His motus rationibus Cl. Vandale cum aliis existimat, plures simul ac quidem diversis ex urbibus Asiarchas fuisse, unumque primum, seu qui aliis praesideret, ceteros adsessores aut socios, ac secundos, tertios, quartos etc. ordine συνεδριαν in eo collegio obtinuisse. Atqui diversos diversarum civitatum fuisse Asiarchas, eo probat, quod Smyrnaei, Pergameni, Sardiani, Hypaepeni, Cyziceni suos singuli in numis Asiarchas jactant; qua quidem in sententia fuisse etiam Muratorium video; nam ad verba marmoris sui: Τ. Φλ. Μουνατιος Φιλοσεβαστος ὁ γραμματευς και Ἀσιαρχης της πρωτης και μεγιστης μητροπολεως της Ἀσιας και Β. Νεωκορων Σεβαστων Ἐφεσιων πολεως, observat: *at hinc discimus, peculiarem suum Asiarcham fuisse Ephesinae reipublicae* e). At qui unum tantum eodem tempore Asiarcham statuunt, numero plurium Asiarcharum, quos in Actis memorat S. Lucas, comprehendunt etiam eos, qui Asiarchia functi jam sunt, et qui tum ex causa aliqua, v. g. ludorum, vel συνεδριας, una cum D. Paulo Ephesi adfuere. Quin et conjicit Cl. de Boze f), sacrum historicum nomine Ἀσιαρχων non intellexisse nostros sacerdotes Asiae, sed loquendo laxius, et in sensu populari intellexisse revera principes, vel primores Asiae. Verba Strabonis et Aristidis fateor obscuriora sunt, quam ut iis major eorum numerus evidenter confici possit, ut revera a variis varie explicata sunt, sed cui causae inutile puto diutius immorari. Minime vero probatur, quod duce Cl. Vandale existimat Muratorius, Smyrnaeos, Ephesios, etc.

a) pag. 559. 3. b) pag. 184. c) Orat. IV. sacra sub fin. pag. m. 345. d) L. XIV. p. m. 960. e) pag. 184. 1. f) l. c. p. 10.

peculiarem suum habuisse Asiarcham. Nam si viri hi eruditi sic sentiunt propterea, quia in numis legitur v. g. ЄΠΙ. ΔΟΜ. ΡΟΥΦΟΥ. ΑCΙΑΡΧΟΥ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ., tanquam nimirum hic Rufus fuisset Asiarcha Sardianorum, nihil obstat, quo minus statuamus quoque, Nicaeenses peculiarem suum habuisse proconsulem, quia in horum numis legimus: ΕΠΙ. ΑΤΤΙΟΥ. ΛΑΚΩΝΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Nimirum quemadmodum variae Bithyniae urbes proconsulem suum numis inscripsere, sic et variae Asiae urbes communem suum sacrorum magistratum Asiarcham. Deinde citatum Muratorii marmor sic explico, ut tantum vocabulum γραμματευς, qui ordinarius et proprius fuit Ephesi magistratus, ad Ephesiorum urbem referatur, et addatur Ασιαρχης, quia tum casu, qui scriba, etiam Asiarcha fuit. Ceterum difficile, scriptoribus similes peristases aut tantum in transcursu attingentibus, aut plane reticentibus, in hac causa verum reperire. Istud certum, nullum exstare monumentum, in quo quis diceretur ΑΣΙΑΡΧΗΣ. ΠΡΩΤΟΣ. vel Α, quae quidem solita est collegii formula.

Potuisse Asiarcham eodem tempore munia alia, sive sacra, sive profana, obire, diserte ex praefixo numorum catalogo docemur, qui eundem Asiarcham simul praetorem, vel archontem, vel summum pontificem praedicant. In marmore Muratorii mox citato habemus T. Munatium simul scribam Ephesi, simul Asiarcham.

Pars hujus muneris fuit procuratio ludorum secundum plura veterum testimonia, quae ne longior sim, videre potes apud Mazzolenum [a]). Quare et Rufinus vocabulum Ασιαρχης, quod occurrit apud Eusebium [b]), vertit *munerarius.* Magnos igitur sumptus postulabat Asiarchia, nec nisi beatioribus ad eam obeundam aspirare licuit. Supra vidimus Strabonem Trallensium opulentiam eo comprobantem, quod semper eorum aliqui ad Asiarchiam sunt evecti. Philostratus de Scopeliano sophista [c]): Αρχιερευς μεν γαρ ἐγενετο της Ασιας ἀυτος τε και ὁι προγονοι ἀυτου, παις ἐκ πατρος παντες. ὁ δε στεφανος ουτος πολυς, και ὑπερ πολλων χρηματων. *Summus enim pontifex Asiae fuit ipse majoresque ejus, filio patri in eo officio succedente. Magna autem haec dignitas, magnisque impensis constat.* Quapropter factum, ut nemo hoc Asiae sacerdotium suscipere cogeretur, qui numero liberorum quinque subnixus esset, ut ex libris jurisconsultorum eruit Spanhemius [d]).

Claudam commentarium adducto insigni loco Dionis Chrysostomi ex oratione XXXV. Celaenis dicta, qui secundum Casauboni correctionem sic habet: Αλλ' ους σοφους ὑμιν ἀποδεικνυουσι, τρεις η τετταρας, κομητας, καθαπερ τους ἱερεας των παρ' ἡμιν. Τους μακαριους λεγω, τους ἀπαντων ἀρχοντας των ἱερεων, τους ἐπωνυμους των δυω ἠπειρων της ἑσπερας ὁλης. Ταυτα γαρ ἐστι τα ποιουντα και τουτους ἐυδαιμονας, στεφανος, και πορφυρα, και παιδαρια κομωντα και λιβανωτον φεροντα. *Sed quos vobis sapientes designant, tres vel quatuor, co-*

a) l. c. p. 236. b) L. IV. c. 14. c) Vit. soph. XXI. d) l. c. p. 417.

inatos, quales sunt sacerdotes ex illis, qui apud nos sunt. Beatos istos intelligo, omnium sacerdotum principes, qui ejusdem sunt nominis cum duabus terris continentibus totius occidentis. Haec enim sunt, quae hos beatos faciunt: corona, purpura, puelli comati et tus gestantes. Albertus Rubenius, qui in sua de urbibus neocoris diatribe hujus loci jam meminit, non dubitat, hac oratione Asiarchas notari, nimirum qui revera principes omnium sacerdotum in provincia fuere. At vero istud praedicari etiam potuit de ἀρχιερευσι, ut in his diximus. Magis Asiarchas probaret, quod sequitur: τȣς ἐπωνυμȣς etc. si verum erit, quod existimat Rubenius, sub duabus continentibus totius occidentis intelligendam provinciam Asiam, et si το ἐπωνυμȣς hoc loco vere significat *ejusdem nominis*, capto nimirum Asiarcha ab Asia. Sed primum, hanc orationis partem satis esse ambiguam, facile patebit intuenti, deinde το ἐπωνυμȣς hoc etiam loco potest significare magistratum, *qui anno nomen dat.* Atqui anno in aliquo saltem sensu nomen dare poterant non Asiarchae modo, sed omnis generis sacerdotos annui. Quod si revera Asiarchae indicantur, quod magis videtur probabile, eorum confirmatur sententia, qui plures uno Asiarchas eodem tempore fuisse statuerunt, et quidem tres vel quatuor, apposite ad citatam supra Aristidis orationem. Docemur item, eos gestasse coronam, et purpura fuisse indutos, quod utrumque cum stephanephoris fuisse commune, mox singulari articulo videbimus.

§. VIII.

DE STEPHANEPHORIS.

Hyrcania Lydiae: ЄΠ. CT. ΦΡΑΤ. ЄΡΜΟΓЄΝΟΥ. Β. CTЄΦ.

Maeonia Lydiae: ЄΠΙ ΑΥΡ. ΑΠΦΙΑΝΟΥ. ΤΟΥ. ΑΘΗΝΑΙΟΥ. ΑΡΧ. Α. ΚΑΙ. CTЄΦΑΝΗΦ.

* * *

Seldenus a), et Vandale b) operose collegerunt, quae veteres de sacro hoc magistratu memoriae prodidere, quorum ego eruditis curis pleraque, quae sequens diatribe complectitur, debere lubens profiteor.

Στεφανηφορος est, *qui coronam gestat*, atque in generali hoc sensu, ϛεφανηφοροι fuerunt sacerdotes omnes, et in genere omnes ii, qui sacrificia diis obtulere; nemo enim non coronatus ad peragendam rem divinam accessit. At videbimus continuo, urbes nonnullas sacerdotibus suis stephanephororum no-

a) Ad marmor Oxon. II. b) Diss. V. cap. 1.

men dedisse, magnamque iis tributam auctoritatem, quin et titulum hunc veteris aevi ad seros posteros durasse. Teste Athenaeo a) Posis libro III. Magneticorum τον Θεμιςοκλεα φησιν ἐν Μαγνησιη ΤΗΝ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΝ ΑΡΧΗΝ ἀναλαβοντα θυσαι Αθηνᾳ, και την ἑορτην Παναθηναια ὀνομασαι, *Themistoclem inquit Magnesiae, cum stephanephori sumpsisset dignitatem, sacrificasse Palladi, et festum istud vocasse Panathenaea.* Ex quo apparet non modo muneris hujus vetustas, sed étiam, cum illud ἀρχην dicat, magistratus, sacri scilicet, rationem habuisse. Neque minus illustris alter ejusdem Athenaei locus b): Και Ταρσε δε Επικεgειος φιλοσοφος ἐτυραννησε, Λυσιας ὀνομα, ὁς ὑπο της πατριδος στεφανηφορος αἱρεθεις, τετ' ἐςιν, ἱερευς Ηρακλευς, ὀκ απετιθετο την αρχην, ἀλλ' ἐξ ἱματιε τυραννος ἠν. *Et fuit Tarsi tyrannus philosophus Epicureus, nomine Lysias, qui a civibus suis creatus stephanephorus, id est, sacerdos Herculis, eo magistratu se non abdicavit, sed habitu ipso tyrannidem prae se tulit.* Hoc iterum testimonio stephanephorus instar magistratus proponitur, ac, quod praecipuum est, diserte, cujus fuerit rationis, explicatur, nimirum sacerdos Herculis. In lapide, quem Sponius Lampsaci vidit, legitur; ΤΟΥ. ΙЄΡЄΩC. ΤΩΝ. CЄΒΑCΤΩΝ. ΚΑΙ. CΤЄΦΑΝΗΦΟΡΟΥ. ΤΟΥ. CΥΜΠΑΝΤΟC. ΑΥΤΩΝ. ΟΙΚΟΥ. *Flamine Augustorum, et stephanephoro totius eorum domus* c). Communicatum cum feminis istud sacerdotium docet marmor Sponii. ЄΠΙ. CΤЄΦΑΝΗΦΟΡΟΥ. ΚΟCΚΩΝΙΑC d) item aliud apud Chandlerum e).

Stephanephorum non fuisse perpetuum, sed temporarium, mox ex Athenaei Lysia vidimus, qui cum se abdicare hoc munere oporteret, illud per vim obire perrexit; quin fuisse annuum, certa habemus testimonia, ac primum quidem marmor a Patino editum, quod citat Vandale f) in cujus versu ultimo legitur: ЄΠΙ. CΤЄΦΑΝΗΦΟΡΟΥ. ΑΙΛΙΟΥ. ΒΙΩΝΟC. ΜΗΝΟC. ΤΡΙΤΟΥ. *Sub stephanephoro Aelio Bione mense tertio.* Atque istud tanto magis verum, quod certa fide constat, fuisse stephanephorum in nonnullis civitatibus magistratum eponymum. De Smyrna istud adfirmat Philostratus, cum narrat de Heraclide sophista g): και την ςεφανηφορον ἀρχην παρ' ἀυτοις ἠρξεν, ἀφ' ἡς τοις ἐνιαυτοις τιθενται Σμυρναιοι τα ὀνοματα, *et stephanephori munus apud eos obivit, a quo annis Smyrnaei nomina imponunt*, quam quidem orationem audacius sic vertit Olearius: *magistratum quoque praeturae apud eos gessit, a quo annis etc.* nimirum in subjecta nota ad Smyrnaeorum numos provocans, qui passim strategum, sive praetorem tanquam magistratum eponymum memorant, ac praecipue ad notos illos Commodi numos Smyrnae cusos: CΤΡΑ. ΗΡΑΚΛЄΙΔΟΥ. ΟΜΟνοια CΜΥΡ. ΛΑΚЄΔΑΙ. Nam cum nullus dubitet, Heraclidem horum numorum esse eundem cum Heraclide Philostrati, hunc vero ex numis constet fuisse Smyrnae praetorem, inde consequi existimat, Philostratum nomine ςεφανηφορε ἀρχης

a) L. XII p. m. 533. b) L. VI. p. m. 215. B. c) Voyage T. III. p. 93. d) Misc. p. 353. e) Inscr. ant. p. 19. n. 54. f) l. c. p. 375. g) Vit. soph. L. II. c. 26. §. 2.

intelligere praeturam. At enim si vir eruditus Smyrnaeorum monumenta attentius pervolvisset, vidisset sane, in his non strategos solum, sed et proconsules eponymorum more propositos. Quin et in eximio foedere Smyrnaeorum cum Magnetibus, quod exhibet marmor Oxoniense II., Smyrnaeorum eponymus proditur non strategus, sed ἱερευς Ηγεσιας. Iam vero, sive Smyrnaeorum eponymus secundum marmor dicatur ἱερευς, sive secundum Philostratum ϛεφανηφορος, perinde haberi potest, cum ex hactenus dictis constet, ϛεφανηφορες fuisse ἱερεας, ut adeo Philostrati oratio suffragante hoc marmore eximie juvetur. Ad eponymos nostros stephonephoros ut revertamur, eos Magnesiae quoque Ioniae forte in eponymis habitos, docet idem marmor inter Oxoniensia II., de quo modo egimus, in quo legitur: ΕΠΙ. ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ. ΠΥΘΟΔΩΡΟΥ. Ex quibus omnibus patet, stephanephoros eodem loco habitos, et eadem fuisse dignitate, qua vulgo in urbibus Graecis eminuisse omnis generis sacerdotes, quod et erant, passim legimus.

Quae alia stephanephori habuerint sibi propria, veterum monumenta non prodidere. Quo habitu in publicum processerint, describit Athenaeus loco, quem supra citavi. Erat nempe Lysias stephanephorus et tyrannus indutus tunicam purpuream albo distinctam, chlamydem sumptuosam, subjectis soleis albis Laconicis, redimitus corona laurea ex auro. Cur autem sacerdotes hi a coronae gestatione nomen traxerint, causam in promptu non habeo. Corona enim, ut diximus, sacerdotes omnes decuit, et Asiarchae quoque corona redimiti fuere, ut supra, cum de his agerem, ex Dione Chrysostomo indicavimus, et Flaminibus quoque Augustalibus in provinciis indultam fuisse coronam auream, diserte testatur Arrianus [a]).

§. IX.

DE PANEGYRIARCHIS, AGONOTHETIS, GYMNASIARCHIS.

Conjunxi tres hos magistratus, quia causa conjunguntur. Vt in marmoribus frequens eorum mentio, sic in numis rarior, ut patebit ex sequente elencho.

Panegyriarchae.

Apamea Phrygiae: ΠΑΥ. ΒΑΚΧΙΟΥ. ΠΑΝΗ. In alio: ΠΑΥ. ΣΤΡΑΤΟΝΙ-

a) ad Epictet. L. I. c. 19.

ΚΙΑΝΟΥ. ΠΑΝΗΓΥΡ. In alio: ΠΑΡΑ. ΑΥΡ. ЄΡΜΟΥ. ΠΑΝΗΓΥΡΙΑΡΧΟΥ.

Agonothetae.

Apamea Phrygiae: ЄΠΙ. ΑΓΩΝΟΘЄΤΟΥ. ΑΡΤЄΜΑ. Γ.

Perperene Mysiae: ЄΠΙ. ΑΓΩΝΟΘЄΤ. ΙЄΡЄΟϹ. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΤΩ. ϹЄΒ. ΓΛΥΚΩΝΟϹ. Β. ΔΗΜЄ. ΠЄΡΠЄΡΗ. nimirum ut perversam hanc epigraphen legere est in catalogo d'Ennery p. 408. Vide numos hujus urbis.

Gymnasiarcha.

Pergamus Mysiae: Μ. ΦΟΥΡΙΟΣ. ΙΕΡΕΥΣ. ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ. Vide de hoc numo varie lecto monetam hujus urbis.

* * *

PANEGYRIARCHAE dicti illi, qui panegyri praefuere. Significat autem πανηγυρις coetum promiscuae multitudinis ob quamcunque causam coactae. Sic panegyres dici poterant ludi per Graeciam celeberrimi Olympia, Pythia etc. et revera sic dicuntur in psephismate Byzantiorum apud Demosthenem a), ἀποςειλαι δε και δωρεας ἐς τας ἐντε Ελλαδι πανηγυριας, Ισθμια, και Νεμεα κ. τ. λ. *mittere etiam dona ad conventus, qui sunt in Graecia, Isthmia, Nemea etc.* Valuit idem vocabulum ad coetus ordinarios. Cicero b): *res agebatur in circo Flaminio, et erat in eo ipso loco illo die nundinarum πανηγυρις.* Proinde ἀλλεγορικως et valde apposite dictum de malis per agmina confluentibus: κακων πανηγυρις c). Graecis imperatorum aetate jam aliud nihil meditantibus quam festa et omnis generis ludos, obtentu quidem religionis, et in Caesares observantiae, revera ut otii fastidium levarent, nequaquam mirum, panegyres immensum fuisse auctas, ipsa eorum moneta, inscriptis tot, tamque varii argumenti ludis, earum frequentiam comprobante. Has ergo sacras panegyres qui supremo imperio moderabatur, jure dictus panegyriarcha. Vaillantius decurtata in numis supra descriptis vocabula ΠΑΝΗ. ΠΑΝΗΓΥΡ. explevit ΠΑΝΗΓΥΡΙϹΤΗϹ., adseruitque, qui panegyristae dignitate ornatus erat, deorum vel imperatorum laudes in publicis festorum et ludorum conventibus protulisse d). At enim jam satis comprobatum ab erudito Vandale e), et Cupero f), a Graecis scriptoribus eos dictos panegyristas, qui ad panegyres spectatum convenerant, non qui aliquo ibi munere fungerentur. Veram lectionem stabilit numus tertius, in quo plene scriptum ΠΑΝΗΓΥΡΙΑΡΧΟΥ, et sic quoque in binis marmoribus: ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΝΤΑ. ΚΑΙ. ΠΑΝΗΓΥΡΙΑΡΧΗΣΑΝΤΑ g), in alio: ΠΑΝΗΓΥΡΙΑΡΧΗΣΑΝΤΑ. ΚΑΙ. ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΝΤΑ. ΤΩΝ. ΜΕΓΑΛΩΝ. ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΩΝ h), in alio: ΤΟΝ. ΠΑΝΗΓΥΡΙΑΡΧΟΝ. ΚΑΙ. ΑΓΟΡΑΝΟΜΟΝ i).

* * *

AGONOTHETA cum panegyriarcha

a) de corona. p. m. 487. b) ad Attic. L. I. ep. 14. c) Erasm. adag. Chil. II. cent. X. §. 27. d) num. Graec. p. 316. e) Diss. VII. c. 2. p. m. 547. f) Lettr. de crit. p. 517. g) Gruter p. 1091. 4. h) Spon Voyage T. III. part. II. p. 129. i) Pocock Inscr. ant. p. 12.

penitus connectitur, nam et hunc fuisse ludorum moderatorem, nomen ipsum eloquitur. Magnae fuisse hoc munus dignitatis, eo potest intelligi, quod Hadrianus ipse Athenis pro agonotheta resedisse fertur a). Fuisse discrimen inter panegyriarcham et agonothetam, dubitari vix potest, nam in marmoribus mox citatis utrumque munus particula ΚΑΙ satis distinguitur. Atque hoc admisso nequaquam dubitem, panegyriarcham dignitate praestitisse, sic ut ad hunc non sola ludorum procuratio pertineret, quae privatim agonothetae fuerit imposita, sed etiam sacrificiorum, victimarum, solennis pompae, forte et rei annonariae, paucis, quaecunque ad panegyreos splendorem et commoda facere poterant. Quanquam haec, quae modo dixi, vix possint ad omnes conventus valere; nam verisimile est, in civitatibus magis opulentis festisque magis conspicuis divisa inter plures fuisse munia, quae in civitatibus minoribus, conventibusque ordinariis uni fuerint demandata, sic ut parum referret, is, qui ludos moderabatur, essetne dicendus panegyriarcha, an agonotheta. Neque vero magnopere probaverim subtiles eas distinctiones agonothetae, agonarchae vel agonistarchae, athlothetae, quas extundere conatus est Vandalius, quae sane videntur fuisse vocabula ejusdem significationis a scriptoribus promiscue usurpata, quemadmodum illi, ut vel uno exemplo utar, proconsulem Romanum jam dixere ἀνθυπατον, jam ϛϱατηγον, jam ἀϱχοντα, jam ἡγεμονα. Vt agonothetae, sic fuere etiam agonothetides, de quibus, ut de universa hujus magistratus ratione, vide cl. Vandale b).

* * *

GYMNASIARCHA fuit, quod et nomen indicat, supremus gymnasii moderator. Fuisse hunc magistratum magnae vulgo existimationis, vel inde patet, quod M. Antonius IIIvir, totiusque orientis rector promiserit Tarsensibus, se apud eos gymnasiarchae munere functurum, cumque ipse per se vacare hoc munere non posset, Boethum quendam pro se ἀντιγυμνασιαϱχον suffecerit receptis in se faciendorum sumptuum rationibus. Haec Strabo c). Quid quod et Titus Augustus in marmore Gruteri d) ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΣ. ΤΟ. Γ. et ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ. dicitur. Et vero Aristoteles quoque gymnasiarchas inter urbium magistratus recenset e), et inter sacros quidem fuisse, apparet ex Demosthene f): ἐϱουσι γαϱ, ὁτι ταυτ᾽ ἱεϱων ἐϛιν ἁπαντα τα ἀναλωματα, ἁι χοϱηγιαι και ἁι γυμνασιαϱχιαι. *Dicent enim, sumptus hos omnes, ut sunt choregiae et gymnasiarchiae, ad sacra pertinere.* Magistratus hujus non infrequens fit mentio in marmoribus. Ceterum quae alia ad gymnasiarcharum munus pertinent, non meum hic existimo latius exponere, et videri de hoc argumento possunt rei agonisticae scriptores.

Dixi in moneta Pergami, unicum hunc esse numum, qui certam gymnasiarchae mentionem offert. Habemus numos binos, in quibus legitur voca-

a) Spartian. in Hadrian. b) Diss. VII. c. 2. c) L. XIV. p. m. 991. d) p. 173. 8. e) Politic. L. VI. c. 8. f) contra Leptinem p. m. 559.

bulum ΓΥΜΝΑCΙΑΡΧΙΑ, de quo quae mea sit sententia, vide in tractatu de ludis sub *Gymnasiarchia*.

Feminas etiam gymnasiarchae munere functas docet marmor apud Chandlerum a).

§. X.

DE THEOLOGO.

Sacri hujus muneris meminere numi sequentes:

Pergami Mysiae: ЄΠΙ. CΤΡ. ΤΙΒ. ΚΛ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΥ. ΘЄΟΛ. In alio: ЄΠΙ. CΤΡ. ΓΛΥΚΩΝΟC. ΘЄΟΛΟΓΟΥ.

Aegarum Ciliciae: Μ. ЄΥΓ. Π. Θ. *M. Eugenes Pius theologus.*

* * *

Ipsum theologi nomen indicat hominem, qui explicandae rei divinae operam impendit, quales ut hodie, sic et olim fuere plurimi. Ad theologorum munus, cujus citati numi meminere, quod attinet, videntur ibi potissimum fuisse constituti, ubi oraculorum sedes fuit, quorum deinde ambigua petentibus explicarent. Theologos Delphicos habemus apud Plutarchum b), *πλειςον δε της ἀληθειας διαμαρτανουσι οἱ Δελφων θεολογοι, at longissime a vero aberrant Delphorum theologi.* At constat etiam, Pergamum et Aegas non Aesculapii modo cultu, sed et oraculis per somnium plerumque dictatis fuisse inclytas, quae vel maxime theologum interpretem requirunt. Sic et praestigiatorem Alexandrum, qui in Paphlagonia Glyconis sui nomine oracula dedit, theologi quoque opera usum, refert Lucianus c).

In numo altero elementum Θ videri explendum legendo Θεολογος, jam innui in moneta hujus urbis.

§. XI.

DE HIEROMNEMONE.

Ejus mentio fit in unico numo

Byzantii Thraciae: ΙЄΡΟΜΝΑ. ΑΙΛΙ. CЄΟΥΗΡΟC. ΒΥΖΑΝΤΙΟΙC. secundum correctionem cl. Corsinii, ut dixi in moneta hujus urbis. Est L. Veri.

a) Inscr. ant. p. 19. n. 54. b) de defectu orac. c) in Pseudomant.

* * *

Hieromnemonum meminere omnes ii, qui de sacro Amphictyonum collegio scripsere. Secundum Suidam: οἱ πεμπομενοι εἰς το των Αμφικτυονων συνεδριον ἐξ ἑκαςης πολεως των τε συνεδριε μετεχεσων ἐτω καλενται, *ii, qui missi sunt ad Amphictyonum concilium e singulis urbibus, quae ejus participes fuere, sic vocati sunt.* In eandem sententiam Hesychius, Harpocration, Vlpianus a), Scholiasta ad Aristophanis nubes b), aliique. Nimirum Pylagoris, qui a civitatibus ad concilium illud sive Delphos sive Pylas missi fuere, additus fuit hieromnemon tanquam legationis caput. Ejus mentionem facit marmor, insigne quidem, verum, sive unum idemque fuit, sive diversum, a variis varie ac mendose promulgatum, a Grutero bis c), a Reinesio d), paullo adcuratius a Muratorio e), quod sic primaevae integritati restituendum puto:

ΘΕΟΙϹ.
ΕΠΙ. ΑΡΙϹΤΑΓΟΡΑ. ΑΡΧΟΝΤΟϹ.
ΕΝ. ΔΕΛΦΟΙϹ. ΠΥΛΑΙΑϹ. ΗΡΙΝΗϹ.
ΙΕΡΟΜΝΗΜΟΝΟϹ. ΤΩΝ. ΑΙΤΩΛΩΝ. ΠΟΛΕΜΑΡΧΟΥ.
ΑΛΕΞΑΜΕΝΟΥϹ. ΔΑΜΩΝΟϹ.

Deis. Aristagora archonte Delphis, Pylaeae synodi *vernae hieromnemone polemarcho Aetolorum Alexamene Damonis F.* Nempe Amphictyonum collegio bis per annum coacto, et quidem Delphis, et apud Pylas, seu Thermopylas, unum ἐαρινον, *vernum*, alterum μετοπωρινον, *autumnale* dictum est, cujus quoque testem habemus Demosthenem f): Επι ἱερεως Κλειναγορε ἐαρινης Πυλαιας ἐδοξε τοις πυλαγοραις και τοις συνεδροις των Αμφικτυονων κ. τ. λ. *Pontifice Clinagora* synodi *vernae Pylaeae, placuit Pylagoris et concilio Amphictyonum etc.* Vnde verisimile mihi principio visum, pro ΗΡΙΝΗϹ. in marmore legendum ΕΑΡΙΝΗϹ., verum probat cl. Vandale citato Aristophane, etiam ἠρινος dictum pro ἐαρινος. Vide ibi plura, quae ad hujus marmoris explicatum faciunt g). Ejusdem rationis sunt hieromnemones expressi in lapide Delphico, quod protulit Muratorius inscriptum Latine, in quo legitur: SENTENTIA. HIEROMNEMONVM, CVM. HIEROMNEMONVM. IVDICIO. etc. h). Sed justo longior fui in explicando hieromnemone, qui nostri argumenti non est. Vide de hoc plura apud Vandale i) et Humphridum Prideaux k).

Agimus hoc loco de hieromnemone, quem nonnullas urbes magistratus loco habuisse, ex certis monumentis constat. In praesente Byzantii numo legitur ΙΕΡΟΜΝΑμων Aelius Severus, nempe Dorice pro ΙΕΡΟΜΝΗμων, qua dialecto usos Byzantios vulgo notum. Neque solum hoc est monumentum, quod nobis ejus populi hieromnemonem edisserat. Iam Demosthenis aetate hic ibi magistratus valuit, nam recitatum ab eo Byzantiorum decretum sic incipit: Επι ἱερομναμονος Βοσποριχω, *Hieromne-*

a) In orat. contra. Timocr. p. m. 823. b) v. 624. c) pag. 129. 15. et 1021. 7. d) Class. I. n. 241. e) pag. 570. 3. f) de corona. g) Dissert. VI. cap. 2. h) pag. 598. i) l. c. k) Marm. Oxon. p. 364.

mone Bosporicho [a]). Addo memoratum a Polybio Byzantiorum ἱερομνημονεντα Cothonem, quo tempore hi cum Prusia Bithyniae rege bellum gessere [b]). In alia adhuc civitate eundem magistratum proditum reperio, Chalcedone Bithyniae Byzantio vicina, et ab hac urbe angusto freto dirempta, in cujus ruderibus repertum marmor sic inscriptum: ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΠΡΟΜΑΘΙΩΝ. ΘΕΟΔΟΤΟΥ. ΙΕΡΟΜΝΑΜΩΝ. ΕΡΜΑΙΟΣ. ΕΡΜΑΙΟΥ. κ. τ. λ. [c]). Constat, plura alia fuisse Chalcedoni cum Byzantio communia.

Cuivis facile patebit, alteros hos hieromnemones alius fuisse generis, quam quos priore loco nominavimus; neque enim Byzantium et Chalcedon fuere in earum civitatium numero, quibus permissum legatos suo nomine ad Amphictyonum concilium mittere. Vrbici hujus magistratus etsi disertam apud veteres mentionem non reperiam, tamen vel ab ipso nomine facile colligitur, fuisse e sacris unum, et si ab etymo velimus augurium capere, ejus erat commonere, et in memoriam revocare, quae a majoribus in religionis causa constituta sunt, et quo pacto ejus caerimoniae obeundae sint, interpretari, eodem modo, quo secundum Hesychium ἱεροφαντης fuit μυσταγωγος, ἱερευς τα μυστηρια δεικνυων, id est: *sacerdos mysteria repraesentans.* Fuit ergo hieromnemon Byzantii et Chalcedone idem, qui alibi simpliciter ἱερευς est dictus, alio tantum peculiari nomine huic sacerdotio indito, quemadmodum variarum urbium summos sacerdotes fuisse dictos stephanephoros, et Syracusis quidem amphipolos, alibi diximus.

§. XII.

DE AMPHICTYONIBVS.

Celeberrimi in tota Graecia Amphictyonum concilii unicus meminit Delphorum Phocidis numus autonomus, de quo vide, quae in ejus urbis moneta ad hunc numum adnotavi.

a) Orat. de corona. b) Hist. L. IV. c. 52. c) Caylus Ant. T. II. p. 170.

§. XIII.

DE CVRATORIBVS, qui in numis: ΕΠΙΜΕΛΗΤΑΙ, ΕΠΙΣΤΑΤΑΙ.

Επιμελητας duae tantum urbes, eaeque in Caria sitae, memorant.

* * *

Antiochia Cariae: ΕΠΙΜΕΛΗ. ΚΛ. ΑΓΛΑΟΥ. vel: ΤΙ. ΚΛ. ΑΓΛΑΟΥ. ΕΠΙΜΕΛΗϹΑΝΤΟϹ.

Stratonicea Cariae: ΕΠΙΜΕΛΗ. ΤΙ. - - ΑΡΙϹΤΕΑ.

Vtrosque numos uberius descriptos vide in singularum urbium moneta.

* * *

Erant Επιμεληται Graecis, quod Latinis *curatores*. Plato in civitate sua constituit viarum, habitationum, portuum, fori, fontium, templorum et sacrorum ἐπιμελητας a). Eodem exemplo Aristoteles toto capite VIII. libri VI. de republica longum ἐπιμελητων catalogum conscripsit, quorum fidei civitatium salus, religio, securitas, rectus ordo, abundantia, ornamenta committerentur. Quae hi legis modo sanxerunt, ea per urbes Graecas reipsa constituta docent marmora et scriptores. ΕΠΙΜΕΛΗΤΗϹ. ΤΗϹ. ΠΟΛΕΩϹ. habetur apud Sponium b). Adde ἐπιμελητας regionum, tum et regum, nempe horum tutores, quorum exempla dat Spanhemius c). Επιμεληται ludorum exstant in marmore Atheniensi apud Chandlerum d), ἐπιμελητης εὐθηνιας, *procurator annonae* e), ἐπιμελητης ὁδων, *curator viarum* f). Idem vocabulum saepe in marmoribus adhibitum tum, cum summi etiam magistratus opus aliquod procurabant, cujus copiosa exempla sunt vel apud unum Sponium in Miscellaneis. Sic: ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΟϹ. ΤΟΥ. ϹΤΡΑΤΗΓΟΥ. ΤΗϹ. ΠΟΛΕΩϹ. ΑΡΙϹΤΟΝΟϹ. *curante praetore urbis Aristone* g). ΤΗϹ. ΑΝΑΓΡΑΦΗϹ. ΕΠΙΜΕΛΗΤΗϹ. ΑΙϹΧΙΝΗϹ. ΦΙΛΩΝΟϹ. ΤΑΜΙΑϹ. *epigrammatis* (seu scribendi psephismatis) *curator Aeschines Philonis F. quaestor* h). ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΟϹ. ΤΗϹ. ΑΝΑϹΤΑϹΕΩϹ. ΠΟΜΠΗΙΟΥ. ΛΑΤΡΙΟΥ. ΤΟΥ. ΠΡΩΤΟΥ. ϹΤΡΑΤΗΓΟΥ. *curante erectionem* (statuae) *Pompejo Latrio primo praetore* i). ΤΗΝ. ΕΠΙΜΕΛΕΙΑΝ. ΚΑΙ. ΤΗΝ. ΑΝΑϹΤΑϹΙΝ. ΠΟΙΗϹΑΜΕΝΩΝ. ΑΡΧΟΝΤΩΝ. κ. τ. λ. *praefectis faciendae et erigendae* statuae *archontibus etc.* k) quorum sensum optime explicat epigramma sequens: την προνοιαν της παρασκεβης (sic) και της ἀναστασεως τυ ἀνδριαν-

a) De legib. L. VI. p. 758. b) Misc. p. 319. n. 6. c) T. I. p. 715. d) inscr. ant. p. 48. e) ibid. p. 81. f) ibid. p. 92. g) pag. 327. h) pag. 336. i) pag. 340. k) pag. 341.

τες ποιησαμενε τε πρωτε αρχοντος κ. τ. λ. *curante opus et erectionem statuae primo archonte etc.* [a]). Legimus etiam: ὑπο την ἐπιμελειαν Ιελιε Κανδιτε τε κρατιςε ἀνθυπατε ςρατηγεντος Αισχιωνος, *curante Iulio Candito potentissimo proconsule, praetore Aeschione* [b]).

Quae fuerit provincia his Cariae urbium ἐπιμεληταις imposita, numi dissimulant.

* * *

Commode Επιμελητῃ jungimus Επιςατην, qui *curatorem* quoque significat, quo nomine et magistratus fuere, de quibus copiose Suidas, et latius ex recentioribus Spanhemius [c]). In unico numo, et quidem Pergami, memoratur, quam vide.

§. XIV.

DE SOPHISTIS.

Articulus hic eos complectitur, qui sophistarum institutum secuti sunt, et tales sese in numis profitentur. Eorum nomina praedicant urbes sequentes:

Cidyessus Phrygiae: ЄΠ. ΑΡ. ΟΥΑΡΟΥ. CΟΦΙCΤΟΥ. ut legit Vaillantius; aliter Belleyus nempe ΛΟΓΙCΤΟΥ. Vide numos hujus urbis.

Laodicea Phrygiae, et *Smyrna Ioniae:* ΑΤΤΑΛΟC. CΟΦΙCΤΗC. ΤΑΙC. ΠΑΤΡΙCΙ. CΜΥΡ. ΛΑΟ.

Smyrna Ioniae praeter praecedentem: ЄΠΙ. ΚΛ. ΠΡΟΚΛΟΥ. CΟΦΙCΤΟΥ. In alio: CΤΡΑ. ΚΛ. ΡΟΥΦΙΝΟΥ. CΟΦΙ.

* * *

Sophista secundum Suidam est πας τεχνιτης, *omnis artifex.* Causam addit Hesychius, quia veteres πασαν τεχνην σοφιαν ἐλεγον, *omnem artem sapientiam dixerunt.* Praecipue vero sic dicti ii, qui artem callebant hominibus sive propter utilitatem, sive voluptatem gratam acceptamque, quales fuere medicina, musica, poesis. Transivit appellatio ad indicandum virum gravem et sapientem, et constat, omnium primum Solonem dictum sophistam. Denique obtinuit usus, ut sic dicerentur, qui aut eloquentiae praecepta darent, aut eam publice dicendo ad populum comprobarent. Tales florentibus Graeciae rebus fuere Gorgias Leontinus, Prodicus Ceus, Protagoras Abderites, Hippias Eleus, aliique, imperatorum deinde aetate, Dio Chrysostomus, Aristides, Themistius, quorum supersunt orationes, tum et copiosi alii, quorum vitas conscripsit Philostratus. Atque in hoc fere stetit distinctio philosophi et sophistae, quod hic philosophiae studium cum eloquentia conjunxit,

---

a) ibid. b) pag. 318. c) T. I. p. 715.

quamvis non raro utrumque nomen promiscue fuerit usurpatum.

Magnum sine dubio fuit omni aevo sophistarum nomen, magnique iis vulgo constituti honores et praemia, quod orationis suavitate nossent mulcere animos audientium, et quidquid vellent, persuadere. Sane hujus causa aureus in templo Delphico stetit Gorgias, alii laudati publice honorificis civitatum decretis, constitutum etiam ab imperatoribus, ut qui viginti annos cum laude docuerint, maximis honoribus et dignitatibus perfruantur. Et vero non paucos ad summa evectos, variis exemplis comprobat Philostratus, inter quae praecipuum Herodes Atticus bis ad consulatum evectus, tum et Dio Chrysostomus a Trajano in currum, quo ipse vehebatur, admissus. (Suidas sub Διων. Photius Cod. 209.) Inter privilegia iis conferri solita praecipuum fuit vacatio munerum, nimirum ne causis publicis distracti detrahere liberalibus suis studiis cogerentur. Ejus illustre exemplum suppeditat marmor, quod est inter Oxoniensia CLXXIX., quodque, cum praesens argumentum eximie illustret, totum huc referendum visum: Οι θειοτατοι Αυτοκρατορες Σεȣηρος και Αντωνεινος τοις Σμυρναιοις. Ει Κλαυδιος Ρȣφινος ὁ πολειτης ὑμων, ὁ δια την προαιρεσιν, ἡ συνεςιν ἐπι παιδειᾳ, και τον ἐν λογοις συνεχη βιον, την προκειμενην τοις σοφιςαις κατα τας θειας των προγονων ἡμων διαταξεις ΑΤΕΛΕΙΑΝ ΤΩΝ ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΩΝ καρπȣμενος, ὑμων ἀυτον ἑκȣσιῳ αναγκη προκαλȣμενων, ὑφεςη την ςρατηγιαν κατο το προς την πατριδα φιλτρον, την γȣν ἐις τα αλλα μενειν ἀπραγμοσυνην ἀκεινητον ἀυτῳ δικαιοτατον ἐςιν. Ου γαρ ἀξιον τῳ ἀνδρι την ἐις ὑμας φιλοτειμιαν γενεσθαι ζημιαν, και μαλιςα ταυτην ὑμων ἀιτȣντων ὑπερ ἀυτȣ την χαριν. Ευτυχειτε. Επρεσβευον Αυρ. Αντωνεινος και Αιλιος Σπηρατος. *Divinissimi imperatores Severus et Antoninus Smyrnaeis: Si Claudius Rufinus civis vester, qui, ob professionem studiorum et assiduam in eloquentia vitam, proposita sophistis secundum divinas majorum nostrorum constitutiones VACATIONE MVNERVM fruitur, vobis eum sponte ac necessario compellantibus, praeturam pro suo in patriam amore suscepit, justissimum est, otium illi quoad alia immotum permitti. Neque enim decet, viro suam in vos observantiam detrimento esse, praecipue vobis hanc pro eo gratiam postulantibus. Valete. Legati fuerunt Aur. Antoninus et Aelius Speratus.* En vacationem munerum sophistis jam ante Severum ab imperatoribus litteris publicis concessam, et ab hoc confirmatam, quin et praeclare cum hoc decreto conspirantem citatum supra Smyrnaeorum numum cum epigraphe: ЄΠΙ. CΤΡΑτηγȣ ΚΛαυδιȣ ΡΟΥΦΙΝΟΥ. CΟΦΙςȣ, in cujus altera facie Severus, Caracalla, Geta sedentes proponuntur. Alia hujus ἀτελειας exempla offert Philostratus in vita Favorini et Heraclidae.

Hactenus sophistarum merita et honores peregimus, jam et vitia et contemptum commemoremus. Operae pretium puto, ex Plutarcho sophistarum ortum primum, deinde et aliquatenus progressum referre. Agens ille de Mnesiphilo [a]), *fuit hic*, inquit, *non orator*,

a) in Themistocle cap. 2.

neque ex secta philosophorum, quos physicos nominant, verum eam, quam sapientiam vocabant, quae scientia fuit reip. gerendae, et prudentia negotiosa, amplexus est, et tenuit velut sectam ex successione Solonis, quam ii, qui deinde secuti sunt, cum artibus confuderunt forensibus, et exercitationem a rebus agendis ad artem oratoriam transtulerunt, unde et sophistae dicti sunt. Quo ex testimonio jam multo clarius videmus, artem sophisticam, quae primum, ut jam supra innui, in rep. tractanda versabatur, in artem forensem cum eloquentia conjunctam fuisse immutatam. Iam vero tum male coepit audire, cum comperti essent, qui eam profitebantur, oratione fucata et subdola, omnibusque, quae animos abripiunt, lenociniis instructa veritati vim adferre, unde orta in eos dicteria: *τον ἡττω λογον κρειττω ποιειν, τα μικρα μεγαλα, τα δε μεγαλα μικρα ποιειν*, etc. *quod nefas est, in speciem justi exornare, augere parva, magna minuere etc.* eorumque ars passim diceretur *κακοτεχνια, ματαιοτεχνια, κλεπτικη, ψευδοπαιδια*, et eorum sermones, *nodi, retia, laquei, labyrinthi*, tum et *εριςικοι*, sive *contentiosi*, atque in hoc sensu Hesychio recte dictus sophista *ἀπατεων, διδασκαλος πανουργος, veteratar, doctor vafer*, ac propterea id hominum genus saepe totis regnis, provinciis, civitatibus pulsum. Contemptum vero etiam promeriti sunt, quod, cum maxime ostentare ingenium suum vellent, argumenta ad disputandum frivola arripuere, et jure adeo de iis dixerit Aelianus [a]), *ὀυδεν ὑγιες ὀντας, ὀυδε τε σπουδαιον ἡ ειδοτας, η λεγοντας, nihil in iis sanum inesse, et qui nec scirent, neque docerent quidquam operae pretium.* Scitum vero, ac multo lepidissimum est illud Dionis Chrysostomi, qui, dum hominem sophistam non differre a libidinoso eunucho dixit, causam addit: *ὁτι των ἐυνουχων φασιν ὁι ἀσελγεςατοι ἀνδρες ἐιναι και ἐραν των γυναικων, και συγκαθευδουσιν ἀυταις και ἐνοχλουσι, γιγνεται δ' ὀυδεν πλεον, ὀυδ' ἀν τας τε νυκτας και τας ἡμερας συνωσιν ἀυταις*, atque eodem modo prosequitur, multos sophistas ad senium pervenisse adhuc indoctos etc. [b]). Auxit indignationem, quod, cum virtutem docerent, vitia sectarentur. Iam de sui aevi sophistis Philo [c]): *τι γαρ ὀφελος λεγειν μεν τα βελτιςα, διανοεισθαι δε και πραττειν τα ἀισχιςα; Σοφιςων ὀυτος ὁ τροπος. Quid enim prodest dicere optima, sentire autem et agere turpissima? Mos hic est sophistarum.* Alibi eos plane abjicit, cum ait [d]): *eandem rationem habere sophistam ad sapientem, (σοφιςην προς σοφον) quam habet infans ad virum perfectum.* Ceterum quae hucusque dixi, lacinia tantum sunt ampli, et eruditi sane tractatus, quem de sophistis in suo Theatro veterum rhetorum exhibuit celeberrimus Ludovicus Cresollius, quod insertum est Tomo X. antiquitatum Graecarum Gronovii, atque unde me partem eorum, quae modo enarravi, hausisse lubens profiteor.

Ad numos nostri argumenti ut revertar, habemus in his Attalum sophistam, quem ex Philostrato constat fuisse Polemonis sophistae filium, et Hermocra-

a) Var. hist. L. II. c. 13. b) Orat. IV. p. 64. c) de Posterit. Caini. d) de verbis Resipuit Noe.

tis sophistae patrem a), atque ut praeterea numi enunciant, patria simul Laodicensem, simul Smyrnaeum, quod explicavimus in moneta Laodiceae Phrygiae. De Claudio Rufino supra egimus. Reliqui minus extra numos cogniti, ut alias diximus. Observandum praeterea, plerosque hos sophistas nos Smyrnaeorum monetae debere; at constat etiam ex Philostrato b) Smyrnam prae ceteris civitatibus sophistarum Musis litasse. Denique necesse non puto monere, hos viros nequaquam numis illatos, quod sophistae essent, sed quod praeter sophistarum institutum, cui sese applicuere, urbis magistratus fuerunt.

SECTIO II.

MAGISTRATVS ROMANI.

§. I.

DE ORDINIBVS ROMANORVM.

Quo nomine intelligo senatum populumque Romanum, tum et equestris ordinis viros in provincialibus numis memoratos.

Pronum erat, Romam orbis dominam sive causa obsequii, sive assentandi studio in numis subjectorum populorum argumentum fuisse non infrequens. Et testantur istud numi magno numero superstites, inscripti ΡΩΜΗ vel ΘΕΑ. ΡΩΜΗ, vel, ut legitur in numis coloniae Corinthi: ROMAE. ET. IMPERIO, cum ejus protome, aut stantis sedentisve effigie, praecipue ex quo miranda haec urbs, et divinae credita prosapiae, per omnes imperii provincias aris ac templis coepit observari. Par etiam honor tributus senatui populoque Romano, quorum mentio in exterarum gentium moneta hoc modo peragitur.

CΥΝΚΛΗΤΟC. vel ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. vel ΙΕΡΑΝ. CΥΚΛΗΤΟΝ. vel ΘΕΟΝ. CΥΝΚΛΗΤΟΝ. *Senatus*, *sanctus senatus*, *deus senatus*. Pingitur capite juvenili nudo, vel laureato, vel diademato, at capite muliebri velato in numis Nysae Cariae. In numo Cydoniae Cretae caput barbatum velatum.

---

a) in vita Hermocratis. b) in vita Heraclidis.

ΔΗΜΟΣ. ΡΩΜΑΙΩΝ. *Populus Romanorum.* Vir togatus stans d. hastam, s. cornucopiae, in numis Alexandrinis Neronis.

Vtrumque ordinem in eodem numo offert numus Synnadensium Phrygiae, in cujus una parte ΙΕΡΑΝ. CΥΝΚΛΗΤΟΝ. Caput juvenile diadematum, in altera: ΔΗΜΟΣ. ΡΩΜΑΙΩΝ. Vir togatus stans d. pateram. Vide numos hujus urbis. In alio apud Liebe [a]), quem is Damasco Coelesyriae tribuit, in una parte: ΔΗΜΟC. ΡΩΜΑΙΩΝ. Caput juvenile nudum, in alia: ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. Mulier laureata sedens d. globum. In numo coloniae Corinthi: SENATV. P. Q. R. Caput senatus velatum.

* * *

Nomine ΣΥΓΚΛΗΤΟΥ, aut, ut in numis marmoribusque constanter scribi video, ΣΥΝΚΛΗΤΟΥ, certum est, intelligendum senatum Romanum, neque reperi hactenus in utroque hoc monumentorum veterum genere exemplum certum, quo doceremur, hoc nomine unquam intellectum senatum urbium Graecarum, qui Βουλη, vel Γερουσια fere tantum dici consuevit. Testes primum adhibeo numos, deinde marmora. In uno eodemque numo Smyrnae conjunguntur CΕΒΑCΤΗ. CΥΝΚΛΗΤΟC. CΕΒΑCΤΟC. ΤΙΒΕΡΙΟC. *Augusta*, nempe Iulia Tiberii mater, *Senatus*, et *Augustus Tiberius.* Iam vero in hac epigraphe nomine CΥΝΚΛΗΤΟC. indicari senatum Romanum, ex eo patet, quod docente historia decrevere Asiae urbes templum Tiberio, matrique ejus ac senatui, ut ad hunc numum in moneta Smyrnae latius dixi. Legimus in parte adversa numi Cydoniae Cretae: ΤΙΒΕΡΙΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. in aversa: ΣΥΝΚΛΗΤΩ. ΚΡΗΤΕΣ. nimirum, *Tiberio Caesari Augusto, et Senatui Cretenses* hunc numum dedicant. Praeterquam quod verisimile non est, Cretenses suo ipsorum senatui dedicasse monetam, constat etiam ex numis, hunc populum sub primis imperatoribus in observandis Romanis fuisse adsiduum, de quo vide numos Cretensium in genere. In citato mox Synnadensium Phrygiae legitur: ΙΕΡΑΝ. CΥΝΚΛΗΤΟΝ. et in altera parte: ΔΗΜΟΣ. ΡΩΜΑΙΩΝ. Cum vocabulum ΔΗΜΟΣ significaverit quemcumque populum, non Romanum solum, sed omnium civitatum, ad tollendum ambiguum recte additum ΡΩΜΑΙΩΝ. Quod si CΥΝΚΛΗΤΟC. significasset etiam qualemcunque senatum, non Romanum solum, ex eadem causa scribendum etiam fuisset ΙΕΡΑΝ. CΥΝΚΛΗΤΟΝ. ΡΩΜΑΙΩΝ. Quae quidem sententia eo etiam confirmatur, quod epigraphe CΥΝΚΛΗΤΟC., ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC., ΘΕΟC. CΥΝΚΛΗΤΟC. saepissime in numis Asiae proconsularis, rarius in aliarum provinciarum moneta reperitur. Haec enim provincia ex Augusti voluntate permissa fuit senatui populoque Romano, et ut in moneta Smyrnae observavimus, senatui Romano tanquam deo templum decrevit, et Smyrnae erexit. Alteri, ut dixi, testes marmora, ex quibus una Oxoniensia sufficiant. In uno eodemque, quod est ordine IV., scriptum est: Η. ΚΡΑΤΙCΤΗ.

a) Goth. num. p. 330.

ΒΟΥΛΗ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ.---- ΚΑΤΑ. ΤΑ. ΔΟΓΜΑΤΑ. ΤΗC. ΙΕΡΟΤΑΤΗC. CΥΝΚΛΗΤΟΥ. *Potentissimus senatus Smyrnaeorum - - - secundum consulta sanctissimi senatus*, sc. Romani. Similia lege in marmoribus continuis V. et VI. In marmore X. iterum Smyrnaeo legitur: ΔΕΥΤΕΡΟΝ. ΔΟΓΜΑ. CΥΝΚΛΗΤΟΥ., *alterum senatus consultum*, quo iterum neocori facti sunt Smyrnaei. Contra in marmore Gortynae Cretae apud Gruterum [a]: ΔΟΓΜΑΤΙ. ΤΗΣ. ΛΑΜΠΡΑΣ. ΓΟΡΤΥΝΙ. ΒΟΥΛΗΣ. *consulto illustris senatus Gortyniorum.* In Decreto Sardianorum, quod recitat Iosephus [b]): nomine συγκλητου semper senatus R., nomine βουλης semper senatus Sardianorum intelligitur. Vni ergo Romanorum senatui permissum fuit a Graecis Συνκλητου nomen, saltem quod ex numis et marmoribus constet; non enim negavero, posse forte reperiri exempla, quibus probare quis possit, etiam Graecae urbis senatum a scriptoribus nonnunquam dictum Συνκλητον. Ejus quidem bina obtulit Spanhemius [c]), sed parum, ut opinor, valida, et quae nunc sive refutare, sive explicare non vacat. Interim certum etiam, non negatum senatui Romano Βουλης nomen. Suidas: Βουλη, ταξις παρα Ρωμαιοις, *ordo apud Romanos*, nempe senatorius. In marmore Oxoniensi CLXXXII. dicitur Antoninus Pius ΑΝΕΝΕΓΚΩΝ. ΕΙC. ΤΗΝ. ΒΟΥΛΗΝ. CΥΝΚΛΗΤΟΥ. ΔΟΓΜΑΤΙ. *referens ad senatum senatus consulto*. Atqui et nomine Βουλης et Cυνκλητου hic intelligendum senatum Romanum, perspicuum erit totum illud epigramma legenti. Ceterum his, quae modo disputavimus, istud tantum evincere fuit propositum, nomine Συνκλητου semper indicari senatum Romanum, et nomen Βουλης, si pauca exempla demas, senatui urbium Graecarum reservatum, cujus credo causa discriminis Plinius junior, etsi Latine scribens, non dubitavit vocabulo Graeco βουλη uti, cum Graecorum senatum vellet intelligi: *Qui*, inquit, *virilem togam sumunt, - - - solent totam* bulen, *atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare* [d]).

* * *

Equestris ordinis viri, dicti ΙΠΠΙΚΟΙ memorantur in graecorum numis. En horum seriem:

Cotiaeum Phrygiae: ΕΠΙ. ΙΟΥ. ΚΟΔΡΑΤΟΥ. ΥΙΟΥ. ΙΠΠ. ΑΡΧ. In alio: ΕΠΙ. Π. ΑΙΛ. ΔΗΜΗΤΡΙΑΝΟΥ. ΙΠΠΙΚ. (in aliis ΙΠΠΙ.) ΑΡΧ.

Gordus Iulia Lydiae: ΕΠΙ. ΑΥΡ. ΑΙΛ - - - - ΙΠΠΙΚΟΥ. ΑΡΧ.

Smyrna Ioniae: ΕΠΙ. CΤΡΑΤ. Μ. ΑΥΡ. ΦΙΛΗΤΟΥ. ΙΠΠΙΚΟΥ. In alio: ΕΠΙ. ΦΙΛΗΤΟΥ. ΙΠΠΙΚ.

* * *

Vocabulum ΙΠΠ. vel ΙΠΠΙΚΟΥ. in his numis occurrens non video hactenus ab artis nostrae magistris recte explicatum. Fuerintne, qui recte senserint, ignoro. Wildius priorem Cotiaensium numum reddit: *Sub Iulio Quadrato filio Hipparchi*, nimirum conjunctis male binis vocabulis ΙΠΠ. ΑΡΧ. [e]) quae separanda sane sunt, et legenda: ΙΠΠικου ΑΡΧοντος. Eorundem numum alterum

a) p. 1090. 11. b) Ant. L. XIV. c. X. §. 24. c) T. I. p. 139. d) L. X. ep. 117.
e) Sel. num. tab. XXV.

sic vertit Vaillantius: *Sub P. Aelio Demetriano Hippici F. archonte* [a]). Eum secutus est Frölichius [b]). At Harduinus: *Sub Aelio Demetriano Hippia*, vel *Hippiae F. archonte*. Numum Gordi. auctor catalogi Theupoli sic: *Sub Aurelio - - - Hippici F. archonte*. De Smyrnaeorum numo sic iterum Vaillantius [c]), *Sub* praetore *M. Aurelio Phileta Hippici F.* ejusque legens vestigia Pellerinius alterum Smyrnaeorum numum explicat: *Philotas, fils d'Hippicus* [d]). Id genus explicationes jam fastidivit cl. Masson, meliorem ac veram juxta policitus [e]). Vtrum fidem liberaverit, ignoro.

Ad veram hujus vocabuli explicationem suppetias vocanda marmora.

H. ΠΑΤΡΙC. Μ. ΑΥΡ. ΔΙΑΔΟΧΟΝ. ΙΠΠΙΚΟΝ. κ. τ. λ. Sic habet marmor in itinerariis Sponii et Wheleri, tum et in itinerario Peyssonelii pag. 268.

ΙΟΥΛΙΟC. ΑΥΡΗΛΙΟC. CЄΠΤΙΜΙΟC. ΙΑΔΗC. ΙΠΠΙΚΟC. in marmore Palmyreno, quod aeri incisum exhibet Barthelemyus in Mem. B. L. Tomo XXVI. post paginam 596.

In binis his monumentis το ΙΠΠΙΚΟΝ. et ΙΠΠΙΚΟC. non posse significare *Hippici filius*, suapte patet, et cum idem vocabulum eadem ratione sit scriptum in numis, patet etiam, aliam in his quoque ejus significationem esse debere. Enimvero si ΙΠΠΙΚΟC. esset nomen viri, mirum, nunquam in numis urbium Asiae ipsum Hippicum patrem comparere tanquam archontem vel praetorem, sed semper ac toties Hippici filium. Accedit, nusquam in Graecorum onomasticis, saltem quod ego norim, memorari quempiam nomine Hippicum. Denique cum ea dictio in numis et marmoribus semper nomina ejus, qui inscribitur, consequatur, dubium non est, esse honoris et dignitatis epitheton, quod cujus sit naturae, explicabunt iterum marmora sequentia.

Α. Κ--- ΚΙΟΣ. ΚΥΡ. ΠΡΟΥΔΗΝΣ. ΙΠΠΕΥΣ. ΡΩΜΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΟΣ. ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ. κ. τ. λ. *A. C - - - cius Quirina Prudens eques Romanus, primus Melitensium etc.* Est apud Gruterum [f]), et Reinesium [g]).

Τ. ΦΛ. ΓΑΙΑΝΟΝ. ΙΠΠЄΑ. ΡΩΜΑΙΟΝ. κ. τ. λ. habet Montfauconius [h]).

ΙΟΥΛΙΟC. ΑΥΡΗΛΙΟC. CΑΛΜΗC. - - - ΙΠΠЄΥC. ΡΩΜΑΙΩΝ. in marmore Palmyreno, quod vulgavit Barthelemyus [i]).

His ergo marmoribus comprobatur, quod quidem alias in vulgus notissimum, provinciales etiam in equestrem Romanorum ordinem cooptatos, de quo vide, ut taceam majorum gentium auctores, ea, quae paucis notavit Bimardus [k]), et Norisius [l]). Eorum non paucos per urbes Graecas ad insignem fortunam evectos, argumento esto citatum Montfauconii marmor, in quo Gajanus eques dicitur legati munere functus sub divo Antonino, summus sa-

---

a) Num. Graec. p. 177. b) Appendic. II. novae p. 114. c) ibid. p. 179. d) Mel. I. p. 66. e) Collect. hist. ad Aristid. ad ann. V. C. 882. f) pag. 388. 4. g) T. I. p. 557. h) Palaeogr. p. 159. i) Mem. B. L. Tomo XXVI. post pag. 596. k) ad Iobert. T. II. p. 86. l) Cenot. Pis. Diss. I. c. 3. p. m. 66.

cerdos communis Galatarum, Augusti flamen, et conditor metropolis Ancyrae. In hunc ergo ordinem adscitis honorificum visum hanc etiam dignitatem in monumentis publicis jactare, ut etiam de se praedicavit Ovidius eques [a]):

Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis haeres,
Non modo fortunae munere factus eques.

Atque ut hi equestrem suam dignitatem palam extulere, sic et alii genus suum consulare vel senatorium. In marmore, quod est apud Vandale [b]), de Cl. Rufo praedicatur: ΟΥΤΟϹ. ΔЄ. ЄΓЄΝЄΤΟ. ΚΑΙ. ΓЄΝΟΥϹ. ΥΠΑΤΙΚΩΝ. *hic vero natus est ex genere consulari.* In marmore Palmyreno, cujus partem edidit cl. Renaudotius [c]), legitur: ϹЄΠΤΙΜΙΟϹ. ΟΔΑΙΝΑΘΟϹ. Ο. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟϹ. ϹΥΝΚΛΗΤΙΚΟϹ. *Septimius Odaenathus clarissimus senator.* Iactantius marmor Muratorii [d]) vocat Alfenum Arignotum ΥΠΑΤΙΚΟΝ. ΕΥΓΕΝΗ. ΥΙΟΝ. ΚΑΙ. ΕΓΓΟΝΟΝ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΝ. ΑΣΙΑΣ. *consularem, illustri genere natum, filium et nepotem summorum sacerdotum Asiae.*

Ceterum vocabulo ἱππικος passim usi sunt scriptores Graeci, cum vellent indicare ordinem equestrem. Sufficiat unum citasse Strabonem [e]), qui loquens de provinciis, quas sibi retinuit Augustus, addit: *ὧν ἐις ἁς μεν πεμπει τȣς ἐπιμελησομενȣς ὑπατικȣς ἀνδρας, ἐις ἁς τε ςρατηγικȣς, ἐις ἁς δε και* ΙΠΠΙΚΟΥΣ, *quarum alias regendas committit consularibus, alias praetoriis, alias viris ex ordine EQVESTRI.*

* * *

Denique et tribus SERGIA unico in moneta vetere exemplo proditur in numo, quem Florezius praeco ex fabrica Hispaniensem agnoscit, scripto juxta caput virile ignotum: T. MANLIVS. T. F. SERGIA [f]). Vide, quae de singulari hoc numo monebo in denariis gentis Manliae. Vtrum SERG. in numis Neapolis Samaritidos, et AEL. in numis Iconii Lycaoniae significent tribus *Sergiam*, et *Aeliam*, valde adhuc incertum.

§. II.

DE CONSVLIBVS.

Consulatus rarissime numis populorum et urbium inscribuntur, si demas consulatus Augustorum saepius obvios, praecipue in Antiochenis Syriae; sed de his, ut et de Augustorum tribunicia potestate, pontificatu etc. agemus in numis

a) Trist. L. IV. el. X. v. 7. b) Diss. VIII. c. 1. p. m. 640. c) Mem. B. L. Tome II. p. 530. d) p. 674. e) L. XVII. fine. f) Medall. de Espan. T. III. p. 144.

commatis Romani. Solum istud hoc loco monemus, numos inscriptos: ΠΛΟΤCIAC., vi cujus eruditi non pauci Augustum Plusiae vel Plutiae Siciliae oppidi consulem edixere, a me in jus vocari in moneta Temni Aeolidis, quorsum revera pertinent. Consulatum privatorum duae tantum, quod norim, urbes inscripsere:

Bilbilis Tarraconensis: TI. CAESARE. V. L. AELIO. SEIANO. COS.

Vide de singulari hoc numo monetam Tiberii ad annum V. C. 784.

Hadrumetum Byzacenes: APR. FA. MAX. COS. PROCOS. VII. VIR. EPVLO.

Vide numos hujus urbis.

§. III.

DE PROCONSVLIBVS, PROPRAETORIBVS, LEGATIS, PRAESIDIBVS.

En tibi amplam disputandi materiem, eamque confusam admodum atque incertam, cum haec, quae praefiximus, magistratuum vocabula differre quidem inter se videantur, ut differunt etiam, non tamen sic, ut non saepe unum pro altero sive arbitrarie, sive ex causa incerta poneretur. Dabimus operam, ut in explicando horum titulorum usu ac potestate cum brevitate conjungamus claritatem, quod utrumque obtineri posse speramus adhibita opportune cum materiae, tum temporum distributione.

Praemittimus triplicem numorum catalogum, quorum prior complectitur memoratos in his *proconsules* et *propraetores*, alter *legatos*, et *legatos propraetore*, tertius *praesides*, dictos in numis *ἡγεμονας*. Placuit praeterea, cum numis externis urbium populorumque conjungere numos commatis Romani, quae ratio, etsi praeter operis nostri institutum est, efficit tamen, ut commune argumentum non cogar bis, ac locis disjunctissimis tractare. Separando tamen tempora obtinui, ut ferenda videatur haec perversitas. Praecedunt enim, ubi ejus occasio fuit, numi signati stante republica Romanorum, et usque ad annum V. C. 727., qui quidem annus velut cardo quidam est, in quo vetus ratio desinit, et unde nova procedit, quod continuo patebit.

Ceterum hoc loco agere non instituimus de viris ipsis magistratu praeditis, quorum fortunam, si qua comperta fuit, enarramus sive in numis familiarum, sive in moneta singularum urbium et regionum, quae hos magistratus numis suis inscripsere.

I. *Proconsules, Propraetores cum vel sine mentione dignitatis.*

Stante republica, et usque ad annum V. C. 727.

C. ANNI*us* T. F. T. N. PROCOS. SC. provinciae incertae, in denariis.

M. CATO. PRO. PR*aetore* provinciae incertae, in numis gentis Porciae.

A. ALLIENVS. PROCOS. Siciliae, in denariis.

C. ARRVNTANVS. BALB. PRO. PR. Siciliae, in numis Melitae.

MAGN. PROCOS. *Cn. Pompejus M.* Hispaniae, vel per bellum piraticum, in denariis.

Q. CAEPIO. BRVTVS. PRO. COS. Macedoniae, in denariis gentis Iuniae.

C. ANTONIVS. M. F. PRO. COS. Macedoniae, in denariis.

L. PLANCVS. PROCOS. Asiae sub Antonio IIIviro, in denariis gentis Munatiae.

M. OPPIVS. CAPITO. PROPR. incertae provinciae, sub Antonio IIIviro, in Aeneis.

C. FONTEIVS. CAPITO. PROPR. incertae provinciae, sub Antonio IIIviro, in Aeneis.

BALBVS. PROPR. provinciae incertae sub Octaviano, in denariis gentis Corneliae.

C. COPONIVS. PR*aetor* S. C. in denariis.

CAE. PR*aetor* in tetradrachmo Macedoniae in genere.

Γ. ΠΑΠΙΡΙΟΥ. ΚΑΡΒΩΝΟΣ. in autonomis aeneis urbium Bithyniae, Paphlagoniae, Ponti.

ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΟΥΙΒΙΟΥ. ΠΑΝΣΑ. in autonomis aeneis Apameae, et Nicomediae Bithyniae urbium.

ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΚΑΙΚΙΛΙΟΥ. ΚΟΡΝΟΥΤΟΥ. in autonomis aeneis Amisi Ponti.

C. PVLCHER. PROCOS. Asiae, in cistophoris Pergami et Trallium Asiae.

C. FAN. PONT. PR. Asiae, in cistophoris Ephesi et Trallium Asiae.

Q. METELLVS. PIVS. SCIPIO. IMPER. Asiae, in cistophoro Pergami Mysiae.

P. LENTVLVS. P. F. IMP. Ciliciae, in cistophoris Laodiceae et Apameae Phrygiae.

M. TVLL. IMP. Ciliciae, in cistophoris Laodiceae Phrygiae.

AP. PVLCHER. AP. F. PRO. COS. Ciliciae, in cistophoris Laodiceae et Apameae Phrygiae.

* * *

Addi his possent L. CESTIVS. PR. — A. HIRTIVS. PR. aliique nonnulli, quos citabo in numis gentis Cestiae, sed in quibus τo PR. magis verisimile est notare Praetorem urbis, vel praefectum urbis, ut ibi monebo.

Ab Anno V. C. 727. et deinceps.

M. ATIVS. BALBVS. PR. Sardiniae, in autonomo.

L. CLODIO. RVFO. PROCOS. Agrigenti Siciliae, sub Augusto.

ΕΠΙ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΘΩΡΙΟΥ. ΦΛΑΚΚΟΥ. Nicomediae Bithyniae, sub Augusto.

ACINIOC. ΓΑΛΛΟC. - - - Temni Aeolidis, sub Augusto.

A. PLAVTIVS PROCOS. Cypri, sub Augusto.

ΟΥΑΛΕΡΙΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. Synnadae Phrygiae, sub Augusto.

S. CATO. PROCOS. Cyrenaicae, sub Augusto.

S. CATO. PR. Cyrenaicae, sub Augusto.

FA*bius* MAX*imus* COS. PROCOS. in numo Hadriani Byzacenes, sub Augusto.

CN. DO*mitius* PROCOS. in numis Panormi, sub Augusto.

P. QVINCTILI. VARI. Achullae Byzacenes, sub Augusto.

L. VOLVSIVS. SATVR*ninus*. Achullae Byzacenes, sub Augusto.

M. ACILIVS. GLABRIO. PROCOS. incertum ubi, sed lectione numi incerta. Vide numos Augusti ad annum V. C. 729.

ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΣΙΛΩΝΟΣ. incertum ubi, in numis binis M. Agrippae, quos vulgavi. (Sylloge I. p. 78.)

ΕΠΙ. ΚΟΡ. ΛΥ. *Sub Cornelio Lupo*, sub Tiberio, in variis Cretae urbibus. V. prolegomena ad numos Cretae.

ΕΠΙ. ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ. Smyrnae sub Tiberio.

P. CORNELI. DOLABELLAE. PROCOS. Carthaginis forte, sub Tiberio.

L. APRONI. PROCOS. III. Carthaginis forte, sub Tiberio.

C. VIBIO. MARSO. PR. COS. addito in nonnullis II. vel III. Vticae Zeugitanae, sub Tiberio.

ΓΑΙΟΥ. ΑΣΙΝΙΟΥ. ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Sardium Lydiae, sub Druso iuniore.

L. APRONIVS. Hipponis Zeugitanae, sub Druso iuniore.

ΕΠΙ. ΠΟΠΛΙΟΥ. ΟΥΙΤΕΛΛΙΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Nicomediae Bithyniae, sub Germanico.

ΕΠΙ. ΑΥΓΟΥΡΙΝΟΥ. Gortynae, Hierapytnae et Polyrhenii Cretae, sub Caligula.

ΕΠΙ. ΦΛΑΟΥΙΟΥ. Hierapytnae Cretae, sub Caligula.

ΕΠΙ. ΑΟΥΙΟΛΑ. Pergami Mysiae, et Smyrnae Ioniae, sub Caligula.

ΕΠΙ. Λ. ΜΙΝΔΙΟΥ. ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Bithyniae, sub Claudio.

Γ. ΚΑΔΙΟΣ. ΡΟΥΦΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. Nicaeae Bithyniae, sub Claudio.

Λ. ΜΙΝΔΙΟΣ. ΒΑΛΒΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. Nicaeae Bithyniae, sub Claudio.

Γ. ΚΟΗΛΙΟΣ. ΒΑΛΒΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. Nicomediae Bithyniae, sub Claudio.

ΕΠΙ. ΦΡ. ΠΑΣΙΔΙΗΝΟΥ. ΦΙΡΜΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Nicomediae Bithyniae, sub Claudio.

ΕΠΙ. ΦΙΡΜΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Nicomediae Bithyniae, sub Claudio.

ΕΠΙ. ΚΟΜΙΝΙΟΥ. ΠΡΟΚΛΟΥ. ΑΝΘΥ. Cypri, sub Claudio.

ΕΠΙ. Γ. ΣΕΡΤΩΡΙΟΥ. ΒΡΟΚΛΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. sub Claudio, in numo AE. max. mod. (Pellerin Rec. III. tab. 132. n. 5.) Vrbis nomen non additur, atque etiam hic *C. Sertorius Broclus*, verius *Proclus*, vel *Proculus* mihi ignotus.

ΕΠΙ. ΑΤΤΙΟΥ. ΛΑΚΩΝΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Nicaeae Bithyniae, sub Nerone.

Μ. ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ. ΠΡΙΣΚΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟ. Nicomediae Bithyniae, sub Nerone.

ΕΠΙ. Μ. ΟΥΕΤΤΙΟΥ. ΝΙΓΡΟΥ. Apameae Phrygiae, sub Nerone.

ΕΠΙ. ΜΑΡΙΟΥ. ΚΟΡΔΟΥ. Apameae Phrygiae, sub Nerone.

ΑΟΥΙΟΛΑ. ΑΝΘΥΠΑΤΩ. Ephesi Ioniae, sub Nerone.

ΟΥΟΛΑΣΕΝΝΑ. ΑΝΘΥΠΑΤΩ. Ancyrae Phrygiae, sub Poppaea Neronis.

ΕΠΙ. ΒΩΛΑΝΟΥ. Smyrnae, sub Vespasiano.

ΕΠΙ. Μ. ΜΑΙΚΙΟΥ. ΡΟΥΦΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Bithyniae, sub Vespasiano, Tito, Domitiano.

ΕΠΙ. Μ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. in numis variarum Bithyniae urbium, sub Vespasiano, Tito, Domitiano.

ΕΠΙ. Μ. ΣΥΙΛΛΙΟΥ. ΝΕΡΟΥΛΙΝΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Smyrnae Ioniae, sub Vespasiano.

ΑΝΘΥ. ΙΤΑΛΙΚΩ. Smyrnae Ioniae, sub Vespasiano.

ΑΝΘΥ. ΕΠΡΙΩ. ΜΑΡΚΕΛΛΩ. Γ. Cymes Aeolidis, sub Vespasiano.

ΕΠΙ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ. ΟΥΑΡΟΥ. Apameae Phrygiae, sub Vespasiano.

ΕΠΙ. Μ. ΣΟΥΛΠΙΚΙΟΥ. ΠΡΟΚΛΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤ. Nicomediae Bithyniae, sub Tito.

ΕΠΙ. ΦΛΟΡΟΥ. ΑΝΘΥ. Smyrnae Ioniae, sub Iulia Titi F.

ЄΠΙ. ΑΝΘΥ. ΚΑΙCЄΝΝΙΟΥ. ΠΑΙΤΟΥ. Ephesi et Smyrnae Ioniae, sub Domitiano.

ΑΝΘΥ. Μ. ΤΙΒ. ΠΑΝCΑ. Ephesi Ioniae, sub Domitia Domitiani.

ΦΟΥCΚΩ. ΑΝΘΥ. Smyrnae Ioniae, sub Trajano.

ΑΝΘΥ. ΦΡΟΝΤЄΙΝΟΥ. Smyrnae Ioniae, sub Trajano.

ΑΝΘΥΠΑΤΩ. ΨЄΡΟΚΙ. Hierocaesareae Lydiae, sub Trajano.

ΕΠΙ. Β. ΤΟΥΛΛΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Sardium Lydiae, sub Trajano.

ЄΠΙ. ΑΝΘ. CЄΚΟΥΝ. Attaeae Phrygiae, sub Trajano.

ЄΠΙ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΑΠΡΩΝΙΑΝΟΥ. Smyrnae Ioniae, sub Antonio Pio.

Q. TERENTIO. CVLLEONE. PROCOS. III. incertum ubi, in Aeneo I. Vide numos gentis Terentiae.

II. *Legati, Legati pro praetore.*

Stante republica.

C. FLAV. HEMIC. LEG. PROPR. in denariis gentis Flaviae.

M. POBLICI. LEG. PROP. in denariis Pompeji M.

EPPIVS. LEG. in denariis Metelli Scipionis.

P. CRASSVS. IVNI. LEG. PROPR. in denariis Metelli Scipionis.

COSTA. LEG. in denariis M. Bruti.

M. SERVILIVS. LEG. in denariis M. Bruti et C. Cassii.

M. AQVINVS. LEG. in denariis C. Cassii.

Q. PAQVIVS. RVF. LEG. in aeneo M. Antonii, et forte Viennae Galliae cuso, quam vide.

Sub Augustis.

P. CARISIVS. LEG. vel: LEG. PROPR. vel: LEG. AVGVSTI. sub Augusto, in denariis.

ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Augusto.

ΕΠΙ. ΣΑΤΟΡΝΙΝΟΥ. ΟΥΟΛΟ. Antiochiae Syriae, sub Augusto.

C. LIVIN. GALLVS PROPR. Hadrumeti Byzacenes, sub Augusto.

ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Augusto et Tiberio.

PERM. SILANI. Beryti Phoeniciae, sub Augusto et Tiberio.

ΕΠΙ. ΦΛΑΚΚΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Trajano.

ΕΠΙ. ΠΕΤΡΟΝΙΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Claudio.

ΕΠΙ. ΚΑΣΣΙΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Claudio.

ΕΠΙ. ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Nerone.

ΕΠΙ. ΚΕΣΤΙΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Nerone.

ΕΠΙ. ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Galba et Othone.

ΕΠΙ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Tito.

ЄΠΙ. ΙΟΥ. ΚЄΛΙϹ. ΠΡЄϹβευτȣ, in numo Perinthi Thraciae, sub Trajano.

ЄΠ. ЄΙΤΙ. ΡΟΥΦΟΥ. ΠΡЄϹβευτȣ ΚΑΙ. ΑΝΤΙςρατηγȣ ΤΟΥ. ϹЄΒαςȣ, in numis Bizyae Thraciae, sub Hadriano.

ЄΠΙ. ΑΝΤ. ΖΗΝΩΝΟϹ. ΠΡεσβευτȣ ϹЄΒαςȣ ΑΝΤωνινȣ, in numis Philippopolis et Perinthi Thraciae, sub Ant. Pio.

ΕΠΙ. Μ. ΝΕΡΑ. ΠΑΝΣΑ. ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ. in numis Galatiae et Cappadociae, sub Tito.

ΕΠΙ. ΤΙΤ. ΠΟΜΠΩΝΙΟΥ. ΒΑΣΣΟΥ. ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ. vel: ΠΡΕΣΒΕΥ. ΑΝΤΙΣΤΡ. in numis Galatiae et Cappadociae, sub Domitiano, Nerva, Trajano.

Hos Neratii Pansae et Pomponii Bassi numos omnes collectos descriptosque vide in moneta Caesareae Cappadociae.

III. *Praesides, in numis* ἩΓΕΜΟΝΕΣ.

ΗΓΕΜ. ΑΠ. ΚΛ. ΜΑΡΤΙΑΛΟΥ. Anchiali Thraciae, sub Domitiano. Videtur dubitari posse, utrum in hoc numo sit caput Domitiani, et non potius L. Veri. Vide prolegomena ad numos Thraciae.

ΗΓЄ. ϹΤ. ΒΑΡΒΑΡΟΥ. ibidem, sub Severo.

ΗΓЄ. ΠΟΜ. ΟΥЄΠЄΙϹΚΟΥ. Byzyae Thraciae, sub Antonino Pio.

ΗΓЄ. Μ. ΠΟΝΤΙΟΥ. ϹΑΒЄΙΝΟΥ. Hadrianopolis Thraciae. Alia praesidum nomina inde a M. Aurelio usque ad Caracallam vide in moneta hujus urbis.

ΗΓȣΜενȣ ΤЄΡЄΒЄΝΤΙΝΟΥ. Marcianopolis Moesiae inferioris, sub Caracalla et Alexandro Severo.

ΗΓЄ. Μ. ΠΟΜΠΗΙΟΥ. ΟΥΟΠЄΙϹΚΟΥ. Pautaliae Thraciae. Nomina alia ab Antonino Pio usque ad Plautillam vide in moneta hujus urbis.

ΗΓЄ. ΙΟΥ. ΚΟΜΜΟΔΟΥ. etc. Perinthi Thraciae, sub Ant. Pio, et seq.

ΗΓЄ. ΠΟΜ. ΟΥΟΠЄΙϹΚΟΥ. Philippopolis Thraciae, sub Ant. Pio, aliique sub sequentibus usque ad Domnam.

ΗΓЄ. ΠΟΜΠ. ΟΥΟΠЄΙϹΚΟΥ. Plotinopolis Thraciae, sub Ant. Pio.

ΗΓЄ. ΚΛ. ΑΠΠΙΟΥ. ΜΑΡΤΙΑΛΟΥ. Serdicae Thraciae, sub L. Vero, aliisque. Vide monetam hujus urbis.

ΗΓЄ. ΙΟΥ. ΚΟΡΔΟΛΟΥ. Topiri Thraciae, sub. Ant. Pio.

ΗΓ. ΑΚΙΛΙΟΥ. etc. Trajanopolis Thraciae, sub Severo et seq.

Sintne magistratus Marcianopolis et Nicopolis Moesiae numis inscripti ἡγεμο-

νες putandi, non satis liquet. Vide numos hujus Nicopolis.

*
* *

Enumeratis his, qui vario nomine provincias rexere, Romanorum magistratibus, jam quae ad eorum explicatum spectant, persequemur. Procedunt ordine

PROCONSVLES et PROPRAETORES. Pulsis regibus Romanae reipublicae praefuere consules duo, praetores totidem, quorum unus dictus praetor urbanus, alter peregrinus, quod hic inter peregrinos, ille inter cives jus diceret. Captis subinde primum Sicilia, deinde Sardinia additi duo, atque iterum duo alii, Hispania citeriore et ulteriore in potestatem Romanorum redactis. Varie serius auctus praetorum numerus, quae quidem minutim commemorare huc non pertinet. Atque haec fuit origo magistratuum Romanorum pro praetore in provincias missorum.

Proconsulum multiplex fuit ratio, quam strictim a prima eorum origine expendemus. I. quando consuli bellis districto exeunte magistratus tempore prorogatum fuit imperium. Ejus primum exemplum anno V. C. 427. in Q. Publicio Philone, quem bello Samnitum Graecorumque occupatum inde avocare nequaquam e rep. visum. Quocirca decretum in urbe: *ut pro consule rem gereret, quoad debellatum cum Graecis esset* [a]). Lapis Capitolinus: *Q. Publilius. Q. F. Q. N. Philo. Primus. Pro. Cos. De. Samnitibus. Palaeopolitanis.* Quo modo subinde frequenter prorogata fuere imperia, quod vulgo notum. II. Proconsul aliquoties extra ordinem creatus, etiam qui prius consul non fuisset. Sic flagrante bello Punico II. P. Scipio privatus, annos natus XXIV., serius Pompejus M. privatus quoque contra Sertorium pro Consule cum imperio in Hispaniam missi sunt. III. Proconsules, quae ordinaria fuit ratio, fuere, qui post obitum consulatum, vel etiam tantum praeturam ad regendam provinciam cum imperio et jurisdictione sunt designati. IV. Proconsul extraordinarius, qualis fuit Cn. Pompejus, qui ferente legem A. Gabinio bello cum piratis gerendo fuit praefectus, sic *ut esset imperium aequum in omnibus provinciis cum proconsulibus usque L. miliarium a mari; quo senatus consulto paene totus terrarum orbis uni viro deferebatur. Sed tamen idem hoc ante biennium in M. Antonii praetura decretum erat* [b]). Fuit hic proconsulatus imago illius, qualem subinde Tiberius Germanico, Nero Corbuloni in provincias Orientis ampla cum potestate concessit.

Lege ordinaria, qui ex consulatu provinciam sortiti sunt, stante republica dicti *proconsules*, qui ex praetura, *praetores* vel *propraetores*, fuitque adeo proconsulis dignitas auctoritasque major, quam propraetoris, quod quidem ex duplice Catonis Vticensis facto elucescit, cui cum post Pompeji ad Pharsalum cladem imperium in Corcyra deferretur, illud Ciceroni cessit, ὡς ὑπατικῳ στρατηγικος, *ut consulari praetorius.* Rursum paullo post cum essent, qui ei imperium in Africa decernerent, negavit

a) Liv. L. VIII. c. 23. 26. b) Velleius L. II. c. 31.

se legibus adversaturum, ἐδε ἑαυτον ἀντιςρατηγον ὀντα παροντος ἀνθυπατε προσταξειν, neque se, qui propraetor esset, praesente proconsule (Scipione Metello) imperaturum. Haec Plutarchus a): Atqui Cicero consul, et aliquot post annis provinciam Ciliciam pro consule rexit, Scipio consul et mox proconsul Syriae, ipse Cato consul nunquam fuit, ac propterea cum missus esset in Cyprum, eam non pro consule, sed pro praetore administravit. Secundum quod eleganter Cicero b): *Sunt omnes sine macula, sunt aeque boni viri atque integri, sed servari necesse est gradum. Cedat Consulari generi praetorium, nec contendat cum praetorio equester locus.*

Factum tamen non raro, ut quis ex praetura Romae obita in provinciam pro consule mitteretur. Cicero de Gellio c): *cum pro consule ex praetura in Graeciam venisset.* Eodem modo Statium Murcum, quem V. C. 710. a I. Caesare missum ad regendam Syriam Vellejus appellat virum praetorium d), Cicero proconsulem dixit e). Ejus causa haud dubie fuit, quod saepe status provinciarum ampliorem potestatem, quam quae vulgo praetori tributa fuit, exigeret. Ejus luculentum exemplum suppeditat Appianus, qui cum narrasset f), in Syriam a Pompeio nuper occupatam missos Marcium Philippum, deinde Lentulum Marcellinum, ambos praetorios, utrumque vero saepe conflictatum cum Arabibus ex vicino infestantibus, addit: και τεδε χαριν ἐς το ἐπειτα ἐγενοντο Συριας ςρατηγοι των τα ἐπωνυμα ἀρξαντων ἐν ἀςει, ἱνα ἐχοιεν ἐξεσιαν καταλογε τε ςρατειας και πολεμε, ὁια ὑπατοι. *Cujus causa factum, ut deinceps in Syriam mitterentur rectores ex eorum numero, qui consulatu in urbe functi sunt, quo pacto possent consulari potestate agere delectus, bellumque gerere.* Aliud illustre exemplum adfert Plutarchus g). Orto in Hispania bello eo tempore, quo consules bello Antiochi M. intenti fuere, missus est in Hispaniam L. Aemilius Paullus praetor, non cum sex securibus, quot praetores habere solent, sed additis sex aliis, quo facto ejus praetura auctoritatem accepit consularem. Ergo si quis praetorius in provinciam hostibus infestam missus est, addita fuit extra ordinem potestas, aut verius imperium proconsulare, ut ad res cum hoste gerendas magis esset expeditus. Sed istud in populari Romae regimine valuit, nam post factam ab Augusto divisionem, de qua infra, etiam proconsulibus habendi delectus et belli gerendi potestas adempta fuit.

Quantumvis interim hoc proconsulum praetorumque discrimen satis videatur expeditum, tamen eorum in veterum monumentis valde confusam habemus rationem, cum unum eundemque hominem jam proconsulem, jam praetorem non raro appellent. De statu Romae liberae nunc loquor; alia enim ratio sub Roma imperante. Sic Suetonius Quintum Ciceronis fratrem dixit *parum secunda fama proconsulatum Asiae administrasse* h), cum tamen hic Quintus fuerit praetorius, eumque frater

a) In Catone min p. 786. 787. b) pro Plancio c. 6. c) de Legib. L. I. c. 20. d) L. II. c. 69. e) Philipp. XI. f) Syriac. c. 51. g) in Aem. Paullo p. m. 256. h) in Aug. c. 3.

Marcus ipse praetorem Asiae appellet a). A. Allienum denarii vocant proconsulem Siciliae, tum et Cicero in epistolis ad eum datis, at Hirtius jam praetorem Siciliae b), jam proconsulem c). C. Clodius Pulcher in cistophoris dicitur proconsul Asiae, qui tamen praetor fuit, ut ex Cicerone docet Pighius d). Iunium, quem I. Caesar praedonum maritimorum causa adiit, proconsulem Asiae vocat Velleius e), at eum rectius Plutarchus praetorem, στρατηγον f). Magis mirum, eundem hominem ab eodem auctore Livio jam praetorem, jam propraetorem, jam proconsulem dici, cujus plura exempla congessit Dukerus g), qui et addit, a se observatum, eos, qui Hispaniis praeerant, saepius proconsules a Livio appellari, quam qui alias provincias habebant.

Praetoribus in provinciam missis additi sunt lictores sex cum suis singuli fascibus et securibus, ex qua causa a scriptoribus Graecis velut proprio quodam nomine ἑξαπελεκεις, *sex secures habentes*, dicti sunt, et quae eos peristasis a praetoribus urbanis discrevit, quibus sex fasces praeferri soliti sunt, sed sine securibus, quales fingi videmus in denariis Livineii Reguli, quae omnia late et erudite exposita vide apud illustrem Spanhemium h). Si quando consulari potestate missi sunt, additi fuere sex alii fasces, cujus exemplum mox e Plutarcho vidimus. Valuit haec ratio stante republica, quin usque ad

Annum V. C. 727., quo anno Augustus, obtentu, nolle se provinciis omnibus imperare, aliarum regimen sibi, aliarum senatui populoque R. addixit, cujus celebratae divisionis hae fuere leges:

I. Provincias pacatiores minusque hostibus expositas senatui restituit; quae propter potentiam plus periculi ostenderent, aut hostium incursionibus magis paterent, sibi retinuit. Quo factum, ut legionum robore per suas provincias distributo ipse solus imperium teneret, senatum inermem et imbellem efficeret. Haec Dio i), Strabo k), et strictim Suetonius l). Quae tum factae fuerint provinciae Augusti, quae senatus, Dio et Strabo iisdem locis enumerant, et vide de his amplius Sigonium de antiquo jure Italiae, et Panvinii Imperium Rom. in Thesauro Graevii Tom. II.

II. Augustus tum provincias duas consulares fecit, Asiam et Africam, decem item praetorias, utrasque senatui permissas m). Eo senatus consules et praetores miserat, quanquam et haec diverse solebant dividi, prout usus postulaverat n). Clarius Dio o): Senatui vero et speciatim iis, qui consulatu functi sunt, Africam et Asiam, praetura functis reliquas omnes provincias adscripsit.

III. Nomina consulum et praetorum Italiae reservavit. Qui provincias extra hanc sitas regerent, tanquam pro his magistratus gererent, *proconsules* et *propraetores* appellavit p).

---

a) Ad Q. fratr. L. I. ep. 1. c. 7. b) bell. Afr. c. 2. c) ibid c. 34. d) Ann. Rom. ad ann. 699. e) L. II. c. 42. f) in Iul. Caes. g) Ad L. XXXIX. c. 29. in nota 4. h) T. II. p. 105. seq. i) L. LIII. §. 12. k) L. XVII. fine. l) in Aug. c. 47. m) Strabo l. c. Dio L. LIII. §. 14. n) Strabo l. c. o) l. c. p) Dio L. LIII. §. 13.

IV. Proconsules dici voluit non modo duos illos, qui consules fuissent, sed etiam alios, qui praeturam modo vel gessissent, vel inter praetorios etiam relati tantum fuissent [a]).

V. In provinciis suis Augustus constituit rectores, quos vocavit legatos suos et *ἀντιςρατηγȣς*, *propraetores*, etiam eos, qui consulatu functi erant. Nam cum nomina praetoris et consulis diu ante in rep. valerent, praetoris nomine, (*ςρατηγȣ*) quippe bellis ab antiquis temporibus conveniente, suis praefectos provinciis insignivit, propraetores appellans, consulum appellatione reliquos, ut paci propinquiores affecit, proconsules vocans [b]).

VI. Augustus in senatus provincias magistratus annuos mitti voluit, eosque sorte lectos, neque gladio accinctos, neque habitu militari utentes, jussitque iis apparere lictores sex, nempe quot habere praetoribus in urbe permissum fuit; quanquam qui provincias Asiam et Africam rexerunt, quoniam, ut diximus, non nomine tantum fuere proconsules, sed re, quippe consulatu functi, verisimile est, apparuisse lictores XII., quot nempe in urbis consulatu habuere, de quo lege disputantem Spanhemium [c]). At legatis pro praetore, sive qui in suas provincias mitterentur, hoc tribuit, ut ultra annum essent cum imperio, quousque sibi placuisset, et veste militari uterentur, et haberent in comitatu lictores item sex. Haec omnia Dio [d]). Interim etsi ex decreto Augusti annuum fuit in populi provinciis regimen proconsulum, ut mox ex Dione ostendimus, et confirmatur a Tacito, qui annuum hunc magistratum opponit diuturnitati officii legati Caesaris [e]), tamen saepe proconsulibus quoque prorogatum fuisse imperium, vel ex numis discimus. Vidimus supra in catalogo: L. APRONI. PROCOS. III. item: C. VIBIO. MARSO. PR. COS. vel simpliciter, vel addito in aliis II. vel III. item ΑΝΘΥ. ΕΠΡΙΩ. ΜΑΡΚΕΛΛΩ. Γ., quo sane aliud indicari non potest, quam in II. et III. annum proconsulatu functos. Forte et idem significat ΠΟΥΠΙΟϹ. ΑΝΤΙϹΤΡΑ. Λ. Α. in numis Cyrenaicae.

VII. Quae regiones post hanc divisionem imperio accesserunt, ut Galatia, Cappadocia, Thracia, Lycia, aliaeque, Caesarum provinciae factae sunt. Constare istud ex Dione tradit Spanhemius [f]), verum ex eo loco, quem citat, non videtur posse erui. Interim satis istud docent marmora, quae Caesarum legatos iis impositos passim offerunt.

Atque haec fuit ratio provinciarum constituta ab Augusto, et quae deinceps usque ad imperii prolapsionem duravit, quod luculentis exemplis comprobat Spanhemius [g]), quibus addo marmor Gruteri omnia continens inferioris aevi indicia, positumque *L. Aradio Val. Proculo. V. C. - - - legato. pro. praetare. provinciae. Numidiae. praesidi. provinciae. Byzacenae. consulari. provinciae. Europae. et. Thraciae. consulari. provinciae. Siciliae. - - - procon-*

a) Dio L. LIII. §. 13. b) Dio L. LIII. §. 13. c) T. II. p. 116. seq. d) L. LIII. 13.
e) Hist. IV. 48. f) T. II. p. 588 et 597. g) T. II. p. 588.

suli. provinciae. Africae. vice sacra. judicanti. eidemque. judicio. sacro. per provincias. proconsularem. et. Numidiam. Byzacium. ac. Tripolim. itemque. Mauretaniam. Sitifensem. et Caesariensem. etc. Factum tamen, ut ad imperatorum arbitrium ordo constitutus frequenter immutaretur, quod diserte testatur Dio a), provinciae plures subjicerentur unius imperio, uni in partes plures sectae plures imponerentur rectores, cujus quidem exempla passim offerunt scriptores ac marmora, et aliquod ipsi dabimus infra. Vnicum hoc loco liceat apponere, quod de Tiberio refert Tacitus b): *Macedoniam et Achaiam onera deprecantes, levari in praesens proconsulari imperio, tradique Caesari placuit*, id est: ex praetoriis, sive proconsularibus populi fieri provincias Augusti. Quo ex Taciti testimonio discimus praeterea, has posteriores mitius, quam proconsulares populi habitas. In quo constiterit gravius istud earum onus, negotium sibi facessere candide professus est Lipsius. Explicare conatus est Spanhemius c), an aeque satisfecerit, dubitem. Provinciam Augustis attributam palam eloquuntur numi Trajani obvii, inscripti: DACIA. AVGVSTI. PROVINCIA.

* * *

Ad LEGATOS, quos continet catalogus alter, accedimus. Huc tamen non pertinent legati ad externas nationes sive honoris causa, sive ut mandata perferrent, missi, neque, qui saepe ab historicis, vel in marmoribus memorantur, legati legionum, quia nulla utrorumque in numis habetur mentio. Hic ergo tantum agitur de legatis provincialibus.

Majoribus magistratibus, ut imperatoribus, proconsulibus, praetoribus in provinciam profectis libera adhuc Roma additi ex S. C. legati, ut diserte testatur Cicero d), aut si sibi quos legaverant, a senatu adprobati, nimirum, ut *horum opera consilioque uterentur peregre magistratus*, ut inquit Varro e). Eos Cicero vocat *nuncios pacis ac belli, curatores, interpretes, bellici consilii auctores, ministros muneris provincialis* f). Hujus generis fuit celebrata olim legatio Scipionis Africani senioris, cum is se fratri Lucio consuli ad bellum Antiochi M. profecto legatum sponte, et adprobante senatu adderet. Alius est illustris locus apud Caesarem, discrimen imperatorem inter et legatum statuens g): *aliae enim sunt legati partes atque imperatoris; alter omnia agere ad praescriptum, alter libere ad summam rerum consulere debet.* Atque hujus rationis sunt ii, qui in numis supra descriptis, et stante quidem adhuc republica, dicuntur aut simpliciter LEG*ati*, aut LEG*ati* PROPR*aetore*.

Facta ab Augusto V. C. 727. provinciarum divisione duplicis generis habemus legatos, I. illos, qui summis magistratibus in provincias sive populi, sive Augustorum profectis eo modo, quo stante rep. factum diximus, consilii et vicariae operae causa praeter quaesto-

---

a) L. LIII. §. 12. b) Annal. I. 76. c) T. II. p. 590. d) in Vatin. c. 15. e) L. IV. de L. L. f) l. c. g) de bell. civ. L. III. c. 51.

rem additi fuere. Eos Dio παρεδρεύοντας, *assessores*, appellari mavult, quam πρεσβευτας, *legatos*, quo eos nomine vulgo vocabant Graeci a). Sic et idem infra repetit b), mortuo V. C. 759. Achaiae praefecto, provinciae regimen divisum fuisse inter quaestorem et assessorem, quem, ut continuo addit, *legatum* Graece vocamus. Strabo cum narrasset, Hispaniam Baeticam fuisse attributam populo, Lusitanicam et Tarraconensem Augusto, addit, in Baeticam mitti praetorem cum quaestore et legato, (ϛρατηγος εχων ταμιαν τε και πρεσβευτην) in Lusitanicam pro Augusto praetorium, sub quo esset legatus, (ϛρατηγικος εχων συν αυτω πρεσβευτην) in Tarraconensem consularem praefectum cum tribus legatis (ὑπο τῳ ὑπατικῳ ἡγεμονι εχοντι πρεσβευτας τρεις) c). At enim certum est, contra Dionem, minores hos magistratus non a Graecis modo, sed et Latinis legatos fuisse dictos, atque istud tanto magis verum, quod assessorum nulla forte in marmoribus fit mentio, at perfrequens minorum id genus legatorum tam in provinciis Caesarum, quam populi. Sic dicitur Domitius Afer *Legatus Ejusdem. Provinciae.* (Africae) *Tulli. Fratris. sui* d). Alibi: Q. Caecilius *Leg. C. Sereni. Procos. Galliae. Transalpinae* e). Alibi: *Legatus. Provinciae. Africae. Eodem. Tempore. Vice. Proconsulis* f). A Plinio juniore proditur Hostilius Firminus legatus Marii Prisci proconsulis Africae g), a Tacito Tarquitius Priscus legatus Tauri Africam imperio proconsulari regentis h). Amplius istud patet ex marmoribus, in quibus varia unius ejusdemque viri munia vario tempore obita memorantur. Sic C. Oppius in eodem lapide dicitur: *Legatus provinciae Baeticae*, et *Proconsul prov. Baeticae* i). L. Fabius Cilo in eodem marmore dicitur *Procos. itemque Leg. prov. Narbonens.* k) perinde ac Quadratus in eadem epigrammatis serie fertur ἀνθυπατος Ἀσιας et πρεσβευτης Ἀσιας l). Atque in hoc sensu fere constanter in marmoribus accipiendum puto vocabulum LEGATVS absolute positum, cujus frequentia in iis exstant exempla; nam cum intelligendus est legatus, summus in Caesarum provinciis magistratus, vix tum deesse solet vocabulum AVGVSTI. vel PROPR., quod quidem aliter se habet in numis, et scriptoribus, ubi utrumque saepe supprimitur.

Alterum legatorum genus fuere ii, qui in Caesarum provincias summa cum potestate missi sunt. Hi in numis vel vocantur simpliciter LEG*ati*, vel LEG. AVGVSTI. vel LEG. PROPR., ut ex adductis in catalogo P. Carisii denariis vidimus. Historici saepe solo legati nomine legatos Caesarum designant, cujus exempla, quod obvia sunt apud Tacitum, recitare non lubet. Eandem potestatem notat LEGATVS apud Gruterum m), item: LEGATVS. PRAETORIVS. Sic de Hadriano Spartianus: *Legatus postea praetorius in Pannoniam inferiorem missus.* Eodem modo marmora: *Legato. Praetorio. Provinciae.*

a) L. LIII. §. 14. b) L. LV. §. 27. c) L. III. p. m. 253. d) Grut. p. 403. 1. e) Grut. p. 9. 1. f) Grut. p. 381. 3. g) L. II. ep. 11. h) Ann. XII. 59. i) Grut. p. 446. 4. k) Marini iscrip. Alb. p. 51. l) Murat p. 317. 1. m) p. 414. 5.

Asiae. vel: *Siciliae*, vel: *Africae.* [a]) etiam praetoricio [b]). CONSVLARIS. LEGATVS, vel etiam tantum CONSVLARIS. Haec quoque hujus magistratus nomina fuere. Serius nempe factum, ut *consulares* dicerentur provinciae Augusti, *proconsulares* provinciae senatus, ut post alios observavit Spanhemius [c]). Suetonius de Tiberio [d]): *Hispaniam et Syriam per aliquot annos consularibus legatis habuit.* Tacitus [e]): *Inferioris Germaniae legiones diutius sine consulari fuere*, et similiter Suetonius [f]): *Vespasianus Cappadociae propter assiduos barbarorum incursus legiones addidit, consularemque rectorem imposuit pro equite Romano.* In epigrammate vetere [g]): *Leg. Consulari. provinc. Germ. Superioris, item Syriae.* Latinos imitati sunt Graeci. Sic in citato supra catalogo Caesarum rectores vel vocantur simpliciter ΠΡΕΣΒΕΥΤΑΙ. *legati*, vel ΠΡΕΣΒΕΥΤΑΙ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *legati Augusti*, vel ΠΡΕΣΒΕΥΤΑΙ. ΚΑΙ. ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΙ. ΤΟΥ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *legati et pro praetore Augusti.* Illustre est marmor apud Muratorium [h]), quod Quadratum variarum per vices Augusti provinciarum praesidem laudat, nempe: Πρεσβευτην Σεβαςον ἐπαρχιας Καππαδοκιας. Πρεσβευτην Σεβαςον και ςρατηγον Λυκιας και Παμφυλιας. Πρεσβευτην και ἀντιςρατηγον Βειθυνιας. Πρεσβευτην και ἀντιςρατηγον Αυτοκρατορος Νερυας Τραιανȣ Καισαρος Σεβαςȣ Γερμανικȣ Δακικȣ ἐπαρχιας Συριας. Consularis, Graece ὑπατικος, exstat in marmore Gruteri [i]), sed quod est inferioris aevi, in quo Asclepiodotus dicitur ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟϹ. ΥΠΑΤΙΚΟϹ. ΤΗϹ. ΚΡΗΤΩΝ. ЄΠΑΡΧΙΑϹ. *clarissimus consularis provinciae Cretae.* Atque ex hac causa etiam provinciarum, quibus consulares praefuere, metropoles, ut Tyrus, Carthago, dictae fuerunt ὑπατικαι, *consulares*, ut videre est apud Spanhemium [k]).

Vnum adhuc, sed diversae naturae legatum suppeditat Africa, proconsularis populi provincia, de quo haec Tacitus [l]): *Legio in Africa, auxiliaque tutandis imperii finibus sub divo Augusto Tiberioque principibus proconsuli parebant. Mox Cajus Caesar turbidus animi, ac M. Silanum obtinentem Africam metuens, ablatam proconsuli legionem misso in eam rem LEGATO tradidit.* Narrat jam eodem loco, initio Vespasiani proconsulem in Africa fuisse L. Pisonem, eumque a Valerio Festo tum LEGATO nefarie interemptum. Idem refert Dio [m]), nimirum cum L. Piso (verius M. Silanus secundum Tacitum) Africam proconsularem regeret, veritus Caligula, ne is res novas moliretur, Africam in duas partes divisit, sic ut alteri exercitus et Numidas mandaret, additque, hunc morem divisae sic Africae sua adhuc aetate obtinere. Ejusdem conditionis legatus in Africa sub Neronis exitum memoratur Clodius Macer [n]), cujus etiam numis, quos sub finem monetae Neronianae recito, legiones binae, quas ob-

a) Grut. 398. 2. — 492. 9. — 403. 1. b) Grut. p. 398. 1. c) Tom. II. p. 595. d) c. 41. e) hist. I. 9. f) in Vesp. c. 8. g) Murat. p. 691. 7. h) p. 317. 1. i) p. 1094. 4. k) Tom. II. p. 610. seq. l) Hist. IV. 48. m) L. LIX. §. 20. n) Suet. in Galba c. 11. Tacit. Hist. IV. 49.

tinuit, inscriptae leguntur. Ad haec observo, hos Caesarum in Africa legatos a legatis proconsulum eo etiam distinctos, quod hi una cum suis proconsulibus e provincia decesserunt [a]), at illos diutius in Africa restitisse [b]). Quae fuerit reliqua divisi hujus in Africa proconsulem inter et Augustorum legatos regiminis ratio, et an hi quoque dicti legati pro praetore ad morem aliorum in Caesaris provincias missorum, equidem ignoro. Istud certum, Clodium Macrum, de quo mox mihi sermo fuit, in nonnullis numis, sed quos plerique spurios censent, PROPR*aetorem* AFRICAE dici, atque eundem titulum praefert is, qui teste marmore Muratorii [c]) MISSVS. EST. AB. IMP. VESPASIANO. AVG. LEGATVS. PRO. PRAETORE. AD. EXERCITVM. QVI. EST. IN. AFRICA. ac praeterea in marmoribus copiosi occurrunt legati propraetores provinciae Africae etsi proconsularis, quos adeo pronum est suspicari, fuisse dictos modo legatos Augusti proconsulibus oppositos, quo de argumento mox iterum agemus.

Dixi supra, tempore Romae liberae, quo provincias constat divisas fuisse in consulares et praetorias, tamen in enunciandis earum rectoribus saepenumero fuisse variatum, sic ut perinde non raro haberetur, idem magistratus an proconsul, an propraetor diceretur. Major titulorum perturbatio, ex quo Augustus imperium in provincias suas et senatus secuit, quam ut explicatius ostendam, necesse est, veram harum appellationum naturam ex Augusti mente enucleatius proponere.

PROCONSVL. Sic proprie dicti praesides Asiae et Africae, quia in has missi fuere viri proconsulares, ut dictum supra §. II. Latius, sed tamen etiam ex mente Augusti, sic etiam vocati praesides illi, qui praetorias X. populi provincias obtinebant, ut dictum §. IV. et V.

PRAETOR. Sic dicti praesides in reliquas X. praetorias populi provincias missi, quia nonnisi praetura functi fuere. Vide §. II.

Vi utriusque hujus legis patet, perinde esse, utrum provinciarum populi rectores dicantur proconsules, an praetores. Sic Tacitus Granium Marcellum, Bithyniae sub Tiberio praefectum, *praetorem* vocat [d]), etsi Bithyniae praesides in numis passim dicantur ἀνθυπατοι, *proconsules*, ut ex praefixo catalogo abunde liquet. Idem Tacitus e converso de Petronio [e]): *proconsul tamen Bithyniae, mox consul.* Vtrumque jure. Praetorem dixit Tacitus, quia Bithynia fuit provincia praetoria, proconsules numi, quia, ut modo diximus, proconsulis nomen omnibus provinciarum senatus rectoribus permissum. Atque secundum hanc legem passim videre est cum in scriptoribus, tum marmoribus proconsules Achaiae, Baeticae, Cretae et Cyrenaicae, Cypri, aliarumque populi provinciarum. Ceterum satis laxe scripsit Tacitus, cum rectorem

a) Tacit. Ann. XII. 59. b) Tacit. hist. IV. 48. c) pag. 766. 5. d) Ann. I. 74. e) Ann. 16. c. 18.

Asiae proconsularis appellavit praetorem [a]).

LEGATVS, vel: LEGATVS. AVGVSTI, vel: LEGATVS. PROPRAETORE, quos varios modos, quibus provinciarum Caesaris rectores designantur, supra exposui.

Ex his praeceptis suapte sequitur, cum *proconsulem* legimus, intelligendum rectorem provinciae senatus populique, cum *propraetorem*, vel *legatum pro praetore*, rectorem provinciae Augusti. At enim frequentissime legimus, ac praecipue in marmoribus, iis provinciis, quae ex primo Augusti instituto ad senatum pertinuere, praefuisse legatos Augusti pro praetore. Exempla non adfero, quod haec passim habentur apud Gruterum, Muratorium, aliosque epigrammatum compilatores, quodque magis mirum, eorum testimonio jam proconsules, jam rectores Augusti ipsa habuit Africa, quae tamen inter praecipuas populi provincias fuit, atque, ut diximus, proprie proconsularis. Sic LEG. PROPR. PROVINCIAE. AFRICAE. habes apud Gruterum [b]). Videri posset, his Africae legatis propraetoribus intelligendos illos legatos, quos mixto cum proconsulibus imperio missos ab Augustis in provinciam Africam supra ex Tacito et Dione docui, neque istud injuria. Verum istud in Asia quoque constitutum, provincia ejusdem cum Africa naturae, et aeque proconsulari, nemo veterum prodidit, et tamen non minus frequenter legitur LEG. PROPR. PROVINCIAE. ASIAE. [c]). Cujus quidem dissidii alia adferri causa idonea non potest, quam quod saepe Augusti sive libidine, sive ex causis urgentibus provincias suas cum provinciis populi mutavere. Istud diserte jam docuit Dio, et quidem jam factum ab Augusto hujus divisionis auctore [d]). Tiberius Macedoniam et Achaiam, provincias antea proconsulares, fecit suas [e]). Easdem populo restituit Claudius [f]). Ab Hadriano Bithynia facta provincia Augusti, et pro hac populo data Pamphylia [g]). M. Antoninus provincias ex proconsularibus consulares, aut ex consularibus proconsulares aut praetorias pro belli necessitate fecit [h]). Quapropter nequaquam mirum, ut provinciarum formam, sic et rectorum statum vario tempore fuisse varium. In aliquot marmoribus memorantur *Prolegati* provinciarum, quos verisimile est fuisse legatos vicarios et ad tempus suffectos.

Ceterum universa haec causa quanto magis est impedita et undique confusa, tanto fuit diligentius adcuratiusque tractanda. Neque tamen et sic omnes possunt difficultates enucleari, quae non raro variarum id genus appellationum explicationem impediunt. Satis sibi beata nostra videtur ars, si, quemadmodum medicina, in commune consulit, malis immedicabilibus suae fortunae relictis.

* * *

Agmen claudunt PRAESIDES, Grae-

a) Ann. IV. 15. b) pag. 427. 9. — 390. 2. — 471. 6. — 498. 5. — 398. 2. — 403. 1. c) Gruter pag. 442. 2. — 390. 2. — 471. 6. d) L. LIII. §. 12. e) Tacit. Ann. I. 76. f) Suet. in Claud. c. 25. g) Dio L. LXIX. 14. h) Capitolin in M. Antonin.

cis ΗΓΕΜΟΝΕΣ. De hoc nomine haec Macer a): *Praesidis nomen generale est, eoque et proconsules, et legati Caesaris, et omnes provincias regentes, licet senatores sint, PRAESIDES appellantur.* Atque in hoc haud dubie sensu Moesiae rector a Trajano dicitur *praeses* b). Necesse non puto, orationem hanc exemplis a Latinis scriptoribus petitis confirmare. Vt Latinorum praeses nomen fuit generale, sic et Graecorum ἡγεμων; nam nullus fuit majoris imperii magistratus, quem illi non ἡγεμονα dixissent, ut proconsulem Asiae passim Aristides, et Iosephus c), Achaiae Pausanias d), Ciliciae marmor Tarsense apud Paulum Lucas e), ΤΟΥ. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΥ. ΗΓΟΥΜΕΝΟΥ. ΗΜΩΝ. Marmor Ancyranum laudat ΙΟΥΛΙΟΝ. ΣΑΤΟΡΝΕΙΝΟΝ. ΤΟΝ. ΗΓΕΜΟΝΑ f). Narrat Polybius g), Romanos copiis adversus Hannibalem egressis praefecisse ἑξαπελεκυν ἡγεμονα, *sex securium ducem*, quo nomine intelligendum praetorem supra diximus. Quid quod Strabo Augustum ipsum vocat ἡγεμονα των Ρωμαιων h). Iure ergo scribi potuit ΝΕΡΩΝΟС. ΚΛΑΥΔΙΟΥ. ΗΓΕΜΟΝΙΑ, *Neronis Claudii principatus* in numo Perperenes Mysiae, quem ex museo suo edidit Harduinus, (num. ill. sub *Perperene.*) et restituit Morellius i). Apud S. Lucam k) idem ἡγεμονος nomen tribuitur tam Tiberio Augusto, quam Pontio Pilato procuratori Iudaeae. Εν ετει δε πεντεκαιδεκατῳ της ἡγεμονιας Τιβεριου Καισαρος, ἡγεμονευοντος Ποντιου Πιλατου της Ιουδαιας κ. τ. λ.

Hactenus extra Thraciam, et saltem Moesiam inferiorem numus conspectus non est, qui suum provinciae rectorem ἡγεμονα diceret. Novi, vulgatum ab Harduino Clazomenarum numum cum capite Claudii et epigraphe: ΕΠΙ. ΗΓΕΜΟΝΟΣ. ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ, sed miror, hoc loco, quod facere semper alias solitus est, neglectam musei mentionem tam rarum numisma servantis, ac praeterea illud neque a Vaillantio, neque alio quoquam citari. Quanquam etsi talis esset epigraphe, qualis praetenditur, istud sententiae meae non adversaretur, quia tum Asclepiades, per ipsum hoc nomen plane Graecum et nullatenus Romanum, privatum Clazomenarum magistratum indicaret, mihi autem de magistratu Romano sermo sit. Fuere, qui in numo Communis Ioniae legerent ΗΓεμονος. ΚΛ. ΦΡΟΝΤΟΝΟС., sed quam lectionem impugnavi in prolegomenis ad numos Ioniae.

Inscriptos harum regionum numis ἡγεμονας fuisse praefectos Romanos, qui toti provinciae praefuere, non vero privatos urbium magistratus, eo primum arguimus, quod haec nomina constanter sunt gentium Romanarum, deinde quod idem praeses, et eodem quidem tempore legitur in numis variarum Thraciae urbium. Sic Pompejum Vopiscum memorant numi Bizyae, Hadrianopolis, Pautaliae, Philippopolis, Plotinopolis, omnes cum ca-

a) L. I. ff. de offic. praesid. b) Plin. jun. L. X. epist. 53. c) bell. Iud. L. II. c. 16. d) L. VII. c. 16. e) Voyage T. I. p. 323. f) Tournefort. g) Hist. L. II. c. 24. h) L. III. p. m. 253. i) Specim. tab. XXI. k) c. 3. v. 1.

pite Antonini Pii. Alia exempla dabunt inspecti ipsarum urbium numi.

Constituto igitur, ἡγεμονας fuisse homines Romanos ad regendam totam provinciam missos, quaeritur, quoniam ἡγεμων, ut diximus, et proconsulem, et legatum Caesaris significavit, fueritne is magistratus provinciae senatus, an Augustorum. Fuisse Augustorum, eo probat Spanhemius [a]), quod Strabo in Caesarum provincias missos ἡγεμονας, και διοικητας, *praesides et procuratores* narrat [b]). At enim hoc Strabonis testimonio non satis comprobata causa videtur propterea, quod apud scriptores laxior fuit ἡγεμονος significatio. Certius magistratum Augusteum comprobat historia Thraciae, qua docemur, eam regionem a Vespasiano demum in provinciam fuisse redactam, ut diximus in prolegomenis ad monetam Thraciae. Iam vero stabilivimus supra, regiones omnes, quae post constitutam ab Augusto provinciarum divisionem Romano imperio adjunctae fuerunt, Augustorum fuisse factas provincias. Accedit, in numis urbium Thraciae, puta Perinthi, Bizyae, Philippopolis, jam inde a Trajano memorari legatos pro praetore, quos fuisse magistratum Augusteum, non senatus populique, satis supra disputavimus. Addit Spanhemius [c]), praesidis nomen lapsu temporis de iis, qui minores provincias, et quidem Caesaris administrarent, fuisse usurpatum, idque probat ex Lampridio de Alexandro Sev. narrante: *provincias praetorias PRAESIDIALES plurimas fecit, proconsulares ex senatus voluntate ordinavit*, ubi, inquit, per praetorias, ac proinde praesidiales, Caesaris, per proconsulares populi provinciae intelligendae veniunt. Ergo cum Thracia fuerit una ex Caesarum provinciis, harum rectores legati Caesarum, indubitatum videtur, ἡγεμονος nomine legatum Caesarum intelligendum. Interim mirum tamen, si ἡγεμων idem fuit cum legato propraetore Augusti, in Thraciae urbium numis usque ad Antoninum semper prodi legatum Augusti, dempta forte Anchialo, ab hoc constanter deinceps ἡγεμονα. Mirum etiam, in sola Thracia et Moesia Augustorum magistratum dici ἡγεμονα, quando testibus marmoribus aliarum Augusti provinciarum rectores dici adhuc perrexere legati pro praetore, ipsum vero praesidis nomen inde a Carino demum et Diocletiano usurpari coepit, cujus exempla affatim dabunt Gruterus et Muratorius. Dixi, testibus marmoribus, quia numi post Antoninum Pium omni jam proconsulum et legatorum mentione abstinent. In marmore Gruteri [d]), quod imperante Alexandro Severo, certe non ante hunc, epigraphen sortitum est, habemus *Q. Atrium. Leg. Aug. Pr. Pr. Provinciarum. Thraciae. Cappadociae. Syriae. Majoris*, ergo legatum pro praetore, non praesidem. Atque his cognitis difficile sane erit rationem reddere, non modo cur in rectorum titulis in una Thracia tam sit variatum, sed etiam cur una Thracia rectores suos ἡγεμονας appellaverit. Qua forte in causa non vane quis conjecerit, Graecas Thraciae urbes praefectos suos, quos proprie legatos pro

a) T. II. p. 597. b) L. XVII. p. 840. c) l. c. p. 598. d) p. 1091. 5.

praetore dici oportuit, generatim vocasse ἡγεμονας, quo modo omnis generis magistratus, qui sane certa sua ac propria habuere vocabula, tam a scriptoribus, quam in marmoribus dici videmus nomine generico ἀρχοντας, vel: ἐπαρχυς, etc. ut in marmore Gruteri Agorius dicitur ΕΠΑΡΧΟΣ Κρητης, *praefectus provinciae* Cretae, pro ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ, *proconsul.*

Supersunt monenda pauca, quae ad genuinam vocabuli ἡγεμονος lectionem pertinent. Vaillantius, et qui eum secutus est, auctor musei Theupoli, aliquoties legunt: ΗΓЄΜΟϹ. ΤΑΤΙΑΝΟϹ. vel: ΗΓЄΜΟϹ. ΤΙΒ. ΒΑΡΒΑΡΟϹ. Verum ΗΓΕΜΟΣ pro ΗΓΕΜΩΝ, manifestum adversus grammaticam peccatum tamdiu in numis non admittam, dum fide dignior alter illud testimonio suo stabiliat. In numo Pautaliae musei Caesarei legitur ΗΓЄΜΟ subjecto puncto luculento, explendum adeo legendo ΗΓЄΜΟ*νος*. Istud praeterea singulare in his ἡγεμονων numis, quod nunquam praefigant particulas ΕΠΙ. vel ΥΠΟ. sed semper absolute ponantur.

§. IV.

DE QVAESTORIBVS, PROQVAESTORIBVS, QVAESTORIBVS PRO CONSVLE, QVAESTORIBVS PRO PRAETORE.

Quaestores, Graecis Ταμιας, omnis omni aevo respublica habuit, quorum erat administrare pecunias publicas, et praeesse aerario. In Romanorum moneta non infrequens eorum mentio, qui quaesturam in urbe obivere. Exstant in denariis TI. SEMPRONIVS. GRACCVS. *Quaestor* DESIG*natus*, et Q. VOCONIVS. VITVLVS. Q. DESIGN. tum vero: NERI. *Quaestor* VRB*anus*. — T. MAL. AP. CL. Q. VR. — PISO. CAEPIO. Q. — P. SABIN. Q. — C. FVNDAN. Q. — L. TORQVA. Q. EX. S. C. De his vide numos familiarum. Ταμιας, quatenus hi fuere privatus urbium Graecarum magistratus, inscriptos numis Pergami, Rhodi, Smyrnae, supra dedimus.

Crescente Roma missis in provincias proconsulibus, praetoribusve additus quaestor, cujus erat, militibus stipendia persolvere, tabulas accepti et expensi conficere, praedam in tabulas referre, et similia, habebantque suos fasces, quibus tamen caruere quaestores urbani, sed sine securibus, ut existimat

Spanhemius a). Quaestores, sive proquaestores non raro familiarum denariis inscriptos reperias. Sic: L. FABI. L. F. HISP. Q. et Q. TARQVITI. P. F. Q. uterque quaestor C. Annii proconsulis. L. MANLI. PROQ*uaestor* L. Cornelii Sullae, VARRO. PROQ. et CN. PISO. PROQ. et P. MINAT. SABIN. PROQ. proquaestores Pompeji M. L. SESTI. PROQ. M. Bruti. De his agitur in numis familiarum.

In numis commatis peregrini memorantur quaestores Romani.

CN. IVLI. L. F. Q*uaestor*, in numis Cordubae Baeticae.

M/. ACILI. Q*uaestor* in numis coloniae Panormi.

L. AP. DEC. Q*uaestor* in numis Vrsonis et Mundae Baeticae urbium.

AESILLAS. Q*uaestor* in tetradrachmis Macedonum.

ΓΑΙΟΥ. ΤΑΜΙΟΥ. vel: ΤΑΜΙΟΥ. ΓΑΙΟΥ. ΠΟΠΛΙΛΙΟΥ. vel ΤΑΜΙΟΥ. ΛΕΥΚΙΟΥ. ΦΟΛΚΙΝΝΙΟΥ. in aeneis Macedonum, quos vide.

ΠΟΥΠΙΟΣ. ΡΟΥΦΟΣ. ΤΑΜΙΑΣ. in Cyrenaicis.

Hi ergo numi omnes partim commatis Romani, partim peregrini, et tempore reip. signati, magistratum offerunt, dictum *quaestorem*, vel *proquaestorem*. Fueritne *quaestor* idem, quod *proquaestor*, aut aliquod inter utrumque discrimen, equidem ignoro. Secundum Pitiscum (in lexic. sub *Proquaestore.*) fuit Proquaestor is, qui quaestore aut mortuo, aut de provincia decedente muneri quaestorio praeficiebatur. Verum nescio, an istud satis ex citatis binis Ciceronis locis Verrinae I. cap. 15, et 36 probet. Non negavero, suffectos hos quaestores dictos fuisse, aut potuisse dici proquaestores, at enim hanc appellationem in duplice tantum hoc casu valuisse, nullo pacto verisimile videtur, nisi statuere velis, omnes hos, qui citatis modo denariis inscripti sunt, aut qui alibi apud auctores leguntur, quorum complures collegit Spanhemius b), non fuisse pro quaestore ex urbe in provinciam missos, sed vel quaestore mortuo, vel ex provincia egresso vicariae quaesturae praefectos. Alterutrius sane naturae non fuit Lentulus Spinther, quem in Asiam proquaestore propraetore missum mox infra dicemus. Ait Spanhemius c), ut quaestoris, ita proquaestoris occurrere apud veteres auctores mentionem. Istud pol sciveramus, verum, fueritne aliquod inter utrumque discrimen, dicere neglexit. Credam, quaestorem et proquaestorem sic perinde habitum, ut saepe praetorem et propraetorem. Proquaestoris appellatio sub Augustis fere desiit. Sane unicum ejus certum exemplum reperi in marmoribus, et quidem in cenotaphii Pisani fine: CORAM. PROQVAESTORIBVS. Semel etiam neque saepius, proquaestorem Graece redditum Αντιταμιαν in marmoribus observavi, nempe in marmore Muratorii d): ΓΑΙΟΝ. ΟΥΕΡΓΙΛΙΟΝ. ΓΑΙΟΥ. ΤΙΟΝ. ΒΑΛΒΟΝ. ΑΝΤΙΤΑΜΙΑΝ.

Restant *Quaestores pro consule*, et *pro praetore*. Vtriusque simplex exemplum in numis reperio:

M. SILANVS. AVG. Q. PRO. COS. in denario M. Antonii.

---

a) T. II. p. 164. b) T. II. p. 166. c) l. c. d) p. 1022. 4.

ΠΟΤΠΙΟϹ. ΡΟΤΦΟϹ. ΤΑΜΙΑϹ. in aliis: ΑΤΛΟϹ. ΠΟΤΠΙΟϹ. ΤΑΜΙΑϹ. ΑΝΤΙϹΤΡΑ. in aliis: ΠΟΤΠΙΟϹ. ΑΝΤΙϹΤΡΑ. ΚΑΙ. ΤΑΜΙΑϹ. in numis Cyrenaicae.

M. Silanus in denario dicitur *quaestor pro consule*, haud dubie, quod qualemcunque provinciam, proconsule ex qualicunque causa carentem, pro consule rexit, donec illi M. Antonii jussu successum esset, vel quod in eam provinciam quaestor proconsulari potestate missus esset. Haec ex sequentibus clarius patebunt.

Numi alterius loci A. Pupium *quaestorem pro praetore* disertis verbis praedicant, quem quidem magistratum aliquanto verbosius explicare proderit, quia video, viris etiam eruditis in eo recte definiendo tenebras fuisse offusas. Sane Pellerinius, cum similem Pupii numum vulgaret [a]), ignoramus, inquit, sitne exemplum, quaestorem eodem tempore dictum quoque pro praetorem, et esset operae pretium, si vir quispiam eruditus huic argumento lucem adfunderet. Et volupe est, et neque difficile, viri insignis voluntati satisfacere. Vt taceam, factum saepe, ut proconsules, vel praetores, cum e provincia discederent, vel in bello a castris longius abessent, provinciae vel castrorum regimen permitterent quaestori suo, qua adeo de causa vere dici poterant quaestores pro consule, vel pro praetore, copiosis etiam erudimur exemplis, quaestores pro praetore, vel praetorio imperio ex urbe in provincias missos. Sallustius [b]): *Postea Piso in citeriorem Hispaniam quaestor pro praetore missus est.* Teste Vellejo [c]) Clodius legem tulit, ut Cato *QVAESTOR CVM IVRE PRAETORIO adjecto etiam QVAESTORE mitteretur in insulam Cyprum.* Constat, P. Lentulum Spintherem V. C. 710. post Caesaris caedem in Asiam extra ordinem proquaestore propraetore missum, docente istud epistola, quam is ad senatum scripsit praefixo titulo: P. LENTVLVS. P. F. PROQVAEST. PROPR. [d]). Apud Iosephum L. Antonius dicitur ἀντιταμίας καὶ ἀντιςρατηγος, *proquaestore*, *propraetore* [e]). Apud Sallustium Marius consul a castris longius profectus Sullam quaestorem suum pro praetore reliquerat [f]). Idem comprobant copiosa marmora. En pauca: CN. CALPVRNIVS. CN. F. PISO. QVAESTOR. PROPR. EX. S. C. PROVINCIAM. HISPANIAM. CITERIOREM. OPTINVIT. [g]) L. ACILIO. L. F. Q. N. RVFO. Q. PROPR. PROVINC. SICIL. etc. [h]). In marmore Athenis reperto: O. ΔΗΜΟΣ. ΠΟΠΛΙΟΝ. ΚΟΡΝΗΛΙΟΝ. ΠΟΠΛΙΟΤ. ΤΙΟΝ. ΣΚΙΠΙΩΝΑ. ΤΑΜΙΑΝ. ΚΑΙ. ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΝ. ΑΡΕΤΗΣ. ΕΝΕΚΑ. [i]). Et duravit hic magistratus per Augustorum imperium. Flaviorum aetate Cn. Domitius Afer dicitur: QVAESTOR. PROPRAETORE. PROVINC. AFRIC. [k]). Marmor aliud de Geta Severi Aug. fratre: ΠΟΤΒΛΙΟΝ. ϹΕΠΤΙΜΙΟΝ. ΓЄΤΑΝ. ΤΑΜΙΑΝ. ΚΑΙ. ΑΝΤΙϹΤΡΑΤΗΓΟΝ. ΚΡΗΤΗϹ. ΚΑΙ. ΚΤΡΗΝΗϹ. κ. τ. λ. [l]). Hi ergo

a) Rec. I. in praef. p. XIV. b) bell. Catil. p. m. 16. c) L. II. c. 45. d) Cicer. Famil. L. XII. ep. 15. e) Ant. L. XIV. c. X. §. 17. f) Bell. Iug. p. m. 149. g) Grut. p. 383. 5. h) ibid. p. 344. 8. i) Chandler. Inscr. ant. p. 57. 36. k) Gruter p. 403. 1. l) Grut. p. 1099. 7.

quaestores praetorio jure in provinciam missi multum utique praestabant quaestoribus provinciarum ordinariis, quos etiam sibi additos et subjectos habebant, ut mox de Catone vidimus, erantque tum supremi provinciarum rectores. Atque haec fuit causa, cur in nonnullis A. Pupii numis adjectas fascibus secures conspiciamus, quibus carebant fasces ordinariorum provinciae quaestorum, ut jam observavit Spanhemius a).

Cum his quaestoribus pro praetore conjungendi denique ii quaestores, vel proquaestores, qui officii sui vocabulo adjiciunt litteras P. vel PR., vetere dissidio, quo modo solitariae hae literae sint enunciandae. En tibi eorum catalogum, mixtis iterum numis commatis Romani et peregrini.

M. BARBAT. Q. P.

L. GELL. Q. P.

M. NERVA. PROQ P.

Omnes hi tres memorantur in denariis M. Antonii, nempe constituti ab hoc in variis provinciis quaestores.

C. VIB. MARSO. PR. COS. addito: DRV*so* CAE*sare* Q. PR. in aliis: NERo*ne* CAE*sare* Q. PR. in numis Vticae, et cum capite Tiberii Aug.

Dixi variare eruditorum sententias in explicandis decurtatis his vocabulis Q. P., legentibus aliis Q*uaestore* P*rovinciae*, aliis Q*uaestore* P*ropraetore*, aliis Q*uaestore* P*ublico*, etiam Q*uaestore* P*raetorianorum*, quas sententias a variis collectas enumerat Spanhemius, e quibus verisimiliorem illam putat, quae explicat Q*uaestor* P*rovinciae*, ea praecipue de causa, quod quaestores provinciae saepe in marmoribus occurrunt b). Verum non minus frequenter in his occurrunt quaestores pro praetore, ut adeo non minus hi literis Q. P. vel Q. PR. intelligi posse videantur. Quod si istud minus probabitur propterea, quod verisimile non sit, eodem tempore in eadem provincia fuisse proconsulem, et una quaestorem pro praetore, quo modo secundum citatos Vticae numos eodem tempore in provincia fuisset proconsul C. Vibius Marsus, et quaestores pro praetore Nero et Drusus Caesares, possum opponere marmor Gruteri, in quo exaratum legimus: DEDICANTIBVS. M. HATERIO. CANDIDO. PROCOS. ET. L. CORNELIO. MARCELLO. Q. PR. PR. c). quae postrema verba nemo dubitabit legenda esse *quaestore pro praetore*. Atque eandem lectionem in citatis quoque M. Antonii denariis praeferendam, colligo ex numis L. Gellii, et M. Coceii Nervae. Dicemus in numis gentis Gelliae, fuisse hunc Gellium inter principes M. Bruti amicos; ex quo apparet, fuisse eum jam tum hominem gravem, et rebus gerendis idoneum. Idem subinde cum prodito perfide Bruto ad Antonium descisceret, an nactus esset dignum defectionis praemium, si vir magni in parte adversa nominis provincialem denique quaesturam ab Antonio abstulisset, quod munus quoddam velut fuit rerum gerendarum initium, et sic quidem, ut propterea quaestor praetori suo filii loco haberetur? At majoris est momenti, quod sequitur. In annalibus Augu-

a) T. II. p. 164. b) l. c. p. 161. c) p. 100, 10.

sti ad annum V. C. 715. dicemus, hoc anno ab Antonio et Octaviano consules in octo annos designatos, nimirum ut jam tum gratos sese probarent iis, quorum hactenus fideli opera ad suam ornandam amplificandamque dignitatem experti sunt. Hos inter fuere L. Gellius et M. Nerva, qui hoc, quo dixi anno, designati, revera V. C. 718 processerunt, dicti nunc in numis Q. P. vel PROQ. P. Sed enim quod tam illustre meritum esse potuit quaestoris provinciae, quo sibi inter praepotentes aemulos consulatum, maximam in rep. dignitatem, poterat promereri? Ruit omnis haec difficultas, si statuamus, legendas eas litteras *Quaestor Propraetore*, quem magistratum fuisse honorificum, et summis etiam interdum viris collatum, patet ex citatis supra exemplis Catonis et Lentuli, qui honoris causa quaestores cum jure praetorio hic in Asiam, ille Cyprum missi sunt.

§. V.

DE PROCVRATORIBVS.

Procurator Graecis Διοικητης, frequentius Επιτροπος, in uno, summum duobus hactenus numis repertus.

ΕΠΙ. Λ. ΑΝΤΩΝΙΟΥ. ΝΑΣΩΝΟΣ. ΕΠΙΤΡΟΠΟΥ. ΒΙΘΥΝΙΑ. in numo Vespasiani.

Similem haud dubie inscriptionem habet numus Domitiani, sed quam ex numo suo male, ut videtur, recitat Vaillantius, ut dixi in moneta Bithyniae in genere.

Primus Augustus procuratores ad rationem provincialis evexit. Dio ad annum V. C. 727 a): *Etiam procuratores (sic enim vocamus eos, qui publicos reditus colligunt, et praescriptos sibi sumptus faciunt) in omnes provincias tam suas, quam populi, alios quidem ex equitibus, alios ex libertis mittit, nisi quod proconsules iis in locis, quibus praesunt, tributa exigunt. Etiam mandata quaedam dat imperator his procuratoribus, et proconsulibus, et propraetoribus, ut certis legibus in provincias eant.* Strabo b) agens de Hispania, *sunt*, inquit, *ibi et procuratores Caesaris* (επιτροποι τυ Καισαρος) *qui militibus pecuniam ad vitae necessitatem suppeditant.* Ab his ergo testimoniis discimus, procuratores ex equestri ordine captos fuisse, confirmante istud etiam Tacito c): *Iulius Agricola utrumque avum procuratorem Caesarum habuit, quae equestris nobilitas est.* Discimus etiam, quid procuratoribus lege praescriptum fuerit, nimirum ut publicos reditus colligerent,

a) L. LIII. §. 15. b) L. III. p. m. 254. c) in Agric. c. 4.

et necessarias inde expensas caperent, quas inter erant etiam stipendia militum. Nonnunquam vero etiam privatas tantum imperatorum pecunias procurasse, colligo ex Taciti loco mox citando, quo docemur, a Tiberio procuratori Asiae jus non fuisse datum, nisi in servitia et pecunias familiares. Munus istud, uti suapte publicum sibi odium imposuit, ita nonnullorum avaritia et duritie infame redditum. Enimvero conquestos legimus Britannos: *singulos sibi olim reges fuisse*, *nunc binos imponi*, *e quibus legatus in sanguinem*, *procurator in bona saeviret* a). Interim varia eorum fuit potestas, sive ex usu singularum provinciarum, sive ex praescripto singulorum imperantium, ut recte supra dixerat Dio, procuratores certis quibusdam legibus ab imperatore praescriptis in provincias mitti. Lucilio Capitone Asiae procuratore a provincia accusato adseveravit Tiberius: *non se* illi *jus nisi in servitia et pecunias familiares dedisse; quod si vim praetoris usurpasset*, *manibusque militum usus foret*, *spreta in eo mandata sua* b). Majoribus eos provinciae praesidibus fuisse subjectos, Iudaeae historia docet, quae suos quoque habuit procuratores, ex quibus notior Pontius Pilatus apud Iosephum c), et de quo Tacitus d): *Auctor nominis ejus Christus*, *Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat.* Divisa namque sub Claudio Iudaeae procuratione, sic ut Galilaeorum natio Ventidio Cumano, Samaritani Felici parerent, hisque regionem latrociniis caedibusque misere infestantibus, *arsisset*, inquit Tacitus, qui haec refert e), *bello provincia*, *ni Quadratus Syriae rector subvenisset.* Iam etiam inde ab aliquot annis, ut idem narrat f), Iudaea provinciae Syriae addita fuit, ex quo Quadrati in Iudaeae procuratores jura. Temporarium nonnunquam imperium nacti sunt, cum succederent in locum praesidis in magistratu mortui, quod me docuit Norisius g), citato testimonio ex actis martyrii S. Perpetuae: *Hilarianus procurator*, *qui tunc loco proconsulis Minutii Timiani defuncti jus gladii acceperat.* Tale etiam fuit imperium, extra ordinem Trebonio Africae procuratori a Galba datum, ut Clodium Macrum Africae legatum res novas molientem e medio tolleret h). Ait Gordianus i): *Procuratori nostro non vice praesidis agenti etc.* ergo aliquando procuratores vice praesidis functi sunt. Vide etiam constitutiones Decii et Valentiniani k), et Caracallae l).

At fuere etiam regiones, quarum regimen penes unum procuratorem stetit. Harum nonnullas enumerat Tacitus, cum provinciarum statum sub excessum Neronis enarrat. *Duae Mauretaniae*, inquit m), *Rhaetia*, *Noricum*, *Thracia*, *et quae aliae procuratoribus cohibentur.* Atque ad hos credo pertinere, quod sanciri voluit Claudius teste Tacito n): *parem vim rerum haben-*

a) Tacit. in Agric. c. 15. b) Tacit. Ann. IV. 15. c) B. Iud. L. II. c. IX. §. 2. d) Ann. XV. 44. e) Ann. XII. 54. f) l. c. c. 23. g) Cenot. Pis. diss. II. c. 16. p. m. 405. h) Tacit. Hist. I. 7. i) Cod. L. III. tit. III. §. 1. de procuratore Caesaris. k) ibid. tit. 22. et 26. l) Cod. L. IX. tit. 47. §. 2. m) Hist. I. 11. n) Ann. L. XII. 60.

dam a procuratoribus suis judicatarum, ac si ipse statuisset. Quod idem narravit quoque Suetonius [a]). Vnde factum existimo, ut non contenti procuratores eo, quod erant, nobiliores nonnunquam titulos adfectarent. Nimirum legimus apud Gruterum: PROCVRATORI. ET. PRAESIDI. ALPIVM. COTTI. [b]) et alibi apud eundem: PROCVR. AVGVSTOR. ET. PROLEG*ato* PROVINCIAI. RAITIAI. ET. VINDELIC. ET. VALLIS. POENIN. [c]). Quid quod et Epictetus apud Arrianum [d]) procuratorem Epiri vocet ἄρχοντα Epirotarum.

Ceterum in explicando vero procuratorum statu multa adhuc sunt ambigua et incerta. In causa est, quia, ut dixi, varia fuit eorum potestas, quae fere a principis nutu pendebat, et quia plerumque scriptores minus clare sunt locuti, quo factum, ut recentiorum judicia non raro a vero longe aberrarent. Exempli causa: dixit Dio loco, quem statim principio citavi, proconsules in iis locis, quibus praesunt, non procuratores, tributa exigere. Ad quae verba notat Fabricius: *Proconsules hoc loco vocat praefectos provinciarum, quas non sibi Augustus regendas sumserat, sed populo reliquerat; illos enim omnes, etiam qui propraetore essent, communi proconsulum nomine venire dixit.* Sin istud, ergo sibi planissime contradixit Dio, qui paullo supra mitti procuratores tam in Caesaris quam populi provincias dixit. Verius hoc loco Dio nomine proconsulum intellexit praesides Asiae et Africae, qui soli proprie proconsules dicti sunt, quia consulatu functi, ut alias satis dixi, et quae sententia opportune confirmatur oraculo Tiberii supra citati, quo is professus est, non se procuratori Asiae jus nisi in servitia et pecunias familiares dedisse.

Ad L. Antonium Nasonem procuratorem ut revertar, ut unicum istud est hactenus exemplum memorati in moneta procuratoris, ita mirum, a Bithynis numo Vespasiani inscribi procuratorem, quando hi inde ab Augusto, et sub ipso etiam Vespasiano omnibus aliis numis inscribere proconsules suos sunt soliti. An is in locum proconsulis sive mortui, sive avocati interim successit, cujus simile exemplum ex actis S. Perpetuae supra dedimus? An jam sub Vespasiano aliquid in Bithyniae regimine immutatum? Quae quidem omnia ignoramus.

a) In Claud. c. 12. b) pag. 493. 6. 7. c) pag. 376. 6. d) L. III. c. 4.

§. VI.

DE PONTIFICE, SEPTEMVIRO EPVLONVM.

Ex viris privatis, neque enim hic agimus de pontificibus Augustis et Caesaribus, binos reperio pontifices numis commatis peregrini inscriptos.

BALBVS. PONT. Instrumenta pontificalia, in autonomo aeneo Gadium Baeticae.

De hoc pontifice Cornelio Balbo vide quae notavimus in moneta hujus urbis.

CN. ATELLIVS. PONTI. II. V. Q. in numo Iubae II. Carthagine Nova signato.

* * *

Semel etiam in moneta peregrina proditur VIIvir epulonum, noti apud Romanos sacerdotii.

APR. FA. MAX. COS. PROCOS. VII. VIR. EPVLO. in numo Hadrumeti Byzacenes.

In denariis gentis Coeliae legimus quoque: L. CALDVS. VIIVIR. EPVL. In illustri marmore Pergameno, quod edidit Sponius [a]), tum et Smithius, Wehlerus, Muratorius, habemus ΓΑΙΟΝ. ΑΝΤΙΟΝ. - - - ΣΕΠΤΕΜΟΥΙΡΟΥΜ. ΕΠΟΥΛΟΝΩΝ. non habentibus Graecis verba idonea, quae sacrum hunc magistratum exprimerent, perinde ac illum, qui continuo sequitur: ΦΡΑΤΡΕΜ. ΑΡΟΥΑΛΕΝ.

§. VII.

DE PARENTIBVS, PATRONIS.

Complures habemus numos urbium, quae viros illustres hoc elogio donavere.

M. AGRIPPA. MVNICIPI. PARENS. vel: MVNICI*pi* GA*ditani* PATRON*us*, vel conjunctim: PATRONVS. PARENS. MVNICIP. in numis Gadium Baeticae.

P. AVR*elius* COT*ta* PA*tronus*, in numis Emporiarum Tarraconensis.

a) Voyage T. III. p. 140.

CN. COR. M. TVC. PATR*oni*, in numis Paesti Lucaniae.

Λ. ΜΙΝΔΙΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. ΠΑΤΡΩΝ. — ΕΠΙ. Λ. ΜΙΝΔΙΟΥ. ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΠΑΤΡωνος. — ΕΠΙ. ΦΡ. ΠΑΣΙΔΙΗΝΟΥ. ΦΙΡΜΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Β. ΠΑΤΡΩΝΟΣ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΝΕΙΚΟμηδιας. — ΚΛΑΥΔΙΟΥ. (forte ΚΑΔΙΟΥ.) ΡΟΥΦΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΠΑΤΡωνος. — Μ. ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ. ΠΡΕΙΣΚΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟ. ΠΑΤΡΩΝΟΣ. — ΕΠΙ. ΑΤΤΙΟΥ. ΛΑΚΩΝΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΠΑΤΡΩΝΟΣ. — Μ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Β. (subaudi ΠΑΤΡΩΝΟΣ.) ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΝΙΚΟΜ. in numis Nicaeae et Nicomediae Bithyniae urbium, quos plenius descriptos vide in prolegomenis ad numos Bithyniae.

* * *

Patronus a Romanis dicebatur, quem sibi quis inferior, suaeque conscius infirmitatis delegerat, ut sibi adversus potentiorum vim praesidio esset, quemque adeo *parentis* loco habere est solitus, sic ut hujus causa observantiae parens quoque dici consueverit. Neque singuli tantum privique, sed integra etiam conlegia, corpora, communitates illustriorem quempiam virum, qui se suaque tueretur, sibi patronum praeficere, cujus exempla passim offerunt marmora. Denique et urbes, municipia, coloniae, quin et provinciae viro cuipiam praecipuae in urbe auctoritatis se in clientelam dedere, qui apud senatum populumque R., si quid adversi ingrueret, causam suam tueretur. Nemo istud disertius Dionysio Halicarnassensi docuit. *Nec tantum*, inquit a), *in ipsa urbe plebs sub patriciorum erat patrocinio, sed et coloniarum, et sociarum atque amicarum civitatum, et bello subactarum suos quaeque habuit tutores ac patronos, quoscunque vellet e Romanis; et saepenumero senatus controversias civitatum ac gentium ad earum patronos remisit, eorumque judicia rata habuit.* Eximia sunt aliquot apud Gruterum epigrammata, in quibus patronatus hospitiumque et oblatum et susceptum perhibetur. Legitur in tabula aenea aevi Augustei b): *Civitas Apisia majus* (Zeugitanae Africae) *hospitium fecit cum C. Silio C. F. Fab. Aviola - - - eum, liberosque, posterosque ejus sibi, libertis, posterisque suis patronum cooptarunt.* Sequitur continuo: *C. Silius C. F. Fab. Aviola - - - civitatem Apisiam majus, liberos, posterosque eorum sibi, liberis, posterisque suis in fidem clientelamque recepit. Egerunt Hasdrubal Iummo, Hasdrubal Hannonis Chinisdo Sufetes.* Ejusdem rationis est tabula aenea proxima civitatis Siagitanae Zeugitanae, et alia apud eundem c), in qua civitates Civilitana et Hadrumetina provinciae Byzacenae Valerium Proculum provinciae suae praesidem patronum cooptat. Ad provincias quod attinet, Siculi, exactis a Marcello ex insula Poenis, se huic posterisque ejus in clientelam dedere, unde Marcelli a Cicerone *antiquissimi Siciliae patroni* dicuntur d). Alios totarum regionum patronos collegit Norisius e).

---

a) L. II. p. 85. b) pag. 470. 1. c) pag. 362. d) in Verr. L. III. c. 18. e) Cenot. Pis. diss. II. c. 7. sub fin.

Ex adductis his exemplis discimus etiam, fuisse civitates et provincias, quae patronos suos non mutaverunt, delato perpetuo uni eidemque genti patrocinio.

Similem ergo clientelam testantur numi, quos supra descripsi. Placuit Gaditanis cooptare patronum ipsum M. Agrippam jam alias a simili beneficio cognitum; nam legitur apud Sponium [a]: M. AGRIPPAE. L. F. PATRONO. RVFRANI. COLONI. Etiam patronum simulque parentem habent marmora. Apud Fabrettum [b] L. Calidius Nigrinus dicitur PARENS. ET. PATRONVS. MVNICIPI. Alibi Augustus PARENS. COLONIAE Iaderae [c]. Lucius Caesar in cenotaphio Pisano PATRONVS. COLONIAE. NOSTRAE. id est: Pisanae fertur. In numo Paestano IIviri CN. COR. et M. TVC. produntur coloniae patroni, neque istud sine exemplo. In marmore Gruteri [d]: L. VOLVMNIO. L. F. POMP. IVLIANO. SEVERO. IIIIVIRO. COL. SIGN. PATRONO. COLONIAE. SVAE. SENATVS. POPVLVSQVE. SIGNINVS. Bithyniae urbes suis se proconsulibus in clientelam tradidere. Ejus exemplum mox supra in Civilitanis et Hadrumetinis vidimus, et vidit Cicero multas in Sicilia C. Verris statuas adscripto patroni titulo [e]. Numi, quos supra descripsi, a Claudio ad Vespasianum usque porriguntur. Vsae sunt Graecae hae urbes vocabulo Πατρων ducto certe a Latinorum *patronus*, cum alias Graeci patronum significarent vocabulis προςατης, συνηγορος, φυλαξ, et similibus. Sedulos fuisse Bithynos in observandis patronis, docent copiosa marmora a Muratorio collecta, in quibus variae eorum urbes ΠΑΤΡΩΝΙ. ΚΑΙ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΙ., incertum cui, obsequia sua, gratumque animum profitentur [f]. Istud mirum, in aliquibus ex his numis legi Β. ΠΑΤΡΩΝΟΣ, id est *patroni iterum* urbis, repetitum adeo patroni honorem, ut archontis, strategi, aliorumque magistratuum, quo verisimile fit, urbes quotannis hunc clientelae nexum cum solennitate renovasse, si forte, quod non raro factum, proconsul anno diutius in provincia duravit.

Quos ex numis citavi patronos, ante annos non multos coepere innotescere. Gaditanos reperit Florezius, Emporitanos divinavi ego verius, quam adserui, Paestanos videre Pellerinius et Magnanus; Bithyni se pridem in moneta ostentavere, sed incredibile, quam inique vocabulum ΠΑΤΡΩΝ, vel ΠΑΤΡΩΝΟΣ. lectum sit a viris artis nostrae antesignanis Vaillantio, Harduino, Spanhemio, aliisque, quo factum, ut numos similes unanimi sententia Patras Achaiae revocarent. Esse numos urbium Bithyniae, veramque lectionem talem qualem proposui, et intelligendos patronos, late olim exposui [g], et paucis rem attigi in prolegomenis ad numos Bithyniae.

---

a) Misc. p. 178. b) Inscr. p. 748. num. 554. c) Maffei mus. Veron. p. 95. d) p. 490. 5. e) in Verr. L. II. c. 63. f) p. 1073. seq. g) Numi vett. p. 185.

Vrbium patronos ad infimum usque aevum durasse, colligo ex constitutione Iustini, qua vetantur haeretici esse *πατερες πολεων*, *parentes urbium*, addita causa, ne possent vexare Christianos [a]).

CAPVT II.

DE MAGISTRATV EPONYMO.

Magistratus *επωνυμοι* dici solent ii, a quorum annuo regimine respublicae, civitates, aut quaecunque communitas annos signant, et fastos suos inscribunt. Hujus naturae fuerunt Athenis archontes, Spartae ephori, Romae consules, unde fasti Attici, fasti consulares in vulgus noti. Magistratum hunc Graeci dixere *την επωνυμον αρχην*, cujus fidem faciunt monumenta non pauca. Marmor Sponii [b]) Dexippum vocat ΑΡΞΑΝΤΑ. ΤΗΝ. ΕΠΩΝΥΜΟΝ. ΑΡΧΗΝ. *qui gessit magistratum eponymum* sc. Athenis, quod marmor plenius et correctius vulgavit Chandlerus [c]). Disertius Philo [d]): *Αρχων Αθηνησι ὁ επωνυμος, και των εννεα αρχοντων αριστος, αφ' ου οι χρονοι καταριθμουνται*. *Archon Athenis eponymus, et inter novem archontes praecipuus, a quo tempora numerantur.* Philostratus Apollonium sophistam inter summos magistratus, qui apud Athenienses habentur, obivisse etiam *την επωνυμον* refert, nempe archontis primi [e]). Causa analogiae Romanos quoque consules Appianus dixit *επωνυμους* [f]). *Και τουδε χαριν*, inquit, *ες το επειτα εγενοντο Συριας στρατηγοι των τα επωνυμα αρξαντων εν αστει*. *Quapropter deinceps rectores in Syria constituti sunt ex eorum numero, qui eponymum in urbe magistratum gessere*, id est: consulatum. Pollux novem Atheniensium archontes recensens, ait: *εισι δε, ὁ του ενιαυτου επωνυμος αρχων, βασιλευς, πολεμαρχος, και θεσμοθεται εξ*. *Sunt vero, primum archon, qui anno nomen dat, deinde rex, polemarchus, denique sex Thesmothetae* [g]). De temporario apud Athenas eponymo sacerdote vide mox infra.

Vt archontes Athenis, sic aliis in civitatibus eponymi fuere vario nomine ac

---

a) Cod. L. I. tit. V. §. 12. b) Vogage T. III. part. II. p. 129. c) Inscr. ant. p. 56. d) Lib. de Abraham. e) Vit. Soph. L. II. c. 20. f) Syriac. c. 51. g) L. VIII c. 9. segm. 85.

dignitate cum sacra, tum profana. Refert Plato a), constitutum inter alia fuisse apud Magnetas, incertum Thessaliae, an Asiae: ἀρχιερεα δε ἑνα κατ' ἐνιαυτον τον πρωτον κριθεντα των γενομενων ἐκεινῳ τῳ ἐνιαυτῳ των ἱερεων, και τ' ὀνομα ἀναγραφειν τουτου κατ' ἐνιαυτον, ὁπως ἀν γιγνηται μετρον ἀριθμου του χρονου, ἑως ἀν ἡ πολις οἰκηται. *Summus vero sacerdos annuus is esto, qui ex creatis ejus anni sacerdotibus primus renunciatus fuerit, ejus autem nomen per annum inscribitor, ut sit mensura temporis, quoad urbs habitabitur.* Inter alia, quae Timoleon ejecto Dionysio sapienter constituit, fuit etiam stabilitus annuus, isque honorificentissimus magistratus, (ἡ κατ' ἐνιαυτον ἐντιμοτατη ἀρχη) quem sacerdotium (αμφιπολιαν) Iovis Olympii vocant Syracusani. Addit Diodorus, qui hoc scripsit b): και το λοιπον διετελεσαν οἱ Συρακουσιοι τους ἐνιαυτους ἐπιγραφοντες τουτοις τοις ἀρχουσι μεχρι τωνδε των ἱστοριων γραφομενων, και της κατα την πολιτειαν ἀλλαγης. *Vnde mos apud Syracusanos inolevit, ut magistratibus hisce anni deinceps inscriberentur, quod ad praesens usque tempus, quo historiam hanc concinnamus, et reip. status immutatus est, duravit. Postquam enim*, prosequitur, *Romani cum Siculis civitatis suae jura communicarunt, famulorum munus* (ἡ των ἀμφιπολων ἀρχη) *antiquari coepit, cum supra CCC. annos floruisset.* De Laconum et Atheniensium eponymis haec Pausanias c): Εφοροι δε τα τε ἀλλα διοικουσι τα σπουδης μαλιστα ἀξια, και παρεχονται τον ἐπωνυμον, καθα δη και Αθηναιοις των καλουμενων ἐννεα ἐπωνυμος ἐστιν εἱς αρχων. *Ephori gravioribus* (apud Spartanos) *praesunt negotiis, atque ex his unum edunt, de cujus nomine annum signant, quemadmodum et apud Athenienses ex novem sic dictis archontibus unus est, a quo nominantur anni.* Apud Smyrnaeos ἐπωνυμιαν tributam fuisse Stephanephoris, auctor est Philostratus perhibens de Heraclide sophista d): και την στεφανηφορον ἀρχην παρ' αὐτοις ἠρξεν, ἀφ' ἡς τοις ἐνιαυτοις τιθενται Σμυρναιοι τα ὀνοματα, *et Stephanephori munus apud eos obivit, a quo annis Smyrnaei nomina imponunt.* Vide, quae de hoc Philostrati loco plura adnotavimus supra capite de *Stephanephoris.* In marmore Pergami apud Sponium e) dicitur A. Clodius ΤΑΝ. ΕΠΩΝΥΜΟΝ. ΑΠΟ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΠΡΥΤΑΝΕΙΑΝ. ΕΚ. ΓΕΝΕΟΣ. ΔΙΑΔΕΞΑΜΕΝΟΣ. *collatam a regibus in gentem suam eponymam prytaniam suscepisse.*

Vt magistratus quis esset vere eponymus, necesse fuit, esse annuum, cujus generis omnes fuisse vidimus, quos hactenus commemoravi. Clarissime hanc eponymi naturam exprimit marmor Gruteri f): ΓΑΙΟΣ. ΓΑΙΟΥ. ΑΧΑΡΝΕΥΣ. ΙΕΡΕΥΣ. ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ. ΘΕΩΝ. ΜΕΓΑΛΩΝ. ΔΙΟΣΚΟΡΩΝ. ΚΑΒΕΙΡΩΝ. ΕΝ. ΤΩΙ. ΕΠΙ. ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ. ΤΟΥ. ΜΕΤΑ. ΛΥΚΙΣΚΟΝ. ΑΡΧΟΝΤΟΣ. ΕΝΙΑΥΤΩΙ. ΙΔΡΥΣΑΤΟ. *Cajus Caji F. Acharnensis, factus sacerdos magnorum deorum Dioscurorum Cabirorum, eo anno posuit, quo archon fuit Dionysius is, qui Lycisco successit.* Quo in epigrammate ipsum anni vocabulum, alias constanter dissimulatum, exprimitur, cumque, ut

a) de legib. L. XII. b) L. XVI. c. 70. c) L. III. c. 11. d) Vit. Soph. L. II. c. 26. §. 2. e) Misc. p. 348. f) pag. 310. 2.

apparet, nomine Dionysii duo fuerint diversi per vices archontes eponymi, discriminis causa additur: *qui Lycisco successit*, ne annus, quo signum positum est, in incerto sit. Eodem modo in psephismate Atheniensium, quod est in museo Nanii, legitur: ΕΠΙ. ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ. ΑΡΧΟΝΤΟΣ. ΤΟΥ. ΜΕΤΑ. ΠΑΡΑΜΟΝΟΝ. Vide hujus formulae exempla plura apud cl. Biagium [a]).

Athenienses cum praeter immodicos Antigono et Demetrio decretos honores istud etiam vellent, ut ab illis anni sui nominarentur, archontem quidem, qui patrio more anno nomen dabat, abrogarunt, (τον ἐπωνυμον και πατριον ἀρχοντα καταπαυσαντες) verum quia reges hi annui non fuere, neque adeo eponymi esse poterant, *sacerdotem Servatorum*, ἱερεα των Σωτηρων, quotannis crearunt, eumque plebiscitis et contractibus praescripserunt. Haec Plutarchus [b]), sed qui idem infra refert [c]), Athenienses plures post annos averso jam a Demetrio animo Diphilum, ejus anni Servatorum sacerdotem ex fastis expunxisse revocato iterum vetere suo archonte. Annuus Romanorum consulatus, isque vere eponymus, res notior, quam ut immorer. Ad quam normam Seneca, cum feminarum singulis fere annis ad novas nuptias transeuntium libidinem sugillat, maritos eponymos lepide ac salse finxit, *postquam*, inquit [d]), *illustres quaedam et nobiles feminae non consulum numero, sed maritorum annos suos computant.*

Altera lex, quae magistratum vere eponymum constituit, est, ut ratio ab hoc annos signandi ad totam aeque civitatem aut provinciam pertineat, cujus iterum generis fuere magistratus eponymi, quos supra recitavi. Fuerunt sane communitates tam sacrae, quam profanae cujuscunque instituti, corpora et collegia, quae annuos suos habuere magistratus, et quos latius eponymos dicere possis, sed qui privati tantum erant usus, neque ultra ejus communitatis fines valebant. Cum ergo legimus in marmore Sponii [e]): ΕΠΙ. ΑΡΧΟΝΤΟΣ. ΒΕΝΤΙΔΙΟΥ. ΣΩΤΑ. ΠΥΘΑΥΛΟΥ. - - - ΚΑΙ. ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ. ΑΙΛΙΟΥ. ΑΓΑΘΗΜΕΡΟΥ. ΚΙΘΑΡΩΔΟΥ. κ. τ. λ., nequaquam nomine archontis, nomine scribae intelligendi archontes et scribae, quales summum fuisse in multis civitatibus Graecis magistratum alias diximus, sed qui in ludis, et exercitiis gymnasticis praesedere. Quis enim persuadere sibi poterit, Πυθαυλην, seu, *qui Pythia canit*, vel citharoedum munus in civitate publicum obivisse? Vnicum istud exemplum privati magistratus proposuisse sufficiat, cum multa alia passim in marmoribus prostent.

Has leges si adcuratius expendissent viri eruditi, minus saepe liberales in adserendis magistratibus eponymis fuissent. In horum numero jure habeo illustrem sane, et in explicandis veterum monumentis acerrimum Belleyum, cum adserit, apud Sardianos imperante Tiberio et Trajano proconsulem Asiae, deinceps archontem vel strategum fuisse

a) De Decret. Athen. c. VIII. b) in Demetr. p. 893. c) p. 911. d) de benefic. L. III. e) Misc. p. 369.

eponymos [a]). Credo, virum eruditum, ut sic sentiret, eo fuisse impulsum, quod cum compluribus aliis crediderat, particulam ΕΠΙ magistratuum nominibus praepositam certum esse magistratus eponymi indicium. Quae quidem lex quam sit fallax, necesse est, nonnihil copiosius comprobare. Dubium non est, magistratui eponymo fuisse praefixum ΕΠΙ; nam passim reperias apud Diodorum, aliosque, factum hoc illudve fuisse v. g. ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνησι Ξανθίππου, *archonte Athenis Xanthippo.* At certum est etiam, non solis eponymis eam fuisse praefixam. Dixi supra, magistratum, qui annum nomine signaret, esse debuisse annuum. Tamen videmus praefixum ΕΠΙ etiam iis, qui annui non fuere, neque adeo eponymi esse poterant. Obvia sunt in numis Antiochiae Syriae: ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. — ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. etc. quae sunt nomina legatorum Augusti propraetore, qui eponymi esse non poterant, quia eorum in Syria annuum imperium non fuit, quin constat etiam ex adscriptis epochae annis, Varum et Silanum Syriae in III. annum praefuisse. In numis Hicetae Syracusarum tyranni legitur: ΕΠΙ. ΙΚΕΤΑ. Atqui eponymus hic esse non potuit, cum quod IX. annis imperium Syracusis obtinuit, tum quod ejus aetate magistratum eponymum in hac urbe fuisse amphipolum supra ex Diodoro vidimus. Saepe Asiarchis quoque praeponitur ΕΠΙ. ut: ΕΠΙ. ΤΕΡΤΙΟΥ. ΑCΙΑΡΧΟΥ.; verum hi proprie eponymi esse non poterant, quia eorum munus tantum fuit, praeesse festis ac ludis communi provinciae Asiae nomine agi solitis, neque ad eos privata civitatum negotia pertinuere, de quarum tamen magistratu eponymo fere tantum quaeritur. Sane quo tempore maxime in Asia valebant Asiarchae, Pergameni et Smyrnaei, utrique in eadem Asia siti, proprios suos habuere eponymos, illi prytanes, hi stephanephoros, ut diximus. Enimvero jam Vandalio [b]), et Cupero [c]) non satis verisimile visum, agonothetas, panegyriarchas, Asiarchas etc. causa horum munerum fuisse magistratus eponymos. At cum praefixum saepe his dignitatibus ΕΠΙ viderunt, quod illis item significare magistratum eponymum videbatur, suspicati sunt, omissa in numis nomina ἄρχοντος, vel στρατηγοῦ, quae munera eponyma tum hi ipsi agonothetae, Asiarchae etc. una obivere. Disertius istud Vandalius alio loco docet [d]). Agens enim de numo: ЄΠΙ. CΤρατηγοῦ ΔΑΜ. ΑCΙΑΡ., addit: *Quo satis clare indicatur, Damam istum ἐπώνυμον quidem fuisse, quatenus erat στρατηγός, sed non quatenus Asiarcha.* Mox infra recitato numo Smyrnaeorum cum epigraphe: ΕΠ. ΠΟΛΛΙ. ΑΝΘΥπάτου., Pollionem hunc, inquit, dum esset Asiae proconsul, simul honoris causa Smyrnaeorum fuisse στρατηγόν. Neque enim sibi dedecori duxisse proconsules, si una essent summus civitatum magistratus, cum et Hadrianus jam Augustus tamen archon Atheniensium esse voluerit. His ergo argumentis viri eruditi eponymum suum ΕΠΙ conati sunt stabilire. At enim si vera haec sunt, necesse etiam erit statuere, omnes Syriae legatos, nullo

a) B. L. Tom. XVIII. Mem. p. 152. b) diss. VII. c. 2. p. m. 548. c) Lettres. p. 493. d) l. c. p. m. 564.

dempto, Varum, Saturninum, Silanum, Flaccum, Petronium etc. fuisse praeterea eponymos Antiochiae, quin et Agrippam II. regem ex Herodis progenie fuisse provinciarum suarum eponymum, quia hi omnes sibi vocabulum ΕΠΙ praefixere, quin et anno vertente et deinceps iterum electos, quia per sequentes etiam annos, quibus provinciam administrabant, eadem in numis formula sunt usi. Quod si etiam velimus permittere, cur his Syriae legatis, vel alibi proconsulibus, v. g. Bithyniae, ne semel quidem additam legimus dignitatem eponymam, quam honoris causa suscepere? Fuere Augustus, Agrippa, Tiberius Quinquennales Coloniae Celsae Tarraconensis, Nero et Drusus Caesares IIviri Caesaraugustae, Iuba II. et Ptolemaeus reges Mauretaniae IIviri Carthaginis Novae, atque hunc magistratum etiam eorum numis inscriptum legimus. Quaeritur item, si legati hi, vel proconsules honoris causa civilem in urbibus magistratum gessere, cur ne semel quidem in numis sit mentio, fuisse eum iterum vel tertium susceptum, cum tamen de Trajano, qui summum Byzantii magistratum obire non infra se putavit, praedicetur in numis: ΕΠΙ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. ΚΑΙ. ΤΟ. Β. vel ΤΟ. Γ. *Sub Trajano Caesare iterum*, vel *tertium?*

Ex quo satis apparet, praefixum ΕΠΙ non modo magistratum eponymum, sed quemcunque alium, sive annuum, sive quantivis temporis, item sive publicum civitatis, sive privatum synodi vel collegii significare, et hercle incassum nos laborare, cum ex quovis magistratu sic enunciato, Asiarcha, neocoro, sacerdote, agonotheta, prytane, quaestore, tum proconsulibus, propraetoribus, procuratoribus, volumus eponymos extundere. Etenim tam varii generis magistratus saepe videmus unius ejusdemque civitatis numis inscriptos, ut jam ex hac ipsa causa incredibile videatur, eos omnes in eponymorum fuisse numero. Exemplo sint magistratus Byzantii. Horum unus est v. g. ΕΠΙ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. ΚΑΙ. quem collatis numis aliis haud dubium est fuisse urbis archontem, et quidem magistratum eponymum. Alius: ΕΠΙ. ΘΕΑϹ. ΦΑΥϹΤΕΙΝΗϹ. An Faustinam feminam urbis archontem dabimus? Alius: ΕΠΙ. ΑΡ. ΔΙΟΝΥϹΟΥ. ΤΟ. Β. ΚΑΙ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΑϹ. En tibi cum urbis archonte conjunctam feminam. Alius, quem offert decretum Byzantiorum apud Demosthenem a): Επι ἱερομναμονος Βοσποριχω. En hieromnemonem, magistratum sacerdotem. Omnes hi, ut vides, praefigunt ΕΠΙ, an vero etiam omnes eponymi? Multo major, molestiorque in Smyrnae numis varietas, quam, ne longior sim, hic non repeto. Non dubitavit Pellerinius, qui de Smyrnaeorum magistratu eponymo late disserit b), adserere, hujus civitatis eponymum fuisse strategum, eos vero nulla auctoritate niti, qui ejus sacerdotibus hunc honorem tribuerunt. Ergo nulla est Philostrati supra citati auctoritas, qui stephanephoros, id est: sacerdotes, eponymum Smyrnae magi-

a) Orat. de coron. b) Rec. II. p. 85.

stratum gessisse testatur? At vero idem Pellerinius, qui, ut dixi, strategum Smyrnae eponymum ex praefixo ΕΠΙ agnoscit, qua ratione explicabit numum Smyrnaeorum obvium: ΕΠΙ. ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ. ΙЄΡΩΝΥΜΟΥ. et in aversa: CΤΡΑ. ΤΙ. ΚΛ. CΩCΑΝΔΡΟC.? in quo το ΕΠΙ ademptum stratego eponymo, tribuitur alteri non eponymo. Accedit, saepe legi in Smyrnae numis: CΤΡΑΤΗΓΟC. ΚΛΑΡΟC. vel, CΤΡΑΤΗΓΟC. ЄΡΜΟC., atque adeo strategum sine ΕΠΙ, et eponymum tamen. In similes laqueos cum se implicatum videret, nequaquam ille quidem difficilis, quae antea fastidiverat, coepit appetere, cum sanciret, fuisse tempus, quando strategi Smyrnae non fuerunt eponymi, sed sacerdotes, stephanephori, proconsules, et quivis alii. Adeo necesse est vacillare substructionem iniquo fundamento impositam.

Quapropter cum certi jam simus, particulam ΕΠΙ ad alios etiam magistratus non eponymos valuisse, indagandum restat, quid ea his adjecta notaverit. Ac primum quidem dubium non est, eam adhibitam ad indicandum non quidem annum, sed tempus, quo quis vel provinciae, vel civitati, vel privatae etiam communitati praefuit, etsi plures illud annos complexum est. Cum ergo legimus in numis Syracusarum: ΕΠΙ. ΙΚΕΤΑ., intelligendum, eos signatos tum, cum Hicetas eam civitatem non magistratus more, sed arrepto violenter imperio rexit. Idem existima de numis regis Agrippae II. inscriptis ΕΠΙ. ΒΑ. ΑΓΡΙ. Legimus apud Lucam [a]): *Εν ἐτει δε πεντεκαιδεκατῳ της ἡγεμονιας Τιβεριȣ Καισαρος, ἡγεμονευοντος Ποντιȣ Πιλατȣ της Ιȣδαιας, και τετραρχȣντος της Γαλιλαιας Ηρωδȣ, Φιλιππȣ δε τȣ ἀδελφȣ ἀυτȣ τετραρχȣντος της Ιτȣραιας και Τραχωνιτιδος χωρας, και Λυσανιȣ της Αβιληνης τετραρχȣντος, ἐπ᾽ ἀρχιερεων Αννα και Καϊαφα.* Attuli hoc exemplum, ut appareat, non raro a scriptoribus tempus aliquod jam propius, jam laxius, mentione virorum variae dignitatis, nulla magistratus eponymi mentione, fuisse definitum. Iam enim primum Tiberius Caesar eponymus non fuit, neque Pontius Pilatus, qui pluribus annis Iudaeam procuravit, neque aut Herodes Galilaeae tetrarcha, aut frater ejus Philippus tetrarcha Ituraeae et Trachonitidis, aut Lysanias tetrarcha Abilenes. Neque vero etiam eponymi fuere summi pontifices Annas et Caiphas, etsi ΕΠΙ illis praeponatur; non enim uterque fuit ejusdem anni pontifex, neque summi Iudaeorum pontifices annui, cum et ipse hic Caiphas saltem decennio pontificatum gesserit, de quo vide Tillemontium [b]). Eodem modo cum proconsulum, propraetorum, procuratorum nomina monetae urbium inscribuntur, aliud istud non significat, quam numos hos signatos fuisse tum, cum hi provinciae praeessent, ac plerumque istud non alia de causa factum videtur, quam causa officiosae in praefectos suos observantiae, quam ut impensius demonstrarent Bithyni, proconsules suos in numis saepe patronos dixerunt. Et satisfacere aeque officio suo visi sibi sunt Graeci, sive illud ΕΠΙ adderent, sive dissimularent. In multis sane procon-

a) c. 3. v. 1. b) Hist. T. I. p. 744.

sul legitur in recto, ut: Γ. ΚΑΔΙΟΣ. ΡΟΥΦΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ., in aliis in gignendi casu, ut: ΑΝΘΥ. ΦΡΟΝΤΕΙΝΟΥ., in aliis in dandi casu, et formula quadam votiva, ut: ΑΝΘΥ. ΕΠΡΙΩ. ΜΑΡΚΕΛΛΩ. Ceterum non negavero, factum aliquoties, ut proconsulatus quodammodo eponymus esset. Smithius [a]) Peyssonnelius [b]) et Muratorius [c]) exhibent marmor, quo praecone Fabius Zosimus monumentum sibi et uxori fecit. Additur in fine: ταυτης επιγραφης επεγραφη απλα δυω, ὧν το ἑτερον ἐτεθη ἐις το ἀρχειον ἐν τῃ λαμπροτατῃ Θυατειρηνων πολει ΑΝΘΥΠΑΤΩ ΚΑΤΙΛΛΙΩ ΣΕΒΗΡΩ ΜΗΝΟΣ ΑΥΔΙΝΑΙΟΥ ΤΡΙΣ ΚΑΙ ΔΕΚΑΤΗ ΥΠΟ ΜΕΝΟΦΙΛΟΝ ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ ΔΗΜΟΣΙΟΝ. *Hujus inscriptionis confecta sunt exemplaria duo, quorum alterum inlatum est in tabularium, quod est in splendidissima Thyatirenorum civitate, proconsule Catillio Severo mensis Audinaei die XIII. sub Menophilo Iuliani F. ministro publico.* In alio simili apud Peyssonnel [d]): της ἐπιγραφης ἀντιγραφον ἐτεθη ἐις το ἀρχειον ΑΝΘΥΠΑΤΩ ΓΕΝΤΙΑΝΩ ΛΟΛΛΙΑΝΩ - - - ΑΠΕΛΛΑΙΟΥ - - - ΥΠΟ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ ΚΑΙ ΚΟΝ - - - *Hujus inscriptionis exemplar inlatum est in tabularium proconsule Gentiano Lolliano - - - mensis Apellaei - - - sub Alexandro et Con - - -* Verum satis apparet, laxam fuisse hanc eponymiam, et quae ad causam privatam sufficere poterat, cum, ut diximus, proconsulum in provinciis regimen annum saepe excesserit.

Deinde poterat vocabulum ΕΠΙ a magistratibus non eponymis adhiberi ad causas, quae ab eorum jurisdictione pendebant. Constat enim, in civitatibus praeter summum magistratum, v. g. archontem, fuisse minores alios, ut strategos, quales fuere Athenis, summum pontificem, vel regem sacrorum, quaestorem, scribam, gymnasiarcham etc. vel qui sacris totius provinciae praeerant, ut Asiae, Ioniae, Bithyniae, Galatiae etc. Hi ergo edicta in his, quae ad se pertinuere, proponere poterant, quae vim legis haberent, qualia et Romae fuerunt non consulum modo, sed et praetorum, aedilium, tribunorum plebis, et tum sua quoque praefigere nomina. Quare etiam, cum legimus in numis: ΕΠΙ. ΤΕΡΤΙΟΥ. ΑCΙΑΡΧΟΥ, istud significabit, monetam hanc signatam fuisse curante Tertio ad faciendos sumptus, quos pro Asiarchae munere in festorum ludorumque procurationem fieri oportuit. Vide, quae ad hoc argumentum faciunt, nonnulla alia supra capite de archontibus etc. Atque propterea neque obsto etiam, si quis varios hos magistratus velit dicere eponymos, sed jurisdictionis tantum suae, quod jam etiam Vandalium, etsi in transcursu, video attigisse, cum ait [e]): *licet minime dubitem, in fastis communium Asiae ludorum Asiarchas, ut eatenus* ἐπωνυμους, *fuisse signatos.* At enim mihi initio propositum fuit agere de eponymis totius civitatis, quales fuere Athenis archon, Romae consules, Carthagine suffetes.

a) Notit. 7. eccles. p. 18. b) Voyage p. 278. c) pag. 2052. 1. d) pag. 282.
e) Diss. VII. c. 2. p. m. 564.

Ex his manifestum est, quam sit difficile veros civitatum eponymos sive ex numis, sive marmoribus eruere. Sed neque scriptores huc multum conferunt, qui raro de his tam evidenter sunt locuti, quam de Syracusanis loco supra laudato Diodorus. Paullatim urbes Graecae annos Romanorum more consulibus definire coeperunt, docentibus istud marmoribus. Aliae aera sua usae sunt. Atque hunc morem tempora sive eponymis, sive aerae annis notandi Iustiniano adhuc imperante in nonnullis urbibus obtinuisse, docet novella XLVII., qua permissum quidem adscribere actis publicis *το της πολεως πασι τροποις ετος*, *annum, quocunque is modo ab urbibus notari consuevit*, sed imperatum praeterea, ut adderent annum imperantis, consules, indictionem, mensem et diem.

CAPVT III.

DE VRBIBVS AVTONOMIS, LIBERIS, ET IMMVNIBVS.

En tibi urbium his titulis insignium catalogum:

Vrbes Autonomae.

Abila Leucas Decapoleos, A.
Aegae Ciliciae, AYTONOMOY.
Anazarbus Ciliciae, AYTONOMOC.
Antiochia Syriae, AYTONOMOY.
Apamea Syriae, AYTONOMOY.
Arethusa Syriae, AYTONOMOY.
Capitolias Coelesyriae, A. vel AY.
Corycus Ciliciae, AYTONOMOY.
Diocaesarea Galilaeae, AYTO.
Dora Phoeniciae, AYT.
Gadara Decapoleos, A. —
Halicarnassus Cariae, AYTONOMΩN. ex numo dubio.
Laodicea Syriae, AYTONOMOY.
Moca Arabiae, AYTO.
Mopsus Ciliciae, AYTONOMOY.
Samosata Commagenes, AYTON.
Sebaste Ciliciae, AYTON.
Seleucia Syriae, AY. AYTONOMOY.
Termessus Pisidiae, AYTONMΩN.
Tripolis Phoeniciae, AYTONOMOY.
Tyana Cappadociae, AYTONOMOY.

Vrbes Liberae.

Amisus Ponti, ЄΛЄΤΘЄΡΑC.

Chersonnesus Taurica, ΕΛΕΤΘΕΡΑΣ.

Hippo Zeugitanae, LIBERA.

Rhodus insula, ΕΛΕΤΘ.

Sebaste Ciliciae, ЄΛЄΤΘЄΡΑ.

Seleucia Ciliciae, ЄΛЄΤΘЄΡΑC.

Tarsus Ciliciae, ЄΛЄΤΘ.

Thessalonica Macedoniae, ΘЄCCΑΛΟΝΙΚЄΩΝ. ЄΛЄΤΘЄΡΙΑC.

Vrbes immunes.

Alabanda Cariae, ΑΤЄΛЄΙΑC. ΑΛΑΒΑΝΔЄΩΝ.

* * *

Ἀυτονομος urbs populusve est, qui sui juris, legibus apud se natis, aut sponte receptis, non a tyranno, aut externo quodam imperio per vim latis utitur. Caruit lingua Latina vocabulo, quod ἀυτονομȣ potentiam exprimeret. Ergo circumscriptione opus fuit, dictumque passim: *legibus, judiciis suis uti*, aut similiter, quam ut evaderet, non est veritus Tullius ipse peregrinum ἀυτονομιας nomen arcessere. Sic scribens ad Atticum a) *Graeci*, inquit, *tamen se ἀυτονομιαν adeptos putant.* Paullo infra b) alter exstat insignis locus, qui praeterea ἀυτονομιας naturam explicat: omnes civitates *suis legibus et judiciis usae*, ἀυτονομιαν *adeptae revixerunt.*

Ἐλευθερα urbs populusve fuit Graecis, quod Latinis urbs populusve *liber.* Ἐλευθερια, *libertati*, opponitur δȣλεια, *servitus.* Livius c): *ut omnibus gentibus appareret, arma P. R. non* liberis servitutem, *sed contra* servientibus libertatem *adferre.* Augustus teste Dione d) Cyzicenos, Tyrios, Sidonios antea liberos, sed variorum criminum reos in servitutem redegit, (ἐδȣλωσατο.) At habuit haec urbium libertas suos gradus. Dictae fuerunt liberae, quando, ut est apud Xenophontem e), hominum neminem pro domino, sed solos deos adoravere. Sed fuere etiam dictae liberae, accisa jam, multumque imminuta libertate. Apud Livium f) Macedonibus et Illyriis post victos eorum reges Persea et Gentium magnificis verbis libertatem Romani impertivere, etsi dimidium tributi pendere juberentur. Quin adeo dictae etiam liberae, cum praeter libertatis nomen et umbram nihil relictum esset, quando, ut uno exemplo utar, ipsos etiam reges intra imperii R. fines constitutos, specie liberos certe suique juris, non dubitavit Tacitus *inservientium* nomine dedecorare g).

Quod ad utriusque vocabuli usum attinet, certum est, consultis Herodoto, Thucdyide, Xenophonte, aliisque omnibus, fuisse eum promiscuum, et nullo utrumque discrimine adhiberi solitum, ut adeo, cum urbem quampiam sive ἀυτονομον sive ἐλευθεραν dicerent, significarent semper urbem sui plene juris, nulliusque imperio obedientem. At enim fueritne eadem adhuc utriusque vocabuli significatio ea aetate, qua Romani rerum potiebantur, et qua constat non paucas alias verborum significationes

a) L. VI. ep. 1. b) ibid. ep. 2. c) L. XLV. 18. d) L. LIV. §. 7. e) de exped. Cyri L. III. f) l. c. g) Hist. II. c. 81.

immutatas, et aliorsum derivatas, haud perinde certum. Ratio dubitandi est, quia videmus non raro tam in numis marmoribusque, quam apud scriptores veteres, civitates alias seorsim dici αὐτονομȣς, *legibus suis viventes*, alias ἐλευθερας, *liberas*, et quod amplius est, utrumque istud elogium uni eidemque civitati in eodem monumento, vel ab eodem scriptore tribui; ex quo sequitur, diversum fuisse utriusque valorem, nisi velimus utrumque otiose conjunctum existimare. Sic Sebaste, insula Ciliciae adjacens, dicitur in numis ΑΥΤΟΝομος ЄΛЄΥΘЄΡΑ. Mopsus Ciliciae in noto marmore Gruteriano ΕΛΕΥΘΕΡΑ - - - ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ. Eodem modo passim apud auctores, permissam populis victis ἐλευθεριαν και αὐτονομιαν, et obvium apud scriptores Latinos: *in libertate essent, ac legibus suis uterentur*, et similia.

Si ergo, quod sequi inde videtur, distincta fuit utriusque ratio, quaeritur, quid utroque nomine intellectum veteribus. Variae, ut in re incerta, vulgatae sententiae. Spanhemius in suo de praestantia numorum opere [a]) et subinde multo disertius in praeclaro suo libro, qui *Orbis Romanus* inscribitur, (Exercitat. II. inde a cap. IX. usque ad XVI.) nullum fere inter utrumque discrimen agnoscit. Ejus mentem ex binis Orbis R. locis plane intelliges. *Liberae*, inquit [b]) *gentes a Romanis dictae, quae vel bello victae, vel eorum opera alienae dominationis, cui antea subjacebant, jugo exemptae, aut ob aliquod earum meritum in P. R. vel ob cognationem, sicut Ilienses, suarum legum, patrii magistratus, regionis etiam sive agrorum libertatem a Romanis consequebantur, quae singula tribus hisce vocibus complectuntur Graeci auctores: νομȣς, πολιτειαν, vel πολιτευμα, et χωραν.* Et infra [c]): *Erat enim haec autonomia vel praecipua pars libertatis earum urbium, quae ceteroquin erant in Romanorum fide, in eo quippe sita, ut eaedem suis legibus uterentur, proprios crearent magistratus, a quibus nempe jus iis, non a Romanis rectoribus diceretur, agrosque suos praeterea vel oppida, quae erant in eorum ditione, retinerent, a Romanorum vero praesidiis essent vulgo immunes etc.* Cum Spanhemio fere consentit Abbas Guasco [d]). Secundum Vaillantium [e]) autonomis urbibus legibus suis uti permissum erat, sed erant vectigales; at ἐλευθεραι dicebantur, quae nullum omnino vectigal penderent. Contra Scipio Maffejus censuit [f]), autonomas urbes esse, quae legibus suis uterentur, at liberas, quae a praesidis R. jurisdictione essent immunes. Postremus eruditus Belleyus refutatis omnibus his sententiis suam propinat, cujus summa est [g]): Constat, urbes non paucas praeter αὐτονομιαν, seu jus legibus suis vivendi, adeptas etiam ἀτελειαν, seu immunitatem a tributis et vectigalibus. Existimat igitur, hanc autonomiam una cum dicta immunitate constituisse illud, quod Graeci ἐλευθεριαν dixere; quo quidem privilegio verum conficitur discri-

---

a) Tom. I. p. 674. b) p. m. 205. c) pag. 219. d) Saggi Cort. T. V. dissert. IV. e) Num. Graec. p. 214. f) Veron. illustr. L. III. p. 46. g) Mem. B. L. T. XXXVII. p. 419.

men inter urbes tantum αὐτονομȣς et ἐλευθερας; hae enim posteriores super jus αὐτονομιας gavisae sunt etiam immunitate a tributis. Vnde sequitur, omnes urbes ἐλευθερας fuisse etiam αὐτονομȣς, at non vicissim; nam ἐλευθερια continebat omnia αὐτονομιας jura, videlicet jus suisse legibus gubernandi, et suos magistratus judicesque eligendi, et insuper eam, quam dixi, immunitatem. Quod quidem, inquit, discrimen minus ex scriptoribus Latinis elucet; nam cum hi certis vocabulis destituerentur, quibus αὐτονομιαν et ἐλευθεριαν designarent, et ad utrumque designandum vocabulo *libertas* uterentur, necesse fuit, non raro ambigui sensus orationem enasci. Sententias singulas paucis expendamus.

Dilato interim Spanhemii judicio, id quod sanxit Vaillantius, admitti nequit. Copiosis enim veterum testimoniis probari potest, urbem, quae fuit ἐλευθερα, non continuo fuisse immunem a pendendis vectigalibus. Disertis enim verbis inter utrumque distinxere veteres. Secundum Appianum a) Antonius IIIvir Λυκιȣς μεν ἀτελεις φορων ἀφιεις, *Lycios immunitate a tributis donavit*, et mox infra: Λαοδικεας δε και Ταρσεας ἐλευθερȣς ἠφιει και ἀτελεις φορων, *Laodicenses vero et Tarsenses libertate et immunitate donavit.* Teste Livio b) jussit populus R. *Illyrios esse liberos*, additque continuo, *non solum liberos, sed etiam immunes fore Issenses et Taulantios etc.* quo quidem testimonio nihil potest esse evidentius. Oracula alia idem comprobantia infra proferentur. Neque secundum omnes causas valere potest opinio Maffei, urbes liberas a praesidis R. jurisdictione fuisse eximias adserentis. Maximum hujus sententiae patronis momentum positum est in verbis Strabonis agentis de Massiliensibus Galliae, quibus, inquit c), Romani την αὐτονομιαν ἐφυλαξαν, ἡν ἐξαρχης εἰχεν ἡ πολις, ὡςε μη ὑπακȣειν των εἰς την ὑπαρχιαν πεμπομενων ςρατηγων, *autonomiam conservavere, qua olim gavisa est urbs, ut neque morem gerere teneantur missis in provinciam rectoribus.* At vero idem hoc testimonium propterea favere non potest Maffejo, quod causa αὐτονομιας, non, quod probandum susceperat, causa ἐλευθεριας Massilienses a praesidum imperio exemptos diserte dixit Strabo. Majus in Ciceronis oraculo pondus, qui, dum in Pisonem Macedoniae procos. invehitur, inter alia ejus per vim facta commemorat etiam: *omitto jurisdictionem in libera civitate* (Byzantio) *contra leges senatusque consulta* d). At vero si in liberam civitatem nullum fuit proconsuli jus, quo pacto licuit Plinio Trajani legato eorundem Byzantiorum nimios sumptus auctoritate sua compescere, ut docuit ipse data ad Trajanum epistola e), et adprobante istud Trajano optimo? Quod si cui non adrideret hoc Byzantiorum exemplum, quia, etsi adhuc a Plinio seniore liberae fuisse conditionis dicuntur, sub Vespasiano feruntur amisisse libertatem, ut dixi in eorum numis, passim tamen legas in

a) Bell. civ. L. V. c. 7. b) L. XLV. c. 27. c) L. IV. p. m. 274. d) de prov. cons. §. 3. e) L. X. ep. 52.

ejusdem Plinii epistolis, quam etiam minima in aliis liberis civitatibus aequissimus cetera hic vir ad se pertinere existimaverit. Non ausi sunt Amiseni, liberi certe et foederati, sine auctoritate proconsulis constituere apud se eranos, seu collationem pecuniae ad sustinendam tenuiorum inopiam a).

Sequitur sententia Belleyi, quam sane facile est contrariis argumentis penitus evertere. Ait: ἐλευθεριαν urbibus concessam bina privilegia complexam, ἀυτονομιαν, seu jus legibus suis vivendi, et ἀτελειαν, seu immunitatem a tributis, atque in hoc niti discrimen inter urbes tantum ἀυτονομους et ἐλευθερας. Antequam istud impugno, inquirendum puto, fueritne Latinis vocabulo *Libertatis* idem intellectum, quod Graecis vocabulo Ἐλευθεριας, quod, ut dixi, in causae suae patrocinium negat Belleyus. Eundem utriusque fuisse valorem, multis potest exemplis demonstrari. Secundum Polybium b) *Senatus R. et T. Quinctius imperator Philippo rege et Macedonibus devictis* ἀφιασιν ΕΛΕΥΘΕΡΟΥΣ, ἀφρουρητους, ἀφορολογητους, νομοις χρωμενους ταις πατριοις Κορινθιους, Φωκεας etc. *permittunt LIBEROS, sine praesidio, immunes, patriis esse legibus Corinthios, Phocenses etc.* Iisdem verbis rem narrat Plutarchus c). Livius, qui ut alias, sic et hoc loco Polybium Latine reddidit, his verbis idem S. C. refert d): *Senatus R. et T. Quinctius imperator Philippo rege Macedonibusque devictis, LIBEROS, immunes, suis legibus esse jubent Corinthios, Phocenses etc.* Quis facile negaverit, Livium in reddenda senatus consulti formula, quo in genere reddendo omnes solent verborum apices magna cautione expendi, dum vocabulum ἐλευθερους reddit *liberos*, usum fuisse vocabulo maxime proprio, et idem plane significante? Alibi idem Livius victo captoque Perseo narrat adlatum Roma decretum, *quo omnium LIBEROS esse placebat Macedonas* e). Idem narrans Plutarchus ait: Μακεδοσι μεν ἀπεδωκε την χωραν και τας πολεις ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ οἰκειν και ἀυτονομους, *Macedonibus permisit regionem et urbes LIBERAS legibusque suis utentes* f). In numis Amisi Ponti legitur: AMICOY. ЄΛЄΥΘЄΡΑϹ. et apposite ad Graecum hoc elogium Plinius in laudata supra epistola: *Amisenorum civitas LIBERA.*

Constituto igitur, Latinis idem fuisse *liberum*, quod Graecis ἐλευθερον, inquirendum jam, utrum libertas civitatibus data, sive ἐλευθερια, complexa sit etiam immunitatem a tributis, sive ἀτελειαν. Contrarium plane docent auctores cum Graeci tum Latini. En aliquot exempla: Iosephus loquens de incolis tractus cujusdam Bataneae: παρ᾽ ὧν, inquit, Ῥωμαιοι δεξαμενοι την ἀρχην, του μεν ἘΛΕΥΘΕΡΟΥ και ἀυτοι τηρουσι την ἀξιωσιν, ἐπιβολαις δε των φορων ἐις το παμπαν ἐπιεσαν ἀυτους, *a quibus* (utroque Agrippa) *Romani cum accepissent principatum, LIBERTATIS dignitatem etiam illis conservarunt, sed auctis continue tributis in universum eos oppresserunt* g). Si oppressi tributis, quomodo in Belleyi sententia conservata του ἐλευθερου dignitas? Appianus, quo loco nar-

a) L. X. ep. 93. b) exc. leg. IX. c) in T. Quint. p. m. 374. d) L. XXXIII. c. 32.
e) L. XLV. c. 18. f) in Aemil. Paullo p. m. 270. g) Ant. L. XVII. c. 2. §. 2.

rat varia civitatibus Graecis a M. Antonio concessa beneficia, Λυκιυς μεν, ait, ἀτελεις φορων ἀφιεις, *Lyciis immunitatem a tributis concessit*, et mox infra: Λαοδικεας δε και Ταρσεας ἐλευθερυς ἠφιει και ἀτελεις φορων, *Loodicenses vero et Tarsenses liberos esse jussit et immunes* [a]). Quid necesse fuerat addere immunitatem, si haec jam in libertate inclusa fuit? Eodem exemplo Livius enarrans, quae finito bello Gentii Illyriis evenere, *senatum*, inquit, *populumque R. Illyrios esse liberos jubere, praesidia ex omnibus oppidis, arcibus, et castellis sese deducturum. NON SOLVM LIBEROS, SED ETIAM IMMVNES fore Issenses et Taulantios etc.* [b]). Est hic locus classicus; manifeste enim distinguit inter *liberum* et *immune*, cumque Illyrios minore beneficio *liberos* tantum appellatos dixisset, addit, Issensibus largiore beneficio praeter libertatem accessisse etiam immunitatem, nimirum quod, ut continuo subjicit, incolumi Gentio ad Romanos defecissent. Ergo immunitas sub libertate comprehensa non fuit, neque adeo, qui liber, ἐλευθερος, etiam immunis, ἀτελης fuit. Victo Philippo jussere Romani, Corinthios, Phocenses, etc. esse ἐλευθερυς ἀφορολογητυς, *liberos immunes*. Testimonia integra tam Graeca, quam Latina paullo supra recitavi. At non sic actum cum Macedonibus victo Perseo; nam hi secundum adducta mox Livii et Plutarchi oracula tantum promulgati fuere ἐλευθεροι, non vero etiam ἀτελεις, quia, ut fine ejusdem capitis refert Livius, jussi fuere, *dimidium tributi, quam quod regibus ferre soliti erant, populo R. pendere*, cum quo conspirat etiam Plutarchus loco, quem indicavimus. Nolo cumulare infinita alia exempla permissae ἐλευθεριας una cum ἀτελεια, cum jam ab allatis exemplis satis superque eluceat, hanc sub illa non fuisse intellectam, et utrumque privilegium valoris multum diversi exstitisse, et quod suapte sequitur, dictatum a Belleyo discrimen ἀυτονομιαν inter et ἐλευθεριαν locum habere nequit.

At quid tandem inter utrumque hunc titulum interest? Credo, verum utriusque discrimen ne ipsis quidem veteribus satis fuisse exploratum, aut si fuit, sic utriusque confusos fuisse fines, ut satis dignosci ac definiri non possent. Quo factum, ut ne ipse quidem magnus Spanhemius exitum ex hoc labyrintho reperiret, et passim ἀυτονομιαν cum ἐλευθερια confunderet. Atqui erat is vir, qui propter incredibilem eruditionem, et quod juri publico R. liberalem operam impenderat, prae multis aliis fuit idoneus, qui verum reperiret, siquidem reperiri posset. Monui principio, jam a vetustissimis Graecis utrumque vocabulum promiscue fuisse adhibitum, atque etiam sequioris aevi Graecis perinde habitum, hoc, illove modo permissa sibi jura enunciarent. Quin reperio, Graecas civitates, quas certa fide constat, fuisse ἐλευθερας, non raro in monumentis publicis ἀυτονομυς sese tantum appellâsse. Teste Plinio seniore liberae fuerunt Antiochia Syriae, Aegae et Mopsus Ciliciae, et tamen

a) De Bell. civ. L. V. c. 7. b) L. XLV. c. 26.

in numis *ἀυτονομȣς* se tantum profitentur. Termessenses Pisidiae, qui in celebri tabula aenea, quae exstat apud Muratorium [a]), ex populi R. sententia dicuntur *liberi*, *amicei*, *socieique populei Romani*, *eique legibus sueis ita utunto etc.* ii inquam Termessenses solo AΥΤΟΝΟΜΩΝ titulo in moneta sua contenti sunt. Quin et ipse Cicero, qui, quod quaestor in Sicilia fuit, et provinciam Ciliciam partemque Phrygiae proconsule administravit, omnes juris apices nosse debuit, parem utrique privilegio efficaciam non obscure tribuit. Inter alia enim, quae de sua provinciae administratione ad Atticum perscripserat, refert etiam [b]): *multaque secutus sum Scaevolae, in iis illud, in quo sibi libertatem censent Graeci datam, ut Graeci inter se disceptent suis legibus.* Idem paullo infra: *Graeci vero exultant, quod peregrinis judicibus* (id est: propriis suis) *utuntur. Nugatoribus quidem inquies. Quid refert? tamen ἀυτονομιαν adeptos putant.* Idem alibi [c]): *Ita multae* (civitates) *omni aere alieno liberatae, multae valde levatae sunt, omnes suis legibus et judiciis usae, ἀυτονομιαν adeptae revixerunt.* Ergo quam efficaciam vir consularis priore loco largitur libertati, eandem in binis sequentibus tribuit autonomiae. Enimvero facile credo est divinare, cur tam vaga et fluctuantia fuerint utriusque beneficii jura. Nimirum jactata haec Graecarum urbium sive autonomia sive libertas umbratilis potius fuit et scenica, quam res veri solidique emolumenti, aut honoris. Neque enim valuit, quod *lege Caesaris justissima atque optima* cautum fuisse testatur Cicero [d]), *ut populi liberi PLANE et VERE essent liberi*, verum ita cum iis actum plerumque reperimus, ut non multum abessent a servitute. Verba Ciceronis in locis mox adductis, cum ait: *in quo sibi libertatem* censent *Graeci datam*, et cum Graecos judices *nugatores* appellat, satis manifestant, non modo nihil solidum his privilegiis quaesitum, sed et plane ridendos sese Graecos iis tam ambitiose aucupandis praebuisse, atque etiam hac in causa insanum eorum ingenium, quod jam titulorum fastu et veteris laudis quadam imagine fere solum pascebatur, compertum. Sane cum Plinii ad Trajanum literas, hujusque rescripta percurrimus, mirabimur, populos potuisse dici aut *ἀυτονομȣς* aut *ἐλευθερȣς*, qui in levibus etiam causis nihil ausi sunt inconsulto proconsule sive suscipere, sive innovare. Atque hac conditione fuerunt gentes liberae imperante Trajano, imposito provinciae Plinio, quorum utrique, generis humani amantissimo, propositum semper fuit, populis jura, si qua habuere, integra atque illaesa praestare. Nemini jam in mentem venit inquirere, quid interfuerit inter dictatorem, consulem, proconsulem, quod horum varia potestas certa fuit, et certis legibus stabilita; ergo cum in reperiundo *ἀυτονομιας* et *ἐλευθεριας* discrimine tanto laboremus opere, necesse est confiteri, utriusque jura nullis certis fuisse finibus definita. Neque alia causa est, cur in aliis quoque explicandis juribus tantopere dissiderent eruditi, et

a) pag. 582. b) L. VI. ep. 1. c) ad Attic. L. VI. ep. 2. d) in Pison c. 16.

necdum satis explicatam habeamus rationem in definiendo, quae fuerint jura μητροπολεων, vel urbium πρωτων, vel ναυαρχιδων etc. atque ut ad Romana deflectamus, quibus fuerint finibus circumscripta jura coloniarum, municipiorum, aut urbium, quae Latio donatae fuere.

Ceterum dubitari non potest, cum urbes sese in monumentis publicis αυτονομυς jactant, hoc nomine non intelligi αυτονομιαν illam simplicem ac plane ordinariam, quam promiscue urbibus omnibus, simul atque in Romanorum ditionem transivere, fuisse permissam, vel ipsi numi affatim docent. Passim enim in moneta urbium infimi subsellii, et quae propter fortunae tenuitatem adspirare ad honores non potuissent, legimus perscripta nomina magistratus domestici, archontum, strategorum, scribarum, a quibus privatim regebantur, et a quibus anno quoque, tanquam a magistratu eponymo nomen dabatur, quibus ex marmoribus adde cosmos, et protocosmos notum urbium Creticarum magistratum. Huc pertinent communia civitatum concilia, BOΥΛΗ, ΔΗΜΟC, ΓЄΡΟΥCΙΑ, obvia in numis provinciae Asiae, KOINOBOΥΛΙΟΝ in numis Tarsi et Anazarbi Ciliciae, in quibus actae causae, quae ad se unas pertinuere. Nemo non videt, hujus generis non fuisse αυτονομιαν illam, quam in monumentis publicis tam superbe jactabant urbes, et quam, quod saltem de Antiochia Syriae constat, magna pecuniae vi a Romanis redemere. Atqui de hac altera et illustriore autonomia quaeritur, quid contulerit in urbes, quae illa donatae fuere, et quibus causis differat ab ἐλευθερια. Vtut erit, sive res distinctae fuerunt utrumque beneficium, sive eaedem diverso nomine, aut certe multum adfines, de quo, ut hactenus copiose dixi, difficile est arbitrari, dubitari nequit, certa quaedam civitatibus liberis permissa fuisse jura, quibus caruere urbes subjectae. Vt enim omittam usitatam orbis R. divisionem in provincias, regna, liberas civitates, aut secundum Graecos, in populos foederatos, amicos, socios, et in subjectos, de quo vide Spanhemium [a]), ex quo sane liquet, distinctum fuisse urbium liberarum statum, non desunt exempla, quae nos jurium concessorum partem edoceant. Iam supra adduxi testimonium, quo Pisoni exprobrat Cicero [b]): *Omitto jurisdictionem in libera civitate contra leges senatusque consulta.* En privilegium liberarum urbium senatus consulto munitum. Interroganti Plinio, utrum possint Amisenis liberis et foederatis permitti erani, de quibus jam egi supra, rescripsit Trajanus: *Amisenos, si legibus istorum, quibus de officio foederis utuntur, concessum est eranos habere, possumus, quo minus habeant, non impedire - - - in ceteris civitatibus, quae nostro jure obstrictae sunt, res hujusmodi prohibenda est* [c]). Permissum igitur urbi liberae, quod negatum servienti, quo modo Augustus quoque a Dione dicitur subjectos (το ὑπηκοον) ex legum R. praescripto composuisse, sed foederatis (τῳ ἐνσπονδῳ)

a) Orb. R. c. X. b) de prov. cons. c. 3. c) Plin. L. X. ep. 94.

permisisse uti majorum institutis [a]). Rursum interrogatus a Plinio Trajanus, utrum aedes Matris Magnae, quae fuit Nicomediae, salva religione possit in alium locum transferri, respondit: *solum peregrinae civitatis capax non esse dedicationis, quae fit nostro jure* [b]). Est vero *peregrina civitas*, quae legibus suis utitur. Sic loco supra indicato Tullius dixit *peregrinos judices*, nempe qui Graecis liberis jus dixere, et eodem sensu Graecos Bithynos, qui Nicomediae degebant, ξενȣς, *peregrinos*, dixit Dio Cassius [c]). Ergo liberae civitates in religionis quoque negotio suis permissae legibus. Similia exempla plura possent ex scriptoribus cumulari, ac praecipue ex laudato supra decreto senatus, quo varia privilegia accessere Termessensibus Pisidiae [d]), et quae alia supra ex Spanhemii judicio commemoravi, et commemorabuntur capite sequente, in quo de urbibus amicis et foederatis agetur. Etsi nequaquam mirum, civitates peregrinas sua qualicunque fuisse libertate gavisas, quando victos Italiae populos, atque ipsas etiam colonias Romanas suis relictas legibus, et similibus privilegiis fruitas legimus. De populis Italiae vide quae plura exempla adfert Spanhemius [e]). Ad colonias Romanas quod attinet, testatur de Nemauso Strabo, eam a praesidum R. jurisdictione fuisse immunem [f]). Patrensibus Achaiae colonis concessum ab Augusto, ut libertate sua uterentur [g]). Cum vellet Plinius cognoscere coloniae Apameae Bithyniae reditus et impendia, responsum est ab oppidanis, rationes suas nunquam esse lectas ab ullo proconsulum; habuisse privilegium, et vetustissimum morem, arbitrio suo remp. administrare [h]). Verum haec sive autonomia sive libertas quam fuerit plerumque precaria et elusa a dominis Romanis, cum ex adductis hactenus exemplis satis vidimus, tum ex responso Trajani ad praesentem Plinii epistolam abunde potest colligi, qua jubet proconsulem inspicere rationes Apamensium *salvis* tamen *quae habent privilegiis*. Interea qualiscunque haec fuit libertatis umbra, tamen etiam hac in communi verorum jurium jactura contenti fuere Graeculi titulorum avidissimi. Quapropter humanissimus Plinius Maximum in Achaiam reip. causa missum his verbis admonet: *Habe ante oculos, - - - Athenas esse, quas adeas, Lacedaemonem esse, quam regas, quibus reliquam VMBRAM, et residuum LIBERTATIS NOMEN eripere, durum, ferum, barbarumque est* [i]).

---

a) L. LIV. §. 9. b) Plin. L. X. ep. 59. c) L. LI. §. 20. d) Muratori inscript. p. 582. e) Orb. Rom. cap. XII. p. m. 69. et Exercitat. II. c. IX. p. 191. f) L. IV. p. m. 285. g) Pausan. L. VII. p. m. 569. h) L. X. ep. 56. i) L. VIII. ep. 24.

CAPVT IV.

DE VRBIBVS AMICIS ET FOEDERATIS.

Horum explicatio titulorum ex proxime praecedentibus pendet. Vnicus exstat numus, et is Valeriani, cusus Sagalassi Pisidiae, qui utrumque conjungit, nimirum:

ΡΩΜΑΙΩΝ. CΑΓΑΛΑCCΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΗC. ΠΙCΙΔΩΝ. ΚΑΙ. ΦΙΛΗC. CΥΝΜΑΧΟΥ. *Romanorum Sagalassensium primae Pisidiae, et amicae foederatae*, sive *sociae* urbis. Typus, *duae dexterae junctae*. (Pellerin Rec. III. pag. V. in praefat.)

Ad haec epitheta illustranda usus sum potissimum opera cel. Spanhemii, in eruditissimo suo Orbe Romano hanc quoque juris Romani partem adcurate tractantis [a]). *Foederati* dicti ii, reges vel populi, qui non bello victi, sed vario jure, variisque legibus se ad remp. Romanam contulere. Aliis nominibus dicti etiam *amici*, *socii*, *fratres*, Graece: *το ἐνσπονδον*, *ὑποσπονδον*, *φιλοι*, *συμμαχοι*. Foederis vel societatis cum his initae leges aereis tabulis incisae in Capitolio, aut aede quapiam sacra figebantur. Fuere haec foedera partim *aequa*, partim *iniqua*. Prioris generis fuere illa, quae Romani nondum praepotentes cum populis aliis externis adhuc integris fecere, dicta etiam foedera *ex aequo jure*, *ex dignitate pari*. Tale fuit foedus, quod Romani cum Poenis ante bella Punica, integris adeo et illaesis pepigere. Foederis iniqui frequentior apud scriptores mentio, ex quo res Romana aut jam omnia occupavit, aut iis, qui adhuc stetere, metum injecit, neque solum initi cum civitatibus Graecis, sed et cum regulis, dynastis, quin et cum regibus majorum gentium, ceu cum Parthis, cujus plura exempla adfert Spanhemius [b]). Ceterum hoc loco sermo tantum est de civitatibus foederatis intra populi R. ditionem positis, atque, ut suapte patet, foederis iniqui.

Varias civitates liberas in amicis quoque et foederatis habitas, omnis generis monumenta evincunt. Sagalassum Pisidiae coram ex numo intuemur. Ex

a) Exercit. II. c. X. b) l. c. p. 208.

marmore Gruteri [a]) habemus Mopsum Ciliciae ἐλευθεραν και ἀυτονομον και ΦΙΛΗΝ. ΚΑΙ. ΣΥΜΜΑΧΟΝ. ΡΩΜΑΙΩΝ. Eadem conditione fuere Plarasenses et Aphrodisienses Cariae, tum et Termessenses Pisidiae ex monumentis mox citandis. De Amiso Ponti Plinius junior ad Trajanum: *Amisenorum civitas et libera et FOEDERATA beneficio indulgentiae tuae legibus suis utitur* [b]). Haec ex multis selecta exempla sufficiant.

Beneficia in amicas has et socias urbes collata eadem sunt, quibus gavisas urbes liberas capite praecedente diximus, nullo saltem manifesto discrimine. In tabula aenea apud Muratorium [c]) refertur decretum Romanorum, vi cujus Termessenses majores Pisidiae *liberi, amici, sociique populi Romani* essent, legibusque suis uterentur, possiderent agros suos, loca, aedificia publica, privataque, neve in eorum oppidum agrumve a magistratibus Romanis hiemandi causa introducantur milites, etc. In decreto Plarasensibus et Aphrodisiensibus Cariae a senatu dato, quod ex antiquo marmore vulgavit Chishull [d]), legitur: Ὁμοιως τε ἀρεσκειν τῃ Συγκλητῳ, τον δημον τον Πλαρασεων και Ἀφροδεισιεων την ἐλευθεριαν και την ἀτελειαν ἀυτυς παντων των πραγματων ἐχειν, καθαπερ τις πολιτεια τῳ καλλιςῳ δικαιῳ, καλλιςῳ τε νομῳ ἐςιν χρωμενη, ἡ ἀπο δημυ τυ Ρωμαιων την ἐλευθεριαν και την ἀτελειαν ἐχει, ΦΙΛΗ ΤΕ ΚΑΙ ΣΥΜΜΑΧΟΣ ὐσα. *Praeterea placere senatui, populum Plarasensium et Aphrodisiensium habere libertatem et immunitatem rerum omnium, ut civitas alia optimo jure et optima lege utitur, quae a populo R. libertatem et immunitatem habet, AMICA ET SOCIA.* Additur deinde, utramque civitatem *jure amicitiae* (προς την φιλιαν) posse possidere vicos, castella, munitiones, fines, proventus, rerum omnium immunes, neve tributum eorum nomine ob quamcunque causam pendere teneantur. Teste Dione [e]) Augustus subjectos (το ὑπηκοον) ex Romanarum legum praescripto composuit, foederatos (το ἐνσπονδον) uti perpetuo majorum suorum institutis permisit, constituitque, ne aut horum quidquam Romano imperio accederet, aut hi sibi aliquid acquirere studerent, sed prorsus rebus suis contenti sint. Ceterum hanc quoque sive amicitiam, sive foedus nomine fere tantum constitisse, eo potest intelligi, quod urbes hae, quantumcunque amicae et foederatae, a Romanis tamen plane penderent, et ab his eadem haec speciosa jura saepe legamus aut sublata aut infracta. Sane de Augusto refert Suetonius: *urbium quasdam foederatas et ad exitium licentia praecipites libertate privavit* [f]). Quomodo actum cum Amiso libera et foederata, capite praecedente vidimus. Quod quidem commune est civitatum minorum fatum, quae cum majore aliqua foedere usque adeo iniquo et tam late dispari conjunctae sunt.

a) pag. 255. 5. b) L. X. ep. 39. c) p. 582. d) Antiq. Asiat. p. 152. e) L. LIV. §. 9. f) in Aug. c. 47.

CAPVT V.

DE VRBIBVS QVAE SE METROPOLES DIXERE.

En harum catalogum ex numis:

Amasia Ponti.
ΜΗΤΡΟΠ. ΠΟΝΤΟΥ. inde a Trajano, serius etiam ΜΗΤ. ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤΟΥ.

Amastris Paphlagoniae.
ΑΜΑϹΤΡΙΑΝΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. in numis Plotinae.

Anazarbus Ciliciae.
ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ.ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. inde a Caracalla.

Ancyra Galatiae.
ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. ΑΝΚΥΡΑ. inde a Nerone. — ΑΝΚΥΡΑ. Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. ΤΗϹ. ΓΑΛΑΤΙΑϹ.

Antiochia Syriae.
ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. stante adhuc rep. Romana, et subinde sub imperatoribus. In numis Antiochiae coloniae: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΟΝ.

Artace et *Artaclium.*
ΑΡΤΑΚΑΙΩΝ, vel ΑΡΤΑΚΛΙΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, in autonomis. De hac situs incerti urbe vide, quae diximus in numis urbium incertarum.

Automala Cyrenaicae.
Huic oppido, aut verius castello, metropoleos honos ex numis suspectis tribuitur, ut notavi in ejus numis.

Bostra Arabiae.
COL. METROPOLIS. BOSTRA. inde a Philippo.

Caesarea Cappadociae.
ΜΗΤΡΟΠΟ. ΚΑΙϹΑΡΙΑϹ. inde ab Antonino Pio.

Caesarea Samaritidos.
COL. P. F. AVG. CAES. METR. PRovinciae Syriae PALaestinae, inde ab Alexandro Sev.

Carrhae Mesopotamiae.
ΚΟΛ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. ΚΑΡΡΗ-

ΝΩΝ. vel: ΚΑΡ. ΚΟ. ΜΗΠΟΛ. pro ΜΗΤΡΟΠΟΛ. inde a M. Aurelio.

Coropissus Lycaoniae.

ΜΗΤΡΟ. ΚΟΡΟΠΙCCЄΩΝ. in numo Hadriani.

Damascus Coelesyriae.

ΔΑΜΑСΚΗΝΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩС. inde ab Hadriano, serius COL. DAMA. METRO. inde a Philippo.

Diocaesarea Ciliciae.

ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΔΙΟΚΑΙCΑΡЄΩΝ. ΜΗΤΡΟ. ΚЄΝΝΑΤΩ. in numis Philipporum.

Edessa Mesopotamiae.

ΜΗΤ. ΚΟΛ. ЄΔЄССΗΝΩΝ. inde a Macrino.

Emisa Syriae.

ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛ. ЄΜΙСΩΝ. inde ab Elagabalo.

Halicarnassus Cariae.

ΑΛΙΚΑΡΝΑССЄΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩС. in numo Severi suspecto.

Heraclea Bithyniae.

ΗΡΑΚΛЄΩΤΑΝ. ΜΑΤΡΟΠΟΛЄΙΤΑΝ. in numis Trajani. — ΗΡΑΚΛЄΩΤΑΝ. ΜΑΤΡΟС. ΑΠΟΙΚΩΝ. ΠΟΛΙΩΝ. in numo Gordiani.

Isaurus Isauriae.

ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩС. ΙСΑΥΡΩΝ. in numis Getae et Elagabali.

Lampsacus Mysiae.

ΜΗΤΡΟΠ. ΛΑΜΨ. in numo Caracallae.

Laodicea Syriae.

ΙΟΥΛ. ΛΑΟΔΙΚ. СЄΟΥΗ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩС. sub Severo, ab hoc deducta colonia, et inde: COL. LAO. *Provinciae* Syriae METROPOLEO. vel similiter.

Magnesia Ioniae.

ΜΗΤΡ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. in numis Ant. Pii. Vide de dubio metropolis honore monetam hujus urbis.

Neocaesarea Ponti.

ΝЄΟΚΑΙСΑΡЄΩΝ. ΜΗΤΡΟ. addito in nonnullis ΠΟΝΤΟΥ. inde a M. Aurelio.

Nicomedia Bithyniae.

Μ. ΝΙΚΟΜΗΔЄΩΝ. in numo Germanici, serius: Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙС. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΗ. ΒЄΙΘΥΝΙΑС.

Nisibi Mesopotamiae.

СЄΠ. ΚΟΛ. ΝЄСΙΒΙ. ΜΗΤ. inde ab Alexandro Sev.

Perga Pamphyliae.

Ex numo perperam dicta metropolis a Spanhemio. Vide ejus monetam.

Pergamus Mysiae.

Η. ΠΡΩΤΗ. ΑСΙΑС. ΚΑΙ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙС. ΠΡΩΤΗ. etc. ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΠΟΛΙС. in numo Caracallae.

Petra Arabiae.

ΠЄΤΡΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙС. in numis Hadriani.

Philippopolis Thraciae.

ΜΗΤΡΟ. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛЄΩС. inde a Severo.

Pompejopolis Paphlagoniae.

ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΙϹ. ΜΗΤΡΟ. addito etiam ΠΑΦΛ. inde a M. Aurelio.

Prusias ad Hypium Bithyniae.

ΜΗΤΡ. ΠΡΟΥϹΙΕΩΝ. in numo Macrini apud unum Tristanum.

Roma.

ΡΩΜΗΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΝ. ΝΕΙΚ. Hunc numum explicatum vide in moneta Nicomediae Bithyniae.

Samosata Commagenes.

ΦΛΑ. ϹΑΜΟϹΑΤЄΩΝ. ΜΗΤΡΟΠ. inde ab Hadriano.

Sardes Lydiae.

ΑϹΙΑϹ. ΛΥΔΙΑϹ. ЄΛΛΑΔΟϹ. Α. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. ϹΑΡΔΙϹ. in binis autonomis. — ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩϹ. ΑϹΙΑϹ. in numo Severi.

Seleucia Ciliciae.

ϹЄΛЄΥΚЄΩΝ. ΜΗ. in numo Gallieni.

Sidon Phoeniciae.

COL. AVR. PIA. METROP. SIDON. inde ab Elagabalo.

Tarsus Ciliciae.

ΤΑΡΣΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. inde ab Augusto, addito nonnunquam ΚΙΛΙΚΙΑϹ. vel: ΤΩΝ. ΚΙΛΙΚΩΝ.

Thessalonica Macedoniae.

ΘЄϹϹΑΛΟΝΙΚΗ. ΜΗΤ. inde a Decio, sub Valeriano: ΘЄϹϹΑΛΟΝΙΚΗ. ΜΗΤ. ΚΟΛΩ.

Tomi Moesiae inf.

ΜΗΤΡΟΠ. ΠΟΝΤΟΥ. ΤΟΜЄΩϹ. inde ab Ant. Pio.

Tripolis Phoenices.

ΤΡΙΠΟΛΙΤ. ΜΗΤΡ. ex autonomo, sed lectio suspecta.

Tyrus Phoenices.

ΤΥΡΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. obvium in autonomis, inde a Severo: COL. SEPT. TYRVS. METROP. et in numo Alexandri: SEP. TYRO. METROP. COL. PENIC.

Exclusi ex hoc catalogo urbes dictas in numis metropoles sive ex figmentis Goltzii, sive ex falsis variorum auctorum indiciis, quae pridem peritis repudianda sunt visa.

De varia METROPOLEOS in numis significatione.

Non una fuit apud veteres vocabuli Μητροπολις significatio, quam hoc articulo explicandam suscipimus, quod ea in numis quoque variat. Levavit inquirendi laborem immortalis memoriae vir Ezechiel Spanhemius, qui erudita disputatione totam hanc causam complexus est [a]), ex qua pleraque, quae tibi hic propinantur, excerpsi, additis nonnullis, quae illustrando huic

a) Tom. I. p. 568. seq.

argumento servire poterunt, aliis aliter explicatis.

Μητροπολις spectata etymologia est *urbs mater*, ἀλληγορικως istud, et eleganter, quod ut mater prolem, sic urbs urbem velut quandam generis sui prolem potest procreare. Dicitur ergo, et est urbs quaepiam mater, quae ob varias causas ex suorum numero civium alibi colonias constituit, cujus quidem instituti infinita numero omnis aevi habemus exempla. Vt taceam vetustissimos Phoenices, qui quaestus causa maria omnia ad Oceanum usque deductis a se coloniis frequentarunt, quis ignorat copiosam Graecorum sobolem per omnia maris mediterranei, Adriatici, Aegei, Euxini littora sparsam, probantibus maxime fecunditatem Atheniensibus, Corinthiis, Milesiis, Chalcidensibus Euboeae? Potuit etiam urbs dici avia, si forte neptes habuit. Sic Corinthus fuit mater respectu Corcyrae filiae, et avia respectu Dyrrhachii a Corcyraeis deducti. Sed deductam hanc altius originem veteres dixere *majorem patriam*, *matrem* vel *patriam antiquam*. Sic et ἀναλογως urbes ejusdem conditoris, seu patris dictae sunt sorores, et populi dicti fratres, testantibus istud numis quoque cum nota epigraphe: ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. *fratrum populorum*, quo nomine intelligendas illustres Syriae urbes Antiochiam, Seleuciam, Laodiceam, Apameam, ab uno Seleuco conditas, probavimus in moneta urbium Seleucidos. Sed nolo esse longior in causa pervulgata, in qua explicanda copiosus jam fuit Spanhemius [a]), quo loco multa etiam disserit de juribus et privilegiis metropoleon ratione coloniarum. In numis una Heraclea Bithyniae sese metropolim hujus significationis profitetur docente numo Gordiani sic inscripto: ΗΡΑΚΛЄΩΤΑΝ. ΜΑΤΡΟϹ. ΑΠΟΙΚΩΝ. ΠΟΛΙΩΝ. *Heracleotarum* urbis, *matris coloniarum urbium*. Quo istud jure potuerit adfirmare, diximus in moneta hujus urbis. Addo Tyrum Phoeniciae, quae Thebas Boeotiae, suam per Cadmum filiam numis inscripsit, tum et Didonis meminit, quae Tyro profecta Carthaginem condidit. Ceterum copiosos habemus numos, in quibus urbes coloniae adscitis suarum metropoleon typis earum se aut filias aut neptes palam testantur, sed de his opportunius agemus in tractatu de numis coloniarum. Huc etiam pertinet titulus *metropolis frugum*, μητροπολις των καρπων auctore Aristide ex Apollinis oraculo inditus Athenis, quod haec urbs beneficio Cereris prima habuit fruges, et deinde per omnes terras dispensavit, additque, hujus beneficii causa quotannis a Graecis frugum primitias huc missas [b]). Sin istud, Athenae, dum aliis consulunt, sui fuere improvidae. Nam teste Demosthene Athenienses importato aliunde frumento omnium mortalium usi sunt plurimo, magnam partem a remotissimis Bosporanis petito [c]). Sed enim aliud saepe docent fabulae fictae, aliud historia vera.

Haec cum esset a principio, neque alia, et ab ipso quidem nomine ducta metropoleos significatio, factum subin-

---

a) l. c. b) in Panathenaica T. I. p. 105. c) contra Leptinem p. m. 545.

de, ut metropoles dicerentur urbes, quae colonias nunquam deduxere, modo dignitate, copiis, aliisque causis praestarent, et nomine adeo metropoleos subinde etiam, et multo frequentius caput provinciae intelligeretur, atque in hoc sensu Dionysius Periegetes dixit a):

Ρωμην τιμηεσσαν, ἐμων μεγαν οἰκον ἀνακτων,
ΜΗΤΕΡΑ ΠΑΣΑΩΝ ΠΟΛΕΩΝ.
Romam venerandam, meorum magnam domum regum,
Matrem omnium urbium.

accedente etiam numorum Nicomediae auctoritate, in quibus legas: ΡΩΜΗΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΝ. Hujus alterius significationis jam Graeci ipsi dedere exemplum. Antiochia Syriae, urbs, quod inter omnes notum, nuper condita, nullamque ipsa prolem enixa, metropolis in numis dicitur, ut demonstravimus in ejus urbis moneta, jam anno V. C. 662., multo adeo ante quam duce Pompejo M. in Romanorum leges iret. Thessalonica quoque ab Antipatro Thessalonicensi jam Augusti aetate dicitur μητηρ πασης Μακεδονιης b). Sed nolim in eundem censum vocare Tyrum quoque, ut istud visum Spanhemio, qui ex inscriptis Tyriae monetae annis conjecit, Tyrum stante adhuc rep. Romanorum perinde atque Antiochiam dictam fuisse metropolin, et quidem in altera hac significatione, quorum illud ex numorum testimonio improbandum, istud plane dubium. Etenim Tyrus, quod hactenus constet, non ante Claudii tempora in numis se dixit metropolim, ut ostendi in ejus urbis moneta; quod ad alteram partem attinet, cum in marmore Gruteri c), quod subinde late explicavit Ignarra d), Tyrus dicatur μητροπολις Φοινικης και ἀλλων πολεων, dubium non videtur, eam vocari metropolim in priore significatione, et adludi ad colonias intra extraque Phoeniciam constitutas, quod, ut mox vidimus, fecere et Heracleotae.

At Roma demum imperante in immensum auctus metropoleon in posteriore hoc sensu numerus. Nimirum cum urbes vere matres tam propter vetustatem, quam sobolis multitudinem magnis vulgo laudibus efferrentur, urbes noviciae, sed opibus ac potentia conspicuae, quales fuere Smyrna, Antiochia, Nicomedia, dedecus suum arbitratae, si, quod erant, steriles vocarentur, matris nomen immodica coeperunt ambitione adfectare, non difficilibus ad haec eorum vota Romanis, et cum fieri poterat, adnuentibus, qui ridere solebant inepta haec Graecorum desideria, et vanas has de excellentia contentiones vocare Ελληνικα ἁμαρτηματα, *Graecanica peccata*, ut testatur Dio Chrysostomus vellicans ipse fatuam hanc gentis suae ambitionem e). Fuisse ab imperatoribus metropoleos honores non raro decretos, illustre testimonium habemus Canonem XIII. concilii Chalcedonensis: ὁσαι δε ἠδη πολεις δια γραμματων βασιλικων τῳ της μητροπολεως ἐπι-

---

a) Orb. descript. v. 355. b) Brunck Anal. T. II. p. 112. c) pag. 1105. d) de pal. Neap. p. 279. e) Orat. 38. p. m. 479.

μηθησαν ὀνοματι, κ. τ. λ. *quaecunque vero urbes literis imperatoriis metropoleos nomine decoratae fuere etc.* Impetrato ergo hoc titulo factum, ut urbs quaepiam provinciae caput agnosceretur. Disertis istud verbis prodidit Procopius [a]). Agens enim de Caesarea Cappadociae haec subjungit: ἐξ ȣ̔ δη και ἐις μητροπολεως ἀξιωμα ἠλθεν· ȣ̔τω γαρ πολιν την πρωτην τȣ ἐθνȣς καλȣσι Ρωμαιοι. *unde et metropolis dignitatem nacta est; sic enim urbem gentis primam vocant Romani.* Atque hoc quidem Procopii testimonium ex praecipuis est, quibus utuntur Spanhemius aliique, ut comprobent, nativam matris urbis significationem serius in aliam capitis provinciae fuisse detortam. Tamen, quod pace clarissimorum virorum dixero, non sic velim intelligi recitatum Procopii locum, quasi matris urbis significatio exspirasset, posteaquam civitas oblato metropoleos titulo caput regionis aut gentis est agnita. Esto, non deduxit colonias, id est: non fuit mater natura, at potuit fieri mater ex jure scripto. Quemadmodum enim, qui liberis caruit, evasit pater, cum liberos sibi adoptavit, sic urbs suapte sterilis evasit mater, cum ei ab imperatore aliae ejusdem regionis urbes velut adoptandae sunt traditae, quo constituto hae eadem illi obsequia juberentur praestare, quae par erat matri urbi praestari a coloniis. Ad haec licuit urbibus, alterius civitatis adoptare cives singulos, cur non et collectos, seu civitatem integram? Iam vero singulorum, qui duas pluresve patrias agnovere, naturalem unam, alias per quandam velut adoptionem, innumera habemus in veterum monumentis exempla, quorum nonnulla adduxi in moneta Laodiceae Phrygiae ad numum inscriptum: ΑΤΤΑΛΟϹ. ϹΟΦΙϹΤΗϹ. ΤΑΙϹ. ΠΑΤΡΙϹΙ. ϹΜΥΡ. ΛΑΟ. Occurrit exemplum aliud argumentum istud insigniter illustrans. Valuit Graecos inter et Romanos jus, quod trium liberorum dicebatur, variaque iis beneficia et honores indulgebat, qui totidem se liberos genuisse poterant testari. Tamen si quis vel vir vel mulier praecipua fuere dignitate, aut meritis conspicui, etsi sobolem aut desideratum numerum repraesentare non possent, non raro imperatorum indulgentia trium liberorum jus sunt consecuti. Ad hunc modum teste Dione Cassio Livia Augusti conjux in matrum, quae ter peperissent, album est relata [b]), qui et addit continuo: *quibus enim seu viris seu mulieribus fortuna tot liberorum negasset proventum, eorum nonnullis tamen lex, antea quidem per senatum, nunc autem per imperatorem jus trium liberorum largitur, ut neque poenis iis, quae orbitati sunt destinatae, teneantur, et paucis duntaxat exceptis constituta copiosae proli praemia adipiscantur.* Quapropter quid vetat opinari, eodem modo urbes quaspiam illustriores ad metropoleos dignitatem esse evectas sic, ut in matrum numero vere putarentur, et tametsi prolibus ipsae carerent, in earum locum ex jure scripto sufficerentur urbes provinciae minores, quae ei tanquam urbi matri omnia filiarum officia deferrent? Aliud exemplum significationis ex juris

a) De aedific. Iustin. L. V. c. 4. b) L. LV. §. 2.

arbitrio inditae praebent coloniae Romanae. Hoc nomine primum vocabantur urbes, in quas Romani partem civium deduxere, at serius urbes coloniae dici coepere, quibus coloniarum tantum jura concessa sunt etiam nemine civium in eas evocato. Adeo enim paullatim perversae fuerunt ipsae rerum significationes, ut passim aliud enunciaretur, aliud intelligeretur, nihilque aut parum admodum veteris moris institutique remaneret. Quin et istud singulare, non paucas urbes in uno eodemque numo simul metropoles, simul colonias dici, ut Antiochia Syriae, Bostra, Caesarea Samaritidos, Carrhae, Damascus, Edessa, Emisa, Laodicea Syriae, Nisibi, Sidon, Thessalonica, Tyrus, quarum paucae colonos emisere, paucae recepere.

Metropoleos honor Romanis non sine justis causis conferendus est visus, inter quas commemorat Spanhemius, si qua urbs regum antea sedes exstitit, si magnitudine, antiquitate, situs opportunitate, templi majestate ac religione inclaruit, magnum etiam momentum fuit, si qua meritis in Caesares populumque Rom. spectata fuit. Sane urbes fere omnes, quas praefixus catalogus metropoles adserit, ab una pluribusve id genus causis celebritatem nactae sunt. Si qua urbs cetera ignobilior in numis fertur metropolis, cujus generis nonnullas dictus catalogus offert, potest aut jure praetensa lectio in dubium vocari, aut hic titulus aliter explicari, quo modo explicavimus Isaurum Isauriae metropolim, aut extraordinaria subest collati ejus honoris causa, quae omnia ex sequentibus distinctius patebunt. Mirum videri posset, urbes a vetere fama maxime inclytas, quales fuere Athenae, Sparta, Corinthus, Argos, Cnosus, aliaeque, in nullis veterum monumentis metropoles praedicari, nisi satis constaret, titulorum insanam libidinem unis fere tantum Graecis transmarinis fuisse adfixam, quam modicarum etiam urbium arrogantiam salse ridet epigramma Ammiani [a]):

'Εςω μητροπολις πρωτον πολις, ἐιτα λεγεσθω
Μητροπολις. μη νυν, ἡνικα μηδε πολις.

Heus tu, μητροπολις, *esto primum* πολις, *deinde dicare*
Μητροπολις, *non nunc, quando ne quidem* πολις *es.*

Ex veterum monumentis certum insuper, in una eademque provincia Romana plures fuisse urbes metropoleos honore decoratas. Atque de celeberrima omnium provincia Asia ut initium ducam, quae complexa est Phrygiam, Lydiam, Mysiam, Aeolidem, Ioniam, Cariam, Lycaoniam, vel ex numis supra descriptis habemus metropoles Halicarnassum, Lampsacum, Magnesiam, Pergamum, Sardes, Coropissum, ac praeter has ex variis aliis monumentis Smyrnam, Ephesum, Cyzicum, aliasque, quas enumerat Spanhemius, et quas miramur, cum tot alios titulos tam ambitiose in moneta sua jactaverint, metropoleos titulum ab ea con-

a) Brunck Anal. T. II. p. 386. VII.

stanter procul habuisse. Fuere in Cilicia metropoles Tarsus, Anazarbus, Seleucia, Diocaesarea, in Syria Antiochia, Emisa, Laodicea, Samosata, in Paphlagonia Amastris, Pompejopolis, in Mesopotamia Carrhae, Nisibi, Edessa, in Ponto Amasia, Neocaesarea. Observandum tamen, metropoleon numerum arctum primum, subinde per intervalla auctum fuisse, quo in instituto praeter causas supra allatas suas etiam partes habuere principum seu adfectus seu odium. Sic cum Syria suas jam haberet metropoles, eis addita ab Elagabalo Emisa, quod haec ejus esset patria. Iratus Antiochensibus cum esset Hadrianus, volebat Syriam a Phoenice separare, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur, ut testatur Spartianus [a]). Revera Tyrum Phoenices ab Hadriano dictam metropolin refert Suidas [b]). Severus Antiochensibus item iratus, quod a Pescennio stetissent, omnia his adempta jura in Laodiceam ad mare transtulit, inter quae fuit etiam metropoleos honor. Idem sub Elagabalo experta Tyrus, Sidone in ejus locum suffecta metropoli. Etsi vero principum bonitate Antiochia et Tyrus in integrum restitutae fuere, tamen saltem Laodicea metropolis esse perrexit. Haec omnia in singularum urbium numis habes comprobata.

Cum plures fuere in una provincia metropoles, factum, sed rarius, ut harum una quaepiam se metropolin *primam* palam profiteretur. Sic Pergamus dicitur in numo ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. ΠΡΩΤΗ. et Sardes majore hiatu: ACIAC. ΛΥΔΙΑC. ΕΛΛΑΔΟC. A. (id est: πρωτη) ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. Vtrum et Carrhae Mesopotamiae addito in nonnullis A. indicare voluerint metropoleos primatum, non satis liquet, ut in earum moneta observavimus. Fuerintne primis his metropolibus certa quaedam adfixa jura, difficile est statuere, et vix operae pretium inquirere, quod metus est, ne impensus omnis labor irritus sit, si, quod suspicari sane licet, superbus hic titulus non decreto senatus, sed privata ambitione partus fuit, qua impellente Sardes se dixisse *Asiae*, *Lydiae*, *Helladis primam metropolim*, qua in formula Ἑλληνικων ἁμαρτηματων Ἑλληνικοτατον agnosco, dixi in moneta hujus Lydiae urbis. Sed non est cur magnopere miremur, hujus nos primatus causam ignorare, cum ne quidem explicatum apud veteres reperiamus, quid sive commodi, sive honoris, sive jurium accesserit urbi ad metropoleos dignitatem evectae, utrum imperium in urbes inferioris ordinis, an jurisdictionis quaedam potestas, an praeter honorem nihil. Enimvero Scaligerum adserentem in suis ad Eusebium notis, metropoles saltem in Asia eas habitas, in quibus conventus aut causarum fora agerentur, praeclare jam refutavit Spanhemius [c]) auctoritate rescripti Antonini, dicti Caracallae, ad commune Asiae, in quo disertis verbis distinguitur inter urbes metropoles, inter eas, quae habent fora causarum, et reliquas inferiores. Fuisse tamen aliquem, qualemcunque illum, urbium inferiorum cum metropoli nexum, inde conjicio, quod secus

a) in Hadriano. b) in Παῦλος. c) T. I. p. 611.

non intelligo, cur Hadrianus juxta citatum mox Spartiani testimonium voluerit Syriam a Phoenice separare, ea, ut ibi additur, de causa, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur. Aliquam etiam nexus imaginem videntur indicare typi, de quibus continuo agemus. Iudice Spanhemio a) haec fuerunt metropoleos jura, etsi non satis evidenter a viro summo probata, ut nempe essent capita provinciae, sedes Romani praesidis, ut leges in iis et edicta proponerentur, ut communia gentis concilia, solennes sacrorum et ludorum panegyres in iis haberentur, tum ad publica earum opera, ubi id necessitas exigeret, sumptus a minoribus civitatibus erogarentur. Magis definitum aliud reperio in Dione Chrysostomo his verbis Nicomedenses adhortante b): *Conamini igitur principatum inter urbes obtinere, primum cum earum curam geritis*, τȣτο γαρ, addit, καθο μητροπολις ἐςε, ἐξαιρετον ἐςιν ἐργον ὑμετερον, *istud enim propterea, quod metropolis estis, praecipuum est vestrum negotium.* Alia metropoleos jura vide alibi apud eundem rhetorem c).

De epigraphe nihil habeo praeterea quod moneam, cujus leges ex praefixo catalogo possunt intelligi. Ad typos quod attinet, bini tantum mihi cogniti sunt numi, qui ad metropoleos dignitatem videantur adludere. Quorum unus est Neocaesareae Ponti cum capite Severi apud Haymium, in cujus aversa finguntur stantes sex genii muliebres; alter coloniae Laodiceae Syriae cum capite Elagabali apud Pellerinium, (Mel. I.) in quo fingitur sedens in medio mulier turrita, adstantibus quatuor mulieribus aliis turritis ad eam conversis; quibus quidem geniis non aberravero si credam indicari urbes ejusdem regionis inferiores metropoli subjectas.

* * *

Metropoleos una adhuc superest significatio, nempe cum indicatur *urbs Matris*, id est: Cybeles, quae κατ' ἐξοχην *Mater* appellabatur. Teste Stephano Metropolis Phrygiae urbs nomen traxit ab hac dea Matre, a qua condita ferebatur, ut et Metroum Bithyniae, de quo egi alibi d). Atque a simili Cybeles cultu verisimile est inditum nomen plerisque aliis, quarum non paucas notavit Stephanus, inferioris omnes ordinis, sic adeo vocatas a religione sui numinis, ut a suis numinibus vocatas habemus Diospolin, Heropolin, Apollonopolin, Hermopolin etc. Haec non παρεργως hoc loco commemoramus, nam propter haec, quae modo disserui, facile adducor ut credam, nonnunquam urbibus additum metropolis titulum, non quod essent vel urbes matres vel capita provinciae, sed Cybeles neocorae, quemadmodum et Cabira Ponti dicta fuere Diopolis a Iovis scilicet cultu, aut Castabala Cappadociae Hieropolis etc. Ergo cum metropoleos magnificum titulum in numis jactare videmus urbes aut obscuras, aut saltem non ejus rationis, propter

---

a) T. I. p. 637. b) Orat. XXXVIII. p. 477. c) Orat. XXXIV. p. 427. d) num. vet. p. 181.

quam aut urbs mater, aut prima provinciae dici posse videatur, possumus suspicari, epitheto metropoleos intelligendam urbem Matri Cybele devotam. Atque in hoc sensu existimo Coropissum in numis dici metropolin, oppidum sane ignobile, aut verius judice Strabone κωμην *vicum*, quam hercle verisimile est nunquam aut deduxisse colonias, aut fuisse caput provinciae, ad haec sitam in Lycaonia regione modica et parum conspicua, cui utique sufficere poterat Iconium, quae urbs Hierocle teste fuit certa Lycaoniae metropolis.

CAPVT VI.

DE VRBIBVS PRIMIS, ΠΡΩΤΑΙΣ.

Primas sese in numis dixere urbes sequentes:

Amasia Ponti.
ΑΜΑCΙΑ. ΜΗΤ. ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤ. vel: ΜΗτροπολις ΝЄωκορος ΠΡωτη Ποντȣ aut similiter inde a M. Aurelio.

Caesarea Samaritidos.
COL. PRIMA. FL*avia* AVG. CAESARIA. addito inde ab Alexandro Sev. METR*opolis* titulo.

Ephesus Ioniae.
ЄΦЄCΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΑCΙΑC. vel: Α. ΑCΙΑC. inde a M. Aurelio. — In numo Macrini: ЄΦЄCΙΩΝ. ΜΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΑCΙΑC. — In numo Elagabali: ЄΦЄCΙΩΝ. Η. ΠΡΩΤΗ. ΠΑCΩΝ. ΚΑΙ. ΜЄΓΙCτη.

Laodicea Syriae.
Perperam huic a Vaillantio tributum primatum probavi in meis *numis veteribus* pag. 285.

Mytilene Lesbi.
ΠΡΩΤΗ. ΛЄCΒΟΥ. ΜΥΤΙΛΗΝΗ. in numo autonomo.

Nicaea Bithyniae.
ΝΙΚΑΙΕΙΣ. ΠΡΩΤΟΙ. ΤΗΣ. ΕΠΑΡΧΙΑΣ. in numis Domitiani; in alio ejusdem: ΝΕΙΚΑΕΙΣ. ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤ.

Nicomedia Bithyniae.
Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΗ. ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ. vel: Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΝΙΚΟ. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΗ. ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ. ΚΑΙ. ΠΟΝΤȣ. in numis Domitiani, Trajani, et Ant. Pii, post quos primatus mentione abstinuit.

Pergamus Mysiae.

ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. inde a Caracalla, in eximio ejusdem alio musei Caesarei: Η. ΠΡΩΤΗ. ΤΗϹ. ΑϹΙΑϹ. ΚΑΙ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. ΠΡΩΤΗ. ΚΑΙ. ΤΡΙϹ. ΝΕΩΚΟΡΟϹ. ΠΡΩΤΗ. ΤΩΝ. ϹΕΒΑϹΤΩΝ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΠΟΛΙϹ.

Sagalassus Pisidiae.

ϹΑΓΑΛΑϹϹΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΗϹ. ΠΙϹΙΔΩΝ. in numo Valeriani.

Samus insula.

ϹΑΜΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΙΩΝΙΑϹ. in numis Gordiani et Decii.

Smyrna Ioniae.

ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. addito etiam ΑϹΙΑϹ. inde a Commodo. — In numis Caracallae: ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΑϹΙΑϹ. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΩΝ. ϹΕΒΑϹΤΩΝ. ΚΑΛΛΕΙ. ΚΑΙ. ΜΕΓΕΘΕΙ.

Tralles Lydiae.

ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΕΛΛΑΔΟϹ. in autonomo.

Quae sit urbis πρωτης significatio, nulli principio dubio obnoxia videatur, quod urbs, quae se *primam* dicit, ipso nomine provinciae caput sit intelligenda. At vero cum secundum haec, quae in tractatu praecedente diximus, etiam metropoleos nomen caput provinciae indicaverit, ad haec nonnullorum numorum epigraphe: ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΗ. certum inter utrumque vocabulum discrimen enunciet, dubitari coeptum de vera πρωτης significatione, cumque auctores veteres non satis explicent, quae urbibus excellentia addito hoc nomine accesserit, factum, ut eruditi eo explicando occupati in varias abirent sententias, quas continuo paucis enarramus.

Existimavit *Humphridus Prideaux*, urbem Asiae proconsularis tum dictam πρωτην, quando instituta in imperatorum honorem festa, quae Κοινα της Ασιας dicebantur, in illa acta fuerunt, quo factum, ut ad plures idem honor redundaret, ipse vero perpetuus non esset, sed cum dictis festis exspiraret. Haec auctor clarissimus. (ad marm. Oxon p. 467. At nescio, cur haec sententia tam a Buonarrotio, quam Mazzoleno in commentariis, quos infra citabo, Seldeno tribuatur.) Sententiam hanc prorsus arbitrariam refutabunt ea, quae sequentur.

Othoni Sperlingio visum, ΠΡΩΤΩΝ Pergamenorum numis additum significare Pergamenos primos, seu caput suae regionis, nempe Mysiae [a]). Verum quo pacto explicabimus, cum legimus, Ephesum et Smyrnam, quae fuere unius Ioniae urbes, utramque tamen dici πρωτην?

Albertus Rubenius eas ajebat urbes dictas πρωτας, quae conventus seu fora causarum habebant [b]). Verum multae fuerunt in Asia urbes, in quibus acti conventus, quasque enumerat Plinius, et tamen solae in hac fuerunt Ephesus, Smyrna, Pergamus, quae primatum in monumentis publicis jactavere.

Ioanni Vaillantio urbes primae fuerunt, quae tributa quaedam ab aliis

---

a) Ad num. Tranquillinae. b) diatr. de Neoc.

accipiebant, erant sedes conventuum et judiciorum, in qua disceptarent aliae urbes, et quae praetores in oppida mitterent, atque etiam sacrorum pro Augustis et certaminum curam habebant, quae omnia ex Dione Chrysostomo et Aristide liquere ait [a]). Sed haec temere adserta ex iisdem auctoribus refellemus. Tamen a Vaillantio non magnopere dissentit *Harduinus*.

Ezechiel Spanhemius conjicit, contentionem de primatu inter Ephesum, Smyrnam, et Pergamum inde profectam, quod communia in Asia proconsulari essent gentis concilia, communia insuper totius provinciae templa, tum sacra et agones, pro quibus apud se celebrandis primatum sibi prae duabus aliis ejusdem provinciae urbibus deberi contendebant singulae illae tres primariae ejus Asiae civitates. Sed cum istud, tantum ad civitates Asiae valere posset, ad explicandum Ponti et Bithyniae urbium primatum alias arcessit causas. Vide haec omnia a viro doctissimo explicata inde a pagina 632. Tomi I.

Philippo Buonarrotio creditum, nomine *primae* significatam urbem aliis magis illustrem, neque tamen huic propterea aliquid sive verae dignitatis sive veri emolumenti accessisse, solamque fuisse immodicam ambitionem adpetiti hujus vani sterilisque tituli causam, quae quidem omnia ex veteribus commode probari, continuo patebit [b]). Eruditi hujus viri sententiam laudavit adprobavitque *Albertus Mazzolenus*, cujus exstat copiosus nitidusque de hoc urbium primatu commentarius [c]), in quo Buonarrotii brevia dictata uberius explicare suscepit.

* * *

Habes hic enarratas eruditorum de significatione ΠΡΩΤΩΝ sententias, sed quibus perlectis haud dubie parum tibi profecisse videberis. Quod si haec causa necdum satis est illustrata, nequaquam istud tribuendum virorum praestantium negligentiae, quorum novimus, quam fuerint pertinaces in explicandis monumentis conatus, sed veterum commentariis sive plane silentibus, sive ejus significationis non satis explicatam rationem tradentibus. Tamen ut ambigui hujus argumenti causas et modos, quoad ejus fieri poterit, intelligamus, necesse est, quae certa sunt, quaeque incerta, repraesentare.

Quaeritur I. quae sit nativa vocabuli Πρωτος significatio? Ratione argumenti nostri triplicem esse intelligo, numis etiam stabilitam. Vna est, quae nonnisi simplicem divisionem, geographicam, chorographicam, aut quamcunque aliam indicat, cujus generis est in numis ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΗΣ. *Macedonum* partis *primae*, quia Macedonia in quatuor partes divisa fuit, quae divisio provinciarum in primam, secundam, tertiam infimo Romani imperii aevo maxime valuit. Eodem modo legimus in denariis M. Antonii LEG*io* PRIMA., quia legiones numeris definiebantur. In similibus exemplis primatus excellentiam non dedit, quod in his numeri partium tantum distributio-

a) Num. Graec. p. 209. b) Osserv. istor. p. 195. seq. c) in num. onus Pis. animadv. p. 209.

nem enunciant. Alia significatio est, cum quid indicatur primum ratione temporis, ut in denariis gentis Iuniae: L. BRVTVS. PRIMVS. CO*n*S*ul.* vel Memmiae: MEMMIVS. AED*ilis* CERIALIA. PREIMVS. FECIT. Similia famam et nomen tribuere possunt, at non prae aliis excellentiam. Tertia est, cum quid proditur primum causa dignitatis et eminentiae, ut in tractatu praecedente vidimus ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. ΠΡΩΤΗ. *Metropolis prima*, in numis aliis obviis: ΑΡΧΩΝ. Α. *Archon primus.* Nemo non videt, primatum in numis nostri argumenti ad tertium istud genus pertinere, quod honorem sibi urbes, et ut alias praecellerent, quaesivere, quidcunque deinde fuerit illud, cujus causa se πρωτας dici voluere. Similem dignitatis rationem habet epigraphe: ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ЄΒΔΟΜΗ. ΤΗϹ. ΑϹΙΑϹ., qua se Magnesia Ioniae *septimam* Asiae jactat, de qua agemus infra. Accedit denique, Aristidem, cum in oratione, quam paullo post citabimus, post laudatas Pergamum et Smyrnam ad laudandam tertiam Ephesum transiret, metu ne hanc urbem, quod tertiam nominaverat, postponere videretur, continuo addidisse: λεγω δε αριθμῳ τριτην, ȣ ταξει, *ajo vero tertiam numero, non ordine.* Ex quibus verbis apparet, solicite cavisse urbes cetera illustriores, ne non primum dignitate inter alias locum obtinere viderentur.

Quaeritur II. fueritne discrimen inter *metropolin*, et *primam*? Si veterum geographorum et historicorum communem usum spectes, promiscue utroque vocabulo ad indicandum provinciae caput usos constat, cujus plura exempla adducit Spanhemius a). Ac jure quidem. Nam cum, ut in superiore tractatu diximus, aetate Caesarum nomine metropolis indicari soleret urbs, quae dignitate prima fuit, poterant scriptores, qui subtiles Graeculorum definitiones aut ignorarunt, aut contempserunt, nullo ambiguae orationis periculo utrumque nomen perinde habere. Atque ex ipso quidem syllabo, quem praefixeram, credo posse exempla sumi, quasdam urbes dictas πρωτας propterea, quod vere metropoles, id est, capita suae regionis essent. Sic Mytilene dicta ΠΡΩΤΗ. ΛЄϹΒΟΥ, Sagalassus ΠΡΩΤΗ. ΠΙϹΙΔΩΝ., quia sine dubio illa urbs princeps Lesbi, haec Pisidiae fuerunt. Tamen reperisse Graecorum ingenium verum inter utrumque discrimen, aliquot supra descripti numi aperte testantur, v. g. Nicomediae, quae dicitur Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΗ. ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ., quod et confirmat Dio Chrysostomus, cum diserte ait metropoleos nomen fuisse peculiare Nicomediae, at πρωτης commune et Nicomediae et Nicaeae b).

Posteaquam igitur demonstravimus, epitheton πρωτης significasse aliquam excellentiam, et quiddam a metropoli diversum, inquirendum restat, quidnam urbes hoc titulo tam avide captato sibi quaesiverint. Scriptores, ex quibus aliquid luminis ad illustrandam hanc quaestionem peti possit, et quos eruditi omnes, qui de hoc argumento scripserunt, in consilium adhibuere, sunt pri-

a) T. I. p. 632. et 646. b) Orat. 38.

mum Aristides rhetor in oratione περι ὁμονοιας ταις πολεσιν, quae exstat in editione Iebbiana Tomo I. p. 517., alter Dio Chrysostomus, qui in oratione, quae est numero XXXVIII., ineptam Nicomedensium et Nicaeensium in captandis titulis ambitionem reprehendit, adde orationem XXXIV., ad Tarsenses alteram, tertius Philostratus in vita Polemonis sophistae, et vixere hi quidem ea aetate, qua Asiae minoris urbes atrocius quam alias honorum insania laborabant, et fuit praeterea illis propositum, nimium civitatum in hos titulos adfectum refrenare. Recte igitur censuere Buonarrotus eumque secutus Mazzolenus, propter causas memoratas ab his unis verum primatus sensum esse eruendum, etsi et hi minus, quam vellemus, aperte ac dilucide ejus omnes causas explicarent. Iam igitur quid hi ipsi senserint, ex eorum ipsorum dictatis intelligamus.

Singulorum scripta si excutiamus, apparebit facile, urbibus, quae se primas dici voluere, praeter honorem, eumque mere fictitium, nihil accessisse sive potestatis, sive utilitatis. Iam primum bonus et apertus Dio nihil circuitione est usus, cum dixit in citata oratione Tarsensi [a]), Aegaeenses cum Tarsensibus, Apamenses cum Antiochenis, Smyrnaeos cum Ephesiis de principatu contendentes *de asini*, *quod ajunt*, *umbra*, περι ὀνȣ σκιας, φασι, litigare. Atque hanc ipsam asini umbram cumulatius tota oratione XXXVIII. explicat. Commissi primatus causa (ὑπερ πρωτειων) inter se fuere Nicomedenses et Nicaeenses. At cujus naturae, interrogat orator, est hic primatus, pro quo dimicatis? an res, et verum bonum, et non potius nomen inane? - - Gesserunt bella Athenienses, ut tributa ab insulis acciperent, de omnium juribus apud se disceptarent, verbo: de regno illis bellum fuit. Sed esto, Nicaeenses sponte nobis primatum cedere, an propterea tributa percipiemus, quae percipiunt illi? an urbes ab eorum juribus pendentes ad nos vocabimus? an magistratus iis praeficiemus? quid nobis inde accederet amplius? - - Nos vero existimamus, si modo primi dicamur, jam etiam habere primatum. Quisnam, viri Nicomedenses, hic est primatus? iterum vos atque tertium appello, quae ejus utilitas? quod tantum bonum? an opulentiores fiemus, an majores, an potentiores? Amentium est appetere vanam gloriam, et stupidorum etc. At vero praesides Romani (ἡγεμονες) cum deberent vestrum jus aequumque tueri, manus abstinere a rapinis urbium, hominumque privatorum, neminem adficere contumelia, his omissis nomina vobis ac titulos propinant, cum vos primos aut dicunt, aut scribunt. Simili oratione ad civitates Asiae usus Aristides, cogitare vos velim, inquit, et Lacedaemonios, et Athenienses, et Thebanos (vetera horum de principatu bella intelligit) habuisse aliquam rerum earum, quas inter se gerebant causam - - At vos, si quis ex vobis contentionis, seditionis, ac tumultus causam quaerat, quid estis, obsecro, responsuri? cujus imperii causa vos id

a) pag. 427.

facere diceretis, vel quorum sociorum, qualiumve portuum, triremium, tributorum, locorumve gratia? etc.

Ab his ergo coaevorum scriptorum testimoniis abunde docemur, primatum hunc non modo nihil intulisse sive potestatis sive emolumenti, sed sterilem omnino fuisse titulum, nomen inane, asini adeo umbram. Nimirum urbes illustriores esse sibi domi causas idoneas finxerunt, quibus confisae efferre se prae aliis urbibus possent audere. Sic ut de unius provinciae Asiae urbibus agamus, praedicavit de se Pergamus, fuisse se regum Pergamenorum sedem, et imperasse adeo reliquis civitatibus aemulis, jactavit Smyrna amplitudinem suam, et substructionum magnificentiam, tum et Musarum apud se Gratiarumque consortium, Ephesus super longam vetustatem miraculum templi Dianii, ejusque late pervagatam religionem, et quae plura alia de tribus his urbibus praedicat Aristides, ob quae primatu singulae possent dignae videri, sic tamen ut ipse adserere vereatur, quae inter tres rivales prima sit constituenda, ut supra dixi. Sane in numis ipsis similes primatus causas jactant, ut v. g. Smyrnaei se profitentur ΠΡΩΤΟΥC. ACIAC. ΚΑΛΛΕΙ. ΚΑΙ. ΜΕΓΕΘΕΙ. *primos Asiae pulchritudine et magnitudine* urbis suae, quo titulo cum sibi non inferiores viderentur Ephesii, opposuere inscriptionem non magis moderatam: ΕΦΕCΙΩΝ. Η. ΠΡΩΤΗ. ΠΑCΩΝ. ΚΑΙ. ΜΕΓΙCΤΗ. *Ephesiorum prima omnium et maxima* urbs, atque etiam abrogato reliquis omnibus primatu: ΕΦΕCΙΩΝ. ΜΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ACIAC. *Ephesiorum, qui soli primi sunt Asiae.* Arrogantius Pergamus triplicem jactat primatum; sed quae omnia in singularum urbium moneta curatius explicantur. Ergo urbs quaepiam similibus nixa meritis cum aliquid deesse ad suas laudes putaret, si sibi tantum prima videretur, neque istud aliis persuasisset, primam se palam coepit appellare sive suo arbitrio, sive ex praesidum scito, a quibus similes obtentas gratias supra diximus, parum solicita, sitne adscititio hoc nomine aliquid veri boni adsecuta, modo pueriliter scenicum titulum posset jactare, quem deinde pari ambitione, ne inferiores viderentur, sibi adscivere urbes aliae. Crescentibus deinde urbium discordiis magis, quam istud expedire reip. videretur, nequaquam mirum, oratores philosophos in medium progressos hanc inanium titulorum insaniam, ut videmus, pro deridiculo putasse, ipsos vero tum etiam magistratus Romanos, qui teste Dione haec urbium Asiaticarum desideria, quamdiu modum non excessere, Ἑλληνικὰ ἁμαρτήματα appellare consueverunt a), immodicis earum cupiditatibus frenum injecisse, quod quidem imperium ex numis ipsis non obscure colligitur. Etenim Nicaeenses, qui, ut ex Dione vidimus, inflammatis odiis de primatu cum Nicomedensibus contenderunt, causa discessisse inferiores inde apparet, quod in solis Domitiani numis se primos jactant, deinceps hoc titulo, non sponte, ut verisimile est, abstinent. Atque haec de primatus honore disputata sufficiant,

a) Orat. XXXVIII. p. 479.

inani illo, si oratores audias, nisi forte, quod oratores facere solent, ejus praestantiam causa sic exigente elevare intenderunt. Narrat Philostratus [a]), Smyrnaeis controversiam fuisse de templis eorumque juribus, delatoque ad imperatorem Antoninum Pium judicio Smyrnam primatum abstulisse, και απηλθεν ἡ Σμυρνα τα πρωτεια νικωσα. Ex quo videtur colligi posse, litem de primatu non fuisse inanis tituli causa, cujus judicium ad ipsum imperantem delata est, nisi forte nomine πρωτειων hoc loco aliud intelligitur, quam in numis. Existimat Mazzolenus, iis, qui primos se appellabant, priorem in publicis solennitatibus locum cessisse, istudque eruit ex Dione Chrysostomo sic Nicomedenses adloquente [b]): ἐι μη τι νυν δοκειτε ἀυτȢς ὑπερ της προπομπειας καλως ἀγωνιζεσθαι, *nisi forte existimatis vos de priore in solennitatibus loco recte contendere*. Apud Iosephum Dolabella, qui post Caesaris dictatoris mortem summam sibi in Asia potestatem arrogavit, praecipit Epheso πολει πρωτευȢσῃ της Ασιας, ut edictum suum dimittendum curet per urbes singulas, suo, ut opinor, primatui obnoxias [c]).

Cum tres essent in Asia urbes, quae *primae* titulo gloriabantur, Ephesus, Pergamus, Smyrna, fuit etiam, quae *septimae* honore satis sibi nobilitata est visa. Fuit haec Magnesia Ioniae, cujus numus inscribitur: ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ЄΒΔΟΜΗC. ΤΗC. ΑCΙΑC. *Magnetum urbis, quae est septima Asiae.* Quas sex alias se praestantiores agnoverit, non constat, neque habemus numos alios, ex quibus, quae fuerit secunda, quae tertia, etc. intelligeremus. Vide, quae de singulari hoc titulo in moneta hujus urbis notavimus.

CAPVT VII.

DE POPVLIS ET VRBIBVS NEOCORIS.

Frequenter cum in marmoribus, tum numis privatim personas utriusque sexus, publice populos urbesque ΝεωκορȢς legimus. Ejus igitur vocabuli significatio primum definienda. Ducitur ab Attico νεως *templum*, et κορεω, *verro*,

a) in vit. Polem. §. 8. b) Orat. XXXVIII. p. 479. c) Ant. L.XIV. c. X. §. 12.

purgo, et quod sequitur, νεωκορος est is, ad quem purgandi a sordibus templi cura pertinet. Vnde Hesychius a): Νεωκορος, ὁ τον ναον κοσμων, κορειν γαρ το σαιρειν ἐλεγον, id est: Νεωκορος *est is, qui templum mundat; κορειν enim dixere σαιρειν, id est: verrere.* Philo Iudaeus neocoros vocat etiam illos, qui janitorum munere funguntur, qui ante sacrarium invigilant, ne quis profanus intret, qui diurnas nocturnasque stationes sortiti templum obeunt, qui porticus, atriumque verrunt, et sordes amoliuntur b) *). Ex quo apparet primaeva hujus ministerii vilitas, sed quo subinde servis relicto retentum tamen nomen, quod et innuit Suidas c): Νεωκορος, ὁ τον νεων κοσμων και ἐντρεπιζων, ἀλλ' ἐχ' ὁ σαρων, *qui templum mundat et instruit, non qui scopis verrit.* Serius enim Neocori dicti fuere sacer magistratus, cui illustria templorum sacrorumque rituum ministeria sunt demandata. Ejus mentionem fieri jam video apud Xenophon-

---

a) In Νεωκορος. b) de praem. Sacerd. Tom. II. p. 236. edit. Mangey. c) in Νεωκορος.

*) Haec olim lecta cum non satis adriderent eruditissimo L. B. de Locella, in haec verba rescripsit:

» Diu est quod me offendit recepta vocabuli νεωκορος etymologica explicatio. Praefertur » scilicet in verbo κορεω significatio *verrendi*, negligitur minus nota *curandi*, *ornandi*, *in-* » *struendi*, atque adeo pro *aedituis* nobis supponuntur puri puti templorum fanorumve » *scoparii*, ut cum Vlpiano loquar. Glossam in Hesychio non moror; nam, praeterquam » quod ipsius Hesychii opus non habemus, non video cur maior esse debeat eius lexici » auctoritas quam Suidae, quandoquidem uterque sua e veteribus scholiis compilavit. » Apud Suidam igitur eadem verba, quae in v. Νεωκορος leguntur, occurrunt denuo in » v. Κορη, ubi vero praecedunt ista haud spernenda: λεγεται δε και κορη και κορος ὁ » νεωτατος, ἀπο τε κορω, το ἐπιμελεμαι. Mox etiam adfertur glossa κορησατε, ἐπιμελε- » θητε. Similiter fere Photius in Lex. Ms. Νεωκορος, ὁ τον νεων κοσμων και ἐντρεπιζων, » sine mentione τε σαιρειν. Et Cyrillus in Lex. Ms. Νεοκορος (sic scribitur quoque in Cod. » Biblioth. Caes. Vindob.) ὁ τον ναον κοσμων· κοσμειν γαρ το κορειν ἐλεγον. Itaque si » κορειν, consentiente etiam Hesychio, praeter σαιρειν et καθαιρειν, significat κοσμειν et » ἐπιμελεισθαι, quod prohibet quin Νεωκορους a curandi, ornandi, instruendi munere » potius quam ab everrendi opera dictos fuisse credamus? tametsi negare non ausim pur- » gandi quoque templi ministerium, inter cetera, priscos Νεωκορες et Ζακορες obiisse. » Hoc dumtaxat mihi iure tueri posse videor, numquam sola scopa horum munus (neque » etiam των σηκηκορων, si Suidae fides), fuisse circumscriptum. Quid quaeris? nonne eo- » dem modo quo νεωκορος composita sunt: γυιοκορος, quod de corporis ornatu praeclare » interpretatus est Graev. ad Hesiodi Opp. et D. v. 66. Graecorum grammaticorum au- » ctoritate firmans verbi κορειν potestatem, neque Neocororum nominis oblitus? tum vero » Ζακορος, Σιοκορος, et eius interpretatio θεοκορος apud Hesychium? Quare ne plura ad- » dam, τες νεωκορες και Ζακορες inter ὀνοματα των θεους θεραπευοντων relatos videmus » a Polluce.

tem, qui sese incertae belli aleae commissurus, Ephesi pecuniam *κατελιπε παρα Μεγαβυζῳ τῳ της Αρτεμιδος νεοκορῳ*, *deposuit apud Megabyzum Dianae aedituum* addito mandato, si quid sibi humanitus accidisset [a]). Vnde intelligimus primum muneris hujus vetustatem, deinde neocororum fidei solitos fuisse credi thesauros, ac vel ideo hos fuisse viros conspicuae famae et nominis, et sacri magistratus rationem habuisse, quod praeclare confirmat Plato tria magistratuum genera constituens: *πολεως ἀςυνομους, ἀγορας ἀγορανομους, ἱερων νεωκορους, ἱερεας τε και ἱερειας*, *urbis astynomos, fori agoranomos, templorum neocoros, sacerdotes mares et feminas* [b]).

Νεωκορον Latini reddunt *aeditimum*, *aedituum*, utroque perinde dicto teste Varrone [c]). *Sementivis feriis in aedem Telluris veneram rogatus ab* aeditimo, *ut dicere didicimus a patribus nostris, ut corrigimur a recentibus urbanis*, aedituo. Apud Ausonium [d]): *Qui Beleni* aedituus *nil opis inde tulit.* Sequiore aevo non difficiles Latini ipsum *Neocori* vocabulum in linguam suam recepere. Sic in numis Coloniae Neapolis Samariae Latine inscriptis haec dicitur NEOKORA. In marmore Gruteri: NEOCORO. HIEROFANTAE. etc. [e]) praeter Firmicum mox citandum. Aliter Tacitus insulam Co vocat Aesculapii dei *ministram* [f]) id est: neocoram. Fuisse in nonnullis urbibus Neocororum quoddam collegium, atque hos inter aliquem, qui dignitate alios praeibat, docet insignis lapis Farnesius apud Gruterum [g]) in quo M. Aurelius Asclepiades dicitur O. ΠΡЄCΒΥΤΑΤΟC. ΤΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. ΤΟΥ. ΜЄΓΑΛΟΥ. CΑΡΑΠΙΔΟC. *Senior inter aedituos magni Sarapidis.* Quod idem testatur etiam Firmicus Maternus [h]): *Hic* (Sarapis) *in Aegypto colitur, hic adoratur, hujus simulacrum Neocororum turba custodit etc.*

Ab his ergo testimoniis erudimur, neocoratus, vilis olim, ut dixi, ministerii, sensim crevisse dignitatem auctoritatemque, et veri sacerdotii instar fuisse, cujus erat procurare templorum nitorem, ac substructiones, tueri privilegia, et jura, custodire donaria, et quae ibi velut communi asylo fuere deposita, pecunias, thesauros, testamenta, etc. quibus deinde sub imperatoribus, ut dicetur, accesserit procuratio sacrificiorum, ludorumque. Secundum Theodoretum Neocororum fuit templum ingressuros aqua lustrali purificandi causa aspergere, atque idem beneficium praestare carnibus ad Caesaris mensam destinatis. Vtriusque adfert exempla [i]). Nequaquam adeo mirum, archontes, prytanes, strategos aliosque magistratus eponymos neocoratus etiam honorem adfectasse, eumque testimonio marmorum numorumque reliquis suis titulis adjecisse. Exempla ex marmoribus non adfero, quorum complura habes apud Van Dale [k]). At lubet neocoros omnes, quotquot in numis reperi, hoc

---

a) De exped. Cyri. L. V. p. m. 350. b) de legib. L. VI. c) de re rust. L. I. c. 2. d) Carm. 200. 19. e) pag. 1102. 2. f) Ann. XII. 61. g) pag. 314. 1. h) de error prof. rel. p. m. 432. i) L. III. c. 6. et 14. k) diss. IV. c. 1.

loco ob causae adfinitatem proponere, etsi juste in magistratus sacri stationem forent trajiciendi. Comparebunt in hoc syllabo neocori tam viri, quam feminae, nam haec dignitas, ut causae postulabant, tam fuit cum utroque sexu communis, quam sacerdotia, quibus et praefuisse feminas in vulgus notum, de quo vide Van Dale [a]), ac praecipue insignem Platonis locum [b]).

ЄΠ. CTP. ΑΤΡ. ΓΑΡΟΤ. Β. ΝЄωκορȣ. in numo Adramytii Mysiae.

ΜΑΡ. ЄΤΓЄΝΟΤC. ΝЄΩΚΟΡΟΤ. in numo Aegarum Ciliciae.

ЄΠΙ. ΙΟΤ. CЄΤΗΡЄΙΝΟΤ. ΑΡΧ. Γ. ΝЄΩΚΟΡ. in numo Aezanis Phrygiae.

ЄΠΙ. ΜΗΝΟΔΩΡΟΤ. ΝЄωκορȣ. in numo Ancyrae Phrygiae.

ЄΠΙ. ΙΟΤ. ΚΟΔΡΑΤΟΤ. ΝЄωκορȣ ΑΡΧ. in numo Cotiaei Phrygiae.

ЄΠΙ. CTP. ΠЄΛΛΩΝΙΟΤ. ΝЄωκορȣ. in numo Eleae Aeolidis.

ЄΠΙ. ΝЄωκορȣ ΠЄΔΙΑC. CЄΚΟΤΝΔΗC. in numo Eucarpiae Phrygiae.

ЄΠΙ. ΓΡ. ΤΤΧΙΚΟΤ. Β. ΝЄωκορȣ. in numo Magnesiae Ioniae.

ЄΠΙ. CTPA. ΚΛ. CTPATΩΝЄΙΚΙΑΝΟΤ. ΝЄΩκορȣ. in numo Thyatirae Lydiae.

Numos singulos in suarum urbium moneta laxius descriptos reperies, ubi et observamus, factum aliquoties, ut ab his, qui numos similes ediderant, neocoratus juxta scriptus perperam transferretur ad ipsas urbes, cum tamen ad personas pertineret.

A personis neocoris ad populos civitatesque neocoras transeamus, ad quod examen, longum sane, lubricum et implexum antequam aggredimur, lubet ex vetere meo instituto eorum populorum, urbiumque, qui neocoratu praediti fuere, catalogum constituere.

CATALOGVS

Populorum, Vrbiumque Neocorarum.

Abila Decapoleos, *iterum.*
ΑΒΙΛΗΝΩΝ. Β. ΝЄ.

Acmonia Phrygiae.
ΑΚΜΟΝЄΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ.

Adramytium Mysiae. Ejus neocoratus falso adsertus a Vaillantio, ut diximus in ejus numis.

Aegae Ciliciae.
ΑΙΓЄΑΙΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. vel ΝЄΩΚΟΡΟΤ.

Amasia Ponti.
ΑΜΑCΙΑC. ΝЄΩΚ.

Ancyra Galatiae, *iterum.*
ΑΝΚΤΡΑC. Β. ΝЄ.

Attalia Lydiae.
ΑΤΤΑΛЄΩΝ. ΝЄΩΚ.

a) l. c. b) de Legib. L. VI. p. 759.

Caesarea Cappadcciae, *iterum*. Inde a Severo: ΚΑΙϹΑΡ. ΝΕΩΚ. inde a Gordiano Β. ΝΕ.

Cibyra Phrygiae. Ejus incertus neocoratus, ut dixi in hujus urbis moneta.

Claudiopolis Isauriae. Ejus neocoratus perperam intrusus a Vaillantio. Vide numos Claudiopolis Bithyniae.

Cyzicus Mysiae, *iterum*, *tertium*. Inde ab Hadriano: ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. ΝΕΟΚΟΡΩΝ. — inde a Caracalla usque Claudium Goth. ΔΙϹ. vel Β. ΝΕΟΚΟΡΩΝ. nulla tamen certa lege, nam et neocoratus simplex saepe notatur. — In unico, eoque autonomo: ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. Γ. ΝΕΟΚΟΡΩΝ. (Hunter.)

Ephesus Ioniae, *iterum*, *tertium*, *quartum*.
Inde a Nerone adhuc Caesare: ΕΦ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. — inde ab Hadriano: ΔΙϹ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. — inde a Caracalla: ΤΡΙϹ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. et sub hoc insolens formula: ΔΙϹ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΚΑΙ. ΤΗϹ. ΑΡΤΕΜΙΔΟϹ. — Sub Elagabalo magnifice: ΕΦΕϹΙΩΝ. ΜΟΝΩΝ. ΑΠΑϹΩΝ. ΤΕΤΡΑΚΙ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. In aliis deinceps: ΤΕΤΡΑΚΙϹ. vel: Δ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Sed inde a Maximino variant Γ et Δ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

Halicarnassus Cariae.
ΑΛΙΚΑΡΝΑϹϹΕΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

Heraclea incerti situs.
ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. in numo Elagabali. (Vaill.) ΗΡΑΚΛΗΑϹ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. in numo Saloninae. Vide, quae de ambiguis his numis notavi in moneta Heracleae Bithyniae.

Hierapolis Phrygiae.
ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

Iuliopolis Bithyniae.
ΙΟΥΛΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

Laodicea Phrygiae.
ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. inde a Caracalla, addito etiam in nonnullis Caracallae et Maesae: ΔΟΓΜΑΤΙ. ϹΥΝΚΛΗΤΟΥ.

Laodicea Syriae. Eam Vaillantius neocoram injuria facit. Vide ejus numos.

Macedones, *iterum*.
ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΝΕΩΚ. in aliis: Β. vel ΔΙϹ. ΝΕΩΚ. sic inscribuntur numi frequentes aenei, in quorum antica est caput Alexandri M., de quibus vide monetam hujus regis. In imperatoriis sub Caracalla demum neocoratus notari incipit, ac tum statim Β. ΝΕΩ., quod et deinceps observatur dempto numo Diadumeniani, in quo: ΚΟΙ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩ.

Magnesia Ioniae.
ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΗϹ. ΑΡΤΕΜΙΔΟϹ.

Mantalus Phrygiae.
ΜΑΝΤΑΛΗΝΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. sed numus est dubiae fidei, ut suo loco monuimus.

Miletus Ioniae.
ΜΙΛΗϹΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. in solis numis Balbini et collegarum.

Neapolis Samaritidos.
COL. NEAPOL. NEOKOPO. in quibusdam numis Philippi; serius: ΦΛ. ΝΕΑϹΠΟΛΕΩϹ. ΝΕΩΚΟΡΟΥ. in numis Treboniani et Volusiani.

Neocaesarea Ponti.
ΝΕΩΚΑΙϹΑΡΙΑϹ. ΔΙϹ. ΝΕΩ. in numo unico Valeriani. (Sestini Lettere P. III. p. 10.)

Nicomedia Bithyniae, iterum, tertium.
ΝΕΙΚΟΜΗΔΕΙΑϹ. ΝΕΩΚΟΡ. sub Antonino Pio — Incipit sub Commodo ΔΙϹ. ΝΕΩΚ. — Sub Caracalla ΤΡΙϹ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. et deinceps usque ad Gallienum jam ΔΙϹ. jam ΤΡΙϹ.

Nysa Cariae.
ΝΥϹΑΕΩΝ. ΝΕΩΚ. in rarissimis M. Aurelii.

Perga Pamphyliae.
ΠΕΡΓΑΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

Pergamus Mysiae, iterum, tertium.
ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. sub Antonino Pio, et adhuc sub hoc: ΔΙϹ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. — inde a Caracalla ΤΡΙϹ. vel Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. In numo Caracallae musei Caesarei: ΚΑΙ. ΤΡΙϹ. ΝΕΩΚΟΡΟϹ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΠΟΛΙϹ.

Perinthus Thraciae, iterum.
ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. sub Severo scribi coeptum, et adhuc sub hoc Δ vel ΔΙϹ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

Philadelphia Lydiae.
ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑ. ΝΕΩΚΟΡΟϹ. vel: ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. in pluribus autonomis et imperatoriis.

Philippopolis Thraciae.
ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΩϹ. ΝΕΩΚΟΡΟΥ.

Sardes Lydiae, iterum, tertium.
Inde ab Antinoo: ϹΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. — Sub Severo: Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. — Sub Caracalla: Γ. vel ΤΡΙϹ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Sub sequentibus imperatoribus variant Β. et Γ. Sed vide, quae de his in moneta Sardium observo.

Side Pamphyliae.
ϹΙΔΗ. ΝΕΩΚΟΡΟϹ.

Smyrna Ioniae, iterum, tertium.
ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. inde a Trajano. — Sub Commodo: Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. et forte adhuc sub hoc: Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Vide numos hujus urbis. In numis Caracallae et Alexandri Sev. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΩΝ. ϹΕΒΑϹΤΩΝ.

Taba Cariae.
ΤΑΒΗΝΩΝ. Ν. in uno Gallieni numo apud Pellerinium, (Rec. III. p. 217.) sed minus certum, utrum ea littera Neocoratum notet.

Tarsus Ciliciae. iterum.
ΤΑΡΣΟΥ. ΔΙϹ. ΝΕΩΚΟΡΟΥ. in aliquot autonomis, et imperatoriis unius Commodi nullo cognito simplice neocoratu.

Teos Ioniae, *iterum.*
ΤΗΙΩΝ. ΝΕΩΚ. et B. ΝΕ. utrumque in numis M. Aurelii et Faustinae jun.

Thessalonica Macedoniae, *iterum tertium.*
ΘΕϹϹΑΛΟΝΙΚΗ. ΝΕΩΚΟΡΟϹ., vel ΝΕΩΚΟΡΑ. addito in aliis B. ΝΕ. vel Γ. ΝΕ. nulla certa lege, ut dictum in ejus urbis moneta.

Tomi Moesiae infer.
ΜΗΤΡΟΠ. ΠΟΝΤΟΥ. ΝΕΩΚ. in unico Domnae numo.

Tralles Lydiae.
ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. vel ΤΩΝ. ϹΕΒΑϹΤΩΝ. in numis Caracallae.

Tripolis Phoeniciae.
ΤΡΙΠΟΛΙΤ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. in unico Elagabali.

Ne mirere catalogi hujus angustias. Facile enim fuerat duplo auctiorem repraesentare, si libuisset sinceram meam mercem inquinare exemplis aliis, quae sive Goltzii fraudes, sive iniqua Occonis, aliorumque praeconia parturivere. Ego enim sic existimo, quantum commentarii numismatici indies crescunt inventis veris, tantum iis detrahenda, quae falsa sunt comperta, quae quoniam humano pastui jam non prosunt, blattis tineisque in escam permittantur. Eccur enim, quas jam stomachamur, recoquamus adhuc Goltzianas illas vomicas: Καρθαγηνων βις νεωκορων — Φαλαισιεων βις νεωκ. — Σκιρφλιων νεωκορων et plures alias belli ejus thessauri?

Apparet ex hoc syllabo, si quatuor Europae, tres Syriae late sumptae populos demas, reliquos omnes populos urbesque neocoras esse Asiae minoris, qua regione, ut aliorsum constat, nulla alia magis vano titulorum apparatu delectabatur.

Scribitur ΝΕΩΚΟΡΩΝ, cum gentile ponitur, at ΝΕΩΚΟΡΟΥ, cum urbis nomen enunciatur. Singulare in numis Aegarum Ciliciae: ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΟΥ. subaudi: πολεως, quo modo, sed expressis verbis, in marmore Sponii legitur: H. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗ. ΔΙϹ. ΝΕΩΚΟΡΟϹ. ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΠΟΛΙϹ. [a]). Potest etiam subaudiri δημȣ secundum aliud ejusdem Sponii marmor, in quo: ΝΕΩΚΟΡΟϹ. ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΔΗΜΟϹ. [b]) In omnibus fere Cyzicenorum numis habetur ΝΕΟΚΟΡΩΝ adversus communem morem et orthographiae legem, quem modum nonnunquam imitati quoque sunt Pergameni, nemo, quod norim in numis, alius, etsi Hesychius quoque scripserit νεοκορος.

In legendis numeris additis, cum hos litera tantum αρχαικσα indicat cautione opus. B. vel Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. molesta non sunt, cum haec semper *iterum*, vel *tertium* indicent: verum Δ significare potest vel Δις, *bis*, vel τετρακις, *quartum*; utriusque habemus exemplum in numis Perinthi, et Ephesi. Ceterum in solis Ephesi numis το Δ potest significare *quartum*, quia sola haec urbs quartum neocora fuit. Qui eundem

a) Voyage. T. III. p. 98. b) l. c. p. 130.

honorem aliis urbibus sunt impertiti, aut decepti sunt ipsi, ut Harduinus legendo ΝΙΚΑΙΕΩΝ. ΤΕΤΡΑΚΙ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. a) aut το Δ interpretati sunt τετρακις, pro ΔΙC. in quo peccavit Cuperus b). Egregiam formulam: ΒΙΣ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. pro ΔΙΣ. inter Goltzii cupedias repone, toties hoc vocabulum hybridam invitis Musis Graecis obtrudentis.

Numum singularem vulgavit Patinus c) in cujus antica caput Alexandri M., in aversa: ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Β. ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Miror, potuisse viros eruditos in explicando Β. ΔΙC., cujus utraque pars *bis* significat, tantum laboris incassum impendere, ut videre est apud Cuperum d). Cum ii ipsi monetariorum sphalmata non raro fuerint experti, et agnoscere etiam coacti fuerint, mirum sane, cur in hac inscriptione suspicari noluerint tautologiam ab ignavo monetario admissam. Obvium est in his numis jam Β. jam ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Ergo monetarius utrique adsuetus si utrumque temere sociasse dicatur, quod pronissimum est credere, nihil amplius causae erit, cur nodum in scirpo quaeramus.

Numi ante Neronem neocoratum non produnt. Sunt hi, ut vidimus, Ephesi, et quia Neronem nondum Augustum offerunt, sub Claudii imperio signati. Anterior nondum compertus, si Goltzii iterum nugas demas, jam in numis Iulii Caesaris et M. Antonii neocoratus ementiti. Neocoratus mentio sub Claudio Gothico cum ipsis Graecarum urbium numis desinit. Tamen quod mirum, adhuc Fl. Leonis I. aetate Sardiani se dixere ΔΙC. ΝΕΟΚΟΡΟΥC., teste marmore, quod citavi in moneta Sardium.

* * *

Enumeratis populis et urbibus, quae neocoras sese professae sunt deinceps capita duo ad examen vocanda, I. Quorum numinum se populi urbesque in numis neocoros profiteantur. II. Quae fuerint variae eruditorum sententiae de multiplicato urbium neocoratu.

§. I.

Quorum numinum se populi urbesque in numis neocoros profiteantur.

Neocoros veteris fuisse in Graecia instituti, iisque templorum fuisse demandatam curam, jam inter omnes constat. Neque jam animus est refellere Goltzium, ejusque interpretem Nonnium, tum et Antonium Augustinum, qui miram vocabulo ΝΕΩΚΟΡΩΝ significationem affinxere, quorum varia judicia exposuit Vaillantius in dissertatione, quam infra laudabo. Primum personae singulae, deinde civitates, neocorae fuerunt eorum numinum, quae sibi fuere dome-

a) numi pop. ill. b) Lettres de critique p. 490. c) numi impp. pag. m. 12. d) Lettres de crit. p. 499.

stica, et tutelaria, aut quorum honori intra moenia sua aedes sacras erexere. Personas singulas certorum numinum neocoras frequenter memorant marmora. Vrbis numinis sui neocorae insigne habemus exemplum in sacris literis, Ephesiorum scriba, ut est in actis Apostolorum [a]), his verbis concitatum populum compescente: *Ανδρες Εφεσιοι, τις γαρ εϛιν ἀνθρωπος, ὁς ȣ γινωσκει την Εφεσιων πολιν* ΝΕΩΚΟΡΟΝ *ȣσαν της μεγαλης θεας Αρτεμιδος και τȣ Διοπετȣς; Viri Ephesii! quis enim est homo, qui ignoret Ephesiorum urbem NEOCORAM magnae deae Dianae et signi de coelo delapsi?* Ac privati quidem hujus domesticorum numinum neocoratus bina habemus exempla in numis imperatorum aetate percussis: ЄΦЄCIΩN. ΔIC. NЄΩKOPΩN. KAI. THC. APTЄMIΔOC. *Ephesiorum bis neocororum et Dianae*, nimirum Ephesiae suae. MAΓNHTΩN. NЄΩKOPΩN. THC. APTЄMIΔOC. *Magnetum* (Ioniae) *neocororum Dianae*, nempe Leucophrynes suae, ut in eorum moneta comprobamus. Et juvat observare, secundum hanc Graecorum phrasin Iosephum bis Iudaeos dei sui neocoros dicere, nimirum: *ȣς ὁ θεος ἑαυτῳ νεωκορȣς ἡγεν, quos deus sibi neocoros constituit*, iterum cum narrasset, eos dei sui beneficio Babylone in patriam reversos, addit: *πρȣπεμφθησαν γȣν ὑπ' ἀυτȣ, και παλιν τον ἀυτων συμμαχον ἐνεωκορȣν, deducti enim sunt ab eo, et rursum adjutoris sui facti sunt neocori* [b]).

Privati hi Graecorum neocoratus vilescere sensim coepere inductis novis, quos suasit servitium, et quae huic adhaerescere consuevit, adsentandi libido. Etenim Graeci Asiatici cresente latius Romanorum potentia et ad se usque porrecta nihil omisere officiorum, quibus possent populi praepotentis sibi gratiam promereri. Ex his Smyrnaei dato sibi a Tiberio senatu professi sunt publice, se primos templum urbis Romae statuisse M. Porcio consule, nimirum anno V. C. 559 [c]). Ab his in alias urbes datum exemplum; post annos enim non multos Alabandenses Cariae Romae item templum fecere ludis anniversariis ei deae institutis [d]). Petentibus Asiaticis permisit Augustus, ut nomine D. Iulii, vel suo, vel urbis Romae aedificarentur templa per illustrissimas Asiae urbes Ephesum, Nicaeam, Pergamum, Nicomediam [e]). Reliquiae templi, Romae et Augusti honori inscripti, hodieque apud Mylasa Cariae superant [f]), ut templum Lugduni communi Galliarum nomine, aliaque copiosa per imperii provincias posita praeteream, de quibus agam latius in numis Augusti commatis peregrini. Non multo post erectum fuit Smyrnae templum Tiberio, ejusque matri Iuliae et Senatui [g]), Commodo Nicomediae Bithyniae [h]). Atque haec exempla possunt ad causam meam sufficere. Si ergo Graeci Romae et imperantibus constituerunt templa, neocoris etiam iis opus fuit, et ne minus in eos videren-

a) Cap. XIX. v. 35. b) bell. Iud. L. V. c. 9. p. 348. c) Tacit. Ann. IV. 56. d) Liv. L. XLIII. c. 6. e) Dio L. LI. §. 20. f) Chishull ant. Asiat. p. p. 207. g) Tacit. Ann. IV. 15. 56. h) Dio L. LXXII. §. 12.

tur officiosi, si uni tantum alterive templi curam, et quae ibi peragenda fuere, sacrificia ac pro salute vota demandassent, placuit totum populum, aut civitatem dicere neocoram, et communis in principem obsequii facere participem. Iam vero numi aliquot certum praebent testimonium, inscriptum neocoratum non ad privatum urbis numen, sed principes Romanos pertinuisse. In numis Smyrnensium non raro legas: CMΥΡΝΑΙΩΝ. Γ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. ΤΩΝ. CЄΒΑCΤΩΝ. *Smyrnensium ter Neocororum Augustorum*, atque idem confirmat marmor Oxoniense, in quo Smyrna *ter* dicitur Γ. ΝЄΩΚΟΡΟC. ΤΩΝ. CЄΒΑCΤΩΝ. *Neocora Augustorum* a). In numo Trallianorum Lydiae: ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. ΤΩΝ. CЄΒΑCΤΩΝ. eodem sensu. Sunt qui existiment, neocoratus omnes numis inscriptos, nisi cum diserte alterius dei nomen exprimunt, ut de Epheso et Magnesia diximus, ad imperatores pertinere, etsi Augusti nomen non addatur, et indicare, in imperantis cujuspiam honorem ibi erectum templum, et vota statis temporibus concipi solita. Istud non adfirmavero, etsi hoc aliae causae in nonnullis faciant verisimile, v. g. in numis Teii Ioniae visitur caput Augusti intra templum, ergo tale ibi stetit, et credibile, Teios, qui se neocoros dixere, fuisse neocoros Augusti. At de aliis omnibus hoc adserere difficile, quanquam facile adsentiar Rubenio, qui istud saltem tunc verum esse conjicit, quando urbs quaepiam sese bis vel ter neocoram profitetur, quia hactenus exemplum non exstat, urbem aliquam causa Dianae suae, vel Iovis, vel Apollinis se bis vel ter neocoram appellasse. Confirmare hoc videtur nota in numis Ephesiis epigraphe: ЄΦЄCΙΩΝ. ΔΙC. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. ΚΑΙ. ΤΗC. ΑΡΤЄΜΙΔΟC. in qua haud dubie post ΔΙC. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. subaudiendum: ΤΩΝ. CЄΒΑCΤΩΝ., sic ut sensus sit: *Ephesiorum*, qui sunt *bis neocori* Augustorum, *et* neocori *Dianae*.

Consentiunt fere eruditi, neocoratus honorem non fuisse meri arbitrii, sed ad eum obtinendum senatus consulto opus fuisse. Neque desunt ad istud adserendum certa antiquitatis monumenta. Sic in marmore Oxoniensi Smyrna dicitur Γ. ΝЄΩΚΟΡΟC. ΤΩΝ. CЄΒΑCΤΩΝ. ΚΑΤΑ. ΤΑ. ΔΟΓΜΑΤΑ. ΤΗC. ΙЄΡΩΤΑΤΗC. CΥΝΚΛΗΤΟΥ. *tertium neocora Augustorum* non suopte arbitrio, sed *secundum decreta sanctissimi senatus* b). In alio marmore Oxoniensi c) memoratur ΔЄΥΤЄΡΟΝ. ΔΟΓΜΑ. CΥΝΚΛΗΤΟΥ. ΚΑΘΟ. ΔΙC. ΝЄΩΚΟΡΟΙ. ΓЄΓΟΝΑΜЄΝ. *alterum senatus consultum*, *secundum quod bis neocori facti sumus*, nempe Smyrnaei. His adde numos Laodiceae Phrygiae. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. ΔΟΓΜΑΤΙ. CΥΝΚΛΗΤΟΥ. *Laodicensium neocororum Senatus consulto*. Haec certa; sed nolim aeque certum putare, quod adserit Vaillantius in dissertatione infra citanda, in numo Perinthiorum bis neocororum cum capite Elagabali additum Γ. Β. indicare, eos alterum neocoratum

a) Num. V. b) num. 5. et 6. c) num 10.

senatus consulto consecutos. Equidem facile dedero, eas litteras significare Γνωμη Βȣλης *senatus consulto*, verum an hic nomine Βȣλης intelligatur senatus Romanus, magnopere dubitem. Hunc enim Graeci in monumentis suis constanter dixere συγκλητον, ut diximus supra pag. 225. Potius ergo in hoc numo indicatur magistratus domesticus, perinde atque hic in numis Tarsi et Anazarbi indicatur similibus litteris Γ. Β. vel Γ. Γ. id est: γνωμη vel Γραμματι Βȣλης vel Γερȣσιας. In viam ut redeam, teste Dione Nicomedenses a senatu denique impetravere, ut erigere Commodo templum, et agere ludos liceret [a]). Ergo, ut diximus, urbium neocoratus a senatus Rom. arbitrio pendebat, qui toties se Graecorum rebus miscuit, quoties res imperantis agebatur, vel eorum mores in licentiam verterunt. Cujus generis fuere neocoratus, imperatorum, ut vidimus, honori constituti, tum et indita urbibus ab imperantibus nomina, de quibus agemus alibi, aut denique asylorum licentia senatus consulto cohibita, cujus memoriam conservant numi Ephesi inscripto: ΔΟΓΜΑΤΙ. CΥΝΚΛΗΤΟΥ. ΟΥΤΟΙ. ΝΑΟΙ. *Senatus consulto haec templa*, de quo vide monetam hujus urbis. Sed neque minus cohibenda fuit Graecorum ambitio neocoratum certatim expetentium, quod hic propter festorum ludorumque solennia magnos sumptus flagitabat. Ceterum ut lubenter permisero, neocoratus imperatorios fuisse a senatu petendos, sic dubium non videtur, urbes suomet arbitrio potuisse se dicere numinum suorum neocoras.

§. II.

Quae fuerint variae eruditorum sententiae de multiplicato urbium neocoratu.

Hactenus inoffenso pede in investiganda neocoratus natura sumus progressi. Restant explicandi neocoratus iterati. Vidimus enim supra, v. g. Ephesum sub Claudio dici simpliciter neocoram, sub Hadriano bis, sub Caracalla ter, sub Elagabalo quater neocoram. Sed neque istud pro recepto plurium imperatorum cultu, quem infra exponemus, difficultatem pariat. Verum illud explicare permolestum, quo pacto urbs, quae se jam v. g. tertium neocoram professa est, serius se potuerit profiteri bis neocoram, atque deinceps inter secundum et tertium neocoratum variare. Implexi hujus argumenti enodatio mirum quantum eruditorum torserit ingenia, verum exitu hucusque infelice, quod antequam comprobamus, necessarium videtur, eorum, qui in praesente causa explicanda aliis copiosius elaboravere, dictata quam fieri poterit breviter strictimque proponere.

Iudicium IOANNIS SELDENI, quod exstat in marmorum Arundellianorum,

a) L. LXXII. §. 12.

seu Oxoniensium editione II. Londin. pag. 186. Eruditus hic vir primus fuit, qui verum vocabuli ΝΕΩΚΟΡΩΝ sensum eruit, quem ii, qui praecessere, aut inexplicabilem sunt professi, aut infeliciter interpretati. De additis numeris, de quibus nunc agimus, sic sentit: Neocoros ad panegyres, seu sacra certamina, sive pentaeterica, sive aliis tempestatibus annuis innovata attinuisse; temporum autem notas, seu numeros saepius adjectos non annos existimat, non agones signare, sed tantummodo muneris των Νεωκορων vices continuas; unde fiebat, ut intermissa prorogatione, alia nimirum ad aedituandum urbe suffecta, cives, qui hoc munere antea bis, ter, quaterve continenter functi essent, vices suas, seu prorogationes denuo minime unquam dinumerarent, sed a prima vice, si quando iterum pluries neocori fierent, similiter, ut primo, redauspicarentur. Haec vir eruditus ad oraculi Pythii morem obscure sane et implexe. Sintne ejus sensum recte adsecuti Vaillantius et Mazzolenus in dissertationibus mox citandis, non moror, cum vel ii ipsi a Seldeni explicatione recedendum sibi putent.

Iudicium ALBERTI RVBENII, quod exstat in diatribe de Neocoris inserta Tomo XI. ant. Rom. Graevii. Is additos numeros B. Γ. Δ. ad numerum templorum in una eademque urbe Caesarum honori exstructorum refert. Confirmat istud Nicomedensium exemplo, qui per Saoterum impetrarunt veniam celebrandi agonem et templum in Commodi honorem aedificandi teste Dione a). Quapropter Nicomedenses, qui se antea dixere neocoros simpliciter ob templum Augusti a communi Bithyniae positum, posthac se dixere bis neocoros. Iam vero Nicomedensium numos sententiae suae planissime favere existimat; ii enim, inquit, qui ΔΙΣ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. inscribunt, plerique duo templa exhibent, ut alii tria templa cum epigraphe ΤΡΙΣ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. in numis Caracallae. At cum haud dubie templum Caracallae imperfectum remanserit, iterum ad ΔΙΣ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. redivere, resumpto ΤΡΙΣ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. sub Valeriano in numis trium templorum typo insignibus.

Iudicium IOANNIS HARDVINI in numis popp. et urbb. illustratis sub ΑΒΟΛΛΑΙΩΝ. Sub eodem, inquit, principe non modo semel, sed bis, ter, quaterve urbes, ludos ut ederent, deposcebant, et eximii honoris loco ducebant. Quare occurrit in numis δις, τρις, τετρακις Νεωκορων.

Iudicium ANTONII VAN DALE, quod est inter ejus dissertationes IX. dissertatione IV. cap. IV. Sub uno, inquit, eodemque imperatore, vel pluribus una imperantibus urbes quandoque semel, quandoque bis, ter vel quater factas fuisse neocoras, quin tamen exigeretur, ut tot erigerentur templa, quot erant neocoratus, hoc enim fuisse meri arbitrii. Ergo ex. gr. si uni Severo constitutum templum et ludi, semel fiebant neocori, et quidem τε Σεβαςε;

a) L. LXXII. §. 12.

si Severo ac Domnae, bis; si Severo, Domnae, Caracallae simul, ter, sicque erant τρις νεωκοροι των Σεβαςων, quamvis in unico templo, quod principio soli Severo posuerant, etiam hos ceteros simul post consecrarent. At saepe plura templa pluribus, id est, unicuique proprium aedificabatur templum, docente istud numero templorum in numis. Cum pro numero imperantium major est neocoratuum numerus, statuendum, etiam mortuos in honoris societatem adsumptos. Sic cum Ephesii sub Elagabalo leguntur ter et quater neocori, probabile est, ab eo Marcum, Severum, Caracallam accitos, quod is quam maxime Antoninus haberi vellet. Atque hoc is modo difficultates omnes per omnium imperatorum numos nullo, ut vides lector, negotio resecat. Ambidexterum istud systema graviter jam ac severe impetiit Cuperus in epistolis suis criticis pag. 484. seq.

Iudicium IOANNIS VAILLANTII. Aperuit illud vir praestans primum in opere, quo Graecos imperatorum numos vulgavit [a]), aliquot post annis adcuratius exposuit in dissertatione inserta τοις *Mémoires des inscriptions Tome II. p.* 507. Dubitari non potest, inquit, neocoratus varios non sub eodem principe, sed variis concessos, sic ut v. g. Ephesii neocoratum primum auferrent sub Nerone, alterum sub Hadriano, tertium sub Caracalla. Quod si in numis Ephesiorum sub posterioribus imperatoribus legatur ΕΦΕΣΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ., quando sub praecedentibus reperimus ΔΙC vel ΤΡΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ., tum tenendum, suppressum in illis numerum, quemadmodum etiam perfrequenter numerum tribuniciae potestatis in imperatorum numis suppressum videmus. Cum objicitur, exstare exempla, urbem quampiam se dicere ΔΙC neocoram, posteaquam se jam ante ΤΡΙC inscripsit, respondet, vereri se, ut numi hi rite sint promulgati, atque exemplo probat, in quae avia non raro iniqua haec indicia antiquarios deduxerint. Quod ad Ephesios attinet, qui se sub Elagabalo dixerunt μονης άπασων ΤΕΤΡΑΚΙ νεωκορης, sub sequentibus deinde jam Γ. jam Δ νεωκορης, ait, eos sub quarto neocoratu comprehendisse privatum suum ΤΗC. ΑΡΤΕΜΙΔΟC. ab ipsis etiam numis indicatum, quo in variis numis omisso restabant neocoratus tres ΤΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ.

Iudicium ALBERTI MAZZOLENI, quod est inter animadversiones in numismata max. mod. e museo Pisano animadversione IX. Postquam constituisset, urbes neocoras fuisse sacras, et unum idemque esse sacram et neocoram, et multis testimoniis comprobasset, urbibus neocoris seu sacris varia praeterea privilegia fuisse concessa, ut asylum, immunitatem, autonomiam, certamen sacrum etc., conjicit denique, urbes a numero horum privilegiorum bis terve neocoras dictas, quo porro admisso facile explicatur, quomodo urbes, quae prius ter quaterve neocorae inscribebantur, postea minore numero neocorae dicantur. Fieri enim potuit, ut effusus nimis gravisque urbibus cultus numinum et inde etiam privilegia

a pag. 216.

minuerentur, vel haec aliunde demererentur urbes, ut cum imperante Tiberio, ut narrat Tacitus, asylis Graecorum modus praescribebatur.

Iudicium IOSEPHI PELLERINII, dictatum in ejus opere: *Melange II. p.* 266. In explicandis, inquit, neocoratuum numis binas occurrere difficultates, quarum prima jam ab aliis agitata in eo constitit, ut expediatur ratio, quo pacto urbs quaepiam, quae se jam bis, ter, quater neocoram appellavit, subinde numerum minorem inscripserit, atque iterum ad majorem suum rediverit; altera, et omnibus hactenus intacta, qui factum, ut urbes secundum et tertium neocoratum ejusdem anni numis inscriberent. Ejus bina adfert exempla ex numis Sardium Lydiae a Vaillantio descriptis primum sub Caracalla, quorum alii habent: ЄΠΙ. ΡΟΥΦΟΥ. ΑΡΧ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ. Β. ΝЄΩΚΟΡΩΝ., alii: ЄΠΙ. ΑΝ. ΡΟΥΦΟΥ. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β. (in aliis: ΤΟ. Γ.) CΑΡΔΙΑΝΩΝ. Γ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ., deinde sub Gordiano, in quorum aliis legitur: ЄΠΙ. ΡΟΥΦЄΙΝΟΥ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ. Β. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. in aliis: ЄΠΙ. ΡΟΥΦЄΙΝΟΥ. ΑΡΧ. ΤΟ. Β. CΑΡΔΙΑΝΩΝ. Γ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. Cum vero constet, magistratus numis inscriptos fuisse annuos, et tam in Caracallae, quam Gordiani numis idem magistratus jungatur jam cum Β. jam cum Γ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ., sequitur, intra unum eundemque annum neocoratus numerum variasse.

Vtramque difficultatem ut resolvat, ante omnia observari jubet, nuspiam a veteribus scriptoribus memorari, in quo constiterint festa et ludi neocoratibus singulis adnexi. Verisimile tamen esse, singulos neocoratus propria sua ac peculiaria habuisse festa. Quoniam vero haec magnos sumptus postulabant, factum, ut neocoratus tres darentur tantum urbibus primi ordinis, duo secundi, quod vel ipsi numi docent. Ait deinde, ex numis verisimile fieri, urbes bis vel ter neocoras singulis annis in honorem plurium imperatorum celebrasse ludos, et nonnullas celebrasse ludos duplicis generis eodem anno et vario ejus tempore. Ergo numi, in quibus simplex ΝЄΩΚΟΡΩΝ legitur, signati sunt causa ludorum, ad quos illis neocoratus primus jus dabat, et sic deinceps. Ergo numerus inscripti neocoratus erat is ipse neocoratus, quem celebrabant tum, cum numus signatus est. Atque hac doctrina constituta suapte liquet non modo, cur a neocoratu tertio ad secundum sit retrocessum, atque iterum ad tertium reditum, sed etiam cur in numis Sardium unius ejusdemque anni et secundus et tertius neocoratus notentur.

Epicrisis
sententiarum adductarum.

Ergo antiquariorum, quos citavimus, nonnulli existimavere, plures numero neocoratus urbibus sub uno eodemque principe accessisse, quos inter fuere Seldenus, et Harduinus, quibus hac in parte suffragatum etiam video Gisbertum Cuperum [a]). Sin istud, necesse

a) Lettres de critique pag. 484.

erit, quanto diuturnius alicujus fuit principis imperium, tanto etiam esse auctiorem neocoratuum numerum, quanto illud contractius, tanto etiam hunc contractiorem, atque numos Commodi, Severi, Alexandri plures jactare neocoratus, quam numos Macrini, Elagabali, Maximini, quorum perbreve fuit imperium. Verum plane videmus, diuturnius breviusve imperium neocoratus numeros neque augere neque minuere, cujus quidem facti exempla non adfero, quod ea ex praefixo catalogo peti possunt. Neque etiam animus est argumentis pluribus, quae sane non desunt, sententiam hanc convellere, cum et temporis et chartae jacturam putem, suapte infirmam et jam passim fastiditam impugnare. Qui in hac causa plura volet, adeat commentarios Mazzoleni.

Sententia omnium maxime verisimilis est illa, quae collectos per varia imperia neocoratus enunciat. Credo, eruditos antiquarios inde a principio in ea fuisse acquieturos, neque respecturos unquam illam, quae neocoratuum incrementa singulis imperiis adscripsit, nisi eos solicitassent decrescentes iterum eorum numeri, atque iterum aucti, cujus sane inconstantiae rationem difficile est in hoc systemate explicare. Quo enim pacto v. g. Nicomedia, quae sub Caracalla se tertium neocoram est professa, variare deinceps potuit, et se jam bis, jam tertium neocoram enunciare? Enimvero Vaillantius facile ab hac sese molestia liberat, cum reos hujus inconstantiae numos male esse a scriptoribus promulgatos suspicatur. Mira hercle haec oratio visa eruditis, cum sic sibi ipsi certam falsi indicii litem intentet. Etenim non meminit, editos a se in suo de numis Graecis opere numos varios Nicomediae et Sardium, in quibus neocoratus B. et Γ. variant, et si quis vellet amplius de praeconiorum fide dubitare, facile hunc possem auctoritate numorum musei Caesarei convincere. Hic ergo nodus cum modo simplice exsolvi non posset, varias eruditos conjecturas, saepe absurdas, certe male cohaerentes coegit comminisci. Aliquid sibi videbantur adtulisse Rubenius, Vandalius [a]), Sperlingius [b]), et Buonarrotus [c]), qui ex numero templorum, quae saepe in numis similibus pars aversa sistit, numerum neocoratuum posse explicari putabant, at vero quam saepe utrorumque numerus discordet, in laudatis supra commentariis jam satis comprobarunt Vaillantius, Mazzolenus, Pellerinius. Quam sibi salutem postremi hi duo effugiis suis quaesiverint, suapte patet eorum commentarios legenti, qui in causa implexa perturbataque praeter conjecturas nulla nixas auctoritate aliud nihil suppeditant, et qui denique simul leguntur, simul certissime fastidiuntur. Ad Pellerinium quod attinet, mirari satis non possum, qua is ratione potuerit adserere, se in Sardium numis uno eodemque anno signatis deprehendisse duplicis generis neocoratum, nempe B. et Γ. quod, inquit, a nemine hactenus fuit observatum. Numos, quibus is nititur, supra descripsi in judicio Pel-

a) ll. cc. b) diss. ad num. Tranquillinae. c) osserv. ist. p. 159.

lerinii. At enim, vir bone, si istud hactenus a nemine est observatum, in causa est, quod ipsi hi numi plane contrarium docent. Vnum eundemque annum conficit, ut diximus, eo, quod sub eodem Rufo Archonte, qui magistratus annuus fuit, legatur et B. et Γ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. Verum non advertit, in quibus numis Rufus dicitur Archon simpliciter, Sardianos dici B. Νεωκορους, et in quibus Archon ΤΟ. Β. vel: ΤΟ. Γ., eos dici Γ. Νεωκορους. Quare cum numi hi intra varios magistratus sui annos sint percussi, necesse est etiam auctum eorum neocoratum non in annum unum eundemque, sed diversum incidere. Quaecunque igitur ad explicandam hanc causam attulit, temere sunt in chartam conjecta, a me vero etiam commemoranda, ne incautior alter ejus viri auctoritate in fraudem inducatur.

Meum denique in praesente causa judicium si quis requirat, is norit, illud ab hactenus vulgatis oppido esse diversum. Si aliis e re visum, suae de hoc argumento sententiae conjecturis longe arcessitis, nullaque aut pertenui auctoritate nixis fidem facere, ex quo istud denique obtinuere, ut causam suapte implexam involverent magis, quam explicarent, at mihi majorum irritos conatus apud animum reputanti utilius videatur, non quidem ejus omittere censuram, sed differre judicium, donec reperta nova monumenta, aut solida qua ratio feliciorem jubeat eventum sperare, neque ego nullam ab erudito lectore confido initurum gratiam, si non, oblata animo novae doctrinae imagine, aptae in speciem concinnaeque, ad scribendum continuo aggrediar, augeamque dissertationum fasciculum jam nunc nimio molestum iis, qui hujus naturam tituli cupiunt cognoscere. Equidem non aliam existimo quaestionem Minerva minus propitia a viris eruditis agitatam, neque alterius quaestionis argumenta majore taedio, et satietate legi expendique.

Iuvat, quae latius modo disputavi, paucis verbis complecti, ut arctiore hac circumscriptione universa causae cognitio, tum quae certa, quaeque incerta, continuo appareat. Fuere neocori templorum ministri, principio viles abjectique ipso nominis indicio, addita subinde dignitas, sic ut neocorus a procuratore templorum, caerimoniarum, sacrificiorum non differret. Quare et principes urbium magistratus non dubitabant, neocoratum, quo praeterea praediti fuere, cum reliquis suis titulis in numis marmoribusque conjungere. Serius populi, civitatesque integrae, ut publice pietatem suam testarentur, se numinum suorum dixere neocoras, quod de Ephesiis et Magnetibus Ioniae diserte tenemus. Civitates Graeciae Romanis servire coactae, atque Asiaticae praecipue, ne minore principes suos honore, quam veteres urbis suae custodes deos adficere viderentur, petierunt, ut sibi ex senatus consulto liceret esse neocoris ejus alicujus Augusti, cujus sibi demereri gratiam impensius studuere. Quo a senatu permisso coepere in numis scribere v. g. ЄΦЄ-ϹΙΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. nempe Σεβαςου, vel των Σεβαςων. Quae hucusque dixi, certa numorum, marmorum, scriptorum auctoritate nituntur. Nemo est,

qui non facile intelligat, Graecos nequaquam sibi honorem quempiam otiosum tam avide quaesivisse, sed qui faceret sui jactandi, et herilem gratiam aucupandi copiam. Certum iterum, Graecos Augustorum honori erexisse templa sive Augustis id permittentibus, sive senatu, atque his in templis dubium non est peracta fuisse ea, quae ad neocoratum Augusteum obeundum requirebantur. Quibus illa ritibus legibusque fuerint definita, quantum his solennibus interpositum tempus, dum iterum celebrari occiperent, nemo memoriae prodidit, sed quibus Graecorum religio ac studia sunt cognita, continuo intelligent, sacrificiis, conceptis votis, et certaminibus stetisse. Quod vero rei caput est, certum etiam, plures urbibus, quae eminuere, concessos neocoratus. Sic Ephesii imperante Claudio simpliciter scripsere ΝΕΩΚΟΡΩΝ., inde ab Hadriano: ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ., inde a Caracalla: ΤΡΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ., inde ab Elagabalo: ΤΕΤΡΑΚΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Dubio iterum vacat, si neocoratus primus observandi cujuspiam principis gratia fuit constitutus, sequentes ad alterius principis honorem spectasse; verum adhaeremus iterum, an singuli principes sua seorsim habuerint templa, an unum idemque praecedentis Augusti, aut etiam vetus numinis cujuspiam domestici novo deo cellam indulserit, an eorum honores conjunctim celebrati, an seorsim, haec atque similia alia plane ignoramus.

Certum denique, urbes nonnullas, quae se ter, vel quater neocoras, et quidem nonnunquam cum ostentatione, dixere, subinde detraxisse de numero, et sese bis tantum vel ter neocoras professas. Atque haec una causa fuit, cur viri praestantes doctrinam, quam modo proposui, planam sane ac nativam aspernati, sententias, quas commemoravi, insolentes plerasque atque incredibiles confingerent. At enim existimo, si prius animo magis tranquillo praesentis causae momenta omnia expendissent, reperissent certe, non esse operae pretium, propter objectos pauculos obices a via trita planaque ad alteram multo impeditiorem deflectere. Non ego hic Alexandri gladium dari mihi postulo, quo usus est aut Vaillantius, cum, ut dixi, suspectam eorum numorum lectionem vocat, qua subinde neocoratuum numerus minuitur, aut Cuperus, cum in animum inducit, ut credat, in neocoratuum calculo veteres negligenter versatos [a]). Nolim ego aut numorum lectionem, aut veterum circumspectionem solicitare, at nolim etiam, propter unam alteramve urbem, quae diversam ab aliis legem secutae videri possunt, doctrinam cetera solidam convelli. Cum dixi, unam tantum alteramve urbem a communi lege discedere, nihil adfirmo temere, siquidem mihi permittatur, nonnunquam sese urbes scripsisse simpliciter neocoras, etiam cum bis et saepius essent neocorae, in qua quidem sententia jam et Vaillantium mihi praeivisse video. Nimirum ut in numis imperatorum tam Latinis, quam Graecis omissus tribu-

a) Lettr. de crit. p. 508.

niciae potestatis numerus non semper indicat trib. potestatem primam, sic neque omissus neocoratus numerus necessario indicabit neocoratum simplicem. Quid quod et Philippus senior in numis obviis dicitur simpliciter COS., etiam cum ex aliis causis manifeste pateat, eum tum jam consulatu III. fuisse functum. Atque etiam si ab urbium communi doctrinae adversantium catalogo eximam Ephesum, non istud meum unius est arbitrium, sed jam docuit Vaillantius, quando, inquit, in Ephesiorum moneta legitur ΤΡΙϹ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ., intelligendos tum tres Augustorum neocoratus, quando ΤΕΤΡΑΚΙϹ., tum conjunctum una intelligendum neocoratum ΤΗϹ. ΑΡΤΕΜΙΔΟϹ. seu Dianae suae, ut adeo judice Vaillantio varians in Ephesi numis ΤΡΙϹ. vel ΤΕΤΡΑΚΙϹ. tantum arguat additum vel demptum privatum suum neocoratum, nihilque in lege ordinaria immutatum. Ergo quibus in urbibus certo constet variatum, transitumque a Γ ad Β, solae sunt Sardes et Nicomedia, quae utique causas suas privatas nobis ignotas, cur sic variarent, habere poterant. Quid si nonnunquam neocoratum unum suppressissent, sive quod hic majores sumptus exigeret, quam ferre civitas posset, sive quod senesceret memoria alicujus beneficii, cujus causa Augusti alicujus neocoratum ambivere, sive verso subinde in imperatorem odio, cujus fuere neocori? Neque enim quis prudenter sibi persuaserit, impetratum senatus consulto neocoratum sic fuisse in civitate constitutum, ut aeternus hic ille esset, neque quidquam liceret posteris immutare. Possunt haec, quae dixi, ab exemplis aliis adfinibus copiose illustrari. Fuere urbes, quae in imperatorum gratiam novam ab his aeram invexere, serius iterum extrusere. Sic posteaquam Antiochenses Syriae aeram Caesarianam induxerunt, non multis tamen post annis aeram Actiacam sic admisere, ut utramque testibus etiam numis promiscue usurparent, mox adventitiam alteram mortuo Augusto, cujus illa causa inducta fuit, eliminarent. Sinopenses Ponti aeram a Iulio Caesare ductam sic admisere, ut ea saeculis circiter duobus cum dimidio constanter uterentur, at imperante demum Alexandro Severo placuit eam seponere, et ad veterem suam obtentae libertatis causa constitutam redire. Neque aliter actum videmus cum nominibus ab imperatoribus captis, quae urbes sibi, sive vere, et grati animi causa, sive palpandi studio, adscivere. Tarsus Ciliciae se primum dixit *Hadrianam*, tum *Hadrianam Commodianam*, mox *Hadrianam Severianam*, iterum *Hadrianam Severianam Macrinianam*, subinde *Hadrianam Severianam Alexandrinam*, ex quo exemplo patet, eam se dixisse Hadrianam et Severianam ex vero adfectu, quod haec nomina perseverarunt, at Commodianae et Macrinianae titulos adsentandi causa susceptos, quod hac sublata continuo sunt abjecti. An vero absurdum videatur opinari, in neocoratuum causa more non absimili aliquando ab urbibus actum? Esto, urbem quampiam ad observandum Elagabalum novum sibi neocoratum impetrasse, an credemus adivisse periculum

a successore Alexandro, si neocoratum principi abrogavit, cujus nomen ac memoriam senatus ex monumentis publicis aboleri jussit? A similibus igitur exemplis nemo erit, qui inficiari audeat, posse etiam variationum, quas neocoratus offerunt, causas peti, quas tamen qui propius definire volet, is conjecturas nobis obtrudet ejus generis, quibus ob nescio quae majorum delicta ars nostra antiquaria jam nimium laborat. Denique et meminisse velim, hanc neocoratuum perversionem tum demum in numis observari, quando jam veteres leges atque instituta sus deque verti et civitates jura, quae olim senatus Romanus impertiri consuevit, ab suo arbitrio petere coeperunt, tempora intelligo inde a Severo currentia, quam quidem in similibus causis aetatis suae licentiam jam etiam indicavit Dio Cassius [a]). Atqui si quis perturbatum neocoratuum calculum impensius mirabitur, is velim perpendat, ea aetate ipsam etiam tribuniciae potestatis et consulatuum rationem, quae multo majoris sunt momenti, in ipsis numis Latinis non raro claudicare, cujus exempla adfatim dabunt numi Macrini, Alexandri Severi, Philipporum, aliorumque, neque tamen propterea quis sanus a luxatis hujus aetatis exemplis veram utriusque dignitatis naturam esse explicandam censebit. Quae quidem rite expensa tantum mihi habere roboris videntur, ut possint in re desperata, nisi nova quaedam solidaque argumenta suppetias veniant, a molesta inquisitione absterrere. Atque hic et longae disputationis, et subjectae ἀνακεφαλαιώσεως terminus esto.

CAPVT VIII.

De urbibus SACRIS et ASYLI jure gaudentibus.

De his abunde actum a Ioanne Osiandro [b]) Spanhemio [c]) Simone [d]) et paucis a Belleyo ad numos Olbensium [e]).

Praemitto catalogum urbium, alterutro aut utroque titulo insignium.

* * *

---

a) L. LIV. c. 23. b) Gronov. ant. Graec. T. VI. c) T. I. p. 659. d) B. L. T. III. p. 35. e) B. L. T. XXI. p. 428.

Abila Decapoleos: I. A.

Aegae Ciliciae: IЄPAC.

Ancyra Galatiae: AC. ex numo dubio.

Antiochia Ciliciae: IЄP. KAI. ACTΛ.

Antiochia ad Hippum Decapoleos: IЄP. ACTΛOC.

Antiochia Syriae: THΣ. IEPAΣ. KAI. AΣTΛOT.

Antiocheni Ptolemaidis: IEPAΣ. AΣTΛOT.

Apamea Syriae: THΣ. IEPAΣ. etiam addito KAI. AΣTΛOT.

Arethusa Syriae: THΣ. IEPAΣ.

Ascalon Iudaeae: IEP. AΣT.

Byblus Phoenices: IЄPAC.

Caesarea Panias: IЄP. KAI. ACT.

Caesarea Samaritidos: AΣTΛOT. in numo Agrippae I.

Capitolias Coelesyriae: IЄP. AC.

Castabala Cappadociae: IЄPOΠOλις.

Comana Ponti: IЄPOKAICAPЄΩN.

Corycus Ciliciae: ACT.

Damascus Coelesyriae: IЄPA.

Demetrias Syriae: THΣ. IEPAΣ.

Diocaesarea Galilaeae: IЄPA. ACT.

Dora Phoenices: IЄPA. etiam addito ACTΛ.

Ephesus Ioniae: APTЄMIC. ACTΛOC.

Epidaurus Argolidos: IEPAΣ.

Epiphanea Syriae: THΣ. IEPAΣ.

Eusebia, quae et Caesarea Cappadociae: AΣT.

Gadara Decapoleos: I. A.

Gaza Iudaeae: IEP. AΣT.

Germe Mysiae: IEPA.

Hierosolymae Iudaeae: *Kedoshah*, id est: *sancta*, litteris Samaritanis.

Laodicea Syriae: THΣ. IEPAΣ.

Larissa Syriae: THΣ. IEPAΣ.

Moca Arabiae: IЄP. ACT.

Mopsus Ciliciae: THΣ. IEPAΣ.

Nicopolis Epiri: IEPAΣ. forte et ACTΛOT.

Nysa Scythopolis Samariae: IЄPA. ACT.

Olba Ciliciae: THΣ. IEPAΣ.

Perga Pamphyliae: ACTΛOT.

Ptolemais Galilaeae: IЄPAC. KAI. ACTΛOT.

Raphia Iudaeae: IЄP.

Rhosus Syriae: THΣ. IEPAΣ. KAI. AΣ.

Samosata Commagenes: IЄP. ACTΛ. ATTON.

Sebaste insula: ACT.

Seleucia Syriae: THΣ. IEPAΣ. KAI. AΣTΛOT.

Sidon Phoenices: IEPAΣ. KAI. AΣTΛOT.

Synnada Phrygiae forte: IЄPAΠOΛЄITΩN.

Tarsus Ciliciae: THΣ. IEPAΣ. KAI. AΣTΛOT.

Tripolis Phoenices: THΣ. IEPAΣ. KAI. AΣTΛOT.

Tyana Cappadociae: IEPAC. ACTΛOT.

Tyrus Phoenices: IEPAΣ. KAI. AΣTΛOT.

SACRI titulum paucioribus absolvam, nam suapte patet, regionem, urbem, locum quemcunque, personam, rem, fuisse sacram ea causa, quod numini cuipiam fuit consecrata. Pleraeque urbes, quarum catalogum praemisimus, cognitas habent ἀφιερωσεως causas, ut Epidaurus, Hierosolymae, Nicopolis etc. nimirum propter religionem numinis cu-

jusdam ibi impensius culti, quo de ritu egimus in singularum urbium numis.

Epigraphe in his: I. IEP. IEPA. IEPAΣ. sed in postremo hoc vocabulo adhibenda cautio; nam non raro divisim est legendum, nempe ut significet: IEP*ας* AΣ*υλ*ȣ. in quo offenderunt non pauci. Consecrationem etiam me judice notant additum in Castabalis IEPOΠOΛ*ις*, in Comanis IEPOKAIΣAPEΩN, in Synnadis IEPAΠOΛEITΩN, qua de conjectura vide, quae dixi in earum urbium numis, tum et ad Hieropolin Ciliciae. Fuere urbes, quae sanctitatem suam ipso etiam nomine expresserant, ut Hierocaesarea Lydiae, tum et aliae dictae Hierapoles.

ASYLI rationem ex uno fere Spanhemio, qui eam loco laudato late explicat, expono. Fuere asyla loca, quae sive reis, non involuntariis modo, sed interdum etiam voluntariis, perfugium praebuere, sive quae ab hostibus invadi spoliarive nefas habitum. Prioris exemplum offert asylum a Romulo apertum ex causa cognita, alterius, fana, urbes, insulae, regiones non paucae a Spanhemio citatae, quas religio ab hostium incursu tutas praestabat, unde a Graecis nonnunquam pro ἱερα και ἄσυλος repositum ἱερα και ἀποϱθητος, *sacra et ab omni populatione immunis*, atque analoge ad hanc formulam Sallustius, aut quisquis est auctor orationis I. ad C. Caesarem, *sacrum atque inspoliatum fanum* memorat. Livio Samothrace dicitur *sacra insula et Augusti tota inviolatique soli* a), atque idem fanum lucumque Apollinis Delii vocat *ea religione et eo jure sanctum, quo sunt templa, quae asyla Graeci appellant* b).

Asyla primum habita arae, simulacra deorum, templa, tum vestibula, porticus, et adjacentes his luci, vineae, ac denique, ut diximus, totae urbes, regiones, insulae, ut Ephesus causa Dianae, Elis causa sacrorum ludorum, Delus, Samothrace, Samus causa notorum numinum et sacrorum. Asyli jus tum valuit, quando consecrationis lege illud concessum fuit c), valuitque sive ex praescripto vetustatis, quo nomine illud obtinuere templa et oracula vetustae famae, sive indulto sacri cujusdam concilii, quo modo illud Amphictyonum decreto tributum fuit Samiis d), sive principis, aut magistratuum, quo modo Seleucus Callinicus Smyrnam asylum constituit e), aut praetores Romani Hierocaesaream Lydiae f), sive ex mutuo consensu urbium populorumque, ut Teos Ioniae ἀσυλιαν sibi acquisivit g). Ab iisdem pariter asyli fines circumscripti. Auctore Tacito h) imperatores Romani non modo templo Hierocaesareae, sed duobus millibus passuum eandem sanctitatem tribuerunt. Sanxit loco mox laudato Seleucus, ut non modo templum Veneris Stratonicidis apud Smyrnaeos, sed tota urbs asyli juribus gauderet. Templo Dianae Ephesiae teste Strabone i) Alexander M. stadium largitus est; Mithridates, quousque sagitta

---

a) L. XLV. 5. b) L. XXXV. 5. c) Servius ad Aen. II. v. 761. d) Tacit. Ann. IV. 14. e) Marm. Oxon. f) Tacit. Ann. III. 62. g) Chishul ant. Asiat. p. 104. seq. h) l. c. i) L. XIV. p. 950.

ab angulo tecti emissa pertingeret; M. Antonius id duplicavit, et partem urbis asylo adjecit. Verum haec asylorum indulgentia subinde in licentiam vertit, pessimo quoque securitatem sibi in his quaerente. Quare jam Augustus Ephesiorum asylum abrogavit, ut refert eodem loco Strabo, ac praecipue Tiberius urbium Asiae ἀσυλίαν nimium patentem coercuit, ut late docet Tacitus [a]).

In numo nullo Graeciae Europaeae, saltem certae fidei, ἀσυλίας jura praedicantur, at frequens eorum mentio praecipue in numis urbium Ciliciae et Syriae late sumptae. Observanda formula, qua non urbes, sed numina in iis culta, asylo gaudere dicuntur. Sic in numis Ephesi legitur ΑΡΤΕΜΙϹ. ΕΦΕϹΙΑ. ΑϹΥΛΟϹ. in numis Pergae Pamphyliae ΠΕΡΓΑΙΑϹ. ΑΡΤΕΜΙΔΟϹ. ΑϹΥΛΟΥ.

CAPVT IX.

DE VRBIBVS NAVARCHIDIBVS.

Hunc titulum in numis jactant:

Aegae Ciliciae, ΝΑΥΑΡΧΙΔΟϹ.
Carystus Euboeae, ΝΑΥΑΡΧΙ.
Corycus Ciliciae, ΝΑΥΑΡΧΙϹ.
Dora Phoeniciae, ΝΑΥΑΡ.
Nicopolis Epiri, ΝΑΥΑΡΧΙΔΟϹ.
Sebaste Ciliciae, ΝΑΥΑΡΧ.
Sidon Phoenices, ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ.
Tomi Moesiae, ΝΑΥ.
Tripolis Phoenices, ΝΑΥΑΡΧ.

Omisi Tyrum, quia numus, cujus causa Vaillantius eam navarchidem statuit, est Tripolis Phoenices, ut dixi in hujus moneta.

Navarchidos titulus, fueritne tantum honorificus, eo quod urbs quaepiam navalibus copiis et apparatu magis claruit, eoque urbes sive arbitratu suo, sive indulgentia Augustorum, Senatusve Romani usae fuerint, an vero ex certa causa, atque usu imperii permissus, tacentibus veterum testimoniis definiri nequit. In hoc scriptorum silentio Spanhemius ex vocabuli ναυαρχίδος etymo sanxit, urbes ναυαρχίδας dictas propterea, quod naves ibi seu classes ad

a) Ann. III. 60. seq.

tutelam urbis ac provinciae velut in statione agerent, et in quas imperium iisdem urbibus erat concessum a). At enim si urbs dicta ναυαρχὶς propterea, quod in ejus portu naves ad sui tutelam starent, nulla sane fuit urbs maritima, quae non se ναυαρχίδα dicere potuerit, cum nulla non naves habuerit ad oram suam defendendam paratas. Sin propterea, quod provincia tota fuerat tuenda, mirum, ad provinciam unam, eamque non maximi ambitus, tuendam, tribus ναυαρχίσι opus fuisse, quo modo Cilicia, et Phoenicia tres singulae ναυαρχίδας habuere docentibus numis. Verisimilius igitur existimo, primum ab imperatoribus per opportunos portus classes ad provinciarum custodiam, aut rem frumentariam distributas, easque dictas ναυαρχίδας, sive classicas, quales per Italiam fuere Ravenna, et Misenus; factum deinde aemulatione urbium, ut si qua praestare sese portus commoditate, naviumque numero crediderit, ναυαρχίδος quoque nomine se posse gloriari existimaret, satis perspecta urbium Graecarum libidine, quascunque titulorum umbras ambitiose aucupantium. Atque haec reor ex propinquo petita sat commode explicare naturam urbium ναυαρχίδων, neque egere longo ac subtili ratiocinio, quo eam refutatis aliorum sententiis investigavit Abbas Mazzolenus b).

CAPVT X.

DE MENTIONE SITVS, ET MAGNITVDINIS.

Factum passim a veteribus tam historicis, quam geographis videmus, ut ejusdem nominis urbes addita quadam nota distinguerent, ne unam cum altera perperam lectores confunderemus. Sic in definienda utraque Carthagine, et Roma discrimen a *vetere* et *nova* petitum. Magis usitatum discrimen sumptum ab urbis situ, et positione variis modis capta, quos sequentes articuli, quod ad numos attinet, suppeditabunt. Sunt autem:

I. a regionibus, populis, urbibus.

---

a) T. I. p. 687. b) Part. II. animadv. III. p. 251.

II. a montibus.
III. a luco.
IV. ab ἀνω, et κατω.
V. a mari.
VI. a fluviis, et fontibus.
VII. a magnitudine.

§. I. *A regionibus, populis, urbibus.*

Amaci, AMAKVR, Hispaniae populus, cujus urbs Asturica Tarraconensis.

Arecomici, AREC. Galliae Narbonensis populus, cujus urbs Volcae.

Aulerci, AVLERCO, in quibus Eburovices Galliae Lugdunensis.

Bithynia, BIΘT. in numis Nicaeae Bithyniae.

Bruttii, BPET., in quibus Mamertini Bruttii.

Cennati, KENNATΩN, Ciliciae populus, inscripti numis Diocaesareae Ciliciae.

Cilbiani, in quibus Nicaeenses: NIKAIEΩN. TΩN. EN. KIΛBIANΩ.

Cilices, KIΛIKΩN, in numo Alarum Ciliciae.

Coelesyria, K. C. — KOI. CT. — vel plene: KOIΛHC. CTPIAC, in numis Abilae, Gadarorum, Philadelphiae Decapoleos urbium.

Commagene, KOM. in numis Germaniciae Caesareae.

Dardania, CKHΨIΩN. ΔAPΔA., in numis Scepsiorum Troadis.

Epirus, HΠEIPO., quo nomine intelligitur *regio continens*, Thaso insulae opposita, in numo Thasi.

Galatia, MHTPOΠOΛIC. THC. ΓAΛATIAC., in numis Ancyrae Galatiae. ΓAΛ., in numis Pessinuntis Galatiae.

Ionia, ЄN. IΩNIA, vel: TΩN. ЄN. IΩNIA., in numis Apolloniae, et Metropolis Ioniae.

Issus, Ciliciae urbs ad sinum cognominem. KAT. ICCON, in numis Alexandriae Ciliciae.

Lycia, ΛT. ΛTKIΩN, in numis Apolloniae Lyciae, et pluribus aliis urbium Lyciae.

Mesopotamia, MЄCCOΠ., in numis Carrharum Mesopotamiae.

Moesia superior, P. M. S. in numis coloniae Viminacii.

Molossi Epiri, MOΛOΣΣΩN, in numo Cassopes Epiri.

Opuntii, OΠOT., quo se Locri Opuntii ab aliis Locris discernunt.

Paeonia, EN. ΠAIΩ., in numis Nysae, et Pautaliae Paeoniae.

Palaestina, vide *Syria.*

Paphlagonia, ΠA. ΠAΦΛ. in numis Germanicopolis, et Pompejopolis ejusdem regionis.

Phoenice, PENIC. in numo coloniae Tyri.

Phrygia, ΦPTΓ., in numo Metropolis Phrygiae.

Pieria Seleucidis pars, ΠIЄPIAC, vel TΩN. EMΠIEPIAI, in numis Seleuciae Syriae.

Pisidia, PRO. P. *Provinciae Pisidiae*, in numo Cremnae Pisidiae. — ΠPΩTH. ΠICIΔΩN. in numis Sagalassi Pisidiae.

Pontus, EN. ΠONTΩ, in numis Apolloniae Thraciae, Heracleae Bithyniae. — MHTPOΠ. ΠONTOT. in numis Tomorum Moesiae inferioris. — TOT. ΠONT. Zelae Ponti.

Portus Augustus, ΚΑΙΣΑΡΙΑ. Η. ΠΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΛΙΜΕΝΙ, in numis Caesareae Samaritidos.

Ptolemais, Galilaeae urbs, ΤΩΝ. ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ, nempe Antiochensium Syriae Ptolemaide degentium.

Samaria, CAM. ΣΑΜΑΡΕΙΑΣ, in numis Neapolis Samariae.

Seleucis, ΤΗϹ. ϹΕΛΕΥΚΙΔΟϹ. in numis Nicopolis Seleucidis.

Sidicini, Campaniae populus, ΣΙΔΙΚΙΝ., in numo Teani Campaniae.

Syria, ΣΥ. in numis Balaneae Syriae. — ϹΥΡ. ϹΥΡΙΑϹ., in numis Sebastes Samaritidos. — P. S. P. vel: PR. S. PAL., id est: *Provinciae Syriae Palaestinae*, in numis Caesareae Samaritidos. — ϹΥΡΙΑϹ. ΠΑΛΑΙϹΤΙΝΗϹ, in numis Neapolis Samaritidos.

Tectosagi, Galatiae populus, ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ, in numis Sebastes Galatiae.

Thessalia, ΛΑΡΙΣΑ. ΘΕΣΣΑΛΩΝ, in numo Larissae Thessaliae.

Thracia, ΕΝ. ΘΡΑΚΗ, in numo Aeni Thraciae.

Tolistobogii, Galatiae populus, ΤΟΛΙϹ., in numis Pessinuntis Galatiae.

Troas, TROAS. TROAD., in numis coloniae Alexandriae Troadis.

Trocmi, populus Galatiae, TR. TRO., in numis Tavii Galatiae.

§. II. *A montibus.*

Non raro montes videmus in numis effictos additis etiam frequenter nominibus, idque non solum causa discriminis, sed et venerationis. Satis constat, veterum superstitionem non alia re magis, quam montium miraculis fuisse nutritam. Nam quo altius caput attollerent, tanto opportuniorem diis praeparatam sedem credidit, in quam se de coelo demitterent. Quapropter non modo religione consecrati fuere Olympus, Ida, Atlas, Argaeus, aliique, sed et his ipsis inesse numen creditum. Intenderunt superstitionem prodigia ex causis quidem naturalibus profecta, sed quas facilius fuit imperitis ad deos referre, quam ratione explicare. Sic cum viderent, Olympum Lyciorum montem placido per noctem lumine collucescere, ipsum hoc lumen habitum est et templum, et statua [a]). Ex eadem causa observatum a Caesarensibus Cappadociae Argaeum, ab Apolloniatis Illyrici monticulum Nymphaeum, et numis illatum, in horum moneta vidimus. Montem Garizim jactant in numis Neapolitani Samariae, Panachaicum Patrenses Achaiae, alii alios.

Montium in numis forma ex natura est petita. Vertici in nonnullis templum imminet, si quo fuere nobilitati. Argaeus et Nymphaeum flammas attollunt per causam mox adlatam. Alia alios addita insignia distinguunt, quae in singulis commemorantur.

Sequens catalogus offert montes omnes, quorum nomina sive definiendi situs causa, quod plerumque, sive religionis, et observantiae in numis extra urbem signatis produntur.

* * *

Anazarbus, ΥΠ. ΑΝΑΖΑΡ. vel ΤΩΝ.

a) Maxim. Tyr. diss. VIII. §. 8.

ΠΡΟC. ΤΩ. ΑΝΑΖΑΡΒ., in numis Caesareae Anazarbi Ciliciae.

Argaeus, ΠΡ. ΑΡΓ. vel: Τ. ΠΡ. ΑΡΓΑΙΩ, in numis Caesareae Cappadociae.

Cnemis, ΕΠΙΚΝΑ. Dorice, quo notantur Locri Epicnemidii, sive Cnemidi adsiti.

Gaurus, ΓΑΥΡΟΥ, in numis Nuceriae Campaniae.

Hippus, ΠΡ. ΙΠ. in numis Antiochiae Decapoleos.

Ida, ΙΔΗ, in numo Scepsiorum Troadis.

Libanus, ΠΡΟC. ΛΙΒΑΝΟΝ, in numis Heliopolis Coelesyriae. — ΛΙΒΑΝ. vel: ΠΡΟC. ΛΙΒΑΝΩ. vel: ΤΩΝ. ΕΝ. ΤΩ. ΛΙΒΑΝΩ, Laodiceae Coelesyriae, — ΛΙΒΑΝΟΥ, serius: LIB., Caesareae Phoeniciae.

Olympus, ΠΡΟC. ΟΛΥΜΠΟΝ. vel: ΕΝ. ΟΛΥΜΠΩ, in numis Hadrianorum Bithyniae.

Panium, ΠΡ. ΠΑΝЄΙΩ. vel: ΥΠ. ΠΑΝЄΙΩ. in numis Caesareae Trachonitidos.

Pelorias, vel *Pelorum*, ΠΕΛΩΡΙΑΣ, in numis Messanae Siciliae.

Rhodope, ΡΟΔΟΠΗ, in numo Philippopolis Thraciae.

Sipylus, CΙΠΥΛΟΥ, vel: ΑΠΟ. CΙΠΥΛΟΥ, in numis Magnesiae Lydiae.

Taurus, ΤΩΝ. Π. Τ. id est: Προς Ταυρῳ, in numis Tyanorum Cappadociae. In autonomo Tyanorum proponitur taurus animal adludendo ad nomen montis.

Viarus, ΟΥΙΑΡΟC, in numo Prostannae Pisidiae.

§. III. *A luco.*

Daphne lucus prope Antiochiam: ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΔΑΦΝΗΙ, in numis Antiochiae Syriae.

§. IV. *Ab ἀνω et κατω.*

ΤΩΝ. ΑΝΩ. vel ΤΩΝ. ΚΑΤΩ. Nimirum in *superiores*, et *inferiores* divisi fuere Cilbiani Lydiae populi. Sic et Moesia duplex, *superior*, et *inferior*, et *superior* quidem etiam in numis Viminacii memorata.

§. V. *A mari.*

ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣΣΗ, vel: ΘΑΛΑΣΣΑΝ. Sic se distinxere Prusias Bithyniae, et Laodicea Syriae ab aliis urbibus ejusdem nominis.

§. VI. *A fluviis, et fontibus.*

Non sola tollendi ambigui causa fluvios, fontesque monetae inscripsit, sed potiores in hoc instituto partes obtinuit religio. Quis enim ignorat, veteres non modo singulis fluviis, fontibusque sua praefecisse numina, quae Najades, aut Napaeas appellare placuit, sed cum iis summos etiam deorum honores communicavisse? Sic Aegyptus non magis in Sarapide, quam Nilo superstitiosa, dii, quod inter omnes constat, a Trojanis habiti Xanthus Simoisque, ab Apamenis Phrygiae Maeander et Marsyas, tum Iovis filius habitus Hermus in Aeolica, Lydiaque moneta ob-

vius, ut est in vita Homeri, quae Herodoto tributur a):

Ερμε δινηεντος, ὁν ἀθανατος τεκετο Ζευς,
Hermi vorticosi, quem immortalis genuit Iuppiter.

Accessere ad observandos fluvios causae aliae, quas eleganter, et vere enumerat Maximus Tyrius b): ἐςι πε, *inquit*, και ποταμων τιμη, ἡ κατ' ὠφελειαν, ὡσπερ Αιγυπτιοις προς τον Νειλον, ἡ κατα καλλος, ὡς Θετταλοις προς τον Πηνειον, ἡ κατα μεγεθος, ὡς Σκυθαις προς τον Ιςρον, ἡ κατα μυθον, ὡς Αιτωλοις προς Αχελωον, ἡ κατα νομον, ὡς Σπαρτιαταις προς τον Ευρωταν, ἡ κατα τελετην, ὡς Αθηναιοις προς Ιλισσον. *Sed et suus habetur fluviis honor sive utilitatis causa, ut ab Aegyptiis Nilo, sive pulchritudinis, ut a Thessalis Peneo, sive magnitudinis, ut a Scythis Istro, sive ex fabulis, ut ab Aetolis Acheloo, sive ex lege, ut a Spartanis Eurotae, sive ex sacro instituto, ut ab Atheniensibus Ilisso.* A similibus igitur causis cum amarent Graeci typorum argumenta petere, nequaquam mirum, tam frequenter in monetam suam fluvios fuisse derivatos.

Placuit etiam populum aut regionem fluviorum imaginibus συμβολικως exprimere. Sic in elegante numo Alexandrino cum capite Antonini Pii Tiberis, et Nilus stantes dexteras jungunt scripto juxta: TIBEPIC. OMONOIA, quo nimirum symbolo suam Aegyptii adversum Romanos observantiam testatam voluere. Eodem modo in eximiis Trajani numis commatis Romani Tigris et Euphratis imagines Mesopotamiae partes agunt utroque hoc flumine interceptae. Ex diversa causa in monetam Trajani advocatus DANVVIVS, nimirum victoriae Dacicae ex vicino testis et praeco.

Ex his liquet, fluvios non unius situs indicandi causa numis fuisse illatos, quod praeter adductum mox exemplum Tiberis in moneta Alexandrina propositi confirmat etiam Meles Smyrnae fluvius inscriptus numis Amastrios Paphlagoniae, Xanthus Troadis, quem jactat numus Germanicopoleos ejusdem Paphlagoniae. Certum situs indicium faciunt praefixa ΠΡΟC, ЄΠΙ, ΑΠΟ, quorum exempla dabit subjectus catalogus.

Quae de fluviis dixeram, cum fontibus quoque communicanda, in quorum cultu non minus testibus veterum monumentis vetus superstitio insanivit. Non majore sane adfectu in Nilum suum ferebatur Aegyptus, quam in suam Syracusae Arethusam, ut taceam aliarum urbium in fontes suos adfectum, quo de argumento vide praeclaram dissertationem abbatis Fontenu c), et Bimardi dissertationem de diis ignotis praefixam tomo I. Inscript. Muratorii. Fontes ergo hos quoque inscriptos numis comprobant Arethusa certus Siciliae fons, aliique, tum et vocabula ΠΗΓΗ, *fons*, ΠΗΓΑΙ, *fontes*, et in numo Pompejopolis ΠΗΓΗ. COΥΝΙΑC, *fons Sunias.* Fontes etiam existimo ignota geographis nomina ΚΟΡCΥΜΟC, ЄΛΑΤΗC, ΤЄΡΑ, et similia alia infra fluvii jacentis imaginem posita, quorum certe ali-

a) Cap. 9. b) Diss. VIII. c. 1. c) B. L. Tom. XII. hist. p. 27.

cubi exstaret mentio, si fluvii fuissent, at neglecti, quia fontes tantum fuerint, et unis oppidanis per superstitionem, aut aliam causam honorati habiti, de quo vide, quae disserui in numis Phocaeae Ioniae ad similia nomina fluviorum imaginibus subjecta.

Generatim binis modis fingi flumina in numis consuevere, primum typo figurae virilis, rarius muliebris additis variis insignibus, de quibus mox infra. Obtinuit hic modus per Graeciam Europaeam, et totam Asiam minorem demptis Cappadocia, et Cilicia. Sic et Aegyptii Nilum suum finxere, et Romani in monumentis suis fluvios omnes. Deinde typo juvenis nudi medio corpore ab aquis exstantis, et diductis brachiis natare visi, supra quem plerumque conspicua mulier turrita rupi insidens. Hoc typo adumbratos fluvios videas in numis Cappadociae, et Ciliciae, et ab his per totum reliquum Orientem numismaticum. Extra hunc tractum non reperi fluvium in hunc modum formatum, praeterquam in numo Nicaeae Bithyniae, quem olim edidi [a]). Cl. Ennius Visconti signum marmoreum vulgavit forma similis mulieris rupi insidentis emergente subtus fluvio. Hanc cum frequenter videret in numis Antiochiae Syriae, non dubitavit adfirmare, ea genium Antiochiae exhiberi. Verum, ut dixi, obvius est hic typus in moneta variarum hujus tractus urbium, ac praecipue Tarsi quoque illustris in Cilicia urbis. Addit, Orontem videri in his Antiochiae numis propterea fingi imberbem, quia is teste Strabone [b]) prope Antiochiam terram subingressus post XL. stadia renascitur. At non reflexit animum vir praeclare eruditus, in omnium, quas laudavi, urbium numis fluvios hoc modo propositos fingi imberbes. Haec generatim, sed privatim alius mos valuit. In Sicularum urbium numis finguntur fluvii, et fontes specie decora viri juvenis, aut puellae, atque hi aut stantes, aut solo eorum capite proposito, ex cujus fronte plerumque minutum cornu turget. Acheloum in numis Oeniadarum Acarnaniae indicat caput barbatum duplici taurino cornu praefixum, et in tauri collum abiens, nimirum quod tauri specie in certamen cum Hercule descendisse ferebatur. Eodem exemplo bovem cum capite humano in numis urbium Campaniae et Siciliae fuisse symbolum fluviorum, adseruit princeps Turris Muciae, et cum eo alii, sed quam ego sententiam late impugnavi in diatribe Campaniae numis adfixa. Maeandrum Phrygiae et Cariae fluvium designant in numis lineae in se recurrentes, capta imagine a natura fluminis tortuosi, et se in serpentis morem sinuantis, unde in proverbium, et poetarum lusus valuit. In Damasci Coelesyriae numo videntur fluvios indicare duae lineae vagae ex montis vertice ductae, et ad ejus radicem coeuntes, de quo vide numos hujus urbis.

Cum fluvii specie viri humi decumbentis finguntur, varia illis insignia ab eorum ducta indole tribui solent. Sic

a) Num. vet. p. 183. b) L. VI. p. m. 422.

v. c. cubito sinistro intuntur urnae, ex qua unda profluit, dextera tenent arundinem, quam ipsi educant, sinistra cornucopiae, quia fertilitatem procurant, quo modo eos describit Dio Chrisostomus, exhibentes, inquit a), *ἐιδη ὀικεια και σημεια ἀπο της φυσεως, ὁιον τȣς ποταμȣς κατακειμενȣς γυμνȣς, το πλεον γενειον πολυ καθεικοτας, μυϱικην ἠ καλαμην ἐςεφανωμενȣς*, *species sibi proprias et signa ex natura sumpta, ut fluvios nudos jacentes, barba plerumque multum promissa, myrica vel arundine coronatos.* At comitantur fluvios alios insignia sibi unis propria. Nili omnem apparatum, crocodilum, hippopotamum, ibin, cubitos exposui in numis Alexandrinis. Xanthus Palladium praetendit insigne Trojae, quam adluit. Folia apii juxta Selinum Pergami rivum comparent, a qua herba nomen abstulit. Cornua tribuuntur fluminibus, quod per undarum strepitum impetumque taurorum irruentium vim ac mugitum imitantur, de quo egi copiosius ad numos Campaniae. Sed haec frequentius a poetis, quam artificibus video adficta. In Siciliae numis istud obvium, extra hanc vix reperias. Cornua praefigit Achelous, sed quia, ut dixi, in taurum abit. Cornutus est etiam fluvius decumbens, qui est in numo Postumi inscripto: SALVS. PROVINCIARVM, et qui Rhenus putatur, denique et Oceanus in numo coloniae Tyri, sed qui ibi fluvii imago non est, sed maris magni extra Herculis columnas porrecti. Ad haec alias peristases videre sibi visi sunt eruditi nonnulli. Dejeravit Vaillantius, fluviorum imagines tum proponi imberbes, aut cultu femineo, cum ipsi in alios fluvios exeunt, aut navium patientes non sunt, aut cum numi, qui hos exhibent, sub principibus imberbibus signati sunt; contra proponi barbatos, cum magni sunt, aut cusi sub imperatoribus barbam nutrientibus b). At enim vagas esse has leges, et quas sibi artifices veteres praescribi certe passi non sunt, jam ante me vidit Pellerinius adversantibus exemplis non paucis contrarium docentibus c), ac multo ante Iobertus d). Equidem observaveram, majorum gentium fluminibus additam barbam, at variatum in iis, quibus tenuior domi facultas, tum et in fontibus. Enimvero Romani, quos in artefactis suis Graecorum legibus inhaesisse satis constat, in notis Trajani numis genium AQVAE TRAIANAE, quo nomine notabatur modica aquae portio per aquaeductus in urbem derivata, liberaliter barbatum proposuere. Ceterum fontes, perinde atque eorum praesides nymphas, plerumque puellari specie fuisse effictos, ex residuis veterum statuis abunde constat, atque hunc morem confirmat Dio Chrysostomus, cum narrat e), *και κϱηνας ἐν τισι γυναικειοις ἐιδεσι*, *et fontes quibusdam mulierum formis* exhiberi fuisse solitos. Aliud magis mirum edixit abbas Fontenu, qui laudatam supra dissertationem, egregiam sane atque eruditam, his verbis claudit: *iidem hi fluvii in numis aut ad dexteram, aut sinistram partem sunt conversi, prout nimi-*

---

a) Orat. IV. p. 73. b) Num. Graec. p. 342. c) Mel. II. p. 365. d) Tom. II. p. 5. e) Orat. IV p. 73.

rum eorum cursus aut in Orientem, aut Occidentem fertur. Quid his verbis intelligi velit vir praestans, difficile est ariolari; nam fluvii figura, si numum in gyrum ducas, omnes potest plagas respicere. Satis apparet, auctoris nostri mentem, cum haec scriberet, chartis nostris geographicis fuisse adfixam, in quibus Oriens plerumque respicienti ad dexteram, Occidens ad sinistram est positus. Sed neque sic veritas sibi constat. Nam fluviorum imagines, cum privae in numis proponuntur, fere constanter in occasum sunt versae, et sic etiam, ut innumeris aliis exemplis abstineam, Danuvius et Nilus, quorum ille in Orientem, hic in septem triones tendit.

Cum humanam fluviis formam largirentur veteres, nequaquam mirum, humanas quoque illis adfectiones tributas. Amantium fluviorum, et qui inter suas ipsi undas, ut olim ignis ille Graecus, arsere, catalogum justum adornavit amoris ipse magister, et adsectator Naso [a]), et numi quoque exempla suppeditant.

Sequitur quem promiseram, catalogus fluviorum omnium fontiumque, quòrum ex quacunque causa fit mentio in numis extra urbem signatis. Quae ad singulos fluvios notanda sunt, pete ex numis, qui horum meminere.

Fontes anonymi.

Fontes nullo addito nomine offerunt binae urbes:

ΠΗΓΗ, *fons*, Philadelphia Lydiae.

ΠΗΓΑΙ, *fontes*, colonia Damascus Coelesyriae.

Fluvii et fontes additis nominibus.

Acragas, ΑΚΡΑΓΑΣ, in numis Agrigenti Siciliae.

Amenanus, ΑΜΕΝΑΝΟΣ, in numis Catanae Siciliae.

Arethusa, ΑΡΕΘΟΣΑ, in numis Syracusarum Siciliae, fons famigeratus et religione sacer.

Asines, ΑΣΣΙΝΟ, in Numis Naxi Siciliae.

Axius, ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΑΞΙΩ, in numis Apameae Syriae cum capite Alexandri I. Syriae regis.

Billaeus, ΒΙΛΛΑΙΟC, junctus etiam cum *Sardo* seu fluvio, seu fonte, in numis Tii Bithyniae.

Callirhoe, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΠΙ. ΚΑΛΛΙΡΟΗΙ. Vide numos Antiochiae Syriae.

Calycadnus, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΚΑΛΥΚΑΔΝΩΙ, in numis Seleuciae Ciliciae.

Caper, vide infra in *Lyco*.

Caus, ΚΑΟC, dubium fluvii nomen in numo Erizae Cariae.

Cayster, ΚΑΥCΤΡΟC, in numis Ephesi Ioniae. Cum hoc conjungitur nonnunquam alter fluvius

Cenchrius, ΚЄΝΧΡΙΟC. ΚΑΥCΤΡΟC., in ejusdem Ephesi numis.

Cestrus, ΚЄCΤΡΟC, in numis Sagalassi Pisidiae.

Cetius, ΚΗΤΙΟC, semper in consortio cum CЄΛΙΝΟC, in numis Pergami Mysiae.

Chrysas, CHRYSAS, in numis Assori Siciliae.

a) Amor L. III. eleg. 6.

Chrysorrhoas, ΧΡΥϹΟΡΟΑϹ, in numis Hierapolis Phrygiae, et Leucadis Coelesyriae.

Corsymus, ΚΟΡϹΥΜΟϹ, in numis Aphrodisiadis Cariae.

Cydnus, ΚΥΔΝΟϹ, vel ΤΑΡΣΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΚΥΔΝ., in numis Tarsi Ciliciae.

Elates, ΕΛΑΤΗΣ, in numo Midaei Phrygiae.

Euphrates, ΑΝΤΙΟΧЄΩΝ. ΠΡΟϹ. ЄΥΦΡΑΤΗΝ, in numis Antiochiae Commagenes.

Glaucus, ΓΛΑΥΚΟϹ, in numis Eumeniae Phrygiae.

Hermus, ЄΡΜΟϹ, in numis Bagarum Lydiae, Cadorum Phrygiae, Cymes Aeolidis, Magnesiae Lydiae, Saettenorum Lydiae, Sardium Lydiae, Tabalorum Lydiae, Temni Aeolidis.

Hipparis, ΙΠΠΑΡΙΣ, in numis Camarinae Siciliae.

Hippurius, ΙΠΠΟΥΡΙΟϹ, in numis Blaundi Lydiae.

Hyllus, ΥΛΛΟϹ, in numis Saettenorum Lydiae.

Hypius, ΠΡΟΥΣΙΕΙΣ. ΑΠΟ. ΥΠΙΟΥ, vel: ΠΡΟΥϹΙЄΩΝ. ΥΠΙΟϹ, vel: ΠΡΟϹ. ΥΠΙΩ, in numis Prusiadis Bithyniae.

Hypsas, ΗΥΨΑΣ, in numis Selinuntis Siciliae.

Iberus, HIBERA. ILERCAVONIA, in numis Ilercavoniae Tarraconensis.

Indus, ΙΝΔЄΙ. ϹΤΡΑΤΟΝЄΙ. in numis Stratoniceae Cariae, nisi forte hic ΙΝΔЄΙ. non Indum Cariae fluvium, sed Cariam Indicam notat.

Ister, ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟϹ. ΙϹΤΡΩ. vel: ΠΡΟϹ. ΙϹΤΡΟΝ, in numis Nicopolis Moesiae inferioris.

Limyrus, ΛΙΜΥΡΟϹ, in numis Limyrae Lyciae.

Lycus, ΛΥΚΟϹ. ΚΑΠΡΟϹ, bini fluvii in numis Laodiceae Phrygiae.

Maeander, ΜΑΙΑΝΔΡΟϹ, ΜЄΑΝΔΡΟϹ, in numis Antiochiae Cariae, Apameae Phrygiae, Dionysopolis Phrygiae, Magnesiae Ioniae, Tripolis Cariae. ΑΠΑΜΕΙΑΣ. ΠΡΟΣ. ΜΑΙΑΝΔΡΟΝ, in numis Apameae Phrygiae. Occurrit etiam in consortio Marsyae: ΜΑΡϹΥΑϹ. ΜΑΙΑΝΔΡΟϹ, in numis Apameae Phrygiae. Omisso nomine solis lineis recurrentibus indicatur in numis Apolloniae Cariae, Magnesiae et Prienes Ioniae, et Apameae Phrygiae. Nempe sinuosi hi flexus fluminis hujus naturam exprimunt per varias ambages ad caput suum redire visi, quae poetarum non paucis, ac Nasoni praecipue, ad amoenos lusus materiam suffecit, unde fluvius hic dictus Senecae *poetarum omnium exercitatio, et ludus* a). Similes flexus non raro in aliis veterum monumentis, ac praecipue Etruscis, ornamenti causa comparent, saepe etiam in picturis vasorum fictilium Campanorum. Vnde recte Festus b): *Maeandrum, genus picturae, dictum est a similitudine flexus amnis, qui appellatur Maeandrus.* In vetustissimis Syracusarum numis ejusdem generis lineae tortuosae reticulum, quo muliebris capitis crines colliguntur, ambiunt. Et constat, idem istud in vestibus ornamenti genus sumpta a tortuoso Maeandro similitudine Maeandrum fuisse dictum teste ejus Marone c):

a) Epist. 104. b) in *Maeandrum.* c) Aen. V. 250.

Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura maeandro duplici Meliboea cucurrit.

Ad quem locum Servius: *Maeandro duplici, flexuoso, et hoc dicit: Erat in chlamyde flexuosa, et in se remeabilis purpura, in modum Maeandri fluminis Cariae.* Fluminis exemplum ad mores etiam fuit traductum, dictumque *Maeandri more* de iis, qui obliquis consiliis, neque simpliciter agere cum hominibus consueverunt, de quo vide lexica eruditorum.

Marnas, ΜΑΡΝΑΣ, in numis Ephesi Ioniae.

Marsyas, ΜΑΡϹΥΑϹ, in numis Apameae Phrygiae, junctus etiam cum Maeandro, ut mox diximus.

Meles, ΜЄΛΗϹ, in numis Amastrios Paphlagoniae.

Mestus, ΝΙΚΟΠΟΛЄΩϹ. ΠΡΟϹ. ΜЄϹΤΩ., in numis Nicopolis Thraciae.

Nilus, ΝΙΛΟΣ, in Alexandrino Titi.

Oceanus, ΩΚЄΑΝΟϹ, sive hoc nomine indicetur Nilus, seu mare, in Alexandrino Commodi, et coloniae Tyri.

Orontes, ΑΠΟ., quas literas sic legendas conjicio: Αντιοχεων Προς Ορόντῃ, in numo Antiochiae Syriae.

Parthenius, ΠΑΡΘЄΝΙΟϹ, in numis Amastrios Paphlagoniae.

Pitnaeus, ΠΙΤΝΑΙΟϹ, alii legunt: ΤΙΤΝΑΙΟϹ, ignotus fluvius, vel fons, in numis Aegarum Aeolidis.

Pyramus, ΠΥΡΑΜΟϹ, in numis Anazarbi Ciliciae. ΕΛΕΥΘΕΡΟΚΙΛΙΚΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΠΥΡΑΜΩΙ, in numis Eleutherocilicum Ciliciae, sed quae lectio suspecta. ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΠΥΡΑΜΩ, in numis Hieropolis Ciliciae. ΜΕΓΑΡΣΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΩΣ. ΤΩ. ΠΥΡΑΜΟ, Megarsi Ciliciae.

Rhodius, ΡΟΔΙΟϹ, in numis Dardani Troadis.

Rhyndacus, ΡΥΝΔΑΚΟϹ, vel: ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. ΠΡΟϹ. ΡΥΝΔΑΚΩ, in numis Apolloniae Mysiae.

Sagaris, *Sangarius*, ϹΑΓΑΡΙϹ, in numis Nicaeae Bithyniae. ϹΑΝΓΑΡΙΟϹ. addito collega ϹΚΟΠΑϹ, in numo Iuliopolis Bithyniae.

Sardo, ϹΑΡΔΩ, seu fluvius, seu fons, sed geographis ignotus, addito socio ΒΙΛΛΑΙΟϹ, in numis Tii Bithyniae.

Sarus, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Π. ΣΑΡΟΝ, vel, ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΣΑΡΩΙ, in numis Antiochiae Ciliciae.

Scamander, ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΣ, in numis Alexandriae, et Ilii Troadis urbium.

Scopas, ϹΚΟΠΑϹ, vide *Sangarius*.

Selinus, ϹЄΛΙΝΟϹ conjuncto etiam ΚΗΤΙΟϹ, in numis Pergami Mysiae.

Smard - - ϹΜΑΡΔ., in numo Phocaeae Ioniae.

Strymon, ϹΤΡΥΜΩΝ, in numis Pautaliae Thraciae.

Sunias, ΠΗΓΗ. ϹΟΥΝΙΑϹ, *fons Sunias*, in numo Pompeiopolis Ciliciae.

Tera, ΤЄΡΑ, in numis Phocaeae Ioniae.

Tiberis, ΤΙΒЄΡΙϹ, in Alexandrino Antonini Pii.

Tigris, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΙΓΡΕΙ, in numis Seleuciae Mesopotamiae.

Timeles, ΤΙΜЄΛΗϹ, in numis Aphrodisiadis Cariae.

Xanthus, ΞΑΝΘΟϹ, in numo Germanicopolis Bithyniae.

§. VII. *A magnitudine.*

ΤЄΡΜΗϹϹЄΩΝ. ΤΩΝ. ΜЄΙΖΟΝΩΝ, nam fuit in Pisidia Termessus duplex major et minor.

ΥΒΛΑΣ. ΜΕΓΑΛΑΣ, Hyblae magnae in Sicilia ob eandem causam.

ΔΙΟΠΟΛΙ. ΜЄ. Diospolis magna Aegypti; nam fuit in hac etiam altera parva.

ΟΑϹΙϹ. ΜЄΓ. Oasis magna Aegypti, ut distingueretur a parva ejusdem nominis.

CAPVT XI.

DE VRBIVM VARIIS NOMINIBVS.

Saepenumero factum antiquitus, ut urbes vetus suum nomen invecto novo altero permutarent. Novandi causa potior aut principum victorumque libido, aut foeda populorum adulatio fuit. Sic Ariarathes Eusebes Cappadociae rex Mazacam ex nomine suo in Eusebiam, Messenii victores Zanclen Siciliae in Messanam, Sicyonii in gratiam Demetrii regis Sicyonem suam saeculorum gloria nobilitatam in Demetriadem verterunt. Et erant urbes, quibus per vices plura imposita nomina. Ita quae olim Sybaris, serius Thurium, postremo Copia, comprobantibus etiam hanc varietatem numis; quae olim Bethsan Samaritidis urbs, subinde Nysa, denique Scythopolis. At potissimum a Macedonibus in vetera nomina saevitum, ex quo sibi per Alexandri M. victorias Asiam minorem, Aegyptum, Syriam, Phoenicen, aliasque in ortum regiones subjecere. Parcitum quidem plerumque coloniis Graecis, quae maritima fere tantum insedere, reverentia credo conditorum, parcitum etiam magnis nominibus, ut Tyro, Sidoni, aliisque similis famae. At nulla in urbes mediterraneas Asiae minoris, Syriaeque, easque tum adhuc incultas barbarasque moderatio. Memorabile est, quod refert Appianus [a]), Seleucum I. urbibus ditionis suae indidisse nomina ex nominibus urbium Macedoniae Graeciaeque. Factum inde, ut non Macedonia Graeciaque magis, quam Syria suam habeat

a) Syriac. c. 56.

Berhaeam, Pellam, Amphipolin, Arethusam, Chalcidem, Larissam etc. Adde Pieriam Seleucidis partem a Pieria Macedoniae regione nomen mutuatam, quin et Axium flumen testibus Apameae numis ex Macedonia in Syriam derivatum. Addit Appianus eodem loco, Seleucum per regnum suum aedificasse XVI. Antiochias, VI. Laodiceas, IX. Seleucias, III. Apameas, I. Stratoniceam. At noli credere, eas omnes a fundamentis excitatas. Satis constat, Apameam Phrygiae dictam prius Celaenas, tum et Cibotum, Laodiceam Syriae olim Ramitha, missis infinitis exemplis aliis, quae videre potes apud Stephanum. Verum adscititia haec nomina non semper aevum tulere, praecipue cum aut invitis fuerunt imperata, aut unius adulationis causa arcessita. Sublatis enim sive metus sive benevolentiae causis revixit vetustatis amor urbibus Graecis penitus insitus. Ita Sicyonii paullo post noviciam Demetriadem, Ciani Bithyniae multis denique post annis Prusiadem abjecerunt. Et respexere vetus Mantineae nomen Antigonenses Arcadiae, Bithynii Claudiopolitae Bithyniae, utrique Hadriani Augusti suasu, ut in eorum numis docuimus. At fuere urbes aliae, quibus et vetus et novum nomen retinendum visum, utroque saepe nomine uni eidemque numo inserto, cujus mox exempla proferemus. Haec in Graecis comperta, eosque sive imitati Romani, sive suapte, nomina urbium ipsi quoque immutavere, saepe ridiculo superstitionis impulsu. Nam cum *Maleventum* Samnii urbs mali esse ominis videretur, quod nollent nisi *bene venire*, obscoenum istud nomen in auspicatius *Beneventi* placuit commutare, ut tradit Plinius. Habeo auctores veteres, similis illos delirii monitu Egestam Siciliae in Segestam, Epidamnum Illyrici in Dyrrhachium vertisse, sed effeci invictis numorum testimoniis, quae in utriusque urbis moneta commemoravi, ut victor orbis populus saltem hac parte minus videretur ridiculus. Hadrianum Hierosolymas in Aeliam Capitolinam, Constantinum M. Byzantium in Constantinopolin transtulisse, in vulgus notum. Quo pacto isthaec numorum subsidio comprobentur, subjecta experimenta dabunt, sed variationum causas ex singularum urbium numis pete.

Vrbes vetus ac novum nomen in numis, sed diversis, enunciantes.

Aboni tichos Paphlagoniae. ΑΒΩΝΟΤΕΙΧΕΙΤΩΝ, serius *Ionopolis*, ΙΩΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.

Ace Galilaeae. ΑΚΗ, serius *Ptolemais*, ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΕΩΝ. vel: COLONIA. PTOLEMAIS.

Alexandria Aegypti. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. serius *Roma* sub Antonio IIIviro, ΡΩΜΗΣ. Vide numos Alexandrinos.

Anthedon Iudaeae ΑΝΘΗΔΟΝΟC, serius Agrippias, ΑΓΡΙΠΠΕΩΝ.

Antiochia Syriae. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, serius *Theupolis*, THEVP. in numis Latinis infimi aevi.

Byzantium Thraciae. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ,

serius *Constantinopolis*, CONSTANTINOPOLIS.

Elaeusa insulae cognominis juxta Ciliciam. ΕΛΑΙΟΥΣΙΩΝ, serius *Sebaste*, ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ.

Ierusalem Iudaeae. ירושלים litteris Samaritanis, serius *Aelia Capitolina*, COL. AEL. CAP.

Soli Ciliciae. ΣΟΛΕΩΝ, serius *Pompejopolis*, ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.

Sybaris Lucaniae. ΣΥΒΑ., serius *Thurium*, ΘΟΥΡΙΩΝ., serius *Copia*, COPIA.

Zancle Siciliae. DANKLE, serius *Messana*, MESSANIΩN, serius *Mamertinorum urbs*, ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ.

Vrbes, quae vetus nomen restituerunt.

Adana Ciliciae, serius *Antiochia*, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΣΑΡΩΙ, iterum ΑΔΑΝΕΩΝ.

Anazarbus Ciliciae, serius *Caesarea*, ΚΑΙϹΑΡЄΩΝ, iterum ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ.

Anthedon Iudaeae, serius *Agrippias*, ΑΓΡΙΠΠΕΩΝ, iterum ΑΝΘΗΔΟΝΟϹ.

Bithynium Bithyniae, serius *Claudiopolis*, ΚΛΑΥΔΙΟΠΟΛЄΩϹ, iterum ΒΙΘΥΝΙЄΩΝ.

Cius Bithyniae, serius *Prusias*, ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ, iterum ΚΙΑΝΩΝ.

Edessa Macedoniae, serius *Aegae*, ΑΙΓΑΙΟΝ, iterum ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ.

Lugdunum Galliae, serius *Copia*, COPIA, iterum *Lugdunum* in nümis Latinis Albini Clodii.

Mantinea Arcadiae, serius *Antigonia*, ΑΝΤΙΓΟΝΕΩΝ, iterum ΜΑΝΤΙΝΕΩΝ.

Vrbes in uno eodemque numo vetus et novum nomen enunciantes.

Apamea Bithyniae, olim *Myrlea*, ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΩΝ. ΜΥΡΛΕΑΝΩΝ.

Apamea Phrygiae, olim *Cibotos*, ΚΙΒΩΤΟϹ. ΑΠΑΜΕΩΝ.

Caesarea Cappadociae, olim *Eusebia*, ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ. ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ.

Crannon Thessaliae, olim *Ephyri*, ΚΡΑΝΝΟΥ. ΕΦΥΡ.

Flaviopolis Bithyniae, olim *Cretia*, *Cratia*, ΚΡΗΤΙΕΩΝ. ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛЄΙΤΩΝ.

Leucas Decapoleos, olim *Abila*, ΛΕΥΚ. ΑΒΙΛΑ.

Patrae Achaiae, olim *Aroe*, COLonia Augusta Aroe PATRAE.

Scythopolis Samariae, olim *Nysa*, ΝΥϹΑΙЄΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ. ϹΚΥΘΟΠΟΛΙΤΩΝ.

CAPVT XII.

DE VRBIBVS ORIGINEM SVAM, AVT COMMVNICATAM CVM ALIIS CIVITATEM PROFESSIS.

Legimus non raro in numis urbium ad populi nomen additum alterum alterius populi, ut ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΙΩΝΩΝ. vel: ΕΥΜΕΝΕΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. aut similiter. Ejus addendi causa fuit duplex, seu cum urbs primorum conditorum, suumque adeo genus voluit profiteri, seu commemorare populum, quem forte in societatem vitae et juris communionem adscivit. Ad illud quod attinet, constat, varias gentes Graecas sive quod sobolis multitudine laborarent, sive quod istud civitati suae expedire varias ob causas videretur, colonos aliorsum deduxisse, qui deinceps memores, unde essent profecti, addita originis mentione suam in matrem pietatem amabant comprobare. Ita Perinthii *Ionas* sese in numis professi sunt, quia deducti a Samiis, qui Iones fuere. Quanquam in numis et alii occurrunt metropolin profitendi modi, seu typis, seu inscribendi ratione. Ita Syracusani insculpto Corinthiorum Pegaso Corinthios sese volebant intelligi, tum Siculi, Peloponnesii, Cretes, Rhodii Dorice in numis loquendo Dores sese edixere. Sed de binis his originem suam indicandi modis hoc loco non agimus. Populi Asiae minoris non pauci sese dixere *Macedonas*, quorum nomina in subjecto catalogo proferemus, et praeter hos Plinius in Macedonibus numerat Aschilacas Aeolidis, Caduenos Phrygiae, et Mysomacedones. Ejus causa epitheti in promptu. Constat, Macedonas primum sub Alexandro, deinde sub ejus ducibus longo bello exercitos impetrata missione in variis Asiae regionibus consedisse, ac tum aut novas sibi sedes condidisse, quod de Docimeo Phrygiae historia docet, aut sese cum veteribus urbium incolis miscuisse, quo modo Romani iis, qui confectis stipendiis erant, per Hispaniam aut urbes aedificarunt, aut eos urbibus jam aedificatis adscripserunt, quae fuit Italicae, Patriciae, et Emeritae origo.

Vtrumvis factum, poterant se oppidani eorumque posteri Macedonas dicere, sive quod ipsi urbis auctores essent, sive quod pars urbis nobilior contemptis utique indigenis barbaris haberentur. Haec rite et ex historiae verae praeceptis constituta existimo. Verum altius Panelius Macedonum nomen pluribus Asiae minoris populis tribui solitum orditur [a]). Narrat, totam fere Asiam minorem antiquissimo aevo dictam Macedoniam, idque probat ex libro Estheris [b]), ubi dicitur *Aman filius Amadathi et animo et gente MACEDO, alienusque a Persarum sanguine.* Additur mox infra [c]): *hoc cogitans, ut regnum Persarum transferret in Macedonas.* Atqui, infert Panelius, de Macedonibus Europaeis haec verba accipi non possunt, quod hi Artaxerxis aetate nullius erant nominis, et cum propterea, tum propter locorum intercapedinem Persis metum incutere nondum poterant. Intelligenda ergo Macedonia Asiatica, ex qua profecti coloni annis circiter centum quinquaginta ante Artaxerxem in Emathia sedes posuere. Taedet inconcinna reliqua, quae addit, referre. At enim priusquam isthaec tam audacter assereret, necesse fuerat, in fidem vocabuli *Macedo*, quam offert vulgata, curatius inquirere. Textus Hebraicus, cum Amani genus recitat, eum binis locis vocat האגגי [d]) quod et vulgata constanter et rite vertit *de stirpe Agag.* At variant LXX., qui Amanum binis locis non *Agagitem*, sed Βȣγαιον faciunt [e]), ac paullo post hoc etiam nomen aspernati adfingunt aliud, diciturque illis Aman filius *Αμαδαθȣ ὁ* ΜΑΚΕΔΩΝ [f]). Hebraica, et LXX. interpretum Esther ultra caput X. non progrediuntur. Ad vulgatam quod attinet, ea, quoties textus Hebraicus praesto fuit, semper vertit, ut dixi, *Agag.* Deinceps (nam in sex alia capita procurrit ex vetere Hieronymi versione) ipsa quoque variat, atque illi Amam jam est Agagites, jam Bugaeus [g]), jam Macedo [h]). Habemus igitur Amanum secundum Hebraeos constanter Agagitem, secundum LXX. Bugaeum et Macedonem, secundum vulgatam Agagitem, Bugaeum, Macedonem, et est volupe videre inanem nisum Lyrani, Estii, Menochii, Tirini, aliorumque, dum exsolvere molestum hunc nodum satagunt. Praestabat, Gordios hos nexus Pellaei juvenis gladio explicare, et profiteri palam, non audiendos hoc loco aut LXX., aut Hieronymum, tanto intervallo ab oraculo Hebraico aberrantes. Ad Panelium ut revertar, donec gravioribus argumentis Macedonas suos Asiaticos statuat, permissum mihi putabo, his neglectis in simplice meo, quem proposui, explicatu acquiescere.

Ceterum non semper facile definire, utrum additum populi externi nomen

---

a) Num. cistoph. p. 85. seq. iterum in Remarq. sur les prem. vers. de Maccab. b) cap. XVI. 10. c) v. 14. d) cap. III. 1. et IX. 24. e) c. III. 1. et c. IX. 10. f) c. IX. 24. g) c. XII. 6. h) c. XVI. 10.

conditores notet, an hunc ipsum populum veteri urbi adjectum. Docimenses Phrygiae per Docimum Macedonem eumque conditorem fuisse origine Macedones diximus, at certum etiam esse, Nicaeensibus propterea additum fuisse vocabulum ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ, quod cum Cilbianis cohabitarunt, apparet ex altera in eorum numis formula: ΝΙΚΑΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩ. In compluribus lucem dabunt, quae in singulorum numorum explicatu commemoro, quorum hic syllabum habes.

Achaei, memorati in numis *Eumenensium* Phrygiae, ΕΥΜΕΝΕΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ., sive hi ab Achaeis genus duxere, sive cum Achaeis permixti.

Campani, a quibus profecti *Entellini* Siciliae, ΕΝΤΕΛΛΑΣ. ΚΑΜΠΑΝΩΝ.

Dores, a quibus oriundi *Mesembriani* Thraciae, ΜΕΣΑΜΒΡΙΑΝΩΝ. ΔΩ. — In numis *Synnadae* Phrygiae: ΣΥΝΝΑΔΕΩΝ. ΔΩΡΙΕΩΝ., in aliis: ΙΩΝΩΝ., in aliis conjunctim ΔΩΡΙΕΩΝ. ΙΩΝΩΝ. ex quo mixtos Synnadae incolas intelligas.

Himerenses Siciliae, a quibus ortos se profitentur Thermitani Siciliae, ΘΕΡΜΙΤΩΝ. ΙΜΕΡΑΙΩΝ.

Iones, a quibus deducti *Perinthii* Thraciae: ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΙΩΝΩΝ., vel: ΤΟΝ. ΚΤΙΣΤΗΝ. ΙΩΝΩΝ. ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. nempe: Herculem. Iones *Synnadenses* mox vidimus.

Macedones, sunt in numis *Blaundi* Lydiae: ΒΛΑΥΝΔΕΩΝ. ΜΑΚΕ. — *Docimei* Phrygiae: ΔΟΚΙΜΕΩΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. — *Hyrcani* Lydiae, ΥΡΚΑΝΩΝ. ΜΑΚΕΔ. — *Peltae* Phrygiae: ΠΕΛΤΗΝΩΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ.

Mysi, sic vocantur in numis Abbaeti incerti situs, ΜΥΣΩΝ. ΑΒΒΑΙΤΩΝ.

Nicaeenses, *Pergameni*, singuli vel conjuncti memorati in numis *Cilbianorum* Lydiae: ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. vel: ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. vel: ΝΙΚΑΕΩΝ. ΠΕΡΓΑΜ. ΚΙΛΒΙΑΝ.

CAPVT XIII.

DE VRBIBVS IMPERATORVM NOMINA SIBI ADDENTIBVS.

Ex ipso hoc titulo apparet, non agi hic de urbibus, quae abjecto vetere nomine novum ab imperatore captum usurpavere, quales fuere Soli, deinde Pompejopolis, Mazaca deinde Caesarea, ut et Diocaesarea, Hierocaesarea, Neocaesarea, aliaeque, sed quae qualicunque suo nomini, quo tum praeditae

fuerunt, unum plurave imperatorum nomina adjecerunt, ut *Hadriana* Amasia, vel *Hadriana*, *Severiana*, *Antoniniana* Amasia.

De adscitis his nominibus locus classicus est apud Dionem Cassium a). Παφιοις, inquit, σεισμῳ πονησασι και χρηματα εχαρισατο, και την πολιν ΑΥΓΟΥΣΤΑΝ καλειν κατα δογμα επετρεψε. *Paphiis terrae motu adflictis pecunias largitus est, et urbem AVGVSTAM vocari ex S. C. permisit*, nempe Augustus; et paullo infra; ἀλλ' ὁτι και τας ἐπωνυμιας ταις πολεσιν ἡ γερουσια ἐν μερει τιμης ἐνεμε, και ουχ ὡσπερ νυν, ἀυτοι ἑαυτοις ἑκαστοι καταλογους ὀνοματων, ὁυς ἀν ἐθελησωσιν, ὡς πληθει ποιουνται. *Sed quod cognomina etiam urbibus honoris causa senatus imposuit, aliter ac modo fit, cum plerumque singulae seriem sibi, quam voluerint, nominum imponunt.* Docet insigne hoc testimonium, primo, nequaquam initio permissum arbitrio urbium, ut quibus vellent, imperatorum nominibus uterentur, sed senatus decreto opus fuisse, quorsum pertinet et illud Taciti b): *At in Italia vetus oppidum Puteoli jus coloniae, et cognomentum a Nerone adipiscuntur*, deinde, id genus nomina pro urbium libidine adoptata. Innuit Dio, qui historiam suam imperante Alexandro Severo scripserat, ineptum aetatis suae morem ab ipsis etiam numis comprobatum, qua maxime cumulati hi tituli, atque ut vere idem loquitur, καταλογοι ὀνοματων valuere.

Causa adpetendi haec nomina fuit duplex, vera una, altera ficta. Vera fuit, cum urbs quaepiam grati animi causa, quod insignia ab imperatore beneficia abstulit, ejus nomine gloriari concupivit. Ficta fuit, cum urbs adulandi tantum studio, et aucupandae gratiae imperantis sibi nomen adscivit. Ad utram pertinuerint singula nomina, non raro potest colligi. Nam si aevum tulere, quemadmodum Laodicenses Syriae se usque in Severi tempora dixerunt Iulienses, Amasenses Ponti se Hadrianos sub ipsum adhuc Alexandri Severi imperium, dubium non est, serio fuisse usurpata. At si continuo abjecta fuerunt imperatore vita functo, quod factum ab iis, qui v. g. Commodi et Macrini nominibus usi sunt, suapte patuit adulatio, quemadmodum teste Eustathio c) Byzantii se dixerunt Antoninianos, sc. in honorem Caracallae, verum, ut addit, donec vixere Severus et Caracalla.

Frequenter in uno eodemque numo plurium imperantium collecta nomina videas. Sic Tarsus in numo Alexandri Sev. dicitur ΑΔΡΙΑΝΗ. CЄΤΗΡΙΑΝΗ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΙΑΝΗ. In Ciliciae maxime urbibus haec adsentandi libido viguit.

Rarius in numis adscita exterorum principum nomina leguntur. Ejus forte unicum exemplum praebet Gaba Trachonitidos, quae se *Philippensem* a Philippo tetrarcha dixit.

Catalogus urbium

cum adscitis imperatorum nominibus.

A POMPEIO M. Gadara Decapoleos.

a) L. LIV. §. 24. b) Ann. XIV. 27. c) ad Dionys. Perieg. v. 803.

A IVLIO. Acci. Hisp. Tar.
Ancyra Phrygiae.
Babba Mauretaniae.
Berytus Phoeniciae.
Calagurris Hisp. Tarr.
Carthago Nova. Hisp. Tarr.
Celsa Hisp. Tarr.
Corinthus Achaiae.
Gordus Lydiae.
Ilercavonia Hisp. Tarr.
Ilici Hisp. Tarr.
Laodicea ad mare Syriae.
Leptis Syrticae.
Parium Mysiae.
Pax Iulia Lusitaniae.
Philippi Macedoniae.
Sinope Paphlagoniae.
Traducta Baeticae.
Vienna Galliae Narb.
Vtica Zeugitanae.

AB AVGVSTO.
Abila Decapolis. CЄBACTΩN.
Alexandria Troas, AVG.
Amastris Paphlagoniae. CЄBACTH.
Apamea Bithyniae. IVL. AVG.
Asturica Hispaniae Tarrac. forte, AVGVSTA.
Berytus Phoenices, IVL. AVG.
Bilbilis Hisp. Tarr. AVGVSTA.
Caesarea Panias Ituraeae, CЄBACTH.
Cassandrea Macedoniae. IVL. AVG.
Comana, incertum cujus regionis. Vide Comana Ponti. IVL. AVG.
Cremna Pisidiae. IVL. AVG.
Dertosa Hisp. Tarr. IVL. AVG.
Dium Macedoniae, IVL. AVG.
Emerita Lusitaniae. AVGVSTA.
Germe Galatiae, AVG.
Heliopolis Coelesyriae. IVL. AVG.
Heraclea Bithyniae forte. CЄBACT.
Ilici Hisp. Tarr. A.
Ocea Syrticae. AVG.
Parlais Lycaoniae. IVL. AVG.
Patrae Achaiae. A.
Pergamus Mysiae. CЄBACTΩN.
Philippi Macedoniae. AVG. IVL.
Sillyum Pamphiliae, CЄB.
Sinope Paphlagoniae. I. AV.
Thessali, ΣΕΒΑΣΤΗΩΝ.
Trajanopolis Thraciae. ΑΥΓΟΥ-CTHC.

A CAESARE.
Antiochia Pisidiae. CAESARIA.
Bagae Lydiae. KAICAPЄΩN.
Cibyra Phrygiae. KAICAPЄΩN.
Cyme Aeolidis. KAICAPЄΩN.
Ilici Hisp Tarr. C.
Sinope Paphlagoniae. I*ulia Caesarea.*
Tralles Lydiae. KAICAPЄΩN.

Non satis semper liquet, ad quem pertineant nomina *Iuliae*, *Augustae*, *Caesareae*, nam Iulius idem qui Caesar, Augustus in gentem Iuliam adoptatus et Iulius, et Caesar. Quare et Carthaginem Novam, et Ilici jam Iuliam, jam Caesaream dici in numis videmus, cum vellent unum Iulium Caesarem intelligi. Nonnullae coloniae sese dicunt Iulias, etsi satis probabile, quin saepe certum sit, deductas ab Augusto. Sic legimus apud Plinium a): *colonia Augusti Iulia Constantia Zilis*, et mox infra: *Augusti colonia Babba*, *Iulia Campestris appellata*, utraque ergo Iulia, etsi ab Augusto deducta. Exem-

a) L. V. c. 1.

pla similia vide in numis Iuliae Traductae Baeticae, et Iuliae Beryti Phoenices.

Quare vereor, ut satis tuto stari possit legibus a cl. Menardo dictatis ad distinguendos coloniarum auctores in numis, qui vel simpliciter IVL., vel IVL. AVG. inscribuntur [a]). Latius adhuc patent nomina Augustae et Caesareae, quia Augusti et Caesares fuere omnes, qui Augusto successere; unde non raro inter ipsos veteres orta dissidia, v. g. utrum Mazaca Cappadociae ab Augusto, an Tiberio Caesareae nomen acceperit. Ceterum existimo, ambiguum istud in primis tantum his imperantibus obtinere, nam serius, si qua urbs dicta fuit Augusta, additum etiam fuit ejus Augusti nomen proprium, ut *Augusta Trajana* Thraciae. Quare non continuo probo conjecturam Vaillantii, qui Germen Galatiae dictam *Augustam* a Commodo opinatur. Verius enim tum, ut reor, dicta fuisset *Augusta Commodiana*, cujus exempla alia in sequentibus occurrent.

A CLAVDIO.

Gaba Trachonitidos, ΚΛΑΤΔιεων ΦΙΛΙΠπεων, nempe a Claudio Aug. et Philippo tetrarcha.

Iconium Lycaoniae. ΚΛΑΤΔΕΙΚΟΝΙΕΩΝ.

Leucas Coelesyriae. ΛΕΤΚΑΔΙΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΚΛΑΤΔΙΑΙΩΝ.

Ptolemais Galilaeae. CLAV. PTOL.

Seleucia Pisidiae: ΚΛΑΤΔΙΟCΕΛΕΤΚΕΩΝ.

Tiberias Galilaeae: ΚΛΑΤΔΙΟΤΙΒΕΡΙΕΩΝ. aut similiter.

A NERONE.

Patrae Achaiae, NER.

A GALBA.

Clunia Hispaniae, SVLPICIA.

A FLAVIIS.

Caesarea Samariae, FL. AVG.
Chalcis Syriae, ΦΛ.
Corinthus Achaiae, FLAVIA. AVG.
Cretia, ΦΛΑΟΤΙΟΠΟΛΙC.
Cyrene, ΦΛΑΤ.
Deultum Thraciae, FL.
Neapolis Samariae, ΦΛΑΟΤ.
Philadelphia Lydiae, ΦΛΑΟΤ.
Samosata Commagenes, ΦΛ.

A TRAIANO.

Anchialus Thraciae, ΟΤΛΠΙΑΝΩΝ.
Bostra Arabiae, ΤΡΑΙΑΝΗC. vel in Latinis, TRA.
Epiphanea Ciliciae, ΤΡΑΙΑΝΟΠΟ.
Mytilene Lesbi, ΟΤΛΠΙΑC.
Nicopolis Thraciae, ΟΤΛΠ.
Pautalia Thraciae, ΟΤΛΠΙΑC.
Serdica Thraciae, ΟΤΛΠΙΑC.
Topirus Thraciae, ΟΤΛΠΙΑC.

AB HADRIANO.

Adana Ciliciae, ΑΔΡΙΑΝΩΝ.
Aegae Ciliciae, ΑΔΡΙΑΝΩΝ.
Amasia Ponti, ΑΔΡ.
Bithynium Bithyniae, ΑΔΡΙΑΝΩΝ.
Capitolina, olim Hierosolyma, AEL. vel ΑΙΛ.

a) B. L. Hist. T. XXIX. p 229.

Cius Bithyniae, ΑΔΡΙΑΝΩΝ.
Coela Chersonnesi Thrac. AEL.
Diocaesarea Ciliciae, ΑΔΡΙΑΝΩΝ.
Iconium Lycaoniae, AEL.
Mopsus Ciliciae, ΑΔΡΙΑΝΩΝ.
Neocaesarea Ponti, ΑΔΡΙΑΝΩΝ.
Parium Mysiae, HA*driana*.
Petra Arabiae, ΑΔΡΙΑΝΗ.
Philomelium Phrygiae, ΑΔΡΙΑΝΩΝ.
Smyrna Ioniae, ΑΔΡΙΑΝΗ.
Stratonicea Cariae, ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.
Tarsus Ciliciae, ΑΔΡΙΑΝΗ.

Narrat Spartianus, Hadrianum multas civitates de nomine suo appellasse. Vide, quae diximus in Stratonicea Cariae.

AB ANTONINO PIO.
Ephesus Ioniae, ΠΕΙΩΝ.

A M. AVRELIO.
Carrhae Mesopotamiae, ΑΤΡ.
Singara Mesopotamiae, ΑΤΡ.

A COMMODO.
Aegae Ciliciae, ΚΟΜΟΔΙΑΝΩΝ.
Aelia Capitolina Iudaeae, COMM.
Roma, *Lucia*, AN*toniniana* COM*modiana*, in numis Romanis Commodi.
Tarsus Ciliciae, ΚΟΜΟΔΙΑΝΗ.

A SEVERO.
Adana Ciliciae, ΣΕΤ.
Aegae Ciliciae, ΣΕΤΗΡΙΑΝΩΝ.
Amasia Ponti, ΣΕΤ.
Diospolis Samaritidos, Λ. ΣΕΠ. ΣΕΤ.
Eleutheropolis Iudaeae, Λ. ΣΕΠ. ΣΕ.
Laodicea Syriae, SEPT.

Mytilene Lesbi, ΣΕΟΤ.
Nisibi Mesopotamiae, ΣΕΠ. vel Λ. ΣΕΠ.
Rhesaena Mesopotamiae, ΣΕΠ.
Sebaste Samaritidos, L. SEP.
Singara Mesopotamiae, ΣΕΠ.
Tarsus Ciliciae, ΣΕΤΗΡΙΑΝΗ.
Tavium Galatiae, ΣΕ.
Tyrus Phoeniciae, SEPT.

A CARACALLA.
Adana Ciliciae, ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥΠΟ.
Aegae Ciliciae, ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝ.
Alexandria Troas, AVR. ANTONINIANA.
Amasia Ponti, ANT.
Ancyra Galatiae, ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗΣ.
Caesarea Samaritidos, ANT.
Carrhae Mesopot. ANTONINIANA.
Coela Chersonn. Thrac. ANT.
Cyzicus Mysiae, ΑΤΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΩΝ.
Edessa Mesop. MAR. AVR. vel AV. AN.
Esbus Arabiae, ΑΤΡ.
Laodicea Syriae, AVR.
Neapolis Samaritidos, ΑΤΡ.
Tarsus Ciliciae, ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥΠΟΛΙ.
Tyana Cappadociae, ANT.

A MACRINO.
Aegae Ciliciae, ΜΑΚΡΕΙΝΟΥΠ.
Edessa Mesop. O. M.
Tarsus Ciliciae, ΜΑΚΡΕΙΝΙΑΝΗ.

AB ELAGABALO.
Sidon Phoeniciae, AVR. PIA.

AB ALEXANDRO SEV.

Aegae Ciliciae, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥΠΟΛΙϹ.

Amasia Ponti, ΑΛΕΞ.

Bostra Arabiae, ALEXANDRIANAE.

Carrhae Mesopotamiae, ALEX.

Tarsus Ciliciae, ΑΛЄΞΑΝΔΡΙΑΝ. vel ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΥ.

A PHILIPPO.

Nisibi Mesop. ΙΟ. ΙΟΥ. ΙΟΥΛ.

AB AEMILIANO.

Damascus Coelesyriae: AEMILIA.

A CONSTANTINO M.

Daphne castrum ad Danubium. CONSTANTINIANA. DAFNE. Vide numos Constantini M.

CAPVT XIV.

DE RELIQVIS VRBIVM EPITHETIS.

Restant nonnulli tituli, quos urbes sibi sola libidine, nulla auctoritate publica, plerumque aemulationis impulsu adscivere. Habes hic, lector, solum ejusmodi epithetorum catalogum; nam quae de his singillatim observari possunt, peregimus in numis singularum urbium. Augeri hic catalogus late posset additis titulis *Felix*, *Laus Iulia*, *Pacensis etc.* verum cum haec epitheta sint alterius generis, et a coloniis tantum usurpata, opportunius in tractatu de numis coloniarum persequemur.

* * *

ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. *Fratrum populorum.* Numos sic inscriptos vide in prolegomenis ad numos Seleucidos et Pieriae.

ΑΔЄΛΦΑΙ. ΠΛΩΤЄΙΝΟΠΟΛΙϹ. ΔΟΜΗΝΟΠΟΛΙϹ. *Sorores Plotinopolis et Domenopolis.* V. numos Plotinopolis Thraciae.

ΑΡΙϹΤΟΙ. V. infra in ΜЄΓΙϹΤΟΙ.

Γ. quae littera solitarie posita videtur indicare Γνωριμος, *illustris*, in numis Abilae et Gadarorum Decapoleos urbium.

ΕΒΔΟΜΗ. ΤΗϹ. ΑϹΙΑϹ. *Septima Asiae*, Magnesia Ioniae.

ЄΝΔΟΞΟϹ. *illustris*, Anazarbus Ciliciae, et Side Pamphyliae.

ЄΝΔΟΞΟΤЄΡΑ, *magis illustris*, Syedra Ciliciae.

ΕΝΤΙΜος, *honorabilis*, Lalassensium Isauriae.

ЄΠΙЄΗΜΟϹ, *insignis*, Neapolis Samariae.

ЄϹΤΙΑ. ΘЄΩΝ. *domus deorum*, Germanicopolis Paphlagoniae.

ΚΑΛΛЄΙ. ΚΑΙ. ΜЄΓЄΘЄΙ. *pulchritudine et magnitudine* sc. spectabilis, Smyrna Ioniae.

ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗ, *splendidissima*, Side Pamphyliae.

ΜЄΓΙϹΤΟΙ. ΑΡΙϹΤΟΙ, *maximi*, *optimi* Nicaeenses Bithyniae.

ϹЄΜΝΗ, *venerabilis*, Syedra Ciliciae.

ΦΙΛΟΡΩΜ*αιοι*, *amantes Romanorum*, Carrheni Mesopotamiae.

CAPVT XV.

DE CONCORDIA, OMONOIA.

Concordia jam a vetustissimis Graecis summo loco habita, et in deorum concilium relata fuit, quod usu edocti fuere, nihil sine ejus praesidio firmum solidumque, maximas vires suapte dilabi et procumbere, nullumque majus inceptum, ad quod perficiendum plurium socianda opera, e voto cedere. De Argonautis, quibus ad arduum suum propositum nihil hujus deae numine prius potiusque fuit, sic Apollonius Rhodius a):

Ἀυταρ ἐπειδη τονγε χορειῃ μελψαν ἀοιδῃ,
Λοιβαις ἐυαγεεσσιν ἐπωμοσαν, ἡ μεν ἀρηξειν
Ἀλληλοις εἰς ἀιεν ΟΜΟΦΡΟΣΥΝΗΣΙ ΝΟΟΙΟ
Ἁπτομενοι θυεων, και τ᾽ ἐισετι νυνγε τετυκται
Κεισ᾽ ΟΜΟΝΟΙΗΣ *ἱερον ἐυφρονος, ὁρρ᾽ ἐκαμοντο*
Ἀυτοι, κυδιςην τοτε δαιμονα πορσαινοντες.

At postquam illum (Apollinem) *laeto celebrarunt cantu,*
Inter libationes sacras jurarunt, collaturos operam
Mutuam in perpetuum CONCORDI ANIMO
Tangentes sacra, et adhuc nunc exstat
Ibi CONCORDIAE templum propitiae, quod struxerunt
Illi, inclytam tum deam observantes.

Neque adeo mirum, constitutam a ma-

a) Argon. L. II. v. 716.

joribus beneficae hujus deae religionem ad posteros durasse. Graecorum exemplo, aut suomet ingenio Romani praeter alia bona, quae felicitatem humanam constituunt, Concordiam quoque coelo intulere, ejus testibus tot in ipsa urbe aris ac templis huic deae erectis consecratisque, quin et signatis varii argumenti numis ejus effigiem et epigraphen praeferentibus, ut: *Concordia Augustorum, militum, legionum etc.*

OMONOIA, *Concordia*, in numis Graecis (de his enim tantum nunc sermo) varias habet significationes; nam I. sumitur generatim, II. notat concordiam inter Augustos, III. civitatum exterarum cum Romanis, IV. civitatum secum ipsis, V. civitatis unius cum alia, vel aliis. Atque hoc ordine dabimus numos, qui dictas significationes testantur.

I. Concordia generatim sumpta.

OMONOIA. *Concordia sedens d. spicas, vel eadem sedens d. pateram*, in numis Alexandrinis Titi et Aelii Caesaris. (Mus. Caes.) In alio: OMONOIA juncta cum ЄΙΡΗΝΗ, *Pax*, item Alexandrino Trajani. (Mus. Caes.)

Nimirum in his generatim sumitur Concordia, dissimulato, quorsum ea tendat, proposita tantum instar numinis societati humanae salutaris, ut saepe in Latinis etiam CONCORDIA nude ponitur. Nexum cum certo quodam argumento dabunt numi sequentes.

II. Concordia inter Augustos.

OMONOIA. CЄΒΑCΤΩΝ. *M. Aurelius, et L. Verus dexteras jungunt*, in numis Nicomediae Bithyniae, tum Anazarbi, Pompejopolis, Tarsi Ciliciae urbium. Numos suis locis plenius descriptos vide.

Captus horum numorum modus ex numis Latinis Aurelii et Veri. Duobus nempe Augustis tum primum una imperantibus optanda fuerat inter utrumque concordia, nisi suapte exstitisset. Ad idem argumentum pertinent memorati saepe in numis ludi ΦΙΛΑΔЄΛΦΙΑ, instituti ab urbibus Graecis ad impetrandam a diis concordiam dissidentium fratrum et una orbis principum Caracallae et Getae.

III. Concordia civitatum exterarum cum Romanis.

OMONOIA. *Caput muliebre laur.* ℞ ΘΕΣΣΑΛΩΝ. ΡΩΜ. *Equus currens.* AE. III. (Pellerin.)

OMONOIA. ΤΙΒЄΡΙC. L. Z. *Tiberinus stans dexteram jungit cum adstante Nilo.* In numo Alexandrino Ant. Pii. (Mus. Caes.)

OMONOIA. *Gordianus togatus stans dexteram jungit cum adstante genio muliebri Marcianopolis Moesiae.* (Mus. Caes.)

ΡΩΜΑΙΩΝ. CΑΓΑΛΑCCΑΙΩΝ. etc. *Duae dexterae junctae.* Sagalassi Pisidiae. Numus est Valeriani, et plene describitur loco suo.

In numis his civitates exterae sincerum suum et cum Romanis rerum dominis conspirantem animum testantur, etsi in nonnullis numis similibus civitates, si liberae et foederatae fuerunt, nomine ὁμονοιας intelligere poterant foedus quoddam cum Romanis initum,

sed juris sane admodum iniqui, de quo egi capite III. de urbibus autonomis et liberis, nimirum ut libertatis suae foederisque saltem titulum jactarent, cum utriusque nihil fere aliud relictum esset. Iunctio dexterae certissimum est *ὁμονοιας* symbolum jam aliunde cognitum, atque his rursum numis comprobatum. In numo II Tiberis Romanorum, Nilus Aegyptiorum vicem eleganter supplent.

IV. Concordia civitatum secum ipsis.

ΟΜΟΝΟΙΑ. ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Mulier stans d. pateram, s. cornucopiae, pro pedibus ara.* In numo L. Veri. (Mus. Medic.)

ΝЄΙΚΟΜΗΔЄΙΑ. ΒΟΥΛΗ. ΔΗΜΟϹ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Figura senilis dexteram porrigit mulieri turritae.* In numo M. Aurelii. (Vaillant.)

Praeclare Dio Chrysostomus Ομονοιαν vocat *πϱαγμα ὐκ ἀηδες ὐτε ἐν ταις ὀικιαις, ὐτε ἐν ταις συγγενειαις, ὐτε ἐν ταις φιλιαις, ὐτε ἐν ταις πολεσιν, ὐτε ἐν ταις ἐθνεσιν, rem non injucundam neque in familiis, neque in cognationibus, neque in amicitiis, neque in urbibus, neque in populis* [a]). Quam graviter saepe urbes motibus intestinis concussae fuerint, post tot praesentia cujusvis animo exempla enarrare superfluum. Quocirca non mirum, urbes populosque, sive quod concordiae beneficio res suae domi florerent, sive quod oppidani finitis turbis in gratiam iterum secum redirent, benevolum istud numen libationibus, et sincera in monumentis publicis laude prosecutos. Ejus benefacti gratia numi quoque praesentes signati, quorum praecipue alter concordiam senatum inter populumque sive constantem, sive restitutam depraedicat.

V. Concordia cum civitate una, vel pluribus.

Hactenus varios Concordiae modos in numis Graecis obvios commemoravimus. Restat modus postremus, praecedentibus multo usitatior, nimirum Concordia, vel foedus cum externa quapiam civitate, vel etiam pluribus constitutum, quem antequam expendimus, more nostro catalogum urbium populorumque hanc concordiam jactantium praemittimus, quin tamen necesse putemus, omnes eas urbes proferre, cum quibus una quaepiam illustrior, ut Pergamus, Ephesus, Nicomedia, concordiam inivit.

* * *

Adramytium Mysiae cum urbibus variis.

Alexandria Aegypti cum Samo insula, et Epheso Ioniae.

Amasia Ponti cum Nicomedia Bithyniae.

Amastris Paphlagoniae cum Amiso Ponti.

Amisus Ponti cum Amastrie et Mileto Ioniae.

Ancyra Phrygiae cum Nysa Cariae.

Antiochia Cariae cum Laodicea Phrygiae.

Aphrodisias Cariae cum paucis vicinis.

Apollonia Cariae cum paucis vicinis.

Aradus Phoeniciae cum Laodicea Syriae.

---

a) Orat. XXXVIII. p. m. 469.

Asia Lydiae cum Smyrna.

Assus Mysiae cum Pionia Mysiae.

Athenae Atticae cum Tarento Calabriae et Smyrna Ioniae.

Attalia Pamphyliae cum Side Pamphyliae.

Bagae Lydiae cum Temenothyris Lydiae.

Bilbilis Tarraconensis cum Italica Baeticae.

Buxentum et Syris Lucaniae urbes.

Byzantium Thraciae cum Chalcedone Bithyniae et Nicaea Bithyniae.

Cadi Phrygiae cum Gordo Lydiae.

Ceretape Phrygiae cum Hierapoli Phrygiae.

Chalcedon Bithyniae cum Byzantio Thraciae.

Chius insula cum variis Ioniae urbibus.

Clazomenae Ioniae cum Smyrna Ioniae.

Colophon Ioniae cum Pergamo Mysiae.

Cos insula cum Mileto.

Croton Bruttiorum cum vicina Pandosia Bruttiorum, et Velia Lucaniae.

Cumae Campaniae cum vicina Literno.

Cyzicus Mysiae cum variis Asiae minoris urbibus.

Dertosa et Ilercavonia Tarraconensis urbes.

Domenopolis et Plotinopolis Thraciae urbes.

Ephesus Ioniae cum copiosis urbibus.

Erythrae Ioniae cum Chiis insulanis.

Gordus Lydiae cum Cado Phrygiae.

Hadriani Bithyniae cum vicinis urbibus.

Hadrianopolis Thraciae cum Nicopoli Moesiae.

Halicarnassus Cariae cum Ionibus, ex numo dubiae fidei.

Hierapolis Phrygiae cum multis urbibus vicinis.

Ilercavonia et Dertosa Tarraconensis urbes.

Iones, vide Halicarnassus.

Irenopolis et Zephyrium Ciliciae urbes.

Italica Baeticae cum Bilbili Tarraconensis.

Iulia et Ancyra Phrygiae urbes, etsi concordia dubia.

Lacedaemon cum Sagalasso et Selge Pisidiae, et Smyrna.

Laodicea Phrygiae cum variis Asiae minoris urbibus.

Laodicea Syriae cum Arado Phoeniciae.

Laus et Posidonia Lucaniae urbes.

Liternum et Cumae Campaniae urbes.

Lycii cum Apollonia Cariae.

Lysias Phrygiae cum Apollonia Cariae.

Miletus Ioniae cum variis urbibus vicinis.

Myra Lyciae cum Side Pamphyliae.

Mytilene Lesbi cum variis Asiae minoris urbibus.

Nicaea Bithyniae cum variis urbibus Asiae minoris.

Nicopolis Moesiae cum Hadrianopoli Thraciae.

Nysa Cariae cum Ancyra Phrygiae.

Pandosia Lucaniae cum Crotone Bruttiorum.

Perga Pamphyliae cum vicina Side et Apollonia Cariae.

Pergamus Mysiae cum variis Asiae minoris urbibus.

Perinthus Thraciae cum Epheso et Smyrna Ioniae.

Philadelphia Lydiae cum Smyrna Ioniae.

Pionia Mysiae cum Asso vicina.

Posidonia et Laus Lucaniae urbes.

Roma cum Thessalis et Sagalasso Pisidiae.

Sagalassus Pisidiae cum Roma, et Lacedaemone.

Samus insula cum Alexandria Aegypti.

Sardes Lydiae cum variis provinciae Asiae urbibus.

Selge Pisidiae cum Lacedaemone.

Selinus et Syracusae Siciliae urbes.

Side Pamphyliae cum variis urbibus vicinis.

Siris et Buxentum Lucaniae urbes.

Smyrna cum copiosis Asiae minoris urbibus, etiam dissitis Athenis et Lacedaemone.

Synnada Phrygiae forte cum Hierapoli Phrygiae.

Syracusae et Selinus Siciliae urbes.

Tarentum Calabriae cum Athenis Atticae.

Thessali cum Roma.

Thyatira Lydiae cum Smyrna Ioniae.

Tralles Lydiae cum pluribus Asiae minoris urbibus.

Tripolis Cariae cum Laodicea Phrygiae.

Velia Lucaniae cum Crotone Bruttiorum.

Vlia et Vrso Baeticae urbes.

Zephyrium et Irenopolis Ciliciae urbes.

* * *

Vocabulum OMONOIA vel additur, vel omittitur; sic: ANTIOXEΩN. KAI. ΛAOΔIKEΩN. OMONOIA. vel: APAΔIΩN. KAI. ΛAOΔIKEΩN. tantum. In numis vetustissimi aevi semper abest, atque in his nomen urbis unius exaratur in una numi pagina, alterius in altera, ut videre est in numis concordiae Buxenti cum Sirie, Crotonis cum Pandosia et Velia, Syracusarum cum Selinunte. Rarissime in numis Graecis imperante Roma signatis dissociata videas urbium nomina. In autonomo quodam, qui concordiam inter Philadelphenses Lydiae, et Smyrnaeos exhibet, in una facie legas: ΦIΛAΔEΛΦEΩN. in alia: Και CMYPNAIΩN. OMONOIA. Vide numos Philadelphiae. Concordiam etiam notat hic modus: ΔHMOC. CAPΔIANΩN. ΔHMOC. ΠEPΓAMHNΩN. *Duo viri togati et barbati dexteras jungunt.* Vide numos Sardium. Singulare est praefixum EΠI. in autonomo Cyzici Mysiae: EΠI. OMONOIA. KYZIK. CMYPNAI.

Typi in his concordiae numis variant, at plerumque proponuntur effigies numinum, quae in singulis civitatibus praecipua fuere. Sic in numo Ephesi, qui eloquitur concordiam cum Smyrna et Pergamo, Ephesus suam habet Dianam, Smyrna suam Nemesin, Pergamus Aesculapium; in aliis Laodicea Phrygiae suum Iovem, Tripolis Cariae suam Latonam etc. quin domestica haec numina sic repraesentabant suas civitates, ut nonnunquam neque necesse visum sit, ipsa civitatum nomina adscribere. Ejus exemplum praestat Mytilenes Lesbi numus, in quo scriptum tan-

tum: ΟΜΟΝΟΙΑ. ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ, at typus praeter mulierem sedentem, genium scilicet Mytilenes, offert Aesculapium Pergami, Dianam Ephesi, et Nemeses binas Smyrnae, quo placuit indicare concordiam initam cum Pergamo, Epheso, Smyrna, quo quidem instituto docemur praeterea, quae numina singulis civitatibus privatim fuerint propria, sic ut etiam sine scriptura per se civitatem, quorsum pertinuere, eloquerentur. In numo Sagalassi Pisidiae vice vocabuli ΟΜΟΝΟΙΑ fingitur typus duarum dexterarum junctarum, qui omni aevo concordiae symbolum est habitus, et sine quo certi non essemus, inscriptione ΡΩΜΑΙΩΝ. ϹΑΓΑΛΑϹϹΑΙΩΝ., quae varie posset accipi, revera concordiam Romanos inter et Sagalassenses indicari. Duos viros togatos, qui dexteram jungunt, paullo supra ex Sardianorum numo citavi. Non raro in concordiae numis unicum tantum numen comparet, ut in concordia Ancyrae Phrygiae cum Nysa Cariae, Byzantii cum Chalcedone, Erythrarum Ioniae cum Chio, Sami cum Alexandria, ac praecipue Hierapolis Phrygiae cum variis civitatibus. At tum caute expendendum, an in similibus vere notetur concordia, et additum alterum nomen, quod designare alteram urbem videri possit, non sit potius nomen honorificum inditum, in quo non raro a variis peccatum. Sic Vaillantius in numo Commodi ΔΙΟΚΑΙϹΑΡЄΩΝ. ΚЄΡЄΤΑΠЄΩΝ. concordiam inter Diocaesaream et Ceretapen Phrygiae urbes vidit, cum tamen verisimilius το ΔΙΟΚΑΙϹΑΡЄΩΝ sit honorificum Ceretapes nomen, ut dixi in hujus numis. Eodem modo probavi suis locis, neque in ΙЄΡΟΠ. ΚΑϹΤΑΒΑΛЄΩΝ, vel ΙЄΡΟΚΑΙϹΑΡЄΩΝ. ΚΟΜΑΝЄΩΝ. latere duas distinctas urbes, sed Castabala Cappadociae dicta praeterea Hierapolin, et Comana Ponti Hierocaesaream. Praetereo exempla alia visae perperam in numis similibus, aut saltem dubiae concordiae. Certissimum concordiae numum faciunt additum ΟΜΟΝΟΙΑ, vel copula ΚΑΙ. utrique urbis gentili interpositum, vel numinum effigies urbibus inscriptis propriae, vel typus junctarum dexterarum, vel quando sic manifeste diversae in numis exarantur civitates, ut nullo pacto nomen unum pro alterius urbis nomine honorifico haberi possit, ut v. g. ЄΦЄϹΟϹ. ΚΥΖΙΚΟϹ.

Placuit nonnunquam Graecis, solitum concordiae typum copiosius exornare, et amplificare. Exemplum peto ex numo maximae formae cum capite Commodi, qui est in museo Caesareo sed magis integer apud Buonarrotium a). In hoc praeter nomen praetoris legitur: ΚΟΙΝΟΝ. ΟΜΟ. ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΚΑΙ. ЄΦЄϹΙΩΝ. Typus est: *Vir barbatus pileatus et pallio amictus stans d. signum Aesculapii cum adstante Telesphoro tenet, s. hastam, ex adverso stans vir nudus d. signum Dianae Ephesiae, s. hastam tenet.* Aesculapio indicari Pergamum, et Diana Ephesum, exploratum plane est. At quaeritur, quod nomen impertiendum sit utrique viro domesticum numen praeferenti. Libenter adsentior

a) Osserv. istor. p. 124.

Buonarrotio adfirmanti, virum cum Dianae effigie esse Androclum Codri Atheniensium regis filium, qui transmisso cum Ionum parte mari Ephesum condidit. Quod si verum, ex analogiae causa prorsus est verisimile, viro altero cum Aesculapii signo intelligendum Pergami conditorem, quem fuisse Pergamum Pyrrhi Neoptolemi filium, et a Pergamenis in moneta publica pro conditore agnitum, in horum numis diximus. Quae sententia haud dubie praeferenda est illi, quam dedit Buonarrotius, qui ex pallio, pileo, baculo, et signo Aesculapii conjicit, Pergamenos ea imagine jactare voluisse illustrem suum civem, et medicum Galenum, et ipsius etiam Commodi, cui dedicatus is est numus, tuendae valetudini praefectum de quo vide plura apud Fabrettum, qui ejus sententiae primus auctor exstitit [a]). Honorificum adeo visum Pergamenis, a quibus hic numus signatus est, non modo praestites utriusque urbis deos, sed et longaevam ejus vetustatem propositis primis conditoribus in monumento publico celebrare.

Plerumque duarum tantum urbium concordia in numis proditur, ut: ЄΦЄϹIΩN. KAI. CAPΔIANΩN. OMONOIA. at habemus etiam tres in numo Domitiani apud Vaillantium: ЄΦЄϹIΩN. CMYP. ΠЄPΓAM. id est: *Ephesum*, *Smyrnam*, *Pergamum*, quin et quatuor, Mytilenen, Pergamum, Ephesum, Smyrnam in numo, quem descripsi in moneta Mytilenes Lesbi. Vt concordiam initam plerumque videmus inter urbes vicinas, aut saltem non magnopere distantes, sic et aliquoties remotissimas amicitiae vinculo conjunctas habemus, ut: Athenas cum Tarento et Smyrna, Alexandriam Aegypti cum Epheso et Samo, Lacedaemonem cum Smyrna, tum Selge et Sagalasso Pisidiae urbibus.

Iam in numis remotissimi aevi concordiae reperimus vestigia. Habemus numos, in quibus perscripta nomina Buxenti et Siris Lucaniae urbium, Crotonis et Pandosiae, Lai et Posidoniae, Syracusarum et Selinuntis, et quorum nonnulli, quantum ex fabricae modo colligere licet, quingentis fere ante Christum natum annis cusi videntur. Reliquum fere totum agmen imperatorum aevo debetur, quo tempore civitates Romanis subjectae, cum publica jam non possent, privata inter se foedera junxerunt, quo de instituto mox infra agemus.

Quaeritur, cum duarum pluriumve urbium eodem in numo comparent nomina, in utra existimandus sit cusus numus. Ex Vaillantii sententia [b]) signatus est in ea, quae in numo prima exaratur. Verum judice Pellerinio [c]) Vaillantius ipse toties cogitur refigere hanc legem, ut melius actum fuisset, si nunquam eam fixisset. Contra existimat, numi patriam plerumque esse eam, quae secunda nominatur, alterique honoris causa nobiliorem locum datum. Quidquid erit, istud certum, hac in parte certam legem nequaquam observatam, quia utrumque perinde fa-

a) De Col. Traj. p. 211. b) Num. Graec p. 221. seq. c) Mel. II. p. 294.

ctum videmus. Sic numus ΑΘΗΝΑΙΩΝ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. cum capite Commodi apud Vaillantium signatus non est Athenis, quae primae ponuntur, nam Athenis moneta cum imperatorum capite percussa non est, sed Smyrnae, quae secunda ponitur; e converso, numus ЄΦЄCΙΩΝ. ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΩΝ. cum capite Macrini apud eundem, signatus est Ephesi, quae prima ponitur, non Alexandriae Aegypti, nam hujus moneta sub imperatoribus vulgata multo alia est forma. Ad patriam numi dignoscendam serviunt adhuc criteria alia, v. g. numus Commodi apud Vaillantium: CΤΡατηγȣ ΑΙ. ΗΡΑΚΛЄΙΔΟΥ. ΛΑΚЄΔΑΙμονιων ΟΜΟνοια CΜΥΡναιων, a Lacedaemoniis signatus non est. Habuerintne hi magistratum strategum, ex numis sane non constat; at constat istud de Smyrnaeis, et quidem ex copiosis aliis numis, M. Aurelio et Commodo imperantibus fuisse Smyrnae strategum Aelium Heraclidem in praesente quoque numo memoratum, ergo numus hic sine dubio Smyrnae malleum est expertus. Verum in haec curiosius inquirere exiguum adfert operae pretium.

* * *

Peractis variis similium numorum modis, jam etiam, quis fuerit hujus Ομονοιας finis et scopus, indigandum. Vrbes Graecae suae adhuc libertati relictae, ut suapte ingenio pronae erant ad dissensiones et bella, sic etiam nequaquam difficiles ad pacem, et renovanda foedera. Vtriusque exempla, quia passim ex historicis cognita sunt, cumulare necesse non est. Romano postea populo subjectae, pro innata sibi levitate, ac vetere instituto, jam ardere inimicitiis mutuis, jam iterum pacis audire consilia consuevere. Sed olim et nunc dispar utriusque ratio. Nam ut olim inimicitiae vim et arma spectabant, foedera autem contrahebantur ad propulsandum hostem, legendos milites et pecuniam, tutandos fines, et commercia, et quae alia sunt id genus gravia ac seria, sic nunc dissensiones propter causas levissimas ortae in dicteriis et contumeliis stetere prohibentibus vim apertam Romanis, et concordia, amicitia, foedera in communione sacrorum, et ludorum, conventibus, aliisque levibus sive collatis sive repensis officiis et honoribus. Vtriusque argumenti in numis habemus exempla; neque enim credibile, concordiam, quam reperimus consignatam in numis vetustissimi commatis supra citatis, initamque eo tempore, quo civitates sui plane juris fuere, non fuisse ex causa gravi, et utrique reipublicae copiose proficua constitutam, qualis esse poterat, ut moneta utriusque civitatis nomine signata aequo jure in utraque valeret, quod sancitum fuit Smyrnam inter et Magnesiam teste marmore, quod est inter Oxoniensia II. versu 55. vel singulare beneficium, ut cum Syracusani ab Antandriis civitate donati sunt, quod hi illorum ope muri partem absolverunt, ut legimus apud Xenophontem a), vel quod civitas quaedam foedere se obligavit, si quis alteri bellum intulerit, fore ut totis viribus opem ferat, quod Tejis Ioniae spopondere Arcades Cre-

a) Hist. Graec. L. I. p. m. 431.

tae [a]), vel communi consilio Lyciae urbes teste Strabone [b]), adde communia jura hospitii et connubii, qualia non inter privatos solum, sed totas civitates intercessere, de quibus lege disserentem Spanhemium [c]). Alia luculenta exempla dabit foedus Smyrnaeorum et Magnetum citati mox marmoris Oxoniensis. Ad concordiam urbium Romanis denique inservientium quod attinet, facile consenserim, ea nonnunquam indicari, praecipue cum vicinae fuerunt, post sopitas inimicitias in gratiam reditum. Verum haec causa ad urbes valde remotas valere non potest. Quid enim Ephesii et Alexandrini Aegypti dissentirent? Certior finis haud dubie fuere communia sacra, festa, ludi; quod quidem eo elucet, quod in numis hujus classis, ut supra vidimus, plerumque domestica urbium numina proponuntur. Et vero exterorum numinum cultum a civitatibus avide expetitum receptumque, a numis ipsis liberaliter docemur. Etenim videmus, urbes etiam longe remotas jactare in moneta sua Dianam Ephesiam, urbes Cariae et Phrygiae Iovem Laodicenum, Aegas Ciliciae Herculem Tyrium cum petris ambrosiis, qui typus ad unam Tyrum spectat, Sardes Lydiae tanto ab se distantem Venerem Paphiam et Herculem Tyrium, eodem nempe modo, quo urbes non paucae ludos Olympia, Pythia, Actia a se certe alienos intra fines suos recepere. In explicatione vocabuli COMMVNE dicetur, hac aetate inter KOINON, et OMONOIA magnam fuisse adfinitatem.

* * *

Concordiae etiam speciem praebent

I. urbes et populi, qui se in numis *ἀδελφȣς, ἀδελφας, fratres, sorores* dixere, ut: ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ, *fratrum populorum*, quo nomine intelliguntur quatuor Syriae urbes Antiochia, Laodicea, Apamea, Seleucia, aedificatae omnes a Seleuco I. communi adeo parente. Item ΠΛΩΤΙΝΟΠΟΛΙC. ΔΟΜΗΝΟΠΟΛΙC. ΑΔΕΛΦΑΙ. *Plotinopolis Domenopolis sorores.* De numis similibus vide, quae dixi in prolegomenis ad numos Seleucidis et Pieriae. Huc pertinet, quod ad Nicomedenses declamat Dio Chrysostomus oratione XXXVIII., qua eos ad concordiam hortatur: Οφελον ἐξην, ait, και τον Εφεσιων δημον ποιησασθαι ἀδελφον ὑμων, ὀφελον και τα Σμυρναιων οἰκηματα κοινα ὑμιν ἐγενετο, *utinam liceret et Ephesiorum populum efficere fratrem vestrum, utinam et Smyrnaeorum domus communes vobiscum essent.*

II. Concordia rationis monetariae in numis, qui diversarum urbium nomina inscripta exhibent. Non hic intelligo variarum urbium numos, quorum typi casu conspirant. Neque enim mirum, si quae urbes impensius Palladem vel Apollinem veneratae sunt, in earum numis comparere hinc caput Palladis, inde noctuam, vel hinc caput Apollinis, inde lyram vel tripodem. At possunt jure advertere animum nu-

a) Chishul pag. 118. b) L. XIV. p. m. 980. c) T. II. p. 618.

mi, qui diversa civitatum nomina praeferentes, sic conspirant typis, fabrica, metallo, volumine, pondere, ut dubitare sanus aliquis non possit, plenam hanc concordiam non deberi casui, sed a certa quadam ratione, et consilio, sed qualicunque profectam. Iuvat nonnulla illustriora hujus concordiae exempla proferre.

* * *

Caput Palladis. ✕ *Pegasus volans, inscriptis variis nominibus coloniarum Corinthi, ut: Actii, Ambraciae, Corcyrae, Syracusarum etc.* AR. II.

Vide, quae de hac numorum classe latius disputavi in moneta Corinthi.

* * *

Caput Palladis. ✕ *Noctua diotae insistens, inscriptis nominibus Athenarum, tum Cydoniae, Gortynae, Hierapytnae, Cretae urbium.* AR. II.

De his vide numos Athenarum, tum quae olim fuse disserui in meis numis vett. p. 149.

* * *

Bos vitulum lactans. ✕ *Hortus Alcinoi, cum mentione Apolloniae vel Dyrrhachii Illyrici.* AR. III.

Causam hujus concordiae monetariae dedi in moneta Concyrae, ejusque coloniarum Apolloniae et Dyrrhachii.

* * *

Caput Apollinis. ✕ *Pegasus volans, cum mentione Alabandae, vel Antiochiae Cariae urbium.* AR. I.

Vide numos Alabandae Cariae.

* * *

Chimaera. ✕ *Aquila vel columba volans intra lauream, inscriptis Seripho vel Siphno insulis Cycladum.* AR. I. III.

Vide numos Seriphi.

* * *

Caput Dianae. ✕ ΕΡΜΙΠΠΟΣ.ΕΡΜΟΓΕΝΟΥΣ. ΑΡΧΙΕΡΕ. *Apollo seminudus sedens d. pateram, s. lyrae innixus, cum mentione Philadelphiae Lydiae, vel Smyrnae Ioniae.* AE. II.

Vide numos Philadelphiae Lydiae.

* * *

ΙЄΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Caput Apollinis, vel muliebre velatum turritum.* ✕ *Lyra, vel ara luculenta additis epochae annis.* AE. III.

Sunt hi numi Hieropolis Cyrrhesticae. De horum concordia cum Antiochenis vide monetam hujus Hieropoleos.

* * *

Caput Apollinis laureatum. ✕ *Bos dimidius cum facie humana, cui insertum astrum, adscripto in aliis* ΡΩΜΑΙΟΝ. *in aliis:* ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ. *nempe* Campaniae.

Vide monetae Romanorum partem I. Sect. I. cap. VI. §. 3.

* * *

Caput Palladis. ✕ *Gallus stans, superne astrum.*

In numis Aquini, Suessae, Teani, Calium Campaniae urbium.

* * *

Vir nudus pendente retrorsum pileo taurum ferocientem cornibus retinet. ✕ *Equus liber currens.* AR. III.

Vide numos Thessalorum, et ad hos prolegomena.

* * *

Caput Apollinis. ✕ *Lyra.*

Vide hos concordiae typos in numis urbium Lyciae.

* * *

Plura non addam; nam quae de hac concordiae ratione sunt certa, vel tantum verisimilia, vel plane ignota, indicantur in commentariis ad singulos numos.

CAPVT XVI.

DE ADLVSIONE AD VRBIS POPVLIVE NOMEN.

Hoc nomine intelligimus numorum typos, qui ab urbis populive significatione capti urbem populumve suapte eloquuntur, velut cum Rhodii *rosam*, Graecis ῥοδον, in moneta sua signavere, quae vox et hunc Aurorae florem, et insulam notat. Factum non raro, ut tum monetarii necesse non putarent, urbis ipsum nomen literis exprimere, succedente nimirum in earum stationem typo, satis per se ad significandam urbem valido. Sic Cardia Thraciae *cor* solum, Graecis καρδιαν, Clides modicae juxta Cyprum insulae *clavim* solam, κλειδα, Selinus Siciliae solum *apii* folium, σελινον proposuere. Festivus hic pingendi, aut si mavis, scribendi modus ad fraudes etiam non illepidas valuit. Hoc enim usi Saurus et Batrachus Lacones architectonica arte clari, cum exstruendis Romae templis intenti, sui ad posteritatis memoriam nominis inscriptionem sperarent quidem, non tamen obtinerent, in columnarum spiris insculpsere *lacertam* et *ranam*, quae Graecis σαυρος et βατραχος a). Ejusdem ingenii est citharus piscis Apollini sacratus ob solam nominis cum Apollinis cithara adfinitatem, ut testatur Athenaeus b), quo loco plura ejusdem ingenii exempla reperies. Neque aliam ob causam Graeci animam papilionis imagine expressere, quam quod ψυχη et animam et papilionem significat. Eundem hunc lusum a Graecis acceptum Romani facile civitate donavere, in quorum denariis, quos *familiarum* appellamus, copiosa ejus exempla. Sic Pomponius Musa Musarum unam, Aquillius Florus florem etc. in numorum argumentum legerunt, de quo explicate agam in prolegomenis ad numos familiarum. At his sive salibus sive leporibus vacat moneta imperatorum, in qua nihil non grave ac serium. Iuvat hoc loco illustriora Graeci ingenii exempla

---

a) Plin. L. XXXVI. §. 4. b) L. VII. p. 325.

proferre neglectis vilioribus passim per universum opus obviis.

* * *

Aegae. *Aegos potamus*, urbes a *capra*, ἀπο της ἀιγος, nomen sortitae, hanc amabant numis insculpere.

Alopeconnesus, id est: *vulpis insula*, oppidum Chersonesi Thraciae, vulpeculam offert.

Ancona urbs agri Piceni manum cum *cubito* exhibet, nam ἀγκων Graecis *cubitus*.

Apamea Phrygiae arcam proponit adludendo ad vetus urbis nomen Κιβωτος, quod Graecis *arca*.

Arpi Apuliae equum pascunt adludendo ad vetus urbis nomen Αϱγος Ἱππιον, *Argos equestre*.

Cardia Chersonesi Thraciae; καϱδια Graecis *cor*, unde illud in numis.

Clides insulae parvae propter Cyprum ex nomine suo *clavim* signavere, ἀπο της κλειδος.

Leontini Siciliae leonis rictum.

Melos insula, Cycladum una, sic dicta ἀπο τȣ μηλȣ, Dorice μαλȣ, *malo*, malum Punicum.

Panticapaeum Chersonesi Tauricae, caput *Panos*, cujus nomen in urbis hujus vocabulo continetur.

Populonium Etruriae urbs, Etruscis dicta *Pupluna*, faciem lunae plenam in numis sistit.

Rhodus insula rosam ἀπο τȣ ῥοδȣ.

Selinus Siciliae folium apii ἀπο τȣ σελινȣ.

Side Pamphyliae malum Punicum ἀπο της σιδης.

Vrso Baeticae ursum.

CAPVT XVII.

DE HEROIBVS, HEROIDIBVS, CONDITORIBVS, PERSONIS ILLVSTRIBVS.

Heroes, heroides, conditores sic in numis proponuntur, ut etiam haec ipsa honorum vocabula non raro adjiciantur. Praeter hos occurrunt alii, qui neque in heroum numero sunt habiti, neque conditores urbium fuere, quos *personarum illustrium* solemus nomine compellare.

Heroum naturam in hac vetustatis inconstantia, eorum honores sive am-

plificando, sive imminuendo, explicare non tento. In eo plerique consensere, fuisse medium quiddam inter deos hominesque. Sane definiente Trophonio, qui heros ipse fuit, credebatur heros ἐξ *ἀνθρωπȣ τι και θεȣ συνθετον*, *compositum quoddam ex homine, et deo* a). Vnde factum, ut idem putaretur heros, et semideus teste praeter alios Servio b), cui heros est *vir fortis*, *semideus*, *plus ab homine habens*, laudato etiam Hesiodo c):

> *Ζευς Κρονιδης ποιησε δικαιοτερον, και ἀρειον*
> *Ανδρων ἡρωων θειον γενος, ὁι καλεονται*
> *Ημιθεοι.*

> *Iuppiter Saturnius fecit justius, et melius*
> *Virorum heroum divinum genus, qui vocantur*
> *Semidei.*

Quapropter et Callisthenes apud Arrianum diversos esse oportere deorum, et heroum honores edixit d). Sic inter utrosque discrevere quoque Spartani, qui teste Isocrate Menelao et Helenae sacrificarunt *non ut heroibus, sed ut diis* e). Fecit autem heroas sive nascendi conditio, sive hominum decretum. Deorum filii, nisi cum et ipsi in Olympum sunt admissi, heroes natura fuere. Vnde Servius ad verba Maronis f): *dis geniti*, addit: *quia corporibus se infundebant potestates supernae, unde heroes procreabantur.* Addi his possunt viri feminaeque ejus aevi, quod *heroicum* appellamus, ab Homero aliisque sive propter generis splendorem, sive generosam indolem cum laude memorati, quorum adeo heroicis honoribus per ipsam antiquitatis causam sequior aetas non invidit. Decreto hominum agniti heroes sive propter rerum gestarum magnitudinem, sive collata in civitates beneficia. In horum numerum relatos ab Atheniensibus Harmodium, et Aristogitonem, communis quippe libertatis vindices, nequaquam mirum. Quin et vivo Dioni ex eadem causa a Syracusanis decretas *τιμας ἡρωικας* refert Diodorus g). In heroum etiam loco habitos civitatum conditores, continuo dicemus.

At enim eximius hic herois honos olim ex causis veris et idoneis partus, ut pleraque inter Graecos alia coepit vilescere, seu quod ex levi causa, seu plane indignis delatus est. Sic Antinoum Hadriani catamitum sexcenta monumenta heroem appellant. Theodorum nescio quem, heroem praestat marmor apud Reinesium h), tum Diomedem, et Chaerea, nescio quos, marmor Sardianum apud Sponium i), et heroes dicuntur in numis, quos infra recitabimus, Sextus et Iulia Procla, incertum cur, ut taceam reliquum heroum heroidumque vulgus in marmoribus obvium, quorum si quod fuit in cives suos meritum, ejus certe fuerit generis, cui vetere illo, ac multo modestiore aevo honorificus ἐνερ-

a) Lucian. Dial. mort. 3. b) ad Aen. I. 196. c) in Ἐργ. v. 158. d) de Exped. Alex. L. IV. c. 11. e) Encom. Helenae. f) Aen. VI. 131. g) L. XVI. §. 20. h) Syntag. p. 677. i) Miscell. p. 357.

γετε *benefici* titulus rependi est solitus. Neque vero jam ad augendum heroum numerum aut decreto senatus, aut plebisscito opus fuit, sed valuit auctoritas privata. Nam testibus Sponii marmoribus a) Tychasius patrem, Elpizusa maritum, Carpus uxorem univiram ἀφηρωϊξαν, id est: *in heroum numerum retulerunt.* Atqui et herois appellatio paullatim fastidiri coepit, quia eadem opera nobilius, magnificentiusque *dei* nomen decerni potuit. Sic promiscue Antinous in numis jam heros, jam deus salutatus, Theophanes Mytilenaeus, quod patriae impensius consuluerat, manifestus in numis deus, et si per Tullium stetisset, Caesaris interfectores *non heroes*, *sed dii* futuri fuerant b). Adde, ararum, templorum, sacerdotum honores cum heroibus fuisse communicatos, et peracta iis sacrificia, exiguo, aut nullo hos inter, deosque discrimine. Neque enim omnes fuerunt animo tam moderato, quam fuit Labeo, cui cum Cymei Aeolidis immensos, et ultra, quam hominem deceret, honores decrevissent, ille, quod erat, mortalem se confessus, et contentus praeclaro populi de se facto judicio, ὑπερβαρεα και θεοισι και τοις ισοθεοισι ἀρμοζοισαν ταςε τω ναυω κατειρωσιος, ταςε τω κτιςα προσωνυμασιας τειμαν παρητησατο, *invidiosum, et diis heroibusque proprium dedicandi templi, et conditoris appellandi honorem est deprecatus*, quod illustre et rarum in homine Graeco modestiae specimen offert marmor ex praestantissimis unum dialecto Aeolica exaratum, et Augusto imperante positum c), magis etiam mirum propterea, quia stante adhuc rep. T. Quinctius Flamininus non detrectavit divinos honores sibi a Chalcidensibus delatos, nimirum sacerdotem, sacrificia, hymnos, quos in Plutarchi usque aetatem durasse, ipse hic auctor est d). Et quis propterea magnopere rideat novicios Graecos, quando jam vetustissimi Spartani Agamemnoni suo summi Iovis vocabulum addidere teste Lycophrone e), ad cujus verba observat Tzetzes: οἱ Λακεδαιμονιοι ἱδρυσαντο Αγαμεμνονος Διος ἱερον εις τιμην τȣ ἡρωος; *Lacedaemonii exstruxerunt Agamemnonis Iovis templum in honorem ejus herois.* Ex quo patet, limites, quibus veteres deorum, geniorum, heroum naturam discrevere, verbis quidem fuisse definitos, reipsa pro cujusque libidine perruptos, et confusos.

Conditores urbium, in numis et hi frequenter laudati, heroas proxime sequuntur. Conditorum honos tributus aut diis, aut heroibus, aut hominibus. A diis conditas fuisse urbes, aequum sane ac civile habeatur, quando et ipsi promiscua cum hominibus libidine numerosam condidere sobolem. Magis mirum, quod sibi conditoris honores mutuis odiis, irisque saepenumero quaesivere. Cui ignota Minervae, et Neptuni pro Athenis studia? At potiora in condendis urbibus merita Apollinis fuere, et Herculis, atque Apollinis quidem, quod nemo ad deducendas colo-

a) Misc. p. 342. b) ad Attic. L. XIV. ep. 11. c) Caylus Rec. T. II. tab. 56. d) in ejus vita. e) in Alex. v. 1124.

nias inconsultis ejus oraculis animum appulit, quorsum spectat illud, quod de Apolline praedicat Callimachus [a]):

- - - *Φοιβος γαρ ἀει πολιεσσι Φιληδει*
Κτιζομεναις, ἀυτος δε θεμειλια Φοιβος ὑφαινει.

- - - *Phoebus enim semper urbibus gaudet*
Condendis, et ipsa fundamenta Phoebus texit.

Quae poetice Callimachus, eadem rhetorice de Apolline Aristides [b]): *ὁς ταις μεν ἀλλαις πολεσιν ἐξηγητης ἐςι, τῃδε πολει ταυτῃ* (Κυζικῳ) *και ἀρχηγετης, τας μεν γαρ ἀλλας πολεις δια των ὀικιςων ὠκισεν, ὀς ἀπεςειλεν ἑκαςαχοσε, ταυτης δε ἐκ τȣ ἐυθεος ἀυτος γεγονεν ὀικιςης. Qui aliis civitatibus interpres, huic etiam (Cyzico) auctor est; alias enim urbes per conditores quoquoversum missos condidit, hujus ipse protinus fundamenta jecit.* Sed de Apolline urbium conditore videsis alia apud Spanhemium in observatis ad laudatos Callimachi versus. At enim si suggestis opportune consiliis urbium conditor passim dictus est Apollo, non minus celebratus ex hoc merito Hercules, sed admota ipse operi manu, constitutis per omnes terras, quas obiverat, urbibus. Incredibile dictu, quanta fuerit veterum contentio, quo Herculem urbis suae conditorem adsererent, cujus quidem vanitatis argumenta singulis tibi paginis dabunt Strabo, Stephanus, et geographi alii, fidem etiam facientibus numis, quos infra dabimus. Sed et in hujus communionem laudis venere dii alii, etsi parcius, tum et heroes, intuta in his quoque fide, et satis cognita veterum libidine, qua suarum originem urbium a fictis fabulis amabant repetere. Hominum conditorum innumera praebet exempla historia vera, unde tot Alexandriae, Seleuciae, Laodiceae, Nicopoles etc. Iure igitur ab oppidanis conditores fuere appellati, vocabulo nequaquam otioso, sterilive, quia communes tum cum heroibus honores sunt adepti. Hunc morem praeclare confirmat Diodorus Siculus Sicyoniorum exemplo, qui Demetrio Antigoni eosdem, qui diis haberi solent, honores decreverunt, quod se in libertatem vindicasset, aliaque in se beneficia contulisset. *Δημητριαδα μεν γαρ*, addit, *την πολιν ὠνομασαν, θυσιας δε και πανεγυρεις, ἐτι δ' ἀγωνας ἐψηφισαντο συντελειν ἀυτῳ κατ' ἐνιαυτον, και τας ἀλλας ἀπονεμειν τιμας* ΩΣ ΚΤΙΣΤΗΙ, *nam Demetriadem appellaverunt urbem, sacraque et festos conventus, itemque ludos annuos, aliosque honores exhibendos sanxerunt* TANQVAM CONDITORI [c]). Et constat, similes honores alibi conditoribus habitos, quales infra in Brasida memorabimus. Conditores consecratos plures collegit Spanhemius [d]). Ab his exemplis docemur, quanto olim adfectu oppidani conditores suos sint prosecuti, quamque id sibi laudi duxerint, seu numini, seu heroi, seu illustri cuipiam viro suae se urbis incunabula

a) In Apollin. v. 56. b) Paneg. Cyzici T. I. p. 237. c) L. XX. §. 102. d) Tom. I. p. 565.

debere. Atqui et conditoribus a laeto urbium suarum statu accessit honos. Ait Quinctilianus [a]): *Adferunt laudem liberi parentibus, urbes conditoribus*, sed et addit paullo post: *et est conditoribus urbium infamiae, contraxisse aliquam perniciosam ceteris gentem, qualis est primus Iudaicae superstitionis auctor.*

Observandum praeterea, colonias non semper iis conditoris honores decrevisse, qui eas condidere, sed communes saepe cum metropoli conditores veneratas. Sic Callatia Moesiae inferioris, et Priene Ioniae Herculem in numis conditorem jactant. Nimirum Callatia deducta fuit ab Heracleotis Ioniae, quorum conditor Hercules, et Prienen aedificavit Philotas Boeotia profectus, quae Herculem apud se natum praecipuo cultu mactavit. Plures item in eadem civitate conditores fuisse agnitos, numis, aliisque monumentis docemur. Vna Cyzicus jactavit tres, Herculem, et Cyzicum heroem testibus numis et marmoribus, tertium Apollinem ex adducto supra Aristidis testimonio. Nicaea Bithyniae et Bacchum et Herculem in conditoribus suis numerat. Haec quidem fabulosa. At poterat urbs ex vero plures jactare conditores, cum forte alterius beneficio ex ruderibus surrexit, aut insolita accepit incrementa, aucta totis regionibus, ac vicis, aut aliis oppidanis ager in vicinia ad inhabitandum designatus est. Ex causis similibus Smyrna tres habuit Conditores, Pelopem, Theseum, Alexandrum M. [b]), et Athenienses urbe sua ab Hadriano multis accessionibus aucta jure Hadrianum agnovere conditorem, et inscripsere arcus, qui hodieque Athenis visitur, parti uni [c]):

Αι δ' ἐισ' Αθηναι, Θησεως πρωτον πολις,
Hae sunt Athenae, Thesei olim urbs,

alteri:

Η δ' Αδριανȣ, κ' ȣ̓ δε Θησεως πολις.
Haec vero Hadriani, at non Thesei urbs.

Praeclare etiam Marcellus a Silio Italico Syracusarum conditor dictus esto: *servando condidit urbem* [d]), quando eas captas a militibus diripi non est passus. Quam normam secutus Mamertinus dixit ad Maximianum [e]): *Re vera enim, sacratissime imperator, merito quivis te, tuumque fratrem Romani imperii dixerit conditores; estis enim, quod est proximum, restitutores.* At Amphipolitae Thraciae atrox in constituendo novo conditore exemplum dedere. Illi enim amplissimis a Brasida Spartano beneficiis adfecti nondum omnem ei in acie caeso gratiam rependisse sibi videbantur, si ei ut heroi (ὡς ἡρωι) parentarent constitutis annuis sacris, et omnes deferrent conditoris honores, (ὡς οικιςῃ) nisi et Agnonem Atheniensem, hactenus pro conditore agnitum honore dejicerent abolitis omnibus ejus aedibus, et si quod forte ejus monumentum supererat. Haec Thucydides [f]), et Himerius sophista [g]).

---

a) Inst. L. III. c. 7. b) Aristides Orat. ad Smyrn. T. I. p. 271. c) Gruter p. 1078. 1. d) Punic. XIV. 682. e) Paneg. ad Maximian. c. 1. f) L. V. §. 11. g) Orat. VII. §. 10.

Hae, inquam, causae justae videantur. At quis ferat honorificum istud conditoris nomen ob meritum impar, aut unam palpandi causam collatum? Memorat vetus marmor apud Montfauconium [a]) T. Flavium Gaianum equitem R. κτιϛην τῆς μητροπολεως Αγκυρας, *conditorem metropolis Ancyrae* Galatiae, non majore forte ejus hominis merito, quam quod teste Ammiano fuit inepti cujusdam Lampadii, qui *per omnia civitatis membra, quae diversorum principum exornarunt impensae, nomen proprium inscribebat, non ut veterum instaurator, sed CONDITOR* [b]). Et duravit haec insania in Arcadii usque aetatem, Eutropio eunucho in statuarām titulis dicto Constantinopolis conditore, ut refert Claudianus [c]).

quod tertius urbis
Conditor, hoc Byzas, Constantinusque videbunt?

Atqui si fallere licuit Graecis in dictandis urbium conditoribus, licuit etiam in adserendo alieno orbis conditore, Lyttiis Cretae Trajanum THC. OIKOTMЄNHC. KTICTHN., *orbis conditorem* ferentibus [d]), injuriis hercle in Liviam Augusti conjugem, quae testibus Romulae Hispaniae numis multo jam antea eum ipsum orbem partu enixa fuit. Eodem modo Iustinianus, quod multa per imperium aedificia excitavit, a Procopio dicitur ὁ τῆς οἰκυμενης οἰκιϛης, *orbis conditor* [e]).

Conditoris vocabulum tribus variis modis in numis Graecis proponitur, ἀρχηγετης, sed Dorice ΑΡΧΑΓΕΤΑΣ, in numis Tauromenii, et Ennae Siciliae, de qua voce vide, quae in Tauromenio notavi. ΟΙΚΙΣΤΑΣ Dorice, in unis Crotonis numis legitur. In reliquis perpetuum ΚΤΙΣΤΗΣ, vel, ut in numo Amaseae Ponti: ЄΡΜΗC. ΚΤΙCAC. ΤΗΝ. ΠΟΛΙΝ., *Mercurius conditor urbis.* In numis Latinis CONDITOR valuit; in rarissimo Corinthi: FVNDATOR; in alio coloniae incertae, eoque valde attrito: DEDVX [f]).

Reliquos, qui neque heroes fuere neque conditores, sed insignis a philosophia, poesi, aliisque artibus nominis, ut Pythagoras, Anacreon etc.: nomine *personarum illustrium* comprehendimus, ut docebit subjectus catalogus, qui, ut plenior evadat, addam eos, qui habentur in contorniatis, sed quos uberius descriptos in hac numorum classe reperies.

Catalogus

heroum, heroidum, conditorum, personarum illustrium.

Abdera, Diomedis soror, a qua Abderae Thraciae urbi nomen factum. Ejus nomen, et caput male intrusum ex numo Goltziano, qui est obvius Arcadum, ut in horum moneta stabilivimus.

Achilles. ΑΧΙΛΛЄΤC. *Caput juvenile galeatum.* Ꮖ ΝΙΚΟΜΑΧΟΤ. *Equus*

a) Palaeogr. p. 161. b) L. XXVII. c) in Eutrop. Carm. XX. v. 82. d) Gruter pag. 1084. 11. e) de aedific. L. IV. f) Pellerin Rec. III. tab. CXVI. n. 1.

liber gradiens. AE. III. (Hunter tab. 68. 5.) Vrbis nomen, in qua cusus hic numus, ignoratur. Achillem offerunt etiam nonnulli contorniati scripto ACHILLIS.

Aeneas. Fuere, qui Aeneae Trojani caput viderent in numis Aeni Thraciae, sed quod certius est Mercurii, ut dictum in hujus numis. Alium edidit Pellerinius: (Rois tab. XXII.) *Caput juvenile galeatum.* ✕ ΑΙΝΕΑΣ *intra quadratum quadripartitum.* AR. III. Est is perantiquae fabricae. Auctor existimat, Aeneam in hujus numi antica exhiberi. Mihi verius videtur, esse caput Palladis, et *το* ΑΙΝΕΑΣ esse magistratum urbis ignotae. Aeneae nomen, quod hactenus norim, soli offerunt contorniati, etsi ipse Anchisem gestans in copiosis numis compareat.

Alabandus heros, in numo Alabandae Cariae.

Alcaeus, ΑΛΚΑΙΟC, poeta, et heros, in numo Mytilenes Lesbi.

Alexander M. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟC. KTICT. in numis Apolloniae Cariae.

Anacreon, ΑΝΑΚΡЄΩΝ, in numo Teii Ioniae.

Anchises, ΑΝΧЄΙCΗC junctus cum uxore ΑΦΡΟΔΙΤΗ, *Venere*, in numo Ilii Troadis.

Antinous heros. Ejus numos vide in parte II. hujus operis post numos Hadriani.

Antisthenes philosophus, cujus nomen indicari putavit Haymius inscripto ΑΝΤΙΣ., quod tamen verius *Antissam* Lesbi urbem notat, ut advertimus in hujus numis.

Apollo ΑΡΧΑΓΕΤΑΣ, in numis Ennae, Tauromenii, Hierapolis.

Apollonius Tyaneus, APOLONIVS. TYANEVS, in contorniatis.

Apuleius philosophus, APVLEIVS, in contorniatis.

Aratus philosophus, in numo Pompejopolis Ciliciae.

Arcas Iovis F. ΑΡΚΑΣ, in numo Phenei Arcadiae.

Archelaus Cappadociae rex, in numo habet nomen ΤΟΥ. ΚΤΙΣΤΟΥ, nimirum Sebastes suae. Vide ejus regis numos.

Archytas Tarentinus. Ejus effigies perperam definita ex monogrammate dubio numi aenei, quem descriptum reperies in numis gentis Proculeiae.

Athymbrus, ΑΘΥΜΒΡΟC, quem conditorem in numis suis celebravit Nysa Cariae.

Augustus, ΚΤΙΣΤΗΣ Clazomenarum, Ephesi, Teii Ioniae urbium, item Nicopolis Epiri, quae se in alio suo numo vocat CЄΒΑCΤΟΥ. ΚΤΙCΜΑ, *Augusti opus.*

Bacchus, ΤΟΝ. ΚΤΙCΤΗΝ. ΝΙΚΑΙЄΙC, nempe Nicaeenses Bithyniae. Idem et ΚΤΙCΤΗC Tii Bithyniae.

Bellerophon saepe in numis col. Corinthi, Crotonis Bruttiorum, Stratoniceae Cariae, cujus et nomen indicari videtur litteris ΒЄΛ. in numo dubio Hierapolis Phrygiae.

Byzas, ΒΥΖΑΣ, conditor Byzantii Thraciae, in hujus numis.

Cephalus, ΚΕΦΑΛΟΣ ab uxore Procride notissimus, in numis Cephallenum.

Chrysippus philosophus, in numo Pompejopolis Ciliciae.

Corcyra, ΚΟΡΚΥΡΑ, a qua Corcyrae nomen datum, in numis Corcyrae insulae.

Cyzicus, ΚΥΖΙΚΟC, heros, et conditor Cyzici Mysiae.

Damonax. Voce ΔΑΜΩΝΑΚΤΟΣ numo Cyrenaico inscripta creditum indicari Damonactem pervetustum Batti IV. tutorem. At esse nomen magistratus, dixi in numis Cyrenaicae.

Dardanus Trojanus, ΔΑΡΔΑΝΟC, in numo Ilii Troadis.

Dido, ΔЄΙΔΩΝ, in numo coloniae Tyri.

Docimus, ΔΟΚΙΜΟC, Docimei Phrygiae conditor.

Euclides, ЄΥΚΛЄΙΔΗC. Caput laureatum barbatum, in aversa caput, et epigraphe Hadriani. Numum exhibet Sponius [a]). Fuit philosophus Megarensis, et mathematicus insignis. Vide Diogenem Laertium. Vrbis nomen non additur.

Eurypylus, ЄΥΡΥΠΥΛΟC. ΗΡΩC, in numis Pergami Mysiae.

Gorgias Leontinus rhetor, ΓΟΡΓΙΑΣ, in numo Leontinorum Siciliae.

Hadrianus Aug. ΚΤΙCΤΗC Argorum Argolidis. — CONDitor COLoniae AELiae CAPitolinae.

Hannibal Poenus. Ejus caput plerisque eruditis exhiberi visum in argenteis quibusdam Phoenicie inscriptis, sed quam sententiam impugnavi in tractatu de numis Phoeniciis Vol. III. p. 412.

Hector, ЄΚΤΩΡ, in numis Ilii Troadis.

Hercules ΚΤΙCΤΗC Callatiae Moesiae inferioris, Cyzici Mysiae, Nicaeae Bithyniae, Perinthi Thraciae, Prienes Ioniae, Prusiadis ad mare, quae et Cius, Temenothyrarum Lydiae. ΤΟΝ. ΚΤΙCΤΑΝ, Heracleotarum Bithyniae. ΟΙΚΙΣΤΑΣ, Crotonis Bruttiorum. Hercules etiam ROM*ae* COND*itor* dicitur in numis Romanis Commodi Aug.

Hero, ΗΡΩ, juncto etiam Leandro; ΛЄΑΝΔΡΟC. vel: ΛΗΑΝΔΡΟC, in numis Abydi Troadis, et oppositae Sesti Chersonnesi Thraciae. Adde et contorniatos.

Hippocrates, ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ, medicorum post deos eandem artem professos facile princeps. Exstat in numo insulae Co., sed forte suspecto.

Homerus, ΟΜΗΡΟC, in numis Amastrios Paphlagoniae, Chii insulae, Colophonis Ioniae, Ietarum insulae, Nicaeae Bithyniae, Smyrnae Ioniae. Cretam intrusit Haymius [b]), sed in eo numo pro ΚΡΗΤΩΝ legendum ΙΗΤΩΝ, quem deinde errorem propagatum video in numis Pembrokii. Etiam Teum Ioniae intrusit auctor musei Theupoli; nam et in hoc pro ΤΗΙΩΝ legendum ΙΗΤΩΝ. — ΩΜΗΡΟC, in contorniatis.

Horatius poeta, HORATIVS, in contorniatis.

Iulia Procla, ΙΟΥΛΙΑΝ. ΠΡΟΚΛΑΝ. ΗΡΩΙΔΑ, in numis Mytilenes Lesbi.

Leander, vide supra in *Hero*.

Leucaspis heros, ΛΕΥΚΑΣΠΙΣ, in numo Syracusarum Siciliae.

Lichas, ΛΙΧΑΣ, in numis Lacedaemonis.

Lycurgus, ΛΥΚΟΥΡΓΟC, in numis Lacedaemonis, si modo nomine Lycurgi vere exhibetur caput celebris ejus legislatoris.

---

a) Miscell. p. 140. b) Tom. II. p. 72.

Mercurius, ЄΡΜΗϹ. ΚΤΙϹΑϹ. ΤΗΝ. ΠΟΛΙΝ, *Mercurius conditor urbis*, nempe Amaseae.

Menestheus Athenarum rex. ΜЄΝЄϹΘЄΥ. ΚΤΙϹΤΗ, in numo Eleae Aeolidis.

Midas Phrygiae rex. ΒΑϹΙΛЄΥϹ. ΜΙΔΑϹ, in numis Cadoenorum Phrygiae. — ΤΟΝ. ΚΤΙϹΤΗΝ, in numo Midaei Phrygiae.

Myrhina, Amazon, ΜΥΡЄΙΝΑ, in numis Myrhinae Aeolidis.

Nausicae, ΝΑΥϹΙΚΑΑΝ. ΗΡΩΙΔΑ, in numis Mytilenes Lesbi.

Nicaea nympha, ΝΙΚΑΙΑ, in numis Nicaeae Bithyniae.

Nicoclia herois, nescio quae, male a Begero intrusa ex numo male lecto [a]). Est is numus obvius Antiochiae Syriae.

Parius, PARIO. CONDIT*ori*, in numo Parii Mysiae.

Patreus, Patrarum Achaiae conditor, perperam inductus a Begero ex numo inscripto ΠΑΤΡΑΟΥ [b]), consentiente etiam Spanhemio [c]), quam sententiam impugnatam vide in meis Numis vet. p. 221.

Penthesilea Amazon, PENTESILEA in contorniatis.

Pergamus ΚΤΙϹΤΗϹ Pergami Mysiae.

Pheraemon ΦΕΡΑΙΜΩΝ, heros, in numo Messanae Siciliae.

Phocaea, ΦΩΚЄΑ, Amazon, in numis Phocaeae Ioniae.

Pittacus philosophus, ΦΙΤΤΑΚΟϹ, (sic) sed Harduinus legit ΠΙΤΤΑΚΟϹ, in numis Mytilenes Lesbi.

Plato philosophus, ΠΛΑΤΩΝ. Ejus caput barbatum crinibus compositis, in numi aversa caput et epigraphe Augusti. Vrbis nomen non additur. Vide de hoc plura in numis Augusti commatis peregrini.

Pompejus (Cn.) Magnus. Γ. ΠΟΜΠΗΙΟϹ, numis Pompejopolis Ciliciae tanquam ejus conditor illatus.

Procla, V. supra in *Iulia*.

Pythagoras philosophus, ΠΥΘΑΓΟΡΗϹ, in numis Nicaeae Bithyniae, et Sami insulae.

Romulus, ROMVLO. CONDITORI in numis Hadriani Aug. commatis Romani.

Sallustius historicus. SALVSTIVS. AVTOR, in contorniatis.

Sappho poetria, in numis Mytilenes Lesbi.

Sardus pater, in numis Sardiniae.

Sextus heros, ϹЄΞΤΟΝ. ΗΡΩΑ. Caput nudum barbatum. Aversa numi vitiata urbis nomen abolevit. Censet Sponius, qui eum edidit [d]), Sextum philosophum sisti, cujus auditor fuit M. Aurelius teste Capitolino. Hoc numo duce auctor musei Pio-Clementini effigiem quandam marmoream hujus esse Sexti adfirmavit [e]).

Sipylus heros, ϹΙΠΥΛΟϹ, in numis Magnesiae Lydiae.

Smyrna Amazon, ϹΜΥΡΝΑ, in numis urbis homonymae.

Socrates, ϹΩΚΡΑΤΗϹ, in contorniatis dubiis.

Solon legislator, ϹΟΛΩΝΟϹ, in numo suspecto Metropolis Ioniae.

---

a) Thes. Br. T. I. p. 278. b) Th. Br. T. I. p. 283. c) Tom. I. p. 560. d) Misc. p. 140. e) Tom. III. p. 23.

Solymus heros, ΣΟΛΥΜΟΣ, in numis Termessi Pisidiae.

Sparta, ΣΠΑΡΤΗ, Eurotae filia, a qua Spartae nomen, in hujus numis.

Stesichorus poeta, in numis Thermarum Siciliae.

Taras heros, ΤΑΡΑΣ, in numis Tarenti Calabriae.

Terentius poeta comicus, TERENTIVS, in contorniatis.

Theseus heros, ΘΗϹЄΑ, in numis Nicaeae Bithyniae. TESEVS, in contorniatis.

Thetis, ΜΗΤΡΟΣ. ΠΗΛΕΙΔΟΥ, in numis spuriis, lubet tamen eorum meminisse, quia frequentes exstant, et a quibusdam pro genuinis agniti.

Tiberius Aug. ΚΤΙϹΤΗΝ Magnesiae Sipyli.

Teos, ΤЄΩϹ, haud dubiae Amazon, in numo Tei Ioniae.

Tius, ΤЄΙΟϹ, conditor Tii Bithyniae, aut certe huic nomen impertiens.

Tmolus, heros, a quo monti nomen, in numis Sardium, et Tmoli Lydiae urbium.

Tomus, ΤΟΜΟΥ. ΗΡΩΟϹ, vel: ΤΟΜΟϹ. ΚΤΙϹΤΗϹ, in numis Tomorum Moesiae inferioris.

Vlysses, in numis Ithacae.

Xenophon medicus, ΞΕΝΟΦΩΝ, in numo Coorum.

Exclusi ex hoc catalogo numos in variis libris memoratos, v. c. *P. Ovidii Nasonis* cum praetenta inscriptione ΟΥΗΙΔΙΟΣ. ΝΑΣΩΝ, cum vera sit: ΟΥΗΙΔΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ, et numus Caesareae Bithyniae, ut demonstravi in hujus urbis moneta, et copiose olim in meis numis veteribus p. 176. Neque pluris faciendi numuli aenei triti, in quibus hinc: P. VIRGILIVS. MARO cum hujus poetae capite, inde solum EPO totam aream occupans. Fuere tamen, qui eos in veteris aevi reliquiis putaverunt. In horum numero mirabimur exstitisse Winkelmannum, haec absenti amico ex urbe scribentem [a]): *Compertus est Romae parvus numus aeneus, in cujus una parte circa caput, sed quod exesum fere est, evidenter legitur nomen Virgilii Maronis. In parte aversa literis majoribus scriptum est* E. P. O. *Numus hic Cardinali meo* (Alexandro Albano) *missus unicus in vrbe est, et si caput magis esset integrum, veram teneremus Virgilii formam.* At enim numus hic suus neque unicus est, (nam ejus multa mihi occurrerunt exemplaria) neque artis anticae. Vix dubitem, numulos hos ante annos complures Mantuae, quae Virgilii patria fuit, suadente adfectu in poetarum Latinorum principem fuisse percussos. Aspernatus sum etiam numos personarum illustrium, quos tabulis IV. undequaque congestos repraesentavit Gessnerus, quod ii haud dubie aut falsi sunt, aut male lecti, aut nomina iis inscripta urbis potius quempiam magistratum, minime vero illustrem personam indicant, quas seu fabulas, seu insomnia taedeat aliquando antiquarios in tabulas suas perpetuo revocare. Exclusi etiam numos, in quorum antica juxta caput muliebre turritum legitur ΚΥΜΗ, ЄΦЄϹΟϹ, ϹΑΡΔΙϹ, ΤΗΜΝΟϹ etc. Sunt, qui existiment, his capitibus proponi Amazonem cognomi-

a) Briefe in die Schweiz, Seite 168.

nem, a qua urbs condita ferebatur, ut sane pleraeque Aeolidis, Ioniae, Cariae, Lydiae urbes Amazonum cuipiam suum debere nomen profitebantur. At enim haec capita tutius inter urbium genios, aut symbola referes. Neque enim scriptum juxta caput simile EPΥΘPAI, quod est in multitudinis numero, notare potest Amazonem, aut etiam AΠAMЄIA, quae appellatio novicia est, tracta ab Apame Antiochi Soteris matre.

CAPVT XVIII.

DE NVMIS CISTOPHORIS.

De his insignem habemus commentarium Alexandri Xaverii Panel Galli, quo, quidquid de illustri hac numorum classe dignum est commemoratu, magno ingenio et solida doctrina complexus est. Ex eo nos multa, quibus hi numi illustrantur, excerpemus, nonnisi mutatis additisve, quae e re videbuntur, quod saepenumero eveniet.

Cistophori dicti fuere a Graeco κιςοφορος, vel κιςιφορος, *qui*, vel *quae cistam gerit*, nimirum in sacris Bacchi, vel Cereris et Proserpinae, eorumque solennibus pompis, cujus rationis fuere etiam κανηφοροι, λικνοφοροι, δενδροφοροι in iisdem festis. Latinis hi dicti fuere *cistiferi*, ut patet ex Martiali [a]). Ab his μεταφορικως numi, de quibus agimus, a Latinis, quorum infra testimonia proferemus, dicti fuere *cistophori*, scilicet ab imagine cistae, quam impressam gestant. Talenti *cistophori* meminit Festus [b]), quod ait fuisse, sicut Rhodium, 4500 denarium, sed quod ad hanc causam non pertinet, quia talentum numus non fuit, sed numorum congeries.

Iuvat universam de his cistophoris doctrinam in plures articulos dispescere, quorum I. instruetur catalogus omnium hactenus cognitorum. II. agetur de patria III. de typis. IV. de inscriptis magistratibus. V. de origine et aetate. VI. de metallo, pondere, usu, et copia. VII. de cistophoris impropriis.

I. *Catalogus numorum cistophororum.*

Commode totum cistophororum agmen in duas classes dispescas, quarum I. continet cistophoros autonomos, seu quos urbes suo quodam jure, nullo cum

a) Epigr. V. 17. b) in Talentum.

Romanis nexu, signavere, II. qui mentionem magistratuum Rom. praeferunt. Cum omnes sint argentei IV. drachmarum, metallum et magnitudo non notabitur.

§. *I. Cistophori autonomi.*

1) *Cista semiaperta, ex qua serpens provolvitur, omnia intra coronam ex hedera et corymbis contextam.* ✕ ΑΠΑ. *(in monogr.) Duo serpentes implicatis caudis exsurgentes pharetram complectuntur, quam mediam exornat quid acrostolio simile, et ex qua superne prominet arcus, in area noctua intra quadratum.* (Pellerin. Rec. II. tab. 43.) In aliis: *in area prora navis*, vel *auris humana*, vel *apis etc.* (Mus. Caes. Hunter.)

2) *Eadem adversa.* ✕ ΑΠΑ. ΑΤΤΑΛΟΥ. ΤΙΜΩ. *vel:* ΣΩΚΡΑΤΟΥ, *vel:* ΑΠΘΑΛΛΩΝΙΟΥ. ΠΡΥΤ. *Idem typus princeps; inferne duae taedae, vel tibiae, vel secundum alios duae taedae decussatae.* (Pellerin l. c. Neumann, Panel p. 51.)

3) *Eadem adversa.* ✕ ΕΦΕ. *Idem typus princeps; per aream: caput muliebre cum praealta turri, caput muliebre floribus ornatum, duplex cornucopiae media spica, larva, fulmen, cervus dimidius, at plerumque taeda, tum et variae notae arithmeticae:* Β. Γ. Κ. ΛΔ. ΜΔ. ΜΓ. ΜΗ. ΞΕ. ΞΖ. (Pellerin Rec. II. tab. 55. et Mel. I. tab. 4. Hunter sub Epheso, Panel p. 57. Pembrock P. II. tab 81. Mus. Neumann.)

4) *Eadem adversa.* ✕ ΛΑΟ. ΖΕΥΞΙΣ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ. ΤΟΥ. ΑΜΥΝΤΟΥ. *Idem typus princeps; in area caduceus.* (Pellerin Rec. II. tab. 46. Hunter.)

5) *Eadem adversa.* ✕ ΠΕΡΓ. *(in monogr.) Idem typus princeps; superne:* ΑΠ. ΑΣ. ΕΥ. ΙΕ. ΚΡ. ΚΤ. ΜΕ. ΤΕΥ. ΤΗ. ΦΙ. *addito constanter* ΠΡΥΤ. *(in monogr.) in uno Panelii* ΠΡΥΤΑ. *in area: baculus obvoluto serpente.* (Mus. Caes. Panel, Hunter.)

6) *Eadem adversa.* ✕ ΣΑΡ. *Idem typus princeps; in area figura, et monogramma.* (Pellerin Rec. II. tab. 63. Hunter.)

7) *Eadem adversa.* ✕ ΤΡΑ. *vel* ΤΡΑΛ. *Idem typus princeps, in area:* ΤΙΜΕ. *vel* ΑΤΤΑΛΟΥ, *vel* ΘΕΟΔ. *vel* ΜΕΝΑ., *tum Iuno Pronuba, aut Diana Ephesia, vel miles, bubalus, tripus.* (Pellerin, Hunter, Catal. d'Ennery.)

Excludimus ex hac serie cistophoros Cretenses a Goltzio obtrusos, cujus causam articulo II. dabimus.

* * *

§. *II. Cistophori cum mentione magistratus Romani.*

8) *Eadem adversa.* ✕ P. LENTVLVS. P. F. IMP. *Idem typus princeps; in area:* ΛΑΟ. ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ. ΔΑΜΟΚΡΑΤΟΥ, *et caduceus.* (Pellerin Rec. II. tab. 46.) In alio: P. LENTVLVS. IMPERATOR. ΑΠΑ. ΜΥΙΣΚΟΥ. (Mus. Caes.) *aut praeterea in area tibia duplex.* (Hunter Catal. p. 33.) In alio: ΑΤΤΑΛΟΥ. ΒΙΑΝΟΡΟΣ. ΑΠΑ. (Harduin in Plin. T. I. p. 275.)

9) *Eadem adversa.* ✕ AP. PVLCHER. AP. F. PRO. COS. *Idem typus prin-*

ceps; in area: ΛΑΟ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ. ΔΑΜΟΚΡΑΤΟΥ. ΖΩΣΙΜΟΣ, et caduceus. (Morelli Fam. Claud. tab. 2. Seguin.)

10) Eadem adversa. ℞ PVLCHER. IMP. Idem typus princeps; in area: A. et ΗΡΑ. ΚΙΜΩΝΟΣ. (Liebe. pag. 227.) In alio: ΑΠΑ. et ΘΕΟΠΡΟΠΟΣ. ΑΠΟΜΩΝΙΟΥ. (forte ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ.) Hunter pag. 33.)

11) Eadem adversa. ℞ M. TVLL. IMP. Idem typus princeps; in area: ΛΑΟ. et ΛΑ. ΒΑΣ. ΠΥΡΡΟΥ. et caduceus. (Seguin, Morelli in Tullia.)

12) Eadem adversa. ℞ C. PVLCHER. PROCOS. Idem typus princeps; in area ΠΕΡΓ. (in monogr.) et ΜΗΝΟΔωΡΟC. et baculus obvoluto serpente. (Haym. T. II. tab. 24.) Alius similis, sed cum magistratu ΜΗΝΟΦΑΝΤΟC. (Mus. Flor. tab. 108.) Alius, sed cum ΒΙωΝ. (Pembrock P. II. tab. 81.)

13) Eadem adversa. ℞ PVLCHER. PROCOS. Idem typus princeps, in area ΤΡΑ. et ΑΡΙCΤΟΚΛΗC., et manus sinistra aliquid ramo simile tenens. (Pellerin Rec. II. tab. 63.)

14) Eadem adversa. ℞ C. FAN. PONT. PR. Templum 4. col. inter duos serpentes, in area ΕΦΕ. ΠΕ. inde fax, in imo ΙΔΗΙΛΟC. (Catal. d'Ennery.)

Sic legendum magistratus Romani nomen, numi sequentes docent, cum auctor ejus catalogi perperam legeret: C. FANTONI. PP.

15) Eadem adversa. ℞ C. FAN. PONT. PR. Duo serpentes complicatis caudis se erigentes, intra quos templum rotundum, cui superne insistit statua d. pateram, s. hastam tenens, in area hinc - ΡΑ., illinc manus aliquid ramo simile tenens, in imo: ΑΡΙCΤΟΚΛΗC. (Mus. Caes.)

Hic numus aeneus quidem est, sed satis apparet, esse animam subaerati, ut docui in mea Sylloge I. pag. 49, quo loco eximium hunc numum edidi.

16) Eadem adversa. ℞ FAN. PONT. PR. Typus, ut in praecedente, in area hinc - ΡΑ., inde aquila expansis alis fulmini insistens, infra ΜΕΝΑΝΔΡΟC.--ΡΕΤC. (Mus. Flor. tab. 108.)

17) Eadem adversa. ℞ A. M. PROCOS. Duo angues adsurgentes, intra quos tripus, cui insistit Apollo nudus d. ramum protendens, s. columellae innixus, in area hinc ΕΦΕ. ΟΖ., illinc fax ardens, in imo ΕΡΜΙΑC. ΚΑΥCΤΡ. (Pembrock P. II. tab. 81.)

18) Eadem adversa. ℞ Q. METELLVS. PIVS. SCIPIO. IMPER. Aquila legionaria inter duos angues adsurgentes, in area ΠΕΡΓ. (in monogrammate.) (Haym. T. II. tab. 24.)

19) M. ANTONIVS. IMP. COS. DESIG. ITER. ET. TERT. Caput Antonii hedera redimitum intra coronam hederaceam. ℞ Duo serpentes pharetram ambiunt, ut num. 1., in area hinc ΠΕΡΓ. (in monogr.) illinc baculus, quem ambit serpens. (Patin in Fam. Anton.)

Hunc numum esse spurium, comprobabo infra articulo III. Alios, sed genuinos Antonii IIIviri cistophoros vide in ejus moneta.

II. Patria cistophororum.

Certam horum numorum patriam fuisse eam Asiae minoris partem, quae olim regum Pergamenorum ditio, subinde Romanis testamento subjecta, pro-

vincia Asia dici coepit, ex numis ipsis invicte eruimus, ac I. quidem ab inscriptis urbium nominibus, II. ab inscriptis magistratibus Romanis, III. a typis. De II. et III. indicio agemus singularibus articulis. Extra dictos fines non habemus signatos cistophoros, ut continuo docebimus.

Vrbes provinciae Asiae, quae in his numis nomina sua profitentur, hactenus cognitae sunt sex, illustres omnes, Ephesus Ioniae, Pergamus Mysiae, Sardes et Tralles Lydiae, Apamea et Laodicea Phrygiae. De singulis agemus ordine.

Ephesus Ioniae. In hac urbe fuisse cusos numos, qui exhibentur sede 3, 14, 17, certum est ab inscripto EΦE. Minutorum signorum, quae aream frequentes insident, cum Epheso nexus, dempto cervo, non satis apparet. De notis arithmeticis agam infra articulo V.

Pergamus Mysiae. Hujus urbis cistophori omnium maxime obvii. Patriam Pergamum produnt non modo monogrammate ΠΕΡΓ., sed et Aesculapii baculo, qui constanter in numis sic notatis additur. At constat de insigni ejus dei apud Pergamum cultu. Numos habes loco 5, 12, 18. De inscriptis prytanibus vide infra articulo IV.

Sardes Lydiae. Hanc urbem eloquitur numus 6 inscripto ΣΑΡ.

Tralles Lydiae. ΤΡΑ. vel ΤΡΑΛ. inscriptum numis numero 7, 13, 15, 16, hanc urbem profitetur. Typus bubali est etiam in autonomo Trallium apud Pellerinium. Ad easdem Tralles refero etiam numum loci 16, in cujus area Gorio est ΡΑ, et aquila expansis alis fulmini insistens. Videtur ex numo excidisse prior litera Τ, qua restituta habemus solitum urbis indicium ΤΡΑ. Ad haec aquilam eodem statu exhibet Trallium autonomus apud Hunterum. (tab. LX. n. 20.) Iuno Pronuba, quae est in area numi 7, in pluribus urbium provinciae Asiae autonomis comparet, nisi forte Diana Ephesia est, quae ipsa quoque frequenter in Trallianorum moneta habetur. Neque velum ad pedes defluum Ephesiam hanc deam inficiatur, nam eodem amicta velo sistitur in numo Cymes Aeolidis [a]). Perperam in ea Panelius virginem cistiferam videt [b]).

Apamea Phrygiae. Hujus numi se manifestant inscripto Α, vel ΑΠ. in monogrammate, vel ΑΠΑ., suntque numeris 1, 2, 8, 10. Ex sigillis minutis huc faciunt prora navis, quia Maeandro adsita, et duae tibiae ex domestica Marsyae Satyri historia. At Apameam maxime comprobat magistratus ΑΤΤΑΛΟΣ. ΒΙΑΝΟΡΟΣ, quem praebet numus 11, nam eundem exhibent quoque autonomi hujus urbis certi. (Mus. Caes. Pellerin.)

Laodicea Phrygiae. Epigraphe ΛΑΟ. in numis loci 4, 8, 9, 11. Caduceum omnes addunt, qui tamen in hactenus notis ejus autonomis nondum comparuit.

* * *

Vltra hujus provinciae fines cistophori sese non porrigunt, nisi Cretam

a) Spanh. de Vesta et Pryt. b) p. 17.

malis addere hoc numorum genere, si unum Goltzium audias, feracem, qui in suis Insulis tab. III. et IV. alios inscriptos ΚΡΗ. ΚΡΗΤΑΙΩΝ, alios ΚΥΔΑΙΩΝ, ΚΥΔΑΣ protulit. Hoc ejus praeconio inducti antiquarii, quam absurda coacti fuerint comminisci, ut sedem cistophoris in ea insula pararent, satis apparet ex Begeri dissertatione de numis serpentiferis. Eadem fiducia Wachterus primaevam cistophoris originem in Creta constituit, cumque videret Tralles, Laodiceam, Apameam his numis inscriptas, eas Cretensium esse colonias dejeravit, quia constat, Cariam, cui olim dictae urbes fuere contributae, fuisse colonis Cretensibus frequentatam. At cum huic doctrinae repugnare viderentur numi inscripti ΠΕΡ., nequaquam ajebat his literis indicari Pergamum, sed Peraeam Cariae regiunculam [a]). Panelius, ut hanc numorum societatem Asiam inter Cretamque explicaret, conjicere non dubitavit, quod homini tam praeclare erudito in mentem venire nunquam debuerat, Cretam a Romanis captam Asiae fuisse proconsulari adnexam [b]). Tam validae fuere Goltzii inde ab ortu suo praestigiae, et fascinandi artes, ut mallet eruditus quisque ἀπροσδιονυσα et ἀσυστατα effutire, quam ejus παραχαρακτου ludibria aspernando sapere. Quod frequenter per hos meos commentarios inculcaveram, virum mirabilis consilii et instituti numis veris alienas adfinxisse inscriptiones, istud in his ejus cistophororum commentis manibus tenemus. Non nego, cistophoros, quos citatis locis proposuerat, esse genuinos, verum inscriptiones ΚΡΗΤΑΙΩΝ, ΚΥΔΑΙΩΝ etc. esse genuinas, istud est, quod pernego. Aude has aspernari, et Goltzianos hos numos cum iis contendere, quos probos et incorruptos supra dederam, videbis continuo, quam facile fere singuli suae sese patriae adcommodent. Experiamur. Tolle vocem ΚΡΗΤΑΙΩΝ ex numo V. tabulae III., et habebis numum Pergami, cujus similes loco 5 proposui. Tolle ex numo VI. ΚΡΗ., et habebis luculentum Sardium numum. In numo VII. in locum του ΚΡΗ. repone ΠΕΡΓ., et pro ΔΙ. ΤΡΥ. lege ΔΙ. ΠΡΥΤ., evadet certus numus Pergami. In numo III. tabulae IV. pro ΚΥΔΑΙΩΝ lege: C. FAN. PONT. PR., babebis numum, qualem loco 15 stiti. Neque vero hactenus constitit Goltzii fraus, sed placuit adulterare quoque metallum. Nam cum cistophoros non norimus nisi argenteos, binos ex suis ementiri aureos placuit. Sed satis de cistophororum patria.

III. Typi cistophororum.

Typum utriusque partis ad Bacchum pertinere, certum est, cujus causam observantiae, quam communi consilio nobilissimae Asiae urbes professae sunt, infra dabimus [c]).

Pars adversa cistam semiapertam exhibet, ex qua serpens in lucem provolvitur; aream ambit corona ex hedera et corymbis contexta. Cistam, serpen-

a) Archaeol. num. p. 92. b) p. 64. c) Art. VI.

tem, hederam ad Bacchum, ejusque insanam et pudendam pompam pertinere, ab omnibus mythologis, atque iis praecipue, qui Dionysiaca explicuere, abunde dictum, et videri potest erudite explanatum a Panelio inde a pagina 10.

Pars aversa, etsi hanc quoque sibi Bacchus certo vindicet, implexam tamen habet rationem. Nam quid sit illud, quod inter adsurgentes duos serpentes continetur, ambigitur, et ambigi jure potest. Nonnius Goltzii commentator, aliique veteres in pharetra acquievere. Sed adversatur palam Panelius, quod qualicunque illi imagini non satis convenire cum pharetra existimat. Magis igitur in vannum mysticam inclinat, quae partem non ignobilem supellectilis Bacchicae constituit, et quae definiente ex aliorum sententia Servio a) fuit *vas vimineum latum, in quod ipsi propter capacitatem rustici congerere frugum primitias solent.* At enim ipsa veterum testimonia obstant, quo minus ejus possim sententiae suffragari. Teste Servio vannus fuit vas vimineum, latum, capax, aptum recipiendis frugum primitiis. At horum nihil huic, ut in numis fingitur, instrumento proprium, imo adversum potius. Quo enim pacto vas latum et capax dici possit, quod inde a labro superiore continuo in angustum coit? aut qua unquam aetate vasorum qualiumcunque conformatio fuit ad modum, qualem hi numi proponunt? Accedit, quod vanni in Bacchi pompis capite gestari sunt solitae. Ita enim Proclus agens de muliere *λικνοφορῳ* b): *λικνον μεν ἐπι της κεφαλης θεμενη, και δρακοντι ἀυτο περιςεψασα, vannum quidem capiti imponens, et serpente eam coronans.* At qua quaeso ratione vas inferne in cuspidem desinens habile fuit, quod capite gestaretur? Bacchanalia in numis, gemmis, anaglyphis veterum expressa varii generis et formae offerunt vasa, horum etiam aliqua non raro a virginibus cistiferis, aut si malis, vanniferis capite gestari videmus, verum inter haec nullum est ejus formae, quam vanno Panelius tribuit. Vannos adeo potius dixeris illa canistra, quae frugibus referta saepe in numis Alexandrinis parvi aeris proponuntur, aut Cereris signis adstituuntur, aut quale Panelius ipse ex numo Sidoniorum dedit c), quae fuisse viminibus confecta ipsa liquido apparens partium textura docet. Cape certam vanni Bacchicae formam ex monumento Winckelmanni d), ac tum aude, id, quod hi numi offerunt, vannum putare. Atque his Spanhemius motus rationibus vannum dixit non illud, quod in horum numorum aversa serpentibus cingitur, sed potius cistam, quae est in eorum parte antica stemmate hederaceo clausa, quae per ipsam serpentis promicantis causam *mystica vannus Iacchi* videtur putanda e). Tamen et hanc Spanhemii sententiam solide refutavit Winckelmannus f).

Num igitur ad Nonnii pharetram postliminio redeundum? Fateor, neque cum pharetra mihi satis convenire ab-

a) ad Georg. I. v. 166. b) in Timaeum. c) p. 16. d) Mon. ant. n. 53. e) ad Callim. in Cerer. v. 127. f) l. c.

ludente non parum imagine. At quis omnem bacchanalium superstitionem, et quae ad horum insaniam requirebatur, supellectilem post tot saecula sperabit posse recte et ordine explicari? Tamen si alterutrum esset eligendum, prae vanno pharetram mallem. Sane in plerisque hujus classis numis ex ambiguo hoc instrumento superne luculentus promicat arcus. Habebis ergo in his arcum, quod saepe alias, cum pharetra junctum ad eum fere modum, quo utrumque conjungitur in obviis drachmis Erythrarum Ioniae, ut videre est apud Pellerinium [a]). Denique pharetram non leviter comprobant numi Sidetum, quos infra articulo VII. sistam, quorum nota incusa luculentum arcum pharetrae junctum exhibet. Quoniam hi, ut dicetur, per ipsam hanc notam in jus cistophororum sunt cooptati, verisimile sane est, ejus notae typum ex ipsis cistophoris captum. Cum vero haec pharetram cum arcu exprimat, haud dubie et utrumque in cistophoris expressum intelligendum est. Ceterum pharetram Baccho jure tribui, et monumenta docent, et mythologi. In numis Maroneae Thraciae et gentis Corneliae Blasionum ejus manus armatur sagittis. Si ergo gaudebat sagittis, necessaria fuit theca, quae eas reconderet.

Cum verisimili hac, quam dixi pharetra conjuncta sunt instrumenta alia. De arcu jam egi in prioribus. In numis 2 et 8 duos bacillos videas prominentes, et in decussem positos. Eorum formam videas apud Liebeum [b]), et Pellerinium [c]). Conjecit Panelius, esse ferulas Baccho familiares [d]), sed non satis istud probat. Forte verius taedae sunt, aut duae tibiae, ut supra ad Apameam indicavi, aut aliud. At omnium minime adsentior Panelio, cum parva sigilla per aream vaga, et a typo principe exclusa, caduceum, baculum obvoluto serpente ad Bacchi quoque caerimonias vocat. Esse ea urbium, in quibus hi sunt numi signati, symbola, articulo II. ostendimus, etsi istud de omnibus diserte adfirmari nequeat tam parum, atque in tetradrachmis Alexandri M. De acrostolio pharetrae adfixo nihil habeo quod disseram, cum dubitari possit, sitne illud, quod maritimi ejus signi speciem praefert, revera acrostolium, an non potius simplicis ornatus causa additum.

Haec commemoranda fuere ad typos primaevos, qui sunt in cistophoris autonomis, iisque vetustioribus. At vero typorum puritatem corrupit sequens aevum, quo Asia servire Romanis jussa est, et quod inscripta magistratuum R. nomina profitentur. Principio retenta vetus simplicitas proconsulibus Lentulo, App. Pulchro, M. Tullio, C. Pulchro, quod comprobant numi inde a num. 8. se consequentes; verum serius in extrusae pharetrae locum successere templum, aquila legionaria, Apollo. Revocatam paullo post pharetram suadere posset numus M. Antonii loco 19 propositus; verum fatetur ingenue Patinus ejus numi praeco, non sibi videri

a) Rec. I. tab. XXV. n. 17. 18. b) pag. 227. c) Rec. II. tab. 43. n. 15. d) pag. 25.

certae antiquitatis. Aversam cistophororum ejus IIIviri, qui genuini sunt, occupat Bacchi cista inter duos dracones adsurgentes, cui impositum est aut signum Bacchi, aut caput muliebre. De numis post haec tempora signatis, et qui aliquo modo cistophoros imitantur, agam infra articulo VII.

IV. Inscripta magistratuum nomina.

Magistratus cistophoris inscripti duplicis sunt generis, alii domestici et singulis urbibus proprii, alii Romani proconsulum aut praetorum nomine. In nonnullis utrique conjunguntur, et tum numi hi sunt bilingues, sic ut magistratus urbis Graece, proconsul Latine inscribatur.

Magistratus urbium domestici. Hos Pergameni sedulo inscripsere numis utriusque classis, ut videre est locis 5 et 12, sed sic, ut in prima classe, nempe autonomorum, eorum nomina sint trunca addito semper monogrammate ΠΡΥΤ., at in altera classe nomina sint integra, sed omissum ΠΡΥΤ. Hoc nomine indicari magistratum *Prytanem* jam alias ex numis cognitum, inter omnes convenit, de cujus varia potestate egimus alibi. In alio Pergameno monogrammati continuo subjicitur A, quod utrumque conjunctum Panelio legendum videtur ΠΡΥΤΑ a). Malim ΠΡΥΤ. A., ut intelligatur Prytanis I, perinde atque in solita formula ΑΡΧΩΝ. Α. Nam plures fuisse eodem tempore prytanes, atque inter hos πρυτανιν πρωτον, ipse Panelius pluribus exemplis comprobat b). Fuerintne praeter Pergamum aliarum quoque urbium cistophoris inscripti prytanes, vix adfirmavero. Panelius in binis Apamensibus musei le Bret vidit ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ. ΠΡΥΤ. et ΑΤΤΑΛΟΥ. ΤΙΜΩ. ΠΡΥΤ. c) at in Pelleriniano, qui posteriori similis est, abest το ΠΡΥΤ. d). In reliquis magistratus dignitas non additur, nisi forte Trallianum loci 15 demas, in quo haud dubie legendum videtur ΜΕΝΑΝΔΡΟϹ. ιεΡΕΥϹ.

* * *

Magistratus Romani. Inscripta horum nomina et cistophororum doctrinam, et historiam praeclare juvant. Enarrant vero proconsules, qui populi R. nomine provinciam Asiam et Ciliciam rexere. Complexa est provincia Asia regiones, quas moriens circa annum V. C. 623 Attalus III. Pergami rex populo R. legavit, scilicet Mysiam, Aeolidem, Ioniam, Lydiam, Phrygiam, quibus serius accessere Caria et Lycia Rhodiis ademptae. Compluribus post annis constituta provincia Cilicia, et quidem ex mente Pighii V. C. 679 secundum Varronem, at ex mente Norisii V. C. 687 ejus primo rectore Q. Martio Rege proconsule e). Ea varios varia aetate fines habuit, quos nunc curiosius investigare non attinet, cum ad explicandos praesentis instituti numos id unum nosse sufficiat, cum Cilicia fuisse conjunctas tres dioeceses in Phrygia sitas, Cibyraticam, Synnadensem, Apamensem a provincia Asia avulsas, quod copiose

---

a) pag. 51. b) p. 48. c) pag. 51. d) Rec. II. tab. 43. num. 15. e) Cenot. Pis. diss. II. c. 11.

confirmat in epistolis suis Cicero, qui Ciliciam pro consule rexit. Ad hanc ergo provinciam Ciliciam pertinuere Apamea et Laodicea, quae posterior teste Plinio fuit conventus Cibyratici [a], utraque vero frequenter, ut supra vidimus, proconsules suos praetoresve cistophoris apud se signatis intulit, quos nunc ordine recensebimus.

P. LENTVLVS. P. F. IMP. in numis loci 8, signatis Laodiceae et Apameae Phrygiae urbibus. Fuit ergo proconsul Ciliciae, quod jam constabat ex Cicerone, cujus ad eum epistolas bene multas earum liber I. continet. P. Cornelius Lentulus Spinther processit consul V. C. 697. Exin sortitus provinciam Ciliciam tres ibi annos adhaesit probata etiam victis hostibus, incertum quibus, virtute, ex qua dictus IMP*erator*, et triumphi honorem abstulit, quae omnia in citatis Ciceronis epistolis docentur, et confirmantur his numis. Haec cum aperta sint et luce meridiana clariora, et jam sic a veteribus antiquariis tradita, tamen poterat scribere Havercampus, hos Lentuli cistophoros cusos Apameae et Laodiceae Syriae [b]).

AP. PVLCHER. AP. F. PRO. COS. vel: PVLCHER. IMP. in numis 9 et 10, Apameae item et Laodiceae cusis. Ap. Claudius Pulcher Appii F. consul processit V. C. 700. Anno sequente in Ciliciam sibi destinatam profectus successit P. Lentulo, cujus mox numos vidimus. Tradita V. C. 703. M. Ciceroni provincia ex victoria, incertum iterum qua, sed cujus causa IMP*eratoris* sibi honorem emeruit, triumphum petiit, sed quem abjecit, a P. Dolabella majestatis et ambitus reus factus. Haec omnia Pighius ad annos citatos ex Ciceronis epistolis collegit, et conspirant numi.

M. TVLL. IMP. in numo 11 Laodiceae Phrygiae cuso. M. Tullius Cicero provinciam Ciliciam ab App. Pulchro accepit V. C. 703. Ipse scribit, se frequenter Laodiceae celebrasse conventus, et quidem ex idib. Febr. ad Kal. Majas omnium dioecesium Asiaticarum forum egisse [c]). De collato IMP*eratoris* titulo haec ipse scribit [d]): *Ita victoria justa IMPERATOR appellatus apud Issum, quo in loco, saepe ut ex te audivi, Clitarchus tibi narravit, Darium ab Alexandro esse superatum.* Decessit e provincia III. Kal. Sext. V. C. 704, suffecto P. Sestio [e]).

Ergo tres Ciliciae proconsules sibi ordine succedentes praeclari hi cistophori offerunt. Succedunt certi provinciae Asiae praesides.

PVLCHER. PROCOS. vel C. PVLCHER. PROCOS. in numis Trallium et Pergami locis 12 et 13. C. Clodius Pulcher frater P. Clodii tribunipl. V. C. 698 praeturam in urbe egit. Ex hac sortitus provinciam Asiam in hac per annos V. C. 699 et 700 commoratus est, ut ex Cicerone docet Pighius. Dicitur in numis *proconsul*, at Cicero eum simpliciter praetorem appellat, quippe qui consul nunquam fuit, atque istud tanto magis mirum, quod C. Fan-

a) L. V. §. 28. b) ad famil. Morellii p. 137. c) ad Attic. L. V. ep. 21, et L. VI. ep. 1. 2. d) ad famil. L. II. ep. 10. e) Pighius.

nius, quem mox dabimus, in numis suis ex eadem causa non dicitur PRO-COS., sed PR*aetor.* At video, scriptores veteres in permiscendis proconsulis et praetoris titulis multum sibi indulsisse, cujus luculenta exempla dedimus supra cap. I. sect. II. §. 3.

C. FAN. PONT. PR. in numis Trallium et Ephesi, quos habes locis 14, 15, 16. M. et C. Fannios exhibent denarii Romani, praesentes cistophori C. Fannium suum per Trallium mentionem certum provinciae Asiae praesidem faciunt. Fuit hic Fannius fine saeculi VII. et initio VIII. ab V. C. non obscurae famae, et saepe memoratus Ciceroni. Eum praeturam urbanam exercuisse V. C. 699, ex Ciceronis auctoritate conjicit Pighius, atque ex hac sortitum provinciam Asiam, et successisse C. Pulchro, de quo modo egimus, inde posse conjici videtur, quod idem Trallensium magistratus ΑΡΙϹΤΟΚΛΗϹ in utriusque numis legitur. Aliquid etiam lucis de hac Fannii praetura suppeditat Fl. Iosephus [a]). Narrat, L. Lentulum, quo is anno cum C. Marcello consul fuit, Iudaeis Ephesi degentibus vacationem a militia indulsisse. Postea idem beneficium renovasse Fannium, quem is ἀρχιστράτηγον vocat, forte melius ἀντιστράτηγον. Processere Lentulus et Marcellus V. C. 705. Ergo praetura Fannii aut ad hoc usque tempus fuit prorogata, aut circa istud tempus in provinciam est profectus. Initio belli civilis eum Cicero inter viros praetorios nominat [b]). Dicitur Fannius PONTI-*fex*, et fuisse pontificem saltem jam V. C. 697, certum est auctore Cicerone, qui eum in oratione de haruspicum responsis in pontificum catalogo recenset [c]). PR*aetor* denique dicitur, quia ex praetura in provinciam Asiam profectus est. Vide de his numis plura in mea Sylloge I. pag. 49.

A. M. PROCOS. in numo 17 Ephesi signato. Quis fuerit hic A*ulus* M - - - proconsul Asiae, aliis conjiciendum relinquo. Iure irascimur monetarii parsimoniae, proconsulis nomen, tanquam obscoenum, obscura sigla complexi. Et vero si in ullo cistophoro loquacem cuperem monetarium, istud in hoc Ephesio vellem, nam ex cognito proconsule proclivius foret, naturam annorum cistophoris Ephesiis inscriptorum explorare, de quibus agam articulo proximo.

Q. METELLVS. PIVS. SCIPIO. IMPER. quem descripsi loco 18. Cusum se profitetur Pergami. Hac epigraphe indicari filium P. Cornelii Scipionis Nasicae, subinde a Q. Metello Pio adoptatum, qui post cladem Pharsalicam supremi imperatoris potestate adversus I. Caesarem in Africa stetit; victusque manus sibi intulit, copiosi denarii eodem modo inscripti docent, de quo vide, quae docebimus in numis familiarum. Verum quo is pacto monetae cistophorae sit insertus, ardua, neque hactenus expedita quaestio. Haymius, qui primus hunc numum in lucem protulit, maluit hanc difficultatem relin-

a) Ant. Iud. L. XIV. c. X. §. 13. b) ad Attic. L. VIII. ep. 15. c) cap. VI.

quere intactam. Panelius eum Asiae praesidem diserte facit, sic tamen, ut liquido adfirmare non audeat, utrum C. Pulchro, qui V. C. 699 et 700 Asiae praefuit, successerit, an decesserit [a]). Sed haec viri eruditi doctrina mera est conjectura, et cui ipsa etiam adversatur historia. Vt enim praeteream, nuspiam inter Asiae praesides legi Metellum nostrum, ejus sententiam plane videtur evertere additus IMPER*atoris* titulus. Etenim hunc adeptus fuisset vel ante Asiae praefecturam, vel hac labente. Non illud, nam qua orbis R. parte duxisse exercitum, quo honorem illum emeruisset, non constat. Non alterum; nam tempore praefecturae Asiaticae, quod Metello adsignat Panelius, provincia Asia pacatior fuit, quam ut lauros bellicas potuisset impertiri. Si ergo is titulus accessit serius, actum est de Metello Asiae praeside, qui fingitur rexisse Asiam, quo tempore imperator nondum fuit, quem tamen honorem canore illi largitur numus. Quae de hoc Metello Scipione comperta habemus, haec sunt. Conjicit Pighius, fuisse quaestorem urbanum V. C. 691 [b]), Tribunum pl. idem probat V. C. 695 [c]). Praetorem urbanum facit V. C. 699, sed nulla auctoritate [d]). Iam vero certum, eum V. C. 702, quo anno Pompejus M. Metelli nostri gener solus consul fuit, ab hoc in quinque postremos menses collegam fuisse cooptatum. V. C. 705 in Syriam proconsule profectus est. Quae post haec ab eo gesta sunt, Caesar L. III. de bello civili commemorat, etsi homini inimicior, quippe Pompeji socero, quo tamen ea, quae ad explicandum hunc numum pertinent, commode illustrantur. Ait primum [e]), *His temporibus* (exeunte anno V. C. 705, et incipiente 706.) *Scipio detrimentis quibusdam circa montem Amanum acceptis sese IMPERATOREM appellavit.* En veram adsciti hujus tituli originem auctore ipso Caesare. Tradit deinde, eum exacta severe pecunia, omissisque hostibus Parthis inde a Crassi caede stolide elatis legiones Pergamum deduxisse, et provincia quoque Asia misere direpta instituto per Macedoniam itinere Pompejo sese conjunxisse. De reliquo ejus fato, quoniam ad praesens examen non pertinet, agemus in ejus denariis.

His igitur a Caesare praemonstratis facile erit, signati hujus cistophori tempus, causamque conjicere. Ad tempus quod attinet, feriri non potuit ante initium anni V. C. 706 propter additum *imperatoris* titulum, quem circa istud tempus abstulit. Neque signari potuit post V. Id. Sextiles ejusdem anni, quo die ad Pharsalum victus est Pompejus; nam non ausi fuissent Asiani in Caesaris jam potestatem redacti, hominis inimici, et cum Pompejo propter adfinitatem conjunctissimi nomine monetam insignire. Neque majoris molis est conjectare causam. Dixi supra, Metellum Scipionem ex Syria profectum Pergami constitisse. Plures eum ibi menses commoratum, certum est ex iis, quae ab eo ibi tentata refert Caesar [f]). Narrat,

a) pag. 55. b) Annal. T. III. p. 324. c) ibid. p. 355. d) ibid. p. 388. e) cap. 31. f) L. III. c. 32.

tota Asia acerbissime imperatas pecunias, non urbibus modo, sed paene vicis castellisque cum imperio praefectos, qui tributum extorquerent, plenam fuisse lictorum et imperiorum provinciam, solasque temporis angustias prohibuisse, quo minus Metellus Ephesi a fano Dianae depositas antiquitus pecunias tolli juberet. Quiscunque tum Asiam proconsule rexit, quod ignoramus, istud certum ex diserta Caesaris historia, Metellum tum summa cum potestate, et forte a Pompejo confirmata, penes quem tum omnium rerum fuit arbitrium, Asiae praefuisse, ultro etiam in ejus obsequium ruentibus Asianis, non modo quod Pompeji socer esset, sed etiam quod plurium legionum robore munitus esset. Atque secundum haec verisimile etiam, deficiente pecunia imperata a miseris provincialibus collatum argentum rude, atque ex hoc paratos continuo Pergami, ubi teste Caesare consedit, cistophoros inscripto Metelli Scipionis nomine; ex quorum numero est is ipse, qui hujus nunc causa disputationis fuit.

V. Origo et aetas cistophororum.

Videndum etiam, quae de cistophororum origine, et quae alia ad rationes chronologicas pertinent, possint verisimilia praedicari. Quo tempore cudi coeperint, nihil potest probabile adferri. Istud unum constat, jam V. C. 564 obviam fuisse in Asia monetam, quod eo anno Man. Acilius Glabrio in triumpho, quem de Antiocho M. egit, cistophorum ducenta quadraginta octo millia praetulit [a]). Reliquis conjecturis, inanibus certe, pro more abstineo. Omnium recentissimi sunt, qui pro pharetra partis aversae aliud quidpiam intra angues adsurgentes conclusum offerunt. Horum quotquot hactenus reperi, omnes primis saeculi ab urbe condita VIII. annis deberi vidi, ut supra monui, cum de typis agerem. Qui proconsulum nomina offerunt, eorum quoque aetas in plerisque adcurate potest definiri. In autonomis, quia omni nota chronologica destituuntur, desperata ratio, demptis Ephesiis, de quibus continuo.

Cistophori Ephesii omnes, quotquot hactenus viderim magis integros, in area aversae literas solitarias objiciunt. Quas observarim, sequentes sunt: B. Γ. K. ΛΔ. MΔ. MΣ. MH. ΞE. ΞZ. OZ. ΠE., quos citavi supra locis 3, 14, 17. Esse arithmeticas, evincit primum episemon Σ, deinde quod numeri non magnopere divergunt, sed aequabili progressu augentur, et revera numeri recentissimi OZ et ΠE numos recentioris rationis occupant, intelligo; qui jam inscriptos proconsules, et in aversa alium pro pharetra typum offerunt, quae esse certa aetatis criteria dixi.

Investigandum jam, sintne hi numeri epochae anni putandi. Ajo verisimile. At Ioniae urbes epochae annos monetae intulisse non constat. Quid tum? si epocha usae non sunt lege ordinaria, at poterant uti lege extraordinaria, et in

a) Liv. L. XXXVII. c. 46.

certi tantum generis numis, quales sane fuere cistophori. En tibi ejus illustre exemplum ex vicino petitum. Mysiae quomodocunque late sumptae urbes perinde epocha usas non constat; tamen eam inscripsere numis Alexandrinis Troadis, non quidem omnibus, sed tantum tetradrachmis cum epigraphe ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. ΣΜΙΘΕΩΣ, id est, certae tantum classis numis. Eodem ergo consilio potuere Ephesii, qui ab ordinaria sua moneta epochae annos abstinuere, eam inscribere cistophoris, qui fuere moneta extraordinaria. Hoc amoto obice a quo principio verisimile est ducendam epocham? Panelius, qui in his numeris aerae quoque indicia vidit, aeram esse sacram, perinde atque in numis ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ conjecit, quia inscripta numis per Sabaziorum religionem sacris, quae ab Ephesiis sive constituta, sive renovata occasionem praebere poterant constituendae epochae. Sed qualiscunque haec conjectura ad aerae cognitionem nihil confert. Ex numis hactenus cognitis ejus initium non potest definiri. Sed spes est, illud aliquando posse stabiliri, cum nacti fuerimus numum Ephesium, qui cum anno epochae conjunget nomen proconsulis, de quo constet, quo tempore Asiam rexerit, ut constat de C. Pulchro. Habemus quidem binos Ephesios, qui praesidis nomen cum anno aerae junxere, nimirum: A. M. PROCOS cum anno OZ, et C. FAN. PONT. PR. cum anno ΠΕ., verum ignoramus, quis fuerit is, quem numus nimis parce A. M. appellat, et de tempore praeturae C. Fannii nihil nobis constat. Exspectandum ergo tempus, quod prolatis aliis monumentis dubium expediat.

VI. Metallum, pondus, usus, copia cistophororum.

Metallo cistophori omnes eodem constant, nempe argento, eoque purissimo. Aureos non reperit nisi Goltzius, cujus fraudem jam perstrinxi supra articulo II. Aeneum dedi in catalogo loco 15, at monui etiam, eum detracta persona argentea aeneum evasisse.

Pondere ad tetradrachma accedunt, adpenduntque judice Belleyo, si modo integri sint, grana Parisina 240, unde singulorum pretium ratione monetae Gallicae est librarum 2, solidorum 14. Vide de hoc argumento plura apud Panelium a).

De usu, seu causa signatorum cistophororum ea lege, quam ex condicto a praestantissimis Asiae civitatibus observatam videmus, implexa quaestio. Summa doctrinae, quam Panelius praeceperat, eo redit b). Vtriusque partis typi in cistophoris argumentum continent, inquit, quod unice ad Bacchi mysteria et orgia pertinet. Constat, Bacchum in Lydiae, Phrygiae, et vicini tractus urbibus praecipua observantia mactatum, ejusque ibi festa appellata fuisse Sabazia, quae Asianorum fuisse propria docuere Tullius, aliique. Quocirca adfirmare non dubitat c), cistophoros, qui omnes ejusdem sunt formae, et Bacchicae alicujus pompae referunt insignia, cum in diversis

a) pag. 109. seq. b) pag. 26. seq. c) pag. 42.

civitatibus Asiaticarum provinciarum signati fuerint, signari potuisse ex occasione *tantum* communium Asiaticis civitatibus Sabaziorum.

Vt a Panelio hoc in tractatu pleraque magno judicio et eruditione disputata reperio, sic tamen ea, quae de cusorum occasione cistophororum adfert non possunt mihi plane probari, tametsi norim, dum Panelium impugno, etiam cum eruditis aliis mihi esse dimicationem. Video enimvero, viros praestantes, cum de illustriore quadam numorum Graecorum serie disserunt, continuo eorum feriundorum causam in ludos et festa conjicere. Ex simili causa creditum multis signatos numos, qui ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. inscribuntur, aut tetradrachma Alexandri M. post hujus mortem, ut visum Pellerinio, cusa. Sed enim quantamcunque Graecorum superstitionem, et in ludorum apparatus insaniam statuamus, an verisimile, tam enormem cistophororum vim, quantam infra commemorabimus, unis Sabaziorum solennibus impensam? Atque etiam ut istud demus, ubinam sunt tetradrachma urbium Asiae, quae tributorum, belli, commercii causa signari oportuit? quae quidem singula necessario plus sumptuum postulabant, quam quantivis Sabaziorum apparatus, et quorum causa exactos cistophoros ipse vir eruditus non inficiatur [a]). Panelii doctrina si valebit, nihil obstat, quo minus statuamus etiam, tetradrachma Atheniensium causa Panathenaicorum, aut Thasiorum et Tyriorum causa Heracleorum fuisse vulgata, aut, quo minus antiquarii, qui post annos bis mille monetam nostram explicabunt, statuere possint, numos nostrates inscriptos PATRONA HVNGARIAE signatos causa festorum, quae Hungariae urbes in virginis deiparae honorem celebrare constituerint.

Panelii doctrinae, quae constitutae hujus monetae causam statuit vix probabilem, aliam oppono simplicem plane, et a Graecorum consuetudine et institutis derivatam. Ajo I., fuisse cistophoros monetam huic Asiae minoris parti propriam, signatamque in quemcunque usum sive sacrum, sive profanum, perinde ut suam Atheniensibus, aliisque populis atque civitatibus. Probat istud ingens ejus copia, ut dixi, et dicetur amplius, tum et late porrectum Asianorum commercium ob bonitatem agri, et incredibiles proventus, quos prolixe commendat Cicero [b]). Eam vero exteris quoque probatam fuisse et adpetitam, comprobat praeda a L. Manlio de Gallograecis capta, cujus magna pars, ut infra exponam, cistophoris constitit. Ajo II., Asianos sic monetae suae impressisse Bacchanalia, ut Athenienses Palladem, Thasii et Tyrii Herculem. Nimirum ut hi illis dii principes fuere, sic Asianis Bacchus. Factum inde, ut Bacchi cista evaderet symbolum uni Asiae proprium. Sic in notis quinariis Augusti, inscriptis: ASIA. RECEPTA. fingitur Victoria cistae Bacchi insistens adsurgente hinc et inde dracone. De Baccho in hoc tractu educato multa habes apud mythologos; quae causa est, cur is prae aliis diis frequentius in ur-

a) pag. 110. seq. b) pro lege Manil.

bium Asiae numis typum faciat. Et vero Asianorum in hoc numen pietatem hinc metiare, quod cum insignem quempiam virum honoribus divinis adfecere, non illi Iovis aut Apollinis, alteriusve dei, sed Bacchi nomen impertivere. Sic teste Cicerone Mithridatem VI. Ponti regem dixerunt *Evium*, *Nysium*, *Bacchum*, *Liberum* a). Ipsi vero Asiani primi fuere, qui Antonium IIIvirum Bacchi nomine venerati sunt teste Plutarcho, cujus testimonium in ejus moneta recitamus, et quod confirmant ipsi cistophori, in quibus Antonii caput corona hederacea redimitur. Eadem de causa Antigonus Asiae minoris rex, ut auctoritatem sibi, et populi animos conciliaret, Bacchum instituit imitari, hederamque imponere capiti, et thyrsum gestare b). Non ergo Asiani signavere cistophoros propter Sabazia, sed numis instituti sui intulere Bacchum propter domesticam ejus dei religionem. Ajo III., cistophoros communi urbium Asiaticarum consilio eodem pondere, metallo, typis esse percussos, atque idem factum causa commercii, quod inter vicinas has et locupletes urbes intercessit, quis dubitet, aut quis dubitare poterit, quando et decretum fuerat ab Achaeis, ut omnes foederis Achaici urbes non modo iisdem legibus, ponderibus, mensuris, sed etiam eadem pecunia uterentur c)? Ex eadem causa, ut pronum est credere, factum, ut urbes Graecae in Asia maritima sitae eodem exemplo tetradrachma Alexandri M. ferirent, sive adhortante rege, sive societate inita. Neque aliam puto causam tenoris aequabilis, quem videmus in moneta vicinarum Illyrici urbium Dyrrhachii et Apolloniae, aut etiam trium Cretae urbium Cydoniae, Gortynae, Hierapytnae, quae tetradrachma ad modum monetae Atticae penitus conformavere, ut minora alia et obvia exempla taceam. Cui ex marmoribus cognita sunt urbium Graecarum foedera ex causis saepe jejunis inita, non mirabitur, coaluisse urbes in communi monetae negotio sibi publice privatimque proficuo.

Has ego causas cum alteri praefero, quam ex Sabaziorum pompa duxit Panelius, nolim negare, factum nonnunquam, ut religionis nomine ferirentur numi, in quorum numero habendi videntur argentei ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. ΞΜΙΘΕΩΣ, et ΑΘΗΝΑΣ. ΙΛΙΑΔΟΣ Alexandriae et Ilii Troadis urbium, verum pauci fuere id genus numi, neque eorum usus, quod cistophoris contigit, tam late patens.

Superest, ut, quo numero signati sint cistophori, commemoremus. Poteris hunc ex sequentibus testimoniis metiri. Man. Acilius Glabrio in triumpho de Antiocho M. et Aetolis ostentavit cistophorum ducenta quadraginta octo millia d). Non multo post L. Aemilius Regillus de Antiochi praefecto mari victo centum triginta unum millia e). L. Cornelius Scipio de eodem Antiocho trecenta triginta unum millia et septuaginta f). Eodem fere tempore Cn. Manlius Vulso in triumpho de Gallograecis ducenta quinquaginta mil-

a) pro Flacco c. 25. b) Herodian. in Commodo. c. Polyb. hist. L. II. 37. d) Liv L. XXXVII. c. 46. e) Ibid. c. 58. f) Ibid. c. 59.

lia [a]). Tanta summa collecta fuit in bellis fere uno codemque tempore gestis, et ex regionibus adhuc Antiocho M. subjectis. Scribit de se Cicero ad Atticum [b]): *Ego in cistophoro in Asia habeo ad IIS. bis et vicies; hujus pecuniae permutatione fidem nostram facile tuebere.* Pro tanta tamen horum numorum copia pars exigua ad nos pervenit; nam vulgo rari omnes habentur.

VII. Cistophori improprii.

Hoc nomine non intelligo numos varii metalli et voluminis, quibus cista mystica, serpentes, aliaque bacchanalia insculpta sunt, quae privatum tantum Bacchi cultum arguunt, qui non modo intra, sed et extra fines provinciae Asiae late valuit, sed eos, qui vario modo in cistophorum communionem videntur recepti, quales sunt:

IMP. CAESAR. DIVI. F. COS. VI. LIBERTATIS. P. R. VINDEX. *Caput Octaviani laureatum.* ✕ PAX. *Mulier stans d. caduceum, in area cista mystica, super qua serpens, omnia intra lauream.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Dixi supra variis locis, ineunte saeculo VIII. urbis conditae sinceros cistophororum typos sensim immutatos. Postremi, quos cistophoros jure dixeris, etiam Antonii IIIviri non nomen solum, sed et effigiem ostentant. Biennio post Antonii mortem cusi numi praesentis argumenti, docente istud consulatu VI. Octaviani, qui est anni V. C. 726. Dubium non videtur, typo cistae Bacchi et serpentis indicari Asiam, cujus haec signa symbolum fuere, quae sententia illustratur quinariis obviis eodem tempore signatis cum capite ejusdem Octaviani, in quorum aversa: ASIA. RECEPTA. *Victoria insistens cistae mysticae adsurgentibus binis draconibus inclusae.* At cum fere certum sit etiam, argenteos maximi moduli non esse monetam urbis, sed peregrinam, quam doctrinam latius probabo in moneta Augustorum, certum etiam perinde, id genus numos in Asia nostra signatos, et esse velut rudera, in quae illustris cistophororum series denique desivit.

* * *

Caput Palladis, in cujus facie signum incusum, referens arcum cum pharetra, juxta scriptum ΠΕΡΓΑ., *in alio:* ΣΑΡ., *in alio:* ΤΡΑ. ✕ *Victoria gradiens, et d. lauream praeferens, in area malum Punicum.* AR. m. m. (Mus. Caes. Hunter.)

Horum primum, inscriptum ΠΕΡΓΑ., editum reperies in mea Sylloge I. [c]), alios duos ex museo Hunteri edidit Combius inter numos Sides Pamphyliae, ad quam eos urbem pertinere necesse non est, ut iterum moneam. Advertit animum, omnes tres numos recusos in urbibus ejusdem provinciae, nempe Asiae, quae subinde proconsularis dicta est, ac praeterea in iis tantum, in quibus signati sunt cistophori, ac denique, quod in signum recusum lecta pharetra et arcus, quod utrumque perpetuus est typus in cistophoris vetusti modi. Ex quo licuit conjicere, ut eodem in opere dixeram, illustres hos Sidetum numos

a) Ibid. L. XXXIX. c. 7. b) L. XI. ep. 1. c) pag. 41.

ab Asianis in cistophororum communionem admissos constituto valore domesticae suae monetae analogo, atque in ejus rei testimonium notatos signo, quod cistophoris proprium fuit. Istud si verum, habemus numos, qui cistophori sint non quidem natura, sed adoptione. Quod hactenus conjectura est, evidens erit, cum aliquando Ephesi quoque, Laodiceae, et Apameae nomina in similibus Sidetum numis legere contigerit.

CAPVT XIX.

DE NVMIS INSCRIPTIS ANEΘHKE.

Horum naturam numorum qui data opera explicaret, hucusque, quod norim, repertus est nemo. Et tamen videntur curatius aliquod examen promereri, cum quod eorum agmen in justum jam numerum excrevit, tum ipsius argumenti causa. Eos primum, quotquot mihi in conspectum venere, ordine enarrabo, deinde quis sit vocabuli ANEΘHKE sensus, planius edocere connitar.

Achaei. In antica: Ὀςτίλιος Μαρκελλος ἱερευς τȣ Αντινοȣ, *Caput Antinoi*, in aversa: ANЄΘHKЄ. TOIC. AXAIOIC. in aliorum aversa: ANЄΘHKЄ. KOPINΘIΩN *typis variis.*

Adramytium Mysiae. ЄΓЄCIOC. ANЄΘHKЄ, AΔPAMTTHNΩN. *Ceres sedens*, in numis Antinoi.

Ancyra Phrygiae. IOTΛ. CATOPNINOC. ANKTPANOIC. *Mensis stans*, in numis Antinoi.

Aninesum Lydiae. KTIMЄNOC. Ӿ ANINHCIOIC. *Diana Ephesia*, in autonomo.

Aphrodisias Cariae. MЄNHΠΠOC. KAI. ZHNΩN. ANЄΘЄC. *Mulier stolata stans*, solito horum Aphrodisiensium typo, in numo Domnae.

Arcades. BЄTOTPIOC. *Caput Antinoi.* Ӿ TOIC. APKACI. *Equus gradiens.*

Aureliopolis Lydiae. AΠOΛΛΩNIΔHC. CTPA. ANЄΘH. ATPHΛIOΠOΛITAIC. *typis variis*, in numis Commodi.

Bruzus Phrygiae. MAPK. POTΦINOC. BPOTZHNΩN. ANЄΘHKЄN. *typo Hygiae*, in numis Severi.

Byzantium Thraciae. IЄPOMNAΛIAI. CЄOTHPOC. BTZANTIOIC. *Victoria stans ante aram, supra quam galea*, in numo L. Veri.

Chalcedon Bithyniae. ΙΠΠΩΝ. ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΟΙϹ. *Antinous grypho volante vectus*, in hujus numis.

Colossae Phrygiae. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟϹ. ΟΤΛ. ΑΝЄΘΗΚЄΝ. *Mulier stans d. globum, s. hastam*, in autonomo.

Corinthus Achaiae. Vide supra in *Achaeis.*

Cyme Aeolidis. ΙЄΡΩΝΤΜΟϹ. ΑΝЄΘΗΚЄ. ΚΤΜΑΙΟΙϹ. *Pallas stans*, in numo Antinoi, vel: *Isis supra triremem*, in numo Ant. Pii. — ΑΙΛ. ЄΡΜЄΙΑϹ. ΠΡΤΤ. ΚΤΜΑΙΟΙϹ. *typis variis*, in numis Valeriani et Gallieni, et autonomis.

Hydrela Cariae. ΑΠЄΛΛΑϹ. ΑΝЄΘΗΚЄ. *Mercurius stans*, in autonomo.

Iulia Phrygiae. ΑΤΤΑΛΟϹ. ΙΟΤΛΙЄΤϹΙΝ. ΑΝЄΘΗΚЄ. *Aurelius et Verus stantes dexteras jungunt*, in numo M. Aurelii.

Laodicea Phrygiae. ΑΓΡΙΠΠΙΝΟϹ. ΓΡΑΜ. ΑΝЄΘΗΚЄΝ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. *variis typis*, in numis Hadriani et Sabinae.

Π. ΚΛ. ΑΤΤΑΛΟϹ. ЄΠΙΝΙΚΙΟΝ. ΑΝЄΘΗΚЄ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. *Iuppiter Laodicenus*, in numo M. Aurelii. — Eadem epigraphe: *Nemesis alata stans*, in autonomo. — Π. ΚΛ. ΑΤΤΑΛΟϹ. ΑΝЄΘΗΚЄΝ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. *Venus nuda stans*, in numo M. Aurelii. — ΑΤΤΑΛΟϹ. ϹΟΦΙϹΤΗϹ. ΤΑΙϹ. ΠΑΤΡΙϹΙ. ϹΜΤΡ. ΛΑΟ. *typis variis*, in numis M. Aurelii. Λ. ΑΙΛ. ΠΙΓΡΗϹ, ΑϹΙΑΡΧΗϹ. ΑΝЄΘΗΚЄΝ. *Aedificium multis figuris refertum*, in numis Caracallae.

Mylasa Cariae. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΜΤΛΑΣΕΩΝ. *Bacchus in quadrigis.* X ΘΑΛΑΣΤΟΣ. aliis ΘΑΤΜΑΣΤΟΣ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. *intra coronam quernam.* Numus Augusti.

Otrus Phrygiae. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟϹ. ΑϹΙΑΡΧΗϹ. ΑΝЄΘΗΚЄΝ. ΟΤΡΟΗΝΩΝ. *typis variis*, in numis Domnae, et Caracallae.

Smyrna Ioniae. ΠΟΛЄΜΩΝ, vel: ΙЄΡΩΝΤΜΟϹ, vel: ΘЄΤΔΙΑΝΟϹ. ΑΝЄΘΗΚЄ. ϹΜΤΡΝΑΙΟΙϹ. *typis admodum variantibus*, in numis Hadriani, Antinoi, M. Aurelii, et autonomis.

Temenothyrae Lydiae. ΤΗΜЄΝΟΘΤΡЄΤϹΙ. praemissis variis ἀρχοντων vel ἀρχιερεων nominibus, admodum etiam variantibus typis, in numis copiosis inde a Gordiano usque ad Saloninum.

* * *

Iam primum formulae totius naturam expendamus. Ejus, qui aliquid ἀναθειναι dicitur, nunquam omittitur nomen, neque facile populus, in quem istud sive beneficium sive honos collatus. Supprimitur nomen populi in numis Colossarum et Hydrelae, quia jam in parte antica legitur ΔΗΜΟϹ. ΚΟΛΟϹϹΗΝΩΝ. et ΤΔΡΗΛЄΙΤΩΝ. Populus in dandi casu plerumque effertur, ut vidimus, non raro et in gignendi casu, ut ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ., sed tum dubium non est, suppressum τῃ πολει, vel τῳ δημῳ, sic ut sensus sit: ΑΤΤΑΛΟϹ. ΑΝЄΘΗΚЄ. τῳ δημῳ ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ., quo modo et in nota epigraphe numi Ephesii: ЄΦЄϹΙΩΝ. Η. ΠΡΩΤΗ. ΠΑϹΩΝ. ΚΑΙ. ΜЄΓΙϹΤΗ. subaudire oportet: Η. ΠΡΩΤΗ. πολις, et ΠΑϹΩΝ. πολεων. Denique non raro supprimitur ipsa vox ΑΝЄΘΗΚЄ..

At enim ut haec quaecunque suppres-

sa facile possunt expediri, sic minus facile est adfirmare, quid sid illud, quod in his numis ἀνατεθῆναι dicitur. Legimus: ΠΟΛΕΜΩΝ. ΑΝΕΘΗΚΕ. CMΥΡΝΑΙΟΙC. sed quid? Nimirum accusandi casus semper supprimitur, dempto numo Laodiceae, ΑΤΤΑΛΟC. ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ. ΑΝΕΘΗΚΕ., sed et in hac epigraphe το ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ varie potest accipi, ut dicetur. Quo incerto factum, ut eruditorum etiam sententiae in hujus formulae explicatu dissiderent. Fluctuare enimvero visus Buonarrotius, eruditus sane ac perspicax, cum ad citatam supra Aureliopolis epigraphen observat, Apollonidem erexisse, vel donasse Aureliopolitanis similem aliquam Apollinis statuam, qualem in numo suo vidit, vel aedificasse templum aliquod in ejus dei honorem, vel ludos Apollinares instituisse [a]). Sane in eo plerique acquievere, ab eo, qui ἀναθεῖναι perhibetur, positum monumentum aliquod ei simile, cujus imaginem numi aversa sistit. Sic Harduinus explicans voces: ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ. ΑΝΕΘΗΚΕ., quae sunt in numo Laodiceae typo Iovis stantis, ait: *cui statuam posuit ob victoriam imperatori datam Claudius Attalus* [b]). Aliis placuit vocem ἀνεθηκεν ad numum ipsum referre, ut visum Seguino, qui ab Hippone in honorem Antinoi dicatum a Chalcedoniis numisma contendit [c]). Ex quo apparet, eidem controversiae esse obnoxiam vocem ΑΝΕΘΗΚΕ., cui vocem RESTITVIT in Latinis restitutionum numis, nam et in his suppressus accusandi casus dubium movit, utrum dicatur restitutus numus, an monumentum, quod numus objicit, restitutum.

Qua de re ut recte judicari possit, necesse est, in vocabuli ἀνατιθημι naturam curatius inquirere. Omissis variis significationibus cum propriis tum impropriis, quas dabunt lexicographi, eas tantum in medium adducam, quas in marmoribus reperi, et causam praesentem poterunt juvare. Generatim ea dicebantur ἀνατιθεσθαι, quae sive voti causa, sive referendae gratiae, sive pietatis suspendi in templis aut collocari solebant, ut signa, tripodes, arae, arma, crateres, epigrammata, et similia, quod Latinis dicebatur DONVM. DEDIT., vel: DONVM. POSVIT. plerumque literis D. D. expressum, saepe etiam DEDICAVIT. Ejus generis fuere, quae in insigni marmore, quod edidit Chishullius [d]), Seleucus rex Apollini Milesio obtulisse perhibetur. Frustra est Mazochius, qui ἀνεθηκε tantum dictum putat de rebus, quae loco moveri et transferri possunt [e]). Contrarium docent non pauca veterum monumenta. Etenim secundum marmor, quod infra citabo, Sextilius *pontem* γεφυραν ἀνεθηκεν. Alibi Xenocrates et Eumarides Θεοις Σεβαστοις και τῃ πολει την κρηνην και το ἐποικιον και την τȣ ὑδατος εισαγωγην ἀνεθηκαν, *deis augustis et urbi fontem et juxta domicilium, et aquaeductum dedicaverunt* [f]). In Cebetis tabula: το ἱερον και την γραφην ἀνεθηκε τῳ Κρονῳ, *templum et pictu-*

a) Osserv. ist. p. 142. b) opp. sell. p. 92. c) num. sel. p. m. 154. d) Ant. Asiat. p. 66. e) in tit. Camp. amph. p. 86. f) Spon Vogage T. III. part. II. p. 10.

ram dedicavit Saturno [a]). Quin et Lucianus hominum perstringens superstitionem haec de iis: ὕλας ἀπετεμοντο, και ὀρη ανεθεσαν, *silvas sacravere et montes dedicavere* [b]). Ipsam adeo urbem dedicatam habemus apud Herodotum [c]), nam Ephesii a Croeso obsessi ἀνεθεσαν την πολιν τη Αρτεμιδι, *dedicaverunt urbem Dianae.* Denique quod magis insolens, Θεοφιλος την κονιασιν τε παςοφοριε και την γραφην των τε τοιχων και της ὀροφης και την ἐγκαυσιν των θυρων κ. τ. λ. ἀνεθηκεν Σαραπιδι κ. τ. λ. *Theophilus dealbationem pastophorii, et picturam parietum et laquearis, et opus in portis encausticum etc. dedicat Sarapidi etc.* [d]). Solebant etiam ἀνατιθεσθαι viri honorati, ut cum Ηρωδην Αττικον ἡ Αντιοχις φυλη ἀνεθηκεν, *Herodem Atticum Antiochis tribus dedicavit* [e]), aut cum Θεοφραςον οἱ κατοικεντες ἐν Δηλῳ ἀνεθηκαν Απολλωνι, *Theophrastum habitantes in Delo dedicaverunt Apollini* [f]). Sed tum eorum esse intelligenda simulacra praeter testimonia alia diserte docet marmor Chandleri [g]): Τενεκα μιν (Θεοδωρον) κατα ἀςυ Θεμιςοκλεης ἀνεθηκε Εικονι λαϊνεη. *Quapropter illum* (Theodorum) *in urbe Themistocles posuit imagine lapidea.* Eodem modo explicandum praeclarum marmor, quod recitat Gruterus [h]):

ΘΕΑΝ. ΚΟΡΗΝ. CΑΡΔΙΑΝΟΙC.
Λ. ΑΥΡ. CΑΤΥΡΟC.
ΑΠΕΛευθερος CΕΒΑCτε
ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Deam Proserpinam Sardianis
L. Aur. Satyrus
Libertus Augusti
dedicavit.

id est: signum deae, quae princeps Sardibus numen fuit, in Sardianorum gratiam posuit, faciundum curavit. Legimus in marmore alio, quod vulgavit Corsinius [i]):

ΕΥΜΗΛΟΝ. ΘΕΟΝ. ΠΑΤΡΩΟΝ.
ΦΡΗΤΟΡΣΙΝ. ΕΥΜΗΛΕΙΔΩΝ.
Τ. ΦΛΑΟΥΙΟΣ. ΠΙΟΣ.
ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Eumelum deum patrium
fratriae Eumelidarum
T. Flavius Pius
Curator dedicavit.

Bina haec illustria exempla docent, potuisse populo, vel conlegio, quae erant inferioris ordinis, dedicari simulacra deorum, qui erant ordinis superioris. At non ita visum delicatioribus aliis, quibus iniquum est creditum, dedicari quid alicui, qui vel aequalis fuit ordinis, multo adeo minus, qui fuit inferioris. Atque hac in sententia legimus fuisse Ephesium illum, qui Alexandro M. sumptus in templi Ephesii restitutionem offerenti ea lege, ut rex ipse operi inscriberetur, respondit: ὡς ε πρεπει θεω θεοις ἀναθηματα κατασκευαζειν, *non decere, deus qui esset, aliquid moliri, quod diis dedicaret* [k]). Amare in L. Mummium invehitur Dio Chrysostomus, dum

a) cap. II. b) de sacrific. c) L. I. c. 26. d) Spon. l. c. p. 191. e) Spon. l. c. p. 220. f) marm. Oxon. p. 97. g) inscr. ant. p. 58. h) pag. 87. 3. i) Dissert. gon. in Isthm. §. XIV. k) Strabo L. XIV. p. m. 949.

eum *hominem rudem*, *et omnis decori penitus ignarum* appellat, ἀνθρωπον ἀπαιδευτον, και μηδενος των καλων πεπειραμενον, quod in Corinthi expugnatione motum loco Neptuni Isthmii simulacrum Iovi dedicavit, ἀνεθηκε τῳ Δι. Nimirum, ut continuo addit: φευ της ἀμαθιας, τον ἀδελφον ὡς ἀναθημα, *stuporem hominis attendite*, *fratrem dedicat* a). Denique fuere, qui se ipsos, nempe imagines suas, diis dedicarunt ejus teste Dione Chrysostomo b): και πολλους (ἀνδριαντας) ἰδειν ἐςιν ὁυτως ἐπιγεγραμμενους, ὁιον ὁ δεινα ἑαυτον ἀνεθηκε, ἡ τον πατερα, ἡ τον ὑιον ὁτῳ δηποτε θεων, *et multas statuas videre est sic inscriptas: hic vel ille dedicavit semet ipsum*, *vel patrem*, *vel filium huic*, *illive deorum*. Narrat Plutarchus c), stetisse Eleusine signum Isocratis hoc carmine inscriptum:

Τιμοθεος φιλιας τε χαριν, ξενιηντε προτιμων
Ισοκρατους εικω τηνδ' ἀνεθηκε θεαις.
Timotheus causa amicitiae, *et hospitium reveritus*
Isocratis imaginem hanc dedicavit deabus.

Dicebantur etiam statuae ἀνατιθεσθαι, cum imposita ab artifice suprema manu ad destinatum locum deportabantur. Narrat Polybius, regem Prusiam graviter succensuisse Byzantiis, ὁτι ψηφισαμενων τινας εικονας ἀυτου, ταυτας ουκ ἀνετιθεσαν, ἀλλ' εις ἐπισυρμον και ληθην ἀγοιεν, *quod decretas sibi quasdam imagines non collocassent*, *sed ludibrio et oblivioni tradidissent* d). Erat etiam ἀνατιθεναι idem, quod *testamento legare*. Sic in psephismate Attalistarum perhibetur Crato Attalistis ἀναθειναι, seu *testamento legasse pecuniam*, *servos*, aliaque e). Laxior fuit ejus significatio verbi, cum positum fuit pro *faciundum curare*. Sic in insigni marmore bilingui Ephesio, quod ediderunt autoptae tres, Sponius f) Chishull g), Chandlerus h) et Augusti aetate posito, extrema verba την γεφυραν ἐκ των ἰδιων ἀνεθηκεν Latine redduntur: *pontem de sua pecunia faciundum curavit.*

Idem etiam eruitur ex marmore Sponii i), in quo το ἀνεθηκεν nullo discrimine miscetur cum κατεσκευασεν, ἐποιησεν, ἐπεσκευασεν. Vt apud Latinos aliud fuit *dicare*, aliud *dedicare* seu *consecrare*, sic et apud Graecos aliud ἀνατιθεναι, aliud καθιερουν. Sic in marmore Laodiceno apud Muratorium k) Νεικοςρατος τουτον λιθον ἀνεθηκεν καθιερωσαντος Τραιανου. *Nicostratus hunc lapidem erexit*, vel: *dicavit*, *Trajanus consecravit.* Inverso modo in citato supra psephismate Crato το Ατταλειον, ὁ και ζων καθιερωκει, τοις Ατταλιςαις ἀνατιθησιν, *Attaleum*, *quod et vivus consecravit*, *Attalistis dicat*, id est hoc loco: *testamento legat.* Denique το ἀνατιθεναι ad sacra perinde ac profana valuit. Exempla rerum diis ἀνατιθεντων abunde hucusque vidimus. Sed eadem haec marmora, quae recitavi, commemorant ἀνατεθεντα τῃ πολει, τῳ δημῳ, τῃ πατριδι, quo modo Herodem M. variis urbibus ἀναθειναι ἀλση και λειμωνας,

a) Orat. XXXVII. Corinth. p. 466. b) in Rhodiaca. c) Vitae X. orator. p. m. 838. d) hist. IV. c. 49. e) Chishull. ant. Asiat. p. 139. f) Vogage T. III. p. 136. g) Ant. As. parte II. p. 11. h) inscr. ant. p. 11. i) Misc. p. 363. k) p. 446. 3.

dono dedisse lucos et prata, refert Iosephus a), quibus adde epigraphen numorum, in quibus sumus, ANЄΘHKЄ. KΥMAIOIC. CMΥPNAIOIC. Neque etiam loci religio semper requirebatur. Sic cum narrat Herodianus, Elagabalum suam, deique sui imaginem in tabula depictam Romam praemisisse, in media curia loco edito collocandam b), aut Maximinum depicta maximis imaginibus bellica sua facta ante curiam exponenda curasse c), semper tum verbo ἀνατιθεναι utitur. Quanquam ut apud Latinos *dedico* et *consecro*, sic et apud Graecos ἀνατιθεναι et καθιερϛν passim permutabantur, et sacra iis fuere, quae vulgo profana habentur, ut θεοι σεβαϛοι, ἱερα συγκλητος, ἱερος δημος, toties in numis memorati, et Romanis curia etiam *templum* dicta.

His ergo praemissis videamus, utra sententia magis verisimilis, an eorum, qui formula ANЄΘHKЄ intelligi volunt, positum oblatumque populo monumentum vel statuam ejus generis, quale in numo conspicitur, an eorum, qui hac formula oblatos populo ipsos hos numos censent. Prior multis de causis magnopere laborat. Primum, cur in numis unius ejusdemque viri, qui ἀναθηκαι dicitur, v. g. Polemonis, Attali, Hostilii Marcelli etc., tam varii occurrunt typi? an unus idemque vir tam varias dedicavit statuas, et monumenta? Deinde in numis hujus argumenti occurrunt plerumque typi urbium domestici, sic in numis Smyrnae Nemesis, Laodiceae Iuppiter Laodicenus, Ancyrae deus Mensis, Aphrodisiadis Venus, ex quo patet, inserta numis haec numina solitae venerationis causa, atque ex communi more, non quod eorum signa nunc tandem ab his illisve fuere dedicata. Denique repraesentari videmus in id genus numis res, quae in monumentum publicum servire non poterant, ut in Smyrnaeis Polemonis numis taurus, panthera, prora navis, aries; in aliis equus, gryphus etc. Denique in numis v. g. Temenothyrarum inde a Gordiano usque ad Saloninum perpetuum est THMЄNOΘΥPЄΥCI addito archontis nomine, variisque typis. An vero omnes hi magistratus, ac tam diversi et diversae aetatis aliquid dedicavere?

Longe igitur praeferenda sententia altera, quae το ANЄΘHKЄN ad numum refert, nam tum ruunt difficultates omnes, quae priorem alteram impediunt. Longus sim, si lautiorum virorum in cives suos liberalitates, celebratas infinitis marmorum praeconiis, vellem recensere, quae sive festorum ludorumque solennibus, sive epulis et viscerationibus, sive etiam eroganda pecunia stetere. Horum ergo causa percussi tum hi numi, et viritim distributi ad eum fere modum, quo Romae congiaria, atque ut in horum numis legimus CONG*iarium* DAT*um* P*opulo* R*omano*, nempe a Nerone, cujus caput est in antica, sic in praesentibus: OCTIΛIOC. ANЄΘHKЄ. TOIC. AXAIOIC. Imperatori satis fuit dicere *congiarium datum*, quia superior dedit inferiori, at Graeci sanctius vocabulum ANЄΘHKЄ attulerunt, quia numos hos quodammodo dedicaverunt populo, qui, ut diximus, sacer vulgo est habitus. Atqui το ἀνατιθημι valuisse etiam ad pecuniam, docemur a citato supra psephismate, in quo Crato ἀνατιθησιν τῃ συνοδῳ ἀργυρια

---

a) Bell. Iud. L. I. c. 21. §. 11. b) L. V. in Elagab. c) L. VII. in Maximino.

Αλεξανδρινυ δραχμας μυριας και πεντακοσιας. Festorum occasione similes percussos erogatosque numos vel illud persuadet, quod major horum pars Antinoi caput praefert; Graeculis nimirum in Hadriani gratiam hujus exoleti memoriam insana ludorum pomparumque frequentia celebrantibus. Verisimile est etiam, id genus numos non semper ordinariae pecuniae rationem habuisse, sed editos saepe extra ordinem, ad eum fere modum, quo Romanorum contorniatos. Sane quo tempore Hostilius Marcellus suos ἀναθεσεως numos Corinthi publicavit, hosque maximo modulo conspicuos, ordinaria Corinthiorum moneta fuit Latine inscripta, et coloniae nomine, et aeris mediocris. Secundum has adeo leges facile explicabis epigraphen numi Laodiceni cum capite M. Aurelii: Π. ΚΛ. ΑΤΤΑΛΟϹ. ЄΠΙΝΙΚΙΟΝ. ΑΝЄΘΗΚЄ. Facile perspicimus, verbo ЄΠΙΝΙΚΙΟΝ intelligendum munus aliquod causa victoriae M. Aurelio imperante de Parthis relatae ab Attalo civibus erogatum, de quo satis egi in moneta Laodiceae Phrygiae. Nimirum quemadmodum Marius quidam, ut est apud Gruterum [a]), τῃ Τυχῃ ἀνεθηκεν χαριϛηριον, *Fortunae dedicavit munus referendae gratiae causa*, sed in oratione suppressum, aut quemadmodum, ut est in numis Antiochiae Syriae, ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΑΡΧΙΕΡΕΙ. ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ϛεφανον ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. ἀνεθηκαν, *Caesari Augusto summo pontifici archïeraticam* coronam *Antiocheni* dedicant, suppresso ϛεφανον, *coronam*, sic et credibile est sub ЄΠΙΝΙΚΙΟΝ intelligendum νομισμα ab Attalo victoriae causa populo dedicatum, erogatumque. Iam vero, quod huc praeclare facit, et aliunde notum, sub solitariis adjectivis ΘΕΣΠΙΚΟΝ — ΑΡΚΑΔΙΚΟΝ. — ΝΑΓΙΔΙΚΟΝ, et quae similia alia in numis occurrunt, subaudiendum νομισμα, et quod sequitur, ἀναλογως sub ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ intellige νομισμα.

CAPVT XX.

DE CHARACTERIBVS CHRONOLOGICIS.

Characteres chronologici duplicis sunt generis, quorum unum suppeditant cursus siderum, variaeque eorum inter se σχεσεις, quales sunt eclipses, conjunctio-

a) pag. 75, 7.

nes et similia a veteribus observata, ac memoriae prodita, quae deinde astronomicis calculis subjecta multum valent ad figendam rerum vetere aevo gestarum aetatem. Alterum consistit in clara ac distincta mentione temporis, ceu annorum epochae, vel principatus, indictionum, mensium, dierum, quin nonnunquam horarum quoque, quam fieri videmus in moneta vetere, marmoribus, aliisque monumentis, tum et ab historicis, qui sive gentium fastos, sive quascunque res gestas posteritati transmisere. Pars prior nostri instituti non est, abunde discussa a viris summis, qui de temporum doctrina scripsere. Neque vero etiam omnes alterius generis partes ad nos pertinent, quia numi praeter annos epochae, vel principatus, varius menses et dies, nihil offerunt, quod ad temporum rationem proprie spectat.

Praesentis ergo capitis commentarii universam materiam in plures sectiones divident, quarum prima aget de epocha, II. de epochis, urbium, populorum, regum monetae inscriptis, earumque initio. III. de modo, quo anni in numis scribi consuevere. IV. de epochis in moneta vetere latius patentibus. V. De variis unius ejusdemque urbis epochis. VI. De epocha duplice in uno eodemque numo. VII. de anni apud veteres initio. VIII. de modo epocharum exordia eruendi. IX. de annis principatus et magistratus. X. de numis inscriptis ETOTΣ. NEOT. IEPOT. XI. de mensibus et diebus.

SECTIO I.

DE EPOCHA.

Epocha est tempus arbitrarium, a quo, tanquam capite, causa memorabilis eventus, anni computantur. Dicitur etiam *Aera*, quod vocabulum ab Hispanis praecipuo quodam usu celebratum fuisse monet Petavius. Epocharum copiosa habemus omni aevo, atque inter omnes cultas nationes exempla. Anno urbis conditae 723., ante natum Christum 31., die 2. Septembris, Octavianus M. Antonium et Cleopatram maritimo praelio ad Actium vicit, a quo deinde anno plures populi observandi Augusti causa, cui ab ea victoria orbis imperium cessit, annos suos duxere. Natus est Christus exeunte anno urbis conditae 753. secundum calculum Dionysii Exigui, atque inde Christiani tempora nostra metimur, saltem secundum usum et consensionem, nam compertum est denique, aeram Christianam aliquot annis esse anticipandam, sed quod examen hujus loci non est. Anno post Christum 622. Muhammedes

Arabum propheta et legislator, propter doctrinae novitatem invisus, fugam arripere est coactus, a quo anno omnes hodie Arabes epocham suam ducunt, quam *Hegiram* appellant, id est: *persecutionem.* Vides, omnes has aeras a memorabili quodam eventu proficisci, et parum interest, utrum fausto, an funesto. Vt integrae nationes, sic seorsim civitates ac oppida suas habuere epochas suomet arbitrio adoptatas, ut proxime docebitur. Propriam per jocum sibi finxit Cicero. His enim verbis clausit epistolam ad Atticum: *Post Leuctricam pugnam die septingentesimo sexagesimo quinto* [a]), qua is occulta oratione intellexit caedem P. Clodii sibi infensissimi, cujus nuntium tanta voluptate accepit, ut res digna videretur, a qua deinceps tempora numeraret. Eam vero ipsam alibi quoque indicavit his verbis [b]): *Ephesum venimus a d. XI. Kal. Sext. sexagesimo et quingentesimo post pugnam Bovillam.*

Graeci generatim, tum et Romani duplice modo annos signare sunt soliti, I. constitutis epochis, ut mox diximus, II. magistratibus eponymis. Epocha omnium celeberrima, et quae ad universam Graeciam valuit, fuere ludi Olympici, qua usi praecipue sunt non modo annalium scriptores, sed etiam alii passim tum, cum illustris cujusdam facti memoriam certo, omnibusque cognito anno placuit notare. Haec epocha in numis necdum fuit observata, si demas Anazarbi Ciliciae numos: ЄΤ. ΙЄΡΟΥ. ΟΛΥΜΠ. ΘΞC. *anno sacro Olympico* 269. sed qui annus non celebres illos ludos Olympicos in Elide, sed privatim Anazarbi actos respicit, ut diximus in ejus urbis moneta. Alias deinde epochas certo regionum tractui, alias privatim civitatibus fuisse proprias, mox diximus, et satis infra patebit. Romani usi sunt aera urbis suae conditae, eamque non raro a scriptoribus suis usurpatam legimus. Ex calculo M. Varronis, ut testatur Plutarchus [c]), condita fuit Roma Olympiadis VI. anno III. ex ante diem XI. Kal. Majas, cui respondet annus ante Christum 754., periodi Iulianae 3960., quo deinde die acta quotannis Palilia, sive Parilia. At vero Varroniana haec epocha non a dicto anno et die, sed a proxime sequentibus Kalendis Ianuariis anni proleptici Iuliani ante Christum 753. ducitur. In causa est, quod non satis constat, in quem anni Iuliani diem Romuli aetate Palilia, sive natalis urbis, inciderint. At secundum sententiam Verrii Flacci in fastis Capitolinis Romae conditus in Kalendas Ian. anni sequentis, nempe A. X. 752. differtur. Vtra sit probabilior, difficile est arbitrari. Aliae adhuc fuere ab his diversae sententiae Catonis, Fabii Pictoris, Polybii, Ausonii, aliorumque, de quibus vide chronologos, ac praecipue Panvinium [d]), Petavium [e]), Pagium [f]). Nos in universo hoc opere Varronianam secuti sumus, quam inde a morte Augusti in monumentis publicis magis usurpari coeptam, et nunc maxime probari eruditis video. Hujus epochae in unico tan-

---

a) L. VI. ep. 1. b) ad Attic. L. V. ep. 13. c) in Romul. p. 23. seq. d) L. I. Fastorum. e) Doctr. tem. L. IX. c. 49. f) Crit. Baron. ad V. C. 1055. n. 15.

tum numo, eoque aureo et aeneo Hadriani fit mentio: ANN. DCCCLXXIIII. NAT. VRB. P. CIR. CON., quem amplius descriptum, explicatumque vide in moneta hujus imperantis. Magistratus eponymos, sive qui quotannis lecti anno nomen dabant, singulae habuere civitates. Magni inter hos nominis fuere archontes, Atheniensium eponymi, quorum extra Athenas quoque, haud dubie propter urbis claritudinem, frequens in concinnandis fastis, et universa chronologia usus fuit, quod apparet ex celebri marmore Pario, Diodoro Siculo, aliisque. Eodem modo apud Syracusanos sacerdotes dicti amphipoli, alibi strategi sive praetores, prytanes, stephanephori etc. annos signabant, de quo magistratu urbium eponymo altius separato articulo egimus [a]). Eadem ratione Romanis quoque suos consules fuisse eponymos, inter omnes constat, quos sensim ipsi quoque Graeci in temporis mensuram admisere, ut istud non quidem numi, a quibus perpetuo absunt, sed marmora, aliaque monumenta docent. Atque duplice hoc modo, partim epochae annis, partim magistratibus eponymis civitates Graecas devexo etiam imperio suos numerasse annos, constat ex novella XLVII., qua praecipitur, ut civitates in actis suis publicis praeter annum suum, quem quocunque modo inscribere consueverunt, adscriberent annum imperantis, consules, indictionem, mensem, diem.

SECTIO II.

DE EPOCHIS, VRBIVM, POPVLORVM, REGVM MONETAE INCRIPTIS, EARVMQVE INITIO.

Damus hoc capite catalogum urbium, populorum, regum, in quorum moneta hactenus epochae anni sunt observati, addito ejus initio in annis urbis conditae Varronianis.

	V. C.
Abilae Leucadis Decapoleos — — —	690.
Aboniticheos Paphlagoniae ex numo dubio, forte	803.
Aegarum Ciliciae — — — — —	707.
Agrippiadis Iudaeae — — — — —	incertum.
Alexandriae ad Issum Ciliciae — — —	687.
Alexandriae Troadis, forte — — —	454.

a) Cap. II.

	V. C.
Amasiae Ponti	747.
Amastrios Paphlagoniae	incertum.
Amisi Ponti	721.
Anazarbi Ciliciae epocha I.	773.
II.	735.
Antiochiae Ciliciae ad Sarum	735.
Antiochiae Decapoleos ad Hippum	690.
Antiochiae Syriae, epocha I.	442.
II.	690.
III.	705.
IV.	723.
Apameae Bithyniae, forte	473.
Apameae Syriae, epocha I.	442.
II.	723.
Aradi Phoeniciae	495.
Arethusae Syriae	685.
Ascalonis Iudaeae, epocha I.	442.
II.	650.
III.	696.
Augustae Ciliciae	773.
Balaneae Syriae	630.
Berhaeae Macedoniae, circiter	693.
Beryti Phoeniciae	incertum.
Bithyniae, forte	473.
Bostrae Arabiae	858.
Botryos Phoeniciae, forte	705.
Bybli Phoeniciae	incertum.
Caesareae Paniadis, epocha I.	421.
II.	751.
Caesareae Phoeniciae ad Libanum	442.
Canathae Decapoleos epocha I.	442.
II.	690.
Capitoliadis Coelesyriae	850 vel 851.
Cibyrae Phrygiae	776.
Claudiopolis Bithyniae	incertum.
Comanorum Ponti	791 vel 792.
Cyrrhi Cyrrhesticae	442.
Daciae provinciae	1000.
Damasci Coelesyriae	442.
Dii Decapoleos	690.

	V. C.
Diocaesareae Galilaeae, forte — — —	858.
Dorae Phoeniciae — — — —	690 vel 691.
Dori Ciliciae, forte — — — — —	623.
Emisae Syriae — — — — —	442.
Ephesi Ioniae — — — — —	incertum.
Epiphaneae Ciliciae — — — — —	790.
Epiphaneae Syriae, epocha I. — — —	442.
II. — — —	690.
Flaviopolis Ciliciae — — — — —	827.
Gabae Ituraeae — — — — —	693.
Gabalae Syriae — — — — —	707.
Gadarorum Decapoleos — — — —	690.
Gazae Iudaeae, epocha I. — — — —	693.
II. — — — —	882.
Germaniciae Caesareae Commagenes — —	791.
Germanicopolis Paphlagoniae — — —	747.
Hadrianopolis Bithyniae — — — —	incertum.
Hieropolis Cyrrhesticae — — — —	442.
Hyrgaleae Phrygiae — — — —	incertum.
Iconii Lycaoniae — — — — —	incertum.
Irenopolis Ciliciae, forte — — — —	805.
Iudaeae liberatae — — — — —	611.
Laodiceae Phrygiae, forte — — — —	577.
Laodiceae Syriae — — — — —	706.
Laodiceae Coelesyriae ad Libanum — —	442.
Leucadis Coelesyriae epocha I. — — —	717.
II. — — —	801.
Mopsi Ciliciae — — — — —	696.
Neapolis Samaritidis — — —	825 vel 826.
Neocaesareae Ponti — — — —	816.
Neoclaudiopolis Paphlagoniae — — —	747.
Nicaeae Bithyniae, forte — — — —	473.
Nicomediae Bithyniae, forte — — —	473.
Nicopolis Iudaeae — — — — —	824.
Nysae Samariae, forte — — — —	706.
Orthosiae Phoeniciae — — — —	442.
Paltenorum Syriae — — — — —	incertum.
Pellae Decapoleos — — — — —	690.
Petrae Arabiae — — — — —	incertum.

	V. C.
Philadelphia Decapoleos	690.
Pompejopolis Ciliciae	687.
Prusae Bithyniae ad Olympum, forte	473.
Ptolemaidis Galilaeae	706.
Rabathmomae Arabiae	930.
Raphiae Iudaeae, circiter	693.
Regum Ponti et Bospori	457.
Regum Aegypti	431.
Regum Bithyniae, forte	473.
Regum Parthiae	443.
Regum Bactrianae	442.
Rhosi Syriae, epocha I.	706.
II.	723.
Romae, conditae ante Christum 753., quae epocha legitur in aureo Hadriani.	
Samosatorum Commagenes	824.
Scepsis Troadis	incertum.
Sebastes insulae juxta Ciliciam	735.
Sebastes Samaritidos	729.
Seleuciae Syriae epocha I.	442.
II.	645.
III.	690.
IV.	723.
Sidonis Phoeniciae epocha I.	442.
II.	643.
Sinopes Paphlagoniae epocha I.	684.
II.	709.
Tabae Decapoleos	incertum.
Tarsi Ciliciae	incertum.
Tavii Galatiae	729.
Tiberiadis Galilaeae, circiter	770.
Trallium Lydiae	incertum.
Trapezuntis Ponti	816.
Tripolis Phoeniciae, epocha I.	442.
II.	690.
Tyri Phoeniciae epocha I.	442.
II.	628.
III. forte	954.
Viminacii Moesiae superioris	993.
Zelae Ponti	816.

* * *

Erunt, qui in praesente catalogo variarum urbium epochas a viris eruditis promulgatas desiderabunt, sed quarum ego, quia jam nunc falsas esse constat, faciendam mentionem non duxi. Causas in singularum urbium moneta dedimus, quo praeterea loco quaerenda ea omnia, quae ad comprobandum aerae initium, ejusque constitutae causas pertinent.

Hanc seriem percurrenti continuo patebit, urbes populosve, qui epocham numis inscripsere, non esse nisi Asiaticos, urbem Graecorum Europaeam nullam, si Berhaeam Macedoniae demas. Negligo Daciam, et Viminacium, quorum coloni fuere Latini, et qui nonnisi a Gordiano et Philippo annos epochae numis suis inscripsere. Facile dedero, usum aerae domesticae in urbibus Europaeis non fuisse sic in morem inductum, ut fuit in Asiaticis, non desunt tamen exempla. Ex numis, ut vidimus, habemus aeram Berhaeae Macedoniae. Alia offerunt lapides. Infra sectione VIII. dabimus marmor repertum in arce Messeniae cum inscripto ЄΤΟΥϹ. ΡΝΖ, *anno* 157. In eodem tractu repertum est marmor, quod nunc exstat Venetiis in illustri museo Iacobi Nanii, narratque, C. Iulium Epaphroditum magistratu functum ΤΟ. ΡϘΔ. ΕΤΟΣ, *anno* 194 [a]). Sed utrobique caput epochae incertum.

SECTIO III.

DE MODO, QVO ANNI IN NVMIS SCRIBI CONSVEVERE.

Graecos alphabeti literis numeros signasse, inter omnes constat. Ratio talis fuit, ut elementa ab Α usque ad Θ se consequentia constituant *monades*, a Ι usque ad ϙ *decades*, reliquae a Ρ centenarios. En valorem singulorum.

---

a) Biagi Monum. Graec. mus. Nanii p. 195.

Monades.

Α.	Β.	Γ.	Δ.	Ε.	ϛ.	Ζ.	Η.	Θ.
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.

Decades.

Ι.	Κ.	Λ.	Μ.	Ν.	Ξ.	Ο.	Π.	ϙ.
10.	20.	30.	40.	50.	60.	70.	80.	90.

Centenarii.

Ρ.	Σ.	Τ.	Υ.	Φ.	Χ.	Ψ.	Ω.	ϡ.
100.	200.	300.	400.	500.	600.	700.	800.	900.

Postrema haec tria elementa in numis non reperiuntur, nullius epochae anno eo usque progresso. Iam X valde rarum. Exstat in numo rarissimo Iconii Lycaoniae, qui est in museo Caesareo, scripto: ϛΠΧ. 686. tum in nonnullis numis Rhescuporis V. Bospori regis, scripto ϛΙΧ. ΔΚΧ. etc. 616. 624. etc.

Vnum hoc annos enunciandi compendium in Graecorum moneta valuit. At in marmoribus alio adhuc modo expressos numeros videmus, nimirum litteris cujuscunque numeri initialibus. Hac lege Π initialis τȣ Πεντε significat 5., Δ. Δεκα, 10., Η veteris stili aspirata, Ηεκατον, 100., Χ. Χιλιοι, 1000., Μ. Μυϱιοι, 10000., quo modo aut annorum summae in marmore Pario, aut pecuniariae in marmore Sandvicensi exponuntur. Haec, quoniam a causa mea sunt aliena, non attingo, et videri possunt in Eduardi Corsini opere *de Notis Graecorum*, et quae is eodem in opere dissertatione VI., tum et illustris Ioannes Taylor in dictum marmor Sandvicense sunt commentati, denique in clarissimorum virorum Seldeni et Prideaux in marmor Parium, quod est inter Oxoniensia primum, observatis.

Ad numorum notas arithmeticas ut revertar, patet, eas omnes captas esse ex ordinario Graecorum alphabeto, demptis senario ϛ, nonagenario ϙ, et nongentis ϡ, de quibus aliquanto distinctius est agendum, pro meo tamen instituto parcius, nam liberalius in has notas commentati sunt egregius Christianus Schwarzius in suo Σχεδιασμα Φιλολογικον *de antiqua numeri senarii nota* Επισημον *dicta*, Mazochius in *Commentariis ad tabulas Heracleenses* p. 120. seq., atque ante hos multo cum eruditionis atque ingenii apparatu Ioannes Bouhier in *dissertatione de priscis Graecorum et Latinorum literis*, quae cum Montfauconii Palaeographia Graeca conjuncta est.

Graeci alphabetum in usus arithmeticos valiturum in tres ἐννεαδας, sive series nonarias, ut distincte supra vidi-

mus, diviserunt. Quia vero literas habuere non plures viginti et quatuor, necesse fuit, ad earum complementum tria aliunde signa mutuari. Tres igitur ad designandos numeros 6. 90. et 900. formas induxerunt, quas Επισημα, id est: *notas*, vocaverunt, quia proprie ϛοιχεια, id est: *elementa*, vel *literae* non fuerunt, etsi, ut videbimus, literae verae aliquando fuerint, aut ex veris literis compositae. Fecit usus, ut episemon deinceps sola nota senaria diceretur, reliquis duabus aliter compellatis, ut docebitur. Hunc Graecorum numerandi morem disertis verbis enarravit V. Beda libro de Indigitatione. *Graeci*, ait, *omnibus suis literis exprimunt numeros; verum toto alphabeti sui charactere in numerorum figuras extenso, tres, qui plus sunt, numeros notis propriis, quae ex alphabeto non sunt, depingunt. Prima est S, quae dicitur* Episemon, *et est nota numeri VII. Secunda est* q, *quae vocatur* Koph, *et valet in numero XC. Tertia est* ϡ, *quae dicitur* Enneacosia, *quia valent DCCCC. etc.* Eadem tradit Favorinus in lexico sub Αριθμος, tum et alii citati a Bouhiero.

Auctores recentiores supra citati non pauca tradidere de forma, qua tres hae notae exarari solitae sunt in antiquis marmoribus, tabulis aeneis, tum et codicibus MSS. Nos eas tantum formas investigabimus, quas offerunt numi.

I. Episemon Vau, sive nota VI.

Ejus formas admodum variantes ex adcuratis picturis, cujus meriti prae aliis sunt Pellerinianae, repraesentabo, ut eas lector, cum libuerit, conferre ipse possit.

1) ϛ Haec episemi forma omnium maxime obvia; quapropter necesse non puto, ejus exempla adferre. Ejusdem omnino formae est nota ϛ, sive nexus literarum στ, quo in minuto charactere Graeco utimur, sed quae utriusque similitudo casui tantum debetur.

2) ϛ in numo Tabarum Decapoleos. (*Pellerin Rec. II. tab.* 85. *n.* 22.)

3) ϛ passim sic in numis Orthosiae, Sidonis, Aradi Phoeniciae urbium.

4) ϛ in tetradrachmo Seleuciae Syriae. (*Pellerin Rec. II. tab.* 80. *n.* 66.)

5) ϛ in numo Tyri. (*Pellerin T. II. tab.* 83. *n.* 40.) tum in numis Ptolemaei Soteris, Sauromatae III. Bosporani, Nicomedis III. Bithyniae R. apud Pellerinium.

6) ϛ in numo Antiochiae Syriae. (*Pellerin Mel. I. tab.* 8. *n.* 4.)

7) ϛ in numo Sidonis. (*Pellerin Suppl. II. tab.* 8. *n.* 2.)

8) ϛ in numo Rhescuporis I. Bosporani. (*Cary Tab. I. n.* 10.)

9) ϛ in tetradrachmo Antiochiae Syriae cum capite Augusti. (*Morelli Impp. tab.* 13. *n.* 15.) tum passim in aliis ejusdem Antiochiae varia aetate cusis. (Mus. Caes. Item Hieropolis Cyrrhesticae. (*Mus. Caes.*)

10) R in drachma Severi Caesareae Cappadociae, (*Mus. Caes.*) Neocaesareae Ponti, cujus olim memini in meis Numis vett. p. 167.

11) ϛ in numo Tyanorum Cappadociae. (Pembrock Part. III. tab. 80. n. 6.) Rhescuporis V. Bosporani. (Cary.)

12) ϥ in numis aeneis obviis Augustorum Orientis inde a Iustiniano. Reinesius hanc notam passim quinarium dixit, sed quem jure perstrinxit Fabrettus [a]). Enimvero si quinarii nota esset, in tot hujus generis numis aliquando legeretur ANNO ϥIIII. ad indicandum annum nonum; at enim monades in his numis ultra III non progrediuntur, et continuo sequitur ANNO. X.

13) Ϥ in numis aeneis obviis Augustorum Orientis inde a Iustiniano.

14) ꓭ in autonomo Gazae Iudaeae apud Pellerinium, in tetradrachmis regum Aegypti, in denariis gentis Volteiae, in quibus obviae sunt notae arithmeticae Graecae.

15) ⊂ in autonomo Seleuciae Pieriae apud Haym Tom. I. tab. VI. n. 4.

16) S in autonomo Tyri imperante Augusto cuso, (Pellerin Rec. II. tab. 83. n. 41.) obvium in numis Alexandrinis Augustorum, item in aureis Augustorum Orientis, in quorum aversa τῳ AVGG. saepe adjicitur nota arithmetica.

17) Ƨ in numo Tyanorum Cappadociae. (Pellerin Suppl. I. tab. II. n. 11.)

18) F in numo Anemurii Ciliciae cum capite Valeriani, quem vidi ipse Vindobonae, scripto ЄΤȣϛ F, *anno VI.* Item IF in numo L. Lollii, teste Gallando apud Woltereck Elect. p. 80. Reperisse se etiam in vetustis libris testatur Montfauconus. (Palaeogr. p. 335.)

Variantibus sic instar Protei hujus notae formis nequaquam mirum, non satis perspecta ejus significatione adhuc pejus illam a librariis in describendo fuisse habitam, et quod sequitur, vitiatos nobis non raro numeros fuisse obtrusos. In solis Tyanorum Cappadociae numis, qui omnes eodem anno signati sunt, quatuor varias hujus episemi formas observavi, ut dixi in moneta hujus urbis.

De episemi *Vau* origine et natura, deinde et valore, et cum digama Aeolico nexu opportune hic nonnulla disputabimus. Fuisse notam hanc olim elementum in vetustissimo alphabeto Graecorum, atque, ut apparet, Cadmeo, et sub forma F, aut huic adfini, probabilibus potest argumentis demonstrari. Ac primum istud persuadet locus, quem F in Latinorum alphabeto occupat, nempe ordine sextus. At certum etiam, eodem loco in Phoeniciorum et Hebraeorum alphabeto stetisse literam, quae cum digamma Aeolico F, quod adoptasse dicuntur Latini, non modo eandem potentiam, sed idem quoque nomen habuit. Potentia controverti nequit, nam F Aeolum eundem habuisse sonum, quem Latinorum F et V consonans, ex sequentibus testimoniis patebit. Sed aliorsum certum etiam est, Phoeniciorum et Hebraeorum *Vau* eundem habuisse cum V Latinorum valorem. Atque literae F Aeolum fuisse idem praeterea nomen *Vau*, grammatici ipsi veteres sanxere. Ait Prisci-

a) Inscr. p. 540.

nus [a]): *V vero loco consonantis posita eandem prorsus in omnibus vim habuit apud Latinos, quam apud Aeoles digamma F. Vnde a plerisque ei nomen hoc datur, quod apud Aeoles habuit olim F. digamma, id est:* VAV, *ab ipsius voce profectum teste Varrone, et Didymo, qui id ei nomen esse ostendunt.* Ergo in hac sententia habemus etiam Varronem in similibus causis Romanorum doctissimum creditum, quod et de Didymo adfirmatur apud Macrobium [b]). Alibi idem ait [c]): VAV, *id est: digamma.* Consentit Marius Victorinus, ait enim [d]): *F nostri* VAV *vocant, et alii digamma.* Rursum [e]): *F autem Aeolis duntaxat idem valere, quod apud nos V, cum pro consonanti scribitur, vocarique* Bαυ *et digamma.* Haec omnia cum tam probe conspirent, quis facile negaverit, literam F, cujus et potentia, et nomen ex alphabeto Phoenicio captum fuit, non etiam exstitisse in primaevo Graecorum alphabeto, ab hoc a Latinis in suum receptam, eamque adsignatam sedem, quam apud Graecos habuit? Ex quo adeo jure argui potest, Vau istud serius a Graecis fuisse neglectum suffecto in ejus locum Φ, ab unis tamen Aeolibus retentum indito, ut dicetur, ex forma *digamma* nomine; apud reliquos autem Graecos ejus deinceps usum in arithmetica tantum durasse, nimirum cum senarium exprimere vellent. Praeclare istud illustratur exemplo episemi *Koppa*, quod spectata origine fuit *Koph* Phoenicium, et translatum in Graeciam ejusdem cum hoc valoris, neglectum a Graecis, quia eundem usum praestabat *Kappa*, desiit esse litera, usurpatum tamen deinceps adhuc, sed munere episemi, ad notandum numerum XC., apud Latinos tamen in litera Q superstes, in quorum pariter alphabeto eandem retinuit sedem, quam in Graeco olim habuit, nempe inter Π et P, quae omnia latius infra explicabuntur. Atque propter has causas non mihi satis potest probari oratio grammaticorum veterum, qui primaevum Graecorum alphabetum, Cadmeum scilicet, literis tantummodo XVI., quas inter F non recensent, constitisse ajunt, easque ipsas ab Evandro in Latium traductas, atque his serius a Latinis additas F digamma Aeolicum, et X. Enimvero video, ab iisdem his grammaticis plane reticeri literam Koppa, seu Koph, neque eam numerari seu inter Cadmeas, seu, quae serius accessere, Palamedeas, et Simonideas, tametsi ejus meminerint scriptores veteres, eamque exhibeant certa veterum monumenta, ut infra demonstrabitur, atque etiam, quod magis mirum videatur, Marius Victorinus, qui haec praecepit, adserere non dubitet [f]) F, G, Q (nempe natum ex Graecorum Koppa) *in Graecis etiam literis fuisse, et nunc esse, sed G numero VI, Q nonaginta significare, F autem Aeolis duntaxat idem valere, quod apud nos V etc.* Ergo si Q fuit litera Graeca, ut revera fuisse ostendimus, sua etiam illi sedes, ac valor fuit adsignan-

---

a) Ap. Putsch p. 545. b) Sat. L. V. c. 22. c) l. c. p. 560. d) ap. Putsch. p. 2461. e) l. c. p. 2468. f) ap. Putsch. p. 2468.

dus, tum et tempus, quo alphabetum invasit. Nequaquam ergo miremur, si grammaticos in explicanda literae F origine videamus negligentiores, cum iidem vix aliquam operam impenderint in literam Q, quae tamen non modo instar episemi, sed et verae literae in monumentis conspicua est. Verum quidem est, frequenter ab iisdem inculcari, F esse digamma Aeolicum, atque illud a Latinis fuisse receptum; verum an etiam haec forma ab Aeolibus fuit reperta, et excogitata? Credo, istud ipsum eos intellexisse; nam si hanc formam vetus fuisse inventum putassent, ejus in vetustissimis alphabetis mentio facienda fuerat. At ego mihi plane persuadeo, in primis alphabetis Graecorum jam exstitisse literam F, atque inde cum reliquis in alphabetum Latinorum migrasse, omissam deinde a reliquis Graecis apud Aeoles durasse, ac propterea dictum digamma Aeolicum; quo modo quosdam scribendi modos appellamus Doricos, non quod hos reperissent Dores, sed quod iis ab ultima antiquitate petitis hi tantum uti pergerent. En tibi argumenta, quibus neminem hactenus ad investigandam hujus literae originem, et comprobandam antiquitatem usum video. Alia argumenta attulit Bouhierus, quibus evinceret, F a Latinis non fuisse serius additum, sed una cum literis aliis ab ipsis Pelasgis acceptum [a]).

Iam vero ad explicandam formam hujus notae, sive literam alphabeti velimus, sive episemon, accedamus. Probavimus proxime, Latinos literam F ex vetustissimo Graecorum alphabeto hausisse. Satis igitur causae, cur credamus, eandem illi antiquitus fuisse formam, quae fuit constanter deinceps, nimirum F, quia nemini non notum, Latinos ausos nunquam fuisse, literis e Graecia petitis, et velut commisso sibi sacro pignori, vim inferre, eorumque formam saltem quoad praecipuas partes, quas constitutivas appellare liceat, inviolatam custodivisse. Eadem etiam illi forma sub Aeolum tutela permansit. Testantur istud verba FOIKIAN, AFVTO, quae sunt in pervetustis inscriptionibus Graecis, de quibus agemus infra, item FA. in numis vetustissimis Elidis, tum et aliis, quos mox commemorabimus. Atque unius hujus formae causa factum, ut *digamma* a Graecis appellaretur, praeclare istud docente Dionysio Halic. [b]) *τȣτο δ' ἠν ὡσπερ γαμμα διτταις ἐπι μιαν ὀρθην ἐπιζευγνυμενον ταις πλαγιαις, ὡς Fελενη κ. τ. λ.* *erat vero illud* (elementum) *velut gamma, cujus lineae rectae conjunguntur duae obliquae, ut Felena etc.* Et Cornutus apud Cassiodorum [c]): F *digamma nominatur, quae duos apices ex gamma litera habere videtur.* Neque vero etiam forma F ab episemo senarii aliena, ut vidimus supra in variis hujus formis numero 18, ubi etiam ex numo exemplum attuli ejus Valeriani adhuc aetate adhiberi solitae. Pro F saepe valuit forma ꟷ, neque solum ad notandum digamma, sed etiam episemon senarii. Cum digamma fuit, saepe utraque forma usurpari consuevit promiscue in uno eodemque monumento, ut videre est in

a) Montfauc. Palaeogr. p. 563. b) L. I. p. 16. c) Putsch p. 2282.

tabula Heracleensi a Mazochio illustrata, tum et in numis Capuae et Nuceriae Osce inscriptis, de qua vide dicta in volumine I. p. 122. Promiscue item in Axii Cretae numis legitur jam ΓΑΞΙΩΝ, jam FΑΞΙΩΝ. Sed eandem formam valuisse etiam ad indicandum episemon, et quidem solidis adhuc Graeciae rebus, vidimus supra in formis episemi num. 14, quo iterum digamma Aeolici, et episemi cognatio vindicatur. Iam vero suapte apparet, in utriusque forma discrimen non esse, nisi quod in F perpendicularis hasta magis deorsum vergit, perinde ac in vetustissimis Graecorum marmoribus videmus scriptum Ɛ pro E.

Successu temporis Aeolico digamma penitus ex scriptura Graeca eliminato, quod jam ante Augustorum aetatem factum videtur, hae formae deinceps ad unum senarii episemon exprimendum valuere, atque etsi illae miris modis differant, ut in eorum catalogo vidimus, sic ut nihil ex vetere digamma trahere videantur, inde tamen eas trahere originem, dubitari non potest. Quod si cui mirum videbitur, is reputet, in quae literarum verius monstra, quam formas exerraverint post varias temporum vices, et pro vario regionum usu vel sola Graecorum Σ et Ξ. Male igitur Marius Victorinus discrevit inter digamma, et episemon, cum utrumque eadem sit litera, etsi formae diversae. Cum enim loco supra indicato explicaret formas F, G, Q, ait: *sed G numero VI*, (forte legendum: *numerum*) *Q nonaginta significare, F autem Aeolis duntaxat idem valere, quod apud nos V.* Ergo aliud illi visum F, aliud G, cum tamen utraque haec forma certum sit episemon. Sed oportebat distinguere tempora. Illa aetate, qua vixit Victorinus, non illud plane formam τȣ G habuit, sed tamen huic satis vicinam, qualem nimirum suppeditat catalogus num. 11 et 12. Et fecit inconsulta hujus episemi variatio, ut non raro librarii aliam illi literam adfinis formae substituerent; quin factum etiam, ut ipsa inter se episema confunderentur. Sic v. c. forma episemi nostri fuit etiam Ч, ut numero 13 vidimus, sed hanc ipsam etiam imaginem videbimus in episemo Koppa. Ergo cum eruditi legerent apud Aelianum a): κατα την Α και Ч. Ολυμπιαδα, alii perperam interpretati sunt: κατα την πρωτην, και ἑκτην, at alii, ut opportuit, κατα την πρωτην και ἐννενηκοϛην Ολυμπιαδα.

Explicata episemi origine, et forma lubet aliqua de valore Aeolici digamma propter utriusque notae cognationem adjicere. Habuisse eandem potentiam cum V consonante Latinorum, hactenus ex pluribus veterum testimoniis vidimus, tum ex iis, quae ad numos Elidis Peloponnesi disseruimus. Addo locum alium Prisciani b): *Habebat haec F litera hunc sonum, quem nunc habet V loco consonantis posita. Vnde antiqui AF pro AB scribere solebant. Sed quia non potest Vau, id est: digamma, in fine syllabae inveniri,*

a) V. H. L. II. c. 8. b) ap. Putsch p. 560.

ideo mutata est in B. Annaeus Cornutus apud Cassiodorum [a]): *Ad hujus similitudinem soni, nostri conjunctas vocales* digammon *appellare voluerunt, ut est:* Votum, Virgo. *Itaque in prima syllaba digamma, et vocalem oportuit poni,* FOTOM, FIRGO, *quod et Aeoli fecerunt, et antiqui nostri, sicut scriptura in quibusdam libellis declarat.* Quo ex testimonio efficitur etiam, quemadmodum F Aeolum eandem habuit potentiam cum V Latinorum, sic et in horum lingua F et V ejusdem fuisse valoris, et fuisse unius consuetudinis opus, ut potius scriberetur *Vulgus*, quam *Fulgus*, et potius *Forma*, quam *vorma*. Sed et fuit mos antiquissimis Graecis, isque Doribus, Aeolibusque familiaris, digamma F vel Ϲ praeponendi verbis a vocali incipientibus, vel inter duas vocales ponendi. Exhibent hunc modum, ut grammaticorum testimonia taceam, monumenta Graecorum vetustissimi aevi. In tabula aenea musei Borgiani in Bruttiis effossa legitur FOIKIAN pro OIKIAN, *domum*, in marmore Deliaco a variis edito AFVTO pro ATTO, tum similia frequenter in tabula Heracleensi Mazochii. Priscianus [b]): *epigrammata vetustissima, quae literis antiquissimis scripta in multis tripodibus legi, et maxime in tripode Apollinis, qui est Constantinopoli, in loco, quem* Ξερολοφον *vocant. Sunt autem scripta sic:* ΔΗΜΟΦΟFΩΝ *pro* ΔΗΜΟΦΟΩΝ, ΛΑΟΚΟFΩΝ *pro* ΛΑΟΚΟΩΝ. Ejusdem naturae sunt FΑΛΕΙΩΝ pro ΗΛΕΙΩΝ in numis Eleorum Peloponnesi, FA. in drachmis Achaeorum, FAΣT. ETFAPA in argenteis Boeotorum, *μιξοβαρβαρον* ΕΣΤFΕΔΙΙΤΣ in argenteis Aspendi Pamphyliae, et FΑΞΙΩΝ vel ϹΑΞΙΩΝ in aeneis Axi Cretae. Eundem modum, ab Aeolibus utique tractum, imitati sunt Latini, cum ex Ελεα facerent *Velia*, ex ὠον *ovum*, quasi *oFum*, ex ὄϊς *ovis*, ex ἰς *vis*, ex ἐικατι (quod est Doricum ἐικοσι) ϹΕΙΚΑΤΙ, ut legitur in tabula Heracleensi, atque inde Latini *viginti*. Vide ejus plura exempla apud Terentianum Maurum [c]). Cum quo conspirat, quod de Laconibus, et Syracusanis, utrisque Doribus, refert auctor Etymologici, eos inter duas vocales posuisse B, et dixisse ἐβασον pro ἐασον etc. Atque huc pertinet vocabulum ϟΑΞΙΑ pro solito Graeco ΑΙΑΣ, *Ajax* in insigni gemma antiquissima, quam vulgatam habes apud com. Caylus [d]), et in museo ducis Aurelianensis [e]), sed quam uterque praeco operis Etrusci putat, more nimirum illaudato, praedicandi Etrusca, quae sunt veterrima Graeca. Atque hanc veterum legem praeclare confirmat testimonium Dionysii Halic. [f]), cujus partem jam supra recitavi. συνηθες γαρ ἠν, inquit, τοις ἀρχαιοις Ελλησιν, ὡς τα πολλα προτιθεναι των ὀνοματων, ὁποσων ἀι ἀρχαι ἀπο φονηεντων ἐγινοντο, την ΟΥ συλλαβην ἑνι ϛοιχειῳ γραφομενην - - - ὡς Fελενη, και Fαναξ, και Fοικος, και Fανηρ, και πολλα τοιαυτα. *Solebant enim plerumque Graeci veteres nominibus a vocali incipientibus praeponere syllabam* ΟΥ *uno charactere exaratam - - - ut* Fελενη, *et* Fαναξ, *et* Fοι-

---

a) Putsch p. 2282. b) l. c. p. 709. c) l. c. p. 2397. d) Rec. Tom. IV. tab. 31.
e) Tom. II. n. 2. f) Ant. L. I. p. 16.

κος, *et* Fανηρ, *et multa similia.* Aeolum istud digamma, sed scripto V pro F, cum reciperent Latini, istud habuere incommodi, quod una haec litera V et vocalis, et consonantis vim haberet v. c. in vocabulo VVLGVS, nimirum ut dixit Annaeus Cornutus apud Cassiodorum a): *Nos hodie V. literam in duarum literarum potestatem coegimus; nam modo pro digamma scribitur*, (sc. V. consonante) *modo pro vocali.* Quam quidem confusionem cum non ferret Claudius imperator, pro V. consonante scribi voluit digamma, sed inversum hoc modo: Ⅎ, quod quidem generatim tradidere Suetonius b), et Tacitus c), at propius Quinctilianus (lib. I. cap. 13.): *nec inutiliter Claudius Aeolicam illam* Ⅎ *ad hos usus literarum adjecerat*, et Priscianus d): *pro quo* (V) *Caesar hanc figuram* Ⅎ *scribere voluit, quod quamvis illi recte visum est, tamen consuetudo antiqua superavit.* Scriptorum testimonia confirmant marmora non pauca Claudio synchrona, in quibus scribitur VIIⅎIR, DIⅎI, TERMINAⅎIT pro VIIVIR, DIVI, TERMINAVIT, quae vide apud Gruterum e), aliosque.

Ex adductis hactenus exemplis discimus etiam, vetustissimos Graecos Aeolico digamma usos pro spiritu sive leni, sive aspero. Lenis argumenta dedimus ex Dionysio Halic. scripto Fοικος, Fαναξ, Fανηρ pro οικος, αναξ, ανηρ, asperi ex eodem Fελενη pro ἑλενη. At Latini in vocabulis ex Graeco fonte haustis alterutrum scriptum in V vel F mutavere. Vidimus supra, ex ἰς prognatum *vis*, ex εικατι *viginti*, tum ex ἑσπερος, *vesperus*, ex ἑςια *Vesta*, ex ἑνετος *Venetus.* Plura alia dabit Terentianus Maurus f). Ait Servius g): dixisse Latinos *Falisci* pro *Halisci*, *Febris* pro *Hebris*, *Formiae* pro *Hormiae*, ubi et addit: *nam posteritas in multis nominibus F pro H posuit.* Plinius h): *Oppidum Helia, quae nunc Velia.* Nimirum ut eodem loco docuit Terentianus: *Aeolum dialectus autem est fere mista Italae.* Ceterum Graecos abjecta aspirationis nota H eandem hanc literam in duas partes secuisse, sic ut ⊢ esset nota spiritus asperi, ⊣ spiritus lenis, jam diximus in Volumine I. pag. C. Addi potest Priscianus i): *H. literam non esse ostendimus, sed notam aspirationis, quam Graecorum antiquissimi similiter, ut Latini, in versu scribebant, nunc autem diviserunt, et dexteram ejus partem supra literam ponentes* psilen *notam habent, quam Remnius Palaemon* exilem *vocat, Grillius vero ad Virgilium de accentibus scribens* lenem *nominat; sinistram autem contrariae illi aspirationis* dasian, *quam Grillius* flatilem *vocat.*

In numis Elidis Peloponnesi copiose disputavimus, Graecos literam Latinorum F constanter scripto suo ΦΙ expressisse; sic Romanorum Furius illis fuit Φουριος. At Latini, etsi vetustissimo aevo Graecorum Φ in F verterent, ut φερω in *fero*, φυγη in *fuga*, (nisi forte, ut altius diximus, Graeci quoque principio scripsere

a) Putsch p. 2282. b) in Claud. c. 41. c) Ann. XI. 13. d) ap. Putsch p. 545. e) pag. 196. 4 –236. 9. f) l. c. g) ad Aen. VII. 695. h) L. III. p. 157. i) ap. Putsch p. 560.

Ϝερω, Ϝυγη) non tamen deinceps ausi sunt Graecorum Φ in F suum convertere, sed ex Φ fecerunt PH, ut ORPHEVS At minus inferiore aevo religiosi pro *Nicephorus*, *Phocas* etc. scripserunt *Niceforus*, *Focas*. Ceterum in utrorumque lingua mira fuit literarum B, F, V, P, PH, quae nempe ejusdem sunt organi, permutatio. Vidimus supra, quod Aeoles ἐϜασον dixissent, Lacones dixisse ἐβασον. Idem utrique literae apud Latinos accidit. Audiamus Priscianum a): *Habebat haec F litera hunc sonum, quem nunc habet V loco consonantis posita. Vnde antiqui AF pro AB scribere solebant. Sed quia non potest Vau, id est, digamma, in fine syllabae inveniri, ideo mutata est in B.* Teste Plutarcho b) Macedones dixerunt Βιλιππος, βαλακρος, Βερονικη pro Φιλιππος, φαλακρος, Φερονικη. Sublata aspiratione antiquissimi Graeci dixere ΠΕΣΟΠΙΣ, ut legitur in marmore Fourmontiano, quod explicavit Barthelemyus c), pro quo serius ΨΩΦΙΣ. Eodem modo in numis familiarum scribitur PILIPVS, TRIVMPVS. Ambracia Epiri in numis dicitur ΑΜΒΡΑΚΙΑ et ΑΜΠΡΑΚΙΑ, quo modo a scriptoribus Canopus Aegypti jam Κανωπος jam Κανοβος. Severus in numis Graecis scribitur CΕΒΗΡΟC, CΕΟΥΗΡΟC, CΕΥΗΡΟC. Atque ob hanc soni adfinitatem mirum non est, aevo inferiore, in quo jam orthographiae exigua ratio habita est, has literas in utraque lingua passim fuisse permutatas, cujus innumera testimonia suppeditant marmora.

Sed jam nimio me ab episemo digressum video. In viam redeo.

II. Episemon Koppa, sive nota XC.

Ejus formas in numis observavi

1) Ϙ, quae est obvia.

2) Ϟ in numis Aradi apud Pellerinium, Paltenorum Syriae apud eundem, (Mel. II. tab. 29. n. 1.) in numo Arsacis apud eundem, (Lettre II. tab. 1. n. 2.) in numis Tyri Phoeniciae, (Mus. Caes.) Irenopolis Ciliciae. (Spanheim T. I. p. 97.)

3) ϙ in numo Volagasis III. Parthiae regis. (Barthelemy B. L. Tom. XXXII. p. 675.)

* * *

Hujus episemi ut origo, forma, et potentia rite, et quam fieri potest, breviter, et distincte tamen explicetur, optimum videatur, testimonia veterum omnia ordine proferre, qui ejus meminere.

I. Hesychius in Κοππατιας· ἱππος κεκαυμενος, ἐντετυπομενον ἐχων σημειον το κοππα, ὁ ἐςι ἀπεςραμμενον Ρ και Σ. *Koppatias est equus cauterio notatus, impressum habens signum τȣ Koppa, quod est inversum* Ρ *et* Σ. Idem in Καππα: και παρα Καλλιμαχῳ γραφεται Κοππα, το ἀνεςραμμενον Ρ, *et apud Callimachum scribitur Koppa inversum* Ρ.

II. Scholiastes ad verba: ὁτ' ἐπριαμην τον Κοππατιαν, quae sunt in Aristophanis Nubibus v. 23: Κοππάτιας ἱππȣς ἐκαλȣν, quae sequuntur, misere sunt depravata, quae quo pacto eruditi suae restituere integritati conati sint, vide in Buhieri dissertatione saepe laudata pag. 570. Prosequitur post haec scholiastes: και παρα γραμματικοις ȣτω διδασκεται, και

a) ap. Putsch p. 560. b) in quaest. Graec. 9. c) B. L. T. XXIII. Mem. p. 394.

καλειται Κοππα ἐννενηκοντα, *et haec docent grammatici, et Koppa significat nonaginta.*

III. Lucianus in suo *adversus hominem indoctum* libello memorat ἱππον καπποφορον, ad quae verba haec scholiastes: Επισημον τετο των ἱππων ἐπι τε μηρε ἐγκαιομενον παρα των παλαιων, και ἠσαν ἐτοι οἱ ἱπποι των εὐγενων, οἱς ἐπι τε μηρε το παρασημον καππα το ϛοιχειον, ἠ σιγμα, ἀφ' ὡν και παρωνομαζοντο ἀπο τε καππα κοππατιαι, ἀπο δε τε σιγμα σαμφοραι. *Est istud signum, quod veteres equorum femori inussere, et erant hi equi genere illustres, quorum femur notatum fuit elemento Kappa, vel sigmate, unde et nomen traxere, a Kappa quidem Koppatiae, a sigmate samphorae.*

IV. Ait Quinctilianus a): *Et Q, cujus similis effectus speciesque, nisi quod paullum a nostris obliquatur, Kappa apud Graecos, nunc tantum in numero manet.*

V. Marius Victorinus loco, quem integrum supra in episemo Vau citavi, ait: *Q nonaginta significari.*

VI. Beda in descriptione trium episemorum b) sic de episemo praesentis argumenti: *Secunda* (nota) *est* q *quae vocatur* Koph, *et valet in numero XC.*

Expendendum primum vocabulum Κοππα. Eo usus est Hesychius in testimonio priore supra num. I. adlato. Ejus ibi testimonium alterum minus nitidum; nam MSS. pro Κοππα habent Κομπα. Sed video, librarios saepius permutasse μ et π. Sic in codice MS. scholiastae, cujus verba loco III. citavi, legitur σαπφοραι, nullo sensu, cum certe legendum sit σαμφοραι. Vsus deinde etiam est scholiastes Aristophanis II. loco citatus. Atqui haec lectio Κοππα stabilitur copiosis tot testimoniis, in quibus equi cauterio notati nunquam dicuntur Καππατιαι, sed semper Κοππατιαι, nimirum ab inusta littera Koppa, non Kappa. Neque magnopere mirum, inscitos librarios pro Koppa, elemento sibi ignoto, quia ex aliena lingua repetitur, suomet arbitrio scripsisse Kappa sibi notius, et parum a priore diversum. Inepta igitur est oratio, qualis legitur apud interpretem Luciani loco III., equos ἀπο τε Καππα Κοππατιας dictos, cum tamen hi sic ἀπο τε Κοππα dicti sint Κοππατιαι, quemadmodum, ut ibi continuo sequitur, equi alii ἀπο τε σιγμα σαμφοραι, nam teste Herodoto c) literam, quam Iones σιγμα, Dores dixere σαν, unde compositum σαμφοραι. Neque minus inepta evadet oratio, si retinebimus illud Quinctiliani supra loco IV. citati: *et Q*, Καππα *apud Graecos, nunc tantum in numero manet*, perinde quasi Καππα Graecorum ad numerandi tantum rationem valuisset, et non fuisset obvia et constans alphabeti Graeci litera. Restitue Κοππα, et habebimus planum ac verum orationis sensum, quod quidem magis ex iis, quae mox dicentur, manifestum fiet. Recte igitur viderunt praeclari philologi, qui in his veterum testimoniis pro Καππα legendum Κοππα, et pro καππαφορον Luciani legendum κοππαφορον, ut ex σαν σαμφορον, sanxerunt.

Et nomen et potentiam τε Κοππα a Phoeniciis manasse, indubitatum est. Habuere Phoenicii atque Hebraei et

a) Instit. L. I. c. 4. b) Libro de indigitat. c) L. I. c. 139.

Kaph et Koph, sono et potentia valde adfini. Vtrumque elementum cum mutuarentur Graeci, ex Koph fecere Koppa, ut ex Kaph suum fecere Kappa, utrumque etiam similis potentiae, quia utroque perinde usi sunt, ut dicetur. Iure igitur hanc notam, quam alii dixerunt Koppa, Beda loco VI. citatus vocat Koph, Phoenicio nempe et nativo vocabulo. Successu temporis cum litera una ejusdem naturae ad linguae usum sufficere videretur, sensim coepit aboleri Koppa, sic tamen, ut ex statione sua arithmetica non moveretur, sed pro alphabeti litera evaderet episemon, ac deinceps quoque numerum XC. indicare pergeret. Eodem modo actum cum digamma F supra vidimus. Recte igitur dixit Quinctilianus loco citato, sed ut oportuit, correcto: *et Q*, Κοππα *apud Graecos, nunc tantum in numero manet*, nempe XC., ut docent auctoritates locis II. et V. citatae.

Cum modo, quod agendum restat, elementi hujus veram formam describimus, una his, quae hactenus disputata sunt, lucem adfundimus. Ejus forma antiquissima fuit Ϙ testantibus istud numis copiosis et obviis. In numis Crotonis, quotquot sunt valde remoti aevi, legitur ϘΡΟΤΟΝ, mox in iis, qui aetate sunt posteriores, ΚΡΟΤΩΝ. In antiquissimis Syracusarum ΣΥΡΑϘΟΣΙΟΝ, in recentioribus ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. In obviis didrachmis Syracusarum infra Pegasum volantem fere constanter observatur Ϙ, quam literam esse ἀρχαιȣσαν Corinthi, cujus colonia fuere Syracusae, jam inter omnes convenit. In drachma Achaeorum, neque hac valde vetusta, legitur ϘΟΡ. Ex quibus testimoniis eadem opera discimus etiam, quod jam supra monueram, utrumque elementum, Kappa et Koppa ejusdem apud Graecos potentiae habitum. Edidit Morellius numum conterniatum, in quo fingitur equus gradiens adscripto ejus nomine TOXXOTES, et cujus femori insculptum Ϙ nullatenus ambiguum apparet [a]). Quo indicare voluit numi artifex, Toxotem suum non esse ex patellariis unum, sed vere Κοππατιαν, nempe generosum, ut supra Κοππατιαν dixit Luciani scholiasta, et quos magno fuisse pretio emptos dixit Philostratus [b]), ut adeo in hoc cimelio non modo formam τȣ Koppa, sed et celebratum a veteribus Κοππατιαν, aut Luciani Κοππαφορον liceat intueri. Idem elementum a Latinis quoque adoptatum, eandem fere cum Graecorum Κοππα habuit formam, eandem in serie alphabetica sedem. Ad formam quod attinet, scribebatur Q, nimirum hasta perpendiculari ad dexteram inclinata; unde recte dixit Quinctilianus supra loco IV. citatus: *et Q, cujus similis effectus, SPECIESQVE, nisi quod paullum a nostris obliquatur, Koppa apud Graecos.* Ex iisdem his verbis eadem etiam potentia comprobatur, cum statuitur *similis effectus* τȣ Q Latinorum, et τȣ Κοππα Graecorum. Sane Q istud imperante adhuc Augusto non raro permutatum fuit cum C, cujus cum Kappa et Koppa adfinitas vulgo est cognita. Notus est denarius gentis Antistiae cum capite Augusti, in cujus aver-

a) Specim. tab. III. b) Vit. Apollon. L. VIII. c. 7. §. 4.

sa legitur: FOEDVS. P. R. CVM. GABINIS.; sed et similem vulgavit Morellius inter familiarum numos, in quo scriptum: QVM. GABINIS. In numis coloniae Ilici Tarraconensis ejusdem aevi scribitur Q pro C, litera initiali vocabuli *Colonia*, cujus copiosa alia exempla inclinante jam imperio suppeditant marmora. Denique eandem τȣ Q cum Koppa in serie alphabetica sedem comprobat, quod; quemadmodum Q in Latinorum alphabeto positum fuit inter P et R, sic et Koppa in Graecorum alphabeto inter easdem litteras Π et P, quod patet ex numeris ordine naturali se consequentibus, Π 80., ϙ 90., P 100., quod et confirmat his verbis Marius Victorinus: Q *et fuisse apud Graecos, et quare desierit fungi vice literae, si pontificum libros legeritis; nunc enim apud Graecos juxta* Π *est posita.*

Serius Koppa Graecum, non amplius litera, sed episemon, id est: nota arithmetica XC. nonnihil a vetere forma discessit, et evasit q, quam formam graphice descripsit Hesychius binis testimoniis, quae loco I. recitavi, cum esse ἀπεϛϱαμμενον P, *inversum rho* dixit. Atque haec fere constans ejus est facies in copiosis numis, qui annos epochae inscriptos habent, ex quorum longo agmine unicum eximo jam et alias cognitum Antiochi VIII. Syriae regis et matris Cleopatrae, in cujus aversa habetur annus aerae Seleucidarum qp, qui numerus continet rho situ naturali, quod est 100., et rho ἀπεϛϱαμμενον, sive *inversum*, quod est 90, et adeo dictae aerae annus 190. Characterem vero hujus formae, quod quidem hucusque differendum fuerat, esse indicem numeri XC., patet primum ex auctoritatibus locis II. V. VI. recitatis, deinde ex calculo annorum numis inscriptorum. Altera hujus episemi forma est Ч, quam ope numorum, quos citaveram, stabilivi. Tertia forma ϙ antiquissima est, ut vidimus, et tamen comparet, in numo non admodum vetusto, nimirum signato V. C. 933., ut docet annus AϙT, de quo vide numos regum Parthiae.

III. Episemon Sanpi, sive nota DCCCC.

Beda instituta de tribus episemis quaestione, ejusque notis, *tertia*, inquit, *est* ϡ, *quae dicitur* Enneacosia, *quia valent DCCCC.* a). Phavorino χαϱακτηϱα dicitur, το δε Ω ὀκτακοσια ποιει, και ἀκολȣθως ἐπαγεται χαϱακτηϱα, ἡτις ποιει ἐννακοσια, Ω *autem octingenta facit; sequitur Character, qui nongenta efficit* b). Creditur haec nota ϡ *Sanpi* dicta propterea, quia constat ex sigmate, quod, ut supra ex Herodoto ostendi, Dores *San* dixere, sed sigmate rotundo, cui insertum est *pi*. At vero huic examini longius non immoror, quia nota haec in moneta vetere non reperitur. Plura vide apud Scaligerum in Eusebium pag. 108. et citatum supra Bouhierum pag. 570.

* * *

Reliqua, quae articulum hunc absolvant, pauca sunt, et expedita.

I. Ex tabula supra proposita facile

---

a) Lib. de Indigitat. b) in Lexic. sub ἀϱιθμος.

est, quemcunque annum numo inscriptum eruere. Esto annus inscriptus Θ, erit 9, Θq, 99, ΘqP, 199. Praeterea cum quilibet numerus, seu monadicus, seu decadicus, seu centenarius (ad millenarium, ut dixi, numorum anni non pertingunt) per se certum suum habeat valorem, neque illum, ut in calculo numorum Arabicorum, a sede vel situ demum obtineat, ad indicandum annum 199 perinde fuit scribere ΘqP, vel qΘP, vel PqΘ. Plerumque tamen annus coepit cum centenario et finivit cum monadico, vel vicissim, decadico medio. In numis Caesareae Libani jam scribitur ΑΛϘ, jam ϘΛΑ.

II. Non raro in numis urbium, praecipue Ciliciae et Syriae, sparsae per aream comparent litterae, de quibus, sintne arithmeticae, dubitari potest. Si videamus sociatas monades, v. g. ΘΕ, vel decades, ut: ΛΠ, vel centenarios, ut: ΤΡ, certum est, arithmeticas non esse; nunquam enim Graeci numerum 14., qui esset aggregatum ex Θ 9 et Ε 5, expresserunt scribendo ΘΕ, sed notis ΙΔ, et sic de reliquis. Quam legem cum perspectam non haberent viri nonnulli eruditi, quos inter Winckelmannus, comperti sunt γελωτα ὀφλισκανειν, cum varias literas Segestae Siciliae numis insertas, v. g. ΖΙΒ, notare XIX. adfirmarent, ut pluribus exposui in moneta ejus urbis.

III. Literae arithmeticae ab se invicem constanter separantur. Rarissime siglae vel literarum nexus, passim in numis obvii, numerum notant. Numus Gazae Iudaeae apud Pellerinium habet ϘΡ, nempe colligatas qp, 190. Florentiae in museo Magni Ducis vidi numum Neocaesareae Ponti cum anno epochae ΡΜΒ, colligatis nempe Μ et episemo Β, ac proinde 146. Singularis est numus Aradi Phoeniciae, quem olim edidi [a]), in quo annus 181. hoc modo scriptus comparet: ΡΠ𐤀, quae postrema litera certum et Aleph Phoenicium, ab incauto monetario pro Α intrusum.

IV. Anni in numis vel soli ponuntur, ut v. g. ΡΜΒ. 142., vel iis praeponitur ΕΤ. ΕΤΟ. ΕΤΟΥΣ. aut hujus loco L. Sic: ΕΤΟΥΣ. ΚΗ. *anno* 28. vel L. ΣΛΔ. *anno* 234. Vocabulum ΕΤΟΣ, in gignendi casu ΕΤΟΥΣ, significare *annum*, nemini non cognitum. Litera L, veteris formae lambda, ἀρχαιοσα est vocabuli Λυκαβας, Λυκαβαντος, jam remotissimo Graecorum aevo idem significantis, quod ἐτος vel ἐνιαυτος. Causam adfert Macrobius [b]): *annum quoque vetustissimi Graecorum* λυκαβαντα *appellant*, τον ἀπο τȣ λυκȣ, *id est: sole* βαινομενον και μετρȣμενον etc. lege, si lubet, totum eum locum. Aelianus propterea annum vocari λυκαβαντα putat, quod lupus, λυκος, soli carus sit [c]). Lege et Artemidorum, qui ejus appellationis causam, sed ut videtur, plane ineptam adfert [d]). Haec solitarii hujus L annis praefixi significatio pridem antiquariis cognita, praeclare ante annos non multos confirmata fuit prolato numo Vespasiani Alexandrino cum epigraphe: ΛΥΚΑΒΑΝΤΟΣ. ΔΕΚΑΤΟΥ. *anno X.*, quem loco suo descripsi. Ad-

a) Numi vett. pag. 279. b) Sat. L. I. c. 17. c) Nat. anim. L. X. c. 26. d) Oneirocrit. L. II. c. 12.

hibitum vero est veteris formae L vitandae causa confusionis. Cum enim lambda recentius Λ jam per se numerus sit indicans 30, scribendo ΛΣ facile intelligi posset annus 230, cum tamen annus Σ, id est 200, erat significandus. Scribe L Σ, et sublatum est omne dubium.

V. In numis Augustorum Alexandrinis anni imperii non tantum notarum compendiis, ut: L. Γ. — L. IA. etc. scribi sunt soliti, sed etiam ipsis nominibus designari, ut L. TPITOT. L. ENΔEKATOT. *anno III. anno XI.* Sed etiam in hoc modo valuere compendia. Legitur enim: L. ЄNNЄA. K. Δ. id est: L. ЄNNЄA. Και Δεκατυ, *anno XIX.* Insolentior modus est in binis numis, quos eodem loco proposuit Pellerinius [a]). In numo Agrippae II. Iudaeae regis: ЄTOTC. AITOT, ubi το AI notat annum XI., et TOT adjectum est ex terminatione ἐνδεκαTOT. In altero Cleopatrae et M. Antonii: ЄTOTC. KATOT. KAI. Ⲉ̄., ubi more solito το KA significat XXI. adjecta iterum terminatione ex εικοςυ πρωTOT; totius numeri sensus est: *anno XXI. supra CC.*

VI. In numis Latine inscriptis epochae anni notis Latinis exprimuntur. Sic in numis Daciae et Viminacii AN*no* V. Simili modo colonia Sinope Paphlagoniae aerae suae annos notavit. In numis Iubae II. Mauretaniae regis scribitur R. XXXII. id est: *anno regni XXXII.* Apertius ejus filius Ptolemaeus: R. A. X. id est: R*egni* A*nno* X.

VII. Tam apud Graecos, quam Latinos, neque in numis solum, sed etiam marmoribus notae arithmeticae imposita superne virgula frequenter indicantur. Graecum exemplum mox in numo Cleopatrae vidimus. Obvium in numis Latinis v. g. TR. POT. X̄. COS. V̄Ī., quam consuetudinem in monumentis obviam indicavit etiam Macrobius [b]).

SECTIO IV.

DE EPOCHIS IN MONETA VETERE LATIVS PATENTIBVS.

Ad ipsas jam epochas, earumque causas et exordia aggredimur. At non hic agimus, ut titulus ipse praefert, de epochis singularibus, quas urbes variae

a) Suppl. I. p. 1. b) Saturn. L. II. c. 4.

sibi unis proprias habuere, quarum rationem in singularum urbium moneta expedivimus. Persequimur hoc loco epochas tantum illas, quas urbes et populi cum pluribus aliis communes habuere.

Vt civitates singulae, sic et provinciae propriam suam et communem aeram habuere, nimirum si qua a Romanis profecta beneficia, aut nova instituta ad totam provinciam, aut ejus civitatum majorem partem pertinuerunt. Hujus generis habemus in numis aeram Syriae, sed late sumptae, quae et Pompejana, de qua infra, aeram provinciae Daciae, aeram Ponticam, seu urbium provinciae Ponti. Addidit Belleyus, qui aliqua de provincialibus his epochis delibavit a), aeram provinciae Numidiae ex marmoribus nuper in ea regione repertis, et inscriptis v. g. KAL. IANVARS. PROV. CLXXXV. nimirum ex quo Numidiae res ab Augusto constitutae fuerunt: aeram Hispaniensem inde ab anno V. C. 716. per Hispanias celebrem.

Latius in numis patuere I. aera Seleucidarum, II. aera Pompejana, III. aera Caesariana, IV. aera Actiaca, quarum originem, et finem sequentia praecepta dabunt.

I. *De aera Seleucidarum ab anno V. C. 442.*

Illustri hac et prae aliis omnibus latius patente aera usae sunt urbes et populi sequentes.

Antiochia Decapoleos ad Hippum.
Antiochia Syriae.
Apamea Syriae.
Ascalon Iudaeae.
Bactriana in numis suorum regum.
Caesarea Phoeniciae ad Libanum.
Canatha Decapoleos.
Cyrrhus Cyrrhesticae.
Damascus Coelesyriae.
Emisa Syriae.
Epiphanea Syriae.
Hieropolis Cyrrhesticae.
Laodicea Coelesyriae ad Libanum.
Orthosia Phoeniciae.
Seleucia Syriae.
Sidon Phoeniciae.
Tripolis Phoeniciae.
Tyrus Phoeniciae.

Mortuo V. C. 430. Alexandro M., et facto inter ejus duces, Perdicca interim rei summae praefecto, prima provinciarum divisione, Seleucus, a quo epocha haec nomen traxit, equitatus praefecturam abstulit. Caeso biennio post Perdicca, et mox constitutis aliter provinciis, Seleuco administranda Babylonia commissa est. Aliquot post annis bellum movente Antigono pulsus, ad Ptolemaeum in Aegyptum fugit, a quo cum auxilia impetrasset, in Babyloniam redit, eamque victis, qui pro Antigono stabant, recuperat. Factum istud V. C. 442. A. X. 312., in cujus memoriam constituta epocha, a dicti anni autumno procedens. Vix jam necesse puto refutare eorum sententiam, qui hanc Seleuci epo-

a) B. L. T. XXX. p. 312.

cham ab eo anno ducunt, quo is Syriae imperium obtinuit, quod nonnisi V. C. 453. contigisse certo constat.

Hanc epocham his verbis indigitat Iosephus [a]: ἐτει ἑκατοςῳ και τεσσαρακοςῳ και τριτῳ μετα τȣς ἀπο Σελευκȣ βασιλεις, *anno* 143., *ex quo regnare coeperunt Seleucidae.* Eundem hunc Iosephi locum sic vertit Epiphanius: *anno* 143. *post regnum primi Seleuci.* Quae quidem et Iosephi et interpretis verba secundum literam accepta totum Seleuci I. imperium excludunt, quod calculo manifeste repugnat. Vocatur etiam *anni Graecorum*, et sic in libris Macchabaeorum, quia Graeci orientales hac potissimum epocha usi sunt. Eam Albatenius, aliique Arabes *Terik dhilkarnain*, id est: aeram τȣ δικερωτος, *bicornigeri*, appellant, Alexandrum M. indicantes, qui adstituto capiti gemino cornu Ammonis sese filium professus est, unde et nonnunquam epocha *annorum post Alexandrum* dicitur, ut in actis concilii Chalcedonensis, quem locum sistam infra.

Hujus anni epochae signantur in numis regum Syriae, urbium Syriae late sumptae, in marmoribus Palmyrenis, quorum unum pridem cognitum, quod exstat Romae in museo Capitolino, positum, ut inscriptio profitetur, Aglibolo et Malachbelo patriis diis, jam a variis vulgatum, postremo a Nicolao Ligginio Tomo IV. musei Capitolini tab. XVIII., annum et mensem hujus aerae sic exprimit: ЄΤΟΥϹ. ΖΜΦ. ΜΗΝΟϹ. ΠЄΡΙΤΙΟΥ. *anno* 547. *mense Peritio.* Alia marmora Palmyrena ab Halleyo collecta vide in Miscellaneis curiosis Vol. III. pag. 84. Hac item aera usi sunt auctores librorum Macchabaeorum, synodus I. Nicaena, aliique, quae omnia vide laxius exposita apud Norisium [b].

Epochae hujus initium certissimis argumentis ducitur ab autumno V. C. 442. A. X. 312. Seligam unum ex pluribus, quae passim habentur apud chronologos, et citatum Norisium. Synodus Chalcedonensis symbolum fidei in concilio Nicaeno confectum his chronologicis characteribus notat: *Consulatu Paulini et Iuliani clarissimorum consulum, anno post Alexandrum* 636. *mensis secundum Graecos Daesii XIX., quod est XIII. Kalendarum Iuliarum etc.* Easdem notas Socrates quoque indicat. Si ad annum V. C. 442., cujus autumno coepisse aeram diximus, addas annos 636., summa dabit annum V. C. 1078., cujus autumno exivit annus aerae 636. Atqui eodem hoc anno V. C. 1078. P. X. 325. in fastis notatur consulatus Paulini et Iuliani. Ergo aera Seleucidarum certe coepit V. C. 442. et quidem in autumno, nam si coepisset in vere ejusdem anni, annus aerae 636 exivisset quoque in vere V. C. 1078., et continuo coepisset annus 637. At vero verba concilii mensem Iunium anni 636. cum anno 1078. componunt. Vnde discimus etiam, aeram Seleucidarum in autumno, non in vere coepisse. Quo pacto ex numis idem annus comprobetur, dicetur infra.

Quae hactenus de Seleucidarum epocha dixi, pridem a gravissimis chronologis tradita et solidis argumentis sta-

a) Ant. L. XII. c. 5. §. 3. b) Epoch. Syromac. Diss. II. c. 1.

bilita fuere, nullique jam dubio videbantur obnoxia, donec cl. Freretus Gallus veteris hujus doctrinae varia capita in judicium coepit revocare. Operae pretium videatur, summam ejus dissertationis, quae eruditi hujus chronologi dubia continet, exponere [a]. Non negat, exstitisse aeram quampiam, cujus initium duceretur ab anno V. C. 442. a tot astronomis tam veteribus quam aevi recentioris comprobatam, at negat, eam dici posse Seleucidarum. Sane monumenta, quae consistunt in marmoribus Palmyrenis, et numis, non satis sinceros ejus esse testes. Ad dicta marmora quod attinet, annos iis inscriptos nimis vagum constituere principium. Neque satis validum ex numis subsidium. Ejus initium Norisius ex numo Tripolis Phoeniciae, et alio Emisae Syriae accurate quidem fixum putavit, at enim non satis esse comprobatum, Tripolitanos eadem cum Emisenis aera usos. Vel de una Syriae Antiochia satis constare, quater eam ad alius epochae annos transivisse. Quin ex numis Trajani et Hadriani, quorum uterque annum HKT. praefert, confici, Tripolitanos aeram suam dinumerasse ab anno V. C. 443. Eodem deinde incerto laborare annos regum Syriae numis inscriptos. Ex quo denique arguit, certos nos esse non posse, annos in marmoribus vel numis Syriae notatos ducendos esse ab epocha generali V. C. 442. coepta. Altera dissertationis parte auctor refutat sententiam Petavii, aliorumque, adserentium, auctores utriusque libri Macchabaeorum usos aera Seleucidarum, sic tamen, ut auctor libri I. annum inciperet a mense verno Nisan, auctor libri II. a mense autumnali Tisri. Omissis omnibus ejus argumentis, quae longum esset commemorare, concludit denique [b], auctorem libri I., tum et Iosephum in chronologicis suis rationibus secutos aeram ducendam ab anno V. C. 447., auctorem libri II. tum et reges Syriae secutos aliam biennio posteriorem, quae coepit V. C. 440. Causam instituendae prioris statuit exstinctum hoc anno cum Cleopatra Alexandri M. sorore universam familiam regiam, alterius, quod hoc anno Alexandri duces in diadema et nomen regium involarunt.

Iuvat huic Frereti orationi pauca opponere. Iam ipse confitetur, et confiteri cogitur, fuisse in oriente aeram aliquam, eamque celebrem, cujus exordium ab anno V. C. 442 testibus tot auctoribus et monumentis ducendum est. Haec quo nomine appellanda sit, parum laboramus, quin et supra varias ejus appellationes commemoravimus. Si viris eruditis magis placuit, eam Seleucidarum aeram vocare, in causa fuit primum, quod eam jam a Iosepho supra citato sic vocatam viderunt, deinde quod solam hanc aeram non modo numis regum Syriae, id est: Seleucidarum, sed etiam passim numis urbium, quae Seleucidis paruere, inscriptam deprehenderunt. Postea cum indagarent, quale fuerit factum vel eventus insignior anni V. C. 442., qui inducendae aerae causam dedit, et qui praeterea ad Seleucidas proprie pertineret, re-

a) Mem. B. L. Tom. XVI. p. 286. b) l. c. p. 306.

pererunt, eo anno factum, ut Babyloniam recuperaret Seleucus, quod regiae fortunae, et amplissimae ejus potestatis fuit fundamentum. Causam enimvero in auctorum veterum silentio satis probabilem. Non negavero, verisimile tantum esse, annos Palmyrenis marmoribus inscriptos ex Seleucidarum aera pendere; at vero quod idem contendit, certum non esse, annos, qui sunt in numis regum Syriae, et subjectarum iis urbium, ab anno V. C. 442. ducendos, ferendum certe non est. Tot habemus in regum Syriae moneta varios annos, qui ducti ab hac epocha sese facile eorum regimini adcommodant, ut nonnisi Pyrrho aliquis possit nodum in scirpo quaerere, et recte arbitrati sint viri eruditi, si quid inter scriptores in chronologiae causis esset dissidii, numorum auctoritate posse conciliari. Idem sentiendum de chronologicis urbium subjectarum numis, quorum non, ut Freretus loquitur, *aliquot* duntaxat habemus regum nominibus notatos, sed insignem seriem, ut videre est ex Frölichii annalibus, et Pellerinii supplementis, sed quod utrumque, cum Freretus haec scriberet, lucem nondum vidit. Quo is pacto aeram Tripolitanorum in annum V. C. 443. ex numis Trajani et Hadriani removeat, non intelligo, cum inde certus annus 442. conficiatur, ut taceam, eundem hunc annum ex aliis eorum numis praeclare stabilitum, ut in eorum moneta dixi. Neque minus feliciter ex numis comprobatur, ejusdem aerae usum apud alias quoque urbes valuisse, ut videre est ex iis, quae ad singulas urbes notavi. Quapropter haec aera non modo jure hactenus dicta fuit Seleucidarum, sed ejus etiam initium numis rite confirmatum. Quod ad alteram dissertationis partem attinet, quae initium annorum utriusque libri Macchabaeorum examinat, quoniam ad dirimendam eam litem nihil conferunt numi, sed subsidia mere historica et chronologica, aliorum judicio lubens permitto.

Hoc etiam loco facienda mentio epochae alterius, quae a priore unico anno differt, coepta V. C. 443. A. X. 311. et haec quoque dicta *aera Graecorum.* Fuisse eam invectam ab astronomis Chaldaeis Babylonis et Seleuciae, dixi in moneta regum Parthiae, in qua notantur anni, quos nunc eruditi passim ad hanc aeram exigunt.

II. *De aera Pompejana ab anno V. C. 690.*

Hac usae sunt unae Syriae, late sumptae, urbes, quarum hic habes catalogum:

Abila Leucadis Decapoleos.
Antiochia Decapoleos ad Hippum.
Antiochia Syriae.
Canatha Decapoleos.
Dium Decapoleos.
Dora Phoeniciae.
Gadara Decapoleos.
Pella Decapoleos.
Philadelphia Decapoleos.
Seleucia Syriae.
Tripolis Phoeniciae.

* * *

Victo Tigrane Armeniae et Syriae rege Pompejus M. Syriam ingressus,

eam in provinciam redegit, Coelesyriam item, Decapolin, Iudaeam cum Hierosolymis cepit, urbes alias cum in his terris, tum et Phoenice tyrannis liberavit, alias libertate donavit, alias variis sibi beneficiis devinxit. Facta haec annis V. C. 690, 691. Vide Iosephum et Dionem. Haec generatim, nam quae privatim beneficia Pompejus in urbes singulas contulerit, in earum moneta commemoravimus. Atque haec causa fuit, cur ejus tractus urbes non paucae grati animi causa ab anno V. C. 690. aeram novam constituendam putaverint.

Fuere auctores graves, qui aliarum ex his urbium annos ab anno 690., aliarum a 691. ducendos putarent, neque forte injuria; cum enim Pompejus, ut diximus, utroque hoc anno his in terris commoratus fuerit, dubitari nequit, alias urbes citius, serius alias beneficiis a Pompejo ornatas, et fieri adeo potuit, ut nonnullae uno anno serius epocham auspicarentur. Interea ipse ex vulgatis hactenus numis causam nullam reperi, cur urbis cujuspiam aeram ab anno posteriore inchoari necesse putarem.

III. *De aera Caesariana.*

A Iulio Caesare dictatore nomen nacta. Ab hoc binae urbes Syriae, *Antiochia* et *Laodicea*, annos suos numeraverunt; sed non ab eodem anno et propter eandem causam.

Antiocheni, ut a Caesare Pompeji ad Pharsalum victore gratiam inirent, ab hac ipsa pugna epocham sunt exorsi. Contigisse eam V. C. 706., inter omnes convenit, sed quo anni tempore, inter chronologos addubitatum. Mense Majo Pharsali debellatum conjecit Petavius [a]), Norisius labente Iunio [b]). Detecta serius bina illustria monumenta Norisium verum fuisse vatem docuere. Legitur in Kalendario Amiternino ad V. Idus Augusti: FER*iae*, Q*uod* EO. D*ie* C. CAES*ar* C. F. PHARSALI. DEVICIT. et in Antiatino ad eundem diem: DIVVS. IVL*ius* PHARS*ali* VICIT. Vide utrumque testimonium in fastis Verrii Flacci a cl. Fogginio editis p. 112. In Kalendario Maffaeiorum ad eundem diem scriptum legitur: HOC. DIE. CAESAR. HISPALI. VIC*it*. At idem Fogginius non solum ex citatis modo binis Kalendariis, sed etiam aliis causis solide conjecit, errasse primos ejus marmoris descriptores, et pro PHARSALI perperam legisse HISPALI. Iam vero hunc diem IX. Augusti anni Romani nondum correcti Vsserius retrahit in diem VI. Iunii anni Iuliani proleptici, at cl. Nauzeus in diem XXIX. Iunii proleptici [c]). Ex his calculis nonnihil variantibus saltem etiam de mense ejus conflictus, quem *cruentissimum Romani nominis diem* dixit Vellejus, satis certi sumus. Hujus ergo causa victoriae Antiocheni, ut diximus, novam aeram induxere, sic tamen, ut ejus initium προληπτικως figerent ad autumnum anni praecedentis V. C. 705.; et annum secundum inchoarent in autumno anni 706., haberentque

a) Doctr. temp. L. X. c. 62. b) Ep. Syrom. p. 163. c) Mem. B. L. Tom. XXV. p. 254.

adeo primum aerae suae annum pro completo incompletum. Illustris hujus aerae, dictae *Antiochenae*, annis scriptores non pauci ad temporum rationem usi sunt, quorum etiam testimoniis invicte comprobatur, ejus initium ducendum ab autumno V. C. 705., quae quidem omnia copiose, ac more suo erudite exposuit Em. Norisius [a]).

Laodicenses Caesariana quoque aera usi, quod Caesar ex Aegypto adversus Pharnacem terrestri itinere profectus, cum in eorum urbe versaretur, amplis eos beneficiis adfecit. Factum istud V. C. 707., verum quod ab Antiochenis mox factum diximus, hi quoque initium aerae ex autumno anni proxime elapsi V. C. 706. suspenderunt. Alia, quae ad confirmandam hanc aeram pertinent, jam dedimus in numis hujus Laodiceae.

Aegeaei Ciliciae, et Gabalenses Syriae epocham Caesarianam auspicati sunt ab autumno V. C. 707., quod initium in eorum moneta comprobavimus. Causa iis haud dubie eadem, quae Laodicensibus, nimirum Caesar eodem itinere moenibus receptus. Sed utrique annum primum novae aerae proximo autumno occoepere.

Caesarianam quoque aeram adoptasse videntur Rhosus Syriae, Ptolemais Galilaeae, Nysa Samariae, verum istud ex numis hactenus cognitis satis tuto definiri nequit.

IV. *De aera Actiaca seu Victoriae, ab anno V. C. 723.*

Victoria de Cleopatra et M. Antonio ad Actium IV. Non. Sept. V. C. 723. relata, qua orbis terrarum imperium Octaviano cessit, causa, si qua alia, justa fuit, propter quam urbes Graecae novam epocham conderent. Paucae tamen urbes eam recepere. Numi *Antiochiam*, *Apameam*, *Seleuciam*, et forte *Rhosum*, quae omnes sunt Syriae urbes, eam adoptasse testantur. Vnica haec est epocha, quae nomen suum, aut verius sui institutae causam palam profitetur, scripto in numis Antiochiae ΕΤΟΥΣ. ΝΙΚΗΣ. *anno victoriae.* Qua ratione dictae urbes hac epocha in numis suis usae fuerint, videatur in singulis.

* * *

Supersunt adhuc epochae aliae, quas variae urbes ejusdem regionis, ut Ciliciae, Ponti, Bithyniae, secum communes habuere, sed de quibus in earum moneta actum jam est.

a) l. c.

SECTIO V.

DE VARIIS VNIVS EIVSDEMQVE VRBIS EPOCHIS.

Fuere urbes non paucae, quae antiquata, qua hactenus usae sunt, aera novam induxerunt. Ejus exempla non adduco, quod ex praefixo catalogo facile cognoscuntur. Causa constituendae novae fuere aut beneficia impetrata mutatusque in melius status, aut obsequii in magna rerum mutatione studium. Exemplo esto Antiochia Syriae. Haec autonomiam a Pompejo M. adepta V. C. 690., abolita Seleucidarum epocha ab eodem hoc anno tempora sua numis inscripsit. Hoc ad Pharsalum profligato, sive quod periculosa esset veterum benefactorum confessio, sive mutata serio in novum victorem voluntate, omissa aera Pompejana annos suos ab hac ipsa Caesaris victoria ducere coepit. V. C. 724. victo ad Actium Antonio, verso in Octavianum obsequio, Actiacae victoriae annis uti maluit, non tamen sic, ut Caesarianam plane abjiceret, quod capite sequente patebit. Augusto vita functo, et sublata obsequii causa, novam hanc iterum aeram aspernata, in Caesariana deinceps plene acquievit. Haec uberius docuimus in moneta Antiochiae, at hic exempli causa paucis retexere necesse fuit, nam eodem modo et propter similes causas alii quoque populi veteres aeras aut abjecerunt, aut earum fuerunt desultores.

Negari non potest, hanc urbium in variandis epochis inconstantiam, sive cum novas conderent, sive his postea fastiditis ad veteres redirent, non leve rationibus chronologicis malum importare. Saepe enim admodum difficile, non raro plane incerta ratio definiendi, quando urbs quaepiam plures per intervalla epochas adoptavit, a qua anni numis inscripti sint numerandi. Et vero in horum calculo viros etiam summos interdum perversam rationem secutos, variis per hoc opus locis indicavi, ac praecipue in moneta Antiochiae, Sidonis, ac Tyri. Haec tamen aerarum inconstantia, si cautio adhibeatur, minus est molesta, quam vulgo existimatur. Eam enim saepenumero non tam numi ipsi, quam falsa antiquariorum praeconia obtrusere. Iuvabit, quod modo adserueram, aliquot exemplis stabilire. Constat, Sinopenses primum usos aera ducta ab anno V. C. 684., postea V. C. 709. aliam constituisse. Frölichium et Pellerinium si audias, iidem paucis post annis abolita nova respexere veterem imperante Augusto, iterum novam sub Caligula, iterum veterem sub Alexandro Severo.

Verum in eorum moneta abstersi hanc inconstantiae maculam, et solidis argumentis comprobavi, a Sinopensibus inde ab anno V. C. 709. aeram novam in numis adhibitam, et veterem demum imperante Alexandro revocatam. Abbas Mazzolenus probare ex numis aggressus est, Amisenos Ponti intra annos nonnisi XVI. triplice varia epocha usos, tamen certum est, unicam ab iis, quae ab anno V. C. 721. ducitur, fuisse usurpatam, et Mazzoleni judicium ex numis male promulgatis fluxisse. Fecit fortuna propitia, ut plures alias urbes ab inveterata hac et diu credita levitatis culpa licuerit absolvere. Et vero si in numos hactenus editos novo liceret judicio inquirere, haud dubie plures aliae adfictae culpae in chronologiae commodum evanescerent, quae hactenus epocharum negotium impedivere, quas nos spes posteris, qui haec nostra curabunt, relinquimus. Praecipua ac certa similis eodem tempore aerarum permixtionis exempla suppeditant numi Apameae et Seleuciae Syriae urbium, tum et Tripolis Phoeniciae.

SECTIO VI.

DE EPOCHA DVPLICE IN VNO EODEMQVE NVMO.

Tres sunt urbes, in quarum numis, etsi rarissime istud factum, duplex epocha conjungitur. Harum una est *Antiochia Syriae*, in cujus nonnullis rarissimis tetradrachmis legitur annus ϛΛ, 36, et alter ΔN, 54. Annus prior pendet ab aera Actiaca, alter a vetustiore Caesariana, ut in ejus numis adcuratius explicavimus. Altera est *Ascalon Iudaeae* scripta in nonnullis duplice aera hoc modo: $\frac{\text{ϛN}}{\text{BP.}}$ De utriusque aerae natura vide numos hujus urbis. Tertia *Gaza Iudaeae*, in cujus numis legimus: Γ. ЄΠΙ. BqP. vel: Δ. ЄΠΙ. ΓqP. et similiter. Quo pacto duplex haec aera explicanda sit, diximus in moneta Gazae.

Ab his exemplis certi sumus, urbes quasdam Graecas, posteaquam novam aeram instituerunt, non continuo veterem aspernatas, sed hanc cum nova conjunctam monumentis suis inscripsisse. Qua quidem in re idem ab iis factum videmus, quod in adsumendis, retinendis, abjiciendis imperatorum nominibus; aut enim novi imperantis adoptato nomine retinuerunt vetus, aut istud palam neglexerunt. Vtrobique valuit adfectus seu verus, seu fictus. Atque inde facile potest explicari, non modo, cur et quo pacto urbes nonnullae post

multos annos ad veterem aeram redierint, ut de Sinopensibus in eorum moneta diximus, sed etiam, cur in numis urbium, etsi paucissimarum, uno fere eodemque tempore variarum epocharum annos inscriptos videamus.

Adfine prioribus exemplum offert numus Commodi Alexandrinus, in quo eodem legitur L. KB. et L. Γ. Prior numerus indicat annum patris M. Aurelii sub Commodo continuatum, alter annum Commodi imperantis. Vide hujus numos Alexandrinos.

SECTIO VII.

DE ANNI APVD VETERES INITIO.

Anni initium, cum suapte natura sit arbitrarium, non idem omnibus populis fuit, aliis eum vel ab alterutro solstitio, vel alterutro aequinoctio, aliis ab alio quopiam cardine, ut visum fuerat, inchoantibus. Prioris instituti causam dedit naturalis solis ad idem punctum reversio, posterioris quaecunque alia causa, v. g. quaedam Italiae civitates diem, quo primum Augustus ad se venisset, initium anni fecerunt [a]). Anni Hegirae a die XVI. Iulii post Christum 622., quo die Muhammedes Arabum legislator fugere est coactus, procedunt. Apud alias gentes duplex fuit anni exordium. Romanis Kalendae Ianuariae inde a Numa fuere exordium anni civilis, at dies XI. Kal. Maias, quo Palilia, et urbis natalis agebatur, fuit initium epochae urbis conditae. Ex chronologorum doctrina Iudaei annum naturalem divisere in ecclesiasticum, et civilem. Ecclesiasticus coepit in verno mense Nisan, civilis in autumnali Tisri.

Quo anni tempore, mense, die singuli populi ac urbes annum auspicati sint, propter monumentorum defectum definiri nequit. De nonnullis satis accurate nobis constat, sed in plerisque aliis non habemus nisi conjecturas probabiles. De Aegyptiis tenemus, eos annum inchoasse a die I. mensis Thot. Sed cum eorum annus tantum constaret diebus 365., neglectis horarum reliquiis, et intercalandi more factum, ut caput anni singulis annis quatuor die uno in anno Iuliano retardaret, donec capta a Romanis Aegypto initium mensis Thot ad diem XXIX. Augusti figeretur, de quo nos pluribus egimus in tractatu de numis Alexandrinis. Annum Syromacedonum coepisse in autumno, satis evidenter ex scriptoribus,

a) Suet. in Aug. c. 59.

numis et argumentis ab astronomia petitis est demonstratum, de quo vide praecipue Norisium in praeclaro opere *de anno et epocha Syromacedonum*. In autumno inchoatam aeram Seleucidarum, diximus supra, quo loco eius initium fiximus. Eodem refertur principium aerae Antiochenae, etsi de mense, Septembri, an Octobri, dubitetur, de qua lite vide Em. Norisium [a]). Iudice Belleyo [b]) Bostreni Arabiae annum occoepere ab aequinoctio verno, atque idem comprobat [c]), Cappadoces, anno olim vago et desultorio usos, posteaquam in Romanorum potestatem venere, annum suum a die XII. Decembris anni Iuliani ducere coepisse. Atque haec exempla ad comprobandum varium inter Graecos annorum initium sufficiant. Omisi Graecos Europaeos, quia eorum numi epochae annis destituti ad praesens institutum non pertinent. Interea etsi pauca tantum annua urbium exordia nobis certa fide comperta sunt, quia tamen de majore parte Graecorum orientalium aut certi summus, aut probabilem habemus conjecturam, eos annum ab autumno auspicatos, possumus non magno errandi periculo aliarum quoque urbium annos ab eodem anni tempore ducere.

Atque haec praecepta de anni apud veteres exordio necesse fuit praemittere, quia absque his cognitis in epocharum initia et reliquas causas inquiri non potest, de quibus continuo agemus.

SECTIO VIII.

DE MODO EPOCHARVM EXORDIA ERVENDI.

Epocharum anni tamdiu nullum usum praestant, donec de anno epochae nobilioris, nobisque magis cognitae constet, a quo illae numerari debeant. Iudaei a Simeone in libertatem adserti a tempore impetrati hujus beneficii epocham novam sunt exorsi testante istud auctore libri I. Macchab. [d]) *et coepit populus Israel scribere in tabulis et gestis publicis, anno primo sub Simone sacerdote magno, duce et principe Iudaeorum.* At ne in obscuro esset tempus, quo primus hic novae epochae annus coepit, prudente illum consilio alteri epochae latius patenti, nempe aerae Seleucidarum illigavit praemissis his verbis: *Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum gentium ab Israel.* Nos hodie exordia epocharum, quibus privatim usae sunt urbes, po-

a) l. c. diss. III. c. 6. b) B. L. Tom. XXX. p. 313. c) B. L. Tom. XXXV. p. 624.
d) c. 13. v. 41.

puli, reges, vel in annis Christi, vel urbis conditae, illustrioribus quippe et passim cognitis epochis, inquirimus. Mihi anni urbis conditae praeplacent, quia ratione aequabili, ut progrediuntur, eorum crescit numerus, quando e converso anni ante Christum, ut progrediuntur, decrescunt, et augentur post Christum, quod rationes arithmeticas non parum impedit.

Anni cujuscunque epochae, monumentis veterum inscripti, per se non indicant, a quo capite eorum ducatur exordium. Necessarium igitur est frenum seu ex historia, seu collatis aliis numis, seu cujusque generis monumentis aliis petitum, quod eos nimium vagos aut intra arctiores fines coerceat, aut eorum situm in alterius epochae cognitae anno certissime definiat. Exstat apud Reinesium marmor, quod fuit in arce Messeniae Ithome a):

ЄΠΙ. ΙЄΡЄΩC. ΚΡЄCΦΟΝΙΟΥ.
ЄΤΟΥC. ΡΝΖ. κ. τ. λ.

Sub sacerdote Chresphonio (melius *Cresphonte*) *anno* 157. *etc.* Aera Messeniorum Peloponnesi ignota est, annus inscriptus nihil in se habet opis, unde ejus situs posset determinari, neque reliquum epigramma criterium aliquod suppeditat, quale esset, si constaret, quo anno Cresphontes apud Messenios sacerdotio functus esset. Incertum igitur est ejus aerae initium, et erit, donec fortasse monumenta olim alia suppetias veniant. Neque vero Reinesius, dum epochae hujus caput ad annum V. C. 607. fixit, aliud praeter conjecturam oppido infirmam conjecit. Chandlerus marmor Laodicenum vulgavit b), quod se positum profitetur

ЄΤΟΥC. ΗΞC. ΥΠΑΤΩΝ. ΓΡΑΤΟΥ. ΚΑΙ. CЄΛЄΥΚΟΥ. *Anno* 268. *Grato et Seleuco Cos.* Annus hic in incerto foret, nisi ei succurreret adscriptum par consulum, quod ex fastis constat processisse V. C. 974., cui adeo anno respondet annus 268 Laodiceae Syriae, cujusque annus primus, ut sequentes leges dictabunt, ducendus est ab anno V. C. 706. Similibus subsidiis universa ratio epochas supputandi nititur, quod subjecta continuo exempla docebunt.

Quaeratur initium aerae Amasiae Ponti.

Exstat apud Vaillantium numus Commodi inscripto ΡqΘ. 199. Currebat ergo hic Amasiae annus imperante Commodo. Quare ut reperiatur caput hujus epochae, annis 199. in epocha urbis conditae retrocedendum est, donec uterque extremus Commodi imperantis annus obtineatur. Commodus dictus est Augustus V. C. 930. Subtracto ex 930. numero numi 199 minus 1, id est: 198., residuum est 732. Caesus est idem V. C. 945. ultimo Decembris die. Subtracto inde rursum 198. residuum est 747. Ergo annus primus numeri 199. respondet uni cuipiam ex annis 732. usque 747. Intra hos ergo annos tamdiu vagabitur aerae principium, donec certam in aliquo anno sedem ope alterius numi obtineat. Exstat in museo Caesareo ejusdem Amasiae numus alter cum capite

a) Inscr. ant. T. I. p. 386. b) Inscr. ant. p. 92.

Alexandri Severi et anno CKH. 228. Dictus est Augustus V. C. 975. mense Martio, caesus V. C. 988. initio anni. Subducendo simili lege ex utroque hoc anno numerum numi 199—1., seu 198., caput epochae vagabitur intra annos V. C. 777. et 790. Compositis utriusque imperantis annis epochae initium tam certe ad autumnum V. C. 747. esse figendum, ut neque in annum proxime anteriorem, neque proxime posteriorem evagari possit, sic probatur. Fingamus, eam coepisse anno proxime praecedente 746. Addendo ad 746. annum numi Alexandrini 228—1, seu 227., summa dabit annum V. C. 973., a cujus autumno usque ad autumnum anni sequentis signatus esset numus. Verum intra hoc tempus Alexander nondum fuit Augustus, quem honorem nonnisi mense Martio V. C. 975. abstulit. Ergo epocha Amasiae anno proposito incipere nondum potuit. Esto, coepisse eam V. C. 748. Addendo ad 748. annum numi Commodiani 199—1, seu 198., summa dabit annum V. C. 946., a cujus autumno usque ad sequentis anni autumnum feriri debuisset numus dicto anno notatus. Verum per omne illud tempus non amplius superstes fuit Commodus, caesus exeunte anno V. C. 945. Ergo initium epochae in annum posteriorem moveri nequit, manetque immotum ad annum V. C. 747.

* * *

Hoc modo epocharum omnium initia solent investigari. Tamen ut universa ratio melius intelligatur, nonnulla alia adhuc restant praecipienda.

I. Sive addendo, sive subtrahendo, numi anno unitatem, ut vidimus, abstuli. Quod ni fiat, unus idemque annus bis addetur, vel subtrahetur, et summa, vel residuum semper unitate excedent, quia cum annum numi cum anno alterius epochae compono, uterque hic annus, et qui componitur, et cum quo componitur, re ipsa unus tantum est, non diversi duo. Sic scire volo, cui anno urbis conditae respondeat v. g. annus 132 aerae Amasensis, quam constat coepisse anno V. C. 747. Nemo non intelligit, annum primum ex summa annorum 132. esse unum eundemque cum anno 747., ergo si huic addam integram summam 132, aggregatum 879. unum eundemque annum bis continebit. Aufer ex numero 132. unitatem, summa 878. dabit annum urbis conditae, cujus autumno coepit currere annus 132. aerae Amasiae. Idem valebit etiam in subtrahendo. Nosse cupio, quo anno urbis conditae coeperit aera Seleucidarum, quam scio coepisse anno 312. ante Christum. Natus est Christus anno V. C. 753. secundum Varronem. Ab hoc si subtraham totum numerum 312., certum est, me nimium subtraxisse, nimirum totum etiam illum annum urbis conditae, cui respondet annus 312. ante Christum. Aufer ex hoc numero unitatem, et subtrahe 311 ex 753., residuum 442. dabit annum urbis conditae, cujus autumno coepit annus primus aerae Seleucidarum. Haec doctrina non rite observata non raro viros eruditos in fraudem induxit, cujus exemplum dedimus in moneta Aegarum Ciliciae. Ceterum si quis unitatem subtrahere nollet, non propterea offendet, si modo adverterit, subtracta unitate exiturum annum V. C., cujus

autumno coepit annus quaesitus, non subtracta annum V. C., cujus autumno dictus annus exivit.

Haec tamen unitatis mulcta in additione anni inscripti ad annos urbis conditae, vel etiam subtractione tum locum non habebit, quando monumentum characterem quendam chronologicum continet, qui autumnum ejus anni Iuliani praecedit. Tum enim totus numerus monumento inscriptus ad inveniendum epochae initium vel additur, vel subtrahitur. Exstat numus Othonis Antiochiae Syriae cusus cum anno ZIP. 117. Quaeritur, cujus anni autumno coeperit aera Antiochiae. Numus signatus est V. C. 822. a medio Ianuario, quo imperare Otho coepit, usque ad medium Aprilem ejusdem anni, quo is se interemit, et, quod sequitur, ante autumnum ejus anni Iuliani. Subtrahatur ergo totus numerus 117 aerae Antiochenae ab anno V. C. 822., residuum 705. dabit annum V. C., cujus autumno dicta aera initium habuit. E converso quaeritur, quo anno urbis conditae signatus fuerit idem Othonis numus cum anno 117. aerae Antiochenae. Coepit haec in autumno V. C. 705. Addatur ergo huic totus numerus 117., summa dabit annum V. C. 822. verum ejus numi signati tempus. Causa omittendae ejus mulctae est, quia intra cursum anni Antiocheni ab uno autumno ad alium annus V. C. Iulianus Kalendis Ianuariis jam sibi unitatem addidit, anno Antiocheno interim usque ad proximum autumnum invariato. Eodem modo perage examen aerae Laodiceae Syriae, quae in marmore Graeco, quod in hujus urbis numis citavi, his verbis notatur: *anno* 268. *mense Xanthico consulibus Grato et Seleuco.* Xanthicus Syromacedonum respondet Aprili anni Iuliani. Fuit ergo monumentum positum ante autumnum. Similiter item perage examen aerae Seleucidarum ex monumento, quod supra sectione IV. dederam, quod offert characteres chronologicos, consulatum Paulini et Iuliani, annum aerae 636., et mensem Daesium respondentem Iunio, qui adeo autumnum quoque praecedit. Si character monumenti tempus autumno posterius usque ad proximas Kalendas Ian. indicat, quia interim et hic unitas accrevit, adimenda iterum unitas secundum regulam praecedentem.

II. Non raro accidit, ut epochae cujuspiam exordium per duos, tres, aut plures etiam annos vagetur, deficiente nimirum justo monumentorum numero, quorum variantes anni intra certos illud limites coercerent. Exemplo esto annus OC. 270. conjunctus cum capite Elagabali in numo Botryos Phoeniciae. Elagabalus imperium auspicatus est mense Iunio V. C. 971.; subtracto inde anno numi 270., residuum 701. dat annum V. C., ante cujus autumnum incipere epocha non potuit. Caesus est in Martio V. C. 975. Subtracto iterum anno 270., residuum 705 dat annum V. C., ultra cujus autumnum initium aerae differi nequit. Vagabitur ergo initium aerae intra annos V. C. 701. et 705., donec aliorum numorum ope arctius figatur. Definitas horum subsidio propius aeras, aut plane stabilitas multis locis dedimus, quae hic repetere non vacat. Ex his praeceptis suapte sequitur, quanto pauciorum annorum

principis fuit imperium, quale fuit Nervae, vel Macrini, tanto arctius utrinque aerae exordium cohiberi. Habemus exemplum initii aerae ab uno eodemque numo invicte demonstrati, illud ipsum nempe numi Antiocheni cum capite Othonis et anno 117. paullo supra citatum. Quoniam Othonis imperium tantum a medio Ianuario usque ad medium Aprilem anni V. C. 822. duravit, ablatis inde annis 117, evidens est, aerae Antiochenae principium ab autumno V. C. 705. ducendum. Idem obtinetur, cum unus idemque annus numis duorum Augustorum, qui sibi proxime successere, inscriptus legitur. Sic in numis Trajani et Hadriani Tripoli Phoenices percussis legitur idem annus HKΥ. 428. Mortuus est Trajanus mense Augusto V. C. 870., eique continuo successit Hadrianus. Ergo sublatis inde annis 428. certum habemus aerae Tripolitanae initium in autumno V. C. 442. Idem praestat annus ΓΛΦ. 533. inscriptus numis ejusdem Tripolis cum capite et Elagabali et Alexandri Severi. Cum numus nullum offert characterem chronologicum fixum, quod praecipue fit in numis autonomis, seu qui nullum offerunt regis vel Augusti, vel cujuscunque principis caput, tum plerumque aut difficilis est, aut desparata in aerae exordium inquisitio. Exemplo sunto numi Alexandriae Troadis cum epigraphe ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. ΣΜΙΘΕΩΣ. et variis epochae annis, et autonomus Hyrgaleae Phrygiae cum anno ΤΞΕ. 365.

III. Epochae per aliquot duntaxat annos vagae saepe ope aliarum epocharum, quibus vicina oppida usae sunt, satis tuto stabiliuntur. Sic si epocha cujuspiam Syriae late sumptae urbis fluctuet prope annum V. C. 442., quo coepit aera Seleucidarum, vel 690., qui annus fuit exordium aerae Pompejanae, quoniam utriusque epochae multus fuit in Syria usus, poteris citra erroris periculum aerae, in quam inquiris, exordium alterutri adcommodare. Simili modo viri eruditi fluctuantes urbium Ponti et Ciliciae aeras stabilivere.

IV. Commode etiam epochae exordium aliquatenus vagum historiae subsidio nonnunquam cohibetur. Sic Belleyus epocham Cybirae Phrygiae inter annos V. C. 776. 777. 778. fluctuantem ad annum 776. fixit, quia hoc anno teste Tacito civitati Cibyraticae terrae motu adflictae a Tiberio subventum fuit, satis vero aliorsum constat, civitates a memorabili quodam facto novam aeram auspicatas, de quo vide dicta in moneta hujus urbis. Eodem modo epochas alias solidis conjecturis certo anno adfixas satis per hoc opus vidimus.

V. Vt vaga epocharum initia modis dictis possunt coerceri, sic et alia, quae ab eruditis recte stabilita diu credebantur, novorum numorum ope certiorem sedem sunt nacta. Sic serius correctas fuisse aeras Amasiae Ponti, Anazarbi Ciliciae, aliarumque complurium, suis locis perspicue videre licet.

VI. Quemadmodum epochae historiae adminiculo certam stationem obtinent, ut mox ostendimus, sic et historia vicissim ex epochis rite stabilitis insi-

gnia aufert emolumenta. Sic plerique auctores veteres Antiochum VII. Evergeten Syriae regem anno 182. aerae Seleucidarum mortuum contenderunt. Verum ex numis comprobatur, eum anno ejus aerae ϛΠΡ. 186. adhuc in vivis fuisse. Ex anno CLXXXII., qui inscriptus legitur numo Sinopes, comprobatur, Aelium Caesarem non Kalendis Ian. V. C. 890., quod nonnullis viris gravibus visum, sed 891. diem obivisse. Ex anno ΘqC. 299., qui est in numo Aegarum Ciliciae cum capite Corneliae Superae, eruimus sine dubio, hanc Augustam Valeriani junioris uxorem esse non potuisse, sed verius Aemiliani. Plura alia ex vetere historia epocharum ope expuncta dubia longum foret recensere, quae suis locis adcurate indicavimus.

VII. Non sola regnorum et imperiorum tempora epocharum principium figunt, verum etiam complures aliae causae, ad quas cum non semper animum adverterent artis nostrae studiosi, factum, ut non raro graviter offenderent. En ex his nonnullas, quae verum temporis characterem constituunt. Magna imperatorum pars, antequam Augusti titulo decorarentur, solum Caesaris nomen monumentis publicis inscripsit. Constat plerumque, quo anno ex Caesaribus evaserint Augusti. Ergo si instituto computo annus, qui est in numo M. Aurelii adhuc Caesaris, incideret in tempus, quo teste historia jam fuit Augustus, epochae initium haud dubie erit anticipandum. Adde titulos varios a victis gentibus certo tempore adscitos, ut *Dacici* primum, deinde *Parthici* a Trajano, ab aliis *Germanici*, *Armeniaci* etc. Cum Livia Augusti conjux in numo Iulia dicitur, is vivo Augusto feriri non potuit, quia nonnisi hujus testamento in familiam Iuliam transiit. Proderit saepe a barba augurium capere. Haec mento appensa aut indicium est aetatis magis provectae, ut in M. Aurelio, Caracalla etc. aut primae juventae, antequam haec ex Romanorum more poneretur, ut in horum moneta copiosius dicetur. Praetereo criteria alia, ceu fabricam numi, formam literarum, etc. quae prudens antiquarius ad temporis rationem saepenumero utiliter adhibebit.

VIII. Causas constitutarum epocharum saepe tenemus, neque modo majorum illarum, quales fuere aera Seleucidarum, Pompejana, Caesariana, etc. sed etiam earum, quae privatim urbibus propriae fuerunt, historia nimirum facem opportune praeferente. At multarum causas tacentibus historicis haud dubie perpetuo ignorabimus. Observandum hoc loco, cum insignis cujuspiam eventus causa nova aera inducta fuit, eam urbes alias προληπτικῶς ab autumno proxime praeterito numerare coepisse, prout Antiocheni suam autumno V. C. 705. adfixerunt, etsi pugna ad Pharsalum, quae novae aerae causa fuit, in aestate V. C. 706. commissa fuit; alias vero ab autumno proxime sequente, ut istud factum ab Aegaeeis et Anazarbenis, Ciliciae populis, in eorum numis diximus.

SECTIO IX.

DE ANNIS PRINCIPATVS ET MAGISTRATVS.

Praeter annos epochae, de quibus hactenus actum, saepe in moneta vetere comparent numeri, quos certum est indicare annos principatus, rarius gesti magistratus. Differunt hi ab epocha, quod haec continuatur, illi cum principis vita desinunt, tametsi aliquot sunt exempla, annos principatus epochae quodammodo naturam induisse, ut dicetur. Hos, de quibus agimus, annos in tres classes partimur, I. in annos imperii, II. in annos regni, III. in annos magistratus.

I. *Anni imperii.*

Hi observantur in numis.
Alexandriae Aegypti.
Anemurii Ciliciae.
Arabiae provinciae, nisi forte notatur epocha.
Caesareae Cappadociae.
Caesareae Samaritidos.
Carrharum Mesopotamiae.
Cerasi Ponti.
Coropissi Lycaoniae.
Cypri insulae.
Diospolis Samaritidos.
Eleutheropolis Iudaeae.
Iconii Lycaoniae.
Laodiceae Phrygiae.
Magydi Pamphyliae.
Termessi Pisidiae.
Tiberiadis Galilaeae.
Trapezuntis Ponti.
Tyanorum Cappadociae.

His adde numos inscriptos: ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Α. Β. Γ. etc. cum variis imperatorum capitibus, signatos Antiochiae Syriae, Caesareae Cappadociae, et in insula Cypro, de quibus agemus sectione sequente.

In numis imperii orientalis inde a Iustino anni imperii leguntur sic: ANNO. II. III. etc.

II. *Anni regni.*

Conjungo tetrarchas et sacerdotes, qui, si non reges, certe regia potestate ditioni suae praefuere. Leguntur autem hi anni in numis.
Mostidis regis forte Epiri.
Regum Cappadociae.
Sacerdotum et principum Olbae Ciliciae.
Sacerdotum, regum, et tetrarcharum Iudaeae.
Regum Aegypti.
Regum Numidiae.

III. *Anni magistratus.*

L. APRONI. PROCOS. III. in numis Carthagini tributis.

C. VIBIO. MARSO. PR. COS. II. vel III. in numis Vticae Zeugitanae.

ΑΝΘΥ. ΕΠΡΙΩ. ΜΑΡΚΕΛΛΩ. Γ. in numis Cypri.

* * *

Anni in his numis notantur eodem modo, quo epocharum annos notari vidimus. Aut enim praefigitur ET. vel plenius ΕΤΟΥΣ., aut L., quam literam esse initialem vocabuli *Λυκαβαντος*, supra diximus, aut annus prorsus solitarie ponitur. In numis regum Numidiae scribi solet: R. XXXII. etc. id est: *anno* R*egni* XXXII. etc. vel R. A. X. id est: R*egni* A*nno* X. In quinariis Lugduni Galliae Antonio IIIviro dicatis legitur A. XL. et A. XLI. sed non satis certum, qui anni his numeris indicentur, ut in moneta hujus IIIviri monebitur. Adhibenda cautio, ne in principatus annis putemus numerum, qui revera epochae annus est. Non difficulter tamen sese illi praeter alias causas etiam eo distinguunt, quod plerumque contractiores esse eorum numeri solent.

Annos principatus ab historicis quoque numerari solitos, et passim alias ad temporum rationem, perinde atque hodie, valuisse, multa occurrunt exempla. Apud Lucam legitur [a]): *Εν ετει δε πεντεκαιδεκατῳ της ἡγεμονιας Τιβεριυ Καισαρος*, *anno XV. imperii Tiberii Caesaris.* In marmore Adulitano Ptolemaeus III. Evergetes sic de se: ΕΤΕΙ. ΤΗΣ. ΕΜΗΣ. ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ. ΚΖ. *anno mei regni XXVII* [b]).

Inscripti numis imperii anni ad chronologicam imperatorum historiam magnum adferunt momentum. Maximum inter hos usum praestant id genus numi in Aegypto cusi, dicti vulgo Alexandrini, quorum utilitatem et commoda suo loco liberaliter praedicavimus. Proximum locum obtinent argentei aeneique Caesareae Cappadociae. Reliquarum, quas commemoravimus, urbium numi amplam seriem non praestant.

Quocunque quis anni tempore imperium est auspicatus, annus imperii secundus numerari semper consuevit ab eo die, quo coepit annus civilis singularum urbium, de qua lege vide quae uberius diximus in tractatu de numis Alexandrinis, in numis Caesareae Cappadociae, et quae in proxima sectione ad numos ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. observabimus. Ad haec, cum plerumque imperatores nondum finito anno civili diem obierint, factum necessario, ut fere constanter ex his numis annum imperantium primum et postremum habeamus incompletos. Quam haec necessario ad chronologicam imperantium historiam sint observanda, iisdem locis, tum et in tractatu de tribunicia potestate praecepimus, et praecipiemus.

Quod in populorum numis anni imperii, idem in moneta Romanorum praestant numeri tribuniciae potestatis, de quorum usu et computandi modo videsis tractatum de his singularem, ut et, quae ad rationem votorum quin-

a) Cap. 3. v. 1. b) Chishull. Ant. Asiat. p. 78.

quennalium, decennalium etc. pertinent, quorum disquisitio aliquid etiam in imperatorum chronologia habet utilitatis.

Factum aliquoties, ut qui anni principio essent principatus, subinde epochae naturam induerent, cum nempe successori continuare patris annos placuit. Ejus exemplum dedit Ptolemaeus II. Philadelphus continuando patris Soteris annos. Eodem modo monetarii Alexandrini produxere annos M. Aurelii et Severi per imperium filiorum Commodi et Caracallae, ut in eā numorum serie observavimus. Verum omnes hae inchoatae epochae cum filiis desivere.

Additi proconsulibus Romanis numeri, quos postremo loco proposui, haud dubie annos obiti in provincia magistratus indicant; nam quid aliud hoc loco notare possint, non video. Ceterum demptis his, quos citavi, numis nulli alteri magistratui additos annos conspexi.

S E C T I O X.

D E N V M I S I N S C R I P T I S:

ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ.

Illustris est monetae argenteae, plerumque maximi moduli series inde a Galba usque ad Nervae imperium ab urbibus in Orientem positis signatae, in cujus antica caput imperantis, in aversa juxta typos varios scriptum ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. addito plerumque ΙΕΡΟΥ, et anni numero, id est: *anno novo sacro.* Antequam probabilem ejus epigraphes explicatum adfero, necesse video, horum catalogum numorum secundum temporum rationem proponere, in quibus conquirendis laborem sublevavit cel. Belleyus, qui eorum seriem adcurate descripsit in praeclaro suo ad hos numos commentario [a]), cui ego tres habeo, quos addam, et unum, nempe postremum Decii, quem demam.

Galba.

1) ΓΑΛΒΑΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Galbae, in area astrum.*

a) Mem. B. L. Tom. XIX p. 447.

ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Α. *Aquila alis expansis fulmini insistens, juxta lauri ramus.* AR. I.

2) *Alius, sed cum anno* B. AR. I.

Vespasianus.

3) ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. *Caput laureatum.* ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Α. *Aquila expansis alis clavae insistens, juxta palmae ramus.* AR. I.

4) ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. *vel:* ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. ϹΕΒΑϹΤΟϹ. *Caput idem.*
ΕΤΟΥΣ. ΙΕΡΟΥ. Β. *vel:* ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Β. *Similis typus; in nonnullis aquila corollam ore stringit.* AR. I.

5) ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. *Caput laureatum, infra aquila expansis alis.*
ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Β. — Τ. ΦΛΑΥΙ. ΟΥΕΣΠ. ΚΑΙΣ. *Caput Titi laureatum.* AR. I. (Est etiam apud Pellerin Mel. I. tab. 7. n. 7.)

6) ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. *Caput laureatum.*
ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. Γ. ΙΕΡΟΥ. *Aquila expansis alis clavae insistens, juxta palmae ramus.* AR. I.

7) ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝ - - *Caput laureatum.*
ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Δ. - - ΦΛΑΥΙ. ΟΥΕΣΠ. ΚΑΙΣ. *Caput Titi laureatum.* AR. I. (Pellerin Mel. I. tab. VII. n. 8.)

8) ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙϹΑ. ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΟϹ. *Caput laureatum.*
ЄΤΟΥϹ. Δ. ΙЄΡΟΥ. *Aquila expansis alis clavae insistit, juxta palmae ramus.* AR. I.

9) ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. ϹЄΒΑ. *Caput laureatum.*
ЄΤΟΥϹ. ΝЄΟΥ. ΙЄΡΟΥ. Δ. *in alio:* Є. *Aquila alis expansis rostro caduceum tenet, et insistit basi, ex qua una, vel duae spicae prodeunt.* AR. I. (Belley, Pellerin l. c.)

10) *Adversa similis.*
ЄΤΟΥϹ. ΝЄΟΥ. ΙЄΡΟΥ. Ζ. *Iuppiter stans d. pateram, s. innixus scipioni, cui insidet aquila.* AR. I. (Catal. d'Ennery.)

11) ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. *Caput laureatum.*
ЄΤΟΥϹ. ΝЄΟΥ. ΙЄΡΟΥ. *Templum Veneris Paphiae.* AR. I.

12) *Eadem adversa.*
ЄΤΟΥ. ΝЄΟΥ. ΙЄΡΟΥ. Η. *Iuppiter stans, ut num.* 10. AR. I.

13) ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡ. ΚΑΙϹΑΡ. ΤΙΤΟϹ. ΟΥЄϹΠΑϹΙΑΝΟϹ. ϹЄΒ. *Caput laureatum.*
ЄΤΟΥ. ΝЄΟΥ. ΙЄΡΟΥ. Η. *Aquila expansis alis clavae insistit, juxta palmae ramus.* AR. I.

Vulgatus est hic numus in Museo Card. Albani, nunc Vaticano. Singu-

lare in eo est praenomen TITOC Vespasiano additum, quod etsi ipse forte habuit, tamen nullum novi numum commatis Romani, neque alium peregrini, et forte neque marmor exstat, in quo ejus nomini praenomen Titi praefigeretur: ex quo apparet, illud filio velut proprium cessisse. Vide, quae de hoc argumento disputabo, in numis Vespasiani commatis Romani. Titi Augusti is numus esse nequit propterea, quia is annum imperii VIII. non attigit. Quod si tamen erit Titi, erit ejus adhuc Caesaris, et annus VIII. pertinebit ad patrem, fueritque monetarii lapsu additum vocabulum CЄB., quanquam ad hoc opinandum obstet etiam forma numi, nam in hac classe numos eorum, qui Caesares tantum fuere, voluminis fuisse contractioris, infra observabimus.

14) ATTOKPATΩP. OTЄCΠACIANOC. KAICAP. CЄBA. *Caput laureatum.*

ЄTOTC. NЄOT. IЄPOT. Θ. *Templum Veneris Paphiae, ut num.* 11. *vel; Iuppiter stans, ut num.* 10, *in nonnullis in imo spica.* AR. I.

15) ATTOKPATωP. TITOC. KAICAP. *Caput Titi laureatum.* In aliis:

ΔOMITIANOC. KAICAP. *Caput Domitiani laureatum.*

ЄTOTC. NЄOT. IЄPOT. Θ. *Templum Veneris, vel Iuppiter stans, ut supra.* AR. II.

16) ATTOKPATΩP. OTЄCΠACIANOC. KAICAP. CЄBA. *Caput laureatum.*

ЄTOTC. NЄOT. IЄPOT. I. *Iuppiter stans, ut num.* 10. AR. I.

17) ATTOKPA. KAIΣAP. OTEΣΠAΣIANOΣ. ΣEBAΣTOΣ. *Caput laureatum.*

ETOTΣ. IEPOT. *Mons Argaeus cum statua insistente.* AR. I.

18) IMP. CAESAR. AVG. VESPASIANVS. *Caput laureatum.*

COV. NЄPOVΔ. *Aquila expansis alis basi insistens rostro caduceum stringit, pro pedibus hinc, et inde palmae ramus promicans.* AR. incertae formae. (Sylloge numism. ant. Londini 1708. pag. 37.) AE. III. (Mus. Caes.)

Eundum hunc numum delineatum reperio inter complures alios genuinos in opusculo Germanice conscripto: *Müntzbuch, darinnen zu besehen etc. Frankfurt am Mayn bey Iacob de Zetter* 1631 *in 4to.* Sed in hoc capitis epigraphe fertur: DIVVS. AVGVSTVS. VESPASIANVS.

Titus.

19) TITOC. OTЄCΠACIANO. KAICAP. CЄBACTOC. *Caput laureatum.*

ЄTOTC. NЄOT. IЄPOT. B. *Aquila stans expansis alis, juxta palmae ramus.* AR. I.

Domitianus.

20) ATTOK. KAICAP. ΔOMITIANOC. CЄB. *Caput laureatum.*

ЄTOTC. NЄOT. IЄPOT. B. *Aquila*

alis expansis fulmini insistit, *juxta palmae ramus*. AR. I.

21) ΑΥΤ. ΚΑΙϹΑΡ. ΔΟΜΙΤΙΑ-ΝΟϹ. ϹΕΒ. ΓΕΡ. *Caput laureatum.* ЄΤΟΥϹ. ΝЄΟΥ. ΙЄΡΟΥ. Η. *vel* Θ. *vel* ЄΝΑΤΟΥ. *Aquila expansis alis fulmini insistit*, *juxta palmae ramus*. In aliis: *Iuppiter stans*, vel: *Templum Veneris Paphiae*, *ut supra*. AR. I.

22) ΑΥΤΟ. ΚΑΙΣΑΡ. ΔΟΜΙΤΙΑ-ΝΟΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. *Caput laureatum.*
ΕΤΟΥΣ. ΝЄΟΥ. ΙΕΡΟΥ. ΕΝΔΕΚΑ-ΤΟΥ. *Aquila expansis alis fulmini insistens*, *juxta palmae ramus*. AR. I. Est etiam in mus. Caes.

Nerva.

23) ΑΥΤ. ΝΕΡΟΥΑΣ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. *Caput laureatum.*
ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. Α. *vel* Β. *Aquila fulmini insistens*, *juxta palmae ramus*. AR. I.

* * *

Decii numum, quem prioribus addidit Belleyus, omitto, quia huc prorsus non pertinet, ut ostendam proximo §. I.

* * *

Repraesentata hac numorum classe in judicium veniunt I. epigraphe ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. II. calculus annorum inscriptorum. III. horum patria numorum. IV. eorum metallum, et pondus.

I.

De epigraphe ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ.

Haec epigraphe, quae *annum novum sacrum* indicat, incredibile dictu, in quam absurdas sententias conjecerit veteris aevi antiquarios. Existimavit Erizzus, aut potius insanivit, cum credidit, inscriptos annos ducendos a constructo sacro Salomonis templo. Ejus expressa verba sunt in suis *Discorsi* pag. mihi 131 ad numum Graecum Agrippae II. cum capite Vespasiani: *le quali medaglie, come si vede, furono battute nell' ottavo e nono anno dall' edificazione del sacro tempio fabricato dal Re Salomone.* At Haymius annos orsus est ab excidio templi Hierosolymitani duce Tito. Seguinus a restituto templo Iovis Capitolini imperante Vespasiano, cui adhaesit Spanhemius quoque a). Addiditque Pioveneus b), signatos id genus numos, quos Iudaei in templi Capitolini sumptus pendere jubebantur. Nolo longius refutare sententias, quae se ipsas evertunt, et quibus refutandis plus, quam necesse videatur, inhaesit Belleyus. Satis esto, eruditis his viris falso creditum, annos inscriptos habere naturam epochae, qui tamen, quia in singulis imperantibus annum primum revocant, aliud non sunt, quam anni imperantium, ut in Alexandrinis, quod serius agnovere Norisius c), Frölichius, aliique, qui fere omnes eo consensere, annum hunc dictum novum, sacrumque in his numis propter ludos sacros,

a) Caes. Iuliani p. 62. b) Mus. Farnes. IX. p. 35. c) Ep. Syrom. Diss. III. c. 6. sub. fin.

qui facti sunt, seu cum imperium princeps adivit, qui dies natalis imperii dici consuevit, seu cum idem dies anno exacto redivit, quorum occasione solennium hos signatos numos credidere. Denique Belleyus his capitibus doctrinam omnem complexus est: I. Vrbes Orientis peregere sacrificia, ludos, ac vota, sive cum princeps imperium est auspicatus, sive cum earum annus civilis iniit, sive recurrente die natali imperii. II. Propter eandem causam sacrificiorum, ludorumque sacrorum annos suos dixere sacros. III. Exemplo Romanorum *annum novum primum* dixerunt diem, quo princeps ad imperium est evectus. Sic III. idus Octob. dicitur Senecae *annus novus*, *initium saeculi felicissimi*, sic in numo Anazarbi Ciliciae cum capite Decii legitur: ЄTȣς IЄPOΥ. NЄOΥ. ΠPΩTOΥ. ZΞC. *anno novo sacro primo* 267. IV. Nonnisi dies, quo imperium quis suscepit, aut quo annus novus civilis inivit, fuit dictus ETOΣ NEON IEPON, *annus novus sacer*, at dies natalis imperii, quia serius recurrebat, atque adeo annum novum constituere non potuit, dictus est simpliciter ETOΣ IEPON, *annus sacer*, omisso NEON, *novus*. Haec ille.

Credo ego, ad explicandos hos numos tanto molimine atque apparatu, quo argumentum istud tractavit Belleyus, opus non esse. En tibi modum planum, ac simplicem, quem potissimum persuasit series argentea tetradrachmorum Antiochiae Syriae, ubi certum est, ut infra trademus, maximam sacrae hujus monetae partem fuisse signatam. Ex hac discimus, Antiochenses sub Nerone coepisse tetradrachmis suis inscribere annos imperantis, conjunctos tamen cum annis aerae Caesarianae, v. c. ETOΥΣ. AIP. Θ, id est: anno CXI. aerae, IX. imperantis Neronis. Inde a Nerone ex illis extrusi sunt anni aerae, et retenti soli anni imperantis, sed hi variis formulis enunciati. A Galba usque ad Nervam valuit formula ETOΥΣ. NEOΥ. IЄPOΥ. A. B. etc. rarius omisso NEOΥ. Tamen etiam in numis Othonis legimus tantum ЄTOΥC. A. manente solito typo aquilae, et rami palmae. Dicitur annus NEOΣ, *novus*, quia annus novus revera iniit, cum princeps imperium adivit, aut cum elapso vetere coepit alter annus civilis. Sic et apud Romanos primus imperantis annus dicebatur *annus novus*, ut supra ex Seneca vidimus, et annus novus dicebantur Kalendae Ianuariae; unde et in numis Latinis Hadriani, Antonini, et Alexandri legimus: S. P. Q. R. A*nnum* N*ovum* F*austum* F*elicem*. Dicitur annus IEPOΣ, *sacer*. Si mensis a quibusdam populis numinis loco est habitus, quod constat ex numis Antiochiae Pisidiae, nequaquam mirum, annum quoque religione fuisse sacrum. Teste Eustathio [a]), qui Aelianum testem advocat, ἐν Γαδειροις βωμος Ενιαυτῳ ἱδρυται, και Μηνι ἀλλος, εις τιμην χρονȣ βραχυτερȣ τε και μικροτερȣ, *posita fuit Gadibus ara Anno*, *et Mensi altera*, *in honorem temporis longioris*, *et brevioris*. At

a) Ad Dionys. Perieg. v. 453.

in his, de quibus agimus, numis annus sacer dicitur non alia de causa, quam quia fuit imperantis, cujus omnia fuere sacra. Sic et legimus: *sacrae imagines, sacrae largitiones, sacra moneta Augustorum, Caesarumque.* Quare non mihi convenit cum Belleyo existimante, annum numis his inscriptum dictum fuisse sacrum propter celebratos illo ineunte ludos sacros. Ejus adserendi potior illi causa fuit numus Decii apud Anazarbum Ciliciae signatus, editusque a Froelichio cum praetensa epigraphe: ЄΤ. ΙЄΡΟΥ. ΝЄΟΥ. ΠΡΩτȣ ΖΞϹ. *Anno sacro novo primo* 267, in quo typus: *quinque ludorum urnae prominentibus palmis.* At non istud in illo numo legitur, sed: ЄΤ. ΙЄΡΟΥ. ΟΛΥΜΠ. ΘΖϹ. *Anno sacro Olympio* 269, ut diserte comprobavi in moneta ejus urbis. Annus ergo hic Anazarbenus non propterea dictus est sacer propter religionem ludorum sacrorum, qui quovis ineunte anno civili causa principis acti fuere, sed quod hoc anno Anazarbus ex instituto suo sacros ludos Olympios egit.

Inde a Trajano annus novus sacer inferri numis non desiit, sed alia tantum formula adhiberi coepta; nimirum pro ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. scriptum deinceps ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ. ΕΞΟΥΣΙΑΣ. *tribunicia potestate*, quae et singulis annis renovabatur, quod aequivalet τῳ ΝΕΟΥ, et sacra fuit, quod est pro ΙΕΡΟΥ, et singulis annis unitate aucta perinde imperatorum annos numeravit, quam Graecorum ΕΤΟΣ. Factum istud ab Antiochenis, aliisque passim urbibus, ut Romanorum modum imitarentur, in quorum numis perpetua mentio trib. potestatis addito, vel omisso numero, et consulatus, cujus copiosa habes exempla in numis argenteis, et aliquibus etiam aeneis aetate Trajani, Hadriani, Antonini per Orientis urbes signatis. Atque hoc modo inscripta tetradrachma. saltem Antiochena, habemus a Trajano usque ad Volusiani imperium eliminata penitus ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. formula.

Epigraphe ϹΟΥ ΝЄΡΟΥΔ, quae est in numis Vespasiani loco 18 propositis, ut insolens est, ac perturbata, positam tamen esse pro ЄΤΟΥϹ. ΝЄΟΥ. ΙЄΡΟΥ. Δ., facile apparet, atque adeo cum propter dictum epigraphes sensum, tum typum sociandos iis, qui loco 9 proponuntur. Reliqua dubia expedivi in mea Sylloge I. num. vet. p. 78, quo loco similium numorum unum promulgavi.

II.

Calculus annorum his numis inscriptorum.

Valet in his idem computus, qui in numis Alexandrinis. Vt enim in his annus I. ducitur ab eo die, quo imperium princeps est auspicatus, et exit in proxima neomenia Thot, seu die XXIX. Augusti, quo coepit annus II., sic et in sacris his numis annus B. init in autumno, a quo per Orientis urbes annus novus duci consuevit. Hanc legem luculente comprobant numi Galbae, in quibus leguntur anni A et B, cujus tamen imperium septem tantum mensium fuit. Si populi hi annos imperantium sui calculi legibus subjecere, nihil istud mirum, quia ejus instituti exemplum praebent etiam Alexandrini, tum et Caesarenses Cappadociae, aliique, verum

istud singulare, quod subinde et trib. potestatem, cujus, ut paullo altius dixi, mentio formulae ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. successit, in autumno iteravere, de quo paradoxo copiose olim agam in moneta Trajani. Quo confirmatur, formulas ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ, et ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ. ΕΞΟΥΣΙΑΣ eodem apud has gentes loco fuisse.

III.

De patria horum numorum, et typis.

Si lubet sequi auctorem Belleyum, haec de horum patria numorum habeto: Tyrum arguit clava, Seleuciam Syriae fulmen, Caesaream, aut forte Sebasten, Palaestinae urbes, modius spicis refertus, Salamina Cypri signum Iovis, Paphum templum Veneris Paphiae, Caesaream Cappadociae mons Argaeus. Haec ille in laudata principio dissertatione p. 466. At ego aliam eorum patriam non agnosco praeter Antiochiam Syriae, Cyprum, Caesaream Cappadociae. De singulis pauca.

ANTIOCHIA SYRIAE. Huc pertinent omnes, qui aquilam expansis alis seu fulmini, seu clavae, seu basi insistentem, adstituto plerumque palmae ramo, exhibent, aut cum eadem aquila in partem anticam trajicitur, infra Augusti caput collocata. Quam causam qui plenius nosse cupit, in quaeso totam seriem tetradrachmorum Antiochenorum, quam in horum moneta proposui, sequatur. Saepe offenderunt artis nostrae studiosi, cum ex sigillis minutis, illisque arbitrariis et vagis, qualia sunt clava, astrum, spica etc., eorum se patriam posse elicere speraverunt.

CYPRVS. Huic insulae jure tribuuntur, qui typos habent Cyprios, videlicet templum Veneris Paphiae, et Iovem stantem eo cultu, quo is fingitur in numo ex descriptis X. Hunc Iovem esse Capitolinum, perperam adseruere Seguinus [a]), et Spanhemius [b]). Quanta enim spectato cultu utriusque Iovis differentia! Melius Vaillantius Iovem Salaminium dixit, nulla tamen addita causa [c]), sed quam suppeditat Ammianus [d]): *Salamis, et Paphus, altera Iovis delubris, altera Veneris templo insignis.*

CAESAREA CAPPADOCIAE. Huc pertinere eos, qui montem Argaeum exhibent, disputatione non eget.

IV.

De metallo, et pondere horum numorum.

Alium hujus classis, nisi argenteum non reperit Belleyus, dempto uno Decii Anazarbeno, qui aeneus est. Sed neque hic legem infringit; nam eum ad hanc classem non pertinere, supra §. I. docui. Licuit tamen mihi reperire aeneum, quem in Vespasiano postremum proposui, et quem huic classi socian-

a) Sel. num. p. 144. b) Caess. Iulian. p. 62. c) Num. praest. T. II. p. 95. d) L. XIV. c. 8.

dum, etsi in multis a reliquis differat, satis, ut opinor, comprobavi.

Qui capita Augustorum offerunt, pondere sunt tetradrachma, at qui capita habent Titi, et Domitiani adhuc Caesarum, didrachma sunt, quo instituto habitam dignitatis rationem jure conjicit Belleyus.

SECTIO XI.

DE MENSIBVS, ET DIEBVS.

Non annos modo, sed et menses, quin dies quoque in veterum monumentis notatos reperimus. Horum pauca ut commemorem, habemus apud Peyssonelum [a]): ΠΡΟ. ΠЄΝΤЄ. ΚΑΛΑΝΔΩΝ. ΜΑΡΤΙΩΝ comparatum cum ΜΗΝΟϹ. ΔЄϹΙΟΥ. ΤЄΤΑΡΤΗ. Apud eundem [b]): ΜΗΝΟϹ. ΑΥΔΥΝΑΙΟΥ. ΤΡΙϹ. ΚΑΙ. ΔЄΚΑΤΗ. In noto monumento Agliboli, et Malachbeli praeter annum epochae ΖΜΦ. legitur ΜΗΝΟϹ. ΠЄΡΙΤΙΟΥ [c]). Ad numos quod attinet, deum Mensem saepe in numis Asiae minoris expressum habemus, adstituto etiam vocabulo MENSIS in numis coloniae Antiochiae Pisidiae. Menses ipsos, eosque Macedonicos, habemus in tetradrachmis regum Parthiae adscripto etiam in nonnullis ΜΗΝΟϹ, *mense*, quod indicasse satis esto, ne jam dicta rursus obtrudam. Praeter hos mensium mentionem in numis non reperi, atque etiam qui reperti sunt, ad chronologiam nihil conferunt.

Dies in Graecorum moneta reticentur. Ex numis Romanorum notus denarius Bruti, cujus aversa inscribitur; EID*us* MAR*tiae*, seu dies XV. Martii V. C. 710, quo a conjuratis interfectus est Caesar dictator.

a) Voyage p. 346. b) pag. 277. c) Mus. Capitol. T. IV. p. 96.

CAPVT XXI.

DE FESTIS AC LVDIS.

Agimus hoc capite de ludis, studiorum genere, quo aliud nullum Graeci pertinaciore conatu, malim rabie, excoluere, si belli artes, et civiles contentiones demas. Atque istud de antiquissima etiam Graecia intelligendum; tam enim in hac vetustus eorum usus, ut, quod fieri amat in institutis, quorum exordia ignoramus, eorum auctores aut dii, aut, qui proxime deos essent, heroes putarentur. Neque mirum, ad haec exercitia ardentius inflammatos eorum animos, quos suis natura donis ad certaminum periculum liberalius instruxerat, quando nihil erat sive praemiorum, sive honorum, quod in arena victoribus negaretur. Parum enim pro dignitate videbantur honorati, si publica praeconis voce victores renunciati, auferrent praemia in singulis ludis ex vetere instituto proposita, nisi et statuis et perennibus poetarum carminibus donarentur, cujus generis sunt Pindari epinicia, reduces vero in patriam ab effusa ad spectaculum multitudine communi gratulatione, itinere floribus constrato, accensis odoribus, caesis etiam non raro victimis exciperentur, decreto insuper publico in prytaneo victu, et a muniis publicis immunitate. Quod quidem institutum quicunque aequo reputat animo, fateri mecum cogetur, nimios hercle fuisse honores decretos pugilibus et aurigis, majores sane, quam quantos Miltiadi, Themistocli, aliisque summis libertatis Graecae vindicibus publice delatos constat, et plus indultum voluptati, et spectaculorum levitati, quam istud expedire reipublicae et communi saluti videretur. Enimvero aureum est Euripidis monitum, quod ex deperdita ejus fabula Autolyco conservavit Athenaeus [a]), inutiles has Graecorum voluptates gravi censura notantis; ecquid, inquid, feliciter luctatus, ecquid pedum celeritate pernix, aut discum in sublime jactans, aut malas feriens probe, coronamque

a) L. X. c. 2.

his adeptus, patriae suae civitatique prodest? An vero pugnaturi sunt cum hostibus discos manibus jactantes? aut citato cum clypeis cursu hostem patria exigent? Sic sane nemo delirat, qui in acie prope stetit. Aequum igitur, inquit, sapientes homines atque bonos foliis coronari, et si quis civitatem optime regit, temperatus ac justus vir, qui oratione sua prava facinora submovet, rixas et seditiones compescit; haec scilicet sunt et toti civitati decora, et universae Graeciae. At his multo est mirabilius, quod hunc suum in ludos publicos furorem in religiosis quoque caerimoniis, quibusque numina aut observarent, aut placarent, putavere. Praeclare hanc aequalium suorum vesaniam exagitat Philo Iudaeus. Cave, inquit [a]), sacra putes certamina, quae instaurant tertio quoque anno civitates quaedam condentes theatra, quae multa millia hominum recipiunt. In his enim aut luctator adversarium pronum supinumve sternens, aut pancratiasta validus a nulla vi vel laesione sibi temperans primam laudem occupat. Nec desunt, ait, qui utroque pugno in caput faciemque involant, et his probe contusis in cetera quoque membra saeviunt; ubicunque autem plagas inferunt, mutilant, et post haec tam immania coronas, praemiaque petunt. Nam reliqua certamina cursorum, quinquertionumque nemo sapiens non rideat, hoc agentium, ut saltus sit quam longissimus, quos non solum grandiores animantes, cervus aut caprea, sed vel minimus catellus aut lepusculus a tergo relinquet. Iure igitur arguit sanior his recutitus noster, his ex certaminibus nullum prorsus sacrum esse. Nam ipsi, inquit, talium admiratores leges tulerunt contra vim, et in corpus saevientibus poenas constituerunt. Et quo modo aequum videri potest, ut, qui ulciscuntur factas privatim injurias, nec impunitas sinunt, iidem in celebritatibus, tantaque spectatorum frequentia coronas talium facinorum patratoribus, et alia quaedam per praeconem statuant praemia? Haec, atque his plura Philo laudatus.

Atque haec quidem ludorum insania jam Euripidis aevo excedere modum visa tamen comparata cum illa, quae serius invaluit, ferri utcunque potuit. Etenim veteri illi, suique adhuc juris Graeciae, qualis ejus poetae aetate exstitit, nunquam defuere negotia seria, sive cum externus hostis urgeret, sive vicinorum aemulatio metum injiceret, sive dissidia forensia, mutuumque odium civitatem distraherent. At vero Graeci in Romanorum servitutem prolapsi, cum jam iis nullam attingere reip. partem liceret, his sese certaminum ludicris penitus immersere, Romanis ipsis haec eorum studia adprobantibus, quod sic turbulenta Graecorum ingenia a rebus novandis, clandestinisque consiliis avertebantur. Numorum judicium si audimus, ludorum insania tanto subinde gravius incubuit, quanto desperatiores provinciarum res, propiusque perniciem fuere, nimirum ut averso a communibus malis animo quibus possent modis fastidium lenirent. Sane

a) de Agricult.

inde a Severo ludorum imagines, antehac infrequentes, obvium sunt in Graecorum numis argumentum, frequentissimae vero sub Valeriani et Gallieni imperio, nimirum fatiscentibus tum maxime provinciis. Quod cum apud animum meum reputo, Graecosque cum Romanis contendo, idem utrinque video mentis humanae iter ac progressum, utrosque mutato in pejus reip. statu in eadem denique avia compulsos. Constat populum Romanum stante rep. Circensibus moderate usum, nimirum quo adhuc tempore ad se pertinuerat regere comitia, sciscere leges aut antiquare, sancire foedera, reges aut imponere, aut dejicere. Continuo imperio ac negotiis omnibus ad unum delatis idem hic populus rerum arbiter, qui, ut verbis Iuvenalis utar [a]), dabat olim,

Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
Continet, atque duas tantum res anxius optat
Panem, et Circenses.

Enimvero quo tempore, barbaris imperium undique prementibus, adversum hos consilia omnia erant conferenda, idem hic populus acrioribus studiis causas factionis prasinae, russatae, venetae, albae disceptavit, quam olim de exigendo Italia Hannibale disceptatum fuit. Insani ejus adfectus testimonium praebet numerosa veteris monetae classis, quam *Contorniatorum* appellamus, nullo fere alio, praeterquam spectaculorum argumento insignis. Verum haec disputatio alterius est loci, alieni certe a causis operis, quas nobis principio praefiximus.

Vetustissimi in Graecia, famaque per orbem celeberrimi ludi fuere quatuor, quae commemorat notum epigramma Archiae additis eorum praemiis:

Τεσσαρες ἐισιν ἀγωνες ἀν' Ελλαδα, τεσσαρες ἱροι,
'Οι δυο μεν θνητων, ὁι δυο δ' ἀθανατων.
Ζηνος, Λητοϊδαο, Παλαιμονος, Αρχεμοροιο,
Αθλα δε των κοτινος, μηλα, σελινα, πιτυς.

Quatuor sunt ludi per Graeciam, quatuor sacri,
Duo quidem mortalium, duo vero immortalium.
Iovis, Apollinis, Palaemonis, Archemori,
Praemia vero horum olea, mala, apium, pinus.

Quos versus sic Latine reddidit Ausonius [b]):

Quatuor antiquos celebravit Achaia ludos,
Coelicolum duo sunt, et duo festa hominum.
Sacra Iovis, Phoebique, Palaemonis, Archemorique,
Serta quibus pinus, malus, oliva, apium.

Iovis certamina sunt Olympica, Apollinis Pythia, Palaemonis Isthmia, Arche-

a) Sat. X. v. 79. b) in Eclogario.

mori Nemea. Principio certus his agendis locus fuit adsignatus, et Olympica quidem acta sunt in Olympia Pisatide Elidis, Pythia apud Delphos, Isthmia in Isthmo Corinthiaco, Nemea in nemore prope Cleonas, quibus propter claritatem adde constituta serius Actia celebrata Nicopoli, et Capitolina Romae. At successu temporis eadem haec certamina in exteras quoque urbes fuere accita, eaque adeo, praecipue Olympia, Pythia, Actia, in copiosis earum numis exarata legimus. Causa similis appellationis fuit, quod civitates domesticos suos ludos ad exemplum veterum illorum Graeciae certaminum conformaverant. Atque in hoc quidem sensu capienda mihi videntur vocabula: ΕΝ. ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ. ΙΣΑΚΤΙΟΝ, et ΕΝ. ΤΑΡΣΩ. ΙΣΟΛΥΜΠΙΟΝ, memorata in marmore Chandleri [a], iterum ΙΣΟΛΥΜΠΙΑ in marmore Neapolitano, quod exhibet Corsinus [b]. Existimat eruditus hic vir, composito hoc nomine intelligenda ΙΣελαςικα ΟΛΥΜΠΙΑ, malim asserere, esse compositum ex ΙΣος, *aequalis*, *similis*, et indicare, certamina Actia celebrata Caesareae, et Olympia acta Tarsi similis esse naturae, cujus sunt Actia Nicopolis, et Olympia Elidis, unde sumptum exemplum, eodem nimirum modo, quo Graeci dicunt ἰσάνεμος, *vento velocitate similis*, ἰσότροπος, *qui similibus est moribus*. Neque vero quis existimet, vocabulum ἰσολύμπιος, etsi ad lexica nostra Graeca nondum diverterit, in solis tantum his marmoribus habitare, neque ab alio quopiam scriptore vetere hospitio exceptum. Illo sane usum video Philonem Iudaeum, cum significare rem non quidem eandem, sed plane similem voluit. Agens enim de honoribus Augusto decretis hoc refert [c]: πασα ἡ οἰκεμενη τας ΙΣΟΛΥΜΠΙΟΥΣ αὐτῳ τιμας ἐψηφισατο, *universus orbis honores ei coelestibus similes decrevit*. Quo modo etiam Constantinus M. Graecis Christianis dictus fuit ἰσαπόστολος, *Apostolis par*, quia horum imitatus fervorem Christianam fidem propagavit. Ceterum non raro, cur ludi quidam privati dicerentur Olympia, una causa fuit, quod illi ad modum Olympiorum quinto quovis anno recurrente celebrari sunt soliti, ut dicetur infra, ubi de Olympiis agemus.

Animadvertendum praeterea, cum in uno eodemque numo vel marmore plura coacervantur ludorum nomina, nequaquam intelligendos ludos multiplicatos, sed unum, eumque alienis titulis turgidum, quod jam etiam videre Isselinus [d] Corsinus [e] ac Spanhemius, quo is loco conjuncta in Ancyrae numis nomina ΑϹΚΛΗΠΙΑ. ϹΩΤΗΡΕΙΑ. ΙϹΘμια. ΠΥΘΙΑ. ad sola Ancyrae Asclepia, quae simul et Isthmia et Pythia dicerentur, referenda contendit [f]. Addo argumenta alia ex monumentis petita. Legitur in numis Coloniae Laodiceae Syriae ANTONINIANA. PVTI. (id est: *Pythia*) typo duorum Centaurorum vas malis refertum tenentium;

---

a) Inscr. ant. p. 92. VI. b) diss. agon. in Isth. §. XIV. c) legat. ad Cajum Vol. II. edit. Mangey pag. 567. d) B. L. hist. T. V. p. 283. e) Diss. Agon. in Isthm. §. XIV. f) Ep. I. ad Morell. §. 3.

item in marmore Chandleri [a]): EN. ΛΑΟΔΙΚΕΙΑ. ΤΗ. ΠΑΤΡΙΔΙ. ΜΟΥ. ΠΥΘΙΑΔΙ. ΠΡΩΤΗ. ΑΧΘΕΙΣΗ. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΝ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΟΝ. *Laodiceae in patria mea, Pythiade, quae prima agebatur, Oecumenicum Antoninianum.* Ex quo apparet, Antoniniana Laodicena dicta Pythia, quod horum more secundum Pythiades numerabantur, et quod eorum praemia essent mala perinde atque Pythiorum, ut in his docebitur. In numis Philippopolis Thraciae legitur: ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΙΑ typo urnae ludorum additis malis, quae peristasis indicat, certamina haec Alexandrea, saltem spectatis praemiis, fuisse Pythia, ut revera in numis ejus urbis similibus aliis saepe praeterea additur vocabulum ΠΥΘΙΑ. Atque eodem modo interpretare CЄΥΗΡЄΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. vel: ΗΡΑΚΛΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. vel: ΑΚΤΙΑ. ΠΥΘΙΑ. ΦΙΛΑΔЄΛΦЄΙΑ. et similia copiosa alia. Ceterum vera adjectorum magnorum nominum causa fuit perspecta ejus aetatis libido venandi canoros titulos et magnificas appellationes, quod fieri semper amat, cum verae solidaeque causae desunt. Nimirum ut parum sibi laudati videbantur Nicaeenses, si viri tantum boni probique putarentur et essent, nisi etiam se nominibus *ἀϱιςων μεγιςων, optimorum, maximorum*, quae proprie Iovis fuerunt, efferrent, ut sexcenta alia ejusdem vanitatis exempla praeteream, ita passim civitates Graecae parum honoratos credidere ludos suos, si eos privatis suis nominibus appellarent, neque adderent illustria nomina Olympiorum, Pythiorum, Actiorum etc.

Iam et expedienda veniunt, quae ad inscriptiones typosque pertinent. Ad illas quod attinet, ludorum nomina communiter in A exeunt, ut: ΟΛΥΜΠΙΑ. ΚΑΒЄΙΡΙΑ. etc. quae quidem ratio enunciandi ludos festaque est pervetus. Etenim Herodotus, quo loco Ionum festum Neptuno Heliconio dicatum describit, sic ait: *ἐς την (ἀκϱην) συλλεγομενοι ἀπο των πολιων Ιὠνες ἀγεσκον ὁϱτην, τῃ ἐϑεντο ȣνομα Πανιωνια. Πεπονϑασι δε ȣτι μȣναι ἁι Ιωνων ὁϱται τȣτο, ἀλλα και Ελληνων παντων ὁμοιως πασαι ἐς τωϋτο γϱαμμα τελευτωσαι, καταπεϱ των Πεϱσεων τα ȣνοματα. Ad hoc* promontorium *collecti ex urbibus Iones festum agunt, quod Panionia vocant. Accidit vero hoc non Ionum duntaxat festis, sed et similiter omnia omnium Graecorum festa in hanc literam desinunt, perinde atque Persarum nomina* [b]). Quae quidem lex deinceps etiam in Graecis valuit. Quare in numis Ancyrae Galatiae legitur: ΑΓΩΝ. ΙCΘμια ΠΥΘΙΑ. pro ΠΥΘΙΟC. et Dio Cassius loquens de Nerone, *ἀγωνα*, inquit, *πενταετηϱικον κατεςησατο*, ΝΕΡΩΝΕΙΑ *ἀυτον ὀνομασας, certamen quinquennale instituit, NERONIA illud appellans* [c]). Quam quidem phrasin planissime imitatos fuisse Latinos, copiosis, optimaeque notae testimoniis potest demonstrari. En ex innumeris aliquot exempla. Ovidius de Apolline [d]):

---

a) Inscr. ant. p. 92. VI. b) L. I. c. 148. c) L. LXI. §. 21. d) Metam. L. I. v. 446.

Instituit sacros celebri certamine ludos
PYTHIA, de domitae serpentis nomine dictos.

Suetonius de Nerone [a]): *Instituit et quinquennale certamen, quod appellavit NERONIA.* Ante omnes vero audiendus Quinctilianus [b]): *Quaedam, ait, faciem soloecismi habent, et dici vitiosa non possunt, ut tragoedia Thyestis, et LVDI FLORALIA et MEGALESIA, quanquam haec sequenti tempore interciderunt, nunquam aliter a veteribus dicta.*

Denique una adhuc formula in numis valuit: ΙΕΡΟϹ. addito vel suppresso ΑΓΩΝ. id est: *sacrum certamen.* Sic: ΙΕΡΟϹ. intra lauream, in numo Commodi, Anazarbi Ciliciae. (Vaill.) ΙΕΡΟϹ. ΑΤΤΑΛΕΩΝ. ΟΛΥΜΠΙΟϹ. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟϹ. intra coronam, in numo Salonini, Attaliae Pamphyliae. (Mus. Pisani.) ΙΕΡΟϹ. Vrna ludorum inter duas taedas ignitas, in numis Diadumeniani et Elagabali, Castabalorum Cappadociae. (Vaill.) ΙΕΡΟϹ. ΠΥΘΙΑ. Mensa cum urna, in numo Gallieni, Pergae Pamphyliae. (Vaill.) ΙΕΡΟϹ. addito in aliis: ΠΥΘΙΟϹ. ΜΥϹΤΙΚΟϹ. etc. in numis Philippi et Valeriani, Sides Pamphyliae. (Vaill.) ΠΑΝΙΩΝΙΟϹ. in autonomo Smyrnae. (Mus. Caes.) Suppressum in his vocabulum ΑΓΩΝ, numi item demonstrant. Eccos: ΙΕΡΟϹ. ΑΓΩΝ. Vrna, in numo Commodi, (Vaill.) ΑΓΩΝΕϹ. ΙΕΡΟΙ. Tres urnae, in numo Gallieni. (Pellerin.) ΙΕΡΟϹ. ΑΓΩΝ. ΠΥΘΙΑ. Tres urnae, in numo Valeriani sen. (Arigoni.) Sunt omnes Nicaeae Bithyniae. ΑΓΩΝ. ΑΝΤΟΝΙΝΙΑΝ. inscriptum clypeo, quem mulier turrita rupi insidens tenet. (Pellerin Rec. I. p. XV.) Hanc formulam numi Latini Heliopolis Coelesyriae et Sidonis Phoeniciae reddunt SACRVM. CERTAMEN., quos vide descriptos infra in *Iselasticis.* Sacri autem dicebantur ludi, quia in honorem deorum, aut qui diis suppares habiti sunt, heroum et Augustorum agebantur, tum etiam quia ad quatuor principum Graeciae certaminum modum agi consuevere, quae vulgo sacra dicebantur, unde passim victores *hieronicae* appellati.

Typi in his ludorum numis sueti sunt: Vrna, vel crater unus aut plures, quibus proposita in ludis praemia indicantur, dicta Graecis ἆθλα, βραβεια, νικητηρια, quin et vocabulum ΑΘΛΑ in praestantibus numis Syracusarum juxta πανοπλιαν scriptum legitur, ut dictum in earum moneta. Frequens apud veteres mentio, cessisse hieronicis in victoriae praemium crateras, amphoras, hydrias, lebetes etc. quorum testimonia studiose collegit Spanhemius [c]), quo loco comprobat etiam, craterem saepe in medio panegyrios fuisse constitutum e quo diis agonum praesidibus libarent athletae decertaturi. Crateri unus, pluresve etiam palmae rami inserti conspiciuntur. Isthoc nullus alius certior fuit apud veteres victoriae index, de qua re, etsi in vulgus nota, vide quae iterum undique congessit Spanhemius [d]). Adfert deinde articulo sequente [e]) rationem, cur, ut nonnunquam plures

a) cap. 12. b) instit. L. I. c. 5. c) ep. I. ad Morell. §. XI. et XII. d) l. c. §. XIII. e) §. XIV.

urnae, sic et non raro plures iis palmae rami inserti appareant. Nimirum, inquit, si v. g. duo sunt crateres, hi indicabunt totidem agonas, quemadmodum totidem numero crateres in numis Ancyrae, quos ibi citat, indicant ΙϹΘμια et ΠΤΘΙΑ juxta scripta. Insertae illis palmae, ut singulae generatim victoriae sunt indices, sic multiplicatae variorum certaminum in uno eodemque agone constitutorum indicant praemia, ceu pugilatus, luctae, cursus etc. Quid quod et prima, secunda, tertia praemia, Graecis πρωτα, δευτερεια, τριτα, quorum in variis ludis secundum veterum testimonia fuit usus, multiplicatis his palmis possunt notari. Haec Spanhemius. At vereor, ut his ejus dictatis tuto stari possit. Video enim, admodum esse difficile, ac saltem arbitrarium plane, secundum has leges urnarum palmarumve numerum, quem numi hi offerunt, explicare. Esto, hos illosve numos his sese legibus adcommodare, at sunt alii, in quibus ludorum inscriptorum numerus minus apte cum numero craterum potest componi, ut adeo res ad conjecturas denuo redeat, quas advocent, qui volent. Typus alter, et hic quoque frequens, neque in numis solum, sed et marmoribus, est corona, de qua disserere plura non attinet, cum res sit pervulgata, victores coronari solitos, et quidem corona variae ex recepto ludorum instituto naturae, quo de argumento multa praecepere auctores rei agonisticae. Typus alius non infrequens est templum, nempe ejus dei, in cujus honorem acti ludi, pro quo in aliis ipsa dei imago proponitur. Sic concessit Augustus Pergamenis, ut in honorem templi suo honori dicati ludos instituerent [a]). Idem factum in honorem Commodi, dicetur infra in *Commodiana*. In numis Pythiorum testibus saepe finguntur mala, scilicet victorum praemia, ut infra in his monebimus. Typos alios singulares videsis in catalogo subjecto.

Ad ludos numis inscriptos propius ut accedamus, varia illi ex variis causis sortiti sunt nomina, I. *a Diis*, ut: Asclepia, Cabiria, Coraea, Dusaria, Helia, Heraclea, Pythia etc. Similium festorum jam catalogum dedit Iulius Pollux [b]). II. *a regibus*, ut: Alexandrea, Attalea. III. *ab imperatoribus:* ut: Caesarea, Augustea, Sebasmia, Commodiana, Gordiana etc. quin fuere etiam festa a provinciarum rectoribus appellata, sed quae in numis non nominantur, ut Mucia in Asia, Marcellea Syracusis, ac deinde praeclara illa Verrea, de quibus omnibus vide Ciceronem [c]). IV. *a loco*, ut: Actia, Isthmia, Nemea, Olympia, Capitolina, Ephesia, quibus adde: ЄΝ. ΚΟΔΡΙΓΑΙϹ. in numis Tarsi, et forte ЄΝΜΟΝΙΔЄΙΑ in numo Magnesiae Lydiae. V. *a modo*, ut: Arista, Hiera, Iselastica, Megala, Mystica, Oecumenica, Periodica. VI. *a facto quodam*, *aut peristasi*, ut: Epinicia, Philadelphea, Epidemia, Theogamia.

Sequens catalogus enumerabit I. festa ac ludos, quos Κοινȣ, id est: *Com-*

a) Dio L. LI. §. 20. b) Onom. L. I. c. 1. §. 37. c) in Verr. L. II. c. 21.

munis nomine egerunt provinciae, urbibus singulis sumptum facientibus. II. ordine alphabetico festa ac ludos, quorum speciatim nomina variarum urbium numi produnt. Vt illustrare singulos, quantum ad eorum intelligentiam necessarium duxero, non negligam, sic a verbosa earum ἐξηγήσει abstinere plane decrevi, quod harum partium studiosi jam fuere eruditi heortographi, ac praecipue Meursius in Graecia sua feriata. Vniversam vero ludorum Graecorum naturam, leges, instituta ne attingenda quidem putavi, quae qui cupiet, ex Petri Fabri opere immensi laboris petat, quod de re athletica, ludisque veterum inscribitur.

Denique tractatus hic Graecorum tantum festa ludosque complectetur, omissis iis, quos Romanorum numi memorant, Votivis, Cerialibus, Floralibus, Saecularibus, Quinquennalibus Neronianis, Circensibus.

§. I.

KOINON, COMMVNE.

ASIAE.

COM*mune* ASIAE. ROM*ae* ET. AVGVST*o*. *Templum* 6 *columnarum*, in argenteis Augusti, Claudii, Nervae Pergami Mysiae signatis, quos vide explicatos in numis Augusti ad annum V. C. 735.

KOINOT. ΑΣΙΑΣ. *intra quernam*, in numis Drusi jun. et Germanici Sardibus Lydiae signatis. (Vaill.)

KOINON. ACIAC. *Diana Ephesia*, in numo Ant. Pii Ephesio. (Vaill.)

ΠΡΩΤΑ. KOINA. ACIAC. *intra quernam*, in numis Severi, Maximini, Gordiani, Gallieni Smyrnae Ioniae cusis. (Vaill. num. Graec. p. 338.)

Asiae nomine in his numis intelligi partem Asiae minoris antea regibus Pergamenis subjectam, quam horum postremus Attalus Romanis testamento legavit, dictam deinceps vulgo provinciam Asiam, non est quod amplius moneam. Quae regiones hanc Asiam constituerint, dixi in tractatu de Cistophoris cap. IV. Has inter Galatia non fuit, quae post Dejotari et Amyntae mortem jubente Augusto cum Lycaonia conjuncta proprium habuit rectorem. Mirum adeo, a Communi Asiae erectum Augusto templum Ancyrae Galatiae teste Iosepho [a]), de quo lege disserentem Spanhemium [b]). Ludos communes Asiae per vices in variis ejus urbibus actos descripti hi numi docent, ut taceam urbes alias a marmoribus memoratas. Sed confer etiam, quae cum id genus numis connexa in magistratu *Asiarcha* supra pag. 207 diximus.

a) Ant. L. XVI. c. 6. p. 800. b) Epist. I. ad Morell. §. 18.

BITHYNIAE.

COM*mune* BIT*hyniae*, in aliis: KOINON. BЄIΘYNIAC. *Templum* 8 *columnarum*, in numis Hadriani et Sabinae, quos descripsimus in prolegomenis ad numos Bithyniae.

CAPPADOCIAE.

KOINOC. CЄYHPIOC. ΦIΛAΔЄΛΦIOC. *Argaeus mons inter duas urnas*, in numis Severi et Caracallae. Vide numos Caesareae Cappadociae.

CILICIAE.

KOINOC. KIΛIKIAC. subaudi: ἀγων. *Templum*, in numo Caracallae et Getae conjunctorum, scripto juxta: KOPOI. CЄBACTOI. Tarsi Ciliciae. (Pellerin Rec. III. p. 236.)

KOINON. KIΛIKIAC. *Templum*, in numis compluribus Tarsi inde ab Augusto. Vide hujus numos.

KOINON. TAPCOY. *Victoria stans cum genio urbis*, in numo Caracallae. (Vaill.) vel: *Corona*, *quam obsident octo capita varia*, *intus rami ludorum*, in autonomo. — KOINOC. TωN. TPIωN. ЄΠAPXIωN. *Commune trium provinciarum*, videlicet: Isauriae, Cariae, Lycaoniae. Vide numos hos omnes explicatos in moneta Tarsi.

CRETAE.

KOINON. KPHTΩN. inde a Tiberio usque ad M. Aurelium *cum variis typis*, quos vide in prolegomenis ad numos Cretae. Est etiam KOINON. KPHTΩN. in numo Gortynae cum capite Hadriani.

CYPRI.

KOINON. KYΠPIΩN. Fere unica in imperatoriis Cypri numis inscriptio. Vide numos hujus insulae.

CYRENAICAE.

KOINON. tantum. *Silphium*, in autonomo.

GALATIAE.

KOINON. ΓAΛATΩN. vel KOINON. ΓAΛATIAΣ. vel parcius KO. ΓA. typis *templi*, vel *Dei Mensis* etc. inde a Nerone usque ad Trajanum.

KOINON. CЄBACTHNΩN. *Templum*, in autonomo Sebastenorum Galatiae.

IONIAE.

KOINON. ΠANIΩNION. *Templum*.

KOINON. ΓI. ΠOΛЄΩN. *cum variis typis*. Vide numos hujus argumenti explicatos in prolegomenis ad numos Ioniae.

KOINON. ЄΦЄCIΩN. *Diana venatrix*, in numo Hadriani Ephesio. (Vaill.)

KOINON. ЄΦЄCIΩN. KAI. AΛЄΞANΔPЄΩN. Mensa, supra quam urna cum palmis, in numo Caracallae. (Vaill.)

KOINON. MHTPOΠOΛЄITΩN. TΩN. ЄN. IΩNIA. *Iuppiter et Diana Ephesia*, in numo Saloninae Ephesio. (Harduin.)

LESBI.

KOINON. ΛЄCBIΩN. typo plerumque *templi*, in numis M. Aurelii et Commodi. (Vaill.)

LYCAONIAE.

KOIN. ΛYKA. vel: KOI. ΛYKAΩ-

NIAC. variis typis. Vide numos Iconii Lycaoniae.

MACEDONIAE.

KOINON. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. in numis inde a Caracalla, tum et in numis obviis cum capite Alexandri M. Caracallae aetate cusis, quos vide in numis hujus regis, et in quibus saepe *templa*, *urnae*, *sacrificia* proponuntur.

PHOENICES.

KOINON. ΦΟΙΝΙΚΗC. *Templum*, in numo Caracallae. (Vaill.) — KOINOT. ΦΟΙΝΙΚΗC. *Templum*, in autonomo. (Pellerin.)

PHRYGIAE.

KOINON. ΦΡΤΓΙΑΣ. *typis variis* in numis Apameae cum capite Neronis, Vespasiani, Caracallae. (Pellerin, Vaill.)

PONTI.

KOINON. NEOKAIC. MHTPO. *Templum*, vel *figura stans cum urna*, in numis Neocaesareae inde a M. Aurelio. (Vaill.) — KOINον ΠΟντυ NEOKAIC. MHT. *Templum*, in numo Getae ejusdem urbis. (Pellerin Mel. II. p. 165.)

SYRIAE.

KOINON. CTPIAC. *Caput muliebre turritum*, in numo Trajani. — *Caput Domnae*, in numo Caracallae. (Vaill.) Nomen urbis non additur.

THESSALIAE.

KOINON. ΘΕCCΑΛΩΝ. typis *Palladis* vel *Victoriae*, in numis obviis variorum imperatorum. (Vaill.)

THRACIAE.

KOINON. BTZANTIΩN. *in laurea.* In numo Byzantii cum capite Augusti. (Vaill.)

* * *

KOINON Graecis fuit societas hominum, boni communis utilitatisque sive parandae sive tuendae causa ex foedere, consensu, aut varii generis instituto unita, qua de causa respublicae quoque, populi ac civitates dictae fuere κοινα. Latini κοινον dixere *Commune;* sic habemus apud Ciceronem in Verrinis *commune Siciliae*, *Milyadum* etc. quod et confirmatur in numis utriusque linguae supra citatis: KOINON. ΑΣΙΑΣ. et COM*mune* ASIAE. Fuere etiam dicta Κοινα conventus publici totius gentis in certo quodam loco ob quamcunque causam acti. In his principio agebantur res, quae bonum, ac salutem publicam spectabant, tum et pro universa gente sacrificia diis offerebantur. Ob has causas constitutum celebre Panionium, seu conventus XII. serius XIII. Ioniae urbium originis antiquissimae, de quo saepe Herodotus et Strabo, quorum testimonia citavi in numis Ioniae; quibus adde conventus Panachaeorum, de quibus multa Polybius, tum et conventus et fora civitatum Asiae, de quibus Plinius. Praeclare huc facit oratio Strabonis horum causam et originem conventuum in genere explicans [a]): ἡ μεν ἐν ἐπινοια

a) L. IX. p. m. 642.

αὐτῃ της τε των πολεων κτισεως, και της των κοινων ἱερων ἐκτιμησεως. Και γαρ κατα πολεις συνῄεσαν, και κατα ἐθνος φυσικως κοινωνικοι ὀντες, και ἁμα της παρ' ἀλληλων χρειας χαριν, και εἰς τα ἱερα τα κοινα ἀπηντων δια τας ἀυτας ἀιτιας, ἑορτας και πανηγυρεις συντελϑντες. *Hoc ergo modo intelligitur, quomodo et urbes conditae fuerint, et communia sacra suam nacta sint existimationem; etenim et civitates inter se, et gentes conveniebant, cum natura ad communionem factae, tum utilitatum invicem percipiendarum gratia, iisdemque de causis et ad sacrificia communia, festosque dies et solennitates celebrandas coibant.* Exuti a Romanis libertate Graeci, cum in commune consulere inutile jam esset, veteres tamen suos conventus agere vellent, nihil jam habebant reliqui, quam ut omissa belli, pacis, foederum, libertatisque cura solennes hos congressus spectaculis ludicrisque impenderent. Quapropter nequaquam mirum, in his Κοινϑ numis plerumque eosdem reperiri typos, quibus insigniuntur illi, qui ludorum nomina inscripta praeferunt, quod confirmant et marmora, in quibus non raro memorantur ludi celebrati ἀπο τϑ κοινϑ cujuspiam populi, quale est marmor Lyttiorum Cretae apud Gruterum [a]), quod meminit ΙΕΡΟΥ. ΑΓΩΝΟϹ. ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΚΟΥ. ΤΟΥ. ΚΟΙΝΟΥ. ΤΩΝ. ΚΡΗΤΩΝ. *sacri certaminis quinquennalis Communis Cretensium.*

Major horum numorum pars provinciarum nomina inscribit, nimirum quod communia haec festa non ad unam tantum civitatem, sed communiter omnes pertinuere. Hinc ΚΟΙΝΟΝ. ΘΕΣΣΑΛΩΝ, vel ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ, vel ΚΡΗΤΩΝ. etc. Alia κοινα ex marmoribus collegit eruditus Van Dale [b]). Tamen etiam omisso provinciae nomine in nonnullis urbium tantum nomina exarantur, ut: ΚΟΙΝΟΝ. ΤΑΡϹΟΥ. — ЄΦЄϹΙΩΝ. — ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ, cujus causa duplex esse potest, sive quod in his urbibus, metropoleos vel primae honore gaudentibus, communes provinciae ludi acti, sive quod nonnunquam vocabulum ΚΟΙΝΟΝ non regionis, sed privatim commune urbis, omnesque ejus ordines indicat, quod comprobant numi Tarsi Ciliciae, in quibus non raro verbum ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ, *commune consilium*, reperitur, quod explicavimus in moneta hujus urbis. Singularis est numus supra sub *Ionia* descriptus, qui memorat Commune Ephesiorum et Alexandrinorum Aegypti. Videtur in hoc το ΚΟΙΝΟΝ idem significare, quod ΟΜΟΝΟΙΑ; nam in pluribus aliis numis habemus: ЄΦЄϹΙΩΝ. ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ, et videntur Ephesii cum Alexandrinis societatem iniisse, ludos communi consilio celebrandi sive in honorem Caracallae, sive cujuspiam numinis. Quid quod adeo utrumque vocabulum ΚΟΙΝΟΝ. ΟΜΟ. conjunctum videmus in numo maximae formae Commodi cum epigraphe ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΚΑΙ. ЄΦЄϹΙΩΝ, qui est in museo Caesareo, et apud Bounarrotium [c]).

---

a) pag. 1094. 5. b) Diss. III. p. 291. c) Osserv. istor. p. 124.

§. II.

Catalogus festorum, ludorumque.

ACTIA.

AKTIA. inscriptum *urnae ludorum*. Saloninae. *Ancyrae Galatiae.* (Vaill.) AKTIA *intra lauream*, *Hierapolis Phrygiae.*

AKTIA. ΔΟΥCAPIA. *intra coronam.* Philippi. *Bostrae Arabiae.* (Mus. Caes.) *Coloniae Germes Galatiae.* Vide hujus numos.

AKTIA. KAICAPIA. *intra quernam.* Philippi. An *Damasci*, an *Tyri*, incertum, ut notavi in numis utriusque urbis.

A solitarium *intra coronam*, in numis L. Aelii, et Ant. Pii, in aliis AKTIA nullo addito urbis nomine. Similes numos esse Nicopolis Epiri, verisimile statui in hujus urbis numis.

AKTIA. ΠΥΘΙΑ. *Vrna ludorum*, Caracallae. *Nicomediae Bith.* (Vaill.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. A. quae litera Vaillantio Ακτια notat. Valeriani sen. *Pergami Mysiae.* (Vaill.)

AKTIA. ΠΥΘΙΑ. *Mensa cum duabus urnis*, *infra vas et mala.* Severi — *Duo templa cum totidem urnis.* Severi, Caracallae. (Vaill.) Numi alii utrisque addunt ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. de quibus infra. *Perinthi Thraciae.*

KOPAIA. AKTIA. Typus ad Coraea pertinet, de quibus infra. *Sardium Lydiae.* — AYΓΟΥCTIA. AKTIA. *Tarsi.* Vide infra in *Coraea.*

AKTIA. ΠΥΘΙΑ. *Cabirus malleum tenens coronam porrigit athletae.* Philippi sen. *Thessalonicae Maced.* (Vaill.)

AKTIA. ЄPAKΛ. *Mensa cum duabus urnis*, Caracallae, Otaciliae, Saloninae. *Tyri coloniae.*

Actium Acarnaniae promontorium adstituta urbe cognomine et imposito Apollinis templo veteris famae. Si fides Stephano [a]), jam olim hic certamen triennale in Apollinis honorem fuit constitutum, ad quod adlusit Virgilius, dum illud ab Aenea sociisque huc advectis actum cecinit: *Actiaque Iliacis celebramus littora ludis* [b]), nisi forte προληπτικως, ut saepe alias, intellexit ludos Augusteos. Victo ad hoc Actium M. Antonio et Cleopatra Augustus in contermina Epiro urbem aedificavit, et causa victoriae Nicopolin appellavit, constitutis ibi ludis quinquennalibus, certamine musico, gymnico, equestri, de quo vide Suetonium et Dionem. Atque haec victoria cum quoddam esset imperii fundamentum, communi gratulatione a Graecis est accepta iisdem ludis in urbes suas invectis, stabilita etiam a nonnullis aera Actiaca, de

a) in Ακτια. b) Aen. III. 280.

qua agimus alibi. Ludi ipsi per typos, ut vidimus, nimium generales nihil lucis accipiunt, redduntque.

AGONOTHESIA.

ΑΓΩΝΟΘΕΣΙΑ. *Caput muliebre.* Ꭓ ΑΝΤωνιος ΚΑΙσαρ. *intra lauream.* AE. II. (Pellerin Rec. III. pag. XXIX. et 131.)

Numus urbis nomen dissimulat, sed probabile est cusum Thessalonicae Macedoniae, ut in hac observavimus. Memorandum in hoc vocabulum ΑΓΩΝΟΘΕΣΙΑ in nullo alio numo conspicuum. Significat illud *certaminis constitutionem*, atque in hoc sensu usurpatum videas a Plutarcho [a]), Polluce [b]), et Strabone [c]). Denique et in Digestis legitur: *ἀγωνοθεσιαν suscipere, id est: constituendi designandique certaminis munus* [d]). Iudicavit Pellerinius, eo indicari certamina, et sic vocari, quod ab agonotheta essent edita. At tum opinor dicenda fuissent ΑΓΩΝΟΘΕΤΙΚΑ., cum ludorum nomina semper fuerint adjetiva. Etsi ergo vocabulum istud ex natura sua agonem certo respiciat, non tamen indicat ludos sic dictos cum ob causam allatam, tum quod ludorum hoc nomine nulla apud veteres exstat mentio. Vide infra similem difficultatem a vocabulo ΓΥΜΝΑCΙΑΡΧΙΑ objectam. Videntur Thessalonicenses hac inscriptione commendare voluisse studium suum in apparandis omnis generis festis, quibus M. Antonii, et Caesaris Octaviani victoriam de Bruto et Cassio relatam celebrarent.

ALEXANDREA.

ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΙΑ. *Mensa supra quam duae urnae.* Gordiani. *Byzantii Thraciae.* (Vaill.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΙΑ. *Mensa, super qua duae urnae.* In numo aeneo inscripto: ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚЄΔΟΝΩΝ. cum capite Alexandri M. (Spanheim T. I. p. 382.)

ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΙΑ. Vrna ludorum. Gordiani. *Odessi Thraciae.* (Vaill.)

ΚΟΙΝΟΝ. ΘΡΑΚΩΝ. ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΙΑ. juncto saepius ΠΥΘΙΑ. Typi varii: *Mensa cum urna, additis saepe pomis, etiam tum, cum sola Alexandrea memorantur, — Imperator paludatus stans d. globum cum aquila — Iuppiter Nicephorus sedens — Athleta nudus stans.* — In numis unius Caracallae. *Philippopolis Thraciae.* (Vaill.)

Dubitari nequit, inscripta his numis certamina Alexandrea in Alexandri M. honorem acta, cujus res gestae totum orbem admiratione implevere. Constat teste Lampridio [e]), adhuc Alexandri Severi aetate Arcae Phoeniciae fuisse diem Alexandro M. sacrum actum. Refert Strabo, prope Clazomenas Ioniae lucum fuisse huic regi dicatum, et sua adhuc aetate a communitate Ionum (*ἀπο τȣ κοινȣ των Ιωνων*) certamen *Ale-*

a) In Agesilao p. 607. C. et Sympos. L. VIII. §. 4. b) L. III. c. 30. sub init. c) L. VIII. p. m. 545. d) L. X. tit. II. §. 20. e) in Alex. Sev.

xandrea indici peragique solitum [a]). Quod in Ionia factum a communi Ionum, id ipsum constitutum in Thracia a communi Thracum, numi quarto loco positi enarrant, hoc uno discrimine, quod hi Thracum ludi Philippopoli celebrati nequaquam videntur fuisse perpetui, sed in Caracallae tantum gratiam acti: nam, ut dixi, cum hujus tantum capite similes exstant numi, et constat de ejus in hunc Macedoniae regem adfectu, de quo plura protuli testimonia in numis hujus Thraciae urbis, tum praecipue in moneta aenea Alexandri M. Ludorum Alexandreorum Byzantii et Odessi actorum non tam probabilis ratio dari potest. Videntur fuisse constituti in honorem Gordiani, quod is teste Capitolino Moesiam Thraciamque a barbarorum incursionibus vindicavit, et quoniam is tum bellum in Persas movit, solitis Graeculorum lenociniis aequiparatus fuerit Alexandro M. eandem olim aleam experto. Sane utraque haec Thraciae urbs unius Gordiani numis, quod hactenus constet, ludos Alexandrea inscripsit. Neque alia de causa puto ab iisdem Odessitis celebrata certamina Helia sub eodem Gordiano, quam ut huic Solem, ad cujus ortum bellum gesturus erat, propitium redderent.

ANTONINIANA.

ANTΩNЄINIA. CЄBACTA. *Mensa, supra quam duo vasa, intermedia urna ludorum, infra vas ansatum.* Caracallae. *Byzantii.* (Vaill.)

ANTΩNINIA. *Vrna, in cujus ventre* - - - (haud dubie CЄBACTA.) Elagabali. *Byzantii.* (Theupoli.)

ANTΩNЄINIA. addito in alio CЄBACTA. *Vrna.* Alex. Sev. *Byzantii.* (Vaill.)

ANTΩNEINIA. *Duo vasa quadrata palmis referta, et baculis fulta, circum quae 8 figurae discurrunt.* Caracallae. *Cyzici Mysiae.* (max. mod. reg. Gall.)

ANTONINIANA. PVTI. *Duo Centauri vas malis refertum una tenentes.* Carac. *Col. Laod. Syr.* (Belley.)

ANTΩNINIANA. in aliis ΔHMHTPIA. ANTΩNIA. *Vrna.* Elagabali. *Nicomediae Bith.* (Vaill. Mus. Caes.)

CЄTHPIA. AT. ANTΩNINI. KOPAIA. ATΓOTCTIA. AKTIA. *Mensa cum* 3 *urnis.* Valeriani. *Tarsi Cilic.* (Pellerin Rec. III. p. XLVII.)

AΓΩN. ANTΩNINIAN. *inscriptum clypeo, quem mulier turrita rupi insidens tenet,* Caracallae. *Tyanorum Cappad.* (Pellerin Rec. I. p. XV.)

Ludos *Antoniniana* nomen traxisse ab imperatoribus, qui Antonini vocati sunt, atque his eos fuisse sacros, suapte patet. Sic et videbimus Commodiana et Severiana. Numi, quos citavi, ad eos Antoninos sunt referendi, qui in sacrum istud nomen temere, nullo certe ad illud jure, involarunt, Caracallam intelligo, et Elagabalum, cujus causa et ludos in eorum honorem actos *Antoniniana* placuit appellare. At mirum, in Alexandri Severi numis ejusdem nominis ludos legi. Neque enim verisimile, tam caram fuisse Byzantiis aut Caracallae aut Elagabali memoriam,

a) L. XIV. p. m. 953.

ut post eorum quoque excessum constitutos eorum causa ludos continuarent, quemadmodum Tarsenses Severiana Valeriani adhuc aetate egerunt. Videtur igitur verisimile, ludos hos Alexandro fuisse sacros, dictos vero *Antoniniana*, adulationis causa, quod ipsi in Antonini nomen jus fuit, cum quod ab Antonino Elagabalo fuit adoptatus, tum quod vulgo Antonini Caracallae filius est habitus, ut dicetur in ejus numis. Typi in his numis sunt modi obvii demto Cyziceno, qui magis ex iconismo intelligi, quam verbis declarari potest. Verisimiliter is aliquem horum ludorum ritum repraesentat.

ARISTA.

ΑΤΓΟΤϹΤЄΙΑ. ΑΡΙϹΤΑ. ΟΛΤΜΠ. *Duae urnae.* Valeriani. *Thyatirae Lydiae.* (Vaill.)

Vocabulum ΑΡΙϹΤΑ, id est: *optima*, *praestantissima*, haud dubie ad praedicandam horum ludorum praestantiam additur, perinde atque in aliis additur ΜΕΓΑΛΑ, *Magna.*

ASCLEPIA.

ΑΣΚΛΑΠΙΑ. *Caput Cereris*, in autonomo *Agrigenti Siciliae.* (Hunter.)

ΑϹΚΛΗΠΙΑ. ϹΩΤΗΡЄΙΑ. ΙϹΘ. ΠΤΘΙΑ. *Duae urnae.* Caracallae. *Ancyrae Galatiae.* (Spanh. ep. I. ad Morell.)

ΑϹΚΛΗΠЄΙΑ. *intra lauream*, in autonomo *Epidauri Argolidos.* (Mus. Savorgnan.)

Fuere Asclepia ludi in Aesculapii honorem celebrati, ac primum quidem Epidauri Argolidos, dicti etiam Μεγαλασκληπιεια, antiquissimi sane, et magna frequentia acti, atque inde in alias urbes derivati, quae ejus dei cultum impensiore studio recepere, quas inter eminuit Pergamus Mysiae. Quae alia ad hos ludos pertinent, satis jam enarrata sunt a Graeciae feriatae scriptoribus, et post hos accuratius a Spanhemio in epistola I. ad Morellium p. 5. 46. 47. Vide etiam huc pertinentia infra in *Soteriis.*

ATTALEA.

ΑΤΤΑΛΗΑ. *Vrna ludorum*, in autonomo. (Pellerin.)

ΑΤΤΑΛΗΑ. ΓΟΡΔΙΑΝΗΑ. in simili autonomo. (Pellerin.)

ΑΤΤΑΛЄΙΑ. ΓΟΡΔΙΑΝЄΙΑ. ΚΑΠΙΤΩΛΙΑ. *Mensa cum urna.* Gordiani III. (Vaill.)

Sunt omnes *Aphrodisiadis Cariae.*

Attalus Pergami rex, frater ejus Eumenis, cui Romani ob navatam operam victo Antiocho Magno praeter insignes provincias alias cessere etiam Cariae partem, in qua sita Aphrodisias. Fratre vita functo ipse regnare aggressus insignium sane beneficiorum videtur Aphrodisiensibus auctor exstitisse, non tam quod ejus honori constituere ludos, quam quod, Romanis etiam subjecti, in Gordiani usque aetatem porrexere adfectum, quod citati numi profitentur.

AVGVSTEA *quae et* SEBASMIA.

Conjungo numos utroque modo in-

scriptos: nam ut Graeci dixere ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ et ΣΕΒΑΣΤΟΣ, sic et ludos dixere et ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ et ΣΕΒΑΣΜΙΑ, vel ΣΕΒΑΣΤΑ.

CEBACMIA. *intra quernam.* Maximi. *Anazarbi Ciliciae.* (Vaill.)

CEBACTA. *Imperator velatus, et Genius muliebris urbis stantes intermedia urna ludorum.* Alexandri Sev. *Byzantii.* (Mus. Caes.)

ΑΝΤΩΝΕΙΑ. CEBACTA. *Vrna.* Alex. Sev. *Byzantii.* (Vaill.)

ΑΥΓΟΥCTEIA. *Duae dexterae junctae intra coronam.* Gallieni. *Cadorum Phryg.* (Pellerin Suppl. I. p. 39.)

CEBACMIA. *intra quernam.* Elagab. et Alex. Sev. *Damasci Coelesyriae, atque etiam posteaquam colonia deducta est, frequenter inde a Philippis.*

KAICAPEA. CEBACTA. *Vrna.* Valeriani ejusque familiae. *Metropolis Phryg.* (Vaill.)

ΑΥΓΟΥCTIA. CEYHPIA. *Duae urnae.* Philippi sen. *Nicaeae Bith.* (Vaill.)

ΑΥΓΟΥCTIA. KAI. ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑ. *Capita Caracallae et Getae.* Domnae. *Nicaeae Bith.* (Vaill.)

ΑΥΓΟΥCTEIA. *Mensa, supra quam urna inter duo vasa.* Salonini. *Pergae Pamph.* (Vaill)

ΑΥΓΟΥCTEIA. ΠΥΘΙΑ. *intra coronam.* Caracallae. *Thyatirae Lyd.* (Mus. Caes.)

ΑΥΓΟΥCTEIA. APICTA. ΟΛΥΜΠ. *Duae urnae.* Valeriani. *Thyatirae Lydiae.* (Vaill.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. ΑΥΓΟΥCTEIA. ΠΥΘΙΑ. *inscriptum tribus coronis, addito:* ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΩΝ. CEBACTΩΝ. Caracallae. *Trallium Lyd.* (Mus. Caes.) Similem Pellerinius tribuit Elagabalo, sed perperam, ut adverti in numis hujus urbis.

Teste Suetonio a) Augusto Caesari provinciarum pleraeque super templa et aras ludos quoque quinquennales paene oppidatim constituerunt. Herodes M. exstructa ad mare Caesarea ludos ibi quinquennales fieri praecepit a Caesare Augusto appellatos b). De erecta Lugduni in Augusti honorem ara et templo, et stabilito ibi annuo festo agunt Suetonius c) et Dio d). CEBACTA. EN. ΝΕΑΠΟΛΙ, *Augustalia Neapoli* Campaniae memorat marmor Farnesianum e). Pergami Mysiae erectum templum Augusti, et scriptores testantur, et numi, quos exhibemus in ejus urbis moneta, actos vero ejus nomine ludos testatur marmor Oxoniense f) et mox citatum Farnesianum. Interim nequaquam certum, his Augusteis vel Sebastis ludis, quos descripsi, indicari semper ludos in Octaviani Augusti honorem institutos, cum Augusti titulus omnibus imperatoribus fuerit proprius, ludique his dedicati perinde potuerint dici *Augustea*, atque dicti fuere *Severea*, *Commodea* etc.

AVRELIA.

AY. ΑΝΤΩΝΙΝΙ. in numo Tarsi, quem citavi supra in *Antoninianis*, in quo το AY. explendum AY*ρηλια* ex nomine Aurelii Antonini.

---

a) in Aug c. 59. b) Ios. bell. Iud. L. I. c. 21. §. 8. c) in Claud. c. 2. d) L. LIV. §. 32. e) Gruter. p. 314. 1. f) p. 18. n. 7.

CABIRIA.

ΚΑΒΕΙΡΙΑ. *Vrna.* Gordiani. *Thessalonicae Macedoniae.* (Vaill.)

ΚΑΒΕΙΡΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. Φιλάδελφια. *Vrna*, in autonomo *Thessalonicae.* (Pellerin.)

De Cabirorum apud Thessalonicenses cultu egimus in horum numis. De ludis ipsis nihil amplius addimus, cum ex numis addi nihil possit, eorum autem modum abunde exposuerint Meursius in Graecia feriata, aliique.

CAESAREA.

ΑΚΤΙΑ. ΚΑΙΣΑΡΙΑ. *intra quernam.* Philippi. An *Damasci*, an *Tyri*, incertum, ut notavi in numis utriusque urbis.

ΚΑΙΣΑΡΕΑ. ΣΕΒΑΣΤΑ. *Vrna.* Otaciliae, Valeriani, Gallieni. *Metropolis Phryg.* (Vaill.)

ΚΕΣΑΡΕΙΑ. in numo Gordiani, *Thessalonicae*, in museo Theupoli, sed videtur corrigendum in ΚΑΒΕΙΡΕΙΑ.

ΚΛΑΥΔΙΑ. ΚΑΙΣΑΡΙΑ. Vide infra in Claudia.

CAESAREA. *intra coronam quernam*, in numo Iubae II.

Titulus captus ab nomine *Caesaris.* De eo idem sentiendum, quod de titulo *Augustea* diximus.

CAPITOLINA.

ΑΤΤΑΛΕΙΑ. ΓΟΡΔΙΑΝΕΙΑ. ΚΑΠΙΤΩΛΙΑ. *Mensa cum urna.* Gordiani. *Aphrodisiadis Cariae.* (Vaill.)

CERT. SACRV. CAPIT. OECV. ISEL. *Tres urnae.* Caracallae. — *Athleta nudus stans s. palmam*, vel: *Duae figurae sedentes urnam una tenent.* Valeriani. *Heliopolis Coeles.* (Vaill.)

Capitolini ludi primum Romae constituti a Furio Camillo, posteaquam Capitolium imminens a Senonibus exitium evasit [a]). His senescentibus illustriores alii inducti a Domitiano V. C. 839., quorum rationem legesque describunt Suetonius [b]), Censorinus [c]), Statius [d]). Vt Iovis Capitolini cultus in exteras provincias traductus est, testibus numis Antiochiae Cariae, in quibus: ΖΕΥΣ. ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΥΣ., et Aeliae Capitolinae Iudaeae, sic et ludi ejus nomine editi, quos citati numi profitentur.

CENDRESIA.

ΚΕΝΔΡΕΙΣΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Templum 8 columnarum.* Elagabali. *Philippopolis Thraciae.* (Mus. Caes. Vaill.)

Haec certamina cujus sint naturae ac instituti, nemo hactenus sobrie explicavit; dixi sobrie, sobrium enim non dixero explicatum, quem attulit Harduinus [e]) quemque referre piget. Cum festa haec in nullo alio veterum monumento memorentur, uni haud dubie Philippopoli fuere adfixa, neque ultra ejus fines pedem promovisse. Quis autem sperabit explicare se posse, quae-

a) Liv. V. 50. b) in Domit. c. 4. c) de die nat. c. 18. d) in Silv. e) opp. sell. p. 617.

cunque ad privatam singularum urbium religionem pertinuere?

CHRYSANTHINA.

ΧΡΥϹΑΝΘΙΝΑ, *Corona e floribus contexta*, vel: *urna*, vel: *mulier turrita stans et Caracalla paludatus, ara intermedia.* Inde a Severo frequenter. *Sardium Lydiae.* (Vaill.)

ϹЄΒΗΡЄΙΑ. ΧΡΥϹΑΝΘЄΙΑ. *Vir nudus adprehendens vas humi positum.* Severi. (Pellerin.)

Ludi hi, quod hucusque constet, in solis Sardibus valuere testibus numis, marmoribus, et scriptoribus. In marmore Oxoniensi: ΣΑΡΔΕΙΣ. ΧΡΥΣΑΝΘΙΝΟΝ. [a]) in Farnesiano: ΧΡΥϹΑΝΘΙΝΑ. ЄΝ. ϹΑΡΔЄϹΙ [b]). Eorum meminit etiam Martianus jurisconsultus [c]). *Cum erat*, inquit, *certa pecunia*, *id est: centum reip. Sardianorum relicta per quadriennium certaminis Chrysanthiani etc.* ut jam vidit ad hoc marmor eruditur Seldenus. Reliqua ad hos ludos spectantia ignorantur. Spectato nominis etymo videtur victori in praemium cessisse corona ex aureis foliis contexta, ut opinatus est Vaillantius, maluit Venutus coronam ex flore Chrysantho [d]).

CLAVDIA.

ΚΛΑΥΔΙΑ. ΚΑΙΣΑΡΙΑ. *intra coronam.* In numo Herodis regis Chalcidis. (Harduin num. Herod.) Verum hi ludi in falsa Harduini lectione nituntur. Nam in numo simili nitidissimo musei principis de Waldeck legitur ΚΛΑΥΔΙΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ., ut a me in hujus regis numis dictum.

COMMODIANA.

ΚΟΜΟΔЄΙΑ. *Templum* 4. *col.*, vel *urna.* Commodi. *Nicaeae Bith.* (Vaill.)

ΚΟΜΟΔЄΙΑ. *Templum* 10. *col.* — ΚΟΜΟΔЄΙΟϹ. ΟΙΚΟΥΜЄΝΙΚΟ. *Corona radiata.* Commodi. *Tarsi Cil.* (Vaill.)

Agon Commodi Aug. honori dicatus. Narrat Dio [e]), Nicomedenses per Saoterum civem suum impetrasse a senatu, ut celebrare certamen, et statuere Commodo templum liceret. Nequaquam dubium, vicinos Nicaeenses, illorum perpetuos aemulos, eundem sibi honorem a senatu extorsisse. Fuere etiam ΚΟΜΟΔЄΙΑ acta Pergami teste marmore Oxoniensi [f]). In marmore apud Chandlerum produntur ΗΡΑΚΛЄΙΑ. ΚΟΜΜΟΔЄΙΑ. [g]) tum et alia ΚΟΜΟΔЄΙΑ apud Gruterum [h]). Tarsi obita Commodiana tanto minus mirum, quod ea se Commodianam quoque in numis dixit. Eadem confirmat marmor Chandlerianum mox citatum: ЄΝ. ΤΑΡϹΩ. ΚΟΜΜΟΔЄΙΟΝ.

CORAEA.

ΚΟΡΑΙΑ. ΑΚΤΙΑ. *Proserpina capite tutulato, et velata tota sedens inter spicam et papaver.* Caracallae.

a) pag. 18. n. 7. b) Gruter p. 314. 1. c) L. 24. D. de annuis legatis. d) Mus. Albani T. I. p. 98. e) L. LXXII. §. 12. f) pag. 18. n. 7. g) inscr. ant. p. 93. h) pag. 317. 1.

Sardium Lydiae. (Pellerin Rec. III. p. 164.)

ϹЄΤΗΡΙΑ. ΑΤ. ΑΝΤΩΝΙΝΙ. ΚΟΡΑΙΑ. ΑΥΓΟΥϹΤΙΑ. ΑΚΤΙΑ. *Mensa, super qua tres urnae.* Valeriani. *Tarsi Cilic.* (Pellerin Rec. III. p. 260.)

Fuere ΚΟΡΑΙΑ festa instituta in honorem Proserpinae, quae Graecis Κορα dicebatur. Ea Meursio jam ex auctoribus fuerunt cognita, sed quibus flexione nonnihil varia dicebantur Κορεια. Proserpinam inter majora Sardium numina cultam, testantur copiosi earum numi hujus deae imagine insignes, tum et alia testimonia, quae collegit Belleyus [a]).

DEMETRIA.

ΔΗΜΗΤΡΙΑ. addito etiam ΑΝΤΩΝΙΑ. *Vrna.* Caracallae, Elagabali. *Nicomediae Bith.* (Vaill. Mus. Caes.)

ΔΗ. vel ΔΗΜΙ. in numis Tarsi, incertum, an ΔΗΜΗΤΡΙΑ. significent. Vide Vaill. in Graec. p. 333.

Demetria festa in Cereris honorem, quae Graecis Δημητηρ, maxima religione acta Eleusine in Attica. Latinis dicta Cerialia, quorum mentio in denariis gentis Memmiae. Fuit etiam Athenis festum eodem nomine, sed sic dictum a Demetrio Poliorcete. Vide Meursium. Demetria in priore sensu jure Nicomediae acta sunt, quod, ut reperit Vaillantius, ea urbs Cereris oppidum dicebatur, ut testatur Libanius in vita sua.

DIDYMEA.

ΔΙΔΥΜЄΙΑ. *intra coronam.* Valeriani, Galieni. *Mileti.* In binis numis apud Arigonium, quibus ducibus corrigenda falsa lectio Bandurii et Haymii, ut monui in numis Mileti Ioniae.

Ignotus hic agon eruditis heortographis, quod nulla saltem distincte apud veteres eorum fit mentio. At lodos Didymea actos fuisse Mileti in Apollinis Didymei honorem, docent numi praesentes, tum et marmor Oxoniense. De Apolline Didymeo vide quae dixi in moneta Mileti Ioniae.

DIONYSIA.

ΔΙΟΝΥϹΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Tres urnae.* Valeriani jun. *Nicaeae, Bith.* (Pellerin.)

Dionysia, notum Bacchi festum, vetere illo aevo, necdum noviciis inquinamentis corrupto, peracta vindemia inter nativas facetias, lususque innocuos actum. Addidit serior licentia mysteriorum infandos ritus, furorem, et promiscuam libidinem, neque jam contenta rure, urbes etiam infecit, de quo argumento vide Petrum Castellanum [b]), Matthaeum Aegyptium [c]), Panelium [d]), aliosque. Sed ab hoc festo, quod inter temulentiam, fanaticum furorem, et ineptam pompam obiri est solitum, diversa sane fuerint Dionysia numi praesentis, ex cujus typo, urnarum nempe, colligere licet, fuisse agonem ex solitis

---

a) B. L. Tom. XVIII. Mem. p. 135. b) de festis Graec. c) S. C. de Bacch. d) de Cistoph.

unum, in quo victoribus sua stabant proposita praemia, et fuisse sacrum Baccho, ut Demetria Cereri, Didymea Apollini, de quibus actum. Constituti autem huic deo a Nicaeensibus honores, quod is vulgo urbis suae conditor est habitus, testibus numis, quos suo loco dedimus.

DVSARIA.

ΔΟΥϹΑΡΙΑ. *Mensa, supra quam urna inter duas icunculas, sub mensa torcular*, Aemiliani. *Adraae Arabiae.* (Belley B. L. Tom. XXVI. p. 424.).

ΔΟΥSARIA. *Torcular intra coronam.* Decii. *Bostrae Arabiae.* (Pellerin Rec. III. p. XXXVIII.)

AKTIA. ΔΟΥϹΑΡΙΑ. *intra coronam.* Philippi. *Bostrae Arabiae.* (Mus. Caes.) Etruscillae. *Germes Galatiae.*

De his Dusariis Baccho sacris, et hoc nomine extra Arabiam ignotis vide, quae a nobis dicta jam sunt in numis Bostrae Arabiae.

ENMONIDEA.

ЄΝΜΟΝΙΔЄΙΑ. *intra coronam*, Alex. Sev. *Magnesiae Lydiae.* (Pellerin Rec. III. p. 121.)

Singulari hoc vocabulo, neque aliunde cognito Pellerinius indicari putat certi generis agonem a Magnetibus celebrari solitum, sed quam explicationem non satis esse probabilem, dixi in moneta hujus urbis addita conjectura alia, quam vide.

EPIDEMIA.

ЄΠΙΔΗΜΙΑ. Β. ϹЄΥΗΡЄΙΑ. *Triremis, desuper templum 8 columnarum.* Severi, *Perinthi Thraciae.* (Vaill. Theupoli.)

Vocabuli ΕΠΙΔΗΜΙΑ significationem, cum substantivum est, praeclare explicat Vlpianus [a]): *quas Graecia* ἐπιδημιας, *id est:* accessus ad urbem *appellat, sive* καταπλȣν, *id est:* adnavigationem. Atqui et alter hic modus habetur in numo Ephesi inscripto: ЄΦЄϹΙΩΝ. Α. ΚΑΤΑΠΛΟΥϹ. typo item navis. Vide numos Ephesi. Eodem sensu Callimachus dixit: τȣ Φοιβȣ ἐπιδημησαντος, *adventante Phoebo* [b]). Επιδημια opponitur ἀποδημια. In numis Latinis priori vocabulo respondet *adventus*, posteriori *profectio.* Causa ἐπιδημιας, seu adventus celebrata a veteribus festa ἐπιδημια, quorum unum referente Meursio fuit privatum, amico a peregrinatione feliciter domum reverso, alterum actum Delphis propter Apollinem ad hanc urbem adventantem. Reperio praeterea festum Επιδημιαν constitutum Byzantii teste marmore Chandleri [c]), in quo Orontes Olbiopolita publico Byzantiorum psephismate praeter causas alias laudatur etiam, quod ΠΑΡΑΓΙΝΟΜΕΝΟΣ. ΕΙΣ. ΤΑΝ. ΠΟΛΙΝ. ΣΕΜΝΩΣ. ΜΕΝ. ΠΡΟΕΣΤΑ. ΤΑΣ. ΕΠΙΔΑΜΙΑΣ. *adveniens in urbem graviter praefuit Epidemiae.* Non quidem explicat marmor, cujus generis fuerit hoc festum, aut cujus honori constitutum, discimus tamen, festum Epidemiam non in sola Perintho, sed et vicino Byzantio celebratum. In

a) L. I. tit. 16. de offic. procos. b) in Apoll. v. 13. c) inscr. ant. p. 95.

numo ergo praesente praedicantur certamina instituta in memoriam Severi maritimo itinere Perinthum appulsi, et quidem propter additum B secundo, qui tamen uterque adventus multo ante contigit, quam numus hic signatus est. Ejus enim aetas propter inscriptum Neocoratum II., ut observamus in ejus urbis moneta, in postremum Severi biennium dimovenda, quo is tempore in Britannia abfuit, neque adeo accedere Perinthum potuit. Praeclare in hoc numo typo templi indicantur certamina, typo triremis ipsa certaminum causa, nempe maritimus ad urbem adventus.

EPHESIA.

ЄΦЄCIA. *urna.* Gallieni. *Ephesi Ioniae.* (Vaill.)

Ephesia, ἀγων ἐν Εφεσῳ ἐπιφανης, ut ait Hesychius, (in Εφεσια) Dianam Ephesiam respexere. Teste marmore Oxoniensi Antonius Septimius vicit ΕΦΕCON. ΕΦΕCΗΑ a). De modo, quo haec festa obita sunt, vide Meursium.

EPINICIA.

ЄΝ. ΚΟΔΡΙΓΑΙC. ΟΡΟΙC. ΚΙΛΙΚΩΝ. CЄΤΗΡЄΙΑ. ΟΛΤΜΠΙΑ. ЄΠΙΝЄΙΚΙΑ. *Vrna ludorum*, in alio: *corona.* Severi. *Tarsi Ciliciae.* (Vaill.)

ЄΠΙΝЄΙΚΙΑ. *Vrna.* Gordiani. *Thessalonicae Maced.* (Vaill.)

Fuisse Epinicia ludos victoriae causa celebratos, ipsum nomen eloquitur. Eorum causae tot esse poterant, quot victoriae, quorum complures a variis institutos enumerat Meursius. Frequentius a Graecis celebrati sub Roma imperante, suum imperatoribus gaudium ob relatam ab his victoriam professis. Reliquis illustrior causa victoriae ad Actium, ob quam instituta epocha, cujus anni in numis Antiochiae Syriae dicuntur ἐτει Νικης, et instituti Nicopoli Epiri ludi quinquennales dicti Actia, et in multas subinde urbes recepti. Insignia etiam fuere Epinicia Tarsi in numo priore memorata, et acta causa victoriae in vicinia a Severo de Pescennio relatae. Multos etiam habemus numos epinicios, sive qui victoriarum meminere, praecipue quas M. Aurelius, et L. Verus de Parthis retulere, cujus generis sunt drachmae inscriptae: ΤΠЄΡ. ΝΙΚΗC. ΡΩΜΑΙΩΝ. vel ΤΠЄΡ. ΝΙΚΗC. CЄΒΑCΤΩΝ. cum horum ipsorum, aut uxorum capitibus, quae protuli in numis urbis incertae Mesopotamiae Vol. III. p. 520. item numus L. Veri Nicaeae signatus cum epigraphe: ΡΩΜΑΙΩΝ. ΝΙΚΗΝ. ΝΙΚΑΙЄΙC. (Pellerin.) et numus M. Aurelii Laodiceae Phrygiae: ΑΤΤΑΛΟC. ЄΠΙΝΙΚΙΟΝ. ΑΝЄΘΗΚЄ. id est: νομισμα, ut ego alibi explico. (supra pag. 374.) Certaminis epinicii meminit etiam marmor Thyatirenum editum a Peyssonnelo b), quo teste juvenes honorant ΑΤΡ. ΘΗΣΕΑ. ΝΕΙΚΗΦΟΡΟΤ. ΘΤΑΤΕΙΡΗΝΟΝ. ΝΕΙΚΗΣΑΝΤΑ. ΕΝΔΟΞΩΣ. ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. ΤΩ. ΤΠΟ. ΑΤΤΩΝ. ΕΠΙΜΕΛΟΤΜΕΝΩΙ. ΕΠΙΝΕΙ-

a) p. 18. n. 7. b) Voyage p. 287.

ΚΙΩΙ. ΣΕΒΗΡΕΙΩΙ. ΑΓΩΝΙ. *Aur. Theseum Nicephori F. Thyatirenum, qui gloriose vicit pancratium in certamine epinicio Severeo, quod ipsi curaverunt.*

EVGAMIA.

ΕΥΓΑΜΙΑ scriptum juxta imaginem Sarapidis in numo Aegyptio Vespasiani Pellerinio idem significare visum, quod in numis aliis ΘΕΟΓΑΜΙΑ, nempe festum Plutoni et Proserpinae sacrum. At verisimilius mihi visum, hac inscriptione non agi festum, sed symbolicam bonarum nuptiarum imaginem. Vide prolegomena ad numos Alexandrinos sub *Sarapide* supra pag. 29.

GORDIANA.

ΓΟΡΔΙΑΝЄΙΑ. Vide numos sic inscriptos supra in ATTALEA. Actos hos ludos in honorem Gordiani III., suapte patet.

GYMNASIARCHIA.

ΓΥΜΝΑCΙΑΡΧΙΑ. *Templum, intra quod mensa, supra quam tres urnae.* Salonini. *Colybrassi Ciliciae.* (Pellerin Rec. III. p. XXVII. et 123.)

ΓΥΜΝΑCΙΑΡΧΙΑ. *Vrna intra quatuor minores alias.* Salonini. *Syedrae Ciliciae.* (Theupoli, Panelius ex museo le Bret.)

Γυμνασιαρχια ex vocabuli natura est gymnasii praefectura, neque ullo auctore constat, illud unquam adjectivi more usurpatum, aut editos alicubi ludos dictos *Gymnasiarchia.* Quare ejus explicatio eandem objicit difficultatem, quam memoratum supra vocabulum ΑΓΩΝΟΘΕΣΙΑ. Neque adeo verisimile, ΓΥΜΝΑCΙΑΡΧΙΑ fuisse ludos, ut istud visum Pellerinio, quoniam hi semper adjectivis efferri sunt soliti, etsi cum vocabulum istud, tum et utriusque numi typi ad ludos penitus referantur. Forte illud aliud non notat, quam totum conlegium praefectorum gymnasii, quorum collata opera et studiis editi fuerint ludi, quos numi hi ostentant. Sic et vocabulo ΣΥΝΑΡΧΙΑ in numis Antiochiae Cariae dixi indicari totum magistratuum conlegium.

HELIA.

ΗΛΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Vrna.* Elagabali. *Emisae Syriae Coloniae.* (Vaill. in Colon.)

ΗΛΙΑ. *Vrna.* Gordiani. *Odessi Thraciae.* (Vaill.)

Helia certamina Soli, ἡλίῳ sacra, ac propterea maximo apparatu celebrata in insula Rhodo, ubi Dorice Αλια dicta fuere. Vide, quae de his plura ad numos Emisae coloniae notavi, quam constat Soli cumprimis fuisse devotam. Causam verisimilem, cur Odessitae Helia egerint, vide supra in ludis *Alexandrea.*

HERACLEA.

ΗΡΑΚΛЄΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Mensa, super qua duae urnae, inferne vas.* Severi. *Perinthi Thraciae.* (Mus. Caes.)

ΑΚΤΙΑ. ЄΡΑΚL. *Mensa cum duabus urnis.* Caracallae etc. *Coloniae Tyri.* (Vaill.)

ΗΡΑΚΛΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. *inscriptum urnae.* Elagabali. *Coloniae Tyri.* (Vaill.)

Heraclea, ludi Herculi sacri, et impensius celebrati iis in urbibus, qui sese Herculi mancipavere, quales fuere Perinthus et Tyrus, ut dictum in harum numis, quo loco recitavi etiam testimonium sacrae scripturae ex Macchab. L. II. c. 4., quod meminit agonis quinquennalis Tyri in Herculis honorem instituti.

HERAEA.

Mensa quatuor columnis fulta, supra quam hinc pavo, juxta quem ΗΡΑΙΑ., *inde aquila, juxta* ΝЄΜЄΙΑ. Ant. Pii. *Argorum Argolidis.* (Pellerin Rec. III. p. 154.)

Heraea, certamina Iunonis, quae Graecis Ηρα, magno concursu celebrata apud Argos sacram Iunoni urbem, de quibus vide quae notavi in moneta hujus urbis.

HIERA, SACRA.

Vide de his supra in prolegomenis.

ISELASTICA.

CERT. SACRV. CAPIT. OECV. ISEL. *Tres urnae.* Caracallae. — *Athleta nudus stans s. palmam*, vel: *Duae figurae sedentes urnam una tenent.* Valeriani. *Heliopolis Coelesyriae.* (Vaill.)

CER. PER. ISEL. OECVM. *Mensa cum duabus urnis, infra vas et poma.* Elagabali. *Sidonis Phoen.* (Vaill. Theupoli.)

CERT. SAC. PER. OECVME. ISELA. *inscriptum coronae.* Elagabali, Ann. Faustinae. *Sidonis Phoen.* (Vaill.)

Haec certamina in aliquot etiam marmoribus memorantur. Apud Gruterum [a]: CONSTITVTORI. SACRI. CERTAMINIS. SELASTICI. quo loco scribendum: ISELASTICI. In marmore Sponii [b]) et Reinesii [c]) produntur ΠΑΝΗΓΥΡΕΙΣ. ΕΛΑΣΤΙΚΩΝ. Quid sint certamina Iselastica, quid victores Iselastici, quae horum praemia, paucis explicandum. Teste Vitruvio [d]) *nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Graecorum majores ita magnos honores constituerunt, uti - - - cum revertuntur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in moenia et in patrias invehantur, e reque publica perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur.* Quod amplius est, teste Plutarcho [e]) victoribus in urbem patriam reversis dejecta moenium pars, quo significabatur, urbi moenium non esse magnum usum, quae viros haberet pugnandi vincendique gnaros. Quare et Nerone e Graeciae certaminibus Neapolin reverso, disjectam partem muri, ut mos hieronicarum est, refert Suetonius [f]). Illustriores ejusmodi victorum in patriam ingressus habes apud Diodorum Sic., [g]) et Aelianum [h]) atque sic a victoria reversi dicebantur in ur-

a) pag. 254. 4. b) Misc. p. 357. c) Synt. T. I. p. 508. d) praef. Lib. IX. e) Sympos. L. II. probl. V. f) in Ner. c. 25. g) L. XIII. §. 82. h) var. hist. L. XII. c. 58.

bem εισελαυνειν, *introire*, vocabulo usitato in plerisque hic citatis exemplis, unde et verbum *Iselastica* ducitur. Ex binis literis, quae sunt in Plinio juniore a), patet, Iselastica per se non fuisse certamina, sed factum permissu imperatorum, ut certamen quodpiam esset Iselasticum, id est, ut ex eo victores possent invehi, et acciperent ab imperatoribus certum modum obsoniorum; revera alia certamina coepisse esse Iselastica, alia desivisse, prout istud placuit imperantibus. Vide de his plura in Fabri agonistico b). Habes certamen Iselasticum eleganter applicatum ad victorum fidelium in coelum ingressum ab auctore carminum Sibyllinorum, quem locum citabimus infra in *Oecumenica*.

ISTHMIA.

ΑΓΩΝ. ΙCΘ. ΠΥΘΙΑ. *Vrna.* Caracallae. *Ancyrae Galatiae.* (Neumann. num. pop.) Additis *Asclepiis Soteriis* vide in *Asclepia.*

ISTHMIA. *intra coronam.* In obviis numis *Corinthi coloniae.*

ΙCΘΜ. ΠΥΘ. *Mensa, super qua tres urnae.* Valeriani. *Nicaeae Bith.* (Vaill.)

Isthmia inter principes quatuor Graeciae ludos, sic dicta, quod in Isthmo Corinthi peragebantur, instituta primum a Sisypho Corinthiorum rege in Inus et Melicertae honorem, qui ab Athamante marito patreque in mare abjecti subinde inter deos marinos Leucotheae et Palaemonis nomine coli coepere, quae fabula frequens est numorum Corinthiorum argumentum. Ludos intermissos revocavit Theseus, sacrosque esse Neptuno voluit. Eorum praemium fuit corona ex pinu, serius apio, iterum pinu. Reliqua pete ex facundis Graeciae feriatae scriptoribus, et quidem quod ad chronologicam partem attinet, ex Corsini dissertationibus agonisticis.

LATONIA.

ΛΗΤΩΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *intra coronam.* In autonomis, et Gallieni. *Tripolis Cariae.* (Wheler, Vaill.)

Nomen traxere a Λητω, *Latona*, Apollinis et Dianae matre, ac multa religione a Tripolitanis Cariae culta probantibus istud copiosis eorum numis.

MEGALA.

CΕΥΗΡΕΙΑ. ΜΕΓΑΛΑ. *Duae urnae supra mensam.* Severi. *Nicomediae Bith.* (Vaill.)

CΕΥΗΡΕΙΑ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. ΜΕΓΑΛΑ. *Mensa cum urna.* Severi. *Nicaeae Bith.* (Mus. Caes. Theupoli.)

Nemo non videt, nomine Μεγαλα, *magna*, indicari modum ludorum, cujus generis vidimus Arista, Iselastica, et videbimus Prota, Oecumenica etc. Sic et apud Romanos fuere quinquatrus majores et minores. Ergo per se Megala ludi non fuere, sed adhaerent ludis aliis ad notandam eorum magnificentiam.

---

a) L. X. ep. 119. 120. b) L. II. c. 10. 17.

MYSTICA.

ΙΕΡΟϹ. ΠΥΘΙΟϹ. ΜΥϹΤΙΚΟϹ. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟϹ. *Mensa cum duabus urnis.* Valeriani. *Side Pamphiliae.* (Vaill.)

Modum ludorum istud quoque nomen indicat. Complura festa inter mysteria fuisse peracta docent Eleusinia, Samothracia, aliaque. Praedicantur in marmoribus ΜΥΣΤΗΣ, *initiatus*, ΜΥΣΤΑΡΧΗΣ vel ΠΑΤΡΟΜΥΣΤΗΣ, *praefectus initiatorum*, ΣΥΝΟΔΟΣ. ΤΩΝ. ΜΥΣΤΩΝ, *conlegium initiatorum*, de quibus vide observata Belleyi ad marmor Cyzicenum a). Verisimile adeo, sacrum hunc Sidetum ludum habuisse admixta mysteria, aut forte a mystarum conlegio celebratum. Quanquam necesse non sit sectari mysteria, cum Polluci *μυϛικὸν* idem sit, quod *ἱερὸν*, *καθιερωμένον*, *κατωνομασμένον θεοῖς*, *καθωσιωμένον θεοῖς*, *καθωσιωμένον* etc. b).

NAVMACHIA.

ΝΑΥΜΑ. *Triremis cum multis remigantibus.* M. Aurelii. *Gadarorum Decapoleos.* (Pellerin Rec. III. p. XL.)

ΝΑΥΜΑ*χια*, secundum se *praelium navale*, ludus etiam fuit, sive cum navium cursu certaretur, qualis fuit, quem Virgilius ab Aenea agonotheta institutum finxit c), sive cum praelii maritimi imago proponeretur, ut factum a Claudio in lacu Fucino, et saepe ab imperantibus Romae in Circo et amphitheatro. De hoc Gadarorum ludo navali vide, quae conjeci in numis hujus urbis, tum et in moneta Vespasiani ad annum V. C. 824 memorabo.

NEMEA.

Aquila, *juxta* ΝΕΜΕΙΑ., *pavo*, *juxta* ΗΡΑΙΑ. Antonini Pii. *Argorum Argolidis.* (Pellerin Rec. III. p. 154.)

ΝΕΜΕΙΑ. *intra coronam.* Hadriani. *Argorum Argolidis.* (Theupoli.)

Nemea inter quatuor praecipua Graeciae certamina, fuere ludi funebres constituti in honorem Archemori Lycurgi Nemeaeorum regis filii, quem a nutrice Hypsipyle incautius in herba depositum necavit serpens. Alii ab Hercule causa caesi leonis Nemeaei in honorem Iovis Nemeaei inductos dixere. Reliqua vide apud enarratores ludorum veterum. Ceterum non satis liquet, utrum numi, quos hoc loco descripseram, enuncient ludos celebratos in Nemea agi solitos, an privatos Argorum Iovi Nemeaeo sacros, de quibus vide, quae observavi in moneta Argorum.

OECVMENICA.

ΙΕΡ. ΟΙΚ. *Vrna ludorum.* Domnae. *Adanae Ciliciae.* (in meis num. vet. p. 225.)

ΙΕΡΟϹ. ΑΤΤΑΛΕΩΝ. ΟΛΥΜΠΙΟϹ. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟϹ. *intra coronam.* Salonini. *Attaliae Pamph.* (Mus. Pisani.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ. *Caput Elagabali.* Elagabali. *Ephesi.* (Vaill.)

CERT. SACRV. CAPIT. OECV. ISEL. Reliqua vide in *Iselastica. Heliopolis Coelesyriae.*

ΘΕΟΓΑΜΙΑ. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ. *Vrna.* Valeriani. *Nysae Cariae.* (Vaill.)

---

a) Caylus Rec. d'antiq. T. II. p. 241. b) Onom. L. I. §. 36. c) Aen. V.

ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟϹ. *Apollo stans d. laurum, s. lyram, juxta urna.* Tranquillinae. *Sides Pamph.* (Spanh. ep. II. ad Morell. p. 126.) Iungitur etiam cum ΟΛΥΜΠΙΑ. ΜΥϹΤΙΚΟϹ. quae vide.

CERT. SAC. PER. OECVME. ISELA. Vide *Iselastica. Sidonis Phoen.*

ΚΟΜΟΔΕΙΟϹ. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟϹ. *Corona ex radiis composita.* Commodi. *Tarsi Ciliciae.* (Vaill. Albani.)

Ad explicandos ludos Oecumenicos praeclara attulit mirabilis vir eruditionis Spanhemius [a]), unde haec pauca excerpo. Ludus Oecumenicus idem quod universalis, aut ad universos pertinens, quod vulgo omnibus universi orbis incolis permissum fuerat vires in eo suas artemque experiri. Quo nomine opponitur τῳ Κοινῳ, seu Communi singularum nationum, quales enumeravimus principio hujus tractatus, et privatis singularum urbium, quales agebantur Athenis, Lacedaemone, alibi. Atque in hoc sensu dicitur in marmore Sponii Iuventianus parasse diversoria τοις ἀπο της ΟΙΚΟΥΜΕΝΗϹ ἐπι τα Ισθμια παραγενομενοις ἀθληταις, *athletis, qui ab universo terrarum orbe ad ludos Isthmia convenerunt* [b]). Auctor fictorum carminum Sibyllinorum aliud agendo eleganter explicat naturam certaminis Oecumenici addito etiam Iselastico his verbis [c]):

μεγας γαρ ΑΓΩΝ ΕΙΣΕΛΑΣΤΙΚΟΣ ἐϛαι
Εις πολιν ὀυρανιον, ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΣ δε τε πασιν
Εσσεται ἀνθρωποισιν ἐχων κλεος ἀθανασιας.

Magnum enim CERTAMEN ISELASTICVM erit
In urbem coelestem, OECVMENICVM vero omnibus
Erit hominibus, habens decus immortalitatis.

OLYMPIA.

ΕΤ. ΙΕΡΟΥ. ΟΛΥΜΠ. ΘΖϹ. *Quinque urnae ludorum.* Decii: *Anazarbi Ciliciae.* (Mus. Caes.)

ΙΕΡΟϹ. ΑΤΤΑΛΕΩΝ. ΟΛΥΜΠΙΟϹ. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟϹ. *intra coronam.* Salonini. *Attaliae Pamph.* (Mus. Albani.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ. *Caput Elagabali.* Elagabali. *Ephesi.* (Vaill.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ. *Macedonum.* Vide supra in *Alexandrea.*

ΟΛΥΜΠΙΑ. *Vrna.* Gallieni. *Magnesiae Lydiae.* (Vaill.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Duae urnae supra mensam.* Caracalla. *Pergami Mysiae.* (Vaill.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. ΟΙΚΟΥΜΕΝ. *Caput Elagabali in corona oleastri.* Elagabali. *Sides Pamph.* (Vaill.)

ϹΕΥΗΡΕΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ. *Vrna ludorum.* Severi. *Tarsi Ciliciae.* (Vaill.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. *Vrna ludorum.* Gordiani. *Thessalonicae Maced.* (Vaill.)

ΙΕΡΕΙΑ. ΑΓΩΝ. ΟΛΥΜ. (*lectio suspecta.*) *Duae urnae.* Valeriani. *Thyatirae Lydiae.* (Vaill.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. *intra coronam.* In

a) ad Morell. ep. II. §. VII. b) Misc. p. 363. c) L. II. v. 39.

autonomo. (Haym.) — ΟΛΥΜΠΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Mensa, supra quam corona et urna.* In autonomo. (Haym.) — ΟΛΥΜΠΙΑ. ΑΥΓΟΥϹΤΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *inscriptum tribus coronis.* Elagabali. (Pellerin.) Verisimilius, ut notavi in numis Trallium, Caracallae. (Mus. Caes.) *Trallium Lydiae.*

ΗΡΑΚΛΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. *inscriptum urnae.* Elagabali. *Tyri coloniae.* (Vaill.)

Ludi Olympia totius Graeciae antiquissimi et celeberrimi acti apud Olympiam Pisatiden Elidis juxta Alpheum fluvium et nemus Iovi sacrum, secundum quos omnis Graecia fastos suos ac tempora digessit. Institutos, ut fama fert, ab Hercule, intermissosque resuscitavit Iphitus, figiturque Olympias I., qua vicit Coraebus, ad solstitium aestivum anni periodi Iulianae 3938., ante natum Christum 776., ante Romam conditam 24. Haec paucis indicasse satis esto. Reliqua pete ex eruditissimi Petri Fabri commentariis de re athletica, et quod ad temporis rationem attinet, ex Corsini dissertationibus agonisticis.

Olympiorum in Elide celebratorum testem numum veterem non habemus. Neque enim placuit Eleis, quod placuisse reliquis Graecis constat, jactare in monumentis publicis gloriam laudesque domesticas, qui, ut in eorum moneta observavi, per oppida sparsi agriculturam ambitioni longe praetulere. Olympia, quae in citatis numis produntur, sunt ludi in aliis extra Elidem urbibus editi ad exemplar tamen Olympiorum Eleorum, quemadmodum et Pythia, Isthmia, Actia ab aliis urbibus extra patrium eorum solum acta videmus, possetque eorum numerus copiose augeri, si luberet, aut operae pretium putarem celebrata alibi Olympia ex marmoribus veterumque commentariis colligere. Vnicum adferam testimonium petitum a Demosthene, perhibente, Philippum capta Olyntho celebrasse Olympia [a]). Addit enarrator Vlpianus, primum fuisse Archelaum, qui ea in urbe Dio constituerat [b]). Idem confirmat Arrianus, cum refert, Alexandrum a Thebana expeditione reversum Iovi Olympio sacrum fecisse, jam antea ab Archelao institutum, et ludos Olympia Aegis celebrasse [c]). Quapropter non raro in marmoribus Olympia primaeva Elidis ab Olympiis aliarum urbium discerni videmus. Sic in eodem lapide Sponii ΟΛΥΜΠΙΑ. ΕΝ. ΠΙϹΗ, nempe Elidis, et ΟΛΥΜΠΙΑ. ΕΝ. ΑΘΗΝΑΙϹ [d]). In uno eodemque lapide Gruteri habes ΟΛΥΜΠΙΑ. ΤΑ. ΕΝ. ΠΙϹΗ. et ΟΛΥΜΠΙΑ acta Smyrnae et Ephesi [e]). Testimonia alia ex scriptoribus congesta vide apud Corsinum [f]), quo loco comprobat etiam, fuisse Athenis a prima usque aetate acta Olympia, et jam memorata Pindaro, tum et alia posteriora Hadriani temporibus instituta.

Malala in historia chronica binis locis adducto etiam in testimonium Pausania, refert, Antiochenos Syriae imperante Claudio jus Olympiorum oblata pecunia a Pisaeis Elidis redemisse. Vide res gestas sub Claudio et Commodo.

---

a) de fals. leg. p. 322. E. b) ibid. p. 381. c) de exped. Alex. L. I. c. 11. d) Misc. p. 364. e) p. 314. 1. f) diss. agon. in Olymp. §. 12. seq.

Factum istud ut verum demus, ejus enim scriptoris auctoritas exigua, non tamen videtur verisimile, aliis urbibus, quae Olympia domi egere, necessarium visum Eleorum arbitrium, aut ad agenda Pythia, Isthmia, Actia, Phocensium, Corinthiorum, Lacedaemoniorum. Iuvat enim animadvertere, urbes ludis apud se agi solitis propter aliquam solum cum Olympicis similitudinem Olympiorum etiam nomen indidisse. Sic Strabo de ludo Actio a): ὁ ἀγων Ολυμπιος τα Ακτια, *ludus Olympius Actia*, nimirum quod perinde atque Olympius quinquennalis fuit. Vidimus supra, ludos Tyriorum ΗΡΑΚΛΙΑ vocari etiam ΟΛΥΜΠΙΑ. Ejus causam colligo ex auctore librorum Macchabaicorum b), *cum autem*, inquit, *quinquennalis agon Tyri celebraretur, et rex praesens esset, misit Iason ab Ierosolymis viros peccatores portantes argenti didrachmas trecentas in sacrificium Herculis*. Nimirum quos ludos numi *Heraclea Olympia* appellant, eos vetus scriptor *Heraclea quinquennalia* vocat, ut adeo in hac causa idem sit Olympias, et quinquennalis. Atque ex hac cum Eleis similitudine factum suspicor, ut aliarum urbium Olympia in nonnullis marmoribus ΙΣΟΛΥΜΠΙΑ, id est: similis cum Olympiis Eleis rationis, appellarentur, ut dixi in prolegomenis ad praesentes ludorum numos.

Praeter quinquennalitatis rationem ludi Olympici nonnullarum urbium illud etiam cum Eleis habuere commune, quod illae perinde atque Elei Olympiades suas numeravere. In marmore Cyziceno apud Caylus c) dicitur M. Aurelius Corus Cyzici vicisse Pancratium ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΔΙ. Ζ. *quinquennio*, id est: *Olympiade VII.* In alio Cyziceno ibidem d) C. Pistus vicit ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. ΤΗ. ΕΝΔΕΚΑΤΗ. ΟΛΥΜΠΙΑΔΙ. *Hadriana Olympia Olympiade XI.* Istud vel tironi planum erit, utrumque temporis characterem non posse competere Olympicis Eleis, ergo Olympicis Cyzicenorum, ducto initio ab anno, quo hi Cyzici primum coepere agi, quorumque frequens mentio in marmoribus, apud Aristidem rhetorem, aliosque, de quibus vide observata Belleyi ad citata marmora. Insignis lapis Farnesianus apud Gruterum e) praedicat M. Aur. Asclepiadem, qui vicit Alexandriae ΟΛΥΜΠΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑΔΙ. ΕΚΤΗ. *Olympia Olympiade VI.*, nimirum in hac urbe constituta. In marmore Atheniensi ex schedis Cyriaci refert Muratorius f): *Sebastopolitani Ponti venerantur Hadrianum Augustum Olympium* ΕΝ. ΤΗ. ΠΡΩΤΗ. ΟΛΥΜΠΙΑΔΙ. *Olympiade I.* Non observavit haec, quae mox dixeram, Muratorius, qui in subjecta nota excidisse notam aliam arithmeticam suspicatur. Nam non aguntur hic Olympia Elea, sed privata Atheniensium, et haec quoque ex marmoribus cognita. Idem denique comprobant numi citati Anazarbi Ciliciae, inscripti: ЄΤ. ΙЄΡΟΥ. ΟΛΥΜΠ. ΘΖC. *anno sacro Olympico* 269. Coepit hic annus aerae Anazarbensis in autumno anni V. C. 1003., qui adeo congruere non potest cum an-

a) L. VII. p. m. 501. b) L. II. c. 4. c) ant. T. II. tab. 63. d) tab. 64. e) pag. 314. 1. f) pag. 1080. 1.

no sacro Olympico Eleorum, nam eodem anno in solstitio aestivo juxta horum calculum coepit annus II. Olympiadis CCLVII. Eleorum. Ergo in his numis notatur annus sacer Olympiadis Anazarbensis novae. Denique quod ad anni tempus attinet, quo acta sunt Olympia, notum quidem, ea in Elide celebrata fuisse tempore solstitii aestivi, et verisimile etiam, horum exemplo urbes non paucas idem tempus Olympicis suis praefixisse. Attamen cum, ut supra observavi, pleraeque urbes fere quinquennii tantum causa ludos suos dixerint Olympicos, credibile, retentum ab his tempus, quod ludis suis, antequam Olympia dicerentur, principio fuit adsignatum. Sane teste Malala iisdem locis, quae supra citavi, Olympia Antiochiae celebrata sunt initio anni civilis, qui iniit mense Hyperberetaeo, sive Octobri.

PANIONIA.

ΠΑΝΙΩΝΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Vrna mensae imposita.* Saloninae. *Mileti Ioniae.* (Vaill.)

Vide numos similis argumenti alios supra in KOINON.

PERIODICA.

CERT. SAC. PER. OECVM. ISEL. *typis variis. Sidonis Phoeniciae.* Vide hos numos descriptos supra in *Iselastica.*

Solae litterae PER. ad praesens examen pertinent. Vaillantius, qui in suo de coloniis opere numos hos sub Elagabalo, Annia Faustina, et Valeriano descripserat, sic explendam ait epigraphem: CERT*amen* SAC*rum* PER*iodonicum.* Enimvero secundum Festum Pompejum (in *Perihodos.*) *in gymnicis certaminibus perihodon vicisse dicitur, qui Pythia, Isthmia, Nemea, Olympia vicit, a circumitu eorum spectaculorum.* Vnde formula Graecorum, νικᾶν τὴν περίοδον, *vincere periodum*, περιοδονίκης, *victor periodi*, παγκράτιον περίοδον, vincens *pancratio periodum*, περιοδονίκης πυγμήν, *vincens periodum pugilatu* etc. quorum exempla habes apud laudatum saepe Corsinum [a]). Ex mente igitur Vaillantii certamen, ut ipse legit, periodonicum indicat ludos, ad quos admissi non fuere, nisi athletae periodonicae, id est, qui in dictis quatuor Graeciae ludis victoriam abstulere. In eadem sententia haud dubie Spanhemius quoque fuerit; nam eodem loco, quo his de numis agit, Vaillantii lectionem sequitur, neque ejus explicationem impugnat [b]). At enim eruditus Isselinus multis gravibusque argumentis hanc sententiam refellit [c]). Ait enim, si ad hos Sidonis ludos non fuissent admissi, nisi periodonicae, ad eos celebrandos requisitum fuisset, quod requisitum nunquam fuerat ad agendos principes Graeciae ludos Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea, Actia, Capitolina, ad quos accessus patuit omnibus, etiam qui nunquam vicere. Saepe etiam accidere debuisse, ut Sidonios

a) In Isthm. §. XII. b) ad Morell. ep. II. p. 277. c) B. L. hist. Tom. V. p. 277.

deficerent athletae, si tantum periodonicas, quorum exiguus semper fuit numerus, admisissent. Accedit, certaminis hoc sensu accepti naturam everti a vocabulo mox consequente *Oecumenici*, quod significat, omnibus totius orbis athletis permissum esse vires suas ac peritiam certamine experiri. At quo pacto dici poterit Oecumenicum, in quo certare non liceat, nisi periodonicis? Denique legendo *Periodonicum* intrudi vocabulum linguae Graecae plane inimicum; nam a περιοδονικης formari quidem posse περιοδονικιος, non tamen περιοδονικος. Haec cum latius stabilivisset, rejecta Vaillantii sententia legendum censet: *certamen periodicum.* Fuisse enim, inquit, in more positum, ut urbes ludos suos, sive veteres, sive quos recens constituissent, ad famigeratos illos Graeciae ludos conformarent. Cum igitur in his gloriosum haberetur, in quocunque certaminis genere νικαν την περιοδον, *vincere priodum*, id est, omnibus quatuor summis Graeciae ludis evadere victorem, placuit urbibus exteris, eandem phrasin suis etiam ludis applicare, quo indicarent, athletas non minus apud se vincendo periodum ad eundem posse honorem aspirare. Sane si ludos suos Alexandrea, Hadriana etc. poterant dicere Olympia, Pythia etc. magna nimirum iis nomina applicando, poterant etiam eosdem cognita in Graecis aemulatione, etsi comparatione impari, dicere periodicos.

PHILADELPHIA.

ΚΟΙΝΟϹ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΟϹ. *Mons Argaeus inter duas urnas.* Caracallae. *Caesareae Cappad.* (Mus. Caes.)

ϹΕΟΥΗΡΙΑ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. ΜΕΓΑΛΑ. *Vrna, hinc et inde capita Caracallae et Getae.* Domnae. (Vaill.) — ϹΕΥΗΡΕΙΑ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. *Duae urnae.* Getae. (Vaill.) *Nicaeae Bithyniae.*

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. *Hercules echidnam clàva impetens*, vel: *Hercules stans cum Salute.* Severi. (Pellerin Mel. I. p. 74. Vaill.) — ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Vrna.* Severi. (Vaill.) — ΑΚΤΙΑ. ΠΥΘΙΑ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. *Duo templa cum totidem urnis.* Severi. (Vaill.) *Mensa, super qua duae urnae, infra vas et poma.* Caracallae, Getae. (Pellerin., Vaill.) *Perinthi Thraciae.*

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. *Concordia stans inter Caracallam et Getam.* Severi. *Sardium Lydiae.* (Vaill.)

ΚΑΒΕΙΡΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. Φιλαδελφεια. *Vrna.* In autonomo. *Thessalonicae Maced.* (Pellerin.)

ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ Graecis *fatrem* vel *sororem amans*, quo nomine saepe in numis aliisve monumentis compellatos videmus Aegypti, Syriae, Pergami reges. Etiam Drusus junior et Germanicus Tiberii Aug. filii, hic adoptione, ille natura, in numis Sardium ΝΕΟΙ. ΘΕΟΙ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ dicuntur, quos dabimus in moneta Germanici. Inde et ludi *Philadelphia*, instituti ab urbibus Graecis ad impetrandam a diis concordiam Caracallam inter Getamque fratres, a quorum dissensu cognito gravissima sibi mala imperium metuebat. Vota pro eorum concordia a senatu etiam Romano facta testatur Dio [a]).

a) L. LXXVII. 1.

Reliqua huc pertinentia pete ex numis utriusque imperatoris Romani. Horum causa ludorum cum sit manifesta, sequitur, non posse eorum mentionem fieri, nisi in numis Severi ejusque familiae, eosque continuo memorari desitos, posteaquam Caracalla fratris caede impias manus contaminavit.

PROTA.

ΠΡΩΤΑ. ΠΑΜΦΥΛΩΝ. *Mensa, supra quam urna.* Gallieni. *Sides Pamph.*

CЄΥΗΡΙΑ. ΠΡΩΤΑ. *Mensa, supra quam urna.* Severi. *Perinthi Thraciae.* (Vaill.)

ΠΡΩΤΑ. ΚΟΙΝΑ. ΑCΙΑC. *intra coronam.* Severi, Maximini, Gordiani, Gallieni. *Smyrnae Ioniae.* (Vaill.)

Certamina Πρωτα, seu *prima* in iis tantum urbibus celebrata fuere, quae se primatus causa πρωτας provinciae dixere. Siden primariam fuisse Pamphyliae urbem, satis constat. Smyrnaei se passim in numis dixere πρωτης Ασιας. Perinthii in solis Severi numis Πρωτα jactant, nimirum ex quo Byzantium, quod antea primatum tenuit, iis ab hoc imperatore fuit subjectum, propterea quod Pescennio adhaesit, ut dictum in moneta Perinthi.

PYTHIA.

ΑΓΩΝ. ICΘ. ΠΥΘΙΑ. *Vrna.* Caracallae. *Ancyrae Galatiae.* (Neumann. num. pop.) Additis nonnunquam *Asclepiis Soteriis* vide in *Asclepia.*

ΠΥΘΙΑ *intra coronam,* Hadriani. *Delphorum Phocidis.* (Arigoni.)

ΗΛΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Vrna.* Elagabali. *Coloniae Emisae Syriae.* (Vaill.)

ΠΥΘΙΑ. *intra coronam.* Elagabali. *Hierapolis Phrygiae.* (Vaill.)

ΠΥΘΙΑ. *Duae urnae.* Caracallae. *Laodiceae Phryg.* (Mus. Florent. Vol. III. p. 50.)

ANTONINIANA. PYTI. *Duo Centauri vas malis refertum tenentes.* Caracallae. *Coloniae Laodiceae Syriae,* quam vide.

ΠΑΝΙΩΝΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Vrna super mensa.* Saloninae. *Mileti.* Vide prolegom. ad numos Ioniae.

ΔΙΟΝΥCΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Tres urnae.* Valeriani jun. *Nicaeae Bith.* (Pellerin.)

ΑΚΤΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Vrna.* Caracallae. *Nicomediae Bith.* (Vaill.)

ΙЄΡΟC. ΠΥΘΙΑ. *Mensa cum urna.* Gallieni. *Pergae Pamphyliae.* (Vaill.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Duae urnae.* Caracallae. *Pergami Mysiae.* (Vaill.)

ΑΚΤΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Mensa cum duabus urnis, infra vas et mala.* Severi. — *Duo templa cum totidem urnis.* Severi, Caracallae. (Vaill.) Adduntur etiam ΦΙΛΑΔЄΛΦЄΙΑ, ut in his dictum. *Perinthi Thraciae.*

ΚΟΙΝΟΝ. ΘΡΑΚΩΝ. ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΙΑ. ΠΥΘΙΑ. Vide supra in *Alexandrea.* — ΚЄΝΔΡЄΙCЄΙΑ. ΠΥΘΙΑ. Vide supra in *Cendresia. Philippopolis Thraciae.*

ΙЄΡΟC. ΠΥΘΙΟC. ΜΥCΤΙΚΟC. ΟΙΚΟΥΜЄΝΙΚΟC. *Mensa cum duabus urnis.* Valeriani. *Side Pamph.* (Vaill.)

ΠΥΘΙΑ. *Vrna, vel tripus, vel templum.* Gordiani. (Vaill.) — ΑΚΤΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Cabirus malleum tenens coro-*

nam porrigit athletae. Philippi sen. (Vaill.) *Thessalonicae Maced.*

ΠΥΘΙΑ. ΚΟΙΝΟΝ. ΘΡΑΚΩΝ. *Athleta nudus d. palmam, pro pedibus vas.* Caracallae. (Vaill.) *Thracum*, haud dubie signatus Philippopoli. Vide hujus numos.

ΠΥΘΙΑ. *Vrna* — ΑΥΓΟCΤЄΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *intra coronam.* Caracallae *Thyatirae Lydiae.* (Vaill.)

ΠΥΘΙΑ. *Vrna.* Caracallae. — ΟΛΥΜΠΙΑ. ΑΥΓΟΥCΤЄΙΑ. ΠΥΘΙΑ. Vide supra in *Augustea. Trallium Lydiae.*

ΛΗΤΩЄΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *intra coronam.* In autonomis, et Gallieni. *Tripolis Cariae.* (Wheler, Vaill.)

Primum post Olympia locum dignitate obtinent Pythia. Creditum priscis, ab ipso Apolline caeso Pythone instituta. Istud certum, in Apollinis ea honorem apud Delphos celebrari solita. Ab exteris etiam urbibus arcessita, et quidem prae reliquis Graeciae ludis impensius expetita, praesens catalogus liquido docet. Secundum numos idem etiam testantur marmora. Vel unus lapis Sponianus praeter ΠΥΘΙΑ. ЄΝ. ΔЄΛΦΟΙC. praedicat ΠΥΘΙΑ. ЄΝ. ΜЄΙΛΗΤω. ΠΥΘΙΑ. ЄΝ. ΜΑΓΝΗCΙΑ. ΠΥΘΙΑ. ЄΝ. CΙΔΗ. ΠΥΘΙΑ. ЄΝ. ΠЄΡΓΗ. ΠΥΘΙΑ. ЄΝ. ΘЄCCΑΛΟΝΙΚΗ [a]). Pythia Laodiceae Syriae memorat marmor Chandleri [b]), Trallibus Lydiae marmor Oxoniense [c]). Ad typos quod attinet, neglectis iis, qui urnam vel coronam, sueta ludorum symbola sistunt, memorandi ii, qui Pythia proxime indicant. Istud praestat tripus in numo Thessalonicae, nimirum respectu Apollinis Delphici. Adde mala in numis Laodiceae Syriae et Perinthi Thraciae, quorsum et spectat insignis typus in numo Philippopolis Thraciae, quem olim edidi [d]), in quo exhibetur *Elagabalus togatus stans, s. virgam transversam tanquam agonotheta tenens, et una cum Apolline arcum gestante templum sustinens, inter utrumque stat mensa cum urna, ex qua quinque mala promicant.* Etsi non addatur vocabulum ΠΥΘΙΑ, tamen haec commode intelliguntur, cum quod in aliis Philippopolis numis ea frequenter memorantur, tum typo Apollinis stantis cum arcu, quo Pythonem interemit, at praecipue per adstituta mala. In numo Valeriani musei Caesarei Thessalonicae signato eadem Pythia eloquitur *tripus, super quo quinque mala, hinc et inde urna.* Cessisse haec hieronicis Pythiis in praemium victoriae, testatur versus ex noto Archiae epigrammate, quod principio hujus tractatus citavi: Αθλα δε των κοτινος, ΜΗΛΑ, σελινα, πιτυς. *Praemia vero horum olea, MALA, apium, pinus*, accedente praeterea Ausonii auctoritate, qui, ut vidimus, το μηλα vertit *malus.* Adde auctoritatem Libanii [e]) μηλεα δ' αυθις ςεφανοι τον αγωνα τον Πυθιον, *pomus item coronat certamen Pythium.* Denique apud Lucianum Solon Anacharsi ludorum praemia sic enumerat: Ολυμπιασι μεν ςεφανος εκ κοτινȣ, Ισθμοι δε εκ πιτυος, εν Νεμεα δε σελινων πεπλεγμενος, Πυθοι δε μηλα των ιερων τȣ θεȣ, *in Olympiis corona oleagina, in Isthmiis pinea, in Nemeis ex apio*

a) Misc. p. 364. b) inscr. ant p. 92. c) pag. 18. n. VII. d) num. vet. p. 60. e) elog. pomi Tom. II. p. 716.

contexta, *in Pythiis mala deo sacra* a). Quae adeo scriptorum testimonia certis his numorum veterum argumentis invicte confirmantur. Novi, ex veterum auctoritate victorum Pythiorum praemium statui coronam lauream, quorum testimonia ex scriptoribus omnibus advocavit eruditus quidam anonymus in dissertatione critica de praemio hieronicarum Pythiorum b). At eo peccavit certe, quod confidenter negat, mala victoribus in Pythiis fuisse oblata, neque horum a vetere quopiam scriptore fieri mentionem c). Sane quae modo disputavi, contrarium docent. Et vero facile dedero, remotiore aetate fuisse victoribus lauream decretam, sed poterat spectato praemio variari in Pythiis, ut variatum constat in aliis, ac praecipue Isthmiis, tametsi neque antiquissimo aevo vellem mala eripi. Exstant numi Eleuthernarum Cretae operis, si qui alii, pervetusti. In his fingitur Apollo nudus stans d. malum, s. arcum tenens. Quam aliam dabimus causam tributi huic deo mali, nisi velimus victoriae illud praemium confiteri? Quod idem confirmatur ab ejusdem urbis numis aeneis serius mitiore cultu signatis, in quibus sistitur idem Apollo cortinae insidens, et d. malum praetendens, manifestus adeo Apollo Pythius, cujus honori ludi Pythia fuere constituti, et qui adeo malum ludorum suorum munus manu ostentat.

SACRA.

Vide de his supra in prolegomenis.

SEBASMIA, SEBASTA.

Vide de his supra in *Augustea.*

SEVEREA.

ΚΟΙΝΟϹ. ϹƐΤΗΡΙΟϹ. ΦΙΛΑΔƐΛΦΙΟϹ. *Argaeus inter duas urnas.* Caracallae. *Caesareae Cappad.* (Pellerin Rec. III. p. 237. Arigoni.)

ϹƐΤΗΡƐΙΑ juncta cum *Philadelphiis* vide in his. *Nicaeae Bithyniae.*

ϹƐΤΗΡΙΑ. ΜƐΓΑΛΑ. *Duae urnae.* Severi. *Nicomediae Bith.* (Vaill.)

ϹƐΤΗΡƐΙΑ juncta cum *Epidemiis* et *Protis* vide in his. *Perinthi Thraciae.*

ϹƐΒΗΡƐΙΑ juncta cum *Chrysanthinis* vide in his. *Sardium Lydiae.*

ϹƐΤΗΡΙΑ juncta cum *Coraeis*, *Epiniciis* etc. vide in his. *Tarsi Ciliciae.*

Instituta esse haec certamina in Severi Aug. honorem, suapte patet.

SOTERIA.

ΑϹΚΛΗΠΙΑ. ϹΩΤΗΡƐΙΑ. ΙϹΘ. ΠΥΘΙΑ. *Duae urnae.* Caracallae. *Ancyrae Galatiae.* (Spanheim ep. I. ad Morell.)

Soteria festa fuere aut sacra constituta iis, qui salutis auctores exstitere. Sic Soteria acta a Sicyoniis in honorem Arati, qui patriam in libertatem vindicavit d). Vnde frequens apud Graecos θυειν Σωτηρια recuperata nempe salute, cujus phraseos multa exempla collegit Spanhemius, qui de his Soteriis erudite disseruit e). Quare et

---

a) De gymnasiis. b) histoire critique de la rep. des lettres T. I. p. 150. c) l. c. p. 218.
d) Plut. in Arato. e) Ep. I. ad Morell. §. 2.

passim Σωτηρος nomen in numis legimus tributum regibus Syriae, Aegypti, aliisque. Iunguntur in citato numo Soteria cum ludis Aesculapii, quo nemo deus frequentius Σωτηρ, *Servator*, a Graecis Latinisque est appellatus. Reliqua de his Soteriis vide apud Spanhemium loco citato.

In perantiquo numo autonomo Metaponti Lucaniae, quem olim edidi [a]), circum caput manifestum Cereris legitur ΣΩΤΗΡΙΑ. At ego hoc nomine non existimo notari festa, sed potius Cererem dici Σωτηριαν, *Salutem* Metapontinorum, ut ibi observavi.

THEOGAMIA.

ΘЄΟΓΑΜΙΑ. lectio dubia in numo *Coryci Ciliciae*. Vide hujus numos.

ΘЄΟΓΑΜΙΑ. *intra lauream*, addito etiam ΟΙΚΟΥΜЄΝΙΚΑ. typo *urnae*. Valeriani. *Nysae Cariae* (Vaill.)

Festi sic appellati solus ex veteribus Pollux meminit: Κορης παρα Σικελιωταις Θεογαμια, και Ανθεσφορια, *Proserpinae apud Siculos Theogamia et Anthesphoria* [b]). Celebrabantur eo nuptiae Plutonis ac Proserpinae ex Sicilia raptae. Cur apud Cariae quoque Nysam acta sint Theogamia, diximus in ejus urbis moneta. Vide, quae de hoc festo copiose disseruit Spanhemius [c]).

VALERIANA.

ΟΥΑΛЄΡ. *inscriptum urnae*. Valeriani. *Aphrodisiadis Cariae*. (Wheler Vogage.)

CAPVT XXII.

DE NVMIS REGVM, PRINCIPVM etc.

Hi propriam quandam, eamque nobilem monetae veteris classem constituunt, etsi, ut dicetur, molestus est labor, et saepe vires excedens, suis eos regibus tuto adsignare. Quae de iis praecipue sunt observanda, aliquot sectionibus complectemur, quae erunt I. Catalogus regionum, et urbium, quae numos re-

a) num. vet. p. 38. b) Onom. L. I. c. I. §. 37. c) ep. II. ad Morell. sub. init

gum, principumve suorum nomine signaverunt. II. De nominibus principum. III. De mentione dignitatis in numis principum. IV. De variis principum titulis epithetis. V. De insignibus regum, et principum.

§. I.

Catalogus regionum, et urbium, quae numos regum, principumve suorum nomine signaverunt.

Non ingratum lectori, et ad multas profuturum causas existimo, si ex universo opere eas componam regiones, urbesve, quarum habemus numos, regum, aut principum nomine cusos. Procedet hic catalogus secundum situm geographicum, quem in prima hujus operis parte mihi praefixi. Addidi tempus, quo principum numi feriri coepere, quo desivere, quia non parum juvabit etiam, numorum regiorum fines uno loco collectos posse intueri.

EVROPA.

Gallia. Semel tantum in hujus numis dignitatis modus exprimitur, nempe: REX. ΔALETVΩNVS, qui in aliis omnibus reticetur. De vera horum numorum aetate nihil certi adfirmari potest.

Sicilia, et in hac

Agrigentum cum numis dubiis *Theronis*, qui fuit coaevus Geloni Syracusano, et *regis Phintiae* certis, quem vicit Hicetas Syracusanus non multo ante Pyrrhi in Sicilia regnum.

Syracusae, quarum in numis, sed non synchronis, primus Gelo, postremus Hieronymus.

Thracia. Ex hujus regibus primus numismaticus Seuthes III. Alexandro M. coaevus. Postremus Rhoemetalces II. sub Tiberio.

Paeonia. Vnus ex numis cognitus Audoleon Philippi Amyntae aequalis.

Macedonia. Numus antiquissimus Alexandri I., qui mortuus est exeunte saeculo III. V. C., vel ineunte IV. Postremus ut in regno, sic et in moneta Perseus debellatus a Romanis V. C. 586.

Illyricum. Vniversi Illyrici unius regis Gentii numus proditus eandem cum Perseo fortunam experti.

Dyrrhachium Illyrici. In hujus moneta rex Monunius incertae aetatis.

Epirus. Primus in numis Arisbas Philippo Amyntae coaevus, ultimus Ptolemaeus Pyrrhi nepos.

Lacedaemon. Numus regis Arei, qui regnum Spartanum adivit circa annum V. C. 445.

ASIA.

Asia minor. Rex Antigonus, cujus numos dedimus in numis regum Macedoniae.

Bosporus Cimmerius. Primus in moneta Paerisades I. rex ab anno V. C. 405. Sub Mithridate VI. Bosporus cum Ponto unitus eosdem aliquamdiu reges habuit. Vtrumque regnum divisum victo a I. Caesare Pharnace V. C. 707. Continuo post Bosporum administravit Asander primum *archontis*, dein regis nomine. Post varias vices iterum unitus cum Ponto, iterum divisus, ac tum Bosporo impositus Sauromates I. ab Augusto, postremus in numis Rhescuporis V., cujus regnum in Constantini M. imperium cadit, nullo alio regno tamdiu in moneta durante.

Pontus. Rex primus in numis Mithridates II. Alexandri M. aequalis. Desivit regnum ejusque moneta cum Polemone II. imperante Nerone.

Paphlagonia. Vnicus in hac Pylaemenes, sed cujus aevi, incertum.

Bithynia. Nicomedes I., qui circa annum V. C. 476 regnum adivit, regum monetam inchoat. Desinit ea cum Nicomede IV. mortuo circa annum V. C. 679.

Heraclea Ponti. Timotheus, et Dionysius Alexandri M. aequales. Vltima Amastris Lysimacho Thraciae regi nupta.

Pergamus. Incipiunt reges cum Philetaero V. C. 473, desinunt cum Attalo III. V. C. 623.

Caria. Primus in numis memoratur Hecatomnus mortuus circa annum V. C. 373, ultimus Othontopates dejectus ab Alexandro M.

Cilicia. Tarcondimotus I. partis Ciliciae rex tempore exeuntis reip. R. Postremus Archelaus partis item Ciliciae rex sub Augusto.

Olbae Ciliciae *summi pontifices*, *toparchae* et *dynastae* vocati in numis Polemon, et Ajax sub M. Antonio, et Augusto.

Cyprus. Numus Evagorae, si modo genuinus.

Paphus Cypri. Ejus rex Nicocles tempore Ptolemaei Soteris.

Cibyra Phrygiae, in qua regnavere reges dicti Moagetae aliquot in numis laudati, quorum postremum dejecit Muraena.

Galatia. Numi regum variis nominibus, et incertae aetatis. Postremus Amyntas mortuus imperante Augusto.

Cappadocia. Primus rex in numis forte Ariarathes IV. Postremus Archelaus mortuus Romae sub Tiberio.

Armenia. Plerique in numis reges ex historia ignoti, neque valde antiqui. Vltimus Artavasdes ab Antonio IIIviro per insidias caesus.

Syria. Ejus regum numi incipiunt cum Seleuco I. fundatore, desinunt cum Antiocho XIII., quem Pompejus M. V. C. 690 Syria exegit.

Commagene. Incipiunt numi cum Antiocho I., qui tempore Pompeji M. bellum cum Mithridate gerentis Commagenen tenuit. Exspiravit regnum numique cum Antiocho IV. imperante Vespasiano.

Chalcidene. Habuit primum Ptolemaeum Mennaei filium nomine *tetrarchae* extremo tempore belli Mithridatici, serius nomine regis Herodem Agrippae I. fratrem, et Agrippam II.

Damascus. Numus regis Aretae circum tempora Pompeji M.

Tripolis Phoeniciae. Tyrannum pertulit Dionysium incerto dignitatis gradu a Pompejo M. securi percussum.

Iudaea. Prima, quod norimus, ejus moneta fuit Simeonis, qui *principis* nomine remp. gessit per annos IX. inde ab anno V. C. 611. Secuti deinde principes *sacerdotis magni* titulum addidere, serius honorem regium ambivere. Herodes M. primum *ethnarcha*, deinde rex, ejus filii Herodes Antipas et Philippus *tetrarchae.* Agmen claudunt duo Agrippae.

Iungendus his Zenodorus, dictus in numis *tetrarcha*, et *pontifex maximus.* Fuit aequalis Herodis M.

Osrhoenum, seu *Edessenum* regnum in Mesopotamia. In numis primus Abgarus sub Hadriano rex, postremus Abgarus sub Gordiano.

Parthia. Ejus regum numi inde a conditore Arsace I., qui ab Antiocho II. Syro descivit V. C. 498. Postremus Arsaces Artabanus IV., quem cum Parthorum regno evertit Artaxerxes Persa V. C. 979.

Persia. Regum, qui ante Alexandrum M. imperabant, noti Darici aurei, argenteique. Exstant et numi regum Persarum, qui in Parthorum fuere potestate. Exstincto, ut mox dictum, Parthorum regno Persae Sasanidae numos suos signavere.

Bactriana. Rex Euthydemus circa annum V. C. 548, et Eucratides.

AFRICA.

Aegyptus. Incipiunt numi cum regni conditore Ptolemaeo Lagi, desinunt cum Cleopatra Octaviani praeda.

Cyrenaica. Reges proprii Magas Ptolemaei II. aetate, et Ptolemaeus Apion, qui moriens regnum Romanis legavit V. C. 658.

Numidiae et Mauretaniae. Reges numismatici incipiunt cum Iuba I. a I. Caesare ad Thapsum victo, desinunt cum Ptolemaeo Iubae II. filio Caligulae insidiis interempto.

* * *

His accedunt numi Ballaei, Helioclis, Sariae, Patrai, Lyccei, quorum principatus ubi siti fuerint, usque modo ignoramus. Eos descripsimus ad calcem seriei numismaticae in hoc ipso volumine pag. 167 seq.

§. II.

De nominibus principum.

Paucissimi sunt principum veterum numi, in quibus inscriptum eorum nomen desideres. Quod quidem a veteribus diligenter observatum ad multas

nobis causas profuit. Sic enim, quae fuerint singulorum oris lineamenta, saepissime intellegimus, tum etiam, ad quam regii hi numi regionem sint referendi, ex ipsis nominibus discimus, et saepe haec in codicibus luxata primaevo nitori restituimus.

Multis in regionibus usus obtinuit, ut, quo nomine regni principatusve conditor fuit, eodem successores omnes uterentur. Factum istud observantiae, gratique animi causa, suapte patet. Hinc in Aegypto omnes Ptolemaei, in Parthia Arsaces, in Paphlagonia Pylaemenes, Pergami Philetaeri. Narrat Iustinus a), Nicomedem Bithyniae regem filio suo Pylaemenis nomen ex Paphlagonum regum nomine indidisse, ut ejus appellationis reverentia lubentius ab his rex agnosceretur. Etiam si quis juste, ac sancte regno praefuit, lex lata, ut ejus nomen in successoribus duraret. Hoc merito cum fuisset Artaxerxes Mnemon, edixerunt Persae, ut posteri reges Artaxerxis nomine uterentur b).

Attamen istud ipsum, etsi sapienter constitutum demus, infinitas non raro, cum rite volumus regum numos distribuere, difficultates, ac propterea taedium adfert. Quis enim tuto suis regibus adserat numos, si omnes Arsaces, Ptolemaei etc.? Non raro quidem dubium abstulere oris lineamenta, aut additus epochae annus; verum hic plerumque abest, et saepe abest principis effigies solo inscripto ejus nomine, atque ut adsit etiam, tamen parum saepe feliciter collati quacunque solertia vultus dubium resecant, atque istud non modo in numis operis barbari, sed frequenter etiam perfectissimi. Ex quo factum, ut in collocandis recte regum v. c. Aegypti et Parthiae numis immane quantum dissideant etiam peritissimorum judicia. Scriptores veteres in regum Pergamenorum historia saltem varios nobis Attalos et Eumenes memorant, qui in numis non sunt, nisi Philetaeri, alibi reges mentione patris distinguunt, rarissimo hoc in numis exemplo, alibi adscita cognomina addunt, quod numi quoque, sed rarius praestant. Etiam in regnis, in quibus non fuit commune regum nomen, tamen eadem nomina in plures collata turbant, ut in Syriae regibus Antiochi tredecim, Seleuci sex, in regibus Macedoniae Philippi quinque.

Viris principibus nonnunquam geminatum fuisse nomen, et jam hoc, jam illo fuisse a scriptoribus appellatos, unde non raro confusio in historiam fluxit, jam monuimus in numis Herodis M. Ex quo Romani orbis imperio potiti sunt, multi reges, ac principes sive ob beneficiorum memoriam, sive observantiae causa virorum Romae potentium nomina suo addidere. Ejus exempla habemus in Polemone sacerdote Olbae, qui se in numis dixit *M. Antonium* Polemonem, in *Antonio* Tarcondimoto Ciliciae rege, in Sauromate I. et Rhescupore I., quorum uterque dictus *Ti. Iulius* a Tiberio Aug., in Abgaro Edessae rege, qui dictus in numis *L. Aelius*

---

a) L. XXXVII. c. 4. b) Diod. Sic. L. XV. §. 93.

Septimius Abgarus. Vide de hoc nominum peregrinorum usu plura in tractatu proximo de numis coloniarum.

Vt urbium et populorum nomina, sic regum quoque in gignendi casu plerumque enunciantur, ut: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Idem casus est ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ, ΑΜΥΝΤΑ, ΜΑΥΣΣΩΛΛΟ, in numis regum Macedoniae, et Cariae, sed Doricus, vel vetusti modi, ut in his dictum. Sed occurrit etiam rectus, ut: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΚΟΤΥΣ, ΗΡΩΔΗΣ etc. Rarissime praefigitur ΕΠΙ, ut: ΕΠΙ. ΒΑΣΙΛΕ. ΑΓΡΙΠ. Agrippae I. Iudaeae regis.

§. III.

De mentione dignitatis in numis principum.

Antiquissimo aevo, cui, quidquid simplex fuit, placuit, satis fuit, solum principis nomen omisso dignitatis gradu monetae inscribere. Ita in numis vetustissimorum Macedoniae regum tantum legas ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ, ΠΑΥΣΑΝΙΑ etc. regum Cariae tantum ΠΙΞΟΔΑΡΟ, et similiter, dissimulata plane regii tituli mentione. Quin existimo, neminem regum veterum in moneta a se signata ante Alexandrum M. ΒΑΣΙΛΕΩΣ nomine usum, quanquam fuere et post hunc reges non pauci, qui illud ex numis suis abesse voluerunt, quo de argumento in singulis regnis, ubi necesse fuit, praecipue in numis regum Macedoniae, et Siciliae, verbosius egi. Serius principatus conditio rarius fuit neglecta. Varias ejus formas dabit subjectus catalogus:

ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ, *summus sacerdos*, in numis Zenodori tetrarchae, et sacerdotum Olbae Ciliciae. De dignitate Αρχιερεως egimus supra [a]).

ΑΡΧΩΝ, in numis Asandri subinde Bospori regis.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ, in numis Tryphonis Syriae regis, et Arsacis IX.

ΒΑΣΙΛΕΥΣ, in regum numis obvium.

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ, quo superbo titulo usi reges Pharnaces II. Ponti, Tigranes Syriae et Armeniae, Artavasdes Armeniae, et Parthici passim. Causas vide in singulorum moneta.

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ, Pharnaces II. Ponti, Tigranes Syriae, Antiochus IV. Commagenes, Agrippa I. Iudaeae, Abgarus Edessae, Eucratides Bactrianae, reges Parthici passim, forte et Antiochus III. Syriae, Alexander M., sed in numo diu post mortem signato.

a) Cap. I. p. 203.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΥΙΟΙ, *regis filii*, dicti Callinicus, et Epiphanes in numis patris Antiochi IV. Commageni, item Agrippa II. in numo patris Agrippae I. Abgari Edesseni filius Mannus dicitur in numo ΠΑΙC pro ΥΙΟC.

ΔΥΝΑΣΤΗΣ, *potestate praeditus*, Polemon sacerdos Olbae Ciliciae.

ЄΘΝΑΡΧΟC, *gentis princeps*, Herodes M.

PRINCEPS, vel DVX, Hebraice נשיא, dictus Simeon Hasamonaeus. Vide numos Iudaeae.

ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ, *quartae regionis parti imperans*, divisa sic a Gallograecis Phrygiae parte; serius etiam sic vocati, qui minorem regia potestatem habuere. In numis habemus tetrarchas Herodem Antipam, ejusque fratrem Philippum, Ptolemaeum Mennaei F. Chalcidenes, et Zenodorum.

ΤΟΠΑΡΧΟΣ, *praefectus regioni, vel parti*, Polemon sacerdos Olbae Ciliciae.

§. IV.

De variis principum titulis epithetis.

Regum nomini varios videmus adjectos titulos, sive quos ipsi sibi, sive nationes partim subjectae, partim externae esse proprios voluerunt. His omnium maxime abundant reges postremi Syriae Parthiaeque, nimirum amissam veterem potentiam vanis laudibus solati, vere testante Tacito [a]): *apud quos vis imperii valet, inania transmittuntur*, quo modo vegetum imperium R. ignoravit titulos *illustris*, *spectabilis*, *clarissimi*, quos caducum parturivit. A variis illi causis ducuntur, a rebus praeclare gestis, a generis claritate, a virtutibus animi, ab adfectu in parentes, patriam, populum, principes se majores. Haec utique ferenda, ac saepe laudanda. Verum quem adeo religioni inimicum putabimus, quin despuat, cum legit in monumentis publicis, eorum non paucos, et omnibus saepe sceleribus coopertos exuere voluisse humanitatem, et divinos sibi honores vel tribuere ipsos, vel ab aliis tribui permittere?

Horum modos titulorum dictabit sequens catalogus. Plures alios prodidere historici inditos ab indole animi, vel morum similitudine, ut: *ἀστȣ*, *κεραυνȣ*, *ἱερακος*, vel ab animi, corporisve vitiis, ut: *κακεργετȣ*, *φυσκωνος*, vel *κατ' ἀντιφρασιν*, ut Ptolemaeus VIII. dictus fuit *φιλομητωρ* propter inimicitias cum matre, verum haec nomina sic a mo-

a) Ann. L. XV. 31.

neta Graeca exulant, ut a Romana nomina Caligulae, Caracallae etc. Epitheta ΚΕΡΑΥΝΟΥ, ΓΟΝΑΤΟΥ etc. in solis numis Goltzianis leguntur, quos nunquam nostros putavimus. Vide varios hos titulos congestos, et erudite explicatos apud Spanhemium [a]).

* * *

ΑΜΦΙΜΑΧΟΣ, *utrinque pugnans*, Arsaces XIX., sed vereor, ut lectio sit sincera. Vide numum.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ, *summa cum potestate regnans*, Tryphon Syrus, Arsaces IX.

ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΣ, *egregie victor*, Demetrius III., Antiochus XII., Antiochus XIII. Syriae reges, Mithridates rex Armeniae. Etiam Callinicus filius Antiochi IV. Commageni incerto nomine. Herculem appellatum fuisse Καλλινικον, testatur Artemidorus [b]).

ΘΕΟΣ, *deus*, sic vocati Demetrii II. et III., Antiochus IV., Tigranes, omnes Syriae reges. Varii reges Parthi, Ptolemaei VI. et VIII. — ΘΕΩΝ. ΑΔΕΛΦΩΝ, vide numos Ptolemaei II. — ΘΕΑ. ΝΕΩΤΕΡΑ dicta Cleopatra Antonii.

ΔΙΚΑΙΟΣ, *Iustus*, dicti complures reges Parthi, tum et Samus Armeniae rex, et incertus quidam rex Heliocles. Vide numos regum Parthiae in Animadversionibus §. III.

ΔΙΟΝΥΣΟΣ, *Bacchus*, Antiochi VI. et XII. Syriae reges.

ΕΠΙΦΑΝΗΣ, *illustris*, nomen obvium, praecipue in Syriae, et Parthiae regibus. Eo usi Nicomedes II. et IV. Bithyniae, Ariarathes Cappadociae, ex Syriae regibus Antiochi IV., VI., VIII., XI., XII., XIII., Alexander I., Seleucus VI., Philippus, ex Parthiae regibus plerique. His adde Epiphanem Antiochi IV. Commageni filium nomine incerto.

ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ, *benefactor*. Frequens et hic humanitatis titulus a regibus adscitus. Hujus etiam moris meminit Christus legislator [c]): οἱ βασιλεις των ἐθνων κυριευουσιν ἀυτων, και οἱ ἐξουσιαζοντες ἀυτων ΕΥΕΡΓΕΤΑΙ καλουνται, *reges gentium dominantur iis, et qui potestatem in eas exercent, BENEFICI vocantur.* Obvia hujus epitheti non in numis modo, sed et marmoribus est mentio, ac tum frequenter jungitur cum Σωτηρος elogio. Iuvat unicum marmor bilingue hunc titulum illustrans ex Sponio producere [d]).

POPVLVS. LAODICENSIS. A. F. LYCO. POPVLVM
ROMANVM. QVEI. SIBI. SALVTEI. FVIT. BENEFICI
ERGO. QVAE. SIBEI. BENIGNE FECIT
Ο. ΔΗΜΟΣ. Ο. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ.
ΛΥΚΩΙ. ΤΟΝ. ΔΗΜΟΝ. ΤΟΝ. ΡΩΜΑΙΩΝ.
ΓΕΓΕΝΟΤΑ. ΣΩΤΗΡΑ. ΚΑΙ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ.

Vide multa collati ejus tituli exempla in Seb. Faeschii dissertatione de numo

a) Tom. I. inde a pag. 433. b) Oneirocr. L. II. c. 42. c) Luc. XXII. 25. d) Voyage T. III. p. 145.

Pylaemenis, quae exstat in Sponii Recherches d'Antiq. p. 307, et in Gronovii Antiq. Graec. Tomo IX. Evergetae in numis produntur sequentes:

Mithridates V. Ponti, Pylaemenes Paphlagoniae, Demetrius III., Antiochus VII., Alexander I. Syriae reges, aliquot reges Parthi, Ptolemaeus III. Aegypti. Praeter hos reges etiam quidam Iulius Andronicus dicitur Evergetes in numis Laodiceae Phrygiae, quos vide.

ΕΥΠΑΤΩΡ, *bono patre natus*, Mithridates VI. Ponti, Antiochus V. Syrus, aliquot reges Parthi.

ΕΥΣΕΒΗΣ, *Pius*, Ariarathes, et Ariobarzanes Cappadociae, Antiochus X. Syrus.

ΜΙΤΡΑΗΤΗΣ. De suspecto hoc nomine confer, quae dixi in numis Arsacis XXII.

ΝΙΚΑΤΩΡ, *Victor*, Demetrius II., Seleucus VI. Syriae reges, et aliquot Parthici.

ΝΙΚΗΦΟΡΟΣ, *victoriam ferens*. Antiochus IV. Alexander I. Syriae reges.

ΠΑΝΑΡΙΣΤΟΣ, *longe optimus*, si modo vera lectio in numo Arsacis XXI., quem vide.

ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ, *fratris*, vel *sororis amans*, Ariarathes X. Cappadociae, Demetrius II., Antiochus XI., Philippus Syriae reges, Iotape regina Commagenes, Ptolemaeus II. Aegypti.

ΦΙΛΕΛΛΗΝ, *amans Graecorum*, Aretas Damasci regulus, plurimi reges Parthici.

ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡ, *amans Caesaris*, Agrippa I. Iudaeae.

ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ, *amans Claudii*, Herodes rex Chalcidenes.

ΦΙΛΟΜΗΤΩΡ, *matris amans*, Ariarathes Cappadociae, Demetrius III. Syriae, Ptolemaeus VI. Aegypti.

ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΣ, *amans patriae*, Archelaus rex Cappadociae. Praeter hunc Philopatrides quoque dicti Polemon in numo Laodiceae Phrygiae, et M. Gessius in numo Smyrnae.

ΦΙΛΟΠΑΤΩΡ, *patris amans*, Ariobarzanes II. Cappadociae, Demetrius III., Seleucus IV., Antiochi IX., X., XII., XIII. Syriae reges, Arsaces IX., Ptolemaeus IV.

ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΣ, *amans Romanorum*, Ariobarzanes I. et III. Cappadociae, Mannus Edessae.

ΣΩΤΗΡ, *Servator*, Antiochus I., Demetrii I. et III. Syriae reges, Adinnigaus rex Bactrianae, Ptolemaei I. et VIII. Aegypti reges.

ΘΕΟΣΕΒΗΣ, *deorum cultor*, Sames rex Armeniae.

ΘΕΟΠΑΤΩΡ, *deo patre natus*, Alexander I. Syriae, aliquot reges Parthi.

ΞΕΝΙΟΣ, *Hospitalis*, si modo vera lectio. Vide numos Arsacis VII.

§. V.

De insignibus regum, et principum.

Homeri aetate reges distinxit sceptrum, et reges Romanos inde a Romulo hasta, si fides Iustino [a]). Serius reges Graeci sanguinis discrevit fascia caput ambiens, dicta Graecis ex re διαδημα, vel αναδημα. Neque aliud certius habitum regii fastigii signum. M. Lepidus illud in denario Romano juveni Ptolemaeo imponit. Ariobarzanes Cappadox filio in conspectu Pompeji M. diadema tradidit in signum regiae potestatis [b]). Idem Trajanus in numis Romanis praestat Parthorum regi a se constituto. Multa nobis historia suppeditat exempla regum, qui, ut in praelii tumultu, aut fuga tutius laterent, diadema sibi detraxere. Ejus ornamenti primum creditum auctorem fuisse Bacchum, atque hunc ipsum in variis numis illo redimitum sisti, alibi docui [c]).

Quo tempore diadematis inter reges usus invaluerit, res est non satis confessa. Auctore Iustino [d]) illud Alexander M. a Persis est mutuatus, ejusque gestandi primus ipse exemplum dedit. Verum jam ante Alexandrum Archelaus, Pausanias, Amyntas in numis occurrunt diademati, nisi forte, quod ali-qui opinantur [e]), diadema Macedonicum aliquibus modis diversum fuit a Persico. Vide, quae ad hanc causam pertinentia disserui ad numos Archelai I. Macedonis, et Gelonis Syracusani, ubi monui, veram formam diadematis, quod Alexandri successores gestare sunt soliti, fuisse latiorem taeniam in occipite in nodum collectam, cujus extremitates in humeros longius defluxere. Luciano dicitur *ταινια λευκη περι τω μετωπω*, *taenia alba frontem ambiens* [f]), et sic Appiano quoque [g]), Suetonio *candida fascia* [h]).

Vt reges, ita et reginas distinxit diadema. Harum praeterea capita non raro finguntur velata, ut Philistidis Syracusanae, Phthiae Epiri, Cleopatrae Antiochi VIII. matris, Arsinoes et Berenices Aegypti reginarum etc.

At non solo diademate usos videmus Graeci sanguinis reges. Philetaeros Pergami reges jam diadema, jam corona laurea ambit, Phthiam querna. Alia alii capiti adfixere, ornamenta dicam, an deformitates homine indignas? Corona radiata non infrequens in numis regum Syriae et Aegypti, infelix scili-

a) L. XLIII. 3. b) Val. Max. L. V. c. 7. c) Num. vet. p. 22. d) L. XII. c. 3. e) Neumann Numi popul. P. I. p. 148. f) in Πλοιω. g) Bell. civ. L. II. c. 108. h) in Iul. Caes. c. 79.

cet divinitatis testis, quo de symbolo uberius agemus in numis Neronis, qui primus Augustorum, et adhuc quidem vivus Graecorum exemplo eam admisit. De cornibus hircinis regum Macedonicorum gestamine vide horum numos. Cornu taurinum adplicuere Seleucus I., et Demetrius Antigoni, arietinum Lysimachus, alam Seleucus I., filiusque Antiochus I. et Prusias II. Coronam ex hedera jactant Antiochus VI., et Ptolemaeus XII. Alexander M. in numis, sed post mortem signatis, habet cornu arietis, vel caput leonis exuviis tectum, etiam galeatum. Magas Cyrenaicae rex cornu item arietis habet in nobili amethysto, cujus loco suo memini [a]). Omnium horum causas vide in singulorum numis. Multorum regum cultus nobis est ignotus, quia multi fuere, qui omisso suo caput numinis, cui devoti fuere, monetae insertum voluere, quales fuerunt, contra quam multi credidere, Philippus Amyntae, Alexander M., Pyrrhus, ac frequentes alii. Raro caput regum plane est nudum, quale illud observatur in nonnullis Bospori regibus. Nudum etiam caput offerunt ii, qui principes quidem, at non reges fuere, ut Polemon sacerdos Olbae Ciliciae, et Zenodorus tetrarcha.

Reges barbari proprium suum habuere cultum. Gentius Illyrici rex pileatus est. De Armeniorum, Parthorum Persarum vario capitis tegmine in horum numis abunde actum.

CAPVT XXIII.

DE NVMIS COLONIARVM.

Colonia, Graecis ἀποικια, est pars populi, quae relicto multiplices ob causas solo patrio sedes sibi foris et domicilia quaesivit. Plures id genus in vetustissima Graecia factas secessiones, tum et causas Velleius initio libri I. enarrat. Vtrasque cum a veteribus, tum scriptoribus modernis late discussas, satis adeo cognitas illis, qui haec curant, recoquere praesentis instituti non est. Postremus Heynius non veterum modo gentium, sed et comparatam cum his nostrae aetatis in deducendis coloniis rationem et consilium binis disputationibus

a) Vol. IV. p. 124.

eleganter ac multo cum judicio exposuit [a]). De numis, qui deducta haec colonorum examina palam commemorant, egimus in tractatu urbium, quae se *Metropoles* dixere. Ipsae coloniae patriam, ex qua profectae sunt, non raro manifestant seu diserta ejus mentione, seu dialecto, seu typis. Sic Perinthii Thraciae sese ab Ionibus oriundos profitentur inscripto numis ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ· ΙΩΝΩΝ. Mesembrianos Thraciae per epigraphen Doricam ΜΕΤΑΜΒΡΙΑΝΩΝ Doras intelliges. Syracusani typo Pegasi se domo Corinthios, Dyrrhacheni et Apolloniatae typo hortorum Alcinoi se Corcyraeos indicant. Sed haec paucis notasse sufficiat, quia, quae ad similes causas pertinent, jam peregimus in tractatu de urbibus originem suam in moneta professis, tum etiam de urbibus concordia junctis. Hoc enim articulo eas tantum colonias persequimur, quae a Romanis aut sunt deductae, aut coloniae municipiive nomine appellatae.

Vniversum tractatum propter rerum varietatem in sectiones IX. dividimus, quarum I. dabit catalogum coloniarum et municipiorum ex numis. II. Quae coloniarum et municipiorum ratio. III. De inscriptionibus in numis coloniarum et municipiorum. IV. De coloniarum et municipiorum nominibus epithetis. V. De magistratibus in iisdem. VI. De typis in iisdem. VII. De permissu signandae in coloniis monetae. VIII. De metallo in coloniarum numis. VIIII. Quando numi in coloniis signari desierint. X. De numis heterogeneis in moneta coloniarum.

SECTIO I.

CATALOGVS COLONIARVM ROMANARVM, ET MVNICIPIORVM.

Col. Abdera Baeticae.
Col. Acci Tarraconensis.
Col. Aelia Capitolina Iudaeae.
Col. Agrigentum Siciliae.
Col. Agrippina Germaniae inferioris.
Col. Alexandria Troas.
Col. Antiochia Pisidiae.
Col. Antiochia Syriae.
Col. Apamea Bithyniae.
Mun. Arva Baeticae.

a) Opusc. acad. Gotting. Vol. I. p. 290.

Col. Asta Baeticae.
Col. Asturica Tarraconensis.
Col. Babba Mauretaniae.
Col. Berytus Phoeniciae.
Mun. Bilbilis Tarraconensis.
Col. Bostra Arabiae.
Col. Brundusium Calabriae.
Col. Buthrotum Epiri.
Col. Cabellio Narbonnensis.
Col. Caesaraugusta Tarraconensis.
Col. Caesarea ad Libanum Phoeniciae.
Col. Caesarea Samaritidos.
Mun. Calagurris Tarraconensis.
Col. Carrhae Mesopotamiae.
Col. Carteia Baeticae.
Col. Carthago Nova Tarraconensis.
Col. Carthago Vetus Zeugitanae.
Mun. Cascantum Tarraconensis.
Col. Cassandrea Macedoniae.
Col. Celsa Tarraconensis.
Col. Clunia Tarraconensis.
Mun. Coela Chersonnesi Thraciae.
Col. Comana Ponti.
Col. Copia Lucaniae.
Col. Corduba Patricia Baeticae.
Col. Corinthus Achaiae.
Col. Cremna Pisidiae.
Col. Damascus Coelesyriae.
Col. Dertosa Tarraconensis.
Col. Deultum Thraciae.
Col. Dium Macedoniae.
Mun. Ebora Lusitaniae.
Col. Edessa Mesopotamiae.
Col. Emerita Lusitaniae.
Col. Emisa Syriae.
Mun. Emporiae Tarraconensis.
Mun. Enna Siciliae.
Mun. Ercavica Tarraconensis.
Mun. Gades Baeticae.
Col. Germe Galatiae.
Mun. Graccurris Tarraconensis.
Col. Heliopolis Coelesyriae.
Col. Iconium Lycaoniae.
Mun. Ilercavonia Tarraconensis.
Mun. Ilerda Tarraconensis.
Col. Ilici Tarraconensis.
Mun. Italica Baeticae.
Col. Iulia Baeticae.
Col. Laodicea Syriae.
Col. Leptis Syrticae.
Col. Neapolis Samariae.
Col. Nemausus Narbonensis.
Col. Nisibi Mesopotamiae.
Col. Norba Lusitaniae.
Mun. Obulco Baeticae.
Col. Ocea Syrticae.
Col. Olba, Olbasa Pisidiae.
Mun. Osca Tarraconensis.
Mun. Osicerda Tarraconensis.
Col. Paestum Lucaniae.
Col. Panormus Siciliae.
Col. Parada Zeugitanae.
Col. Parium Mysiae.
Col. Parlais Lycaoniae.
Col. Patrae Achaiae.
Col. Patricia Corduba Baeticae.
Col. Pax Iulia Lusitanicae.
Col. Pella Macedoniae.
Col. Philippi Macedoniae.
Col. Philippopolis Thraciae.
Col. Ptolemais Galilaeae.
Col. Rhesaena Mesopotamiae.
Col. Roma Latii, ex numis Romanis Commodi.
Col. Romula Baeticae.
Col. Ruscino Narbonensis.
Mun. Saguntum Tarraconensis.
Col. Sebaste Samariae.
Col. Sidon Phoenices.
Col. Singara Mesopotamiae.
Col. Sinope Paphlagoniae.

Municipium Stobi Macedoniae.
Col. Tarraco Tarraconensis.
Col. Thessalonica Macedoniae.
Col. vel munic. Traducta Baeticae.
Mun. Turiaso Tarraconensis.
Col. Tyana Cappadociae.
Col. Tyrus Phoenices.
Col. Valentia Bruttiorum.
Col. Vienna Narbonensis.
Col. Viminacium Moesiae sup.
Mun. Visontium Tarraconensis.
Mun. Vtica Zeugitanae.

Observandum, in hunc catalogum eas tantum urbes fuisse admissas, quae se colonias aut municipia vel aperte in numis profitentur, vel inscripto varii generis magistratu municipali dubitare non sinunt, eas alterutra conditione fuisse. Exclusimus igitur Ariminum Vmbriae, Luceriam Apuliae, Valentiam Bruttiorum etc. quia earum numi indicium non faciunt, sintne signati, antequam coloniae jura obtinerent, an post.

SECTIO II.

QVAE COLONIARVM R. ET MVNICIPIORVM RATIO.

Colonias a Romanis sub ipsum eorum exordium in victorum hostium agros deductas constat, eumque morem, quamdiu ii valuere, observatum. Multiplicem ea res urbi attulit utilitatem. Hoc enim instituto provisum, ne ultra modum sobolis multitudine augeretur, plebs egena, ac suapte ad res novas prona summoveretur, divisae sic per orbem civium R. coloniae totidem essent urbis propugnacula, denique et milites agrorum parte donati haberent rei bene gestae praemium. Coloniae postremi hujus generis *militares* dici consuevere, de quibus agetur infra capite V. Observandum etiam, urbes varias stantibus veteribus inquilinis coloniae jura adeptas, etsi adventitiis colonis non frequentarentur. Hoc modo I. Caesar post victos in Hispania Pompejos oppida varia, quorum fideli opera usus est, vel immunitate, vel civitate, vel jure coloniarum R. donavit [a]). Asconius de Pompejo Magni patre et coloniis Transpadanis haec prodidit [b]): *Pompejus enim non novis colonis eas constituit, sed ve-*

a) Dio L. XLIII. b) ad orat. Cic. in Pison.

teribus incolis manentibus jus dedit Latii etc. Alibi novi coloni veteribus indigenis sociati, ut Emporiis Hispaniae, ut dictum in ejus urbis numis, vel Agrigenti teste Cicerone [a]), Carteiae [b]). Quin factum etiam, ut colonia quaepiam partim militibus, partim corrasa multitudine constaret. Sic Patras Achaiae transcriptum ab Augusto militem, docent numi et Strabo [c]). Praeterea ab eodem principe vicinorum oppidorum incolas in eandem coloniam migrare jussos, docet Pausanias [d]). Ex vetere jure nefas habitum, si in quam urbem jam deducta fuit colonia, eo deducere aliam. Diserte istud vetat Cicero, invectus in M. Antonium, qui Casilinum deducere coloniam paravit [e]). *Negavi*, inquit, *in eam coloniam, quae esset auspicato deducta, dum esset incolumis, coloniam novam jure deduci, colonos novos adscribi posse rescripsi. Tu autem insolentia elatus, omni auspiciorum jure turbato Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis annis ante deducta.* Verum quidquid istud juris fuit, serius antiquatum fuit; nam Puteolos, qui teste Livio jam anno V. C. 560. colonia fuere, Augustus iterum deduxit coloniam, iterum Nero [f]). Causam dedit Hyginus sermone de Augusto illato [g]): *Exercitus, qui sub Antonio aut Lepido militaverant, pariter et suarum legionum milites colonos fecit, alios in Italia, alios in provinciis, quibusdam deletis hostium civitatibus novas urbes constituit, quosdam in veteribus oppidis deduxit, et colonos nominavit. Illas quoque urbes, quae deductae a regibus aut dictatoribus fuerant, quas bellorum civilium interventus exhauserat, dato iterum coloniae nomine, numero civium ampliavit, quasdam et finibus.* Quod quidem testimonium varias nobis causas suppeditat, propter quas collapsa rep. deductae fuere coloniae. At quantum inter has, et quae stante rep. emissae fuerunt, discrimen! Operae pretium, gravissimis istud Taciti verbis commemorare, de Neronis aetate loquentis [h]): *Non enim, ut olim, universae legiones deducebantur, cum tribunis et centurionibus, et sui cujusque ordinis militibus, ut consensu et caritate remp. efficerent, sed ignoti inter se, diversis manipulis, sine rectore, sine adfectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis, quam colonia.*

Non eadem fuit coloniarum omnium conditio. Aliae enim fuere coloniae civium R., aliis Latinum, aliis Italicum jus indultum, ex arbitrio nimirum senatus, populique, deinde Caesarum. At enim in quo constiterit varii hujus earum status discrimen, quanto majus huic prae altero accesserit beneficium, quae uniuscujusque natura, ac indoles, magna hactenus contentione a viris summis est inquisitum, sed ea fortuna, ut in praecipuis etiam capitibus dissiderent, et explicatam totius controversiae rationem in hunc usque diem desideremus. Quam ego litem possum intactam relinquere, non modo quod

a) In Verr. L. II. c. 50. b) Liv. L. XLIII. c. 3. c) L. VIII. p. m. 594. d) L. VII. c. 18. e) Phil. II. c. 40. f) Brottier ad Tac. T. II. p. 454. g) de limitib. h) Ann. L. XIV. 27.

post tantorum virorum conatus spem mihi relictam non video certius aliquid atque exploratius adferendi, sed etiam quod omnis haec controversia numorum ope juvari nequit, atque adeo ultra instituti mei fines est posita. Fuere, qui ex typis putabant erui posse, quae colonia civitatem, quae jus Latii, quae Italicum nacta fuerit, sed haec perperam fuisse credita, in typorum explicatione docebimus. Ceterum quae ad hanc juris R. partem pertinent, praeter copiosos alios vide late exposita apud Carolum Sigonium de antiquo jure Italiae, Spanhemium in Orbe R. variis locis, compendio apud Bimardum de la Bastie [a]), et Florezium [b]).

Municipiorum rationem his verbis describit Gellius [c]): *Municipes ergo sunt cives Romani ex municipiis, legibus suis et suo jure utentes, muneris tantum cum populo R. honorarii participes, a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi R. lege adstricti, nisi, inquam, populus eorum fundus factus est.* Ait, municipia a munere capessendo appellata videri; at Siculus Flaccus vel a munitionibus, vel a munificentia [d]). Adeo municipiorum non vocabulum minus incertum, quam jura. Quae fuerint varia municipiorum genera, praeter auctores citatos strictim docet Heineccius [e]). Differunt a coloniis, quod teste eodem Gellio [f]) *municipes sunt cives R. legibus suis et suo jure utentes; at coloniae non veniunt extrinsecus in civitatem, nec suis radicibus nituntur, sed ex civitate quasi propagatae sunt, et jura institutaque omnia populi R., non sui arbitrii habent. Quae tamen conditio*, prosequitur Gellius, *cum sit magis obnoxia et minus libera, potior tamen et praestabilior existimatur propter amplitudinem majestatemque P. R., cujus istae coloniae quasi effigies parvae simulacraque esse quaedam videntur.* Vide haec planius exposita apud Spanhemium [g]). Ex quo apparet, secundum alias causas praestantiorem fuisse statum municipiorum, secundum alias coloniarum, quo factum, ut non raro urbes alterum alteri praeferent. Refert Gellius [h]), miratum Hadrianum, *quod et ipsi Italicenses, et quaedam item alia municipia antiqua, in quibus Vticenses nominat, cum suis moribus legibusque uti possent, in jus coloniarum mutare gestiverint. Praenestinos autem refert maximo opere a Tiberio imp. petisse orasseque, ut ex colonia in municipii statum redigerentur.* Ejusmodi permutationis plura leguntur exempla, quorum nonnulla collegit Spanhemius [i]). Quare non mirum, unum idemque oppidum jam coloniam, jam municipium a scriptoribus, et in variis monumentis appellari, quo modo, quam Valentiam (Bruttiorum intellige) coloniam dixit Livius [k]), eam Cicero municipium [l]). Ceterum urbes quaeque peregrinae nonnunquam municipia dice-

a) ad Iobert. T. II. p. 75. b) Medall. de Espanna T. I. 85. seq. c) Noct. Att. L. XVI. c. 13. d) de condit. agror. p. 1. e) Ant. R. append. L. I. c. 5. f) l. c. g) Orb. R. p. 73. h) l. c. i) Orb. R. p. 72. 89. k) L. XXXV. c. 40. l) in Verr. L. V. §. 16.

bantur, haud dubie quia ea fuit municipiorum natura, quod, ut urbes peregrinae, legibus suis vivebant. Sic legimus apud Siculum Flaccum [a]: *Coloniae autem inde dictae sunt, quod populus R. in ea municipia miserit colonos, vel ad ipsos priores municipiorum populos coercendos, vel ad hostium incursus repellendos.* Quod magis adhuc serius invaluit profitente Vlpiano [b]: *Municipes proprie appellantur muneris participes recepti in civitate, ut munera nobiscum facerent; sed nunc abusive municipes dicimus uniuscujusque civitatis cives, ut puta Campanos, Puteolanos*, quo modo et Martialis Carmenionem dixit *municipem Corinthiorum* [c], etsi horum urbs hujus poetae aetate certa fuit colonia. Lugduni incolas, etsi certa colonia fuit, Seneca vocat municipes [d]. Vide plura apud Spanhemium [e].

Vrbes nonnunquam coloniae statum amisisse, sive poena, sive alia de causa, et scriptores et numos habemus auctores. In his numero Lampsacum Mysiae, Nicopolin Iudaeae, Tyrum et Sidonem Phoeniciae, Neapolin Samariae, Parlaidem Lycaoniae, ut dictum in singularum moneta.

SECTIO III.

DE INSCRIPTIONIBVS IN NVMIS COLONIARVM ET MVNICIPIORVM.

Vrbes, quae coloniae fuere, coloniae quoque vocabulum addiderunt, et quidem tam sedulo illae, quae in orientem sitae fuerunt, ut vix aliquem earum numum reperias, qui illud omitteret. At non raro illud aspernatae sunt coloniae Hispanienses, tum vero Italicae et Siculae constanter, ut videre est in numis coloniarum Paesti, Brundusii, Copiae, Agrigenti, Panormi. Indicabantur in Latinis scripto C. vel COL., raro plene COLONIA., in Graecis KO. KOΛ. vel KOΛΩNIA, recepto hoc in linguam Graecam vocabulo; nam Graecum AΠOIKIA in unico Panormi numo, eoque, ut in hujus moneta dixi, non satis certae fidei legitur. Generatim Romanorum coloniae in sua moneta Latine sunt locutae; quin et ipsa Corinthus, etsi in Graeciae umbilico posita, tum quae in Phoeniciae vel Arabiae urbes sunt deductae. At Graecam praetulere in Europa Philip-

a) de condit agror p. 2. b) Leg. I. D. ad Municipal. c) L. X. ep. 65. d) In Apocoloc. e) Orb. R. p. 74. 399.

popolis Thraciae, Thessalonica Macedoniae, in Asia Tyana Cappadociae, Antiochia Syriae, tum et coloniae Mesopotamiae. Aelia Capitolina Iudaeae utraque usa est. Sed haec in singulis curate proponuntur. Municipia inscriptione solum Latina sunt usa, et indicant statum suum inscripto M. MVN MVNICIP. etc. In nonnullis legitur VRBS, de quo mox infra.

Praeter dicta vocabuli oppidi conditionem exprimentia reperimus coloniarum et municipiorum nomina epitheta, aliaque, quae sequentibus capitibus exponemus.

SECTIO IV.

DE COLONIARVM ET MVNICIPIORVM NOMINIBVS EPITHETIS.

Cum Romani urbi cuipiam coloniae vel municipii jura tribuerent, raro factum, ut, quod aliis urbibus saepe evenisse vidimus, novum ei nomen abolito vetere imponerent, idque adeo verum, ut, cum urbes funditus eversas resuscitarent, et eas colonis frequentarent, vetera quoque nomina restituerent, quod Carthagini et Corintho evenisse constat. Ex iis, quae vetus nomen amisere, fuerunt Salduba Hispaniae, dicta Caesaraugusta, Hierosolymae, subinde Aelia Capitolina, et nonnullae aliae. Interim cum veteri nomini parceretur, coloniae et municipia non pauca appellationes varias aut elogia seu suapte, seu senatus, principumve permissu sibi adjecere, eaque in monumentis publicis praetulere. Sic in tabula aenea a Grutero vulgata [a]) Hadrumetini Byzacenes dicuntur *coloniae Concordiae Vlpiae Trajanae Augustae Frugiferae Hadrumetinae.* Neque ab hac vanitate immunes numi. Scripsere in his Apameni Bithyniae: COL*onia* IVL*ia* CONC*ordia* AVG*usta* APAM*ea.* Similia epitheta, quae coloniis et municipiis in moneta adjecta videmus, nunc recensere est propositum. Tamen hoc loco non agimus de nominibus, quae urbes ab imperatoribus traxere, ut Iuliae, Trajanae, Hadrianae etc. de quibus egimus supra capite XIII.

* * *

VRBS. in numis Oscae. VRBS. VICT*rix* OSCA. Secundum quam normam interpretamur siglas V. V. OBVLCO. et V. V. TOLE*tum*, quae sunt

a) p. 362.

Hispaniae urbes. Etiam apud Plinium expressum *urbis* vocabulum reliquis titulis accensetur, ut: *Augusta urbs Iulia Gaditana* a).

VICTRIX. In numis Oscae, Obulconis, Toleti mox vidimus. Praeterea: CoL. VIC*trix* I*ulia* L*eptis* Cyrenaicae. Tum et in numis seu Norbae Lusitaniae, seu Novae Carthaginis, quas vide.

INVICTA. In numis Sagunti INV.

FELIX. Fausti ominis causa saepe coloniae sese dixere *felices*, scripto in moneta F. FE. FEL., sunt vero: Comana Ponti, Sinope Paphlagoniae, Cremna Pisidiae, Germe Galatiae, Heliopolis Coelesyriae, Berytus Phoeniciae, Caesarea Samaritidos. Harum exemplo in numis Diocletiani et conlegarum legitur FELIX, KART*hago*, ac denique in numis infimi aevi: FELIX. TICINVS, et FELIX. RAVENNA., utraque Galliae Cisalpinae.

PIA. In numis Sidonis Phoenices.

NOBILIS. Sic Florezio elementum N explente in epigraphe V. V. N. OBVLCO.

PVLCHRA. In numo Neapolis Samariae COL. PVL. NEAPO.

CONCORDIA. dicta colonia Apamea Bithyniae, ut et Hadrumetum in marmore mox citato. Non raro coloniis a virtutibus data nomina, quod proxime luculentius comprobabitur, neque istud magnopere mirum, cum et L. Antonius IIIviri frater sese in numis *Pietatem* dixerit. Vaillantium opinantem, Apameam dictam *Concordiam* ad indicandam suam cum vicina Prusa unionem, recte refellit Belleyus adserens b), titulos coloniis datos nequaquam veterem earum statum, sed praesentem coloniarum respicere. Ceterum reperio apud Fl. Iosephum locum quempiam in Galilaeae confiniis situm revera dictum Ὁμόνοιαν, *Concordiam* c).

LIBERALITAS. IVLIA. in numis Eborae Lusitaniae.

LAVS. IVLIA. in numis Corinthi.

Multa Hispaniae oppida varii generis cognomina sibi indidere peculiari quodam modo Iulio Caesari sacra. Praeter bina ex his numis cognita, sunt apud Plinium Iulia Fidentia, Iliturgi Forum Iulium, Osset Iulia Constantia, Vergentum Iulii genius, Itucci Virtus Iulia, Attubi Claritas Iulia, Seriae Fama Iulia, Nertobrigae Concordia Iulia, Olisippo Felicitas Iulia, nimirum victis ab hoc dictatore ad Mundam Pompejis tota Hispania, quanta Romana fuit, in obsequium ruente.

PACENSIS. In numis Deulti Thraciae PAC.

CAMPESTRIS, quod vocabulum solitario elemento C indicatur in numis Babbae Mauretaniae.

TOGATA. Sola litera T indicatum in numis Tarraconis Hispaniae.

PRIMA. In numis Caesareae Samaritidos I. vel P. vel PR. vel PRIMA, de cujus vocabuli sensu ambiguo vide dicta in hujus urbis numis.

ROMANA. Ex eruditorum conjectura sic explendum R in numis Sinopes Paphlagoniae.

GEMINA. Sic dicta fuit urbs, quae

a) L. III. §. 36. b) B. L. T. XXV. hist. p. 107. c) in ejus vita §. 54.

duplex oppidanorum genus complexa est. Ita Plinius [a]): *Emporiae*, *GEMINVM hoc*, *veterum incolarum et Graecorum*. Quare eadem urbs Straboni dicta fuit δίπολις. Verum hoc vocabulo in his locis urbis tantum natura designatur. *Geminae* nomen, datum coloniae instar tituli, captum fuit a legionibus, quae, si ex duabus in unam conflatae fuerunt, *Geminae* vel *Gemellae* dicebantur. Ejus luculentus testis Caesar [b]): *unam* (legionem) *ex Sicilia veteranam, quam factam ex duabus GEMELLAM appellabat*. Et Dio [c]): cum narrasset, ab Augusto aliisque imperatoribus legiones varias cum aliis mixtas fuisse, addit: ἀφ' ὅπερ καὶ Δίδυμα ὀνομασμένα νενομίςαι, *unde eas Gemellas appellare placuit*. Quare frequens in numis ac marmoribus legionum Geminarum mentio. Edidit Passerius gemmam, quae exhibet aquilam legionariam stantem inter duo signa, quorum singulis insistit Castorum unus [d]). Praeclare conjicit vir eruditus, lectum hunc typum ad legionem aliquam geminam indicandam, ad quam similitudine nominis Dioscuri gemini quodammodo alluderent. Ergo si in quam coloniam deducti sunt veterani legionis gemellae, aut certe veterani duarum legionum, ipsa etiam colonia dicta est *Gemella* vel *Gemina*. Sic habemus in numis: COL. GEM. ACCI. Tarraconensis, *Colonia Gemella Iulia Pariana* Mysiae, quas vide. Ejusdem rationis est apud Plinium [e]): Colonia *Tucci*, *quae cognominatur Augusta Gemella*, et apud Gruterum [f]): COLONIAI. AVG. GEMELLAI. TVCCITANAI.

REGIA. In numis Astae Baeticae.

IMPERATORIA. In numis Salaciae Lusitaniae: IMP. SAL.

HIBERA. In numis Ilercavoniae Tarraconensis, tracto nomine ab Ibero fluvio, cui adsita fuit.

NASSICA. In numis Calagurris Tarraconensis.

SERGIA. In numis Neapolis Samariae, incerta significatione, ut in hac dictum.

a) L. III. p. 142. b) Bell. civ. L. III. c. 4. c) L. LV. §. 23. d) Gemm. astrif. n. 82.
e) L. III. p. 139. f) p. 323. 12.

SECTIO V.

DE MAGISTRATIBVS IN NVMIS COLONIARVM ET MVNICIPIORVM.

Vt urbes Graecae suos varii generis magistratus, archontes, praetores, scribas etc. in moneta sua prodiderunt, sic et coloniae et municipia suos. Fuere autem summi in his magistratus vario nomine. Spartianus, cum varios ab Hadriano honoris ergo in urbibus obitos magistratus commemorat, *per Latina oppida*, inquit, *dictator et aedilis et duumvir fuit*, - - - *in patria sua quinquennalis*. (in Hadriano.) Plura exempla alia collegit Chimentellius a). In numis praesentis argumenti habemus magistratus domesticos I. IIviros, II. Quinquennales, III. Praefectos IIviros, IV. IIIIviros, V. Aediles, VI. Decuriones, de quibus omnibus sigillatim, at paucis agendum, nam in eadem hac causa jam viri celeberrimi Norisius b) et Florezius c) copiosi fuerunt.

§. I. *IIviri.*

Notantur hi in numis scripto IIV. vel IIVIR. In numis Oscae duae unitates linea transversa colligantur, nempe HVIR, quo modo etiam pro IIS, quae est sestertii nota, saepe scribitur HS in marmoribus et numo Hadriani commatis Romani. Non raro etiam absque IIviri nota nuda IIvirorum ponuntur nomina. Reperiuntur vero IIviri in numis

Acci Tarraconensis.
Agrigenti Siciliae.
Bilbilis Tarraconensis.
Buthroti Epiri.
Caesaraugustae Tarraconensis.
Calagurris Tarraconensis.
Carthaginis Novae Tarraconensis.
Carthaginis Veteris Africae.
Celsae Tarraconensis.
Corinthi Achaiae.
Dertosae Tarraconensis.
Ennae Siciliae.
Ercavicae Tarraconensis.
Ilici Tarraconensis.
Iuliae Baeticae.
Leptis Syrticae.
Onubae Baeticae.
Oscae Tarraconensis.
Paesti Lucaniae.

a) De hon. bisell. c. 4. b) Cenot. Pis. diss. I, cap. 3. c) Medall. de Espan. pag. 46. seq.

Panormi Siciliae.
Parii Mysiae.
Sagunti Tarraconensis.
Turiasonis Tarraconensis.
Vticae Zeugitanae.

* * *

Fuere IIviri ordinarius in coloniis municipiisque magistratus testibus non numis modo, sed et marmoribus, et passim scriptoribus. Nimirum cum essent coloniae secundum adlegata supra Gellii verba quasi effigies parvae et simulacra ipsius matris Romae, hi IIviri aliquo modo binis Romae consulibus erant similes, quemadmodum quod in hac fuit senatus, in his erat curia, quod in hac senatores, in his decuriones, de quibus agetur infra. Porro ut Romae consules non ordinarius modo, sed et summus fuerunt magistratus, sic et in coloniis IIviri, quod vel inde invicte arguitur, quia ipsos Caesares, Augustos, reges honorario saepe in coloniis IIviratu functos constat, ut paullo post dicetur. Atqui cum coloniae magistratum domesticum summis his viris detulerunt, an verisimile, delaturas fuisse illum, qui non praecipuus apud se esset? Atque hujus causa eminentiae dixit Apuleius [a]): *in qua colonia patrem habui loco principe duumviralem.* Fuere viri graves, qui adsererent, IIviros sese nonnunquam coloniae suae consules propter muneris cum Romanis, iisque veris consulibus adfinitatem dixisse. Hujus sententiae confirmandae causa arcessunt notos illos Ausonii versus [b]):

Diligo Burdigalam, Romam colo, civis in hac sum,
Consul in ambabus, cunae hic, ibi sella curulis.

Fateor, me non gravate subscripturum eorum conjecturae, qui hoc loco legendum putant: *consul in hac sum, civis in ambabus*, quae quidem lectio si vera putanda, multo magis plana erunt omnia, et evanescet praetensus hic Burdigalae consulatus. Verum periculosa est haec, etsi in melius, correctio, quia, quod ajunt, prior lectio in omnibus codicibus obtinet. Norisius, qui de municipali consulatu latius agit [c]), lapidem Pisis repertum profert, in quo Felix Herculeo dicitur AEd. II. COS. I. REIP. PIS., neque inique conjicit, successu temporis, cum consulatus honor vilescere Romae inciperet, hanc municipiorum arrogantiam non amplius injustam atque intolerandam visam. Verum minus adridet, quod marmoris hujus fidem videatur nonnihil in suspicionem vocare propterea, quod consulatui nota I. additur, quae nunquam, ut ait, unico consulatui subjecta legitur. Non meminit vir eruditus, in obviis Severi denariis legi COS. I. IMP. I. Apud Gruterum pag. CCCCXXIX. marmore 3. et sequentibus sex legitur Licinii Surae consulatus I. II. III. Tarracone gestus; sed nescio, utrum fidem mereantur haec marmora, quae reipsa videntur unus idemque fuisse lapis, sed varie exscriptus, ut jam advertit Gudius. Si ergo IIviri nonnunquam dicti

---

a) Apolog. p. m. 271. b) de clar. urb. carm. 298. c) Cenot. Pis. diss. I. c. 3.

sunt consules, istud factum eo modo, quo interdum decuriones quoque dicti sunt quasi senatores. Sic vetuit Gratianus, decurionem, et si sic dici oportet, curiae suae senatorem tormentis subdi [a]). Nimirum si haec illis nomina non indulsit jus, aut permissus, at saltem muneris adfinitas, qua ratione ab Apuleio videmus quinquaennali Corinthi fasces tribui [b]).

IIviratum fuisse annuum, non modo eo colligitur, quod munus istud ejusdem fuit cum Romanorum consulatu rationis, sed etiam quod IIviri eodem modo, quo Graecarum urbium archontes, praetores, scribae, iterasse magistratum in numis leguntur, scripto IIVIR. ITER., ut in numis Corinthi aliarumque. Sed hunc morem non aut ubique, aut non semper obtinuisse, apparet ex iis, quae disserit Norisius [c]). In variis urbibus IIviratum fuisse in quinquennium prorogatum, proxime docebitur.

De potestate, jurisdictione, honoribus, electione IIvirorum, tum et reliquorum magistratuum municipalium, de quibus continuo agemus, vide Norisium [d]), et auctores ab eo citatos.

§. II. *IIviri Quinquennales.*

Horum fit mentio in numis

Buthroti Epiri: IIVIR. Q. vel. QVIN. ITER. vel: QVINQ. TERT. vel: QVIN. PER - - - .

Carthaginis Novae Tarraconensis: IIVIR. Q. vel: IIVIR. QVINQ. vel: IIVIR. QVINQV.

Celsae Tarraconensis: Q. vel: II. V. QVINQ. (Florez tab. LII. n. 9. 12.)

Corinthi Achaiae: IIVIR. QVIN. ITER.

Emporiarum Tarraconensis: Q.

Ilici Tarraconensis: Q. vel IIVIR. Q.

Leptis Syrticae: PR. QVIN.

Paesti Lucaniae: QVI. QVIN.

Valentiae Tarraconensis: Q.

Vide alios in numis incertarum urbium apud Florezium tab. LVI.

* * *

Quinquennales non differebant a IIviris ordinariis, nisi quod hi fere annui essent, illi quinquennio rei summae praeessent, quod comprobat ipsum etiam non raro additum nomen IIVIR. Teste Spartiano supra citato Hadrianus in patria sua (Italica Baeticae) quinquennalis fuit. Fuere viri illustres, Spanhemius, Vaillantius, aliique, qui quinquennales non summum fuisse in urbe magistratum adsererent, sed functos munere censorio, quod ut Romae, sic et in coloniis et municipiis vertente anno V. renovari consuevit. At enim post observata Florezii [e]) vix jam amplius superesse existimo, qui sententiae huic volet praestare adsensum. Habemus Caesares, qui variis in urbibus honoris causa esse quinquennales non sunt dedignati. An verisimile, suscepturos eos fuisse munus, quod in urbe quapiam non fuisset praecipuum? Atqui ut Romae censoribus praeibant consules, sic et in coloniis IIviri altioris erant ordinis, quam quinquennales, in hac eorum doctrina censores. Possum in re

a) Cod. L. X. tit. 31. §. 33. b) Metam. L. X. p. m. 209. c) Cenot. Pis. diss. I. c. 3. p. m. 50. d) l. c. e) T. I. p. 50.

jam extra controversiam posita abstinere argumentis aliis, quae Florezius sive ad refutandam sententiam priorem, sive singulares alias, quae fuere Iacobi Gothofredi et Muratorii, in medium attulit.

Exstant numi coloniarum, ut Carthaginis Novae, Ilici, Buthroti, aliarumque, in quorum aliis magistratus simpliciter dicitur IIVIR., in aliis IIVIR. QVIN. Ejus variationis duplex esse causa potuit. In aliis τo QVIN*quennalis* omissum fuerit, quia alioqui constabat, qui in colonia fuere IIviri, eosdem fuisse quinquennales, vel quia nonnunquam fieri poterat, ut aliquamdiu pro IIviris ordinariis eligerentur quinquennales, cujus facti exemplum unum sub Augusto dant numi Corinthi.

Florezius aliquot QVINQ*uennales* PERPETVO ex Gruteri marmoribus collegit, quibus addendus ex numis citatis Buthroti Epiri GRAECINVS. QVINQ. PER.

§. III. *Praefecti IIviri et Praefecti Quinquennales.*

Praefectos numis suis inscripsere urbes sequentes:

Caesaraugusta Tarraconensis: TIB. FLAVO. PRAEF. GERMAN. L. IVVEN. LVPERCO. IIVIR. in numis Augusti. (Florez tab. VI. n. 1. 4. tab VII. n. 9.)

Ibidem: IVNIANO. LVPO. PR. C. CAESAR. C. POMPON. PARA. IIVIR. in numis Tiberii. (Florez tab. VIII. n. 2. tab. IX. 3.)

Ibidem: FVLVIANO. PRAEFECTO. LVPO. IIVIR. in numis Tiberii. (Florez tab. LI. n. 9. 10.)

Calagurris Tarraconensis: PR. IIVIR. C. MAR. M. VAL. in numis Augusti. (Florez tab. XIII. n. 2.)

Celsa Tarraconensis, aut forte verius Carthaginis Novae: IMP. CAESAR. - - C. L. BEN. PRAE. Caput Augusti. Ӿ HIBERO. PRAEF. (Florez tab. LII. n. 8.)

Ibidem: M. AGRIP. Q. V. I. C. HIBERO. PRAE. Caput Agrippae. Ӿ L. BENNIO. PRAEF. (Florez l. c. n. 9. et collato alio, quem olim edidi in meis numis vet. p. 1.)

Ibidem: HIBERO. PRAEF. Ӿ L. BENNIO. PRAEF. in autonomo. (Florez l. c. n. 11.)

Ibidem: TI. NERONE. Q. V. I. C. HELVI. POLLI. PR. Caput Tiberii Ӿ HIBERO. PRAEF. (Florez l. c. n. 10.)

Corinthus Achaiae: M. BARBATIO. MAN. ACILIO. IIVIR. Caput Augusti. Ӿ P. VIBIO. M. BARBA. PRAEF. IIVIR. (Vaill.)

Leptis Syrticae: P. SALPA. M. FVLVI. PR. IIVIR. vel L. NEP. L. SVRA. PR. IIVIR et varii alii. In alio: M. FVL. COTA. PR. QVIN.

* * *

Habemus in his numis certos *praefectos*, indicatos literis PRAE. PRAEF. PRAEFECTO, et, ut dicetur, solis PR. Discimus vel ex ipsis his numis, et docebimus amplius infra capite singulari, principes Romae viros, quin et reges exteros honorario in coloniis municipiisque IIviri vel quinquennalis munere functos; quod cum ii per se obire non possent, pro se suffecere alios, quos praefectos appellare placuit. Atque secundum hanc legem habemus

in numis mox citatis Caesaraugustae Fulvianum praefectum Tiberii, in numis Celsae L. Bennium, Hiberum, Helvium Pollionem praefectos Augusti, Agrippae, Tiberii, et praecipiente adeo analogia in numis item Caesaraugustae Iunianum Lupum praefectum C. Caesaris, etsi hic praefectus solo PR. notetur. Eadem analogia suadet, in numo, quem inter Caesaraugustanos primum stiti, Tib. Flavum tanquam praefectum Germanici Caesaris proponi, et majorem in modum miror, navum adcuratumque Florezium, cui praecedentia exempla probe cognita fuere, obviam hanc explicationem aspernatum, violentam aliam et longe petitam praetulisse, statuendo nimirum hunc Flavum *praefectum cohortis Germanicae* secundum quandam Muratorii inscriptionem. Omissus Caesaris titulus nequaquam obest, quo minus intelligendus sit Germanicus Drusi F., nam verisimile est, numum hunc cusum fuisse eo tempore, quo is in Caesaris domum adoptatus nondum fuit, quo modo etiam in citato Celsae numo legimus tantum TI. NERONE., nimirum quia hic Tiberius Nero tum Caesar nondum fuerit. Non enim Caesarum tantum mentio in coloniarum Hispanicarum numis facta est, sed et virorum cum Caesarea domo adfinitate junctorum, cujus exemplum saepe praebet Agrippa. Sic in numis Gadium apud Florezium a) Tiberius simpliciter dicitur TI. CLAVDIVS. NERO., nondum utique Caesar. Praefectos Caesarum suppeditant etiam marmora. Apud Gruterum Arrius quidam Salanus fertur PRAEF. QVINQ. TI. CAESARIS. PRAEF. QVINQ. NERONIS. ET. DRVSI. CAESARVM b). Haec ut satis certa sunt, sic non aeque certum, utrum scripti in numis *praefecti IIviri* etiam Caesaris alicujus praefecti intelligendi sint tum, cum hic Caesar in numo IIvir vel quinquennalis diserte non dicitur, quo modo in citato Corinthi numo P. Vibium et M. Barbatum videmus dici PRAEF. IIVIR. Enimvero in coloniis praeter IIviros fuisse etiam praefectos, veterum monumenta invicte docent. Legitur in cenotaphio Pisano C. Caesaris: *quando eo casu in colonia neque IIvir, neque praefecti erant, neque quisquam jure dicundo praeerat etc.* et ibidem sub finem: *ea omnia ita fieri, agi, haberi, observarique ab L. Titio A. F. et T. Alio T. F. Rufo IIviris, et ab eis, quicunque postea in colonia nostra IIvir. praefecti sive qui ali magistratus erunt etc.* Existimat Norisius c), cum in coloniis ob decurionum dissidia aliasve causas IIviri creari non possent, fuisse nominatos praefectos, penes quos jurisdictio esset, quousque IIviri nominarentur. Cui quidem conjecturae non possum continuo subscribere. Exstat apud Vaillantium numus Corinthi jam supra citatus:

M. BARBATIO. MAN. ACILIO. IIVIR. COR. *Caput Augusti.*
P. VIBIO. M. BARBA. PRAEF. IIVIR. COR. *Colonus agens boves.*

Teste hoc numo certum est, fuisse Corinthi eodem tempore et IIviros ordi-

a) Tab. XXVII. 2. b) pag. 491. 10. c) Cen. Pis. diss. I. c. 3. p. m. 50.

narios, aliosque dictos praefectos IIviros, neque adeo hos tum demum constitutos, cum creari IIviri ordinarii non possent. At vero quod fuerit horum praefectorum munus, peritiores alii viderint. In citato Caii epitaphio legitur: *utique cum primum per legem coloniae IIviros creare et habere potuerimus, ii IIviri, qui primi creati erunt, ad decuriones referant etc.* Praeeuntibus his verbis lubet conjicere, in nonnullis coloniis praeter IIviros ordinarios lectos fuisse alios, partium, si ita loqui fas est, secundarum, eosque dictos praefectos IIviros, atque etiam, etsi rarissime, ordinariis in moneta additos, ut in praesente Corinthi numo factum. Et fortasse duplicis hujus generis IIviros coloniae aliae conjunctos dixere IIIIviros, quales habuere Carteia et Clunia, ut dicetur infra. Verum isthaec sane incerta.

Agendum denique de sensu literarum PR. In citatis supra numis Caesaraugustae et Celsae dubium non est, eas explendas legendo PR*aefectus*, quia adduntur Caesarum nomina, quorum Lupus et Pollio fuere praefecti. Verum in numo Calagurris et in obviis Leptis scriptum legimus PR. IIVIR., quod aeque certum non est, legendum PR*aefectus*, quia nulla in his adduntur Caesarum nomina, quorum hi fuissent praefecti. Variae igitur fuerunt in explicando hoc aenigmate sententiae, quas in examen vocarunt Pellerinius a), et Florezius b). Iudice Patino c) L. Nepos et L. Sura numis Leptis inscripti fuere, quod hi PR*o* IIVIR*is* coloniae deducendae eo missi essent. Inanis sententia, cum pro his in numis aliis legantur PR. IIVIR*i* Salpa et Fulvius, in aliis Balbus et Porcius, in aliis alii, nisi et hos velimus pro IIviris deducendae coloniae missos. Havercampus literas PR. in aversa numorum Leptis exaratas ad ipsam Leptin in antica scriptum trajicit, et legit PR*ima*, cumque titulum reliquis hujus coloniae titulis addit d). Rationem, cur eam dictam *primam* putet, quoniam perfrigida est, adferre piget. Pellerinius suspicatur e), legendum PR*raetoribus*, primum quia hae literae conjunctae in numis passim praetorem notant, ut S. CATO. PR*aetor*, deinde quia constat, etiam Caesares et reges saepe IIviratum non dedignatos, mirum non videatur, praetores quoque nonnunquam IIviratu honorario functos. Prior ratio nihil probat propterea, quia, ut mox vidimus, literae PR. certum etiam praefectum notant. Parum vero commode huc vocatur exemplum ex numis Cyrenaicis, inscriptis S. CATO. PR*aetor*; nam in his literas PR. legendas PR*aetor*, neque aliter legi posse, comprobat typus sellae curulis. Neque validior ratio altera; nam si v. g. Nepos et Sura fuissent una praetores et IIviri honorarii, sequeretur, eodem tempore fuisse in provincia binos praetores, quem morem aliquando in provinciis obtinuisse, ante omnia probandum fuerat.

Omnibus his expensis, etsi certum quid constitui non possit, admodum ta-

---

a) Rec. III. p. 16. b) Med. de Esp. p. 55. c) ad gentis Corn. tab. III. d) in Fam. Corn. et Fulv. e) l. c.

men videtur verisimile, legi oportere PR*aefectus*, in quam sententiam propendet denique Florezius quoque. Eas sic legendas tum, cum vicarius aliquis pro Caesare IIvir notandus erat, jam vidimus. Sed habemus etiam exempla, extra hunc casum IIviros et quinquennales dictos fuisse praefectos. In citato supra Corinthi numo habemus certos PRAEF*ectos* IIVIR*os*. In marmore Muratorii [a]) PRAEF. PRO. IIVIR. et IIVIR. QVINQ. nulla utrobique praefecti pro Caesare suspicione. In eodem hoc marmore habemus PRAEF*ectum* QVINQ*uennalem*, alium item apud Gruterum [b]), ut adeo scriptum in laudato Leptis numo PR. QVIN. commode expleri possit legendo quoque PR*aefectus* QVIN*quennalis*. Rem commemorare necesse visum, etsi sperare non liceat, in scriptorum silentio nos veras ejus causas, nisi forte arbitrarii fuere hi tituli, reperturos.

§. IV. *IIIIViri.*

Hos in numis suis ostentant:

Carteia Baeticae, expresso jam IIIIviro uno, jam binis.

Clunia Tarraconensis, memorato constanter toto IIIIvirorum collegio.

Colonia incerta, cujus numum primus edidit Vaillantius [c]) adcuratius Morellius in gente Arria, et in suo Thesauro Impp. sub I. Caesare. Legit hic: C. ARRI. A. F. C. AQ. C. IVL. T. ANC. IIIIVIR. QVINQ. EX. DD. At Pellerinio aliter haec IIIIvirorum nomina ex numo simili suo legenda videntur [d]). Praeter hos numos marmora etiam non pauca, tum et Cicero IIIIviros offerunt, quae testimonia collegit Norisius [e]), quibus adde IIIIviros quinquennales municipii Gabiorum inscriptos illustri marmori nuper in ruinis veterum Gabiorum reperto. Quod ad ipsum munus et potestatem attinet, hi a IIviris solo numero differunt. Quod hic in aliis coloniis auctior fuerit, variae esse causae poterant, sive primum earum institutum, sive ut negotiorum moles in plures divisa levaretur praecipue in coloniis hominum frequentia magis conspicuis. Addit Florezius verisimilem causam aliam, ut ad plures hujus honor magistratus pervenire possit, qui quidem honor sterilis non fuit, nam ii, qui eo functi sunt, jus civitatis R. obtinuere, ut dicetur infra §. VII. Nonnunquam colonias variasse institutum suum, sic ut, quae antea IIIIviros habuere, serius IIviris essent contentae, Norisius ex marmoribus probat [f]), non majore istud levitate, quam qua colonias in municipia, haec in colonias migrasse novimus. Vt IIviros vidimus quinquennales, sic ex numo postremo coloniae incertae etiam de IIIIviris quinquennalibus constat. De binis IIviris et totidem praefectis IIviris, ut et de quatuor IIviris, quos Vaillantius in unis iisdemque Corinthi numis cum capite Augusti vidit, vide, quae paragrapho proxime praecedente diximus.

---

a) pag. 746. 8. b) p. 479. 6. c) in colon. sub I. Caes. loco ult. d) Mel. I. p. 247. e) Cen. Pis. diss. I. c. 3. p. m. 45. f) l. c.

§. V. *Aediles.*

Acinipo Baeticae: L. FOLCE. AEDILE. Florez.

Calagurris Tarraconensis: C. VAL. C. SEX. AEDILES. etc. Vide alios apud Florez tab. XIII. n. 5. 10. 11.

Carteia Baeticae: C. VIB. AID. — CN. MAI. L. ARG. AED. Florez.

Celsa Tarraconensis: L. AVFID. PANSA. SEX. POMP. NIGRO. AED. Florez.

Clunia Tarraconensis: L. DOMI. ROBV. T. OCTA. MELA. AED. etc. Florez tab. XX. 4. et tab. LII. 15.

Leptis Syrticae: L. SEMP. MAX. M. CAEC. AED. etc. Florez tab. LVIII.

Obulco Baeticae: L. AIMIL. M. IVNI. AID. Florez.

Parium Mysiae: C. MATVINO. T. ANICIO. AED. Sestini.

Saguntum Tarraconensis: M. BAEB. SOBRINO. L. AEM. MAX. AED. etc. Florez.

Turiaso Tarraconensis: RECTO. ET. MACRINO. AED. Florez.

* * *

Vt Romae in majoris ordinis magistratibus numerabantur aediles, quorum erat, res urbis, annonam, ludosque procurare, sic et coloniae, quae erant velut parvae urbis imagines, suos habebant aediles principi magistratui subjectos. Testibus numis, Calagurris, Celsa, Leptis, Parium, Saguntum, Turiaso suos habuere IIviros, Carteia et Clunia IIIIviros, singulae tamen suos quoque habuere aediles. Alia praeter numos exempla recenset Norisius a). Interim certum est etiam, fuisse colonias et municipia, quorum summus magistratus fuere aediles. Argumento esto locus Spartiani semel iterumque citatus, quo perhibente Hadrianus *per Latina oppida dictator, et AEDILIS, et IIvir fuit.* Atqui credibile nullo pacto est, delatum a coloniis summo imperanti honorem, qui apud se summus non fuisset. Aliud de Arpino luculentum habemus Ciceronis testimonium. *Nam*, inquit b), *constituendi municipii causa hoc anno AEDILEM filium meum fieri volui, et fratris filium, et M. Caesium; is enim magistratus in nostro municipio, nec alius ullus, creari solet.* Qua ex oratione discimus etiam, fuisse colonias ac municipia, quae a tribus aedilibus regerentur. Numi plures duobus non memorant. Aedilium municipalium frequens est in marmoribus mentio.

At, inquies, Calagurris, Celsa, aliaeque suos habuere IIviros, cur non hi semper monetae illati fuere, sed nonnunquam etiam aediles inferioris subsellii magistratus? Ajo, aediles coloniarum numis ex eadem aut simili causa fuisse inscriptos, ex qua aediles curules vel plebejos Romanorum denariis fuisse inscriptos in horum tractatu docebimus. Vt enim in urbe interdum ex certis causis datum praetoribus, quaestoribus, aedilibus feriundae monetae negotium, eorumque tum illi inserta fuere nomina, sic et in coloniis

a) Cen. Pis. diss. I. c. 3. p. m. 56. b) ad famil. L. XIII. ep. 11.

sive causa parandae annonae, sive ludorum datum aedilibus aes rude, quod deinde ad praesentem usum flarent ferirent, additis ex simili causa nominibus suis.

§. VI. *Decuriones.*

De his jam principio aliqua delibata, neque multo plura dicenda restant. Nimirum quod Romae fuere senatores, istud in coloniis decuriones. His necesse fuit esse censum centum millium, et ex eorum numero capti magistratus, quemadmodum et horum suffragiis creati fuere IIviri, praefecti jure dicundo etc. Decuriones conscripti dicti fuere *ordo*, addito honoris causa *splendidissimus*, *amplissimus*, etc. dicti etiam interdum urbis exemplo *senatores*, *patres*, praecipue inclinante imperio, reliqui *plebs*, *populus*, *cives*, *coloni*. Vide de universa hac ratione plura opportune collecta a Norisio [a]), et serius a Florezio [b]).

Decurionum nomina coloniarum numis inscripta nunquam leguntur, sed pro his frequenter non in Europae modo coloniis, sed et Asiae et Africae leguntur siglae DD. vel EX. D. D. id est: EX. D*ecreto* D*ecurionum*, quod aequivalet Romanorum EX. S. C. In numo Corinthi, quem citat Morellius [c]), legitur scriptum literis Graecis Δ. Δ. Siglas D. D. vel EX. D. D. offerunt Abdera, Apamea, Babba, Buthrotum, Carteia, Carthago Nova forte, Parium, Sinope. Singularia sunt in numis Babbae Mauretaniae: D. D. PVBL. id est: D*ecreto* D*ecurionum* PVBL*ico*; et: EX. CONSENSV. DD. In numis Vticae: DD. PP.

In municipiis quoque fuisse decuriones, certum est cum ex numis Oscae apud Florezium, et Vticae, in quibus D D expressum legitur, tum ex auctoribus, quos inter Suetonius [d]): *Corpus decuriones municipiorum et coloniarum a Nola Bovillas usque deportarunt.* Eaedem literae occurrunt etiam in numis municipiorum Calagurris, Emporiarum, Ercavicae, et Sagunti, sed sic, ut non matrici fuerint insculptae, sed instar signorum incusorum adhibitae, quod in coloniarum numis nondum observatum. Ex quo colligo etiam, Traductam Baeticae, in cujus numo eadem comparet nota, municipii tantum jura habuisse.

Verisimile est, notatos fuisse in numis decuriones, quia ad hos rei monetariae negotium, post impetratum sive ab Augustis, sive senatu R. permissum, spectato pondere, typis, numero etc. videtur pertinuisse. Vt ergo senatus R. monetae aeneae, cujus feriundae cura ad se pertinuit, incidi curavit suum S. C., sic et decuriones, qui in coloniis senatorum imago fuere, monetae domesticae suum D*ecretum* D*ecurionum* imprimendum curaverunt.

§. VII. *De conditione magistratuum municipalium.*

Fulvius Vrsinius, qui post Goltzium

---

a) Cen. Pis. diss. I. c. 3. p. m. 63. b) T. I. p. 64. c) in fam. Aemil. d) in Aug. c. 100.

primus familiarum R. numos collegit vulgavitque, in horum catalogum non recepit numos peregrinos, qui magistratus municipales inscriptos offerunt. Indulgentior Carolus Patinus aucto suo Vrsino non paucos inseruit numos ejus generis magistratuum, quando communia cum gentibus R. nomina se obtulere, ejusque vestigiis institere, qui secuti sunt, Vaillantius, et Morellius. Generatim Patinus, Vaillantius, et qui in Morellii numos commentatus est, Havercampus censuere, hos IIviros, aediles etc. qui Aebutii, Aemilii, Iunii etc. vocantur, aut vere ex horum esse sanguine prognatos, et ex urbe in colonias traductos, aut horum esse libertos. Romani omnes fuisse sanguinis, docet Florezius [a]) Libertos adseruit Gallandus, qui in epistola, quae exstat in Memoriis Trevoltiensibus [b]), et restituta est in Electis Woltereckii [c]), amice objurgat Morellium, quod et ipse videatur velle miscere cum nobilibus Romanorum gentibus homines municipales, libertos patribus servis prognatos, qui adeo praeter nomen, quod, quia horum liberti fuere, ab his ex more acceperunt, nihil cum iis habuere commune. Operae igitur pretium videatur inquirere, primum, fuerintne IIviri gentibus R. cognomines ex his etiam oriundi, deinde, an harum liberti, an denique indigenae ad magistratus domesticos evecti. Lubet argumentum istud, hactenus, quod norim, fere neglectum, adcuratius tractare.

Qui municipales hos praefectos ex gentibus R. prognatos existimant, uno nituntur fundamento, nominis concordia. Sin istud, necesse erit, fateantur etiam, paene omnes imperii R., qua patuit, incolas ab his genus duxisse, quia sensim omnes huic imperio subjecti abjectis nominibus patriis Romana respexerunt. Apollonius Tyanensis graviter Ionas increpat [d]), quod cum Graeci esse et existimari vellent, haberentque prius nomina heroum et virorum illustrium, nunc essent Luculli, Fabricii, Lucii; et mox infra [e]): *tu*, inquit ad Hestiaeum, *repente vis vocari Lucretius, vel Lupercus. A quonam vero horum genus ducis?* Vide et consona in vita Apollonii Tyanensis [f]). Hi ergo Iones, verique Graeci, an a Lucullis, Fabriciis etc. sati? Taceo tot archontes, strategos, scribas, aliosque omnis fortunae viros, quos nobis suppeditant marmora ac numi, Romanis plane nominibus praeditos. Cornelii Balbi Gadibus orti fuere, et a scriptoribus passim dicti homines externi, ut diximus in moneta Gadium, non igitur a Romanis Corneliis, ut neque Agrippae Iudaeae reges a Romano Agrippa oriundi. An denique verisimile, Aemiliae, Iuliae, Iuniae, patriciarum gentium surculos, ab ipsa prosapia ad amplissima imperii munera destinatos, Acinipone, Ilici, Obulcone, aliisve oppidis ignobilibus IIviratum vel aedilatum obeundo maximas suas spes voluisse retardare? nisi quis forte possit comprobare, illustres hos viros honoris tantum causa municipalem hunc ma-

a) T. I. p. 16. b) Majo 1702. c) pag. 67. d) Epist. 71. e) Epist. 72. f) L. IV. c. 5.

gistratum suscepisse, quod non raro factum dicetur articulo sequente. Sed cesso res suapte claras amplius illustrare.

At fuere, ut adfirmant alii, magistratus municipales earum gentium, quarum praeferunt nomina, liberti vel libertini. Quod etiam si interim permittamus, eorum numi inique cum numis gentium R. miscentur. Teste enim Cicerone [a]) *gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt, qui ab ingenuis oriundi sunt, quorum majorum nemo servitutem servivit etc.* Idem docet Festus [b]). Ergo liberti huc vocari non possunt, quia neque ab ingenuis oriundi sunt, et ipsi pistrinum, stigmata, et herorum lora olim expaverunt. At vero viri eruditi, qui honores municipales libertis libertinisve indulserunt, non videntur meminisse, lege lata his curiam fuisse interdictam. Legis Viselliae ex Diocletiani constitutione cognitae [c]) sententia haec est: *Lex Visellia libertinae conditionis homines persequitur, si ea, quae ingenuorum sunt, circa honores et dignitates ausi fuerint, attentare, vel decurionatum appetere, nisi jure aureorum annullorum impetrato a principe sustineantur. Tunc enim, quoad vivunt, imaginem, non statum ingenuitatis obtinent, et sine periculo ingenuorum etiam officia peragunt publica.* Vide constitutionem similem aliam [d]). Si ergo ex lege ordinaria libertis decurionatum appetere vetitum fuit, quo ii modo IIviri esse poterant, cum juxta Paulum ICtum [e]) is, qui non sit decurio, IIviratu vel aliis honoribus fungi non possit? Accedit, si coloniarum magistratus libertis conferri essent soliti, an viri principes, ut dicetur articulo proximo, salva majestate fungi potuissent IIviratu, ad quem aditus patuit libertis, qui, etsi manumissi, despectae tamen vulgo conditionis fuere, et ex lege variis in causis suis adhuc patronis obnoxii? Quod si lubet magistratus municipales statuere libertos propterea, quod gentium R. jactent nomina, nihil obest, quo minus libertos dicamus etiam copiosos Graecorum archontes, praetores, Asiarchas etc. et quod magis mirum videatur, Ti. Iulium Sauromaten, Ti. Iulium Rhescuporiden reges Bosporanos, L. Antonium Tarcondimotum Ciliciae regem, Iuliam Berenicen regio Iudaeorum sanguine prognatam, aliosque complures. Sed haec sententia magis refutabitur ab iis, quae sequentur.

Statuendum igitur, magistratus municipales lege ordinaria captos fuisse aut ex ingenuis Romanis, aut ingenuis indigenis. Illos regendis coloniis fuisse admotos, nemo poterit in dubium vocare, nisi qui una contenderit, emissos ex urbe colonos nonnisi ex libertis, servis, et ultima hominum faece constitisse. Vtar argumento unico, eoque in utramque partem valituro. Strabo haec de Corduba [f]): *ᾤκησαντε ἐξαρχης Ρωμαιων τε και ἐπιχωριων ἐπιλεκτοι ἀνδρες, και δη και πρωτην ἀποικιαν ἐις τουσδε τους τοπους ἐστειλαν* Ρωμαιοι, *habitarunt eam primum Romanorum et indigenarum viri illustres, eamque primam coloniam in*

a) Topic. c. 6. b) sub Gentilis. c) Cod. L. IX. tit. 21. d) Ibid. L. X. tit. 32.
e) D. de decur. f) p. m. 207.

hanc oram miserunt Romani. Sane vulgo creditur, propterea eam dictam coloniam *Patriciam*, quod non pauci patriciorum filii ibi consederint. Ergo tot deductis ex urbe in provincias coloniis dubitari nequit, magnam IIvirorum partem sanguinis fuisse vere Romani. Ad indigenas quod attinet, mox ex Strabone vidimus, Cordubam non modo claris Romanis, sed et illustribus indigenis fuisse frequentatam. Neque vero deductis in aliquam urbem novis colonis exclusos a publicis muneribus indigenas veteres, certi sumus ex Scipionis legibus in constituenda colonia Agrigento latis, quibus cautum est, *ne plures essent in senatu ex colonorum* (recens deductorum) *numero, quam ex vetere Agrigentinorum* a). In iis vero urbibus, quae coloniae jura obtinuerunt, quin exteri illuc coloni mitterentur, cujus facti initio hujus tractatus exempla dedi, suapte patet, indigenas fere solos remp. moderatos. Quid quod constat etiam, barbaros a coloniis in civitatis et munerum communionem adscitos. In praeclaro marmore panegyrico coloniae Tergestinae apud Gruterum b) laudant Tergestini Fabium Severum, quod ab Antonino Pio impetravit, *uti Carni Catalique attributi a D. Augusto Pio reip. nostrae, prout qui meruissent talia, absque censu per aedilitatis gradum in curiam nostram admitterentur, ac per hoc civitatem R. adipiscerentur - - - admittendo ad honorum communionem et usurpationem R. civitatis ut optimum et locupletissimum quemque - - - ut et ipsi sint, cum quibus munera decurionatus ut paucis jam onerosa honeste de plano compartiamur.* Atqui hi Carni Catalique decurionatus honore donati ad IIviratum etiam eniti poterant, et ubi tum, quod semper fieri consuevit, Romanarum se gentium nominibus ornaverunt, an dici poterant vel ab iis oriundi, vel earum liberti? Enimvero si Iulius Caesar quosdam e semibarbaris Gallorum in curiam R. recepit c), multo deinde plures Claudius d), quo pacto indigenas ab obeundis domi suae muneribus publicis, iisque multo levioris momenti, arcebimus.

Qui inscriptos numis IIviros, aediles etc. esse Romanorum libertos opinati sunt propterea, quod horum essent nominibus insignes, animum non adverterunt, praeter beneficium herile manumissione impetratum alias adhuc fuisse causas adoptandi nominis Romani. Qui, peregrinus cum esset, civitate R. donatus fuit, ejus, a quo beneficium istud impetravit, plerumque nomina sibi imposuit. Cicero e): *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est. - - - Ei Dolabella rogatu meo civitatem a Caesare impetravit. Itaque nunc P. Cornelius vocatur*, nempe ex gentilitio Dolabellae nomine. Idem alibi f) *a Q. Lutatio Diodoro, qui Q.* (Lutatii) *Catuli beneficio a L. Sulla civis R. factus est.* Vide exempla alia apud Sigonium opere de nominib. Rom. §. de praenominib. imponend. Atqui certum est etiam, peregrinos ante acceptam civitatem, et sola ejus adipiscendae spe no-

---

a) Cic. in Verr. L. II. c. 50. b) pag. 408. c) Sueton. c. 76. d) Tacit. Ann. XI. c. 23. seq. e) ad Famil. L. XIII. ep. 36. f) in Verr. L. IV. c. 17.

mina sibi Romana imposuisse. Etenim videmus, omnes fere omnium coloniarum IIviros, aediles etc. id genus nominibus esse praeditos. At vero non semper, cum IIviratum, aedilatum etc. adirent, vel eo fungerentur, jam habebant jus civitatis, sed illud sibi obeundis his per colonias Latinas magistratibus demum sunt emeriti. En hujus testem Appianum a): *Vrbem Novocomum Caesar in Alpibus addito Latii jure condidit, quo continebatur hoc, ut qui annuum ibi magistratum gessisset, civis R. fieret.* Vide de hoc plura in nota Bimardi b). Reliquae adjecti nominis R. causae peregrinis fuere clientela, hospitium, adfectus, adulatio, quorsum pertinet adductum supra regum exemplum, ac denique una libido. Neque enim morem hunc exprobrare Ionibus potuisset Apollonius, de quo egimus supra, si veram eo utilitatem percepissent. Alioqui vetus erat inter Graeculos consuetudo, adsentandi studio potentioris cujuspiam nomen captare. Teste Polybio c) Aristomenes quispiam, Agathoclis, qui magnum in Ptolemaeorum aula nomen habuit, fortunam sectatus, natae sibi filiae Agathocleae nomen dedit. Ineptus Demeas rhetor apud Lucianum Timoni misanthropo blanditus narrat, se filio Timonis nomen imposuisse. Enimvero an non credibile, hunc morem in ipsa hominis natura esse positum, cum nuper ipsi insularum maris Pacifici incolae, omnium, quae extra coelum suum agerentur, rudes, testandae benevolentiae causa Anglorum hospitum nomina sumpserint? ut perhibent Cookianorum itinerum enarratores. Hae ergo causae plane persuadent, sub nominis R. velamine non semper aut hominem gentis R. aut ejus libertum, sed frequentissime peregrinum latere, et quod colligi potest, notatos in numis coloniarum magistratus plerumque fuisse homines conditionis peregrinae.

Interea nolim quis existimet, a me gentium R. viros, aut libertos etiam ab obeundis muneribus municipalibus penitus excludi. De IIviris vere Romanis jam aliqua praecepi, et Cicero, ut supra in Aedilibus dixi, suum et fratris filium aediles Arpini fieri voluit, quibus adde ex illustribus gentibus IIviros honorarios, de quibus proxime. Enimvero facile adducor ut credam, quando in numis coloniarum, praecipue illustriorum, cum nomine gentis R. jungitur cognomen, quod illi genti proprium fuit, tum hominem R. haud dubie indicari. Moris enim fuit, ut sive manumissus, sive civitate donatus, sive quocunque modo cliens praenomen tantum, et nomen ejus adsumeret, qui vel manumisit, vel civitate donavit, vel patroni loco esse voluit, iisque vetus suum cognominis loco adderet. Sic ut exemplis tantum inhaeream a Sigonio adductis d), Tiro et Laurea a M. Tullio Cicerone manumissi deinceps dicti fuerunt, ille M. Tullius Tiro, hic M. Tullius Laurea. Diodorus a Q. Lutatio Catulo civitate donatus nomina subinde habuit Q. Lutatii Diodori, quibus adde illustres clientes reges jam supra laudatos Ti. Iulium Sauro-

a) Bell. civ. L. II. c. 26. b) ad Iobert. T. II. p. 79. c) Hist. L. XV. c. 29. d) l. c.

maten, L. Antonium Tarcondimotum, M. Antonium Polemona etc. Addo luculentum exemplum aliud. Narrat Artemidorus [a]), servo cuipiam secundum quietem visum, tria se habere *αἰδοια*. Significavit imago, eum paullo post manumissum iri. Nam impetrato hoc beneficio, ut ait ineptus hic somniorum interpres, *ἀνθ' ἑνος ὀνοματος τρια ἐσχε, δυο τȣ ἀπελευθερωσαντος προσλαβων ὀνοματα*, *pro uno nomine tria habuit, duobus a manumittente adsumptis.* Contra cum in numis Carthaginis Novae, coloniae in paucis illustris, lego IIvirum M. Postumium Albinum, cum Albinus vulgatum fuerit cognomen gentis Postumiae, nequaquam dubitavero, eum cum clara gente Postumia connectendum. Libertos vero, praeterquam quod, ut supra dixi, impetrato aureorum annulorum jure ad dignitates municipales pervenire poterant, quis inficiabitur, in ea, qua olim saepe fuerunt, potentia, extra ordinem potuisse arripere IIviratum? Sane non dubito, M. Antonium Hipparchum, quem Corinthi numi IIvirum sistunt, fuisse M. Antonii IIIviri libertum ex Plutarcho cognitum, ut dixi in ejus coloniae moneta. Neque etiam dubitari potest, ad municipales honores pervenisse eos, qui ex S. C. manumissi, et in libertinorum coloniam transcripti fuere, cujus generis fuisse Carteiam docet Livius [b]). Enimvero omnis haec disputatio eos solum ferit, quibus hi magistratus aliud visi non sunt, quam vel gentium R. surculi, vel liberti aut libertini.

§. VIII. *Caesares et Reges IIviri.*

Horum quoque adornare catalogum, et referre, quae huc pertineant, non inutile videatur.

* * *

Augustus Quinquennalis Celsae.

M. Agrippa Quinquennalis Celsae.

Ti. Caesar Quinquennalis Celsae et IIvir Corinthi.

Germanicus et Drusus Ti. F. IIviri Acci, IIIIviri Carteiae.

Nero et Drusus Germanici filii IIviri Caesaraugustae et Carthaginis Novae.

C. Caesar Caligula IIvir Caesaraugustae et Carthaginis Novae.

* * *

Iuba II. et Ptolemaeus Mauretaniae reges IIviri forte Carthaginis Novae.

* * *

Caesares et Augustos nonnunquam per imperii urbes magistratu honorario functos, docet cumprimis citatum saepius Spartiani testimonium, in causa praesente classicum, et quod hoc loco plenius recito. Haec enim ille de Hadriano: *In Hetruria praeturam imperator egit, per Latina oppida dictator et aedilis et IIvir fuit, apud Neapolin demarchus, in patria sua quinquennalis, et item Adriae quinquennalis, quasi in alia patria, et Athenis archon fuit.* Idem ergo factum in coloniis, quod nonnunquam in urbibus liberis. Hadrianum Athenis archontem, mox ex Spartiano vidimus. Testibus

a) Oneirocrit. L. I. c. 47. b) L. XLIII. c. 3.

numis Trajanus Byzantii, urbe libera, summum magistratum gessit. Cum numis et scriptoribus conspirant marmora. In lapide municipii Consaburensis Hispaniae Tarraconensis apud Gruterum [a]) legitur: EO. ANNO. QVO. ET. OPTIMVS. IMP. HADRIANVS. ETIAM. DVVMVIRATVS. HONOREM. SVSCEPIT. In tabula Praenestina, quam edidit Petrus Fogginius [b]), leguntur GERMANICVS. CAESAR. DRVSVS. CAESAR. QVINQ*uennales* Praeneste. Exempla alia ex marmoribus vide apud Florezium [c]). At tum pro Caesaribus magistratum in coloniis obivisse praefectos IIviros, docuimus supra §. III. Eodem modo stante adhuc rep. illustres Romae viros in vicinis coloniis IIviratum gessisse, ut Pisonem, et Pompejum M. Capuae, ex Cicerone docet Norisius [d]).

De Iuba II. et Ptolemaeo IIviris vide, quae in eorum moneta notavimus.

SECTIO VI.

DE TYPIS IN NVMIS COLONIARVM ET MVNICIPIORVM.

Habent numi coloniarum aut certos suos typos, a quibus non facile discessum, aut variantes nulla certa lege. Prioris generis sunt v. g. mulier stans cum signis militaribus Viminacii, caput Ammonis Cassandriae, mulier rupi insidens emergente subtus fluvio Antiochiae Syriae etc. Alterius generis numi aut typos habent vagos, obvios, suique temporis testes, aut magis eruditos, nimirum argumentis a fabulis domesticis apud se natis, et remotissima urbis antiquitate petitis, etsi horum nihil ad earum urbium colonos adventitios, et foris natos nunc amplius pertineret. Paucis exemplis ut utar, obvia res in moneta coloniae Corinthi fabula Melicertae, ejusque mirum variae peristases, Bellerophon ejusque mancipium Pegasus etc. in moneta Tyriorum deductae ab his Thebe et Carthago, institutae in ipsum Oceanum navigationes, petrae ambrosiae, murex lanae in purpuram tingendae materia etc. Iam vero de privatis his typis hoc loco non agimus, quia opportunius in singularum urbium moneta erant commemorandi. At agendum hic jure de typis iis, quos

a) pag. 421. b) Fasti Verrii in praef. p. XIV. c) Tom. I. p. 143. d) Cen. Pis. diss. I. c. 3. sub. init.

nonnisi coloniae R. sibi proprios habuere, quin eos sibi urbes liberae adrogarent. Eccos:

I. *Vir togatus velatus par boum aratro junctum scutica impellit.*

Typum hunc reperi in numis

Aeliae Capitolinae.
Antiochiae Pisidiae.
Apameae Bithyniae.
Beryti Phoenices.
Bostrae Arabiae.
Caesaraugustae Tarraconensis.
Caesareae Samaritidos.
Corinthi Achaiae.
Dertosae Tarraconensis.
Emeritae Lusitaniae.
Heliopolis Coelesyriae.
Neapolis Samariae.
Parii Mysiae.
Patrarum Achaiae.
Ptolemaidis Galilaeae.
Rhesaenae Mesopotamiae.
Romae Latii, ex numis Romanis Commodi.
Sidonis Phoenices.
Sinopes Paphlagoniae.
Tyanorum Cappadociae.
Tyri Phoenices.

* * *

Hunc typum soli offerunt coloniarum numi, quia sacer ritus illo propositus nonnisi in condendis Romanorum coloniis observatus fuit. Eum passim a philologis descriptum reperias, et hos inter paucis ac nitide ab Heineccio [a]): Quoties aut urbs nova exstruenda, aut colonia condenda erat, toties conditor vel IIIvir coloniae deducendae cinctu Gabino ornatus aratro aptabat aeneum vomerem, junctisque bobus mare et femina ipse circum lineamenta profundum ducebat sulcum. Sequebantur coloni, et excisas aratro glebas intro vertebant. Vbi portam esse volebant, vomere exempto atque aratro sublato relinquebant spatium. Ducto sulco cum boves illi, tum aliae victimae immolabantur diis medioxumis, et tum demum exstruendis muris admovebantur manus. Adhibebantur et alia quaedam boni ominis causa, ut Festus docet voce *Quadrata*, quae tamen qualia fuerint, hodie ignoramus. Iam vero ex his facile reddideris rationem, cur moenia, non autem portae, sancta visa sint. Eae enim auspicato non signabantur aratro, quia per illas cadavera aliaque impura evehenda erant. Hucusque Heineccius citatis orationis suae vadibus, et confer Florezium [b]). Addo locum Catonis in Originibus citatum a Servio [c]), quo numorum similium typus ad amussim exprimitur: *Conditores enim civitatis taurum in dexteram, vaccam intrinsecus jungebant, et incincti ritu Gabino, id est: togae parte caput velati, parte succincti, tenebant stivam incurvam etc.* quo loco et ritum Gabinum explicatum habes, de quo plura erudite collegit Norisius [d]). Eodem pertinet, quod refert Dio [e]), Commodo, quippe

a) Ant. Rom. L. II. tit. I. §. 9. b) Med. de Esp. p. 87. c) ad Aen. VII. 755. d) Cen. Pis. diss. III. c. 7. init. e) L. LXXII. §. 15.

coloniae Romae conditori, statuam auream mille librarum cum tauro, et vacca fuisse positam. Vide ad hanc causam etiam numos Commodi ad annum V. C. 943.

Sacra haec caerimonia circumducendi aratri non in coloniis modo e fundamento exstructis observata fuit, sed etiam in iis, quae, cum urbis jam formam haberent, per colonos adventitios, aut etiam tantum Romanorum beneficio coloniae jura obtinuerunt. Enimvero fuit Casilinum originis vetustae, et jam olim colonia auspicato constituta, et tamen cum M. Antonius novissime coloniam eo mitteret, aratri religionem non neglexit, docente istud Cicerone his in eum verbis invecto a): *Casilinum coloniam deduxisti --- ut vexillum tolleres et aratrum circumduceres.* Quare nequaquam mirum, in numis earum coloniarum, quae antiquissimae fuerunt prosapiae, ut Beryti, Sidonis, Tyri, Patrarum, ipsius quin etiam Romae secundum Commodi numos, signari aratrum. Quanquam ex Cicerone recte intelligimus, non urbis modo, sed et territorii coloniae adsignati ambitum aratro definitum. Sic enim citatam mox orationem prosequitur: *cujus quidem vomere portam Capuae paene perstrinxisti, ut florentis coloniae territorium minueretur.*

Observandum praeterea, in nullo municipiorum numo aratri typum conspici, ac jure istud; neque enim, ut initio hujus tractatus diximus, illa eadem fuerunt conditione, qua coloniae, quae ex civitate propagatae jura instituta que omnia populi R., non sui arbitrii habuerunt, et urbis R. quasi effigies parvae sunt visae. Quapropter quemadmodum Romulus, cum Romam conderet,

Inde premens stivam designat moenia sulco,
Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.

ut ait Ovidius b), sic et ejusdem modi ritus in propagandis coloniis fuit adhibitus. Vnde et certa ratio petitur, cur in numis Graecarum coloniarum, quae variis typis suum cum metropoli nexum profiteri sunt solitae, nunquam sacerdos arans compareat, quia hic ritus Romanis tantum fuit proprius, non vero etiam Graecis.

II. *Signa militaria et legiones.*

Persaepe haec in coloniarum numis occurrunt, non tamen solis, ut dicetur. Modi, quibus illa in his proponi consueverunt, variant, quos enumero:

Signa militaria sola, qualia videre est in numis Acci, Caesaraugustae, Emeritae, Beryti etc.

Signa militaria adscriptis legionum nominibus. Vide numos Acci, Caesaraugustae, Patrarum, Beryti etc.

Signa militaria una cum sacerdote arante. Vide numos Ptolemaidis. In nonnullis Antiochiae Pisidiae, et Patrarum *ipse sacerdos arans pro solita scutica vexillum tenet.*

In numo Caesaraugustae anticam oc-

a) Phil. II. 40. b) Fast. IV. 825.

cupant *signa militaria*, aversam *sacerdos arans*.

In numis Viminacii obvium est videre mulierem stantem, et singulis manibus singula signa tenentem.

* * *

Signa militaria in coloniarum numis plerumque indicare colonias militares, dubitari nequit. Milites enim in colonias mittebantur, partim quod emeriti essent et stipendiis confectis, partim maturius in navatae operae praemium, quod sub IIIviris perfrequens, partim ut imperii fines tuerentur. Multo autem certius colonia militaris putanda, quando vexillis legiones, earumque numeri sunt adscripti, ut LEG. XI., sed qui non raro supprimuntur. Iam vero constat, milites in colonias transcriptos eo cum vexillis et in turmas divisos profectos. Tacitus jam supra citatus [a]): *Non enim, ut olim, universae legiones deducebantur, cum tribunis et centurionibus, et sui cujusque ordinis militibus*. Et Hyginus [b]): *Multis legionibus contigit bellum feliciter transigere, et ad laboriosam agriculturae requiem primo tyrocinii gradu pervenire. Nam cum signis et aquila et primis ordinibus ac tribunis deducebantur*. Coloniarum militarium auctor Sulla dictator vulgo fertur, quod Caesares subinde sunt imitati.

Ope typorum hactenus descriptorum, videlicet sacerdotis arantis et vexillorum, conjecit Fabrettus, erui posse discrimen inter colonias plebejas et militares [c]). Nam, inquit, plebejas aratro, militares aquilis et signis discretas fuisse, at eas, quae aratrum et signa promiscue in variis numis adsumunt, vel in eodem jungunt, primam deductionem e civibus, supplementum e veteranis indicare. Fabrettum passim sequitur Vaillantius. Sed enim hanc sententiam cum scriptores, tum numi evertunt. En orationem Velleii [d]): *Neque facile memoriae mandaverim, quae, nisi militaris, post hoc tempus deducta sit*. Tempus istud signat consulatu Marii VI., qui sextum processit V. C. 653. Ergo si hoc standum est testimonio, militares etiam fuerunt Berytus, Caesaraugusta, Corinthus, Emerita, Patrae, Sinope, omnes a I. Caesare, vel Augusto, et quod sequitur, post dictatum a Velleio tempus deductae, et tamen omnes hae virum arantem offerunt. Neque poterit Fabrettus aratorem suum tueri dicendo, hoc typo primam deductionem e civibus notari; nam certum est, omnes modo memoratas urbes ante constitutam ab utroque Caesare deductionem colonias non fuisse, ergo simul colonias, simul secundum Velleium militares, quod ipsum arguit vel nomen Emeritae, testibus scriptoribus coloniae Lusitaniae ab emeritis militibus inditum. Invehitur in M. Antonium Tullius [e]): *Casilinum coloniam deduxisti, ut vexillum tolleres, et aratrum circumduceres*. Militarem fuisse, patet ex Velleii verbis, et tamen in ea deducenda aratri usus valuit. Eodem modo vexillum sic fuit coloniarum militarium symbolum, ut tamen etiam plebejis non adversaretur. Nam etiam cum coloniae

a) Ann. XIV. 27. b) de limitib. c) de columm. Traj. p. 11. d) L. I. c. 15.
e) Phil. II. c. 40.

plebejae deducerentur, coloni sub vexillis profecti sunt. Docet istud Plutarchus, cum narrat, vexillum princeps, cum Carthaginem a C. Graccho colonia deduceretur, vento fuisse diffractum [a]). Fuit tamen haec colonia non militum, sed egenorum civium. Ex hactenus ergo dictis istud certum, aratri typum coloniis aeque plebejis ac militaribus convenire, atque istud etiam de vexillis posse adfirmari; tametsi quod ad nostrum institutum attinet, otiosum videtur inquirere, utrum signa militaria coloniam militarem arguant. Etenim coloniae, quarum habemus superstites numos, dempta una alterave, omnes fuere militares, nimirum a Caesaribus deductae, ut adeo absque errandi periculo liceat statuere, signata in coloniarum numis vexilla milites in his constitutos respicere, eodem sane modo, quo vexilla in numis urbium non coloniarum conspicua excubantes apud se cohortes respiciunt. Sic in numis Italicae, quae municipium fuit, comparent vexilla, item in numis Nicaeae et Iuliopolis Bithyniae, Hieropolis Cyrhesticae, quae omnes coloniae non fuere, et cum omnis Aegyptus colonias non haberet, numi Alexandrini imperantibus Numeriano et Carino signati legionem II. Trajanam typo aquilae legionariae exhibent. Vide de hoc argumento etiam Bimardum ad Iobertum T. II. p. 68.

III. *Lupa gemellos lactans.*

Offerunt hunc typum in numis suis

Alexandria Troas.
Antiochia Pisidiae.
Apamea Bithyniae.
Coela munic. Thraciae.
Damascus Coelesyriae.
Deultum Thraciae.
Germe Galatiae.
Iconium Lycaoniae.
Italica munic. Baeticae.
Laodicea Syriae.
Neapolis Samariae.
Parium Mysiae.
Patrae Achaiae.
Philippi Macedoniae.

Romulum et Remum a lupa nutritos perpetuum fuisse originis rei R. symbolum, ex innumeris monumentis constat. Quapropter eundem typum sibi legerunt potissimum coloniae, ut se velut a communi matre propagatas profiterentur. Quo modo etiam Probus Augustus, haud dubie ut se genere Romanum profiteretur, numos edidit inscriptos: ORIGINI. AVG. typo gemellorum lactentium. Eodem typo, sed rarius, usa sunt etiam municipia, quia poterant, velut adoptionis quadam specie, urbis Romae filiae putari. Videtur etiam eum typum peregrinis urbibus suasisse adfectus, aut adulatio, nam illum sistit numus Thyatirae Lydiae apud Sponium [b]).

Praecipiente Harduino [c]) urbes, quarum numi proponunt geminos a lupa lactatos, ipsa hac imagine profitentur, se esse colonias vel municipia civium R., at illae, quae hoc typo usae non sunt, jure tantum Latii gavisae

---

a) In Graccho p. m. 839. b) Voyage T. III. p. 183. c) in Antirrhet. p. 136.

sunt. Praestare puto, opinionem tam singularem ne velle quidem refutare, cum aliquando desinere oporteat, sententias quascunque falsi convictas, ac propterea jam palam fastiditas, novis commentariis inferre, et charta et tempore melioris sibi notae argumentum petentibus. Qui disputatam hanc litem volet, praeter auctores antiquiores alios adeat Bimardum [a]), et Florezium [b]).

Ad eandem ab urbe Roma ductam originem pertinet etiam typus, quo fingitur Aeneas Anchisen gestans comite Ascanio, et quo usae sunt coloniae Apamea Bithyniae [c]), et Berytus [d]).

IV. Silenus stans d. elata, s. utrem humero injectum.

Occurrit haec imago in numis coloniarum

Alexandriae Troadis.
Beryti Phoeniciae.
Bostrae Arabiae.
Coelae munic. Thraciae.
Damasci Coelesyriae.
Deulti Thraciae.
Laodiceae Syriae.
Neapolis Samariae.
Parii Mysiae.
Patrarum Achaiae.
Sidonis Phoeniciae.
Tyri Phoeniciae.

*
* *

Typum hunc esse numorum hujus classis proprium, non modo eo verisimile fit, quod in tot coloniarum numis reperitur; sed etiam, quod in unis. Neque enim in ullo urbium non coloniarum numo Silenum hoc modo, quo diximus, expressum videmus. Vt adeo non dubitaverim, quod ab alio antea factum non observavi, hunc typum aequo jure atque illos, de quibus hactenus egi, in coloniarum typis putare. Addo, Silenum simili gestu exstare in denariis gentis Marciae Censorinorum, causa incerta. Sed jam quam ob causam hic noster Silenus solos coloniarum numos occupaverit, conjectura adsequi satagamus. Vaillantius variis locis, quibus typi hujus causam dare conatur in suo de coloniis opere insigni, eo uberes vini proventus, quod Sileno in deliciis fuisse constat, indicari existimat, Vaillantium secutus est Belleyus in dissertatione de numis Bostrae [e]). At enim cur Silenum non aeque habemus in numis urbium Graecarum, quae tot, variisque modis vini sui praestantiam amabant praedicare?

Videor mihi aliquid, quod aenigmati huic possit lucem adfundere, reperisse in Servii commentariis. Ait primum [f]): *Quod autem de Libero patre diximus, haec causa est, ut signum sit liberae civitatis; nam apud majores aut stipendiariae erant, aut foederatae, aut liberae. Sed in liberis civitatibus simulacrum Marsyae erat, qui in tutela Liberi patris est.* Illustrior oratio altera [g]), qua ad verba Maronis: *patrique Lyaeo*, continuo subjicit: *qui apte urbibus libertatis est deus; unde etiam*

a) ad Iobert T. II. p. 92. b) T. II. p. 480. c) Pellerin Mel. I. p. 290. d) Mus. Theup. sub Elag. e) B. L. T. XXX. f) ad Aen. III. 20. g) Aen. IV. 58.

Marsyas, *minister ejus*, *civitatibus in foro positus libertatis indicium est*, *qui erecta manu testatur*, *nihil urbi deesse*. Lege Servium istud ipsum inculcantem apud Macrobium [a]). Quod posterius testimonium tanto magis causae servit, quod ipsum simulacri gestum, qualis in his numis est, indigitat. Animadvertendum, antequam ad rem propius accedo, nequaquam mihi adversari, quod numi Silenum offerant, Servius autem utroque loco in Marsya sibi constet. Sciendum enim, utrumque deastrum sic a veteribus confusum, ut, qui Marsyas esset, etiam Silenus diceretur. Iam ab Herodoto memoratur ὁ τȣ Σιληνȣ Μαρσυεω ἀσκος, *Sileni Marsyae uter* Celaenis Phrygiae suspensus, monstratusque [b]). Sic et Pausanias memorat Palladis signum τον Σιληνον Μαρσυαν ferientis [c]), mox infra unum eundemque jam Marsyam vocat, jam Silenum [d]), atque iterum infra [e]), quo loco perperam Amasaeus interpres Marsyam a Sileno distinguit, qui unus idemque erant, cum nimirum essent inter veteres, qui Marsyan in Silenorum numero putarent. Quo circa nequaquam miremur, si interdum a veteribus unum pro alio captum legimus. A Servio vero nomine Marsyae intellectum Silenum, inde colligimus, quod hunc suum Marsyan in tutela Liberi patris esse, hujusque ministrum diserte adserit, quod quidem jure praedicari de Sileno posse in vulgus notum, minus vero, saltem ex obvia tritaque mythologia, de Marsya Phrygio. Non advertit ad haec Gronovius, citata haec Servii testimonia sugillans, tanquam is parum scite Marsyan libertatis indicem adseruisset [f]).

Habemus igitur Silenum urbium quidem liberarum testem, at needum coloniarum, in quarum tamen solarum numis, ut professus sum, hujus formae Silenus visitur. Enimvero si religiose velimus in haec Servii dictata jurare, necesse erit, Silenum, quatenus libertatis est index, a coloniis procul habere. Tantum enim abest, ut coloniae in urbium liberarum numero haberentur, ut etiam iis quodammodo opponerentur. Plinius, ubi Baeticae oppida enumerat [g]), *in iis*, inquit, *coloniae IX.*, *municipia XVIII.*, *Latio antiquitus donata XXIX.*, *libertate VI.*, *foedere III.*, *stipendiaria CXX.* Sane cum coloniae non minus atque aliae urbes Graecae titulorum libidine laborarent, ut supra vidimus, vix tamen exstat numus, qui sive coloniam, sive municipium *liberum* appellaret, etsi hic titulus in Graecarum urbium numis non sit infrequens. Et vero urbes, quae tam arcte a Romanorum seu legibus, seu juribus pendebant, quo illae pacto liberae dici potuissent? Interim verum est, varias colonias, sive quod immunitate gauderent, sive a praetoris R. jurisdictione essent eximiae, liberas tamen, etsi laxius, appellari potuisse, et revera etiam a scriptoribus appellatas. De Patris Achaiae colonia Pausanias [h]): και ἐδωκε μεν ἐλευθεροις Αχαιων μονοις τοις Πατρευσιν εἰναι, *et solos ex Achaeis Patrenses liberos esse*

a) Sat. L. IV. c. 12. b) L. VII. c. 26. c) L. I. c. 24. d) L. II. c. 7. e) L. II. c. 22. f) Thes. ant. Graec. T. I. lit. X. g) L. III. §. 3. h) L. VII. c. 18.

jussit Augustus ejus coloniae conditor. Vide coloniarum quodam sensu liberarum exempla alia supra in tractatu de urbibus autonomis et liberis, tum et numos Hipponis Zeugitanae, quae in numis dicitur LIBERA, et colonia a Plinio juniore, quo loco et egimus de municipio *libero* Thibursicensium.

At enim, si haec Sileni imago urbis est liberae indicium, cur ea non etiam in numis urbium Graecarum, quae et vere erant liberae, et liberae auctoritate publica dicebantur, comparet, sed in unis coloniarum aut municipiorum numis, et quidem sic, ut et harum aliquae hoc typo constanter abstinerent? Difficilis hercle quaestio, cui si respondere jubear, praeter conjecturas, et has, ut multis videbitur, infirmas fateor me in promptu non habere, quod adferam. Tentabimus tamen, ut cunque res cadet. Nam et nos, non minus ac Musae Hesiodeae [a])

Ἰδμεν ψευδεα πολλα λεγειν ἐτυμοισιν ὁμοια.

Videntur hoc typo aliae coloniae non usae, quam quae jure Italico ab imperatoribus sunt donatae. Invexit jus istud, amplissimum sane ex iis, quae Romani in urbes conferre sunt soliti, immunitatem a tributo capitis et soli, dictumque fuit Italicum, quod Augustus beneficium istud toti Italiae esse proprium voluit, de quo, ne longior hic sim, consule juris R. interpretes, ac praecipue Bimardum paucis ac dilucide hanc materiam complexum [b]). Nemo non videt, urbes praeclaro hoc beneficio ornatas non abs re, etsi in Romanorum sensu minus proprie, dici potuisse liberas, et de se praedicare, quod teste Servio Silenus gesticulatione indicare voluit, nihil post haec sibi deesse. Si ergo, quod fingere absurdum non est, ad jactandam hanc suam libertatem Italicae urbes passim Silenum tanquam libertatis indicem proposuere, jure Servius homo Romanus, et qui hunc urbium Italicarum morem coram vidit, dicere potuit, deastrum hunc urbium libertatem significare, etsi verbis in oratione sua minus propriis uteretur, cum pro Sileno Marsyan, pro immunitate ex jure Italico libertatem obtrusit, quo vitio inferioris aevi grammaticos passim laborare, non est quod moneam. Si Italiae urbes erecto in foris Sileno libertatem sunt testatae, non mirum, colonias quoque externas jus idem sibi concessum eodem modo voluisse indicare. Et vero ex numero XII. urbium, quae Sileni typo usae sunt, et quarum catalogum supra dedimus, quinque sunt, quas certa fide constat Italico jure gavisas, diserte istud testantibus Vlpiano, Celso, Gaio, Paulo ICtis [c]), nimirum, Alexandria Troas, Berytus, Laodicea, Parium, Tyrus. Addere tuto possumus Sidonem, in quam cum Elagabali jussu, ut in ejus moneta diximus, translata essent omnia Tyri jura, dubium non est, translatum quoque jus Italicum, quo Tyrus ornata fuit. Quo loco in conjecturae meae subsidium juvat animadvertere, ex tanto monetae Tyriae numero in iis tan-

a) Theogon. v. 27. b) ad Iobert. T. II. p. 85. c) Dig. L. L. tit. 15. de Censib.

tum numis apparere Silenum, in quibus Tyrus coloniam se profitetur. Ademptis ab Elagabalo coloniae juribus, cum miserabilem suum statum inscripto solo TYRIORVM manifestaret, Silenum etiam ex eorum moneta extorrem factum. Addere liceat et Patras Achaiae, in quas Pausanias collata ab Augusto refert beneficia, quaecunque (ὁποσα) in colonos conferri consuevere [a]. Si quaecunque, certe etiam jus Italicum. Ergo ex urbibus XII. habemus VII., quae jus istud habuerunt, et Silenum signaverunt. Et forte adhuc in lucem proferentur eodem typo insignes numi coloniarum Heliopolis, Emisae, Philippensis, Cassandreae, Diensis, Antiochiae Pisidiae, municipii Stobensis, quae oppida omnia citati jurisconsulti juris Italici appellant. Egregie causam meam juvat, quod in numis earum coloniarum, quibus iidem jus istud disertis verbis detrahunt, intelligo Ptolemaiden, Caesaream Samariae, Aeliam Capitolinam, Antiochiam Syriae, ne vestigium quidem Sileni reperio, etsi earum moneta magno numero supersit. De Ptolemaide Vlpianus: *nihil praeter nomen coloniae habet.* Idem de Caesarea et Aelia: *neutra jus Italicum habet.* Antiochiam Syriae non modo praeterit Vlpianus, sed et haec tantum de ea notavit Paulus: *Divus Antoninus Antiochenses colonos fecit salvis tributis.* Ex eo vero, quod laudati auctores inter urbes Italicas non recensent Bostram, Coelam, Damascum, Deultum, Neapolin, Patras, Sidonem, quae omnes quoque Silenum jactant, nolim quis sequi existimet, eas jure Italico caruisse. Quae enim in Digestis memorantur, excerpta tantum sunt ex eorum libris de censibus et coloniis, et haud dubie nonnullae coloniae serius hoc jure donatae fuerint.

Atque haec, quando veri habere speciem visa sunt, non dubitavi, ut in mentem venerant, in hos commentarios referre. Sintne commodo fundamento nixa, eruditorum arbitrii esto.

V. Taurus stans.

In numis Calagurris, Celsae, aliarumque. Adludit hic typus ad agriculturam, cujus etiam causa deducti ex urbe coloni, et cujus symbolum habitus taurus. Tacitus [b]: *Igitur a foro boario, ubi aereum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur etc.*

a) L. VII. c. 18. b) Ann. XII. c. 24.

SECTIO VII.

DE PERMISSV SIGNANDAE IN COLONIIS MONETAE.

Hunc enunciant sequentes formulae coloniarum numis inscriptae:

PERM. AVG. vel AVGVSTI. vel: PERM. CAES. AVG. vel: PER. IMP. CAESARIS. AVGVSTI. vel: PERMISSV. CAESARIS. AVG. in numis Caesaraugustae, Eborae, Emeritae, Italicae, Patriciae, Romulae, Traductae, qui omnes habent caput Augusti.

PERM. DIVI. AVG. in numis Romulae et Italicae, cum capite Tiberii.

INDVLGENTIAE. AVG. MONETA. IMPETRATA. in numo Patrarum cum epigraphe Augusti.

PERM. IMP. in numo Corinthi cum capite Domitiani.

PERM. SILANI. in numis Beryti sub Augusto et Tiberio.

PERMISSV. P. DOLABELLAE. PROCOS. vel: L. APRONI. PROCOS. in numis Carthaginis Africae sub Tiberio.

* * *

Edictum in tot numis *permissum* eloqui jus monetae in coloniis feriundae, inter omnes convenit. Magis istud elucescit ex citato Patrarum numo, in quo Patrenses impetratam monetam indulgentiae Augusti, id est: permissui, acceptum referunt. Sui ergo arbitrii Augustus esse voluit, in quam sive coloniam sive municipium istud vellet jus conferre. Sed et in coloniarum arbitrio haud dubie positum fuerit, sive collatum istud jus palam in moneta jactarent, sive dissimularent. Certe multo plures fuere coloniae, quae reticuerunt. Impensius illud elocutae sunt urbes Baeticae, quae tamen, quod observari meretur, senatus populique provincia fuit, non Augusti, cum interim ex urbibus Tarraconensis provinciae, quae Augusto paruit, unicum tantum numum, eumque Caesaraugustae, atque hunc nonnisi sero, reperisset Florezius, qui Augusti permissum enunciat [a]).

Videtur Augustus impertiendi hujus juris potestatem permisisse denique provinciarum rectoribus. Sic in citato Berytiorum numo non amplius legitur

a) Tom. III. p. 18.

PERM. AVG. sed PERM. SILANI., qui Creticus Silanus sub Augusti exitum et initium Tiberii Syriam pro praetore rexit, ut dictum in numis Antiochiae. Atque idem deinceps videtur placuisse successoribus; neque enim amplius legitur v. g. PERM. TI. AVG., quamvis in numis citatis Carthaginis veteris eodem imperante Tiberio cusis legatur permissus Dolabellae et Apronii proconsulum. Quod in numo Corinthi imperante Domitiano signato legatur PERM. IMP., in causa est, quia hic imperator jus monetarium urbi restituit ademptum a Vespasiano, ut in ejus numis diximus. Ceterum cur jus istud coloniis aliis concessum fuerit, aliis perpetuo negatum, reperire hactenus non potui. Sane Dyrrhachium Illyrici, urbs olim, si qua alia numismatica, eadem, ex quo deducta est colonia, juris etiam Italici particeps, nullos amplius numos dedit. An sponte hoc juris non appetierint, forte quod apud eas abundavit moneta Romana, ignoramus. Sed potest haec quaestio ad multas urbes Graecas liberas, magnique eas nominis extendi.

* * *

In compluribus coloniarum numis senatus R. auctoritas notatur his modis;

S. C. in numis Antiochiae Syriae, Damasci Coelesyriae, Philippopolis Thraciae.

M. FALCIDIVS. IIIIVIR. EX. S. C. in numo Carteiae. (Florez Tom. III. p. 36.)

CELTAMB. EX. S. C. in numo Toleti. (Florez.)

EX. SC. in numo Beryti cum capite I. Caesaris. (Patin Impp. sed quae literae apud Vaillantium absunt, etsi captum ex Patino ipse profiteatur.)

S. R. in numis Antiochiae Pisidiae, et Iconii Lycaoniae.

Florezius suos Carteiae et Toleti numos explicans adserere non dubitat, ut colonias alias ab Augustis, sic alias a senatu R. feriundae monetae jus impetrasse, atque istud indicari adposita formula EX. S. C. Nimirum, inquit, si aetate imperatorum coloniis opus fuit permissu Augustorum, necesse est, stante rep. jus idem senatus consulto concessum fuisse [a]). Verum ut dubium non est, literis EX. S. C. in numis Florezianis notari senatusconsultum, ita certum non est, eas referendas ad numos senatusconsulto in colonia feriri permissos. Sic in aureis argenteisque Vespasiani consecrati denariis verba EX. S. C. non significant, eos S. C. signatos, cum in aurum argentumque signandum senatui jus non esset, sed consecrationem Vespasiano S. C. decretam. In eodem sensu capienda vocabula EX. S. C. vel POPVL*i* IVSSV., vel COMM*uni* CONS*ensu* in denariis Augusti. Nulla vero ratione mihi persuasero, *το* EX. S. C. in citato Carteiae numo ad monetae signandae permissum, quod existimat Florezius, referendum, nam hae siglae cum nominibus M. FALCIDIVS. IIIIVIR. nulla interruptione connectuntur, et quod sequitur, significant verius, M. Falcidium ex S. C. dictum Carteiae IIIIvi-

a) ll. cc. et Tom. I. p. 70.

rum. Magistratus municipales nonnunquam ex S. C. lectos, sive cum coloni dissentirent, cujus exemplum praebet cenotaphium Pisanum, sive ex aliis causis, et verisimile est, et confirmatur marmore Gruteri, in quo Octavius dicitur BIS. DVOMVIR. QVINQ. EX. SC. ET. D. D. a) quod adeo M. Falcidio, forte ostentationis causa, addendum visum. Idem dubium urget siglas S. C., quas legere est in numis coloniarum aliis, quos supra descripsi, etsi plerique antiquarii existiment, iis jus monetarium ex S. C. impetratum notari.

S. R. Has siglas legendas S*enatus* R*omanus*, plerique consentiunt, at in earum explicatione differunt. Vaillantius conjicit, videri appositas ad arguendam numorum cudendorum facultatem a senatu concessam b). Frölichius censet, his notis profiteri colonias Pisidiae et Lycaoniae, sitas sese in provincia, senatui, non Augustis obnoxia c). Vtrumque incertum. Harduinus, ne non et hoc loco suus sit, legit: S*pes* R*eipublicae*. Legi etiam posse S*enatus* R*escripto*, conjecit Vaillantius, sed quod jure refutat Bimardus d).

SECTIO VIII.

DE METALLO IN COLONIARVM NVMIS.

Aureus coloniae numus res hactenus ignota. Argenteos addito COL. Nemausus complures dedit, singulos tantum Carthaginis Novae, et Ilici vidit Florezius, et inter res insolentissimas praedicavit e). Omisso vocabulo COL. habemus rarissimos argenteos Agrigenti Siciliae scripto solo AGRIGENTVM., sed quos esse Agrigenti deducta demum colonia cusos dubitari nequit. His demptis totum agmen aeneum est. Videtur, coloniis stante adhuc rep. deductis monetae argenteae usu, si modo facultates istud ferrent, interdictum non fuisse, subinde solius aeris arbitrio iis permisso, ex quo Augustus, et successores jus in auream et argenteam monetam sibi seposuerunt.

---

a) pag. 444. 8. b) ad num. Antioch. Pis. sub Carac. c) 4 Tent. p. 144. d) ad Iobert. T. II. p. 74. e) Tom. III. p. 116.

SECTIO IX.

QVANDO NVMI IN COLONIIS SIGNARI DESIERINT.

Possumus quaestionem hanc, quando hoc loco attingenda tamen fuit, paucis finire, quia magnam partem tractata jam fuit in prolegomenis ad regionum in occasum positarum numos, additis etiam, si praesto fuere, causis, cur citius in illis feriri desiverint. Diximus ergo, postremos in Hispaniis signatos numos non excedere Caligulae imperium, in Galliis jam sub Augusto feriri desitos, maturius in Italia continente nam nullum habemus coloniae Italicae numum Caesaris vel Augusti capite insignem. Vnius Augusti vultum offerunt numi coloniarum Sicularum Agrigenti et Panormi. Africae veteris coloniae sub Tiberio malleum abjecerunt, una Babba Africae novae in Galbae imperium duravit. Hos tamen fines in dictis modo provinciis non sola coloniarum municipiorumque res numaria habuit, sed urbium quoque liberarum. Ad provincias inde a mari Adriatico deinceps in orientem positas quod attinet, earum coloniae in feriundis numis eadem nobis praebent exempla, quae urbes liberae. Vtraeque enim imperante Gallieno ab hoc instituto discessere paucissimis cum nonnullorum proxime succedentium imagine residuis, sive quod communi tum rerum omnium taedio victae essent, sive abundante jam tum in provinciis moneta Romana, sive quod circum haec tempora in illis officinae constitui sunt coeptae, in quibus feriretur moneta, quae esset omnium imperii provinciarum communis, de quo instituto agetur alibi.

SECTIO X.

DE NVMIS HETEROGENEIS IN MONETA COLONIARVM.

Legis instar tenendum, a qua raro discessum, urbes, posteaquam coloniae jura accepere, deinceps non alios numos, nisi coloniae nomine signasse, ne-

que adeo amplius numos ejus generis, quales signaverunt, cum liberae adhuc essent conditionis, quos in praesente disputatione *heterogeneos* appellare placuit. Ad hunc modum, ut uno exemplo utar, Laodicea Syriae inde ab Augusto usque ad Severum, quo temporis intervallo sui juris fuit, constanter in numis scripsit ΙΟΥΛΙΕΩΝ. ΛΑΟΔΙΚΕΟΝ, aut similiter. A Severo deducta colonia constanter deinceps COL. LAODICEA, aut similiter, neque amplius priorem scribendi modum appetiit.

At vero Vaillantius in eo opere, quo numos Graecos urbium liberarum complexus est, tum et nonnulli alii numos aliquot urbium ediderunt omnibus prioris libertatis indiciis notatos, ex quo illas constat fuisse deductas colonias. Sunt vero Carrhae et Edessa Mesopotamiae, Iconium Lycaoniae, Laodicea Syriae, Patrae Achaiae, Tyrus Phoeniciae. Verum jam olim late docui, legem, quam modo praefixi, ab his exemplis non infringi, quia satis jam constat, numos citatos aut male lectos plerosque, aut a falsariis depravatos, quae omnia ibi exposita vide [a]), tum et per hoc opus in singularum numis memorata. Vnicum, quem heterogeneum vere dicere possis, reperio inter numos Patrensium Achaiae, qui cum inde ab Augusto coloni essent, numosque signarent Latine inscriptos, sub Nerone numum vulgaverunt cum epigraphe Graeca ΝΕΡΩΝΙ. ΠΑΤΡΕΩΝ. nullo coloniae indicio, sed cujus νεωτερισμȣ causam in eorum numis dedimus. Tam parum ergo ex singulari hoc numo probari potest, Patrenses ad veterem suum modum redivisse, quam parum istud de Corinthiis colonis propter numos maximi moduli, quos cum epigraphe Graeca unice in Antinoi honorem signandos curaverunt, potest adfirmari.

Vnicam reperio Syriae Antiochiam, quae, posteaquam a Caracalla deducta est colonia, cum novam tum inchoasset monetae formam cum manifesta coloniae mentione, numos veteris formae inde ab Augustorum exordio cudi coeptae signare perrexit, quorum illi servirent usui colonorum adscitiorum, hi solita essent civium veterum moneta, de quo duplice foro monetario vide, quae in ejus urbis numis copiosius dixi. Suspicabar olim, etiam Neapoli Samariae eodem tempore utriusque generis numos signatos [b]), sed adverti serius, hos quoque statutae a me legi sese non gravate adcommodare, ut in ejus urbis moneta dixi.

FINIS PARTIS I.

TOTIVS OPERIS VOLVMINIS IV.

---

a) Num. vett. p. 283. b) l. c. p. 287.

INDICES IV.

IN VNIVERSAM PARTEM I.

HVIVS OPERIS

IV. PRIORA VOLVMINA COMPLEXAM,

QVORVM

I. est: Regionum, populorum, urbium.

II. Regum, ac principum.

III. Inscriptionum singularium.

IV. Rerum.

Numeri Romani indicant Volumen, Arabici paginam.

P. indicat Prolegomena generalia, quae sunt initio Voluminis I., additus numerus Romanus paginam.

INDEX I.

REGIONVM, POPVLORVM, VRBIVM.

Aba Cariae. II. 571.
Abacaenum Siciliae. I. 189.
Aballo Galliae. I. 72.
Abbaeti Mysi. II. 448.
Abbassus Phrygiae. III. 128.
Abdera Baeticae. I. 13.
Abdera Thraciae. II. 21.
Abila Leucas Decapoleos. III. 345.
Abolla Siciliae. I. 189.
Aboni tichos Paphlagoniae. II. 383.
Abudiacum Vindelicorum. I. 81.
Abydus Troadis. II. 478.
Acanthus Macedoniae. II. 64.
Acarnania. II. 83.
Acci Tarraconensis. I. 34.
Ace Galilaeae. III. 423.
Acerrae Campaniae. I. 109.
Acerrae Galliae Transpadanae I. 83.
Achaia Peloponnesi. II. 229.
Acherontia Apuliae. I. 140.
Achulla Byzacenes. IV. 133.
Acilium Venetorum I. 83.
Acinipo Baeticae. I. 14.
Acmonia Phrygiae. III. 128.
Acrae Siciliae. I. 190.
Acrasus Lydiae. III. 91.
Actium Acarnaniae. II. 184.
Adada Pisidiae. III. 18.
Adana Ciliciae. III. 35.
Addaea Mesopotamiae. III. 505.
Adraa Arabiae. III. 499.
Adrama Coelesyriae. III. 328.
Adramytium Mysiae. II. 448.
Adranus Siciliae. I. 190.
Aedepsus Euboeae. II. 322.
Aegae Aeolidis. II. 491.
Aegae Ciliciae. III. 35.
Aegae Macedoniae. II. 65.
Aegialus Achaiae. II. 234.
Aegina insula. II. 225.
Aegira Achaiae. II. 234.
Aegitium Aetoliae. II. 189.
Aegium Achaiae. II. 235.
Aegos potamus Chersonnesi Thraciae. II. 49.
Aegyptus. IV. 1.
Aela Arabiae. III. 500.
Aelia Capitolina. III. 441.
Aenianes Thessaliae. II. 135.
Aenus Thraciae. II. 22.
Aeolis. II. 491.
Aepea Messeniae. II. 276.

Aesernia Samnii. I. 101.
Aetnaei Siciliae. I. 190.
Aetolia. II. 188.
Aezanis Phrygiae. III. 128.
Agessus Thraciae. II. 23.
Agrigentum Siciliae. I. 191.
Agrippias Iudaeae. III. 443.
Agrippina Belgicae. I. 74.
Agyrium Siciliae. I. 194.
Alabanda Cariae. II. 571.
Alae Ciliciae. III. 40.
Alaesa Siciliae. I. 195.
Alba Latii. I. 100.
Alea Arcadiae. II. 294.
Alesii Elidis. II. 268.
Alexandria Aegypti. IV. 41. 98. 101.
Alexandria Ciliciae. III. 40.
Alexandria Troas. II. 479.
Alia Phrygiae. III. 129.
Allaria Cretae. II. 303.
Allifae Samnii. I. 102. 196.
Alinda Cariae. II. 573.
Almum Moesiae sup. II. 7.
Alopeconnesus Chersonnesi Thraciae. II. 49.
Aluntium Siciliae. I. 197.
Alvona Liburniae. II. 151.
Alyatta Bithyniae. II. 405.
Alyzia Acarnaniae. II. 185.
Amanienses Ciliciae. III. 41.
Amantia Illyrici. II. 152.
Amasia Ponti. II. 343.
Amastris Paphlagoniae. II. 384.
Amathus Cypri. III. 85.
Amba Hispaniae. I. 60.
Ambracia Epiri. II. 161.
Amestratus Siciliae. I. 197.
Amida Mesopotamiae. III. 505.
Amisus Ponti. II. 346.
Ammonia Marmaricae. IV. 116.
Amorgus insula Sporadum. II. 325.
Amorium Phrygiae. III. 130.
Amphaxus Macedoniae. II. 65.
Amphea Messeniae. II. 276.
Amphicaea Phocidis. II. 193.
Amphilochium Acarnaniae. II. 185.
Amphipolis Macedoniae. II. 66.
Amphipolis Palmyrenes. III. 265.
Amphissa in Locris Ozolis. II. 191.
Anactorium Acarnaniae. II. 185.
Anaphlystus Atticae. II. 222.
Anazarbus Ciliciae. III. 41.
Anchiale Ciliciae. III. 46.
Anchialus Thraciae. II. 24.
Ancona Piceni. I. 98.
Ancyra Galatiae. III. 177.
Ancyra Phrygiae. III. 130.
Andania Messeniae. II. 276.
Andegavi Galliae. I. 72.
Andera Mysiae. II. 449.
Andrus insula Cycladum. II. 326.
Anemurium Ciliciae. III. 46.
Aninesum Lydiae. III. 91.
Anolus Lydiae III. 92.
Antaeopolites nomus. IV. 101.
Antandrus Mysiae. II. 449.
Anthedon Boeotiae. II. 198.
Anthedon Iudaeae. III. 443.
Anthemusia Mesopotamiae. III. 506.
Anticaria Baeticae. I. 14.
Antigonia Arcadiae. II. 294.
Antigonia Macedoniae. II. 68.
Antiocheni ad Callirhoen. III. 305.
Antiocheni ad Daphnen. III. 305.
Antiocheni Ptolemaidis. III. 305.
Antiochia Cariae. II. 574.
Antiochia ad Euphratem Commagenes. III. 250.
Antiochia ad Hippum Decapoleos. III. 346.
Antiochia Pisidiae. III. 18.
Antiochia ad Sarum Ciliciae. III. 46.

Antiochia Syriae. III. 267.
Antiochia incerta. III. 48.
Antiphellus Lyciae. III. 2.
Antipolis Galliae. I. 66.
Antissa Lesbi. II. 501.
Antium Volscorum. I. 100.
Anxur Volscorum. I. 100.
Aornus Epiri. II. 162.
Apamea Bithyniae. II. 405.
Apamea Phrygiae. III. 132.
Apamea Syriae. III. 307.
Aperrae, Apyre Lyciae. III. 2.
Aphrodisias Cariae. II. 575.
Aphroditopolites nomus. IV. 102.
Aphytis Macedoniae. II. 68.
Apis Marmaricae. IV. 116.
Apollonia Aetoliae. II. 189.
Apollonia Cariae. II. 577.
Apollonia Cretae. II. 303.
Apollonia Illyrici. II. 152.
Apollonia Ioniae. II. 509.
Apollonia Lyciae. III. 2.
Apollonia Lydiae. III. 92.
Apollonia Mysiae. II. 449.
Apollonia Siciliae. I. 198.
Apollonia Thraciae. I. 24.
Apollonis, Apollonidea Lydiae. III. 92.
Apollonopolites nomus. IV. 102.
Apollonosieron Lydiae. III. 93.
Aptera Cretae. II. 304.
Apulia. I. 140.
Aquinum Volscorum. I. 100.
Arabia. III. 499.
Arabia nomus. IV. 102.
Aradus insula ad Phoenicen. III. 393.
Arca Phoenices. III. 354.
Arcadia regio. II. 292.
Arcadia Cretae. II. 304.
Arconnesus insula ad Cariam. II. 598.
Arecomici Galliae. I. 66.
Arethusa Syriae. III. 309.
Argennos insula ad Ioniam. II. 564.
Argolis regio. II. 286.
Argos Amphilochium Acarnaniae. II. 185.
Argos Argolidis. II. 286.
Argos Ciliciae. III. 49.
Aria Baeticae. I. 14.
Ariassus Phamphyliae. III. 8.
Ariminum Vmbriae. I. 95.
Arisba Troadis. II. 482.
Aristaeum Thraciae. II. 25.
Armenia. III. 202.
Arna Thessaliae. II. 135.
Arpi Apuliae. I. 140.
Arsamosata Armeniae. III. 202.
Arsinoe Cretae. II. 304.
Arsinoe Cyrenaicae. IV. 127.
Arsinoites nomus. IV. 103.
Arva Baeticae. I. 14.
Arxata Armeniae. III. 202.
Arycanda Lyciae. III. 2.
Ascalon Iudaeae. III. 444.
Asea Arcadiae. II. 294.
Asia Lydiae. III. 93.
Asiba Ponti. II. 350.
Asido Baeticae. I. 15.
Asine Laconiae. II. 284.
Asopus Laconiae. II. 284.
Aspendus Pamphyliae. III. 9.
Assorus Siciliae. I. 198.
Assus Mysiae. II. 450.
Asta Baeticae. I. 15.
Astapa Baeticae. I. 15.
Asteria insula ad Elidem. II. 275.
Asturica Tarraconensis. I. 35.
Astypalaea insula ad Cariam. II. 598.
Astyra Mysiae. II. 450.
Astyra Rhodi. II. 606.

Atabyrium Phoenices. III. 354.
Atabyrium Siciliae. I. 198.
Atarnea Mysiae. II. 450.
Atella Campaniae. I. 109.
Athamanes Aetoliae. II. 189.
Athenae Atticae. II. 205.
Athoitae Macedoniae. II. 68.
Athribites nomus. IV. 104.
Atina Volscorum. I. 100.
Atinum Lucaniae. I. 151.
Atrax Thessaliae. II. 135.
Attaea Phrygiae. III. 141.
Attalia Lydiae. III. 9.
Attalia Pamphyliae. III. 9.
Attica. II. 205.
Attuda Phrygiae. III. 142.
Avaricum Galliae. I. 66.
Avenio Galliae. I. 66.
Augusta Ciliciae. III. 50.
Augusta Siciliae. I. 198.
Augusta Trajana Thraciae. II. 47.
Augusta Vindelicorum. I. 81.
Aulerci Galliae. I. 72.
Aureliopolis Lydiae. III. 94.
Aurunci Latii. I. 101.
Ausa Tarraconensis. I. 35.
Automala Cyrenaicae. IV. 127.
Axia in Locris Ozolis. II. 191.
Axus Cretae. II. 305.
Azetini Atticae. II. 222.
Azotus Iudaeae. III. 448.

Babba Mauretaniae. IV. 153.
Bactriana. III. 556.
Baetica. I. 13.
Bagae Lydiae. III. 94.
Bailo Baeticae. I. 15.
Balanea Syriae. III. 310.
Barce Cyrenaicae. IV. 128.
Bargasa Cariae. II. 578.
Bargylia Cariae. II. 578.
Barium Apuliae. I. 141.
Batrachus Marmaricae. IV. 116.
Beneventum Samnii. I. 102.
Berhaea Macedoniae. II. 69.
Beroea Cyrrhesticae. III. 259.
Berytus Phoenices. III. 354.
Beterra Galliae. I. 67.
Bilbilis Tarraconensis. I. 35.
Bisaltae Macedoniae. II. 69.
Bisanthe Thraciae. II. 25.
Bithynia. II. 396.
Bithynium Bithyniae. II. 406.
Blaundus Lydiae. III. 95.
Boea Laconiae. II. 284.
Boeotia. II. 195.
Bora Hispaniae. I. 60.
Bosporus Cimmerius. II. 339.
Bostra Arabiae III. 500.
Botrys Phoenices. III. 359.
Bottiaea Macedoniae. II. 70.
Britannia. I. 80.
Briula Lydiae. III. 96.
Brundusium Calabriae. I. 143.
Bruttii. I. 166.
Bruzus Phrygiae. III. 142.
Bubastites nomus. IV. 104.
Bura Achaiae. II. 236.
Busirites nomus. IV. 104.
Buthrotum Epiri. II. 162.
Butrotum Bruttiorum. I. 167.
Butuntum Calabriae. I. 144.
Buxentum Lucaniae. I. 151.
Byblus Phoenices. III. 359.
Byllis Illyrici. II. 155.
Byzacene. IV. 133.
Byzantium Thraciae. II. 26.

Caballodunum Galliae. I. 72.
Cabasites nomus. IV. 104.
Cabellio Galliae. I. 67.
Cabira Ponti. II. 350.

Cadi Phrygiae. III. 142.
Caelina Venetorum. I. 83.
Caelium Apuliae. I. 141.
Caene insula ad Siciliam. I. 269.
Caesaraugusta Tarraconensis. I. 36.
Caesarea ad Anazarbum Ciliciae. III. 41.
Caesarea Bithyniae. II. 408.
Caesarea Cappadociae. III. 186.
Caesarea Germanicia Commagenes. III. 250.
Caesarea Iol Mauretaniae. IV. 153.
Caesarea ad Libanum Phoeniciae. III. 360.
Caesarea Palaestinae. III. 428.
Caesarea Panias. III. 339.
Calabria. I. 143.
Calacte Siciliae. I. 199.
Calagurris Tarraconensis. I. 39.
Calaris Sardiniae. I. 271.
Calatia Campaniae. I. 109.
Cales Campaniae. I. 110.
Callatia Moesiae infer. II. 13.
Callet Baeticae. I. 16.
Callipolis Chersonnesi Thrac. II. 49.
Calpe Baeticae. I. 16.
Calydon Aetoliae. II. 189.
Calynda Cariae. II. 579.
Camara Cretae. II. 306.
Camarina Siciliae. I. 199.
Camars Etruriae. I. 90.
Campani Campaniae. I. 108.
Campania. I. 108.
Canaca Baeticae. I. 16.
Canatha Decapoleos. III. 347.
Canopus Aegypti. IV. 104.
Canusium Apuliae. I. 141.
Caphya Arcadiae. II. 294.
Capitolias Coelesyriae. III. 328.
Cappadocia. III. 186.
Capua Campaniae. I. 110.
Carallia Isauriae. III. 28.
Carbula Baeticae. I. 16.
Carcinum Bruttiorum. I. 167.
Cardia Chersonnesi Thrac. II. 50.
Caria. II. 571.
Carisa Baeticae. I. 16.
Caristum Liguriae. I. 83.
Carmo Baeticae. I. 17.
Carpasia Cypri. III. 85.
Carpathus insula ad Cariam. II. 598.
Carrhae Mesopotamiae. III. 506.
Carteia Baeticae. I. 17.
Carthaea Ceae insulae. II. 327.
Carthago nova Tarraconensis. I. 41.
Carthago vetus Zeugitanae. IV. 136.
Carystus Euboeae. II. 322.
Casa Pamphyliae. III. 11.
Cascantum Tarraconensis. I. 44.
Casilinum Campaniae. I. 111.
Cassandrea Macedoniae. II. 70.
Cassope Epiri. II. 163.
Castabala Cappadociae. III. 192.
Castabala Ciliciae. III. 51.
Castulo Tarraconensis. I. 44.
Catalaunum Galliae. I. 72.
Catana Siciliae. I. 202.
Caulonia Bruttiorum. I. 167.
Caura Baeticae. I. 18.
Caystriani Lydiae. III. 96.
Cea, Ceos insula ad Atticam. II. 326.
Cebessus Lyciae. III. 2.
Celenderis Ciliciae. III. 51.
Celsa Tarraconensis. I. 44.
Celti Baeticae. I. 18.
Cenchreae Corinthi portus. II. 239.
Cennati Ciliciae. III. 62. 63.
Centuripae Siciliae. I. 205.
Cephallenia insula ad Elidem. II. 270.
Cephaloedium Siciliae. I. 206.
Ceraitae Cretae. II. 306.
Ceramus Cariae. II. 579.

Cerasus Ponti II. 350.
Ceraunia Achaiae. II. 237.
Ceraunienses Cypri. III. 85.
Ceret Hispaniae. I. 60.
Ceretape Phrygiae. III. 143.
Cerinthus Euboeae. II. 323.
Chabacta Ponti. II. 350.
Chalcedon Bithyniae. II. 411.
Chalcidene. III. 263.
Chalcis Chalcidenes. III. 264.
Chalcis Euboeae. II. 323.
Chaonia Epiri. II. 164.
Chelidonia insula ad Lyciam. III. 7.
Chelonates promontorium Elidis. II. 269.
Chersonnesus Cretae. II. 307.
Chersonnesus Taurica. II. 1.
Chersonnesus Thracia. II. 49.
Chios insula. II. 564.
Cibyra Phrygiae. III. 143.
Cidra Phrygiae. III. 145.
Cidyessus Phrygiae. III. 146.
Cieros Bithyniae. II. 412.
Cilbiani Lydiae. III. 97.
Cili Mauretaniae. IV. 153.
Cilicia. III. 35.
Cimolis insula Cycladum. II. 328.
Cithaeron Boeotiae. II. 198.
Cius Bithyniae. II. 433.
Clarus Ioniae. II. 509.
Claudiopolis Bithyniae. II. 406.
Claudiopolis Isauriae. III. 28.
Claudiopolis Lycaoniae. III. 30.
Clazomenae Ioniae. II. 510.
Cleone Argolidis. II. 289.
Clides insulae ad Cyprum. III. 88.
Cliternum Aequorum. I. 101.
Clunia Tarraconensis. I. 46.
Cnidus Cariae. II. 579.
Cnossus Cretae. II. 307.
Codrigae Ciliciae. III. 52.
Coela Chersonnesi Thrac. II. 50.
Coelesyria. III. 328.
Colchis. II. 339.
Colone Messeniae. II. 276.
Colophon Ioniae. II. 511.
Colossae Phrygiae. III. 147.
Colybrassus Ciliciae. III. 52.
Comana Pisidiae. III. 19.
Comana Ponti. II. 351.
Commagene. III. 249.
Conium Phrygiae. III. 148.
Conovium Britanniae. I. 80.
Copae Boeotiae. II. 198.
Copia Lucaniae. I. 160. 164.
Copia Lugdunum Galliae. I. 73.
Coptites nomus. IV. 105.
Coracesium Ciliciae. III. 52.
Corcyra magna insula. II. 177.
Corcyra parva insula Illyrici. II. 158.
Corduba Baeticae. I. 18.
Corinthus Achaiae. II. 237.
Corone Messeniae. II. 276.
Coropissus Lycaoniae. III. 30.
Corycus Ciliciae. III. 53.
Corydalia Lyciae. III. 2.
Cos insula ad Cariam. II. 598.
Cosae Etruriae. I. 90.
Cossetania Tarraconensis. I. 47.
Cossura insula. I. 267.
Cotiaeum Phrygiae. III. 148.
Cragus Lyciae. III. 3.
Cranae insula ad Atticam. II. 226.
Cranium Cephalleniae. II. 271.
Crannon Thessaliae. II. 135.
Cratia Bithyniae. II. 412.
Cremna Pisidiae. III. 20.
Creta insula. II. 300.
Cromna Paphlagoniae. II. 386.
Croton Bruttiorum. I. 170.
Ctemenae Thessaliae. II. 136.
Cumae Campaniae. I. 111.

Curium Cypri. III. 85.
Cybistra Cappadociae. III. 193.
Cydna Lyciae. III. 3.
Cydonia Cretae. II. 309.
Cyme Aeolidis. II. 492.
Cynopolites nomus. IV. 105.
Cyon Cariae. II. 581.
Cyparissia Messeniae. II. 276.
Cyparissus Phocidis. II. 193.
Cyprus insula. III. 84.
Cyrenaica. IV. 117.
Cyrene Cyrenaicae. IV. 117.
Cyrrhestica. III. 259.
Cyrrhus Cyrrhesticae. III. 260.
Cythera insula ad Laconiam. II. 286.
Cythnus insula Cycladum. II. 328.
Cytorus Paphlagoniae. II. 386.
Cyzicus Mysiae. II. 451.

Dacia. II. 4.
Dalasis Ciliciae. III. 54.
Daldis Lydiae. III. 99.
Dalmatia. II. 152.
Damascus Coelesyriae. III. 329.
Damastium Epiri. II. 164.
Daorsi Illyrici. II. 155.
Daranissa Armeniae. III. 202.
Dardania Moesiae sup. II. 7.
Dardanus Troadis. II. 482.
Decapolis. III. 345.
Decelia Atticae. II. 222.
Delium Boeotiae. II. 198.
Delphi Phocidis. II. 193.
Delus insula. II. 328.
Demetrias sacra. II. 136.
Demetrias Thessaliae. II. 136.
Derbe Lycaoniae. III. 30.
Dertona Liguriae. I. 83.
Dertosa Tarraconensis. I. 47.
Deultum Thraciae. II. 32.
Didymae Ciliciae. III. 54.
Diocaesarea Cappadociae. III. 193.
Diocaesarea Ciliciae. III. 54.
Diocaesarea Galilaeae. III. 425.
Diocaesarea Phrygiae. III. 149.
Dionysopolis Moesiae inf. II. 14.
Dionysopolis Phrygiae. III. 150.
Dioscurias Colchidis. II. 340.
Dioshieron Lydiae. III. 100.
Diospolis magna Aegypti. IV. 105.
Diospolis parva Aegypti. IV. 106.
Diospolis Samaritidos. III. 432.
Dium Decapoleos. III. 347.
Dium Macedoniae. II. 70.
Domenopolis Thraciae. II. 32.
Dora Phoeniciae. III. 362.
Doron Ciliciae. III. 54.
Dorylaeum Phrygiae. III. 152.
Drepanum Siciliae. I. 206.
Dyrrhachium Illyrici. II. 155.
Dyrrhachium Laconiae. II. 284.
Dysceladus insula Illyrici. II. 159.

Ebora Lusitanicae. I. 11.
Eburones Galliae. I. 74.
Eburovices Galliae. I. 72.
Edessa Macedoniae. II. 71.
Edessa Mesopotamiae. III. 510.
Elaea Aeolidis. II. 494.
Elaeusa insula ad Ciliciam. III. 81.
Elatea Phocidis. II. 195.
Eleusis Atticae. II. 222.
Eleuthernae Cretae. II. 311.
Eleutherocilices Ciliciae. III. 55. 243.
Eleutheropolis Iudaeae. III. 448.
Elyrus Cretae. II. 312.
Elis regio. II. 263.
Emerita Lusitaniae. I. 12.
Emisa Syriae. III. 311.
Emporiae Siciliae. I. 206.
Emporiae Tarraconensis. I. 47.
Enna Siciliae. I. 206.

Entella Siciliae. I. 207.
Ephesus Ioniae. II. 512.
Epictetus Phrygiae. III. 152.
Epidaurus Argolidis. II. 289.
Epiphanea Ciliciae. III. 55.
Epiphanea Syriae. III. 312.
Epirus. II. 160.
Erada Atticae. II. 223.
Ercavica Tarraconensis. I. 50.
Ereboea Bithyniae. II. 412.
Eresus Lesbi. II. 501.
Eretria Euboeae. II. 324.
Eriza Cariae. II. 581.
Erythrae Boeotiae. II. 199.
Erythrae Ioniae. II. 522.
Eryx Siciliae. I. 207.
Esbus Arabiae. III. 503.
Etenna Pamphyliae. III. 11.
Ethnestae Thessaliae. II. 138.
Eva Arcadiae. II. 294.
Euboea insula. II. 322.
Eucarpia Phrygiae. III. 152.
Eumenia Phrygiae. III. 153.
Euromus Cariae. II. 581.
Eusebia Cappadociae. III. 186.
Eurydicium Elidis. II. 269.

Faesulae Etruriae. I. 90.
Faleria Etruriae. I. 90.
Fanum Vmbriae. I. 96.
Feltria Rhaetiae. I. 81.
Flaviopolis Bithyniae. II. 412.
Flaviopolis Ciliciae. III. 56.
Frentani. I. 107.

Gaba Trachonitidos. III. 344.
Gabala Lydiae. III. 101.
Gabala Syriae. III. 313.
Gadara Decapoleos. III. 348.
Gades Baeticae. I. 19.
Galatia. III. 176.
Galilaea. III. 422.
Gallia. I. 62.
Gargara Mysiae. II. 455.
Gaulos insula ad Siciliam. I. 267. III. 418.
Gaza Iudaeae. III. 448.
Gaziura Ponti. II. 354.
Gelas Siciliae. I. 209.
Gerasa Decapoleos. III. 350.
Germania. I. 81.
Germanicia Caesarea Commagenes. III. 250.
Germanicopolis Paphlagoniae. II. 386.
Germe Galatiae. III. 178.
Germe Mysiae. II. 455.
Gili Hispaniae. I. 61.
Gomphi Thessaliae. II. 138.
Gordus Iulia Lydiae. III. 101.
Gorgippia Bospori. II. 339.
Gortyna Cretae. II. 312.
Graccurris Tarraconensis. I. 50.
Graviscae Etruriae. I. 92.
Grumentum Lucaniae. I. 152.
Gynaecopolites nomus. IV. 106.
Gyrton Thessaliae. II. 38.
Gythium Laconiae. II. 285.

Hadria Galliae transpadanae. I. 83.
Hadria Piceni. I. 98.
Hadriani Bithyniae. II. 413.
Hadrianopolis Bithyniae. II. 414.
Hadrianopolis Thraciae. II. 33.
Hadrianotherae Bithyniae. II. 415.
Hadrumetum Byzacenes. IV. 134.
Halicarnassus Cariae. II. 581.
Halonesus insula ad Macedoniam. II. 150.
Hamaxia Ciliciae. III. 56.
Harma Boeotiae. II. 199.
Harpasa Cariae. II. 583.
Helena insula ad Atticam. II. 226.
Heliopolis Coelesyriae. III. 334.
Heliopolites nomus. IV. 106.

Hephaestia Lemni. II. 51.
Heptanomis Aegypti. IV. 106.
Heraclea Acarnaniae. II. 186.
Heraclea Bithyniae. II. 416.
Heraclea Cariae. II. 583.
Heraclea Cyrenaicae. IV. 129.
Heraclea Ioniae. II. 524.
Heraclea Lucaniae. I. 152.
Heraclea Lydiae. III. 101.
Heraclea Siciliae. I. 210.
Heraclea Sintica Macedoniae. II. 71.
Heraclea Syriae. III. 315.
Heraclea Thraciae. II. 33.
Heraclea Trachin Thessaliae. II. 138.
Heracleopolites nomus. IV. 107.
Heracleum Tauricae. II. 2.
Heraea Arcadiae. II. 295.
Herculaneum Campaniae. I. 112.
Hermione Argolidis. II. 290.
Hermocapelia Lydiae. III. 101.
Hermonthites nomus. IV. 107.
Hermopolites nomus. IV. 107.
Hermupolis Lydiae. III. 102.
Heroopolites nomus. IV. 107.
Hierapolis Phrygiae. III 154.
Hierapytna Cretae. II. 313.
Hierocaesarea Lydiae. III. 103.
Hieropolis Ciliciae. III. 57.
Hieropolis Cyrrhesticae. III. 261.
Hileia Mesopotamiae. III. 516.
Hilesium Boeotiae. II. 199.
Himera Siciliae I. 211.
Hippias Thessaliae. II. 139.
Hippo libera Zeugitanae. IV. 145.
Hippo regius Numidiae. IV. 152.
Hipponium Bruttiorum. I. 173.
Hispania. I. 1.
Histiaea Euboeae. II. 325.
Holmoe Ciliciae. III. 54. 55.
Homolium Thessaliae II. 139.
Horreum Epiri. II. 165.
Hybla magna Siciliae. I. 216.
Hyccara Siciliae. I. 216.
Hydrela Cariae. II. 583.
Hydruntum Calabriae. I. 144.
Hypaepa Lydiae. III. 103.
Hypseliotes nomus. IV. 108.
Hyrcania Lydiae. III. 104.
Hyrgalea Phrygiae. III. 157.
Hyrium Apuliae. I. 141.

Iadera Liburniae. II. 152.
Iaeta Siciliae. I. 216.
Ialysus Rhodi. II. 606.
Iasus Cariae. II. 583.
Icaria insula ad Ioniam. II. 567.
Iconium Lycaoniae. III. 30.
Idalium Cypri. III. 86.
Iguvium Vmbriae. I. 96.
Ilercavonia Tarraconensis. I. 50.
Ilerda Tarraconensis. I. 51.
Iliberis Baeticae. I. 22.
Ilici Tarraconensis. I. 51.
Ilipa Baeticae. I. 22.
Ilipla Baeticae. I. 22.
Iliturgi Baeticae. I. 23.
Ilium Troadis. II. 483.
Illyricum. II. 152.
Ilva Etruriae. I. 92.
Ilurco Baeticae. I. 23.
Imbrus Cariae. II. 584.
Imbrus insula ad Thraciam. II. 52.
Ionia. II. 507.
Ionopolis Paphlagoniae. II. 383.
Ioppe Samariae. III. 433.
Ios insula Sporadum. II. 329.
Iotape Ciliciae. III. 57.
Ipagro Baeticae. I. 23.
Irene insula ad Argolidem. II. 292.
Irenopolis Ciliciae. III. 57.

Irippo Hispaniae. I. 61.
Irrhesia insula ad Macedoniam. II 151.
Isauria. III. 28.
Isaurus Isauriae. III. 29.
Isindus Pamphyliae. III. 12.
Ismene Boeotiae. II. 199.
Issa insula Illyrici. II. 159.
Issa Lesbi. II. 502.
Istrus Moesiae inf. II. 14.
Italia. I. 82.
Italica Baeticae. I. 23.
Itanus Cretae. II. 314.
Ithaca insula. II. 274.
Ituci Baeticae. I. 24.
Ituraea. III. 339.
Iudaea. III. 441.
Iulia Baeticae. I. 24.
Iulia Phrygiae. III. 158.
Iulias Galilaeae. III. 422.
Iuliopolis Bithyniae. II. 421.
Iulis Ceae insulae. II. 327.

Lacanatis Ciliciae. III. 58.
Laconia. II. 278.
Lacydon Galliae. I. 67.
Laelia Baeticae. I. 25.
Laerte Ciliciae. III. 58.
Lalassis Isauriae. III. 29.
Lamia Thessaliae. II. 139.
Lampa Cretae. II. 314.
Lampsacus Mysiae. II. 456.
Laodicea Libani Coelesyriae. III. 336.
Laodicea Phrygiae. III. 158.
Laodicea Ponti. II. 354.
Laodicea Syriae. III. 315.
Lapethus Cypri. III. 86.
Lapithae Thessaliae. II. 139.
Lappa Cretae. II. 314.
Laranda Lycaoniae. III. 33.
Larinum Frentanorum. I. 107.
Larissa Syriae. III. 321.
Larissa Thessaliae. II. 140.
Larymna Boeotiae. II. 199.
Las Laconiae. II. 285.
Lasos Cretae. II. 315.
Lastigi Baeticae. I. 25.
Latium. I. 100.
Latopolites nomus. IV. 108.
Laudunum Galliae. I. 72.
Laurium Atticae. II. 223.
Laus Lucaniae. I. 153.
Lebedus Ioniae. II. 524.
Lemnus insula. II. 51.
Leontini Siciliae. I. 216.
Leontopolites nomus. IV. 108.
Leptis magna, et parva Syrticae. IV. 130.
Lesbus insula. II. 500.
Letopolites nomus. IV. 108.
Leuca Calabriae. I. 144.
Leucas Abila Decapoleos. III. 345.
Leucas Acarnaniae. II. 186.
Leucas Coelesyriae. III. 337.
Liburnia. II. 151.
Libya nomus. IV. 108.
Lilybaeum Siciliae. I. 217.
Limyra Lyciae. III. 4.
Lipara insula. I. 270.
Lissus Cretae. II. 316.
Liternum Campaniae. I. 112.
Liviopolis Ponti. II. 354.
Locri Epizephyrii Bruttiorum. I. 174.
Locri Epicnemidii. II. 191.
Locri Opuntii. II. 192.
Locri Ozolae. II. 190.
Longone Siciliae. I. 218.
Longostaletes Laconiae. II. 285.
Lont Hispaniae. I. 61.
Lopadusa insula ad Siciliam. I. 269.
Lucania. I. 149.
Luceria Apuliae. I. 142.
Lugdunum Galliae. I. 73.

Luna Etruriae. I. 92.
Lupia Calabriae. I. 145.
Lusitania. I. 11.
Lycaonia. III. 30.
Lycia. III. 1.
Lyciani Bruttiorum. I. 177.
Lycopolites nomus. IV. 109.
Lydia. III. 90.
Lyrbe Pisidiae. III. 20.
Lysias Phrygiae. III. 167.
Lysimachia Chersonnesi Thrac. II. 50.
Lyttus Cretae. II. 316.

Macedonia. II. 61.
Macella Siciliae. I. 218.
Macrocephali Ponti. II. 355.
Maeonia Lydiae. III. 105.
Mageddo Galilaeae. III. 423.
Magnesia Ioniae. II. 524.
Magnesia Lydiae. III. 106.
Magnesia Thessaliae. II. 141.
Magydus Pamphyliae. III. 12.
Malea Laconiae. II. 285.
Malienses Thessaliae. II. 141.
Mallus Ciliciae. III. 59.
Mamertini Siciliae. I. 222.
Mamertium Bruttiorum. I. 177.
Mantalus Phrygiae. III. 167.
Mantinea Arcadiae. II. 295.
Marathon Atticae. II. 223.
Marathus Phoenices. III. 363.
Marcianopolis Moesiae inf. II. 15.
Mareotes nomus. IV. 109.
Marium Cypri. III. 86.
Marmarica. IV. 116.
Maronea Thraciae. II. 33.
Marrucini. I. 99.
Massicytes Lyciae. III. 4.
Massilia Galliae. I. 67.
Mastaura Lydiae. III. 108.
Mastia Paphlagoniae. II. 386.
Mauretania. IV. 153.
Mazara Siciliae. I. 218.
Mediomatrici Galliae. I. 74.
Medion Aetoliae. II. 190.
Megalopolis Arcadiae. II. 295.
Megara Atticae. II. 223.
Megara Siciliae. I. 218.
Megarsus Ciliciae. III. 59.
Megia Mesopotamiae. III. 516.
Megiste insula ad Lyciam. III. 7.
Melita insula. I. 268.
Melos insula Cycladum. II. 330.
Memphites nomus. IV. 109.
Menaenum Siciliae. I. 219.
Mende Macedoniae. II. 72.
Mendesius nomus. IV. 109.
Menelaites nomus. IV. 110.
Mesembria Thraciae. II. 35.
Mesopotamia. III. 505.
Messana Siciliae. I. 219.
Messenia regio Peloponnesi. II. 275.
Metapontum Lucaniae. I. 154.
Metelites nomus. IV. 110.
Methana Argolidis. II. 290.
Methymna Lesbi. II. 502.
Metropolis Ioniae. II. 529.
Metropolis Phrygiae. III. 167.
Metropolis Thessaliae. II. 143.
Metroum Bithyniae. II. 422.
Midaeum Phrygiae. III. 168.
Miletopolis Mysiae. II. 458.
Miletus Ioniae. II. 530.
Minturnae Volscorum. I. 101.
Minyae Thessaliae. II. 143.
Mirobriga Baeticae. I. 25.
Moca Arabiae. III. 503.
Mococlia Phrygiae. III. 168.
Modaei populus incertus. II. 464.
Moesia inferior. II. 13.

Moesia superior. II. 6.
Molossi Epiri. II. 165.
Mopsium Thessaliae. II 144.
Mopsus Ciliciae. III. 60.
Morgantia Siciliae. I. 225.
Mostene Lydiae. III. 109.
Mothone Messeniae. II. 277.
Motya Siciliae. I. 225.
Munda Baeticae. I. 25.
Murgantia Samnii. I. 102.
Murgi Baeticae. I. 25.
Mycalessus Boeotiae. II. 200.
Mycenae Argolidis. II. 291.
Myconus insula Cycladum. II. 332.
Mylasa Cariae. II. 584.
Myndus Cariae. II. 585.
Myra Lyciae. III. 5.
Myrhina Aeolidis. II. 495.
Myriandrus Syriae. III. 322.
Myrlea Bithyniae. II. 405.
Mysia. II. 448.
Mytilene Lesbi. II. 503.

Nacolea Phrygiae. III. 169.
Nacrasa Lydiae. III. 509.
Nagidus Ciliciae. III. 61.
Naucratis Aegypti. IV. 110.
Naupactus Aetoliae. II. 190.
Naxus insula Cycladum. II. 333.
Naxus Siciliae. I. 225.
Nea insula versus Thraciam. II. 52.
Neapolis Campaniae. I. 112.
Neapolis Macedoniae. II. 72.
Neapolis Palaestinae. III. 433.
Nebrisa Baeticae. I. 26.
Neetum Siciliae. I. 227.
Nema Baeticae. I. 26.
Nemausus Galliae. I. 69.
Neocaesarea Ponti. II. 355.
Neoclaudiopolis Paphlagoniae. II. 388.
Neronias Trachonitidos. III. 343.
Nicaea Bithyniae. II. 423.
Nicaea Thraciae. II. 36.
Nicephorium Mesopotamiae. III. 516.
Nicomedia Bithyniae. II. 429.
Nicopolis Epiri. II. 165.
Nicopolis Iudaeae. III. 454.
Nicopolis Moesiae inf. II. 16.
Nicopolis Seleucidis Syriae. III. 322.
Nicopolis Thraciae. II. 36.
Nicopolites nomus. IV. 111.
Nilopolis Aegypti. IV. 111.
Nisa Siciliae. I. 227.
Nisaea Atticae. II. 224.
Nisibi Mesopotamiae. III. 517.
Nisyros insula ad Cariam. II. 601.
Nola Campaniae. I. 114.
Nonacris Arcadiae. II. 296.
Norba Lusitaniae. I. 13.
Noricum Germaniae. I. 81.
Nuceria Campaniae. I. 114.
Numidia. IV. 152.
Nysa Cariae. II. 586.
Nysa Scythopolis Samaritidos. III. 438.
Nysa Thraciae. II. 36.

Oasites nomus. IV. 111.
Oaxus Cretae. II. 316.
Obulco Baeticae. I. 26.
Ocea Syrticae. IV. 131.
Odessus Thraciae. II. 36.
Oeniadae Acarnaniae. II. 187.
Oetaei Thessaliae. II. 144.
Olba Ciliciae. III. 62.
Olbasa Pisidiae. III. 20.
Olbia, Olbiopolis Sarmatiae Europaeae. II. 3.
Olont Hispaniae. I. 61.
Olus Cretae. II. 316.
Olympia Elidis. II. 269.
Olympus Lyciae. III. 5.

Olynthus Macedoniae. II. 72.
Omphale Epiri. II. 167.
Onuba Baeticae. I. 27.
Onuphites nomus. IV. 112.
Ophrynium Troadis. II. 486.
Orchomenus Arcadiae. II. 296.
Orchomenus Boeotiae. II. 201.
Oricus Epiri. II. 167.
Orippo Baeticae. I. 27.
Oroanda Pisidiae. III. 20.
Orra Italiae. I. 182.
Orthagoria Macedoniae. II. 73.
Orthosia Cariae. II. 589.
Orthosia Phoeniciae. III. 363.
Osca Baeticae. I. 27.
Osca Tarraconensis. I. 53.
Oset Baeticae. I. 27.
Osicerda Tarraconensis. I. 54.
Osonoba Lusitaniae. I. 13.
Ossa Macedoniae. II. 73.
Ostur Tarraconensis. I. 54.
Othrytae Thessaliae. II. 145.
Otrus Phrygiae. III. 169.
Oxyrinchites nomus. IV. 112.

Paeonia. II. 60.
Paestum Lucaniae. I. 156.
Paesus Mysiae. II. 458.
Pagae Atticae. II. 224.
Pagasae Thessaliae. II. 146.
Pallenses Cephaleniae. II. 272.
Palmyra Palmyrenes. III. 265.
Paltos Syriae. III. 323.
Pamphium Aetoliae. II. 190.
Pamphylia. III. 7.
Pandosia Bruttiorum. I. 177.
Panemotichos Pamphyliae. III. 12.
Panias (Caesarea) III. 339.
Pannonia. II. 6.
Panopolites nomus. IV. 112.
Panormus Siciliae. I. 228.
Panticapaeum Tauricae. II. 3.
Paphlagonia. II. 383.
Paphus Cypri. III. 86.
Parada Zeugitanae. IV. 147.
Parium Mysiae. II. 458.
Parlais Lycaoniae. III. 33.
Paropus Siciliae. I. 234.
Parthia. III. 522.
Parus insula Cycladum. II. 333.
Patara Lyciae. III. 5.
Patavium Venetorum. I. 83.
Patmos insula ad Ioniam. II. 567.
Patrae Achaiae. II. 255.
Patricia Baeticae. I. 19.
Pautalia Thraciae. II. 37.
Pax Iulia Lusitaniae. I. 13.
Pednelissus Pisidiae. III. 20.
Peira Achaiae. II. 258.
Peithesa Etruriae. I. 93.
Pelecania Boeotiae. II. 201.
Pelinna Thessaliae. II. 146.
Pella Decapoleos. III. 350.
Pella Macedoniae. II. 73.
Pellene Achaiae. II. 258.
Peloponnesus. II. 228.
Peltae Phrygiae. III. 169.
Pelusium Aegypti. IV. 112.
Pentri Samnii. I. 102.
Peparethus insula ad Macedoniam. II. 151.
Perga Pamphyliae. III. 12.
Pergamus Mysiae. II. 462.
Perinthus Thraciae. II. 39.
Perperene Mysiae. II. 474.
Perrhaebia Thessaliae. II. 146.
Perusia Etruriae. I. 93.
Pessinus Galatiae. III. 179.
Petelia Bruttiorum. I. 177.
Petra Arabiae. III. 503.
Petra Marmaricae. IV. 116.
Petrocorii Galliae. I. 66.

Phacium Thessaliae. II. 146.
Phaestus Cretae. II. 316.
Phalanna Cretae. II. 318.
Phalanna Thessaliae. II. 147.
Phanagoria Bospori. II. 339.
Pharbaethites nomus. IV. 113.
Pharcadon Thessaliae. II. 147.
Pharnacia Ponti. II. 357.
Pharsalus Thessaliae. II. 147.
Pharus insula Illyrici. II. 160.
Phaselis Lyciae. III. 5.
Phea Elidis. II. 269.
Pheneus Arcadiae. II. 296.
Pherae Thessaliae. II. 147.
Phialea Arcadiae. II. 297.
Philadelphia Decapoleos. III. 351.
Philadelphia Lydiae. III. 109.
Philippi Macedoniae. II. 75.
Philippopolis Arabiae. III. 504.
Philippopolis Thraciae. II. 42.
Philomelium Phrygiae. III. 170.
Phineum Ponti. II. 357.
Phlius Achaiae. II. 259.
Phocaea Ioniae. II. 533.
Phocis. II. 193.
Phoenice regio. III. 353.
Phoenice, Phoenicape Epiri. II. 167.
Phrygia. III. 127.
Phtheneotes nomus. IV. 113.
Phycus Cyrenaicae. IV. 129.
Picentini. I. 140.
Picenum. I. 98.
Pimolisa Ponti. II. 357.
Pinamys Aegypti. IV. 113.
Pincum Moesiae sup. II. 8.
Pionia Mysiae. II. 475.
Pisaurum Vmbriae. I. 96.
Pisidia. III. 18.
Pitane Mysiae. II. 475.
Plarasa Cariae. II. 589.
Plataeae Boeotiae. II. 201.
Plotinopolis Thraciae. II. 45.
Plusia, vel Plutia Siciliae. I. 234.
Podalia Lyciae. III. 7.
Poemaneni Mysiae. II. 476.
Polyrhenium Cretae. II. 318.
Pompejopolis Ciliciae. III. 67.
Pompejopolis Paphlagoniae. II. 389.
Pontus regio. II. 340.
Populonia Etruriae. I. 93.
Posidonia Lucaniae. I. 156.
Praesus Cretae. II. 319.
Prasia Laconiae. II. 285.
Priansus Cretae. II. 319.
Priapus Mysiae. II. 477.
Priene Ioniae. II. 534.
Proconnesus Mysiae. II. 477.
Proerna Thessaliae. II. 149.
Pronaei Cephalleniae. II. 272.
Prosopites nomus. IV. 113.
Prostanna Pisidiae. III. 21.
Prusa ad Olympum Bithyniae. II. 432.
Prusias ad Hypium Bithyniae. II. 433.
Prusias ad mare Bithyniae. II. 433.
Prymnessus Phrygiae. III. 170.
Psamathus Laconiae. II. 285.
Psophis Arcadiae. II. 297.
Ptolemais Cyrenaicae. IV. 129.
Ptolemais Galilaeae. III. 423.
Puteoli Campaniae. I. 115.
Pydna Macedoniae. II. 76.
Pylus Elidis. II. 269.
Pylus Messeniae. II. 277.
Pyrnus Cariae. II. 590.
Pythium Thessaliae. II. 149.
Pythopolis Bithyniae. II. 437.
Pyxus Lucaniae. I. 151.

Rabathmoma Arabiae. III. 504.
Ramatha Samaritidos. III. 438.
Raphanea Syriae. III. 323.
Raphia Iudaeae. III. 454.

Ravenna Galliae Cisalpinae. I. 84.
Remi Galliae. I. 73.
Rhaucus Cretae. II. 320.
Rhegium Bruttiorum. I. 177.
Rhene insula Cycladum. II. 334.
Rhesaena Mesopotamiae. III. 518.
Rhithymna Cretae. II. 320.
Rhoda Tarraconensis. I. 55.
Rhoda, Rhodanusia Galliae. I. 70.
Rhodus insula. II. 602.
Rhosus Syriae. III. 323.
Rhypae Achaiae. II. 259.
Romula Baeticae. I. 28.
Rotomagus Galliae. I. 73.
Ruscino Galliae. I. 70.
Rybastini Apuliae. I. 142.

Sacili Baeticae. I. 28.
Saetabis Tarraconensis. I. 55.
Saetteni Lydiae. III. 111.
Sagalassus Pisidiae. III. 21.
Saguntum Tarraconensis. I. 55.
Saites nomus. IV. 113.
Sala Phrygiae. III. 171.
Salacia Lusitaniae. I. 13.
Salamis Cypri. III. 87.
Salamis insula. II. 228.
Salapia Apuliae. I. 142.
Salentini Calabriae. I. 145.
Salpesa Baeticae. I. 29.
Samaritis. III. 428.
Same Cephalleniae. II. 273.
Samnium. I. 101.
Samosata Commagenes. III. 251.
Samothrace insula. II. 52.
Samus insula. II. 568.
Sandalium Pisidiae. III. 23.
Santones Galliae. I. 66.
Sardes Lydiae. III. 112.
Sardinia insula. I. 270.
Sarmatia Europaea. II. 3.
Savatra Lycaoniae. III. 35.
Saxus Cretae. II. 320.
Scepsis Troadis. II. 486.
Sciathus insula ad Thessaliam. II. 151.
Scodra Illyrici. II. 158.
Scotussa Thessaliae. II. 150.
Scyllaceum Bruttiorum. I. 182.
Scyrus insula. II. 334.
Scythopolis Samaritidos. III. 438.
Searo Baeticae. I. 29.
Sebaste Galatiae. III. 179.
Sebaste Phrygiae. III. 172.
Sebaste Samaritidos. III. 440.
Sebaste insula ad Ciliciam. III. 81.
Sebastopolis Ponti. II. 357.
Sebennytes nomus. IV. 114.
Segesta Siciliae. I. 234.
Segobriga Tarraconensis. I. 56.
Segovia Tarraconensis. I. 57.
Segusia Galliae. I. 70.
Seleucia ad Calycadnum Ciliciae. III. 65.
Seleucia Pamphyliae. III. 14.
Seleucia Pisidiae. III. 23.
Seleucia Syriae. III. 324.
Seleucia ad Tigrim Mesopotamiae. III. 519.
Seleucis regio Syriae. III. 266.
Selge Pisidiae. III. 25.
Selinus Ciliciae. III. 66.
Selinus Siciliae. I. 237.
Sepphoris Galilaeae. III. 425.
Sequani Galliae. I. 74.
Serdica Thraciae. II. 46.
Seriphus insula Cycladum. II. 334.
Sesamus Paphlagoniae. II. 389.
Sestus Chersonnesi Thraciae. II. 51.
Sethroites nomus. IV. 114.
Siberene Bruttiorum. I. 182.
Sicilia. I. 184.
Sicinus insula Cycladum. II. 335.

Sicyon Achaiae. II. 260.
Side Pamphyliae. III. 14.
Sidon Phoenices. III. 364.
Sigeum Troadis. II. 488.
Silandus Lydiae. III. 118.
Sillyum Pamphyliae. III. 17.
Singara Mesopotamiae. III. 519.
Sinope Paphlagoniae. II. 389.
Sinuessa Volscorum. I. 101.
Siphnus insula Cycladum. II. 335.
Sipontum Apuliae. I. 143.
Siris Lucaniae. I. 160.
Sisapo Baeticae. I. 29.
Smaeta Ponti. II. 358.
Smyrna Ioniae. II. 537.
Soli Ciliciae. III. 67.
Soli Cypri. III. 88.
Solus Siciliae. I. 241.
Stabiae Campaniae. I. 116.
Stectorium Phrygiae. III. 172.
Stobi Macedoniae. II. 77.
Stratonicea Cariae. II. 590.
Stratos Acarnaniae. II. 187.
Stymphalus Arcadiae. II. 297.
Styra Euboeae. II. 325.
Suessa Campaniae. I. 116.
Sybaris Lucaniae. I. 160.
Sybritia Cretae. II. 320.
Syedra Ciliciae. III. 70.
Syme insula ad Cariam. II. 606.
Synaos Phrygiae. III. 172.
Synnada Phrygiae. III. 172.
Syracusae Siciliae. I. 241.
Syria in genere. III. 209. 249.
Syrtica. IV. 130.
Syrus insula Cycladum. II. 337.

Taba Cariae. II. 591.
Tabae Decapoleos. III. 352.
Tabala Lydiae. III. 119.
Talaria Siciliae. I. 247.
Taletum Laconiae. II. 285.
Tamassus Cypri. III. 88.
Tanagra Boeotiae. II. 201.
Tanites nomus. IV. 115.
Tanos Cretae. II. 321.
Taphias Acarnaniae. II. 188.
Tarentum Calabriae. I. 145.
Tarraco Hispaniae. I. 57.
Tarraconensis. I. 34.
Tarsus Ciliciae. III. 70.
Tartessus Baeticae. I. 29.
Tavium Galatiae. III. 182.
Tauromenium Siciliae. I. 247.
Teanum Campaniae. I. 117.
Teate Marrucinorum. I. 99.
Tectosages Galatiae. III. 181.
Tegea Arcadiae. II. 297.
Tegea Cretae. II. 321.
Telamon Etruriae. I. 93.
Telos insula ad Cariam. II. 606.
Temenothyrae Lydiae. III. 119.
Temesa Bruttiorum. I. 182.
Temnus Aeolidis. II. 496.
Tenedus insula ad Troadem. II. 488.
Tentyrites nomus. IV. 115.
Tenus insula Cycladum. II. 337.
Teos Ioniae. II. 562.
Terina Bruttiorum. I. 182.
Termessus Pisidiae. III. 27.
Thasus insula. II. 52.
Thebae Boeotiae. II. 202.
Thelpusa Arcadiae. II. 299.
Themisonium Phrygiae. III. 174.
Thenae Cretae. II. 321.
Theodosia Tauricae. II. 3.
Thera insula ad Cretam. II. 338.
Thermae Siciliae. I. 211.
Therne Thraciae. II. 47.
Thespiae Boeotiae. II. 204.
Thesprotia Epiri. II. 168.
Thessalia. II. 132.

Thessalonica Macedoniae. II. 77.
Thibros Thessaliae. II. 150.
Thinites nomus. IV. 115.
Thissoa Arcadiae. II. 300.
Thracia II. 19.
Thuria Messeniae. II. 277.
Thurium Lucaniae. I. 160.
Thyatira Lydiae. III. 121.
Thyessus Lydiae. III. 123.
Thyrea Argolidis. II. 291.
Thyrreum Acarnaniae. II. 187.
Tiberias Galilaeae. III. 426.
Tiberiopolis Phrygiae. III. 175.
Ticinum Insubrum. I. 84.
Tirida Thraciae. II. 47.
Tium Bithyniae. II. 438.
Tmolus Lydiae. III. 123.
Toletum Tarraconensis. I. 58.
Telistobogi Galatiae. III. 179.
Tomi Moesiae inf. II. 18.
Topirus Thraciae. II. 47.
Tornacum Galliae. I. 74.
Torone Macedoniae. II. 80.
Trachonitis. III. 339.
Traducta Baeticae. I. 29.
Traelium Macedoniae. II. 81.
Trajanopolis Phrygiae. III. 175.
Trajanopolis, Trajana Augusta Thraciae. II. 47.
Tralles Lydiae. III. 124.
Trapezopolis Cariae. II. 592.
Trapezus Ponti. II. 358.
Tremithus Cypri. III. 88.
Triaditza Thraciae. II. 46.
Tricala Siciliae. I 249.
Tricca Thessaliae. II. 150.
Trimenothyrae Phrygiae. III. 176.
Tripolis Cariae. II. 593.
Tripolis Phoeniciae. III. 372.
Tripolis Ponti. II. 359.
Troas regio. II. 478.
Troas Alexandria. II. 479.
Trocmi Galatiae. III. 182.
Troezen Argolidis. II. 291.
Tucci Baeticae. I. 31.
Tuder Vmbriae. I. 97.
Turiaso Tarraconensis. I. 59.
Turones Galliae. I. 66.
Tyana Cappadociae. III. 194.
Tylis Thraciae. II. 49.
Tylissus Cretae. II. 321.
Tyndaris Siciliae. I. 249.
Tyra Sarmatiae Europaeae. II. 4.
Tyracina Siciliae. I. 249.
Tyrus Phoeniciae. III. 379.

Vaga Numidiae. IV. 152.
Valentia Bruttiorum. I. 173.
Valentia Tarraconensis. I. 59.
Velia Lucaniae. I. 165.
Venafrum Campaniae. I. 118.
Ventippo Baeticae. I. 31.
Verulamium Britanniae. I. 80.
Vestini. I. 99.
Vetulonia Etruriae. I. 94.
Vgia Baeticae. I. 32.
Vienna Galliae. I. 71.
Viminacium Moesiae sup. II. 8.
Virodunum Galliae. I. 75.
Visontium Tarraconensis. I. 60.
Vlia Baeticae. I. 32.
Vmbria. I. 95.
Volaterrae Etruriae. I. 94.
Volcae Galliae. I. 71.
Vranopolis Macedoniae. II. 81.
Vrsentum Lucaniae. I. 166.
Vrso Baeticae. I. 33.
Vtica Zeugitanae. IV. 147.
Vxentum Calabriae. I. 149.

Xanthus Lyciae. III. 7.
Xoites nomus. IV. 115.

Zacynthus insula ad Elidem. II. 273.
Zancle Siciliae. I. 219.
Zaytha Mesopotamiae. III. 520.
Zela Ponti. II. 359.
Zephyrium Bruttiorum. I. 182.
Zephyrium Ciliciae. III. 80.
Zeugitana. IV. 136.
Zeugma Commagenes. III. 253.

INDEX II.

REGVM AC PRINCIPVM.

Abgari varii Edessae reges. III. 512. seq.
Achaemenidae Persiae reges. III. 551.
Achaeus contra Antiochum III. partis Asiae rex. III. 221.
Adinigaus Bactrianae rex. III. 559.
Agathocles Syracusarum rex. I. 260.
Agrippa I. Iudaeae rex. III. 491.
Agrippa II. Iudaeae rex. III. 493.
Ajax sacerdos Olbae Ciliciae. III. 64.
Alexander I. Epiri rex. II. 169.
Alexander II. Epiri rex. II. 174.
Alexander Iannaeus Iudaeae rex. III. 477.
Alexander I. Macedoniae rex. II. 83.
Alexander II. Macedoniae rex. II. 87.
Alexander III. Magnus Macedoniae rex. II. 95.
Alexander IV. Macedoniae rex. II. 117.
Alexander I. Bala Syriae rex. III. 227.
Alexander II. Zebina Syriae rex. III. 237.
Aleus Tegeae Arcadiae rex. II. 299.
Amastris Heracleae Ponti regina. II. 421.
Ambactus Gallus. I. 75.
Ambiorix Gallus. I. 75.
Amyntas Galatiae rex. III. 183.
Amyntas I. Macedoniae rex. II. 82.
Amyntas II. Macedoniae rex. II. 87.
Antigonus Asiae rex. II. 117.
Antigonus Iudaeae rex. III. 480.
Antigonus I. Gonatas Macedoniae rex. II. 123.
Antigonus II. Doson Macedoniae rex. II. 127.
Antiochus IV. Commagenes rex. III. 255.
Antiochus I. Soter Syriae rex. III. 213.
Antiochus II. Deus Syriae rex. III. 217.
Antiochus III. Magnus Syriae rex. III. 219.
Antiochus IV. Deus Epiphanes Syriae rex. III. 222.

Antiochus V. Eupator Syriae rex. III. 225.
Antiochus VI. Dionysus Syriae rex. III. 231.
Antiochus VII. Evergetes Syriae rex. III. 235.
Antiochus VIII. Epiphanes Grypus Syriae rex. III. 238.
Antiochus IX. Philopator Syriae rex. III. 241.
Antiochus X. Eusebes Syriae rex. III. 244.
Antiochus XI. Philadelphus Syriae rex. III. 244.
Antiochus XII. Syriae rex. III. 246.
Antiochus XIII. Syriae rex. III. 248.
Antiochus Hierax Syrus. III. 219.
Antiochi incerti. III. 248.
Antipater I. Macedoniae rex. II. 116.
Antipater II. Macedoniae rex. II. 123.
Archelaus Cappadociae rex. III. 201.
Archelaus Macedoniae rex. II. 84.
Aretas Damasci rex. III. 330.
Areus Spartae rex. II. 281.
Argaeus Macedoniae rex. II. 82.
Ariarathes I. — IX. Cappadociae reges. III. 196. seq.
Ariarathes X. Cappadociae rex. III. 200.
Ariobarzanes I. et II. Cappadociae reges. III. 199.
Ariobarzanes III. Cappadociae rex. III. 200.
Arisbas Epiri rex. II. 168.
Aristion Athenarum tyrannus. II. 219.

Arsaces Parthiae reges.

Arsaces I. III. 524.
Arsaces II. Tiridates. III. 525.
Arsaces III. Artabanus I. III. 525.
Arsaces IV. Priapatius. III. 525.
Arsaces V. Phraates I. III. 525.
Arsaces VI. Mithridates I. III. 526.
Arsaces VII. Phraates II. III. 526.
Arsaces VIII. Artabanus II. III. 527.
Arsaces IX. Mithridates II. III. 527.
Arsaces X. Mnascires. III. 528.
Arsaces XI. Sanatroeces. III. 528.
Arsaces XII. Phraates III. III. 528.
Arsaces XIII. Mithridates III. III. 529.
Arsaces XIV. Orodes. III. 529.
Arsaces XV. Phraates IV. III. 529.
Arsaces XVI. Phraataces. III. 533.
Arsaces XVII. Orodes II. III. 533.
Arsaces XVIII. Vonones I. III. 533.
Arsaces XIX. Artabanus III. III. 533.
Arsaces XX. Gotarzes. III. 534.
Arsaces XXI. Bardanes. III. 535.
Arsaces XXII. Vonones II. III. 536.
Arsaces XXIII. Volagases I. III. 536.
Arsaces XXIV. Pacorus. III. 537.
Arsaces XXV. Chosroes. III. 537.
Arsaces XXVI. Volagases II. III. 537.
Arsaces XXVII. Volagases III. III. 538.
Arsaces XXVIII. Volagases IV. III. 540.
Arsaces XXIX. Artabanus IV. III. 540.
Arsaces incerti. III. 539 — 542.

* * *

Arsames Armeniae rex. III. 204.
Arsinoe Ptolemaei II. Philadelphi IV. 12.
Arsinoe Ptolemaei IV. Philopatoris. IV. 15.
Artavasdes Armeniae rex. III. 207.
Asander Bospori rex. II. 367.
Atepilos Gallus. I. 76.
Ateula Gallus. I. 77.
Audoleon Paeoniae rex. II. 60.

Ballaeus fors Illyrici rex. IV. 167.
Berenice Ptolemaei I. Soteris. IV. 7.
Berenice Ptolemaei X. IV. 20.
Bitovius, Bitucus Galatiae reges. III. 183.

Caeantolus Galatiae rex. III. 183.
Callinicus Antiochi IV. Commageni F. III. 258.
Canog - - rex ignotus. IV. 168.
Caractacus Britannus. I. 80.
Carmanos Gallus. I. 77.
Cassander Macedoniae rex. II. 115.
Cleopatra Antiochi VIII. mater. III. 238.
Cleopatra mater Ptolemaeorum VIII. et IX. IV. 19.
Cleopatra Selene Antiochi VIII. uxor. III. 241. IV. 20.
Cleopatra M. Antonii. IV. 22.
Cleopatra Iubae II. IV. 158. 159.
Commios Gallus. I. 77.
Comosicus Geta. II. 4.
Cotys I. Bospori rex. II. 376.
Cotys II. Bospori rex. II. 378.
Cotys III. Bospori rex. II. 380.
Cotys III. Thraciae rex. II. 58.
Cotys V. Thraciae rex. II. 58.

Daletuonus rex Gallicus. I. 77.
Dejotarus Galatiae rex. III. 183.
Demetrius I. Macedoniae rex. II. 119.
Demetrius II. Macedoniae rex. II. 127.
Demetrius I. Syriae rex. III. 225.
Demetrius II. Syriae rex. III. 228.
Demetrius III. Syriae rex. III. 245.
Dinocrates Siculus. I. 262.
Dionysius Heracleae rex. II. 420.
Dionysius I. Syracusarum tyrannus. I. 257.
Dionysius II. Syracusarum tyrannus. I. 258.
Dionysius Tripolis Phoenices rex. III. 373.
Donnus Gallus. I. 74.
Dubnorex Gallus. I. 74.

Epenos Gallus. I. 78.
Epiphanes Antiochi IV. Commageni F. III. 258.
Evagoras Cypri rex. III. 89.
Eucratides Bactrianae rex. III. 558.
Eupator Bospori rex. II. 378.
Euthydemus Bactrianae rex. III. 557.

Gallici reguli, vel magistratus. Eorum ex numis catalogum vide Vol. I. p. 75. seq.
Gelo Syracusarum rex. I. 249.
Gentius Illyrici rex. II. 158.
Germanus Gallus. I. 78.

Hecatomnus Cariae rex. II. 596.
Heliocles rex ignotus. IV. 168.
Herodes Chalcidis rex. III. 492.
Herodes M. Iudaeae rex. III. 483.
Herodes Antipas tetrarcha Galilaeae. III. 486.
Hicetas Syracusanus. I. 262.
Hidrieus Cariae rex. II. 597.
Hiero I. Syracusarum rex. I. 256.
Hiero II. Syracusarum rex. I. 263.
Hieronymus Syracusarum rex. I. 264.
Hildericus Vandalorum rex. IV. 138.

Indutiomarus Gallus. I. 78.
Ininthimevus Bospori rex. II. 380.
Iotape Commagenes regina. III. 257.
Iuba I. Mauretaniae rex. IV. 154.
Iuba II. Mauretaniae rex. IV. 155.

Lycceus incertus. IV. 168.
Lycomedes rex incertus. II. 445.
Lysimachus Thraciae rex. II. 55.

Magas Cyrenaicae rex. IV. 11. 124.
Manisarus Armeniae rex. III. 208.
Manni varii, Edessae reges. III. 513. seq.
Maussollus Cariae rex. II. 596.
Meleager Macedoniae rex. II. 123.
Midas Phrygiae rex. III. 143. 168. 170.
Minnisares creditus Armeniae rex. III. 559.
Mithridates Armeniae rex. III. 206.
Mithridates Pergamenus Bospori rex. II. 368.
Mithridates ex stirpe Mithridatis VI. Pontici, Bospori rex. II. 376.
Mithridates II. Ponti rex. II. 362.
Mithridates V. Ponti rex. II. 364.
Mithridates VI. Eupator Ponti rex. II. 364.
Moagetes Cibyrae rex. III. 145.
Monneses Bactrianae rex. III. 559.
Monunius Dyrrhachii rex. II. 157.
Mostis Epiri rex. II. 177.
Musa Bithyniae regina. II. 445.

Nicocles Paphius. III. 87.
Nicomedes I. Bithyniae rex. II. 439.
Nicomedes II. Bithyniae rex. II. 444.
Nicomedes III. Bithyniae rex. II. 444.
Nicomedes IV. Bithyniae rex. II. 445.
Nicomedes incertus, Bithyniae rex. II. 440.

Olympias Macedoniae regina. II. 89.
Orcitirix Gallus. I. 78.
Oradaltis Bithyniae regina. II. 445.
Orsobaris reginae Musae pater. II. 446.
Othontopates Cariae rex. II. 597.

Paerisades I. Bospori rex II. 361.
Patraus incertus. IV. 168.
Pausanias Macedoniae rex. II. 86.
Pepaepiris Bospori regina. II. 375.
Perdiccas II. Macedoniae rex. II. 84.
Perdiccas III. Macedoniae rex. II. 87.
Perseus Macedoniae rex. II. 131.
Pharnaces I. Ponti rex. II. 363.
Pharnaces II. Bospori et Ponti rex. II. 366.
Philetaerus Pergami rex. II. 473.
Philippus I. Macedoniae rex. II. 82.
Philippus II. Macedoniae rex. II. 88.
Philippus III. Aridaeus. II. 91. 113.
Philippus IV. Macedoniae rex. II. 116.
Philippus V. Macedoniae rex. II. 128.
Philippus Syriae rex. III. 244.
Philippus tetrarcha Iudaeae. III. 490.
Philistis Syracusarum regina. I. 264.
Philopator Ciliciae rex. III. 83.
Phintias Agrigenti rex. I. 266.
Phthia Epiri regina. II. 170.
Pixodarus Cariae rex. II. 597.
Polemon I. rex Ponti et Bospori. II. 368.
Polemon II. rex Ponti et Bospori. II. 372.
Polemon sacerdos Olbae Ciliciae. III. 62.
Prusias I. Bithyniae rex. II. 440.
Prusias II. Bithyniae rex. II. 441.
Psamytus Galatiae rex. III. 183.

Ptolemaei Aegypti reges.

Ptolemaeus I. Soter. IV. 5.
Ptolemaeus II. Philadelphus. IV. 8.
Ptolemaeus III. Evergetes. IV. 13.
Ptolemaeus IV. Philopator. IV. 14.
Ptolemaeus V. Epiphanes. IV. 15.
Ptolemaeus VI. Philometor. IV. 16.

Ptolemaeus VII. Physcon. IV. 17.
Ptolemaeus VIII. Lathurus. IV. 17.
Ptolemaeus IX. Alexander I IV. 18.
Ptolemaeus X. Alexander II. IV. 20.
Ptolemaeus XI. Auletes. IV. 21.
Ptolemaeus XII. Dionysius. IV. 22.
Ptolemaeus XIII. IV. 22.

* * *

Ptolemaeus Apion Cyrenaicae rex. IV. 125.
Ptolemaeus Epiri rex. II. 176.
Ptolemaeus Alorites Macedoniae rex. II. 88.
Ptolemaeus Mauretaniae rex. IV. 159.
Ptolemaeus Ceraunus Thraciae rex. II. 58. 122.
Ptolemaeus tetrarcha Chalcidenes. III. 263.
Pylaemenes Paphlagoniae rex. II. 394.
Pyrrhus Epiri rex. II. 170.
Pythodoris Ponti regina. II. 370.

Rhascuporis Thraciae rex. II. 58.
Rhescuporis I. Bospori rex. II. 375.
Rhescuporis II. Bospori rex. II. 377.
Rhescuporis III. Bospori rex. II. 380.
Rhescuporis IV. Bospori rex. II. 380.
Rhescuporis V. Bospori rex. II. 381.
Rhoemetalces Bospori rex. II. 378.
Rhoemetalces I. Thraciae rex. II. 58.
Rhoemetalces II. Thraciae rex. II. 59.

Sadales II. Thraciae rex. II. 58.
Sames Armeniae rex. III. 205.
Sarias rex ignotus. IV. 168.
Sasanidae Persiae reges. III. 554.
Sauromates I. Bospori rex. II. 373.
Sauromates II. Bospori rex. II. 377.
Sauromates III. Bospori rex. II. 379.
Sauromates IV. V. VI. Bospori reges. II. 381.
Seleucus I. Nicator Syriae rex. III. 210.
Seleucus II. Callinicus Syriae rex. III. 218.
Seleucus III. Ceraunus Syriae rex. III. 219.
Seleucus IV. Philopator Syriae rex. III. 221.
Seleucus V. Syriae rex. III. 237.
Seleucus VI. Epiphanes Syriae rex. III. 242.
Seuthes III. Thraciae rex. II. 55.
Simeon Iudaeorum dux. III. 465.
Sosthenes Macedonum dux. II. 123.
Sotioga Gallus. I. 77.

Tarcondimotus Ciliciae rex. III. 82.
Teiranes Bospori rex. II. 381.
Thero Agrigentinus. I. 266.
Thothorses Bospori rex. II. 381.
Tigranes Armeniae et Syriae rex. III. 207. 247.
Timotheus Heracleae Ponti rex. II. 420.
Toutobogio Gallus. I. 79.
Tryphon Syriae rex. III. 233.

Vlatos Gallus. I. 77.

Xerxes Armeniae rex. III. 204.

Zenodorus tetrarcha. III. 496.

* * *

Omisi ex hoc catalogo nomina varia inscripta numis Gallicis, ut: ATISIO, AVSCRO, et complures alios, quos collegi in Vol. I. p. 77, neque enim satis constat, utrum regulorum illa sint nomina, an magistratuum, an populorum.

Nomina peregrina ADNA, BIATEC, SVICCA, etc., quae leguntur in numis barbaris, peti possunt ex indice III.

INDEX III.

INSCRIPTIONVM SINGVLARIVM.

Alphabeti Graeci.

ΑΓΑΘΗ. ΤΥΧΗ. II. 426.
ΑΓΑΘΟΝ. (ΤΟ.) ΕΦΕϹΙΩΝ. II. 516.
ΑΓΡΕΥϹ. II. 179.
ΑΓΩΝ. ΑΓΩΝΕϹ. IV. 426.
ΑΓΩΝΕϹ. ΙΕΡΟΙ. II. 428.
ΑΓΩΝΟΘΕϹΙΑ. II. 79. IV. 433.
ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. III. 266.
ΑΔΡΑΝΟΥ. I. 224.
ΑΔΡΙΑΝΟΝ. inscriptum templo Hadriani. IV. 64.
ΑΘΗ. ΧΑΛΚ. I. 153.
ΑΘΗΝΑΣ. ΑΡΕΙΑΣ. II. 215.
ΑΘΗΝΑΣ. ΙΛΙΑΔΟΣ. II. 484.
ΑΘΗΝΑΣ. ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. II. 214.
ΑΘΗΝΑ. ΣΕΒΑΣΤ. IV. 60.
ΑΘΛΑ. I. 243.
ΑΘΥΜΒΡΟϹ. II. 587.
ΑΙΘΩΝ. II. 310.
ΑΙΩΝ. IV. 69.
ΑΚΡΑΙΟΙ. (ΘΕΟΙ.) II. 504.
ΑΛΕΔΗ. III. 242.
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ. Maced. regem. II. 425.
ΑΛΚΑΙΟϹ. II. 504.
ΑΛΟϹΤΑϹ. I. 116.
A. M. B. in numo Nicaeae. II. 427.
ΑΜΒΡΟϹΙΕ. ΠΕΤΡΕ. III. 389.
A. M. K. in numis Tarsi et Anazarbi. III. 76.
ΑΜΜΩΝ. (ΘΕΟϹ.) II. 503. IV. 116.
ΑΜΦΙΚΤΙΟ. II. 194.
ΑΝΑΚΡΕΩΝ. II. 563.
ΑΝΕΘΗΚΕ. IV. 368.
ΑΝΝΑ. III. 313.
ΑΝΤΗϹΑΜΕΝΟΥ. ΦΡΟΥΓΙ. III. 129.
ΑΝΤΟΝΙΝΟΝ. ΒΑϹΙ. II. 294.
ΑΝΧΕΙϹΗϹ. ΑΦΡΟΔΕΙΤΗ. II. 486.
ΑΠΗΝΗ. ΙΕΡΑ. II. 517.
ΑΠΟΙΚΙΑ. I. 232.
ΑΠΟΛΛΑϹ. ΦΑΙΝΙΟΥ. II. 497. 498.
ΑΠΟΛΛΩ. III. 124.
ΑΠΟΛΛΩΝ. I. 203.
ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. I. 248.
ΑΠΟΛΛΩΝ. ΑΚΤΙΟΣ. IV. 53.
ΑΠΟΛΛΩΝ. ΕΜΒΑϹΙΟϹ. II. 516.
ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. ΖΜΙΘΕΩΣ. II. 480.
ΑΠΟΛΛΩΝ. ΚΑΛΛΙΠ. II. 50.
ΑΠΟΛΛΩΝ. ΠΥΘΙΟΣ. IV. 53.
ΑΠΟΛΛΩΝ. ΣΩΤΗΡ. II. 139.
ΑΡΓΥΡΟϹ. II. 38.
ΑΡΓΩ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. II. 528.
ΑΡΕΘΟΣΑ. I. 246.
ΑΡΕΩΣ. I. 224.
ΑΡΙΣΤΙΩΝ magistratus. II. 219. 308.
ΑΡΚΑΣ. II. 296.

ΑΡΜЄΝΙΑ. IV. 76.
ΑΡΠωΚΡΑΤΗC. IV. 33.
ΑΡΤΑΚΛΙΩΝ in numo urbis incertae. IV. 163.
ΑΡΤЄΜЄΝ. in numo urbis incertae. IV. 164.
ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. III. 169.
ΑΡΤЄΜΙC. ЄΦЄCΙΑ. II. 514.
ΑΡΤЄΜΙC. ΚΛΑΡΙΑ. II. 512.
ΑΡΤЄΜΙC. ΚΟΛΟΦΩΝΙΑ. II. 512.
ΑΡΤЄΜΙC. ΠЄΡΓΑΙΑ. II. 505.
ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. ΠΕΡΓΑΙΑΣ. III. 13.
ΑΡΤЄΜΙC. ΤΥΧΗ. III. 350.
ΑΡΧΑΓΕΤΑΣ. I. 206. 248.
ΑΡΧΗΓЄΤΗC. III. 154.
ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ. ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. III. 274.
ΑCΚΗΝΟC. (ΜΗΝ.) III. 112.
ΑΣΚΛΑΠΙΑ. I. 192.
ΑCΚΛΗΠΙΑ. IV. 435.
ΑCΚΛΗΠΙΟC. II. 385. 438.
ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. II. 600.
ΑΣΚΛΗΠΙΩ. CΩΤΗΡΙ. II. 425.
ΑCΠΟΥΡΓΟΥ. II. 374.
ΑCCΑΡΙΟΝ. — ΗΜΙCΥ. — ΔΥΩ — ΤΡΙΑ. II. 565.
ΑΤЄΛЄΙΑC. II. 571.
ΑΥΛΑΙΤΗΣ. II. 525.
ΑΥΤΟΚΡΑ. IV. 50.
ΑΦΙЄΡωCΙC. IV. 95.
ΑΦΡΟΔЄΙΤΗ. II. 486.
ΑΧΙΛΛЄΥC. IV. 347.

ΒΑCΙΛЄΥΟΝΤΟC. Ο. ΚΟCΜΟC. ЄΥΤΥΧЄΙ. II. 426. 437. III. 189.
ΒΑCΙΛЄΩC. ΥΙΟΙ. III. 258 492.
ΒЄΛ. III. 141. 154.
ΒΗΡΙCCΙΜΟC. II. 4.
ΒΟΡЄΙΤΗΝΗ. II. 544. III. 121.
ΒΟΤΡΥ. II. 38.
ΒΟΥΛΑΙΟC. dictus Augustus. II. 465.
ΒΟΥΛΗ Senatus urbium Graecarum. IV. 190
ΒΥΖΑΣ. II. 27.
ΒΩΤΑ. II. 517.

Γ. Β. vel Γ. Γ. in numis Tarsi et Anazarbi. III. 78.
ΓЄΡΟΥCΙΑ. IV. 190.
ΓΛΥΚΩΝ serpens. II. 383.
ΓΥΜΝΑCΙΑΡΧΙΑ. III. 52. 70. IV. 442.
ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ. II. 471.

ΔΑΜΑΤΗΡ. I. 206.
ΔΑΜΝЄΥC. II. 496.
ΔΑΡΔΑΝΟC. ΙΛΙЄΩΝ. II. 485.
Δ. Є. in numis Antiochiae Syriae. III. 298.
ΔЄΙΔΩΝ. III. 388.
ΔЄΚΑЄΤΗΡΙC. ΚΥΡΙΟΥ. IV. 91.
ΔΗΜΗΤΗΡ. (ΘЄΑ.) II. 425. IV. 53.
ΔΗΜΟΣ, populus urbium Graecarum. IV. 190.
ΔΙΔΡΑΓΜΟΝ. III. 188.
ΔΙΔΡΑΧΜΟΝ. II. 603. 604. 605.
ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ. IV. 51.
ΔΙΚΤΥΝΝΑ. ΚΡΗΤ. II. 303.
ΔΙΟΣ. I. 175. II. 424.
ΔΙΟΣ. ΑΓΟΡΑΙΟΥ. II. 424.
ΔΙΟΣ. ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΥ. I. 243.
ΔΙΟΣ. ΕΛΛΑΝΙΟΥ. I. 244.
ΔΙΟΣ. ΙΔΑΙΟΥ. II. 303. ΔΙΑ. ΙΔΑΙΟΝ. II. 485. III. 158.
ΔΙΟΣ. ΚΑΤΑΙΒΑΤΟΥ. III. 260.
ΔΙΟΣ. ΟΛΥΜΠΙΟΥ. IV. 53.
ΔΙΑ. ΠΑΝΔΗΜΟΝ. III. 173.
ΔΙΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. I. 193.
ΔΙΟC. ΤΑΡCЄΩΝ. III. 73.
ΔΙΔΥΜЄΥC. II. 531.
ΔΙΟΝΥCΟC. II. 587.
ΔΙΟΝΥCΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. II. 34.
ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΚΤΙΣΤΟΥ. II. 424.

ΔΙΧΑΛΚΟΝ. II. 565.
ΔΟΓΜΑΤΙ. CΤΝΚΛΗΤΟΤ. III. 165. addito: ΟΤΤΟΙ. ΝΑΟΙ. II. 517.
ΔΟΚΙΜΟC. III. 151.
ΔΟΜΝΑ. CΩΤЄΙΡΑ. II. 452.
ΔΟΤCΑΡΙΑ. III. 502.
ΔΡΑΧΜΑ. II. 27. ΔΡΑΧΜΗ. III. 188. addito ΕΦΕ. II. 514.
ΔΤΝΑΣΤΟΤ. III. 62.

ЄΒΔΟΜΗ. ΤΗC. ΑCΙΑC. II. 527.
ЄΔΩΚЄΝ. III. 425.
ЄΘΝΑΡΧΟC. IV. 160.
ΕΙΡΗΝΗ. I. 176. II. 400. 586. IV. 51.
ЄΙΧΑΡ. ΤΟ. Γ. III. 128.
ΕΙ𐅵. ΓΑΖΑ. III. 449.
Ε. ΚΟΡ. ΛΤ. II. 302.
ЄΚΤΩΡ. II. 486.
ΕΛΕΤΘΕΡΑΣ. II. 2.
ΕΛΕΤΘΕΡΙΑ. IV. 55.
ЄΛЄΤΘЄΡΙΑC. II. 79.
ΕΛΠΙΣ. ΣΕΒΑΣΤΗ. IV. 60.
ЄΜΒΑCΙΟC. (ΑΠΟΛΛΩΝ.) II. 516.
ЄΝΔΟΞΟΤ. III. 17. 42. ЄΝΔΟΞΟΤЄΡΑC. III. 70.
ЄΝ. ΚΟΔΡΙΓΑΙC. ΟΡΟΙC. ΚΙΛΙΚΩΝ. III. 79.
ЄΝΜΟΝΙΔЄΙΑ. III. 107.
ΕΝΤΙΜ. III. 29.
ЄΠΙΔΗΜΙΑ. II. 41. IV. 440.
ΕΠΙΚΝΑ. II. 191.
ΕΠΙΜЄΛΗCΑΝΤΟC. II. 575. 591.
ΕΠΙΜΕΛΗΤΑΙ. IV. 220.
ЄΠΙΝЄΙΚΙΑ. IV. 441.
ЄΠΙΝΙΚΙΟΝ. ΑΝЄΘΗΚЄ. III. 163. IV. 369 seq.
ΕΠΙΣΤΑΤΑΙ. IV. 220.
ЄΠΙΤΡΟΠΟΤ. II. 404.
ЄΡΜΗC. ΚΤΙCΑC. ΤΗΝ. ΠΟΛΙΝ. II. 344.
ΕΣΤFΕΔΙΙΤΣ. III. 25.
ЄCΤΙΑ. ΘЄΩΝ. II. 387.
ΕΤΟΤΣ. ΝΕΟΤ. ΙΕΡΟΤ. IV. 413.
ΕΤΑ. IV. 121.
ΕΤΓΑΜΙΑ. IV. 29. 442.
ΕΤΕΡΓΕΤΗΣ. IV. 461. addito: ΙΟΤΛΙΟΣ. ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΣ. III. 159.
ЄΤΘΗΝΙΑ. IV. 47.
ЄΤΡΤΠΤΛΟC. ЄΡΩC. II. 463.
ЄΤΡωΠΗ. III. 389.
ΕΤΤΤΧЄΙC. ΚΑΙΡΟΙ. III. 165.
ЄΤΤΤΧЄCΤΑΤΟΤ. II. 454.

ΖΕΤΣ. I. 176. II. 437. 601.
ΖΕΤC. ΑΚΡΑΙΟC. II. 497. 508. 543.
ΖΕΤC. ΒΟΤΛΑΙΟC. II. 504.
ΖΕΤΣ. ΕΛΕΤΘΕΡΙΟΣ. I. 243. III. 107.
ΖΕΤC. ЄΤΡΩΜЄΤC. II. 581.
ΖЄΤC. ЄΦЄCΙΟC. ΠΡΩΤΟC. ΑCΙΑC. II. 514.
ΖЄΤC. ΚΑΠΙΤΟΛΙЄΤC. vel ΚΑΠЄΤΟΛΙЄΤC. II. 574.
ΖЄΤC. ΚΑCΙΟC. II. 179. III. 326.
ΖЄΤC. ΚЄΡΑΤΝΙΟC. III. 326.
ΖЄΤC. ΚΟΡΤΦΑΙΟC. III. 110.
ΖЄΤC. ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ. II. 301.
ΖЄΤC. ΛΑΡΑCΙΟC. III. 124.
ΖЄΤC. ΛΤΔΙΟC. III. 112.
ΖΕΤΣ. ΜΗΛΙΟΣ. II. 424.
ΖΕΤΣ. ΝΕΜΕΙΟΣ. IV. 53.
ΖЄΤC. ΝЄΡΩΝ. III. 100.
ΖЄΤC. ΟΛΤΜΠΙΟC. III. 105.
ΖЄΤC. ΠΑΝΔΗΜΟC. III. 173.
ΖЄΤC. ΠΙΟC. II. 465.
ΖЄΤC. ΠΟΤΗΟC. III. 150.
ΖΕΤΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ. IV. 29.
ΖЄΤC. CΤΡΑΤΗΓΟC. II. 385.

ZЄΥC. CΥΡΓΑCΤΗC. II. 438.
ΖΕΥΣ perperam ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ. III. 159.
ZЄΥC. ΦΙΛΙΟC. II. 465. 466.

Vide etiam Iovem in ΔΙΟΣ, et ΤΑΝ.

ΗΓЄΜΟΝΙΑ. II. 474.
ΗΛΙΟΣ. III. 96. IV. 29.
ΗΛΙΟC. ΑΠΟλλων. III. 124.
ΗΛΙΟΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ. IV. 29.
ΗΛΙΟC. CЄΛΗΝΗ. III. 374.
ΗΜΙΟΒΕΛΙΝ. II. 235.
ΗΠΕΙΡΟ. II. 53.
ΗΡΑ. II. 324. 385. III. 100.
ΗΡΑ. ΑΡΓΕΙΑ. IV. 53.
ΗΡΑ. ZЄΥC. CΤΡΑΤΗΓΟC. II. 385.
ΗΡΑC. (CЄΒΑCΤΗC.) Liviae. III. 107.
ΗΡΑΚΛЄΙΟΝ. III. 351.
ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. II. 54. 546.
ΗΡΩ. II. 479.
ΗΡΩΟC. II. 18.
ΗΩ. Aurora. IV. 76.

ΘΑΡΣΥΔΙΚΑΣ. II. 309.
ΘЄΑ. ΝЄΩΤЄΡΑ. IV. 23.
ΘЄΑC. CΥΡΙΑC. III. 262.
ΘЄΜΙΔΟC. ΤΟ. Є. III. 9.
ΘЄΟΓΑΜΙΑ. IV. 454.
ΘЄΟΔΩΡΟC. ЄΧΑΡΑ. ΤΡΙΠΟΛΙΝ. II. 594.
ΘЄΟΙ. CΥΡΙΑC. III. 262.
ΘΕΟΞΙΟΣ. ΚΛΗΤΑΙΟΣ. II. 236.
ΘΕΟΥ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΚΥΡΣΑ. II. 36.
ΘЄΟΦΑΝΗC. (ΘЄΟC.) II. 504.
ΘΕΩ ΜΑΡΙΝΩ. II. 44.
ΘΕΩΝ. ΑΔΕΛΦΩΝ. IV. 8.
ΘЄΩ. CΩΤΗΡΙ. ΚΑΙ. ΤΩ. ΘЄΩ. CЄΒΑCΤΩ. II. 466.
ΘΗΒЄ. III. 389.
ΘΗCЄΑ. II. 425.

ΙΑΣΩ. IV. 163.
ΙΔΗ. Mons. II. 487.
ΙΔΝΟ I. 118.
ΙЄΡЄΩC. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. II. 475.
ΙΕΡΟΜΝΑ. II. 31.
ΙΛΙΑC. II. 565.
ΙΛΙΟΝ. ΡΩΜΗ. II. 485.
ΙΜΑΚΓ. ΚΑΠΙΑΑ. III. 328.
ΙΝΔЄΙ. CΤΡΑΤΟΝЄΙ. II. 590.
ΙΟΥΔΑΙΑΣ. ΕΑΛΩΚΥΙΑΣ. III. 441.
ΙΠΠΙΚΟC. IV. 226.
ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ. II. 599.
ΙΠΠΟΝ. ΒΡΟΤΟΠΟΔΑ. II. 425.

ΚΑΒЄΙΡΟC. II. 77.
ΚΑΒΙΡΩΝ. CΥΡΙΩΝ. III. 374.
ΚΑΛΛЄΙ. ΚΑΙ. ΜЄΓЄΘЄΙ. II. 559.
ΚΑΛΛΗ. ΤΥΧΗ. ΑΙΓΗΠΤΟΥ. (sic.) IV. 3.
ΚΑΛΛΙΠ. (ΑΠΟΛΛΩΝ) II. 50.
ΚΑΜ. ΚΑΜΑΡЄΙΤΗC. II. 587. III. 131.
ΚΑΠЄ. II. 378. 379.
ΚΑΤΑΠΛΟΥC. II. 518.
ΚΑΤ. ΙCCΟΝ. III. 40. 41.
ΚЄΝΔΡЄΙCЄΙΑ. II. 44.
ΚΙΒΩΤΟC. III. 140.
Κ. Κ. II. 301.
ΚΟΔΡΙΓΑΙC. (ЄΝ.) III. 79.
ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ. III. 42. 73.
ΚΟΙΝΟΝ. IV. 430.
ΚΟΛΠΟΙ. II. 528.
ΚΟΠ. ΚΟΠΡΑΛΕ. IV. 164.
ΚΟΡΑΣ. I. 261.
ΚΟΡΗ. III. 10. addito CΩΤЄΙΡΑ. II. 451. 453.
ΚΟΡΒΟΥΛΩΝΟC. III. 100.
ΚΟΡΟΙ CЄΒΑCΤΟΙ. III. 72.
ΚΟΡΩΝΙC. II. 465.

ΚΡΑΤΗΣΙΣ. IV. 55.
ΚΡΟΤΟΜΙΣ. I. 171.
ΚΥΔΑΣ. II. 308.
ΚΥΡιος Antoninus Pius. III. 347.
ΚΥΡΣΑ. (ΘΕΟΥ. ΜΕΓΑΛΟΥ.) II. 36.

ΛΑΙΡΒΗΝΟϹ. III. 154.
ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗϹ. III. 17.
ΛΑΝΔΙΝΑ. I. 174. IV. 164.
ΛΕΑΝΔΡΟϹ. II. 479.
ΛΕΓ. Β. ΤΡΑΙ. IV. 95.
ΛΕΥΚΑΣΠΙΣ. I. 246.
ΛΕΥΚΟΦΡΥϹ. II. 526.
ΛΗΤΩ. ΛΗΤΩΕΙΑ. II. 593. IV. 444.
ΛΥΚΑΒΑΝΤΟΣ. IV. 43.

ΜΑΡΛ. ΜΑΡΛΟ. I. 201.
ΜΑΡΝΑ. III. 450.
ΜΑΡΩΝΟΣ. II. 34.
ΜΑΣΑΝΙΣΣΟΥ. II. 279.
ΜΑΤΡϹϹ. ΑΠΟΙΚΩΝ. ΠΟΛΙΩΝ. II. 418.
ΜΕΓΙϹΤΗ. Ephesus. II. 521.
ΜΕΓΙϹΤΩΝ. ΑΡΙϹΤΩΝ. II. 428.
ΜΕΙΝΩ. III. 449.
ΜΕΝΕΔΗΜΟΣ. ΙΕΡΕΥΣ. II. 161.
ΜΕΝΕϹΘΕΥ. ΚΤΙϹΤΗ. II. 494.
ΜΕΡ. in numo urbis incertae. IV. 163.
ΜΕΤΑΒΟ. I. 156.
ΜΗΝ. III. 337. 428. addito ΑϹΚΗΝΟϹ. III. 112.
ΜΗΝΗ. II. 569.
ΜΗΤΗΡ. ΘΕΩΝ. III. 96.
ΜΗΤΡΟϹ. II. 422.
ΜΟΝΗΤΑ. IV. 77.
ΜΥΣΙΑ. II. 6.
ΜΩΔΑΙΩΝ. II. 464.

ΝΑΥΜΑχια. III. 348.
ΝΕΑ. ΗΡΑ. — ΝΕΑ. ΘΕΑ. ΗΡΑ. II. 402. 573.
ΝΕΙΣΙ. III. 242.
ΝΕΜΕϹΙϹ. II. 439.
ΝΕΟ. ΑΓΑΘ. ΔΑΙΜ. IV. 35.
ΝΕΟΙ. ΗΛΙΟΙ. II. 517. 520.
ΝΕΥΑΝΤΟΣ. ΕΠΟΕΙ. Ρ. LXXX. II. 309.
ΝΙΚΑ. I. 155. 167. 213. II. 308.
ΝΙΚΗ. ΚΑΙϹ. III. 441. ΣΕΒΑΣΤΗ. IV. 60.

ΟΒΟΛΟΣ. I. 156. II. 565.
ΟΙΚΙΣΤΑΣ. I. 172.
ΟΛΥΜ. II. 292.
ΟΜΗΡΟϹ. II. 329. 385. 386. 425. 542. 565.
ΟΠΛΟΦΥΛΑΞ. II. 543.
ΟΡΕΟΙΣ. ΚΙΛΙΚΙΑΣ. — ΟΡΟΙϹ. ΚΙΛΙΚΩΝ. III. 79.
ΟΡΣΟΒΑΡΙΟΣ. II. 445.
ΟΡΤΥΓΟΘΗΡΑ. III. 72.
ΟΥΙΑΡΟϹ. III. 21.
ΟΥΤΟΙ. ΝΑΟΙ. II. 517.

ΞΑΝΘΟϹ. II. 387.
ΞΕΝΟΦΩΝ. II. 599.

ΠΑΙϹ. pro ΥΙΟϹ. III. 515.
ΠΑΝΙΩΝΙΟϹ. II. 508.
ΠΑΝ. I. 222.
ΠΑΝΟϹ. (ΘΕΟΥ.) IV. 112.
ΠΑΤΗΡ. ΠΑΤΡΙΔΟϹ. IV. 64.
ΠΑΤΡΩΝ. vel ΠΑΤΡΩΝΟΣ. II. 400. seq. IV. 252.
ΠΑΦΙΑ. ΠΑΦΙΗ. II. 463. III. 113.
ΠΕΙΩΝ. ΕΦΕϹΙΩΝ. II. 514.
ΠΕΛΟΨ. I. 213.
ΠΕΛΩΡΙΑΣ. I. 222.

ΠΕΡΙΟΔΟϹ. ΔΕΚΑΤΗ. IV. 86. ΔΕ-ΚΑΕΤ. IV. 80.
ΠΕΡϹΙΚΗ. III. 103.
ΠΗΓΗ. III. 111. ΠΗΓΑΙ. III. 332.
ΠΙΚΕΟΥΜ. I. 116.
ΠΙΣΤΙΣ. I. 176. III. 249.
ΠΛΟΥϹΙΑϹ. ΥΠΑΤ. vel ΙΠΑΤ. II. 497. seq.
ΠΛΟΥΤΟΛΟΓΗΣ. II. 587.
ΠΟΙΗΤΟΥ ΚΑ ΧΟΡΤΩΝϹϹ. IV. 164.
ΠΟΣΕΙΔΩΝ. I. 222. ΑϹΦΑΛΕΙΟϹ. II. 605. ΙΣΘΜΙΟΣ. IV. 53.
ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘΕΩΝ. IV. 77. 81.
ΠΡΟΝ. ΝΕΟΥ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. IV. 54.
ΠRORΟΜ. I. 102. 116.
ΠΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤω. ΛΙΜΕΝΙ. III. 428. 492.
ΠΥΘΑΓΟΡΗ. III. 552.
ΠΥΘΑΓΟΡΗϹ. II. 426. 570.
ΠΥΘΙΟϹ. III. 126.

ΡΑΙΛΙΤΝΟ. II. 81.
ΡΗΓΜΑ. III. 4.
ΡΟΔΟΠΗ. II. 44.
ΡΩΜ. II. 134.
ΡΩΜΑΙΟΝ. ΗΡΑΚΛΕΑ. IV. 77.
ΡΩΜΑΙΩΝ. I. 108.
ΡΩΜΑΙΩΝ. ΝΙΚΗΝ. II. 425.
ΡΩΜΗ. I. 176. II. 66. 347. IV. 53.
ΡΩΜΗ. ΘΕΑ. II. 484. 485. 571. 590. III. 120. 128. 130.
ΡΩΜΗ. ΙΛΙΟΝ. II. 485.
ΡΩΜΗ. ΚΑΙ. ϹΕΒΑϹΤΩ. II. 466.
ΡΩΜΗΝ. ΘΕΑΝ. II. 467. 476. 516. III. 97.
ΡΩΜΗΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΝ. II. 431.
ΡΩΜΗΣ. IV. 44. ΘΕΑϹ. II. 547.

ΣΑΡΑΠΙΣ. IV. 29.
ΣΑΡΑΠΙΣ. ΖΕΥΣ. IV. 29.
ΣΑΡΑΠΙΣ. ΗΛΙΟΣ. IV. 29.
ϹΕΒΑϹΤΟΥ. ΚΤΙϹΜΑ. II. 166.
ΣΕΒΣΤΟΦΟΡΟΣ. IV. 54.
ϹΕΙΤΟϹ. III. 73. 78.
ϹΕΜΝΗϹ. III. 70.
ϹΕΡΑΠΙϹ. II. 526.
ϹΗΜΑϹΙΑ. IV. 74.
ΣΙΔΙΚΙΝ. I. 118.
ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. III. 370.
ΣΙΛΒΑΝΟΝ. II. 467.
ϹΙΠΥΛΗΝΗ. II. 543.
ϹΙΦΑΝΙΩΝ. II. 526.
ϹΚωΠΙ. II. 513.
ϹΟΛΥΜΟϹ. III. 27.
ϹΟΛωΝΟϹ. II. 529.
ϹΠΑΡΤΗ. II. 280.
ΣΤΑΟΨΙ. I. 116.
ϹΤΟΛΟϹ. II. 430.
ΣΥΜΜΑΧΟΣ. I 206.
ΣΥΝΑΡΧΙΑ. II. 574.
ΣΩ. frequens in area numorum Tarenti, I. 148, Syracusarum, I. 247, et Corcyrae. II. 181. seq.
ΣΩΣΙΠΟΛΙΣ. I. 209.
ΣΩΣΙΣ. I. 251.
ΣΩΤΕΙΡΑ. Diana. I. 243. 245. 262. Hecate. III. 132. Pallas. I. 173. Proserpina. II. 451.
ϹΩΤΗΡ. ΤΗϹ. ΠΟΛΕΩϹ. II. 16.
ϹΩΤΗΡΑ. (ΤΟΝ.) Aesculapium. II. 438.
ΣΩΤΗΡΙΑ. I. 155.

ΤΑΝ. ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ. II. 301.
ΤΕΙΜΑΙ. Β. II. 374.
ΤΕΛΕϹΦΟΡΩ. (ΘΕΩ.) II. 425.
ΤΕΡΣΙΚΟΝ. III. 70.
Τ. Κ. Τ. II. 580.
ΤΜΩΛΟϹ. III. 113.
ΤΟΠΑΡΧΟΥ. III. 62.
ΤΡΙΑ. II. 46.
ΤΡΙΟΒΟΛΟ. II. 52.

ΤΥΧΗ. II. 332. 413. 516. 545. III. 71. 73. 252. 314. 336. 501.
ΤΥΧΗ. ΙΟΥΛ. ΔΟΜΝΑ. III. 448.
ΤΥΧΗ. ΠΟΛΕΩC. II. 455. III. 141.
ΤΥΧΗ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. IV. 60.

ΥΓΕΙΑ. II. 385. 430. ΘΕΑ. II. 425.
ΥΓΕΙΑ. ΚΑΙ. ΑCΚΛΗΠΙΩ. II. 425.
ΥΙΩC. ΑΦΡΟΔΙCΙΕΩΝ. II. 577.
ΥΜ pro ΣΥ. I. 160.
ΥΝΥΑΝΙΩ. I. 148.
ΥΠΑΤΟΥ. ΤΡΙΤΟΥ. III. 1. ΤΕΤΑΡΤΟΥ. III. 188.
ΥΠΕΡ. ΝΙΚΗC. II. 475.
ΥΠΕΡ. ΝΙΚΗC. ΡΩΜΑΙΩΝ. Hoc modo inscripti numi varii urbis incertae Mesopotamiae. III. 520.

ΦΕΡΑΙΜΩΝ. I. 222.
ΦΟΡ. III. 159.

ΧΑΛΚΟΥΣ. III. 286.
ΧΑΡΑΚΤΗ. II. 59.
ΧΡΥCΟC. II. 38.

ΩΚΕΑΝ. III. 390.
ΩΚΕΑΝΟC. IV. 36.
ΩΡΝΙΚΙΩΝ. II. 500.

Alphabeti Latini.

ADLO*cutio* AVG. II. 242.
ADNA. MATI. IV. 170.
ADVENTVS. AVG. II. 242. 256.
AEMILIA. (COLONIA.) III. 334.
AESC. (DEO.) II. 460.
AESC. (DEO.) SVB. II. 461.
AESILLAS. Q. II. 61.
AETERNITATI. AVGVSTAE. I. 12. 57.
AETERNVM. BENEFICIVM. III. 321. 371.
ALAFATERNVM. literis Oscis. I. 115.
AMAKVR. I. 35.
APOLLONI. SANCTO. III. 304.
ARBOVM. I. 116.
ARVS. I. 71.
ATTA. IV. 170.
BIATEC. IV. 170.
CAESARES. GEMINI. I. 58.
C. C. I. P. IV. 139.
C. I. P. IV. 139.
COBISOVOΛΛΙ. IV. 171.
COHOR. PRAE. PHIL. II. 75.
COISA. IV. 171.
COM*mune* ASIAE. II. 466.
CONGE. IV. 171.
COVNOS. IV. 171.
C. P. IV. 139.
CRYSAS. I. 198.
DD. PP. IV. 149.
DEA. BONA. I. 158.
DECENNALES. ANTONINI. III. 357.
DIANA. LAPHRIA. II. 257.
DIANAE. LVCIF. II. 406.
DIANA. PERGENSIS. vel: PERGAEA. III. 13.
ECCAIO. IV. 171.
ELVIONA. IV. 171.
EMBRATVR. literis Samniticis. I. 103.
ENTREI. literis Oscis. I. 102. 119.
EVOIVRIX. IV. 171.
FARIΛΙΩ. FARIEΩ. IV. 170.
FVNDATOR. II. 240.
GENETRIX. ORBIS. I. 28.
GENIO. ANTIOCHENI. III. 304.
GENIO. CIVITATIS. III. 304.
GENIO. POP. ROM. I. 23. II. 406.
GEN. IVL. II. 242.
HERCVLI AVGVSTO. II. 257.
HIBERA. ILERCAVONIA. I. 51.

INDVLGENTIAE. AVG. MONETA. IMPETRATA. II. 257.
ISELAsticum certamen. IV. 443.
IVPPITER. LIBERATOR. II. 243. 256.
IVSSV. AVG. II. 76.
ITALIA. I. 106.
IVNCTIO. I. 52.
ΛENET. IV. 171.
LIBERALITAS. IVLIA. I. 11.
LIBERIS. AVG. II. 257.
LVCV. AVG. IV. 156.
MENSIS. III. 19.
MINEIA. M. F. IV. 141.
MON. VRB. III. 299.
MVTVMBAL. IV. 137.
NASSICA. I. 39.
NCAPR. P. CVIII.
NONNOS. IV. 171.
ODACIS. A. I. 20.
PAQVIVS. (Q.) RVF. LEG. I. 71.
PARIÓ. CONDIT. II. 460.
PENIC. III. 388.
PERM. AVG. — PERMISSV. CAESARIS. AVG. — PERM. SILANI. etc. IV. 497.
PIETATIS. AVGVSTAE. I. 37.
POPVL. COL. COR. II. 241.
PORTVS. FRVCTIF. II. 257.
PRINCIPI. LEG. IX. I. 25.
PVL. III. 438.
PVTI. III. 320.
ROMAE. FEL. III. 321.
ROM. ET. AVGVST. II. 466.
ROMSPAVG. II. 403.
SAFINIM. literis Samniticis. I. 103. 105.
SALVS. II. 462.
SARD. PATER. I. 270.
SEC. SAEC. III. 357.
SERG. III. 438.
SILBIS. I. 59.
S. R. III. 19.
S. T. III. 333.
SVICCA. IV. 171.
THEVPO. III. 304.
VANTIK. I. 14.
VII. VIR. EPVLO. IV. 134.
VISTLVS, aut similiter, literis Oscis. I. 159.
VOLKANOM. I. 101.

INDEX IV.

RERVM.

Abdera Teiorum colonia. II. 21.

Abundantia Graecis Ευθηνια. IV. 47.

Accipiter a Tentyritis cultus. IV. 102.

Achaiam Nero libertate donat, II. 243, Vespasianus subinde privat. *ibid.* Eam restituit Domitianus. *ibid.*

Achaici foederis moneta. II. 231.

Achelous fl. in numis Acarnanum II. 183. Ambraciae, 162. Oeniadarum, 187. Thyrrei, *ibid.* Ejus forma et fortuna, 183.

Achilles in numis. II. 2. IV. 347.

Acilius praeses. II. 48.

Acisculum, instrumentum in metallis, in numo Damastii propositum. II. 164.

Acraei dei in numis Mytilenes. II. 504.

Acragas fl. Siciliae. I. 193.

Acrocorinthus Soli donum datur. II. 239.

Acropolis Athenarum in numo. II. 216.

Actaeonis in cervum mutati fabula in numo Daldis. III. 99.

Actia ludi. IV. 432.

Adlusio ad urbis nomen. IV. 341. Ejus exempla. *ibid.*

Adnavigatio, καταπλυς, in numo Ephesi. II. 518.

Adranus Siculorum deus. I. 190. 224.

Aediles in coloniis. IV. 481.

Aegestes Crimissi fl. filius. I. 208. Tres in Sicilia urbes condit. *ibid.*

Aegis Palladis frequens in numis Ponticis. II. 342.

Aegyptia numina in numis Catanae. I. 204. Perinthi. II. 39.

Aegyptus ante Persarum dominatum moneta propria caruit. IV. 1. Neque certam habemus, ex quo Persis paruit. *ibid.*

Aeneas Anchisen efferens. I. 236. II. 483. 484. III. 169. 359. IV. 348. Segestae conditor. I. 236.

Aeolus in numis Liparae. I. 279.

Aera, vide *Epocha.*

Aes, ex quo signati numi. P. XXVIII. Ab aere Romanis feriundae monetae exordium sumptum. P. XXXII. Aes grave urbium Italicarum. I. 85. Ejus pondus, nota, forma, locus natalis, typi, aetas, usus. I. 86. seq. Aes in numis, a nonnullis Corinthium creditum. P. XXIX.

Aesculapia ludi. IV. 435.

Aesculapius Triccae Thessaliae natus, et insigniter cultus. II. 150. Ejus insignis cultus apud Aegas Ciliciae, III.

37. Agrigentum, I. 192. Amastrin, II. 385. Coos, 599. Epidaurum, 289. Nicaeam, 425. Parium Mysiae, 460. Pergamum, 467. Poemanenos, 476. Tianos, 438.

Aesculapius imberbis. II. 259. Centauris daduchis vectus, 468. cum comite capro, 289. Ei bos adstans pedem porrigit. 461.

Aeternitas Graecis Αιων. IV. 69.

Agathocles Lysimachi F. forte in numo. II. 57.

Agathodaemon in numis Alexandrinis serpentis specie, variisque attributis. IV. 35.

Agonothesia. Hujus vocabuli significatio. IV. 433.

Agonothetae qui? et quibus in numis? IV. 215.

Agreus, nomen Aristaei. II. 180.

Ajax Oilei in numis Locrorum. II. 192. A Locris Epizephyriis ob cognationem cultus. 252.

Ala regis capiti adstituta. II. 441. Ejus significatio. II. 442. Alae tributae Seleuco I. et cur? III. 213. Alae Nemesi additae. II. 549.

Alabandus heros. II. 573.

Alannus perperam lectum pro Mannus. III. 515.

Alcaeus poeta, et heros. II. 504.

Alcinoi horti in numis Corcyrae, et ejus coloniarum. II. 178.

Alexandrea ludi in honorem Alexandri M. IV. 433.

Alexander M. cum arietis cornu. II. 108. A Corinthiis civitate donatus. 246.

Alexandri pseudomantis praestigiae. II. 383. seq.

Alexandria urbs princeps Aegypti. IV. 41. Ejus effigies et attributa. *ibid.* Dicta Roma. IV. 44.

Alexandrini stateres sic dicti ab Alexandro M. II. 90. 96.

Alexandrini Augustorum numi. IV. 26. Eorum variae peristases, 44. Quando desiverint? 97.

Alphabeta Phoenicia a variis vulgata. III. 403.

Alphabetum Samaritanum. III. 404.

Alpheus fl. in numis Elidis. II. 268.

Amalthea cum puero Iove. III. 37.

Amazon eques. II. 593.

Ambrosiae petrae. Earum fabula. III. 389.

Amenanus fl. Siciliae. I. 204.

Amicae, et foederatae urbes, quae earum commoda? IV. 271.

Ammon, V. *Iuppiter.*

Ammon in numis Alexandrinis Aegypti, ejusque effigies, IV. 34. in numis Aphytis, II. 68. Cassandreae, 70. Catanae, I. 204. Metaponti, 155. Mytilenes, II. 503. Pitanes, 476. Teni ins. 337. Regum Mauretaniae. IV. 154. Ejus in Cyrenaica insignior cultus. IV. 118. in his jam barbatus, jam imberbis. *ibid.*

Amphictyones in numo. II. 194. Eorum hieromnemones. IV. 218.

Amphimachus dictus Arsaces XIX. III. 533.

Amphissus Apollinis F. Oetaeorum conditor. II. 145.

Amphitrite in numo Bruttiorum, I. 166. 167. Tarenti. 147.

Anacreon poeta in numo Teji patriae suae. II. 563.

Anaxilaus Rhegii, et Messanae tyrannus. I. 220. 221.

Anazarbus mons Ciliciae, a quo urbi adsitae nomen. III. 41. 42.

Anchises cum uxore Venere. II. 486.

Ancora in numis Ancyrae Galatiae, III. 177. Seleucidis addita, et cur? 212.

Andromache serva aquam a fonte petens. II. 148.

ΑΝΕΘΗΚΕ. De numis sic inscriptis diatribe. IV. 368.

Annus veteribus sacer habitus. IV. 417.

Annus novus sacer, in numis Graecorum: ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. IV. 413. Eorum catalogus, origo, causae. *ibid. seq.*

Anni apud veteres initium. IV. 404.

Anni imperii, regni, magistratus numis inscripti. IV. 411.

Annorum calculus in numis Alexandrinis Aegypti. IV. 41. seq.

Annona (CЄΙΤΟC) in numis Tarsi. III. 73. Vrbibus ab imperatoribus adsignata. 321.

Antoniniana ludi. IV. 434.

Antonius Naso procurator. II. 404.

Antonius Zeno legatus propr. II. 43.

Apellicon operum Aristotelis vindex. II. 219.

Aper Calydonius passim in numis Aetolorum. II. 188. seq. Arporum. I. 140. Oetaeorum. II. 145.

Aper in numo Methymnae. II. 502.

Aper alatus typus Clazomenarum, et cur? II. 510.

Aper aureus cum facie humana Dianae dedicatus. I. 136.

Apri caput in signis militaribus Hispanorum. I. 46. item Gallorum. 62.

Apis Aegyptiorum numen. Ejus forma. IV. 34. Ejus templum, et stabula apud Memphim. 109.

Apis volucris in numis Apterae. II. 304. Atheniensium, 218. Carthaeae, et Iulidos, 327. Ephesi, 512. 513. Smyrnae. 545.

Apis et cervus frequentes in numis Aradi. III. 393. et Ephesi. II. 512.

Apium in numis Selinuntis, et cur? I. 238.

Apollo Actius in numis Lampsaci, II. 457. Aegyptiis. IV. 53.

Apollo Sminthius in numis Tenedi, II. 489. Alexandriae Troadis. 480. Ejus sic vocati causa, *ibid.* Ejus elegans imago, *ibid.*

Apollo Didymeus. II. 531.

Apollo Milesius in numis Mileti. II. 530, et Alexandrinis. IV. 67. Cervum dextera tenet. II. 530.

Apollo Pythius in numo Trallium. III. 126. in Aegyptio. IV. 53.

Apollo Clarius. II. 511.

Apollo Εμβασιος in numo Ephesi. II. 516.

Apollo urbium condendarum auctor. IV. 344. dictus propterea Αρχαγετας, *ibid.*

Apollo conditor Hierapolis Phrygiae. III. 154. Megarorum Atticae. II. 223.

Apollo auctor generis Seleucidarum. III. 212.

Apollo vates cum ramo, tripode, serpente, corvo. III. 5.

Apollo cortinae insidens in numis Eleuthernarum. II. 312. Tarsi. III. 71. Nicoclis Paphii. 78. regum Syriae. 215.

Apollo cum lyra frequens in numis urbium Lyciae. III. 1.

Apollo cycno evectus. II. 412.

Apollo Sol in bigis gryphorum. III 94.

Apollo grypho vectus. II. 482.
Apollo barbatus. I. 196, cum corona querna. I. 203.
Apollinis cultus eximius Antiochiae Syriae. III. 270. 284. Chalcedonis. II. 412. Cii. II. 434. Rhegii. I. 181. Zacynthi. II. 274.
Apollinis celebre templum Delii Boeotiae. II. 199. 201.
Apollonius Tyanensis. IV. 348.
Apronianus procos. II. 558.
Apronius (L.) procos. IV. 139. 147.
Apuleius philosophus. IV. 348.
Aquila frequens in numis Cymes Aeolidis. II. 492. Agrigenti. I. 192. Ptolemaeorum. IV. 6.
Aquilae cum serpente conflictus. II. 87. 323.
Aquila gubernaculo insistens obvia in numis Sidonis. III. 369, et Tyri. 385.
Aquila volans bovis caput unguibus stringit. II. 481.
Aquila quadrupedis coxae insistens. III. 294.
Ara mirabilis Hierocaesareae. III. 103. Pariana in numo Parii, et insignis ea magnitudinis. II. 459.
Arabes Mahumedani typos ex moneta Romana sunt mutuati. IV. 180.
Arator typus frequens in numis coloniarum, et cur? IV. 489.
Aratus philosophus. III. 69.
Arboris gestatio. II. 528.
Arca, serius Caesarea Libani. III. 360.
Arcas Iovis F. a Mercurio portatus. II. 296.
Archon quid? et quae ejus potestas? IV. 194. In quarum urbium numis memoretur? 192.
Archon in numis dictus Asander Bosporanus. IV. 368.
Archonides Alaesae conditor. I. 195.
Archytas Tarentinus. IV. 348.
Arethusa Syracusarum fons. I. 246.
Areus Spartanorum rex regios animos primus sumit. II. 282.
Argaeus mons saepe in numis Caesareae Cappadociae. III. 189. Honores eidem habiti. *ibid.*
Argentum bigatum. I. 4. Oscense. *ibid.*
Argentum tantum, et aurum antiquissimo aevo in Graecis urbibus signatum. P. XXX.
Argentum, ejusque in numis vet. aut probitas, aut varia mixtio. P. XXV.
Αργυριον Graecis pecunia. P. I.
Argo navis. II. 528.
Argos Pelasgicum in Thessalia. II. 149.
Aries obvius in numis Clazomenarum. II. 510. Ammonis comes, et cur? IV. 34. Saliens et respiciens in numis Antiochiae Syriae, et cur? III. 284.
Arion in numis Brundusii. I. 143. Methymnae. II. 502.
Arista ludi. IV. 435.
Aristaeus in numis Ceae insulae. II. 326. mellificii auctor, 327, dictus Agreus, 180.
Aristion Athenarum tyrannus. II. 219.
Aristodemus Aegium per vim tenet. II. 235.
Aroe vetus Patrarum nomen. II. 256.
Artemisia Maussoli uxor Maussolleum condit. II. 596. Ejus numi spurii. 597.
Artis veteris in numis pro varia aetate varii characteres. P. CXXXI. seq.
Aryandici numi. III. 553. IV. 2.

Asiarchae qui? IV. 207. seq. Eorum ex numis catalogus. *ibid.*

Asines fl. Siciliae, in numis ΑΣΣΙΝΟ. I. 227.

Asinius Gallus procos. II. 498.

Asinius Pollio procos. III. 114.

Asphalius dictus Neptunus in numo Rhodi. II. 605.

Assarius, Graecis ἀσσάριον. P. XLIV.

Astarte Tyro concepta, Adonidi nupta. III. 391. Ejus antiquitas et natura. 369. 391. Ejus simulacrum in vehiculo. *ibid.*

Astarte in numis Aeliae Capitolinae. III. 442. Anthedonis, 443. Aradi, 394. Beryti, 357. Bostrae, 501. Bybli, 359. Caesareae Palaest. 431. Diospolis Samar. 432. Dorae, 363. Orthosiae Phoen. 364. Sidonis, 369. Tripolis Phoen. 372. Tyri 385.

Astrologici numi in moneta Aegyptia. IV. 70.

Asylum. Quae ejus significatio, et effectus? IV. 308. Catalogus urbium asylo gaudentium. 306.

Asylorum licentia a Tiberio refrenata. II. 517.

Atalanta aprum Calydonium feriens. II. 299.

Athenienses aurea moneta caruere. II. 206. Sola primum argentea usi, 207, aenea per vices, 213. Eorum moneta nunquam elegantis fabricae, et cur? 210. Eam urbes aliae imitantur. 221.

Athletae in numis Aspendi. III. 9.

Athymbrus Nysae Cariae conditor. II. 587.

Atius Balbus praetor. I. 271.

Attalea ludi. IV. 435.

Attalus (P. Claudius) vir illustris Laodicaeae Phrygiae. III. 163.

Attius Lacon procos. II 402.

Auctorum, qui de re numaria vetere scripserunt, catalogus. P. CXLI.

Aversa pars plerumque cum antica connectitur. P. CV.

Auge Alei Tegeae regis F., Telephi mater. II. 298.

Augurinus procos. II. 313. IV. 231.

Augustea ludi. IV. 435.

Aviola (Acilius) procos. II. 519. 555.

Aurelia ludi. IV. 436.

Aurora in numo Aegyptio. IV. 70.

Aurum, ejusque in numis vet. aut probitas, aut varia mixtio. P. XXII. Ejus ad argentum ratio. P. XXXV. Obryzum quale veteribus? P. XXII.

Autocrator dictus Tryphon Syriae rex, III. 234, et Arsaces IX. 527.

Autonomae urbes. Earum catalogus. IV. 262. Quae hoc nomine earum privilegia. 263. seq.

Autonomi numi nomine quid intelligatur? P. XII.

Axius fluvius dubius Syriae. III. 309.

Baccha in numo Pari ins. II. 333.

Bacchus Pyrigenes. III. 114. Recens natus a Mercurio Nysam Cariae defertur. II. 587. a Ma Rheae comite nutritus, III. 108. infans in choro Nympharum, III. 126. vel Corybantum, III. 160. tauriformis, ac tum Iovis ex Proserpina filius. I. 136. 138. cum cornu jam arietis, jam tauri. II. 121. 122. barbatus et cornutus, I. 226. diadematus, I. 226. capite radiato, II. 602. Centauris vectus, II. 451. III. 94. tigride vec-

tus, II. 451. sagittas tenet, II. 34. Nicaeam nympham deperit, II. 424. cur Διονυσος vocatus? II. 587. Arabibus Dusares, III. 502. cum tripode, et cur? II. 42. aratri inventor, I. 139. Nicaeae conditor, II. 424, et Tii. II. 438.

Bacchus in jacentem Ariadnen incidens, typus elegans, et figuris locuples. II. 40. cum Ariadne in bigis pantherarum praecedente Satyro. III. 10.

Bacchus frequens in numis Andri, II. 326. Boeotorum, 197, Magnesiae Ioniae, 527, Maroneae, 34, Naxi Siciliae, I. 226, Naxi insulae, II. 333, Nysae Cariae, 587, Tei Ioniae, 563, Thasi, 53. 54.

Bacchus Indicus in numis Antigoni Asiae regis. II. 118. Demetrii II. Syriae regis. III. 230. Catanae, I. 203. Naxi Siciliae, 226. Boeotorum, II. 197. 202. Sybritiae, 320.

Balaustium in numis Rhodi. II. 602.

Balbus (Cornelius) in numis Gadium. I. 20.

Barbam an aluerint Macedones? II. 85.

Barba numorum fusorum. P. LV. LVIII.

Barbarorum numi, IV. 170. Eorum natura, et patria. 173. Perperam a nonnullis dicti Gothici. 174.

Barbarus praeses. II. 24.

Beauvais dissertatio de numis adulterinis. P. CXIX.

Bellerophon frequens in numis Stratoniceae. II. 590, in Pegaso eques, 186. Pegasum retinens, 238. cum Chimaera dimicans. I. 171. III. 40.

Beroe nympha a Neptuno rapta. III. 358.

Bias frequens nomen inter Prienenses Ioniae. II. 537.

Bigatum argentum. I. 4.

Billaeus fl. Bithyniae. II. 439.

Bipennis in numis Thyatirae. III. 122. Eam gestat Iuppiter Labrandensis. II. 585.

Bolanus procos. II. 557.

Bos Proserpinae victima. II. 452.

Bos incusus obvius in numis Pamphyliae, et vicini tractus. III. 15. 26.

Bos frequens in numis Carysti, et Eretriae. II. 322. 324.

Bos gradiens pedibus laxe colligatis. II. 317.

Bos respiciens in numis Sybaris. I. 160.

Bos cornupeta in numis Thurii. I. 163.

Boves gibbosi. III. 106.

Bovis caput obvium in numis Corcyrae, II. 180. seq. Phocidis, 193. Euboeae, 322.

Branchidarum oraculum Mileti. II. 532.

Britomartis templum in Creta. II. 307.

Bruttii unde nomen nacti? III. 419.

Bucephalus in numis. II. 112.

Byzas Byzantii conditor. II. 27.

Cabiria ludi. IV. 437.

Cabirus deus in numis Thessalonicae. II. 77. 78. Cabirorum origo, et natura. III. 374. Frequenter in numis Tripolis Phoenices. *ibid.* Iidem cum Dioscuris. *ibid.*

Cadius Rufus procos. II. 402.

Cadmus, moenia Thebarum, et bos procumbens in numis Tyri. III. 389. Draconem saxo transverberans. *ibid.*

Caesarea ludi. IV. 437.

Caesennius Paetus procos in numis Ephesi II. 519. Smyrnae. II. 557.

Callinicus variorum regum nomen. IV. 461.

Callirhoe fons. III. 306.

Calycadnus fl. Ciliciae. III. 65.

Camarites idem, qui Mensis. II. 587.

Camelus symbolum Arabiae. III. 499.

Campani Entellam Siciliae invadunt. I. 207.

Campestris, sic vocata Babba Mauretaniae. IV. 153.

Cancer marinus Hydrae in pugna cum Hercule suppetias venit admorso hujus pede. II. 317.

Canis comes Aesculapii. II. 290. Mercurii. IV. 68. Piscem depascens in numis Phocaeae. II. 534. Purpuram admordens in numis Tyri. III. 391. Canes Adrano, et Vulcano sacri. I. 190.

Canis in numo Panormi. I. 230. Segestae, 234. Selinuntis, 241.

Canis, vide *Sirius.*

Canopi numinis Aegyptii lepida origo. IV. 105.

Capella Thermitanorum insignis artificii. I. 215.

Capella aenea ab Elyriis Apollini dono data. II. 312.

Caper Aesculapii comes. II. 289. Mercurii, 23. Palladis, 282.

Capra in numis Aegirae. II. 234. Elyri, 312. Parii, 459, regum Macedoniae, et cur? 82. 84.

Caper fl. Phrygiae. III. 166.

Capita in circulum disposita in variis urbium numis. III. 74.

Capitolina ludi. IV. 437.

Capricornus in numo Pythodoridos. II. 376, regum Commagenes, III. 256.

Caracallae in Alexandrum M. insanus adfectus. II. 111.

Carpenta, in quibus vehebantur deorum simulacra. III. 369.

Carystii bovem aeneum Apollini dedicarunt. II. 322.

Cassius Longinus propr. III. 280.

Cato (S.) procos. IV. 126.

Caus fl. Cariae. II. 581.

Causia Macedonum. II. 126.

Cayster fl. Ioniae. II. 513. 522.

Cenchrius fl. Ioniae. II. 522.

Cendresia ludi. IV. 437.

Centaurus mulierem rapiens. II. 500. arcum tendens in numis Rhesaenae. III. 518. Centauri Bacchum vehunt. III. 94.

Cephalus Cephalleniae nomen dat. II. 270.

Cepheus Tegeae rex Herculis in bello socius. II. 299.

Cerberus in numis Pisauri. I. 97.

Ceres ovifera. II. 225. juncta cum hirco I. 206. 207. a Neptuno equum mentito vitiata. II. 148. Ejus et Proserpinae summi honores apud Ennam. I. 206. Panachaea. II. 231.

Ceres in numis Atheniensium. II. 217. Eleusinis, 222. Nicaeae, 425. Parii, 459.

Cerva puero ubera praebens in numis Damasci. III. 332. Idem praestat Telepho. II. 468.

Cervae cornutae. I. 169.

Cervus pascens in numis Mithridatis VI. II. 365.

Cervus frequens in numis Cauloniae. I. 168. Ephesi, II. 513. Aradi, III. 393.

Cestius Gallus propr. III. 281.

Cestrus fl. Pisidiae. III. 23.

Cetius fl. Mysiae. II. 472.

Chalcus oboli pars, et numus aeneus. P. XLIII. inscriptus numis Antiochiae Syriae. III. 286.

Chimaera obvia in numis Seriphi, et Siphni. II. 334. 335.
Chrysanthina ludi. IV. 438.
Chrysas fl. Siciliae. I. 198.
Chrysippus Stoicus. III. 69.
Chrysorhoas fl. Phrygiae. III. 155, et Coelesyriae. 337.
Cibotus vetus Apameae Phrygiae nomen. III. 140.
Cistophori numi. IV. 352. Eorum natura, patria, typi, catalogus. *ibid. seq.* Cistophori improprii. IV. 367.
Claudia ludi. IV. 438.
Claudiopolis. Vrbium hujus nominis ingens confusio. II. 406.
Clodius Rufus procos. I. 194.
Clypei Boeotici. II. 195. Macedonici. 61. qui etiam reperiuntur in numis extra Macedoniam signatis. *ibid.*
Clypeis veteres aut literas, aut alia discrimina inscripsere. II. 202.
Cnemis mons, a quo Locris nomen. II. 191.
Coelius Balbus procos. II. 401.
Colonias Graeci frequentes emittunt. IV. 276. Earum in metropoles suas officia. *ibid.*
Coloniarum Rom. numi, et de his observata. IV. 464. Earum catalogus. 465. Eas condendi ritus apud Romanos. 489. Earum numi quando feriri desiverint? 500.
Columba in numis Ascalonis, et cur? III. 445. Ea Syris sacrosancta. *ibid.*
Columbae Venerem in Africam comitantur. I. 208.
Cominius Proclus procos. III 84.
Commodiana ludi. IV. 438.
Commune Graecis Κοινον. Ejus significatio. IV. 430. Catalogus regionum hoc vocabulo in moneta usarum. 428.
Conchylia Mogolitanorum moneta. P. XXI.
Concordia Graecis ὁμονοια. Ejus varia in numis significatio. IV. 332. Catalogus urbium cum mentione concordiae. 333. Typi in his. 335. Concordia typorum in numis diversarum urbium. 339.
Concordia dicta Apamea Bith. II. 406. IV. 472.
Conditores urbium. IV. 342. Eorum apud veteres celebritas et honores. 344. Ex numis catalogus. 347.
Congiorum festum apud Athenienses. II. 213.
Consules Rom. in moneta peregrina nominati. IV. 228.
Coraea ludi. IV. 438.
Corallia in numo Aphrodisiadis. II. 576.
Corbulo (Domitius) in numo Dioshieritarum. III. 100.
Cori conchylia, Mogolitanorum moneta. P. XXI.
Corinthus Veneri eximie devota. II. 242. Ejus coloniae ex numis. 249.
Corinthium aes materia numorum olim creditum. P. XXIX.
Corium, ex hoc numi. P. XX.
Cornelius Dolabella procos. IV. 139.
Cornelius Lupus procos. II. 302.
Cornu regum insigne. IV. 464. Hircinum additum regibus Macedoniae. II. 124. Taurinum Seleuco I. III. 211. Bovinum in numo Salaminis. III. 87.
Corona radiata divinitatis nota. III. 223.
Coronis Aesculapii mater. II. 465.
Corsymus fons Cariae. II. 576.
Cortina Apollinis ex qua materia, et cujus formae. I. 224.

Corvi duo super curru, Crannonis Thessalicae insigne. II. 136.
Cretensium cum Iudaeis nexus. III. 451.
Crimissus fl. Siciliae. I. 234. Sub canis specie Aegestem gignit. I. 208. 234.
Crocodilus Nili assecla. IV. 37. Ejus cum tauro pugna. 107. Crocodilus in numis Nemausi. I. 70. Ei inimici Tentyritae. IV. 102. Crocodilorum urbs Arsinoe. IV. 103.
Cubita XVI. exundantis Nili numis inscripta. IV. 38. Eorum vicem saepe obeunt totidem puelli. *ibid.*
Cubitus Nemesis quid notet? II. 549.
Cuniculus Hispaniae symbolum. I. 8.
Cupido in leone eques. II. 109.
Cupressus Soli sacra. III. 331.
Curatores, ἐπιμεληται, ἐπισταται, quid? et quibus in numis? IV. 220.
Cyane fons Siciliae. I. 245. 261.
Cybele frequens in numis Cyzici. II. 453, et Metropolis Ioniae, 530.
Cychreus heros in numis Athenarum. II. 218.
Cycnus Apollinis comes. II. 412. Frequens in numis Clazomenarum. 510.
Cydnus fl. Ciliciae. III. 76.
Cydoniatarum solertia in parandis arcubus. II. 309.
Cyrene nympha Apollini amata. IV. 120.
Cyzicus Cyzici conditor. II. 453.

Daedalus et Icarus volantes in numo Pessinuntis. III. 179.
Damareta Gelonis uxor. I. 250. Ab hac numi Damaretii. *ibid.*
Damascus Arcas Damasci conditor. III. 332.
Daphne lucus prope Antiochiam Syriae. III. 267. 270. 305.
Dardanus Trojanus in numo Ilii. II. 485.
Darici numi, eorum origo, et natura. III. 551. Dicti etiam Sagittarii. *ibid.*
Decuriones in coloniis. IV. 482. Cum senatoribus Rom. comparati. *ibid.*
Delphi umbilicus terrae. II. 194.
Delphini mirabilis in puerum adfectus. II. 584.
Demetria ludi. IV. 439.
Demetrius potens Pompeji M. libertus. III. 350.
Demonax Cyrenaicus. IV. 121.
Derceto in numis Ascalonis. III. 445. Ejus mira fortuna, et forma. *ibid.*
Deus. Hoc nomine vocati reges, et qui? IV. 461.
Diadema insigne regium. IV. 463. Ejus forma. II. 86. Eo abstinent vetustiores Syracusarum reges. I. 253.
Diadema tributum Baccho. I. 226. etiam Indico, 148. Neptuno, 166. Herculi, Victoriae, *ibid.* Acraganti fluvio. 193.
Dialecti in numis. P. XCVI. Graecae Siculorum. I. 186.
Diana dicta Boritene. III. 121. Britomartis in Creta. II. 307. Ibidem Dictynnae nomine culta infantem tenet, quia eadem cum Lucina. 303. Ephesia dicta multimammia, 512. ejusque late diditus cultus. 514. Ευριππη (equarum inventrix) 296. Laphria, 257. Leucophryne, 526. Lucifera in bigis boum. III. 126. Myndias. II. 579. Perasia Tauride advecta, et culta Castabalis. III. 193. Pergensis, 13. Persica, 103. Taurica. II. 2. Tauropola, 67. Ejus Tauropolium in Icaria ins. 567. Tauricae simulacrum apud Laodiceam Syriae. III. 317. Thracia,

dicta Bendis, et Διλογχος. II. 440. Tifatena. I. 110.
Diana inter principes Syracusarum deos. I. 245, in bigis serpentum. III. 94.
Dido in numis Tyri. III. 388.
Didymea ludi. IV. 439.
Digamma Aeolicum. Ejus origo, potentia, forma, usus. IV. 384. II. 265.
Diodori Siculi locus, ut videtur, corruptus, et sanatus. II. 142.
Diomedes Arporum conditor. I. 140. In numis Argorum. II. 287.
Dion Syracusanus in numis Zacynthi. II. 274.
Dionysia ludi. IV. 439.
Dionysius rhetor aeneae Athenis monetae patronus. II. 213.
Dionysos, (Bacchus) vocatus Mithridates VI. Ponti. II. 366, et qui alii reges in numis. IV. 461.
Dioscuri in Ponto et Bosporo eximie culti. II. 340. Locris Epizephyriis salutares. I. 75. domo Argivi. II. 287. Iidem cum Cabiris. III. 374. Frequentes in numis Istri Moesiae. II. 14. Lacedaemonis, 280. Phocaeae, 533. 535. Tyndaridis. I. 249. Tyri. III. 385.
Diota in cuspidem desinens in numis Chii. II. 564.
Dirce tauro raptata. III. 91. 122.
Docimus Docimei conditor. III. 151.
Domna dicta Proserpina. II. 452.
Drachma, moneta argentea, serius et aenea. P. XL. Ex hac composita didrachma etc. *ibid.*
Dusares Arabum Bacchus. III. 502.
Dusaria ludi. IV. 440.
Duumviri in coloniis. IV. 474. cum consulibus comparati. 475. Quinquennales. 476.
Duumviratu honorario etiam Caesares, et reges functi. IV. 487.
Dynamis Polemonis I. uxor, Asandri et Scribonii vidua. II. 369.
Dynasta in numis. IV. 460.

Echidna ab Hercule impetita. II. 41.
Egesta Trojana in Siciliam delata ex Crimisso fl. Egestum parit. I. 234.
Elagabalus Emisenorum Syriae deus, et idem cum Sole. III. 311. Ejus simulacrum lapis conoidicus. *ibid.*
Elates fl. Phrygiae. III. 168.
Electrum, metallum compositum. P. XXIV. Ex eo numi. *ibid.*
Elephas in numis Pyrrhi. II. 172. Seleuci I. III. 212. Apameae Syriae. 308. Facem praeferens. 233.
Elephantis exuviis tegitur caput Africae. I. 261, et Alexandriae Aegypti. IV. 41.
Elidi restituendi numi hactenus Faliscis tributi. II. 264.
Elyrii Cretae Apollini capellam aeneam dedicant. II. 312.
Empedocles a Selinuntiis cultus. I. 239.
Enmonidea ludi forte. IV. 440.
Epeus conditor Lagariae. I. 160, et Metaponti. 154.
Ephesus Caystri filius, a quo urbs ejusdem nominis. II. 516.
Ephori Spartanorum in numis. IV. 199.
Epidamnus, serius Dyrrhachium. II. 155. Causa mutati nominis controvertitur. *ibid.*
Epidemia ludi. IV. 440.
Epinicia ludi. IV. 441.
Epiphanes, sic vocati reges, et qui?

IV. 461. Ejus nominis significatio. III. 225.
Episemon Vau, ejusque variae formae. IV. 383. Ejus origo, et natura. 384.
Episemon Koppa. Ejus variae formae, origo, potentia. IV. 390.
Episemon Sanpi. IV. 393.
Epocha quid? IV. 375. Quibus usi Graeci, Romanique? 376. Catalogus urbium, quae epochas inscripsere. 377. Modi, quibus notare epochas Graeci consuevere. 381. Duplex in uno eodemque numo. 403. Vetus ab adventitia saepe extrusa. 402.
Epocha Actiaca, seu victoriae, IV. 401. Caesariana, 400. Christi ex numis Herodis Antipae, III. 486. Graecorum, quo differat ab aera Seleucidarum, III. 547. IV. 399. Eadem hodieque per Mesopotamiae urbes in usu. III. 547. Pompejana. IV. 399. Seleucidarum late patens per Orientem. Ejus initium, et causa. IV. 396. Vrbis conditae. 376.
Epocharum exordia eruendi modus. IV. 405.
Epochae variae ex fabrica sumptae ad eruendam numorum aetatem. P. CXXXII.
Eprius Marcellus procos. II. 493.
Equi caput in numis Punicis. I. 229.
Equi Agrigentini laudati. I. 192, item Cilices. III. 47. Frequentes in numis Thessalorum, et cur? II. 132.
Equus cum pede humano. II. 425.
Equus gradiens sublato altius pede anteriore, typus characteristicus Cymes Aeolidis. II. 492.
Equus marinus alatus. II. 456. 487.
Equus Solis victima. II. 480. III. 331.
Equites Rom. dicti in numis ἱππικοι. IV. 226.
Eretrienses bovem aeneum Iovi dedicant. II. 324.
Eryx Veneris F. Erycis conditor. I. 208.
Ethnarcha in numis. IV. 460.
Euclides mathematicus. IV. 349.
Evergetes, ejus tituli significatio, et in quos collatus. IV. 461.
Eugamia ludi. IV. 442.
Eupator, qui reges sic vocati? IV. 462.
Euphrates fl. Mesopotamiae. III. 250.
Europa flores legens, juxta taurus in insidiis. III. 389. Tauro vecta. II. 67. 68. 313. III. 370.
Europae cum aquila sub platano commercium in numis Gortynae. II. 312.
Eurycles imperante Augusto apud Spartanos princeps. II. 281.
Eurypylus Mysiae rex. II. 463.
Eurystheus ex dolio prospectans. II. 40.
Eusebes, qui reges sic vocati? IV. 462.

F in numis Graecis. V. *Digamma*.
Fabius Maximus procos. IV. 134.
Faliscis hactenus tributi numi restituendi Elidi. II. 264.
Fama dea. Ejus attributa, et character. II. 120.
Fannius (C.) in cistophoris. IV. 361.
Fata eadem cum Nemesi. II. 552.
Ferox (Iulius) procos. III. 103.
Filius urbis. 577. III. 148. 162.
Flaccus (Pomponius) propr. III. 279.
Flavius procos. II. 314.

Florus procos. II. 557.

Fluctus aquarum uncis recurrentibus indicari soliti. I. 200. 270. II. 272.

Fluviorum ex numis catalogus. IV. 317. Vario modo efficti, 315. I. 132. Veteribus honorati, et saepe sacri. IV. 313.

Fodinae auri et argenti Philippi II. in Thracia. II. 89. 90. Damastii Epiri, 164. Thasiorum, 53.

Foederatae urbes. V. *amicae.*

Fontium ex numis catalogus. IV. 317. apud veteres magno in honore, 314. Quo modo propositi? 316. Fontes ignoti saepe in numis memorati. II. 535.

Forceps Iunoni addita. III. 230.

Forma numorum vel rotunda, vel conica, vel quadrilatera. P. LXIV.

Formae numorum spectato volumine. P. XLVI.

Fortunae attributa. I. 164. Fortuna infantem gestans. II. 332. Fortuna urbis, Τυχη, vide indicem III. sub ΤΥΧΗ. Fortuna eadem cum Nemesi. II. 552.

Fortunae fanum Syracusis. I. 246.

Fratres populi vocatae quatuor urbes Syriae. III. 266.

Fratres pii Catanenses. I. 203.

Fraxini ramus Nemesi tributus. II. 551.

Frenum Nemesis attributum. II. 550.

Fulmen instar dei a Seleucensibus cultum. III. 326. Tributum Palladi. I. 245. II. 191. Victoriae. I. 166. II. 197.

Funda Nemesis attributum. II. 550.

Fuscus procos. II. 558.

Galea cum cornibus hircinis regum Macedoniae. II. 124. III. 234. Galea Orci, Persei gestamen. II. 129.

Gallus Apollini sacer. I. 201. 212. Obvius in numis Himerae, et cur? I. 212. item Selinuntis, et cur? I. 240. In numis Carysti, et cur? II. 322. In clypeo Idomenei. 317.

Gallus Palladi sociatus in numis obviis Italiae. I. 100. 101. Animal pugnax. II. 323. Gallorum certamen apud Athenienses. 213.

Ganymedes ab aquila elatus. II. 483. 484. Varie effictus in numis Ilii. II. 486.

Gaurus mons. III. 433.

Garizim mons. I. 114.

Gelo Poenos ad Himeram ingenti clade adficit. I. 213.

Gemina, Gemella, sic vocatae quaedam coloniae, et cur? IV. 472.

Gerusia urbium Graecarum senatus. IV. 190. In quibus numis memoretur? 191. Quomodo efficta. *ibid.*

Glaucus fl. Phrygiae. III. 153.

Gliris quaedam species in numis Cyrenaicis. IV. 120.

Glycon serpens, et oraculum. II. 383.

Goltzius (Hubertus) Ejus operum censura. P. CXLI.

Gordiana ludi. IV. 442.

Gorgias Leontinus sophista forte in numo memoratus. I. 217.

Gryphus Nemesis comes. II. 552. Apollinis jugalis. III. 94. in galea Palladis. II. 210. Ejus domicilium. II. 2. Frequens in numis Abderae. II. 21. Assi, 450. Phocaeae, 533. Tauridis. 2. 3. Tei, 562.

Gymnasiarcha. Quae hujus potestas? IV. 215.

Gymnasiarchia. Hujus vocabuli explicatio. IV. 442.

H aspiratio Graecorum. P. XCIX. a Latinis medio vocabulo inserta. I. 232.

Hadriani templum in numo Alexandrino. IV. 64.

Hadrianus I. papa plagii numismatici reus. IV. 181.

Hamus in numo Byzantii. II. 27.

Hancarvillii judicium de antiquitate numorum Oscorum impugnatur. I. 121.

Hannibal Poenus. IV. 349.

Harpocrates. Ejus numi, effigies, attributa. IV. 33.

Hebraicorum numorum character. III. 456. Eorum fides defensa, 458. Eorum aetas, pondus, materia. 463. seq.

Hecate tergemina in numis Aspendi. III. 9. Aezanis, 129. Apameae Phryg. 132. Ejus insignis cultus Stratoniceae. II. 590.

Hector in numis Ilii. II. 486. Ophrynii, *ibid.*

Hegemones magistratus Rom. in Thracia. IV. 247.

Helia ludi Soli sacra. IV. 242.

Heraclea Bithyniae plurium coloniarum mater. II. 418.

Heraclea ludi. IV. 442.

Heracleum dictum sacellum quadrigis vectum. III. 351.

Heraea ludi Iunoni sacra. IV. 242.

Hercules bibax. I. 171. Ὀπλοφυλαξ. II. 543. Thasius. 53. Tyrius, III. 385. 294. Musarum, II. 186 consecratus, in numis Oetaeorum. 144.

Hercules angues elidens. I. 171. II. 513. 603. III. 359. cum Echnida pugna. II. 41. Aprum Erymanthium gestans, 40. 468. Cum Hydra pugna, I. 173. 194. Stymphalidas conficit. II. 40. 297. Taurum subigit. I. 240. Feras e Creta ejicit. II. 307. Ejus labores varii, II. 40. 317, 416 seq. 424. 468. III. 73. IV. 66. 67.

Hercules Telephum gestans. III. 168. V. etiam *Telephus.*

Hercules impensius cultus ab Agyrinensibus, I. 95. Thermitanis, 214. Thasiis, II. 53. regibus Macedoniae, 82 seq. Boeotis, 197. Spartanis, 279. Cleonaeis, 289. Paestiis, 317. Erythraeis Ioniae, 522. Cois, 598. Tarsensibus, III. 73. Bactrianis, 557. Mauretanis, IV. 157.

Hercules conditor Crotonis, I. 172. Abderae, II. 21. Perinthi, 39. Dyrrhachii, 156. 157. Nicaeae, 424. Cii, 436. Prienes, 536. Multarum urbium generatim. IV. 345.

Hercules hydrae morsu saucius herba salutem recuperat. III. 423.

Herculis attributum tripus. II. 75.

Hercules cum corona querna. II. 106.

Herculis sacerdos apud Coos cur stolatus? II. 599.

Herculi Ambracia adjudicatur. II. 169.

Herma super navi, obvius Mytilenes typus. II. 503.

Hermus fl. Asiae minoris. IV. 318.

Hero Sestia. IV. 349.

Herodum stemma. III. 481.

Heroes et Heroides in numis. IV. 342. Quae eorum origo, et natura? *ibid.* Eorum ex numis catalogus. 347.

Herophile Sibylla in numo. II. 195.

Hesperus astrum in numis Locrorum. II. 192.
Hiatus in centro numorum. P. LXV.
Hibera, sic vocata Ilercavonia. I. 51.
Hieromnemon quis? IV. 217.
Himera fl. Siciliae. I. 212.
Hipparchus M. Antonii libertus. II. 243.
Hipparis fl. Siciliae. I. 200.
Hippocrates medicorum princeps, in numo suspecto Coorum. II. 599.
Hippopotamus Nili alumnus, et comes, IV. 37.
Hippurius fl. Lydiae. III. 95.
Hircus junctus cum Cerere. I. 206. 207.
Hircus Mendesiis sacer, iisque dictus Mendes. IV. 110.
Hircus in numis Celenderis. III. 51.
Hirci duo luctantes in numis Amphipolis, et Thessalonicae, II. 67. 68. Meli ins. 332. Sagalassi. III. 21.
Histiaea herois. II. 325.
Homerea moneta. II. 541.
Homerus quorum in numis signatus? IV. 349.
Homerus Smyrnae natus, summi ejus ibi honores. II. 541. Sepultus in insula Io. III. 329.
Homeri signa. II. 541. 542.
Horatius poeta in numis. IV. 349.
Hybreas illustris Mylasae civis. II. 585.
Hygia in numis Amastrios, II. 385. Nicaeae, 425. Pergami, 468.
Hyllus fl. Lydiae. III. 112.
Hyperea fons Pherarum Thessaliae. II. 148.
Hypius fl. Bithyniae. II. 433.
Hypsas fl. Siciliae. I. 238. seq.

Ianus monetae inventor. P. VI. Vario cultu propositus in numis Volaterrarum. I. 94. Comparet in numis Catanae, I. 204. Panormi, 231. Amphipolis, II. 66. Thessalonicae, 78. Iani more conjuncta duo capita in numis Athenarum. II. 209. Tenedi, ejusque in hujus numis significatio. II. 488. 489.
Iberus fl. Tarraconensis. I. 51.
Ibis Mercurii comes, et cur? III. 391.
Iconii nomen ἀπο εἰκονος. III. 31.
Iconologia vetus unis numis veteribus nititur. P. XC.
Ida mons, et in hoc Paridis judicium. II. 487.
Idomeneus forte in numo Phaesti. II. 317.
Ignis sacer in numis Sasanidarum. III. 555.
Ilium serius restitutum. II. 483.
Ιμερα antiquitus scriptum pro Ημερα. I. 212.
Immunes urbes, ἀτελεις. IV. 263.
Immunitas vocabulo ἀτελειας indicata. II. 571.
Imperatoria dicta Salacia Lusitanicae. I. 13.
Imperatorum nomina urbibus addita. IV. 325.
Indica vocata Stratonicea. II. 590.
Indus fl. Cariae. II. 590.
Inscriptiones numorum. P. LXXXVII. Earum varius situs. P. XCII. In numis antiquissimis abesse solent. P. LXXXVIII. etiam recentioribus ob certas causas. *ibid.*
Invicta, sic vocata Saguntus. I. 56.
Io Argiva Gazae culta. III. 449.
Iolaus in numis Agyrii. I. 194. Herculem in debellanda hydra juvat. *ibid.*

Iones Alexandro M. devoti. II. 103.
Ioniae urbes tredecim. II. 507. seq.
Iselasticum certamen, ejusque significatio. IV. 443.
Isis in numis Catanae. I. 204. Cymes Aeolidis. II. 492. Magnesiae Ioniae. 526. Saepe in numis Aegyptiis, et vario cultu. IV. 32. Ejus per Aegyptum summi honores. *ibid.*
Isis Pharia. IV. 32. Velum explicat in numis Bybli, et cur? III. 359. Idem saepe praestat in numis Aegyptiis. IV. 32. Cane vecta. IV. 66. Caput Osiridis gestat in variarum urbium numis. III. 426.
Ismenias inter Boeotos clarus. II. 196.
Isolympia ludi. IV. 424.
Issus sinus, et urbs, cujus mentio in numo Alexandriae Ciliciae. III. 40. 41.
Ister fluvius. II. 18.
Isthmia ludi. IV. 444.
Isthmus Neptuno adjudicatur. II. 239.
Italicus (Silius) procos. II. 557.
Itius Rufus legatus. II. 26.
Iudaeorum cum Cretensibus nexus. III. 451.
Iulius Caesar. Ab hoc multis Hispaniae oppidis nomen datum. IV. 472.
Iulius Celis - - legatus. II. 41.
Iulius Cletus vel Castus. II. 33.
Iulius Commodus praeses. II. 41.
Iulius Cordolus praeses. II. 47.
Iuno Ανθεια Argis culta. II. 287. Lacinia in numis Crotonis. I. 171. Sponsa, in numis Plataearum. II. 201.
Iuno in numis Chalcidis. II. 323. seq. Amastrios. II. 385.
Iunonis cultus praecipuus Sami. II. 569.
Iuno Pronuba eadem cum Lucina. II. 569. Ejus signum, *ibid.*
Iuppiter Acraeus. II. 497. 508. 543. Agoraeus. 424. Ammon, V. *Ammon.* Bulaeus. 504. Capitolinus. 574. idem Graecis Κορυφαιος. III. 110. idem sedens inter Palladem et Iunonem. 443. Casius. II. 180. III. 326. Cataebates, 260. Ceraunius, 326. Cretagenes, II. 301. Dodonaeus. 582. Ephesius. 514. Euromensis. 581. Heliopolitanus, idem cum Sole. III. 334. Hellenius Apollinis specie propositus. I. 244. Homagyrius. II. 231. Idaeus. 485. III. 158. Ithomates. II. 275. Labrandensis. 585. 596. Larasius. III. 124. Liberator. I. 243. III. 107. Lyceus II. 293. Lydius. III. 112. Melius. II. 424. Nemeus. II. 288. IV. 53. Nicephorus. III. 269. Olympius. 105. IV. 53. Pandemus. III. 173. Philaletes male intrusus. 159. Philius. II. 465. Pius. *ibid.* Pluvius. 514. seq. Poteus. III. 150. Salaminius. 88. Strategus. II. 385. Syrgastes. 438. Tersius. III. 72. Tifatenus. I. 110.
Iuppiter et Iuno dicti *dei Syriae.* III. 262.
Iuppiter in quadrigis elephantorum. IV. 6. Infans in choro Corybantum. III. 160. Ipse taurus in numis Gortynae. II. 312. Cum infante Baccho in ulnis, et adstante capra. III. 159. Botrum, vel cantharum tenens. 61. 413. Aegiensibus supposititius creditus. II. 235.
Iuppiter vitiat Cererem sub tauri specie. I. 138. Nemesin sub cycni specie. 200. Proserpinam sub draconis

specie. 138. 241. Europam sub aquilae specie. II. 312. Phthiam sub columbi specie. 236.
Iusti vocati reges, et qui? IV. 461.

Koppa, vide *Episemon*.

Labyrinthus in numis Cnossi. II. 308.
Laelaps Cephali canis. II. 273.
Lairbenus dictus sol. III. 154.
Lais meretrix. II. 239.
Laocoon serpentibus constrictus. II. 456.
Lapicidinae Docimenses. III. 151.
Lapis percussus lyrae sonum imitatur. II. 224.
Latona apud Tripolin Cariae insigniter culta. II. 593. Ejus signa, *ibid.* A partu se in Cenchrio fl. abluit. 522.
Latonia ludi. IV. 444.
Laus Iulia, sic vocata Corinthus. II. 241.
Leander Abydenus. II. 51. 479.
Legati. Eorum varia significatio. IV. 238. Legati propraetore a quo instituti, et quod eorum munus. *Ibid.* Eorum ex numis catalogus. 232.
Lentulus (P.) in cistophoris. IV. 360.
Leo obvius in numis Rhegii, I. 181. Veliae, 165. Leontinorum, 216. Lysimachi regis, II. 57. Lysimachiae, 50. Sami, 568. Smyrnae, 538. Samosatorum. III. 251.
Leo astrum respiciens. II. 531.
Leones olim circa Macedoniam reperti. II. 5.
Leopardus in numis Smyrnae. II. 538.
Lepus obvius in numis Messanae. I. 222.
Leucadius saltus. II. 186.
Leucaspis heros. I. 246.
Libanus mons. IV. 313.
Liberae urbes. Earum catalogus. IV. 263. Privilegia, *ibid. seq.*
Liberalitas Iulia, sic dicta Ebora. I. 11.
Libra in numis Pythodorides. II. 371. Palmyrae. III. 265.
Lichas Spartanus. II. 280. Orestis reliquias Spartam transfert. *ibid.* Aurigam victorem coronat. I. 185.
Ligea Siren. I. 182.
Limyrus fl. Lyciae. III. 4.
Linguae in numis. P. XCII.
Literarum Graecarum forma. P. XCVII.
Literae Etruscae, Samniticae, Oscae. I. 119. de his dissertatio, *ibid.* Earum alphabetum. 122.
Literae solitariae. P. XCIII.
Literae arithmeticae solitariae in numis Pamphyliae. III. 7.
Literae incusae. P. XCV.
Livineius Gallus propr. IV. 134.
Locris ob vitiatam ab Ajace Cassandram virginum tributum imperatum. II. 253.
Locri Epizephyrii a Locris Graeciae oriundi. II 251.
Luctatores duo in numis Selges. III. 25.
Lucrius Arvernorum rex dives. I. 64.
Ludi. Eorum apud veteres licentia. IV. 421. Varia nomina, et causae. 427. Ludi quatuor in Graecia celeberrimi. 423. Eorum nomina in A exeunt. 425. Typi soliti. 426. Catalogus ex numis. 432.
Luna mas, et femina, Luni nomine culta. III. 507.
Lupa cum gemellis coloniae typus. IV. 492.
Lupus in numis Argorum. II. 286.

Lycabas Graecis annus. IV. 394.
Lycurgus Spartanus. II. 280.
Lycus fl. Phrygiae. III. 166.

Ma, vide *Rhea*.
Maeander fl. Apamenis sacer. III. 140. Ejus natura, et significatio. IV. 318.
Maecius Rufus procos. II. 403.
Magistratus numis inscripti. De his in genere. IV. 187. Magistratus urbium Graecarum domestici. 188. Romani in numis urbium peregrinarum. 224. Magistratus eponymi. 255. Enunciantur praefixo ἐπι, ὑπο, δια, παρα. 187. Magistratus in coloniis. 474. Magistratus municipales an ingenui, an liberti? 482.
Magni ludi. IV. 444.
Magnitudo urbium in numis discriminis causa addita. IV. 320.
Magnitudo, et pulchritudo. Ab utraque laudata Smyrna. II. 559.
Mala, in Pythiis victorum praemia. IV. 452.
Malum Punicum character numorum Sides. III. 15. frequens in numis Meli ins. II. 331.
Mamers in Oscorum lingua Mars. I. 224.
Mamertini Campani Messanam occupant. I. 222.
Mandibula apri Calydonii passim in numis Aetolorum. — Nicopolin translata. II. 166.
Marinus (deus) in numo Philippopolis. II. 44.
Marna deus Gazensium, idem cum Iove Cretagene, dominus imbrium. III. 450.
Marnas fons Ephesi. II. 522.
Maron Bacchi comes Maroneam condit. II. 34.
Mars instar Apollinis, juvenilis, et imberbis. I. 224. Oscis Mamers, *ibid.* Scalam gestans. II. 26.
Marsyas in numis Apameae Phrygiae. III. 139. Ejus supplicium. IV. 69.
Marsyas fl. Phrygiae. III. 140.
Martialis (App. Claudius) praeses. II. 24.
Materia numorum veterum. P. XIX.
Matrix numorum. Quid hoc vocabulo significemus? P. LXII. Saepe majoris voluminis, quam metallum signandum. P. LII. Ex terra cocta numorum fusioni destinata. P. LIV.
Meadii Angli de medicorum numis sententia. II. 539.
Mechanica numorum veterum. P. LXIII.
Medicorum nomina in numis Smyrnae. II. 539. Eorum illustris schola apud Smyrnam, *ibid.* et Laodiceam Phrygiae. III. 161.
Medusa in numis Larissae. II. 140. Rhodi. 602.
Meleager venator in numis Sami. II. 569.
Meles fl. Ioniae. II. 385. 560.
Melicerta variis modis propositus in numis Corinthi. II. 241.
Menecles Alabandensis clarus orator. II. 572.
Menestheus Athenarum rex. II. 494.
Mensis (deus) perperam dictus Lunus. III. 19. Frequens in numis Comanorum, II. 354. Nysae Cariae, 586. 587. Sami, 569. Tabae et Trapezopolis Cariae urbium, 592. Trapezuntis, 358. Antiochiae Pisidiae, III. 19. Parlaidis, 34. Hierapolis

Phryg, 155. Laodiceae ad Libanum, 336. Gabae Trachonit. 344. Tiberiadis, 428. Carrharum. 507.
Mensis dictus Ασκηνος in numo Sardium. III. 112. Ejus ara Gadibus. IV. 417.
Menses in numis veteribus. IV. 420. Macedonici in numis regum Parthiae. III. 548.
Mercurius barbatus. I. 268. comite cane. IV. 68. Amasiae conditor. II. 344. Bacchum infantem gestans, 283. 587. Arcadem Iovis F. gestans. 296. in ibidem mutatus metu Gigantum. III. 391. Ejus cultus apud Corycum. 53.
Messeis Larissae fons. II. 148.
Mestus fl. Thraciae. II. 36.
Meta frequens in numis urbium Illyrici, et Epiri, quas vide.
Metabus Metaponti conditor. I. 156.
Metellus Pius Scipio in cistophoris. IV. 361.
Metropolis. Catalogus urbium hoc honore insignium, IV. 273. Ejus varia significatio. 275.
Metroum Matris Magnae fanum. II. 422.
Micythus Buxenti conditor. I. 152.
Midas Phrygiae rex. III. 143. 168.
Miletus Apollinis F. a lupa lactatus. II. 310.
Milo Crotoniates in numo spurio. I. 173.
Mina, pondus monetae Graecae. P. XXXIX.
Mindius Balbus procos. II. 401.
Mindius Pollio procos. II. 401.
Minerva, vide *Pallas.*
Minos Cretae rex in numis Cnossi, II. 308. Gazae. III. 451. Heracleam Minoam condit. I. 240.
Minotaurus in numo Metaponti. I. 154. Cnossi. II. 308. In quibusdam numis inique creditus. I. 130.
Mithradates Graecorum Latinis Mithridates, et cur? II. 363.
Mitraetes, sic dictus Arsaces. IV. 536.
Moesia etiam vocata Mysia. II. 6.
Moneta unde dicta, et quae ejus significatio? P. III. Ejus effigies ex numis. *ibid.* Ejus constitutae causa. P. IV. Quomodo ad barbaros propagata. P. V. Ejus inventores. P. VI. Moneta Rom. per totum orbem diffusa. *ibid.* Monetae antiquitas. P. VIII. Ejus duratio pro variis regionibus. P. IX. fines geographici. P. X. Ejus nomina ab auctore, imagine, loco, modo fabricae, pondere, valore. P. XI. Materia. P. XIX. Monetae verae characteres. P. XIII. Monetae veteris valor comparate ad nostram. P. XLV. Monetae externae inter urbes Graecas valor. P. LXXXIV. Moneta principum etiam post horum mortem valida. P. LXXXVII. Monetae feriundae jus penes quem? P. LXX. Ejus praefecti, et ministri. P. LXXVIII. Moneta in coloniis cujus permissu signata? IV. 497. Monetae vet. adulterandae varii modi. P. CXX. seq. Ejus adulteratores insigniores. P. CXIX.
Moneta ferrea Byzantiorum, II. 26. et Spartanorum. 278.
Monetae duplex forum Antiochiae Syr. III. 299.
Moneta foederis Achaici. II. 231.
Vide huc pertinentia etiam sub: Numi.
Monogrammata in numis. P. XCIV. Illis Peloponnesii monetam suam insignire soliti. II. 229. 230.
Mons Panachaicus in numis Patrarum. II. 255.

Montium in numis mentio, eorumque catalogus. IV. 312.
Mopsus Lapitha in numis Mopsii a se conditi. II. 144. Cum Centauris pugnat. *ibid.*
Mopsi ara in numis Mopsuestiae. III. 60.
Mucianus propr. III. 282.
Municipia quid? IV. 469.
Mures in numis Tenedi, et cur? II. 489.
Musae Sirenes cantu vincunt. II. 304.
Musea numorum vet. per Europam illustriora. P. CLXXIII. Quomodo utiliter ordinanda? P. CLXXVIII.
Mutilus (C. Papius). I. 103.
Myscellus Crotonis conditor. I. 170.
Mysiae nomen etiam datum Moesiae. II. 6.
Mysticus ludus. IV. 445.

Nassica, sic vocata Calagurris. I. 39.
Navarchides urbes. Earum ex numis catalogus. IV. 309.
Navis in numis Smyrnae. II. 553. et Phaselidis. III. 6.
Navium prorae variis animalium capitibus ornatae. III. 6. 414.
Naumachia ludus navalis. IV. 445. in numis Gadarorum. III. 348.
Nausicae herois. II. 504.
Nemea ludi. IV. 445.
Nemesis una vel duae, frequentes in numis Smyrnae. II. 548. Earum Smyrnae insignis cultus, et cur? *ibid.* Nemesis attributa enarrantur, et explicantur. *ibid.* 549. Eadem cum Fortuna et Fato. 52.
Nemesis in numis Camarinae. I. 200. Tii, II. 438. 439. Sides, III. 16. Attaliae, 10. 11. Tripolis Phoen. 372.
Nemeses duae in numis Temni, II. 497, et Aegyptio. IV. 67.
Neocori. Quae hujus muneris origo, et varia conditio? IV. 288. Neocori viri et feminae, eorumque ex numis catalogus. 291. Neocori populi et urbes, horumque catalogus. *ibid.* Variae eruditorum de neocoratu urbium sententiae. 295. seq.
Neptunus in numis Posidoniae. I. 157. Boeotorum, II. 197. Priansi, 319. Teni, 337. Nisyri, 601.
Neptunus Isthmius in Aegyptiis. IV. 53. Stabiliens, (Ασφαλιος) in numis Rhodi. II. 605.
Neptuno Isthmus adjudicatur. II. 239.
Neptunus in commercio cum muliere. II. 448. Equum retinens. 320. Equum mentitus Cererem vitiat. 148. Hippocampis vectus. III. 354. 358.
Nevantus scalptor monetarius. P. LXXX. II. 309.
Nicator, qui reges sic vocati? IV. 462.
Nicephorus, qui reges sic vocati? *ibid.*
Nicoclia herois male ex numis stabilita. III. 87.
Nilus frequens in numis Aegyptiis. Ejus natura, cultus, effigies, beneficia, attributa, horumque explicatio. IV. 36. Nili varia olim nomina. 39.
NO. De terminatione vocabulorum in has literas. I. 124.
Nobilis, sic vocata Obulco Hispaniae. I. 26.
Noctuae duae in unum caput coalescentes. II. 209. 458. 488.
Noemi diluvium in numis Apameae. III. 132.

Nomina Romanorum adoptarunt homines peregrini, et qua de causa? IV. 485.

Νομισμα Graecis et institutum, et numus. P. II.

Nomorum Aegypti numi. IV. 99.

Numeralium notarum apud Graecos modus. IV. 393.

Numus, numisma. Vtriusque significatio. P. III.

Numi aurei, argentei, aenei varii voluminis, et ponderis. P. XLVII. seq. Stannei. P. XIX. Ferrei. *ibid.* Plumbei. *ibid.* Lignei. P. XX. Scortei. *ibid.* Numi Gallis *Potin.* P. XXVII. Aerosi, vel incoctiles, *ibid.* Tincti, *ibid.*

Numi serrati. P. LXVI. Recusi. *ibid.* Incusi ex instituto. P. LXV. I. 149. Incusi temere. P. LXVI. Subaerati, vel pelliculati. P. CXV. Bracteati. *ibid.* Scyphati. P. LXIV. Numi, in quorum centro foramen. P. LXV. Numi geminatis typis. P. LXVII. Numi recusi. P. LXVI. Numi veteres partim fusi, partim percussi. P. LIII. Numi monetariorum veterum culpa vitiosi. P. CXXVII.

Numi aurei maximae formae insoliti ponderis. P. LI. Numi aenei maximae formae. P. XLVII. Alii cum late porrecto orbe. *ibid.* Alii cum variis ornamentis parergis. P. LXVIII. Numi duplicis metalli. P. LXVII. Numi plus quam ordinariae formae utrum vera moneta? P. XIV. et quem illi usum praestitere? P. XVI.

Numi aenei vernice naturali vestiti. P. LXIX.

Numi autonomi. P. XII. Officiosi, *ibid.* Bilingues. P. XCIII.

Numi veteres generatim utrum moneta? P. XII.

Numorum ingens numerus nonnunquam eodem loco repertus. P. LXXXII.

Numorum aetas quibus modis indaganda? P. CXXXI.

Numi adulterini. De his diatribe. P. CXIII.

Vide etiam generatim ad numos pertinentia sub: Moneta.

Nymphae tres stantes in numis Thermarum, I. 214. Anchiali, II. 24. Apolloniae Thraciae, *ibid.* Apolloniae Illyrici. 154. Herculi calidas aquas aperiunt. I. 214.

Nymphaeum ardens. II. 154.

O pro OT archaismus Graecus. II. 83.

Oaxus eadem cum Axo Cretae. II. 305.

Obolus pondus, et moneta, ejusque partes. P. XLIII. Olim argenteus, serius et aeneus. *ibid.*

Obryzum aurum. P. XXII.

Oceani imago. III. 390. IV. 36. 39.

Oceanus dictus Nilus. IV. 39.

Oecumenici ludi. IV. 445.

Officinae monetariae. P. LXXX.

Olympia ludi. IV. 447. Etiam extra Elidem celebrati. *ibid.*

Olympus mons Arcadiae, II. 292. Bithyniae, 414.

OM. De terminatione vocabulorum in has literas. I. 124.

Omphale gradiens cum Herculis cultu. III. 105. 113.

On Aegypti, serius Heliopolis. IV. 106.

Ordines Graecorum. IV. 189. Romanorum in numis peregrinis. 224.

Orpheus in choro animalium. IV. 68. 74. Ejus caput in numo Antissae. II. 501.

Oscense argentum. I. 4.
Osculum manus observantiae, et reverentiae argumentum. IV. 64.
Ovidius Naso ex numo vitiato intrusus. IV. 351.

Pacensis, sic vocata col. Deultum. II. 32.
Pagurus frequens in numis Coorum. II. 598.
Palici dei in numis Catanae. I. 204.
Palladium quibus in urbibus adservari creditum? II. 484.
Pallas, seu Minerva. Cognomine Alea. II. 298. Ilias. Ejus forma, et late propagata religio. 484. Pallas Alcidae, 97. Pallas Area, seu Martia, 215. Χαλινῖτις, (frenatrix) 244. Apud Athenienses eadem cum luna. 209. Cognomine Αἴθων perperam ex numo adserta, 310. Megarsis, III. 60. Sais Aegyptiis. IV. 114. Pallas Victoria, I. 261. II. 214. III. 36. 230. Eadem dextera malum Punicum gestat. III. 15.
Pallas cum Gigante pugnat. III. 66. Calculum in vas mittit. III. 17. 42. 73. Pegasum domat. I. 245. Raptum Proserpinae inhibere nititur. III. 104. Oblato Medusae crine Tegeatas ab hostibus securos reddit. II. 299.
Palladis et Neptuni pro Athenis dimicatio. II. 216. Ejus cum Pegaso nexus. I. 245. Ei sociatus caper. II. 282. Pallas cum alis Thessalicis. II. 133. Frequens in moneta Alexandri M., et cur? II. 96. Alata. I. 261. Cum fulmine. III. 6. Ejus galea variè ornata. I. 163. Ejus clypeus. III. 26.
Pallas et Vulcanus in numo sociati. III. 122.
Palma in Augusti ara enata. I. 58.
Palmae ramus in numis Aegyptiis quid significet? IV. 86. 92.
Pan qua forma effictus? II. 293.
Pan in numis Messanae. I. 222. Panticapaei. II. 3. Pellae, 74. 75. Thessalonicae, 78. Antigoni I. Macedoniae regis. 123. Arcadum, 292. Megalopolis, 295. Caesareae Paniados, III. 339. 342.
Panos cultus per Aegyptum diditus. IV. 112. Ejus ope Galli internecione in Graecia caesi. II. 124. 125. Ejus fistula cujus formae? 293.
Panicus terror cur sic vocatus. II. 124.
Panium a Pane, mons et specus. III. 339.
Panaristus, sic vocatus rex Parthus. IV. 535.
Panegyriarchae quid? et quibus in numis? IV. 214. Male Vaillantio dicti panegyristae. 215.
Panionia ludi. IV. 449.
Panoplia victorum in bello praemium. I. 243.
Pansa (M. Neratius) propr. III. 190.
Papirius Carbo. II. 396.
Papius Mutilus. I. 103.
Parens, V. *Patronus.*
Paridis judicium. IV. 69.
Parius Iasionis F. Parii conditor. II. 460.
Parthenius fl. Paphlagoniae. II. 386.
Parthenope Siren. I. 111. 113. Ejus apud Neapolin cultus, *ibid.*
Pasidienus Firmus procos. II. 401.

Patria duplex in numis memorata. III. 164.
Patris, et avi mentio nonnunquam nominibus adjecta. IV. 188.
Patronus, vel Parens. IV. 252. Quae hujus tituli origo, et significatio? 253.
Pavo in numis Sami. II. 568.
Pecunia unde dicta? P. II. Graecis χρηματα. P. I.
Pedum in numis Cii Cariae. II. 581. Caesareae Paniados. III. 342.
Pegasi natales. II. 346. Secundum alios Neptuni filius. 457. Frequens in numis Corinthi, 245. Alabandae, 572, Antiochiae Cariae, *ibid.* Bargyliae, 578. Stratoniceae, 590. Damasci, III. 333. Idem pascens in numis Amisi, et Mithridatis VI. II. 346. ac propterea insertus tetradrachmo Attico. II. 219. 220.
Pelorum promontorium in numis. I. 122.
Pentagonum in numis Gallorum, ejusque causa probabilis. I. 63. Idem in numis Pitanes. II. 476.
Penthesilea Amazon. IV. 350.
Pergamus Pergami conditor. II. 463.
Permissus monetae in coloniis signandae. IV. 497.
Periodica ludi. IV. 449. Periodonica a nonnullis perperam dicti. *ibid.*
Perseus obvius in numis Macedonum. II. 62. Amphipolis, 66. postremorum Macedoniae regum. 128. seq. Seriphi, 334. Sinopes, 390. Iconii, III. 30. Aegarum, 36. Anemurii, 46. Argorum Ciliciae. 50.
Perseus Argis Argolidis eximie cultus, II. 287. 288. item Tarsensibus. III. 74. et Larissaeis. II. 140. Ab eo oriundi reges Macedoniae. 129. seq.
Perseus in mare abjectus, et Seriphum appulsus. II. 335.
Perseus Medusae caput amputans, typus obvius in numis urbium Ponti. II. 341. Ope Palladis Medusam interimit. III. 182, Andromedam liberat. IV. 68.
Persei harpam gestavit Alexander pseudomantis. II. 384.
Persona Panos. I. 12.
Persona ejecta lingua. I. 93. II. 72. 459. 478.
Personae illustres in numis. IV. 372. Earum catalogus, 347. Confer etiam indicem III.
Pes humanus praefixo annulo. III. 424.
Petronius procos. II. 555. Propraetor. III. 280.
Phalanthus Parthenias Tarentum condit. I. 146.
Phalaridis taurus. I. 134.
Phalli utrinque ex mulieris signo prostantes. III. 59. 230.
Pharetra frequens in numis Ponticis. III. 342.
Pharsalicae pugnae tempus. IV. 400.
Phaselus, navis genus, unde sic vocatus. III. 6.
Pheraemon heros. I. 222.
Phidon Argivus monetae inventor. P. VII. Perperam in numos vocatus, II. 196.
Philadelphia ludi. IV. 450.
Philadelphus. Qui reges sic vocati? IV. 462.
Philellen. Qui reges sic vocati? *ibid.*
Philippi, moneta aurea Philippi Amyntae. II. 90. Eorum ingens copia a Romanis capta. *ibid.*
Philippi Amyntae numos imitantur Galli. I. 63.

Philippus Butacidae F. Olympionica. in numo Segestae. I. 237.
Philocaesar Agrippa I. Iudaeus. III. 492.
Philoclaudius Herodes. *ibid.*
Philometor. Qui reges sic vocati. IV. 462.
Philopator. Qui reges sic vocati? *ibid.*
Philopatris. Qui sic vocati? *ibid.*
Philoromaeus. Qui reges sic vocati? *ibid.* Philoromaei Carrheni. III. 509.
Phoenicia lingua inscripti numi. Vide singularem de his dissertationem. III. 396. Eorum distributio, et catalogus. 404. Ejus linguae interpretatio cur tam ardua. 399.
Phthia a Iove columbo adamata. II. 236.
Pia, sic vocata Sidon. III. 371.
Pilei Thessalici. II. 140.
Piscibus abstinent Syri. III. 445.
Pitnaeus fons Aeolidis. II. 492.
Pittacus philosophus. II. 504.
Plagia barbarorum numismatica. IV. 176.
Plancius Varus procos. II. 402. III. 140.
Plato philosophus. IV. 350.
Plautius (A.) procos. III. 84.
Plutonis victima taurus. II. 588. Ejus et Proserpinae capita in numis Nysae Cariae. II. 586.
Plutologus in numis Nysae significatione dubia. II. 587.
Plutonium apud Nysam Cariae. II. 586.
Polemon vir illustris Laodiceae. III. 162. 163.
Pompejus M. Solorum conditor. III. 68. 69.
Pomponius Bassus propr. III. 190.
Pondus monetae veteris. P. XXXIV. Ejus ingens confusio, *ibid.* Ponderis varia nomina, aut notae numis insertae. P. XXXVIII. seq.
Pons in numis Segoviae, I. 57. Buthroti, II. 163. Antiochiae Cariae, 575.
Pontifices summi, et inferiores utriusque sexus. IV. 203. Eorum catalogus, *ibid.*
Pontius Sabinus praeses. II. 33.
Populus urbium Graecarum dictus δῆμος. IV. 190. Quomodo in numis fictus? *ibid.*
Porcus, porca. Cereri sociata. II. 217. 222. Victima foederis. I. 106. 109. Priapi, II. 457. Veneris. III. 26.
Portus Augustus. III. 428. 492.
Possessivum non raro pro gentili in urbium numis positum. P. XCVI.
Praefecti IIviri in coloniis. IV. 477.
Praeses, ἡγεμὼν. Hujus nominis significatio. IV. 242. Ejus munus. 243. In solis Thraciae numis occurrit, *ibid.* Praesidum catalogus. 233.
Praetor, magistratus urbium Graecarum, dictus στρατηγος. Ejus potestas. IV. 195. Praetorum catalogus. 193.
Priapus familiare Lampsaci numen, II. 457. Ei sacer porcus. *ibid.*
Primae urbes, πρωται. Variae de urbium primatu sententiae. IV. 282. seq.
Probare, vox in operibus publicis usitata. IV. 150.
Procla (Iulia) herois. II. 504.
Proconsul. Quod ejus vario tempore jus in provinciis? IV. 234. 241. Proconsulum catalogus. 229.
Procurator, ἐπιτροπος, magistratus Rom. in provinciis. IV. 249.

Propraetor. Ejus vario tempore in provinciis potestas. IV. 234. 241. Propraetorum catalogus. 230.

Proserpina eximie culta apud Locros Epizeph. I. 175. 176. Syracusas, 244. 261. Cyzicum, II. 451. 452. Sardes. III. 113. A Iove sub draconis specie vitiata. I. 138. 421. Ejus victima bos. II. 452.

Proserpinae raptus, I. 207. II. 507. 586. 589. III. 102. 104. 155. IV. 61.

Prota ludi. IV. 451.

Prytanes quid? et in quibus numis? IV. 200.

Publilius Graecis Ποπλιλιος. II. 62.

Puelli sedecim pro numero cubitorum exundantis Nili. IV. 38.

Pulcher Appius, et alter C. Clodius in cistophoris. IV. 360.

Pulchra, sic vocata Neapolis Samar. III. 438.

Pulchritudo. Ab hac laudata Smyrna. II. 559.

Pupius (Aulus) propr. IV. 126.

Purpura, qua Tyrii lanam tinxere. III. 391.

Pyramus fl. Ciliciae. IV. 319.

Pyrrhi regis effigies hactenus incerta. II. 173.

Pythagoras philosophus in numis Nicaeae, II. 426. et Sami. 570.

Pythagorae nomen Darico inscriptum. III. 552.

Pythia ludi. IV. 451.

Quadratum incusum. P. LXIV.

Quadratus (C. Vmmidius Durmius) propr. III. 280.

Quaestores, ταμιαι, Graecorum magistratus. Eorum ex numis catalogus. IV. 202.

Quaestores Romani, proquaestores, quaestores procos., propr. IV. 245. Eorum catalogus. *ibid.*

Quatuorviri in coloniis. IV. 480.

Quinctilius Varus procos. IV. 133.

Quinquennales in coloniis. IV. 476.

R. De terminatione vocabulorum in R. I. 124.

Regia dicta Asta Baeticae. I. 15.

Regiones Phrygia, et Caria memoratae in numo Laodiceae. III. 160. Isauria, Caria, Lycaonia memoratae in uno eodemque numo. III. 75.

Regum numi. De his quae generatim observanda. IV. 454. Catalogus regionum, et urbium, quae eos signavere. 455. Regum ac principum tituli honorifici. IV. 459. insignia, 463.

Reges regum qui vocati. IV. 459. Reges magni, *ibid.* Reges ejus, qui regnum fundavit, nomen retinentes. 458.

Rhea eadem cum Ma, a qua Mastaurae nomen. III. 108. Ei sacrificatus taurus. *ibid.*

Rhegma in numo Limyrae. III. 4.

Rhodii Tiberium observant. II. 604. Eis libertatem restituit Nero. 605. Propterea ab iis sub solis specie restitutus. *ibid.*

Rhodius fl. Troadis. II. 483.

Rhodope mons. II. 44.

Rhyndacus fl. Mysiae. II. 450.

Rhyton poculi genus. IV. 13.

Roche (la) celebris nuper in Gallia monetae veteris imitator. P. CXIX.

Romae signum in numis Edessae Macedoniae. II. 71. a Fide Locrorum Epizephyriorum coronatur. I. 176.
Roma συμβολικως ut terrae, marisque domina proposita. IV. 53.
Romae nomen datum Alexandriae Aegypti. IV. 44.
Romae, et Augusti templum Pergami. II. 466.
Rosa in numis Rhodi. II. 602.
Rota Nemesis attributum. II. 551. Frequens in numis Cyrenes. IV. 119.

Sabini dicti in numis Safinim. I. 105. Sabinorum colonia duce tauro. I. 106.
Sacrae urbes. Earum ex numis catalogus. IV. 306. seq.
Sagaris, Sangarius fl. Bithyniae. II. 422. 425.
Sagittarii Persarum numi, qui et Darici. III. 551.
Sallustius historicus. IV. 350.
Samaritanae, et Hebraicae literae, et inter utrasque discrimen. III. 456. Vtrarumque alphabetum. 404.
Sanpi episemon. IV. 393.
Sappho poetria. II. 503. 504.
Sarapis ex Ponto in Aegyptum advena. II. 343. 344. IV. 29. Ei summa ab Aegyptiis tributa potestas. IV. 30. Insigne Alexandriae templum, *ibid.* Idem cum Sole. *ibid.* Nuptiarum praeses, 31. Ejus variae effigies, et attributa. *ibid.* Frequens in numis Sinopes. II. 391. Est etiam in numis Epiphaneae Ciliciae, et Flaviopolis Ciliciae. III. 56.
Sardo fl. Bithyniae. II. 439.
Sardus heros coloniam in Sardiniam ducit. I. 271.
Sarus fl. Ciliciae. III. 47.
Sasanidarum Persiae regum numi. III. 554.
Saturninus (Volusius) propr. III. 275.
Saturnus monetae inventor. P. VI. In numo nomi Coptitae. IV. 105.
Satyrus mulierem rapiens. II. 500. Satyrus in numis Corcyrae. 180.
S. C. Harum literarum in moneta Rom. significatio. P. LXXIII. Eaedem literae in numis coloniarum. IV. 498.
Scamander fl. Troadis. II. 481. 486.
Scopas fl. Bithyniae. II. 422.
Scorpius frequens in numis Commagenes. III. 256.
Scribae quid, et quod eorum munus? IV. 196. In quarum urbium numis memorentur? 196.
Scrinia continendis numis cujusmodi esse debeant? P. CLXXXII.
Scriptura retrograda. P. XC. βȣστροφηδον. P. XCI. Scripturae compendia. P. XCIV.
Scylla in numo Tarsi. III. 74.
Sebasmia, vel Sebasta ludi. IV. 453.
Secundus procos. III. 142.
Sejanus (L. Aelius.) cos. I. 36.
Selinus fl. Achaiae. II. 236. Mysiae. 472.
Sella aurea regum Parthiae. III. 545.
Sella curulis. II. 58. 374. IV. 160.
Semiramidis genus, et fortuna. III. 445. Eadem in numis Ascalonis. *ibid.*
Senatus Rom. mentio in numis urbium Graecarum. IV. 224. Ejus effigies, *ibid.* Nomen Συγκλητȣ tantum Senatui Rom. a Graecis datum. 225.
Senatus urbium Graecarum dictus Βȣλη. IV. 189. Quomodo in numis effictus? 190.
Septemvir epulonum. IV. 252.

Sericum quo tempore Graecis innotescere coeperit. II. 565.
Serpens mas et femina, utriusque varia natura. IV. 35. Serpens super equo. 30. Ejus ἐπιφάνεια boni ominis. 35.
Sertorius Broclus procos. IV. 231.
Severea ludi. IV. 453.
Sextus heros. IV. 350.
Sibylla Herophile. II. 195.
Siclus Hebraeorum, ejusque partes. III. 464. seq.
Signa incusa, eorum modi, et causae. P. CVII.
Signa monetariorum. P. CVI.
Signa militaria frequens coloniarum typus. IV. 491.
Silanus (Caecilius Metellus Creticus) propr. III. 276. 278.
Silenus a Mida astu captus. III. 168. Silenus sub philosophi habitu. II. 40.
Silenus frequens in numis Macedonum. II. 61. 72. Ancyrae Galatiae. III. 177. Idem frequens coloniarum typus, et cur? IV. 493.
Silenorum capita instar Iani conjuncta. II. 54.
Silo procos. IV. 231.
Silphium Cyrenensium proprius typus. IV. 119. Ejus excellentia. *ibid.*
Silvanus, incertum quis, in numo Pergami. II. 467.
Sipylene mater in numis Smyrnae. II. 542. 543.
Sipylus heros. III. 106. et mons. *ibid.*
Sirenes cantu a Musis victae alas abjiciunt. II. 304.
Sirius in numis Ceae. II. 326.
Situs urbium in numis mentio. IV. 310. Catalogus urbium, quae variis modis situm in numis eloquuntur. 311.
Socrates philosophus. IV. 350.
Sol Acrocorinthi dominus. II. 239. inter praecipua Damasci numina. III. 331. et Emisae, 311. Heliopolis, 334. Aetneorum. I. 191. Rhodi. II. 602.
Sol et luna frequentes in numis regum Parthiae. III. 545, et Persarum, 555. item in numis regum Ponti. II. 363. ac propterea inserti tetradrachmo Attico Mithridatis VI. II. 219. 220.
Solon in numo Metropolis Ioniae. II. 529.
Solymus heros. III. 27.
Sophistae quibus in numis? IV. 221. Eorum origo, dignitas, munus, *ibid.*
Soteris nomen quid significet. IV. 6. Qui reges sic vocati? IV. 462. Soteres dei dicti Ptolemaeus I. et Berenice. IV. 9.
Soteria ludi. IV. 453.
Spartanis vetita omnis pecunia praeter ferream. II. 278. tamen abundabant moneta aurea et argentea. *ibid.*
Sphinx. Ejus forma, et census mysticus. IV. 40. Sphingis allegoria. I. 139. Obvia in numis urbium Baeticae. I. 7. Chii. II. 564. Gabalorum. III. 313. Sphinx in galea Palladis. II. 210. 216.
Spicae obvius Metaponti typus. I. 155.
Spiritus asper et lenis quo modo scribi soliti? P. XCIX.
S. R. in numis coloniarum. IV. 498.
Stagira eadem cum Orthagoria. II. 73.
Stater numus Graecorum argenteus, et aureus. P. XL. seq. Stateres vario nomine. P. XLI. Stateres Attici, Corinthii, Cyziceni etc. an vera moneta, et non potius imaginaria. P. XLI.

Stateres Cyziceni, II. 451. Phocaeenses. 535.
Statuae Augusti et Iul. Caesaris in numis Philipporum Macedoniae. II. 76.
Stephanephori, et quae eorum dignitas. IV. 212.
Sterope Cephei F. a Pallade Medusae crinem accipit. II. 299.
Stesichorus poeta. I. 215.
Strymon fl. Thraciae. II. 39.
Stymphalis avis. II. 297.
Suffetes Carthaginiensium. IV. 138.
Suillius Nerulinus procos. II. 556.
Suillius (M.) III. 156.
Sulpicius Marcianus praeses. II. 33.
Sulpicius Proclus procos. II. 403.
Sunias fons Ciliciae. III. 69.
Synarchia. Quis hujus vocabuli sensus? II. 574.
Syria dea. III. 262.

Talentum, maximum Graecis pondus. P. XXXIX.
Taras delphino vectus. I. 143. 144. 146.
Tarentini equitatu clari. I. 146.
Tarquitius Priscus procos. II. 402.
Tatianus praeses. II. 33.
Taurica a tauro nomen traxit. II. 2.
Taurus frequens in numis Thurii, I. 160. Syracusarum, 244. Tauromenii, 243. Thessalorum, II. 133. Germanicopolis. 387.
Taurus victima Bacchi. II. 470. Plutonis, 588.
Taurus a pueris ad sacrificium effertur. II. 588.
Taurus frequens coloniarum typus IV. 496.
Taurus cum facie humana, quae ejus significatio? I. 129.
Taurus mons. III. 313.
Telephi a cerva lactati fabula in copiosis numis. II. 468. 298. Pergamum coloniam ducit. 463. 468.
Telesphorus in numis Hadrianorum, II. 413. Nicaeae, 425. Gargarorum, 455. Pergami, 463. 468. Pitanes, 476.
Templum Tiberio, Iuliae, Senatui Smyrnae erectum. II. 547. 560. Venus Paphia saepe in numis, ejusque forma. II. 463. III. 86. 113. Dianae Myndiadis pluviis impervium. II. 579.
Tera fl. Ioniae. II. 535.
Terebentinus praeses. II. 15.
Terentius poeta. IV. 351.
Testae pro numis. P. XX.
Testudo, moneta Peloponnesia. II. 228.
Tetrarchae in numis qui? IV. 460.
Thebe Aegypti, serius Diospolis. IV. 105.
Theodorus Tripolin Cariae vallo cingit. II. 595.
Theogamia ludi. IV. 454.
Theologus quid? et quibus in numis? IV. 217.
Theopator, qui reges sic vocati? IV. 462.
Theophanes (deus) Mytilenaeus. II. 504.
Theosebes vocatus Sames rex. III. 205.
Thermae Himerenses. I. 214. Selinuntiae. 239.
Theseus in numis Metaponti. I. 154. Nicaeae. II. 425. Herculis imitator. I. 130. 154. Cum Minotauro pugna. II. 217. Calceos, et gladium patris in-

vestigans. *ibid.* Ejus cum Minotauro conflictus saepe cum Herculis et Acheloi pugna confusa. I. 130.
Thetis in numo spurio. IV. 351.
Thorius Flaccus procos. II. 400.
Thracia in provinciam redacta, et ejus subinde regimen politicum. II. 20.
Thuria fons prope Sybarin. I. 162.
Tigris fl. Mesopotamiae. III. 519.
Timeles Fons Cariae. II. 576.
Timesius Clazomenius Abderae conditor. II. 22.
Tmolus mons vocatus sic a Tmolo Martis F. III. 113. 123.
Togata, sic vocata Tarraco. I. 57.
Tomus heros. II. 18.
Toparcha in numis. IV. 460.
Trajanus propr. III. 282.
Tribus Sergia memorata in numo Hispaniensi. IV. 228.
Tridens in numis Troezenis. II. 292. et Halicarnassi, 581, et cur?
Trinacria dicta Sicilia. I. 184.
Triopas Cnidi conditor. II. 588.
Triptolemus in numis Ennae. I. 207. Athenarum. II. 217. item IV. 61.
Tripus obvius in numis Crotonis. I. 170. Iungitur cum Baccho. II. 42. et Hercule. 75.
Triquetra symbolum Siciliae. I. 184. Etiam in aliarum extra Siciliam urbium numis comparet. *ibid.*
Triumviri monetales. P. LXXIX.
Tropaeum reges Macedoniae de hostibus victis non statuerunt. II. 125.
Tullius (M.) in cistophoris. IV. 360.
Tullius Maximus praeses. II. 33.
Tullus procos. III. 114.
Tycha pars Syracusarum. I. 246.
Typi in numis vet. generatim. P. CIV. Singularum urbium proprii et privati. P. CV. seq. Typi numorum in partibus aversis. P. CV. iis in parte aversa nonnulli numi omnino carent. P. CIV. Typi in numis coloniarum. IV. 488.

Valeriana ludi. IV. 454.
Valerius procos. III. 174.
Varus (P. Quinctilius) propr. III. 275.
Vas monotum typus characteristicus Cymes Aeolidis. II. 492.
Vau, V. *Episemon.*
Veidius Pollio Augusti amicus. II. 409.
Venus Erycina. I. 208. Paphi princeps numen. III. 86. Venus Paphia culta etiam Pergami. II. 463. et Sardibus III. 113. Venus Nephtys in Aegypto. IV. 102. Venus Vrania. II. 81. Venus eximie culta Anconae. I. 98. et Corinthi. II. 242. Venus Coorum, opus Praxitelis. II. 599. Veneris nobile signum in numis Cnidi. II. 580. Venus Adonidem lugens. III. 362. Veneris insolens forma in numis Aphrodisiadis. II. 576. Veneris Victima porcus. III. 26.
Vernix naturalis numorum aeneorum. P. LXIX.
Vespertilio in numis Helenae ins. II. 226.
Vesta, ejus signa et attributa. II. 538.
Vettius Niger procos. III. 140.
Viarus mons Pisidiae. III. 21.
Vibius Marsus procos. IV. 148.
Vibius Pansa. II. 396. 519.
Victrix, sic vocatae variae coloniae. IV. 472.
Vinum Methymnaeum nobile. II. 502. et Mendesium, 72.
Virgilius Maro in numis non antiquis. IV. 351.

Virgo φιαλοφορος in numis Locrorum Epizeph. I. 175.
Virtus Graecis κρατησις. IV. 55.
Vitellius in Samniticis. I. 103.
Vitellius (P.) procos. II. 400.
Vlysses in numis Ithacae. II. 274.
Volasenna procos. III. 131.
Volusius Saturninus propr. III. 275. procos. IV. 134.
Vopiscus (Pomp.) praeses in numis variarum Thraciae urbium.
Vota Graecis βωτα. II. 517.
Vrbes et populi quo modo in numis scripti? P. XCV. Vrbium varia nomina. IV. 320. Vrbes vetus ac novum nomen in moneta enunciantes, 321. nonnunquam in eodem numo. 322. Vrbes originem suam in numis professae. 323. Earum catalogus. 325. Vrbes cum additis imperatorum nominibus. *ibid.* Earum catalogus. 326. Vrbium epitheta varia, 330. Vrbium excellentia numeris definita. II. 527. Vocabulum *Vrbs* variis coloniis additum. IV. 471.
Vulcanus in numis Arimini, I. 95. Aeserniae, 101. Liparae, 270. Athenarum. II. 116. in ferculo a quatuor viris gestatus. 528.
Vulcanalia Athenis celebrata. II. 217.

X in numis Gallicis non est *Chi* Graecorum, sed ξ Latinorum. I. 75. 76.
Xanthus fl. Troadis. II. 387.
Xenius, sic vocatus Arsaces. III. 527.
Xenophon medicus. II. 599.

Z pro Σ in numis Smyrnae, II. 545.
Zacynthus cognomini insulae nomen dat. II. 273.
Zenon Rhetor Laodicenus insignis famae. II. 369. III. 162.
Zodiacus in numo Perinthi. II. Aegarum Ciliciae. III. 37. Ejus signorum, et planetarum societas. IV. 70. Ejus signa a Sultano Gehan - ghir Indiae rege insculpta numis, dictis *roupies*. III. 285.

SPECIAL 83-B
1358
V.2

GETTY CENTER LIBRARY